BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
12 R
13

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
5 G
10

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

48.7.5.
41
a
13

PHILOSOPHIA NOV-ANTIQVA SEV DISPVTATIONES IN VNIVERSAM PHYSIOLOGIAM ARISTOTELIS:

CVIVS ANTIQVÆ SENTENTIÆ (EXCEPTIS QVÆ ad æternitatem Mundi attinent) ſicut & D. Thomæ, plerumque noviter elucidantur, ſpeciatim fulciuntur, & ab impugnationibus, præſertim recentibus, vindicantur.

OPVS VNIVERSIS NATVRÆ SPECVLATORIBVS VTILISSIMVM, iiſque ingenti ſubſidio futurum, qui ad aggredienda aut ſubeunda in Scholis certamina ſeſe accingunt. Habebunt enim inſtructiſsimum promptuarium ad ſortitias Prælectiones, & quaſlibet Diſſertationes publicas.

AVTHORE

R. A. P. Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE, BENEDICTINÆ Congregationis Hiſpaniarum Generali Magiſtro, in Salmanticenſi Academia Profeſſore Theologiæ Laureato, Philoſophicæ Cathedræ Anteceſſore, & Inſignis Collegij D. VINCENTIO ſacri Studiorum Regente.

Biblioth. Soc. Coll. Rom. Soc. J. Catal.o adſcriptus

TOMVS PRIOR.

CONTINENS EA, QVAE AD OCTO PHYSICORVM libros ſpectant. Poſterior autem, qui iam ſub prælo eſt, dabit ſelectas diſputationes in libros de Generatione, Cœlo, Meteoris, & Animà, quibus demum tota comprehenditur Phyſiologia.

OMNIS SCRIBA DOCTVS IN REGNO COELORVM, SIMILIS EST HOMINI PATRIFAMILIAS, QVI PROFERT DE THESAVRO SVO NOVA ET VETERA. Math. 13. v. 52.

SALMANTICÆ:

Apud LVCAM PEREZ, propè Collegium S. VINCENTIJ, ANNO Dñi M. DC. LXXII.

Catholicæ Maieſtatis Privilegio, & Superiorum permiſſu.

ILL^MO. PRINCIPI
D. D. F^r. ALPHONSO
A SANCTO THOMA.

PRIMUM OXOMENSI, DEIN PLACENTINO, AC TANDEM MALACITANO PRÆSULI, A CONSILIIS CATHOLICÆ MAIESTATIS. &c.

EX ORDINE PRÆDICATORUM ASSUMPTO.

PHILOSOPHIAM ex mineis D. THOMÆ ſcriptis potiſsimùm erutam, cui alteri offeram, quàm Fr. ALPHONSO A S. THOMA, cui Angelici Doctoris nomen pro cognomine, pro ſtemmate, pro gloria eſt? Pro ſtemmate, inquam, non minùs illuſtri, quàm quod à clariſsimis Parentibus, Avis, Atavis, accepiſti, ILLUSTRISSIME PRINCEPS. Impatiens illa eſſet, ſi illiterati Patroni limina ingredi cogeretur. Neſciunt elementa, niſi in cẽtro ſuo conquieſcere. Quid, quòd nec diſciplinæ? Et hæc maximè, cui à priſcis ſæculis patuère, non atria modò, ſed & penitiora Principum Sapientum adyta. Excepere illam ſereno & benigno vultu Reges Ægypti, Babylonis, Arabiæ, Perſidis, & ipſi quandoque Cæſares, atque ex Noſtris ALPHONSUS, cognomento SAPIENS & Imperator electus, glorioſiorque à Philoſophia cultu, quam à purpura & diademate. Non minùs benignè acceptũ iri ſpero, quam Tuo conſpectui ſiſto. Nec par eſt aliud exiſtimare de eo, qui Princeps ab origine audit, Princeps à litterarum gloria, Princeps denique Eccleſiæ, & tantus Princeps. Addo ulterius. Nequit non eſſe TIBI gratiſsima, quam in ipſo adoleſcentiæ flore è cathedrâ docuiſti, nobilitaſti, & ſubtilis mentis acumine reddidiſti illuſtriorem. Nunquam illa glorioſior, quàm dum Fr. ALPHONSUS A S. THOMA eam è ſuggeſto traderet. Vel ſi à nullis Principum culta fuiſſet prius, iam exinde ſat gloriæ haberet. Vel ſi TU ipſe nullam à natalitijs accepiſſes, ſed à humilibus & abiectis incunabulis educatus eſſes, iam de cætero dignus fores, qui Princeps litteratorum audires. Illa TIBI gradum fecit ad Theologiæ profeſsionem, notitiamque ſublimem, ſive dum è cathedra doceres ſive dum Orator ſacer, cum magni nominis celebritate, & auditorũ fructu, populos erudires. Indidem proceſsit quòd Prædicatorum Ordo, id eſt, virtutum & litterarum commune domicilium, atque ampliſsima ſedes, TE vix, aut ne vix quidem, adoleſcentiæ metas prætergreſſum, toti Provinciæ Bæticæ præficeret. quæ ſubinde digniſsimum Parentem, obſervantiſsimum Prælatum, &, qualem in votis habere potuiſſet, pietatis ac doctrinæ ducẽ, prodromumq; nacta eſt. Magna ſanè laus & mira, tã multis præeſſe ac prodeſſe in ea ætate, in quâ tam pauci, vel ſibi ipſis prodeſſe, aut præeſſe ſolẽt. Dignũ etiã, ut quaſi propriũ elogiũ audias illud Magni Felicis in vita Epiphanij: Cana conſilia in annis puerilibus meditabaris. Vernabat in *TE* præ cæteris bonorum operum mater, verecundia. *TE* quicumque vidit, cùm necdum aliquod dignitatis limen intraſſes, omnia tranſiſſe credidit, quæ ſequebantur, inſignia. *Porrò tam*

bre-

breviter ſequuta ſunt, vt ætate iuvenem adhuc, ſed prudentia & maturitate virum, piiſſimus Hiſpaniarum Rex PHILIPPVS IV. præfecerit TE primum Oxomenſi, dein Placentinæ Eccleſiæ. Solon apud Stobæum, ſerm. 1 1 2. *lege ſanxit ne quis admodum iuvenis ad magiſtratum aut conſultationes admitteretur, quamvis prudentiſſimus eſſet viſus. Verum aliter decerneret, ſi in TE, adhuc iuvene, inveniret quod Græci ipſi appellare ſolebant,* δίκης ὀφθαλμὸν, iuſtitiæ oculum, *& , vt apud Platonem habetur,* ὀρφικὸν βίον, orphicam vitam, *id eſt, innoxiam, & ab omni contagione puram. Aliter, inquam, decerneret ſi deprehendiſſet TE, iuniorem adhuc,* ſuper ſenes intendiſſe moribus dies, antiquorum tempora prævenisse meritis, & quod deerat ætatis, virtutibus compenſaſſe, *vt inquit S. Bernardus in epiſtolâ ad Theobaldum militem. Non TE extulit in Eccleſiæ ſpeculam, aut faſtigium, cæca ambitio, ſive dignitatum* ſacra fames, *quâ multi eſuriunt & ægrotant, ſed meritorum culmen, virtutum alæ, & eruditionis pennæ. Longè aliter aſcendiſti, quam ij, de quibus Chryſoſtomus lib. 3. epiſt.* 3 9 5. *inquit*: Dum nec in ſubditorum calle cenſeri debêt, ad doctrinæ thronum proſilire minimè verentur: & ſacrario dominari præſumunt, qui ne ſeipſos quidem in poteſtate tenent: & alijs præeſſe ſe arbitrantur, qui ne ſeipſis quidem præeſſe potuerunt. Per quos factum eſt, vt res omnes Eccleſiæ ſurſum deorſumque volvantur. *Apage effrenem dominandi libidinem, & philotimiam, monſtrorum innumerabilium matrem, quam ſacræ litteræ & SS. Patres execrantur, Chriſtuſque Dominus S. Birgittam alloquens illis verbis, ſanè pertimeſcendis:* Qui ambiunt honores & prælationes, erunt participes omnium pœnarum & peccatorum eorum, quos ſuſceperunt regere, & confuſio eorum erit ſine fine. *Procul ab hac ſyrte, leniter aſpirante divinæ gratiæ zephyro, per altum meritorum mare navigaſti rectâ viâ ad portus, ſeu culmina dignitatum Eccleſiaſticarum, nimirum via, quâ* itur ad aſtra, *& quam vnam peragere decuit cordatum Principem qui, tanto ſæculi ſplendore abiecto, inconſequens videretur, ſi, quem ſemel reliquerat ac Deo obtulerat, commutatum ambiret. Equidem Chriſti D. teſtimonio certum eſt, eos qui ad ovile non intrant per oſtium, ſed aſcendunt aliunde, Paſtores non eſſe, ſed* mercenarios ac fures. *Iſti enim epithetis cohoneſtantur* Ioannis 10. *Quod & experimento innoteſcit ferè aſſiduo: quorum plerique deprehenduntur non oves paſcere, ſed tondere, intentos ſolùm, vt ſe ſuoſque paſcant, vſque quaſi trahant hereditate poſſidendum ſanctuarium Dei. Quare ſuperſit vt, pravis initijs reſpondentes eis in fine, ex eodem, quod ſibi gradatim conſtruxerunt, faſtigio, altiùs decidentes, ac ſubitò in foveam damnationis ruant. De ijs quippe veriſſimum eſt illud Senecæ 6. de Beneſic. c.* 3 3. Non quibus gradibus ad ſumma perventum eſt, retro itur. Sæpe inter maximam fortunam & vltimam, nihil intereſt. *Et quod Iuvenalis Sat.* 10. *accinebat:*

qui nimios optabat honores,
Et nimias poſcebat opes; numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, vnde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.

E contrà verò accidere ſolet ijs, qui non proprio arbitrio, neque ambitu, ſed ad ſolius divinæ vocationis præſcriptum, quam virtutibus ac litteris meruere, Prælaturam obeunt: nimirum recto initio felix reſpondet progreſſus, & feliciſſimus exitus. Atque hoc viſum eſt, quod omnes experiuntur in TE: cuius innocua vita, infractus pro divino Domûs zelus, pietas profuſa in pauperes, magnitudo animi ſacro Principe digna, & mens à mundanis honoribus ſemper adverſa, diviciſque abſtracta, veluti in vno Deo defixa, teſtantur, ipſius nutu datum acceptumque fuiſſe, quidquid honorum, quidquid dignitatum ſacrarum habuiſti, vſque ad diem hanc; in quâ Malacitanæ Eccleſiæ non minori cum laude præes ac prodes quam antiqua Oxomenſi & Placentinæ. In ijs quippe omnibus eadem TIBI morum probitas, eadem in omnes humanitas, quæ cunctorum animos rapit. Eadem humilitas & modeſtia, quæ olim Fratri ALPHONSO A S. THOMA in ipſo tyrocinio Religionis fuit, eadem nunc Præſuli Malacitano eſt. Fr. ALPHONSVS hodie intra anguſtias vnius cellæ, pauperiſque cubiculi, frequentius degit, ſtudet, meditatur, vigilat, aut humili lecto cubat. Præſul Malacitanus Palatium inhabitat, famulis ſtipatur, throno ſedet, iudicium fert, Clero antiſtat, populo dominatur, curru vehitur. Fr. ALPHONSVS ſibi vni parcus, eiſdem quibus olim, veſtibus tegitur. Sicut tyrocinio ſuo in Ordine S. DOMINICI veſtiebat tunica, conſtringebat zona, induebat capucium, tegebat pallium lanæ, eaque omnia ex vili aut communi tela, ita & nunc Malacitanus Epiſcopus. Iidem caligæ rudes, iidem impoſiti calcei, ſic Fr. ALPHONSVS in cubiculo orat, ſic Hierarcha è ſublimi Sede homines imperet, iudicet, leget, abſolvat. Quid reſtrictioni cum potentiæ amplitudine, quid cum divitijs paupertati? Quâ in homine cognatio profuſiſſimæ liberalitati & magnificen-

ficentia erga orphanos, viduas, ægros, ſemper, cum tanta erga ſe parcitate? Verùm conjunctionem horum extremorum, quæ contraria apparent, didiciſti a Filio Dei: qui, cùm dives eſſet, pauper propter nos factus eſt, vt nos eius inopia ditaremur. Didiciſti ab illo cum augere humilia ſublimibus, imo ſummis. Nemo eorum, qui hæc fortè legerint; patet, ſine adulationis genio actum, qualiacumque elogia Præſulis Malacitani proferre Vera, iuſta, ac debita; imò & longè minora eſſe, quàm par ſit, nemo non ſcit, niſi qui TE neſcit. Hæc vna omnium vox. Felices populi Tuæ curæ commiſſi! Felices oves, talem Paſtorem nactæ. Ignoſce, HIERARCHA ILLVSTRISSIME, ſi genas honeſtate ac verecundia plenas, novo rubore perfudi. Scio nihil minus TIBI placere, quàm laudes. Atqui nonnullas à me proferri, & ſcriptis conſignari oportuit, non ad celebritatem Tui nominis, quæ tanta eſt, ſed ad poſteritatis documentum.

Hæc ratio eſt, vt primam ac potiſſimam PHILOSOPHIÆ NATVRALIS *partem ſub altericus nomine in lucem prodire voluerim. Tum præterea quòd nihil diſcere aut docere ſolitus ſim, niſi præeunte D. THOMA, in Naturalibus Ariſtotelicæ, & in ſupernaturalibus* DIVINÆ MENTIS *fideliſſimo Interprete: cuius celebritas, honor, & gloria, TIBI potiſſimùm curæ eſt. Ideoque iteratis adhortationibus volentem nolentem impuliſti Illuſtriſs. D. D. Fr.* PETRVM DE GODOY, *Religionis tuæ ſingulare decus; & quondam Oraculum Academiæ Noſtræ, vt ſeptem illa Theologiæ volumina prælo committeret, quæ omnes laudant, probant, mirantur. In ijs quippe Angelici Magiſtri doctrina chryſtalli inſtar pellucida cernitur, veluti aqua Nili in ſeptem oſtijs, quibus ingreditur mare. Eorum Operum editio* TIBI *debetur, quo non adhortante & impellente, fortaſſis inter vmbras delituiſſent, non ſine ingenti Theologorum iactura. Quòd verò eiuſdem D.* THOMÆ *ſententias propugnandas excipiam, proferamque in ipſa fronte Operis, multiplex cauſa eſt. Ac vrgentiſſima quidem quòd S. Doctor prima litterarū elementa didicerit à Monachis Caſſinenſibus: quòd ſub eorum educatione & exemplo cœleſtem vitam inchoaverit, & virtutibus angelicis ac prope divinis profecerit. In eodem ſacro monte & Monaſterio Caſſinenſi Orientem ſuum habuêre, primoſque lucis radios effudère,* BENEDICTVS *Monaſticæ ſphæræ Sol, &* THOMAS *Sol Theologiæ. Mons ipſe lumine* BENEDICTI *factus eſt cœlum alterum, vt poſtea* THOMAS *virtutum ac doctrinæ non alia haberet incunabula, quàm cœleſtia. De* BENEDICTO *tradit S. Gregorius Magnus, & Eccleſia accinit,* vitam angelicam geſsiſſe in terris; *ſcilicet, in Caſſinenſi Monaſterio. Quidni vita ac doctrina angelica D.* THOMÆ *ibidem quoque haberet ortum? Sanè ille priùs noſter fuit, quàm Ordinem Prædicatorum illuſtraret. Meritò gloriatur exinde Benedictina Religio, & in cenſu computat quòd quodammodo ipſius Mater ac Nutrix extiterit. Celebris eſt in ſacris litteris filia Pharaonis quòd Moyſen ab infantia nutrire atque educare curaverit: ac de ipſa dicitur Exodi 2. v. 10.* Quem illa adoptavit in locū filij. *Quidni & magnum decus Noſtræ Religionis ſit, Nutricem, & quaſi Matrem adoptivā D.* THOMÆ *fuiſſe? Propter hæc fortaſſe idem S. Doctor tam propenſo animo fuit, tum erga S.* BENEDICTVM, *quem miris & inſolitis laudibus effert; tum & circa Filios ipſius, præſertim Gregorium Magnum, Bedam, & Anſelmum, quos toties allegat, ſequitur, & illuſtrat. Meritò itaque nos omnes vbique doctrinam D.* THOMÆ *ſequimur, ac veneramur. Verùm licèt prædicta ratio ſit vſque adeò vrgēs, alia fortiùs inſtat, quæ eſt* VERITATIS AMOR. *Illius enim aſſecutio digniſſima eſt, vt pertinaci ſtudio ac ſpeculatione quæratur, præcipuè apud eos, quos Æterna Sapientia generi humano dedit, veluti communes Magiſtros, vt Ariſtotelem & D.* THOMAM: *quibus ferè nemo non aſſurgit in ijs, quæ ad Scholaſticas diſciplinas attinent. Si enim, (inquit Chryſoſtomus in Pſalmum 115.)* veſtimenta empturus, gyras vnum negotiatorem, & alterum, & vbi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; quomodo non oportebit circuire omnes Doctores, & inquirere vbi ſyncera veritas venundetur, & vbi corrupta! *Porrò evolutis variarum Scholarum Doctoribus indefeſſo laborê, ac ſtudio veritatis inveniendæ; in nullo alio, quàm in Ariſtotele ac D.* THOMA, *ſynceriorem illam, aut puriorem deprehēdi. In vtroque enim naturali quadam pulchritudine ſplendet, & puriſſimi fontis ad inſtar perenniter fluit, qualiter apud Ariſtophanem* καλλιπάρθενοι ῥοαί, pulchra & virginea fluenta. *In vtriuſque ſcriptis talis & tam decora invenitur, qualem expreſſit quidam Veterum Græcorum, accinens:*

Οὐκ ὅστις ζωγράφος μὴ τὸν θεὸν,	Haud arte tantam pictor vllus aſſequi,
Οὐκ ἀνδριαντοποιὸς ὅστις ἂν πλάσαι	Statuariuſvè pulchritudinem queat,
Κάλλος τοιοῦτο, οἷον ἡ ἀλήθει' ἔχει.	Tantum decorem, veritatis quantus eſt.

Et D. Auguſtinus lib. de vera Relig. his verbis: Quid admirabilius, quid ſpecioſius ipſa veritate?

ita-

ritatẽ, ad quam omnis ſpectator pervenire ſe cupere confitetur, cùm vehementer, ne fallatur, invigilat, & inde ſe iactat, ſiquid acutius cæteris & vivaciùs in ſpectãdo cognoſcat & iudicet? *Inutilis ſanè labor, ac malè impenſa Philoſophorum Theologorumque pervigilia, & ſpeculationes, niſi in hunc ſcopum, ſeu Cynoſuram veritatis collineent. Fateor pleraque ab vtroque tradita non vſque adeò explorata eſſe, vt ſub opinionis lite non ſint. Verùm & hæc ipſa tam firmis nituntur rationibus, vt maximè probabilia exiſtant, & quibus meritò aſſenſum præſtet, quiſquis veritatis amator eſt. Quod ipſe Ariſtoteles generatim expreſſit lib. 1 Rhetor. c. 1. dicēs:* τό τε γὰρ ἀληθὲς, καὶ τὸ ὅμοιον τῷ ἀληθεῖ, τῆς αὐτῆς ἐστι δυνάμεως ἰδεῖν. ἅμα δὲ καὶ οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸ ἀληθὲς πεφύκασιν ἱκανῶς, καὶ τὰ πλείω τυγχάνουσι τῆς ἀληθείας. διὸ πρὸς τὰ ἔνδοξα στοχαστικῶς ἔχειν, τοῦ ὁμοίως ἔχοντος καὶ πρὸς τὴν ἀλήθειάν ἐστι. Nam verum & ſimile vero, eiuſdem facultatis eſt videre. Simul autem & homines ad verum naturà conformati ſunt ſatis, & plerumque conſequuntur veritatem. Quamobrem ad veroſimiliora conijcienda ſe habere, eius eſt, qui eodem modo ſe habeat ad veritatẽ. *Vtinam omnes illam vbique, &, quo par eſt, affectu, quæramus, ac feliciter aſſequamur. Interea, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, probata cœlo mens, quam à primis ferè vnguiculis elegiſti, VERITATIS inſiſte VIAM, & prolixo annorum curſu proſequere innocuam honeſtiſſimæ vitæ ephemeridem: vt tandem glorioſis operibus* morum mundique magiſter *factus, æternùm vivas, glorioſo nomine, & nulla oblivione delendo, apud Deum & homines. Sic opto, ſic ſpero Salmanticæ VI. Kalendas Martij, anno à Virgineo partu* M. DC. LXXII.

ILL^MÆ.^ D. TVÆ

HVMILIS CLIENS AC SERVVS

Fr. IOSEPHVS SAENZ DE AGVIRRE.

LICENTIA ORDINARII.

D D. Proviſores Eccleſiæ Cathedralis Salmanticenſis, Sede vacante, hoc Opus inſcriptum PHILOSOPHIA NOV-ANTIQVA, iuſſu ipſorum examinatum, & probatum à RR.P.F. Philippo Vahamonde, in Salmanticenſi Academiâ Profeſſore Theologiæ Laureato, Benedictinæ Religionis Generali Magiſtro, & Collegij D. VINCENTII Abbate, in lucem edi permiſſerunt die IX. Auguſti anno M.DC.LXX. vt latius conſtat ex ipſorum litteris authenticis apud Franciſcum Fernandez Almejun Notarium publicum vrbis Salmanticæ.

CENSVRA RR. AC DOCTISSIMI P. M. F. MAVRI DE SOMOZA, Benedictinæ Religionis Magiſtri Generalis, quondamque Definitoris Iudicis, & Collegij D. VINCENTII iam dudum Abbatis; Supremæ Hiſpaniarum Inquiſitionis Cenſoris ſingulariter & ex munere deputati; Archiepiſcopatus Toletani Examinatoris Synodalis; in Salmanticenſi Academiâ Profeſſoris Theologiæ Laureati; & poſt Scoti ac Durandi honorificentiſſimas Cathedras, Primarij Sacræ Scripturæ Profeſſoris.

IVSSV Reverendiſſimi P.N.M.F. Antonij de Heredia Congregationis Benedictinæ Hiſpanicæ & Anglicæ Generalis, perluſtravi, ac ſedulo evolvi PHILOSOPHIAM NOV-ANTIQVAM duobus Tomis diſtinctam elaboratamque à R.A.P.F. Ioſepho Saenz de Aguirre in hac Salmanticenſi Academia Profeſſore Theologiæ Laureato, Religionis Noſtræ Generali Magiſtro, & Inſignis huius Collegij D. VINCENTII Anteceſſore, ac ſtudiorum Regente. Et poſt accuratum Operis examen, non modo nihil deprehendi, quod vel latum vnguem diſcedat à ſacris Eccleſiæ dogmatibus, Patrumvè decretis, aut honeſtate morum: ſed imò verò digniſſimum luce publicâ inveni, tum ob elegantem dicendi facundiam, tum ob ſingularitatem Nov-antiquæ doctrinæ, tum ob claritatem, ſubtilitatem, profunditatemque diſputationum, quas recenti luce donat. Cumque tot & tanti Scriptores præceſſerint circa res Philoſophicas, exiſtimo hoc Opus Authori ſuo inter omnes adhuc locum & immortale decus aſſecuturum, foreque ingenti vtilitati Naturalium rerum ſpeculatoribus, ac ſubſidio Theologis ad ſacras ſevērioresque veritates penitiùs dignoſcendas. Quippe non, vt fieri ſolet, aliorum elucubrationes exſcribit, aut vſurpat; ſed plerunque obſervationibus privatis inſiſtens, proprijque genij ductum ſequens, priſcas Ariſtotelis ac D. Thomæ opiniones novis luminibus illuſtriores reddit. Quod facilè quiſque deprehendet collatis invicem cum hoc Opere Authoribus, qui de rebus Naturæ ad præſcriptum Academicæ ſpeculationis ſcripſerunt, & quorum diſcurſibus ingentem abſdubio acceſſionem fecit. Ita atteſtabar in Collegio Benedictino D. VINCENTII Salmanticæ XI. Kalendas Auguſti. Anno ab Orbe redempto M.DC.LXX.

Fr. MAVRVS DE SOMOZA.

FACVLTAS ORDINIS.

NOS Magiſter Fr. Antonius de Heredia, Generalis Congregationis S. BENEDICTI Hiſpaniarum & Angliæ, &c. Facultatem concedimus, quantum ad Nos attinet, vt typis mandetur PHILOSOPHIA NOV-ANTIQVA R.A.P.F. Ioſephi Saenz de Aguirre, Religionis Noſtræ Generalis Magiſtri, in Salmanticenſi Academiâ Profeſſoris Theologiæ Laureati, Inſignisque Collegij D. VINCENTIO Sacri Lectoris Primarij, ac Studiorum Regentis: quoniam a gravibus doctiſque viris Congregationis N. examinata & probata eſt. In cuius rei teſtimoniũ has litteras ſigillo Noſtro & ſubſcriptione munitas dedimus in Monaſterio S. Salvatoris de Lorenzana V. Idus Auguſti, anno M.DC.LXX.

M. Fr. ANTONIVS DE HEREDIA,
GENERALIS.

Iuſſu Reverendiſſimi P.N. Generalis.
Fr. Antonius Izquierdo.

CEN-

CENSVRA REVERENDISSIMI AC SAPIENTISSIMI P. DOCTORIS Gaſparis de Ribadeneira, Societatis IESV, Primarij Regijque Theologiæ Profeſſoris in Complutenſi Academiâ, Archiepiſcopatus Toletani Examinatoris Synodalis.

EX Comiſsione Regij ac Supremi Senatus Caſtellæ legi magnâ animi ſuavitate & attentione, PHILOSOPHIAM NOV-ANTIQVAM R. P. Magiſtri Fr. Ioſephi Saenz de Aguirre, cuius cenſura pollulatur, panegyris debetur. Præclaro conſtat acumine, ſtylo aureo, copioſa eruditione, ſolidaque doctrina. Opus quidem omnem meam commendationem exſuperans, quod nullius cenſura poſsit meritò conſigi, ſed omnium vendicet encomia. Nihil in eo Catholicæ Fidei, vel bonis moribus diſſonum, ſed ſed ſummè conſonum, multisque nominibus dignisſimum ad omnium profectum publicâ luce frui. Quid plura, vbi nihil ſatis? In Collegio Matritẽſi Societatis IESV, die 22. Septembris, anno D. 1672.

GASPAR DE RIBADENEIRA.

FACVLTAS REGII SENATVS.

REGIVS Supremuſque Caſtellæ Senatus facultatem conceſsit P. Magiſtro Fr. Ioſepho Saenz de Aguirre Benedictino, in Salmanticenſi Academia Profeſſori Theologiæ Laureato, vt PHILOSOPHIAM NOV-ANTIQVAM, ipſius iuſſu approbatam, in lucem edat, vt latius conſtat ex authenticis litteris apud Gabrielem de Areſti & Larrazaval, Regiæ Cameræ a Secretis, die vigeſsima quinta Septembris, anno milleſsimo ſexcenteſsimo ſeptuageſsimo.

ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 2. columnâ 1. lineâ 39. *alius*, lege *alios*. Pag. 17. col. 2. lin. 11. *κινητῶν*, l. *κινητῶν*. P. 87. col. 2. linea 29. & ſæpiùs alibi, *faltim*, l. *ſaltem*. P. 94. col. 1. lin. 32. *ὀργάνων*, l. *ὀργάνων*. Pag. 130. col. 1. lin. 39. *ὁ ν*, iunge vtramque litteram, idemque obſerva in cæteris, quæ accentum, aut aſpirationem habent: nam Græci typi malè diſpoſiti erant. P. 201. col. 2. lin. 44. *quos*, l. *quo*. P. 211. col. 2. lin. 33. *producit*, l. *non producit*. P. 215. col. 1. lin. 14. *vtriuique*, l. *vtriſque*. P. 218. l. 6. *differit*, l. *differt*. Ibid. col. 1. lin. 58. *imporrens*, l. *impotens*. P. 227. col. 2. lin. 14. *quia*, l. *quia non*. Ibidem lin. 38. *ſubtilitur*, l. *ſubtiliter*. P. 276. col. 2. lin. 19. *beterogeneus*, l. *beterogeneus*. P. 316. col. 2. lin. 13. *περιγεγραμμένην*, l. *περιγεγραμμένην*. P. 341. col. 2. lin. 51. *tucatur* l. *tuetur*. P. 342. col. 1. lin. 37. *extrema*, l. *extima*. P. 371. col. 2. lin. 21. *effixa*, l. *affixa*. P. 380. col. 2. lin. 24. *aliud*, l. *aliud eſt*. Ibid. lin. 55. *ergo*, lege *ego*. P. 408. col. 1. lin. 47. *ſit*, l. *ſit quantitas*. Præter hæc errata fortè erũt alia leviuſcula, aut facilia correctu, tũ ex incuria Typographi, tum ex aſsiduâ invaletudine Authoris, qui propterea non potuit correctioni aſsiſtere.

OB.

OBSERVANTISSIMVM

AC LITTERATISSIMVM COLLEGIVM SALMANticenſe Fratrum Diſcalceatorum B. MARIÆ Virginis de Monte Carmeli, Zelatori Eliæ dicatum, Philoſophici Curſus editionem R. P. M. Fr. IOSEPHO DE AGVIRRE, Authori gratulatur ex corde.

OPTATAM diu (R. P.) *Philoſophici Curſus elucubrationem nobis obijcit intuendam, vel potiùs exhibes admirandam: nam cùm naturæ genius ad prodigij terminos ſe tranſmittit, ipſa conſideratio intuentium redundat admirationis myſterio. Cùm igitur in hoc Opere ſingula quæque ſint abſolutiſsima, imò & certiſsima monumenta naturæ, neſcimus utique quid miremur, vel Authoris felix ingenium, vel ipſius Operis accuratam materiam. Vtrumque fatemur novum, & ſingulare quid eſſe; ſiout rum communi laudationis genere coæquari ſentimus: ſed quid prius encomiaſticum mereatur plauſum, hoc opus, hic labor. Si vis* (inquit elegantiſsimè Caſsiodorus lib. 9. epiſt. 23.) *Authorem quemlibet celebrare, animum tuum Operis gravitati coapta; hæc quippe in illius te manuducet notitiam, cuius mentis ſe ſobolem reputat generoſam.* Nam fructus editus prodit Authorem, & quidquid à divinitate meremur, de felici prole colligitur. *Eſt equidè velut naturalis illatio, ingenioſaque methodus arguendi, quãdo ex diſcuſſa operis veritate intellectus noſter Operis Conditorẽ agnoſcit. Hinc eſt, quòd etſi altiùs ingenij tui ambiguitas aliqua nos teneret, vel ex ſola huius Curſus attenta lectione Sapientiæ tuæ nobis clarè innoteſceret eminentia. Adeò enim in eo te ad vivum exprimis, adeò mentis tuæ manifeſtam efficis claritatem pariter, & acumen, ut vel cæci noverint te huius Operis eſſe Authorem.* Nec latere potuit, qua fide ſuſcepta peregeris (*dicebat Caſsiodorus idem lib. 8. epiſt. 28.*) qua luculentià tractata peroraveris. Ex quo gradu eloquentia tua atque conſcientia pariter incedebant, nullus ſuſpectus, quod amplius deliberaret, habuit. *Hactenus nobis erat ſingulare ſolatium tuis certaminibus intereſſe, vel pro aſſequendis cathedris, vel pro regendis actibus litterarum. In quibus omnibus antagoniſtam celebrem te extitiſſe, & cathedra, quam iam laureatus obtines, clamat, & vulgaris fama denuntiat. Cæterum quia hoc ſolamine perfrui nobis ad libitum non licebat, ut tanto impedimento obviam ires, Philoſophicum Curſum prælo mandaſti, ubi quoties doctrinæ tuæ volumus experiri myſteria, toties deſiderij noſtri levamen ſingulis in clauſulis veneramur.*

Adeſt equidem in hoc Opere veteris Sophiæ cunctus ſplendor, nec novitatis nebulâ ſigillatus, nec vetuſtatis inconcinnitate indecorus: ſed adeò pro diverſitate temporum expolitus, ut (teſte Sidonio lib. 4. epiſt. 3) nova ibi verba, quia vetuſta, quibuſque collatus meritò etiam antiquarum litterarum ſtylus antiquaretur. *Non eſt dubium, quin more apum ſeſe geſſerit Author ab illis antiquæ Philoſophiæ proceribus ebibendo, quaſcumque gratias exarauit in Opere, ſive in varietate, & ornatu, ſive in eloquentiâ, & ſtylo, ſive in gravitate, & ſententijs, ſive in argumentorum pondere, & maieſtate* Sentit, ut Pythagoras (*dicimus cum Sidonio*) dividit ut Socrates, explicat ut Plato, implicat ut Ariſtoteles, ſuadet ut Cato, diſſuadet ut Appius, perſuadet ut Tullius. *Verè nulli ſecundum opus: quippe quod omnibus præſtet celebrandi materiam, & in dicendi ſuavitate facundâ, & in energia diſputandi ſolerti. Vtrumque noſcitur ab Authore, quoniam quod libet alijs plurimum faceſſeret negotij: nam enim facilè nauſeantur, & in argumentis dexteritas ingenioſa, & in loquendo affluentia rethorica. Verùm tamen quia in hoc Curſu grauiter dicitur, quidquid dicitur, etſi à natura ſit donum in dicendo collatum, inter ipſa latebroſa ſyllogiſmorum ſpirenact eloquentiæ venuſtas, ut ſi quos retardaret à captu verâ ſyllogiſmorum ſubtilis, hos ad amorem ſapientiæ allicerent blandimenta verborum.* At quod, Deus magne (*dicebat de ſuo Claudiano idem Sidonius*) quantumque opus illud eſt! materia clauſum, declamatione conſpicuũ, propoſitione obſtructum, diſputatione reſeratum, & quamquam propter hamata ſyllogiſmorum puncta tribuloſum, vernantis tamen eloquij flore melliflum.

Verùm niſi, quod inſtituti proprij ſummum eſt, delibemus, & quod, vel rarus eſt qui aſſequatur, id doctrinæ ſanitas eſt, id eſt, veritas, quæ veluti lux clariſsima, dum ſe prodit, Authoris mentem lucidiſsimam manifeſtat. Apage rethoricæ floſculos, apage lenocinia dicendi, apage circumueniſum

ſtylum, cincinnataque verba: hæc enim, ſi deſit veritas, evaneſcunt; & dum ſe ad illius claritatem adunant, firmiſsima ſemper temporis volubilitatem derident. Quod Sol iſte oculis (*inquit Iacobus Sadoletus lib. de rect. inſt. fol.* 63.) veritas mentibus lucem, & diem adfert: ſed hoc lumen & propriè, & proximè Philoſophia ipſa ſectatur. *Quod quanta diligentia in Opere hoc perfecerit Author, nec brevibus gratulatione permittit adſtringi, nec nobis ſine magno temporis diſpendio liceret. Legant ſtudioſi, evolvant Sapientes, & cùm iubar clarum philoſophicæ diſciplinæ conſpexerint effulgere, veritatis titulo coronari laudabunt. Vnum tamen dicimus, & in hoc quidquid fas eſſet, pluribus celebrare titulis, coarctamus, quòd ſtrictim D. Thomæ veſtigia inculcaverit Auctor (vt ipſamet Operis materia declamat) ab ipſo Sole SS. Præceptoris libavit veritatis ſpecimen, quo ſua Philoſophia luſtratur: nec potuit, nec debuit tot Curſus iſte irradiare fulgoribus veritatis, niſi doctrinæ Angelici Præceptoris (vt habet) firmiter inhærendo.*

Ergo gratulamur ætati noſtræ fœlix ingenium, gratulamur etiam naturæ prolem fœcundam, imò & glorioſum Opus gratulari paciſcimur iteratò. Cuius gratiæ altiora merebantur elogia maiores appellabant ad plauſus, dum quidquid in eo legimus, eſt Sapientia; quidquid ſerutamur, myſterium; quidquid penetramus, ſingulare noſtri temporis eſt arcanum. Legimus certè (Plinio pro nunc vſurpamus dictamen lib. 4. epiſt. 27.) cum ſumma noſtra voluptate, imò etiam admiratione, multa tenuiter, multa ſublimiter, multa venuſtè, multa tenerè, multa dulciter, multa cum bile. Aliquot annis puto (*putamus*) nihil generis eiuſdem abſolutius ſcriptum. *Verùm Sidonius l. 4. epiſt. 7. maiori explicuit elogio (cùm tantùm extiterit illud Plinij) noſtrum, imò & omnium conceptum, dum omnes huic Operi dent coronam.* Omnium aſſenſu pronuntiatum (*ait Sidonius*) pauca nunc poſſe ſimilia dictari. Etenim rarus, aut nullus eſt, cui meditaturo par aſsiſtat diſpoſitio per cauſas, poſitio per litteras, cōpoſitio per ſyllabas. Ad hoc opportunitas in exemplis, fides in teſtimonijs, proprietas in epithetis, vrbanitas in figuris, virtus in argumentis, pondus in ſenſibus, flumen in verbis, fulmen in clauſulis. *Sic ſentimus, ſic firmamus aſſerentes cum eodem Plin. lib. 7. epiſt. 4. quòd ſi iudicium hoc ab alijs, pro noſtro erga Authorem affectu, erroris nota inuratur, vel hi ob noſtrum ſimiliter errent iudicium, vel noſtro dictamini ſe conforment.* Vnum precor (*precamur*) vt poſteri quoque aut errent ſimiliter, aut iudicent. *In hoc Salmanticenſi Collegio Eliæ Zelatori dicato, die 23. Decemb. anno* 1670.

Fr. Joſephus à Sancta Maria,
Lector Sacræ Scripturæ.

Fr. Ioannes ab Annuntiatione, Lector Theologiæ.
Fr. Thomas ab Annuntiatione, Lector Theologiæ.

RA-

RATIO OPERIS AD LECTOREM.

IN Hoc ſcripturiente ſæculo, nemo non audet ſua qualiacumque ſcripta publicæ luci committere: quod ſufficere videtur ne quiſquam in eo appareat ſingulariter audax, aut laborans nimiùm philautia ſuorum operum. Verum quia iuxta vetus illud effatum, *nullum placuit ſine veniâ ingenium*, ſub tua, LECTOR PHILOSOPHE, proponam inſtituti noſtri rationem. Philoſophiæ cathedram, in hac Salmanticenſi Academiâ honorificentiſsimam hoc tempore, propter inſignem, & non antea viſum, Antagoniſtarum, ſeu Petitorum concurſum, accepi à Regio ac Supremo Iuſtitię Senatu, duobus ferro annis. Vrgebat tunc ſtatutum explanãdi Phyſicam Ariſtotelis: quod à me factum eſt. Ideoque placuit editionem noſtri Curſus Philoſophici, non à Logica, vt fieri ſolet, ſed à Phyſica ordiri: vt quam breviter è ſuggeſto diſcipuli exceperunt, iam antea latiùs & operoſiùs elaboratam prælo committerem: ac deinde diſputationes ſelectas in libros Ariſtotelis de Generatione, Cœlo, Anima, ac Meteoris: quibus tota comprehenditur Phyſiologia, quæ in Scholis tradi, & ſeverius diſcuti ſolet. Inſcripſi PHILOSOPHIAM NOV-ANTIQVAM, non cenodoxiæ, aut philargyriæ cauſa. Scio enim aliquos ſpecioſam, imo & portentoſam epigraphen libris ſuis adhibuiſſe; fortè vt nominis famam aſſequerentur, ſive vt facilè illos venditarent emptoribus, vana illa inſcriptione deluſis. Epigraphen prædictam adhibui, quia reipſa reſpondet Operi huic: in quo non exoticam, aut recens natam, vel è cerebro confictam doctrinam exhibeo; ſed antiquam; & hanc non carie, aut rudere vetuſtatis ſqualentem, ſed novis plerumque obſervationibus elucidatam. Quod neceſſarium duxi ſcribentibus hoc ſæculo: in quo, non ſine irreparabili iactura tẽporis, experimur ſæpe circa quamlibet controverſiam Philoſophicam & Theologicam, eadem omnino à pluribus Authoribus tradi, abſque vlla additione; imo ſæpe iiſdem verbis, quin aliquid de ſuo proferant, coactis lectoribus ad eandem doctrinam fruſtra relegẽdam, & abſque vllo fructu inculcandam. Sanè D. Auguſtinus, clariſſimum Eccleſiæ lumen, reprehendere videtur abuſum hunc *in QQ. de Trinit. cap. 3.* dum ait: *Vtile eſt plures libros à pluribus diverſo ſtylo, etiam de eiſdem quæſtionibus fieri, vt ad plurimos res ipſa perveniat, ad alios quidem ſic, ad alios verò ſic.* Quaſi non vtile, ſed fruſtraneum ſit, aut eodem ſtylo, aut eodem modo, eaſdem omnino cõtroverſias à diverſis in lucem edi, per eandem lineam reciprocantibus ſerram, & tundentibus incudem eandem. Sanè vtiliſsimum eſt ſententijs Antiquorum & probatorum inſiſtere in qualibet diſciplina: ita tamen, vt illæ penitiùs introſpiciantur, & recenti aliqua luce donentur, ſtabilianturque denuo. Quâ ratione S. Hieronymus *in præfat. Epiſt. ad Hebræos* excuſat Divum Cyprianum, Hilarium, & Lactantium, auſos poſt Tertullianum ſcribere de iiſdem rebus; additque: *Stamina & fila nonnunquam ponunt priores, vt poſteriores veſtem inde conficiant.* Eâdem causâ nemo polymitarios aut phrygiones accuſat: quoniam, licèt ex alienis velleribus, & ſæpe antiquis, novam telam cotexunt, varia m efficiunt, & aulæa conſtruũt. Quippe & Author quilibet ſibi conſulit, dum doctrinam ſuam non è telis aranearum pendentem probat, ſed ab antiquis traditam, ipſorumque teſtimonijs, velut tibicinibus quibuſdam fulcitam; vt opportunè monet Macrobius *lib. 2. Saturnal. c. 1.* loquens de hoc ipſo, & ſubiungens: *Cum à Veteribus dicta referimus, ipſorum Authorum dignitate defendimur.* Et eruditiſsimus Lipſius in præfatione ad Politicam ex aliorum ſententijs integrè, ſed mira arte, contextam, *Vt in vno aliquo telo* (inquit) *aut gladio, multùm intereſt à quâ manu veniat; ſic in ſententia, vt penetret, valde facit robuſtæ alicuius & receptæ authoritatis pondus. Atqui ea Veteribus adeſt.* Porrò quis in rebus ad omnimodę Philoſophiæ penitiorem notitiam ſpectantibus ſublimior Ariſtotele fuit, aut æqualiter *Inventoris* appellationem meruit? Et tamen ille *lib. 6. Ethic. ad Nicomachum cap. 11. aliàs 12. fine*, ſic loquitur: *ὥστε δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων, καὶ πρεσβυτέρων, καὶ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις, οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων. διὰ γὰρ τὸ ἔχειν ἐκ τῆς ἐμπειρίας ὄμμα, ὁρῶσι τὰς ἀρχάς.* *Itaque vſu peritorum, & ſenum, aut prudentium pronuntiatis, atque opinionibus, quæ demonſtrari non poſſunt, non minùs, quàm demonſtrationibus, attendendum atque obtemperandum eſt. Nam quoniam vſu oculum quemdam conſecuti ſunt, principia facilè cernunt.* Ita & nos de priſcis illis Philoſophiæ proceribus, præſertim de Ariſtotele, omnium facilè antesignano, ſicut &, inter Philoſophos Chriſtianos, de D. Thoma exiſtimare debemus, etiam illa ipſa, quę nullam pro ſe demonſtrationem habent, ſed potiùs difficilia propugnatu ſunt, ipſorum mentibus, ſeu oculo, aſsiduis ſpeculationibus comparato, apertiſsimè patuiſſe. Quare ſuperest, vt

vtriuſque ſenſum, & energiam, inlatentemque doctrinæ vim, detegere conemur pro viribus, & illuſtrare recenter, quantùm fieri poſsit. Sanè conſultius eſt in hoc genere ſtudij philoſophici tempus inſumere, quàm in excogitandis paradoxis, cavillis, & tricis, quibus malè dediti aliquot, vix veſtibulum Philoſophiæ ingrediuntur; nunquã illius adyta explorare, & cum Ariſtophanæo Socrate *ἀεροβατῶν, περαέρα incedit*. Quod, ſicut Cãtabra fide atque ingenuitate à me dictum eſt, abſque animo lædendi quempiam; ita etiam ab alijs intellectum velim. Nullius Scholæ, aut Authoris Catholici, vel minima nota, in ſcriptis noſtris apparebit. Omnes illas & illos ſuſpicio, ab eiſque frequenter diſco, & vel ſequor, vel modeſtè impugno; & doleo, imo iraſcor, ſicubi fortè video aliquos invicem ſeſe ſcommatibus, dicterijs, aut conviciorum plauſtris onerare. Vtinam id ex Vatiniano odio nõ oriatur, ſed ex ſola intellectuum diſſenſione: quanquam hoc difficillimum appareat, cum nihil interiaceat voluntatem ac mentem. Itaque omnium Scholarum veneratione concepta, & ſæpe addito elogio ijs ipſis, quorum opiniones refello, ſolius Ariſtotelis & D. Thomæ ſententias elucubrandas, & ab impugnationibus, præſertim Recentiorum (quod iam diu deſiderabatur) vindicandas elegi. Nulla mihi ratio habita an is, quem ſequor, aut refello, Peripateticus audiat, Thomiſta, Scotiſta, an Ieſuita. Quem meo iudicio propiùs veritati accedentem invenerim, hunc prætuleram. Qui ſubtiliori mente, & impenſiori curà, vtriuſque communis Magiſtri ſententias examinaverit, & docuerit, is ſolus verè Peripateticus, & Thomiſta erit. Quod vt aſſequerer, quantà potui curà lectitavi Ariſtotelis Opera, tum in ipſo fonte, tum & in varijs translationibus antiquis ac recentibus, atque interpretationem D. Thomæ cohærentem textui. Sæpe autem teſtimonijs Sacræ Scripturæ, & Veterum Eccleſiæ Patrum, Græcorum & Latinorum, vtor ad muniendas & elucidandas vtriuſque ſententias, ipſorumque rationes expendo; quoniã Philoſophia noſtra non Ethnica, ſed Chriſtiana eſt, quam gaudemus, imò & gloriamur a clariſsimis ijs Eccleſiæ luminibus accepiſſe. Quantùm vero olei & operæ impenſum à me fuerit, quiſquis attẽtiùs hæc legere dignabitur, deprehendet. Cùm enim quamplurimi Authores, præſertim recẽtes, deſerto Ariſtotele, & D. Thomà, nova ac ſæpe difficillima argumenta in eorum ſententias excogitaverint, quæ ab vtriuſque Diſcipulis, ne leviter quidem indicabantur in Curſibus Philoſophicis vſque modò editis; oportuit omnia illa accuratè obijcere, & diſſolvere, ac retorquere: ſimiliter & novis impugnationibus præcludere evaſiones illas, quibus occurrebatur cõmunis vtriuſque Magiſtri rationibus. Quod vt fieri poſſet abſque nimia diſputationũ prolixitate, quæ in pleriſque illarum communia ſunt, & omnibus trita, ſæpiſsimè prætermiſsi apud quoslibet Authores videnda. Prædictis conſiderationibus ductus Philoſophiam hanc inſcripſi NOV-ANTIQVAM. Si autem adhuc epigrapha tibi non placet, expunge, & aliam ſubſtitue, dum verè Operi reſpondentem non neges. Interea illud Vincentij Lirinenſis, aureo libro de profanis vocum novitatibus, libenter excipio, & ingemino: *Creſcat, vehementerque proficiat ſapientia: ſed in ſuo dumtaxat genere. Imitetur animorum religio rationem corporum: quæ licèt annorum proceſſu numeros ſuos evolvant & explicent; eadem tamen, quæ erant, permanent* :::::::: *Intelligatur, te exponente, illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Eadem, quæ didiciſti, ita doce, vt CVM DICAS NOVE, NON DICAS NOVA.* Porrò, ne aliquid deſideretur ad pleniſsimum Curſum Philoſophiæ, tam Rationalis, quàm Naturalis, & Tranſnaturalis, poſt hos duos Phyſiologiæ tomos, quorum poſterior iam ſub prælo ſudat, alterum ſeorſim edemus, in quo Logica & Metaphyſica contineatur. Vtinã qualiacumque hæc ſcripta in maiorem Dei gloriam cedant, & in Eccleſiæ Matris obſequium. Orationibus tuis, LECTOR, fave & fove.

IN

INDEX SVMMARIVS

DISPVTATIONVM AC SECTIONVM;

LECTORI.

ACCIPE Indicem copioſum Diſputationum, ſeu Quæſtionum, quas excitare poſsis ſupra textum Ariſtotelis, & in pleraque aut omnia ferè capita totius Phyſicæ. Porrò curatum à nobis eſt vt Diſputationes (paucis quibuſdam exceptis) adeò plenæ ſint, vt deſeruire poſsint integris Prælectionibus ſortitijs ad cathedras promerendas, iuxta ritum Scholarum. Si quæpiam tibi aliquantò brevior appaꝛuerit, in ea ipſa indico nonnulla, imò & plura, quæ aliunde ſuperaddantur, vt iuxta clepſydram Academiæ, ſive horæ tempus, muneri tuo facias ſatis. Si aliquæ prolixiores fuerint, abſcinde plura vbi voles, & ad iuſtam menſuram erunt. Erit proinde tibi, LECTOR, quid accipias, quidque omittas. Initio cuiuslibet Diſputationis aſsignamus capita Philoſophi, ſupra quæ excitari illa poſsit, & ſæpe plures eidem capiti reſpondentes. Tu fortè eaſdem Diſputationes ſatis congruenter alijs capitibus adaptabis. Interea hoc labore noſtro & ſubſidio, iam diu à multis deſiderato, vtere, ſi placet. Deprehendes enim facilè quænam cuique capiti Prælectiones reſpondeant. VERSA ET MANDVCA.

DISPVTATIO I. PROOEMIALIS.

Quid & quotuplex ſit Philoſophia? Pag. 1.

Sectio I. Vnde Philoſophiæ nomē? Quot illius ſectæ? Quantus Vir Ariſtoteles? Quænam illius opera ad Philoſophiam ſpectantia, & eorum diſtributio. *pag.* 1.

Sectio II. Quid ſit Philoſophia, & quomodo dividatur in Rationalem, Naturalem, ac Moralem. Subdiviſio Naturalis in Phyſiologiam, Mathematicam, & Metaphyſicam, illarumque diverſitas, & abſtractiones variæ à materia. *pag.* 4.

Sectio III. Philoſophiam Naturalem eſſe verè & propriè ſcientiam, etiam qua parte Phyſiologia, ſeu Phyſica eſt. Opiniones Veterum in oppoſitum reiectæ. *pag.* 8.

Sectio IV. Occurritur argumentis negantiū Philoſophiā Naturalem ſcientiam eſſe; item & eorum, qui ſciētiam omnem de medio tollebant. Vbi de Magia, an, & quo ſenſu ſit Phyſiologiæ pars. *pag.* 11.

Sectio V. An Philoſophia Naturalis ſit ſpeculativa, vel practica? Vbi an Medicina ſit pars Philoſophiæ. *pag.* 14.

Sectio VI. Quodnam ſit proprium Philoſophiæ obiectum? *pag.* 17.

Sectio VII. Quo ordine addiſcenda ſit Philoſophia? *pag.* 19.

IN LIBRVM PRIMVM.

DISPVTATIO II.

Quot ſint principia Entis Naturalis? pag. 20.

Sectio I. Prænotatis quibuſdam, referuntur Authorum ſententiæ. *ibidem.*

Sectio II. Quo ſenſu vera ſit communior ſententia aſſerentium, principia entis naturalis *in fieri*, eſſe intrinſeca, & tria? *pag.* 22.

Sectio III. Quo item ſenſu prædicta opinio ſit falſa, & ab Ariſtotele aliena? *pag.* 26.

Sectio IV. Obiectiones ſpeciales contra noſtram opinionem ſolutæ. *pag.* 30.

Sectio V. Quid ſit dicendum de principijs *in facto eſſe*. Corollaria quædam. *pag.* 32.

DISP. III.

An in rerum natura exiſtat materia prima, diſtincta ab elementis? pag. 33.

Sectio I. Demõſtratur multipliciter exiſtentia materiæ primæ, & præoccupantur evaſiones aliquot Recentiorum, ſivè abſolutè illam negantium, ſivè aſſerentium eſſe indiſtinctam ab elementis. *pag.* 34.

Sectio II. Vrgentur adhuc ſuperiora argumenta, & impugnatur recens opinio ſtatuens materiam eſſe indiſtinctam ab elementis inter ſe permixtis. *pag.* 38.

Sectio III. Alia duo argumẽta diverſimodè cõfirmata in eam opinionem. *pag.* 42.

Sectio IV. Obijciuntur & extricantur fundamenta opinionis adverſæ. *pag.* 43.

DISP. IV.

De natura, & proprietatibus materiæ primæ. pag. 47.

Sectio I. An materia prima ſublunaris habeat vnitatem ſpecificam poſitivã? *ibidem.*

Sectio II. Vtrùm ſit ingenerabilis? Vbi quo ſenſu dicatur principium corruptionis? *pag.* 50.

Sectio III. Vtrùm appetat formas ſubſtãtiales? *pag.* 53.

Sectio IV. An etiã formã corruptã? *pag.* 56

DISP. V.

An materia habeat propriam exiſtentiam? pag. 59.

Sectio I. Refertur ſententia affirmans, eiuſque fundamenta vrgentur diverſimodè. *pag.* 60.

Sectio II. Eligitur ſententia oppoſita Ariſtotelis, ac D. Thomæ, & multipliciter ſuadetur. *pag.* 65.

Sectio III. Roboratur denuo eadem ſententia. *pag.* 68.

Sectio IV. Occurritur argumentis in oppoſitum. *pag.* 71.

DISP. VI.

An formæ educantur ex potentia materiæ, & quomodo? pag. 73.

Sectio I. Refertur, & reijcitur nov-antiqua opinio negans formam educi ex potẽtia materiæ propter indiſtinctionem ab illa. *ibidem.*

Sectio II. Aliorum opiniones de eductione formarũ, & præſertim nov-antiqua Lalemãdeti, referũtur, & improbãtur. *pag.* 77

Sectio III. Præmiſsis quibuſdam contra Anaxagoram, Platonem & Avicenam, ſtatuitur ex mente Ariſtotelis, Auguſtini, & D. Thomæ ratio propria eductionis: oſtenditurque formas materiales quò ad totam, ſuam entitatem educi ex potentia materiæ. *pag.* 81.

Sectio IV. Obijciuntur, & enodantur argumenta aliarũ opinionum, variæque difficultates obiter reſolvuntur. *pag.* 84.

DISP. VII.

An compoſitum ſubſtantiale diſtinguatur realiter à partibus ſimul ſumptis & vnitis? pag. 87.

Sectio I. Eligitur, & probatur ſentẽtia negans diſtinctionem realem. *pag.* 88.

Sectio II. Sententia adverſa, eiuſque argumenta præcipua ſoluta. *pag.* 93.

Sectio III. Alia Recentiorum argumenta obijciuntur, & enervantur. *pag.* 97.

DISP. VIII.

De dependentia materiæ à forma. pag. 99.

Sectio I. Diſquiritur paulò accuratiùs, an materia poſsit exiſtere naturaliter ſine forma. *ibidem.*

Sectio II. Quid dicendum iuxta potentiam Dei abſolutam? *pag.* 101.

DISP. NONA.

An materia & forma ſe limitent mutuo? pag. 105.

Sectio I. Repugnat vnicam materiam recipere plures formas, & vnicam formam informare materias plures. *ibidem.*

Sectio II. An forma limitetur ex vnione ad materiam, etiam quò ad effectus proprios. *pag.* 107.

DISP. X.

An eſſentia creata diſtinguatur realiter ab exiſtentia? pag. 108.

Sectio I. Eligitur ſententia affirmans, & tam ex Ariſtotele, & D. Thom. quam ratione probatur, præcluſis evaſionibus Recentiorum. *pag.* 109.

Sectio II. Probatio alia eiuſdem ſententiæ ex repugnantia vt exiſtētia creata ſit actus purus. *pag.* 114.

Sectio III. Occurritur argumentis præcipuis ſententiæ adverſæ. *pag.* 118.

Sectio VI. Exquiſitiora alia ſententiæ adverſæ argumenta, eaque ſpeciatim roborata, ſolvuntur. *pag.* 122.

DISP. XI.

Vtrum ſit in rerum natura privatio diſtincta à forma, & ab omni ente poſitivo? vbi etiam de negatione & carentia vniverſim pag. 125.

Sectio I. Reiecta ſentētia Platonicorum, ex mente Ariſtotelis refertur, & multipliciter, ac noviter fulcitur alia docens carentias eſſe quid indiſtinctum ab ente poſitivo. *pag.* 126.

Sectio II. Authoritate Philoſophi & D. Thom. ac rationibus probatur privationes, & negationes non eſſe aliquid poſitivum. Varij, ac recentes modi exponendi opinionem adverſam refutantur. *pag.* 130.

Sectio III. Oſtenditur alijs rationibus, nec privationes, nec carentias vniverſim eſſe relationes, nec identificari realiter cum aliquo ente poſitivo increato, aut creato. *pag.* 134.

Sectio IV. Occurritur duobus primis argumentis ſententiæ adverſæ, & oſtenditur non ſequi infinitas actu privationes, aut negationes, licèt ſint diſtinctæ ab omni ente. *pag.* 136.

Sectio V. Nonnulla alia dubia circa privationem breviter expediuntur. *pag.* 139.

IN LIBRVM SECVNDVM.

DISP. XII.

Quid ſit Natura, & quibus conveniat? pag. 141

Sectio I. Exponitur definitio Naturæ tradita ab Ariſtotele, & vindicatur ab obiectionibus præcipuis. *ibidem.*

Sectio II. Rationē Naturæ convenire materiæ primæ, & formæ ſubſtātiali. *pa.* 144.

Sectio III. Etiam animæ rationali, vt intellectiva, & volitiva eſt. *pag.* 146.

Sectio IV. Compoſitum ex materia, & forma conſerire, & nomine Naturæ; non tamen compoſitum ex natura & ſubſiſtētia. *pag.* 147.

Sectio V. Materiam & formam non convenire vnivocè in ratione Naturæ, ſed analogicè ſolùm. *pag.* 149.

Sectio VI. In quo diſtinguatur Natura ab arte? *pag.* 150.

DISP. XIII.

Quid & quotuplex ſit cauſa? pag. 152.

Sectio I. Definitio cauſæ à D. Thoma tradita exponitur, vindicaturque à Recentiorum impugnationibus. *pag.* 152.

Sectio II. Quatuor eſſe cauſarum genera. Obiectiones ſolutæ, & corollaria quædam. *pag.* 154.

Sectio III. Cauſas eſſe ad invicē cauſas, & quo ſenſu. Recentiorum obiectiones extricatæ. Vbi an idem effectus poſſit pendere à duplici cauſa totali? *pag.* 157.

DISP. XIV.

An cauſæ intrinſecæ vniantur ſe ipſis immediatè? pag. 161.

Sectio I. Materiam & formam *in fieri* nō vniri ſine aliquo medio. *ibidem.*

Sectio II. Vnionem quoque materiæ & formæ *in facto eſſe* realiter intrinſecè ab vtraque diſtingui. Adverſariorum effugia multipliciter præcluſa. *pag.* 163.

Sectio III. Aliæ rationes pro eadem ſententia breviùs proponuntur. *pag.* 167.

Sectio IV. Sententia oppoſita, eiuſque argumenta ſoluta. *pag.* 169.

Sectio V. Occurritur vltimo argumēto, & diſceritur, an vnio inter materiam & formam ſit vnica, vel duplex? *pag.* 171.

DISP. XV.

An ſubſtantia creata cauſet aliquid efficienter immediatè? pag. 173.

Sectio I. Solam ſubſtantiam eſſe cauſam principalem effectricem alterius ſubſtantiæ. Obiectiones ſolutæ. *pag.* 174.

Sectio II. Subſtantiam creatam non eſſe rationem proximam & immediatam agēdi quidquam, ſed ſolùm radicalem, & medio accidenti vt virtute proxima. *pag.* 177.

Sectio III. Opinio adverſa, eiuſque præcipua argumenta ſoluta. Vbi & obiter expediuntur nonnulla dubia. *pag.* 181.

DISP. VI.

Vtrùm ad operationes omnes cauſæ ſecundæ concurrat immediatè cauſa prima? pag. 388.

Sectio I. Refertur ſententia negans, eiuſque

que argumēta diverſimodè vrgētur. *Ibidem.*

Sectio II. Eligitur ſententia affirmans, & probatur, tum ex S. Scriptura, tum ex PP. tum ex Ariſtotele, tum & ratione à priori ex S. Dionyſio. Vbi variæ evaſiones, & modi dicendi Adverſariorū refutātur. *pag.* 192.

Sectio III. Ratione alia ex Nazianzeno deſumpta ſuadetur eadem vera & communis ſententia. *pag.* 199.

Sectio VI. Occurritur argumentis initio propoſitis. *pag.* 201.

DISP. XVII.
De Caſu, & Fortuna.

An ſit aliquid caſuale, & fortuitum, præſertim reſpectu cœli? pag. 204.

Sectio I. Proponitur opinio negans aliquid eſſe à caſu, & fortuitum reſpectu cœli, eiuſque probationes quò ad naturalia effecta. *ibidem.*

Sectio II. Præmiſsis quibuſdam ex Naturali Philoſophia certis circa notionem caſus & fortunæ, probatur eſſe plures effectus caſuales, fortuitoſque. *pag.* 207.

Sectio III. Etiam eſſe effectus omnino naturales à caſu, & per accidens reſpectu cœli. Vbi obiter quid ſit bona & mala fortuna? *pag.* 210.

Sectio IV. Enervantur argumenta opinionis adverſæ. *pag.* 214.

Sectio V. De Fato. An ſit, & quid ſit. *pag.* 216

DISP. XVIII.
De Cauſis Inſtrumentali & Finali. pag. 218.

Sectio I. Statuta multiplici ratione inſtrumenti, variæ difficultates circa illud breviter expediuntur. Vbi de potentia obedientiali. *ibidem.*

Sectio II. Finis definitio, ac diviſio, & realis cauſalitas. Quænam ratio formalis illum conſtituat; an bonitas, an apprehenſio, an vtraque ſimul? *pag.* 220.

Sectio III. In quo conſiſtat cauſalitas finis? *pag.* 224.

Sectio IV. Quos effectus habeat finis? *pag.* 225.

Sectio V. Quænam agentia operentur propter finem? *pag.* 226.

IN LIBRVM TERTIVM.

DISP. XIX.
De Motu Actione, & Paſsione. pag. 228.

Sectio I. Definitio motus, eiuſque definitum exponuntur. *ibidem.*

Sectio II. An motus diſtinguatur à termino, & recipiatur in mobili? *pag.* 230.

Sectio III. Quomodo comparentur motus, actio, & paſsio inter ſe? *pag.* 231.

Sectio IV. Vtrùm actio tranſiens recipiatur in agente vel paſso? *pag.* 233.

DISP. XX.
Quænam ſit formalis ratio infiniti, ſive in potētia, ſive in actu? pag. 235.

Sectio I. Prætermiſsis modis dicendi aliorum, ſpeciatim ſententia Ariſtotelis exponitur, fulcitur, & ab obiectionibus vindicatur. *ibidem.*

Sectio II. Infinitum in actu differre ab infinito in potentia, & qualiter: vnde plura ſpecialia & difficilia enodantur. *pag.* 240.

Sectio III. Infinitum in potentia ex parte vnius extremi, ſcilicet, poſsibiliū, per quæ addi poteſt, importare plura, quàm eſſent in aliquo infinito actu. Vbi de exceſſu vnius infiniti ſupra aliud. *pag.* 245.

DISP. XXI.
An Infinitum in actu magnitudinis repugnet, etiam ſecundùm potentiam Dei abſolutam? pag. 248.

Sectio I. Referuntur Authorum opiniones, & præmittuntur quædam notatu digna. *ibidem.*

Sectio II. Oſtenditur repugnantia corporis actu infiniti ratione apud Recentiores ſolemni, ſed ſpeciatim roborata ad mentē Ariſt. Tertulliani, ac D. Thomæ. *pag.* 250.

Sectio III. Repugnat idem corpus, aut plura, citra penetrationem, habere extenſionem infinitam. *pag.* 254.

Sectio IV. Impoſsibile quoque eſſe vnicū corpus actu infinitum, conſtans partibus penetratis: ſimiliter & infinita corpora penetrata. *pag.* 256.

Sectio V. Argumenta oppoſita obijciuntur, & ſolvuntur. *pag.* 257.

DISP. XXII.
An infinitum in actu multitudinis, ſit poſsibile? pag. 259.

Sectio I. Repugnat omnino infinitū multitudinis rerum corporearum, qualitercunque ponantur. *ibidem.*

Sectio II. Argumento ex Ariſt. & D. Tho. deſumpto oſtenditur impoſsibilitas multitudinis quarumcunque rerum actu infinitæ. *pag.* 262.

Sectio

Sectio III. Vlterior aſſerti probatio ex præcipuo Adverſariorum diſcurſu, multipliciter in ipſos converſo. *pag.*266.
Sectio IV. Ex Omnipotentiâ, ſeu virtute infinitâ Dei, non inferri poſsibilitatem multitudinis, ſeu collectionis actu infinitæ. *pag.*269.
Sectio V. Argumenta præcipua Adverſariorum ſoluta. Vbi an omnes creaturæ poſſibiles ſint infinitæ? *pag.*270.

DISP. XXIII.
An ſit poſsibile infinitum in actu intenſionis? pag.275.

Sectio I. Qualitatem infinitè intenſam eſſe omnino impoſsibilem. Probatio aliquorum inefficax ſpeciatim roboratur: aliorum rationes reiectæ. *ibidem.*
Sectio II. Alia ratio probans repugnare in qualitate infinitos gradus intenſionis, quoniam ijs poſitis præcluditur via ad probandum exiſtentiã vnius primæ cauſæ. *pag.*278
Sectio III. Iterum oſtenditur repugnantia infinitorum graduum diſsimilium eiuſdem qualitatis. Quomodo reijciendi ſunt infiniti gradus ſimiles? *pag.* 280.
Sectio IV. Probatio alia theologica ex repugnantia gratiæ infinitè intẽſæ. *pag.*282.

DISP. XXIV.
An ſit poſsibilis creatura omnium perfectiſsima? pag.282.

Sectio I. Repugnantia creaturæ omnium perfectiſsimæ ſtatuitur, & probatur ratione deſumpta ex Dionyſio. Evaſiones Adverſariorum multipliciter præcluſæ. *ibidem.*
Sectio II. Ratio alia ex eodem Dionyſio, & Ariſtotele eruta, ac retorſio præcipui argumenti Adverſariorum. Solutiones reiectæ. *pag.*287.
Sectio III. Sententia oppoſita reijcitur ab abſurdo: quoniã iuxta illã multitudo omniũ creaturarũ poſsibilium eſſet prorſus finita. *pag.*291.
Sectio IV. Difficile argumentum ſententiæ adverſæ paulò accuratiùs expenditur, & reiectis aliorum ſolutionibus enervatur. *pag.*293.
Sectio V. Alia argumenta diverſimodè roborata obijciuntur, retorquentur, & extricantur. *pag.* 296.

IN LIBRVM QVARTVM.

DISP. XXV.
De Loco. pag. 299.

Sectio I. An ſit, & quid ſit locus? Sententia Ariſtot. ſtatuitur, & variæ aliorum opiniones reijciuntur. *ibidem.*
Sectio II. Vtrùm de ratione loci ſit immobilitas, & quænam? Obiectiones ſolutæ. *pag.*300.
Sectio III. In qua ſuperficie cõſiſtat locus, & qualiter ad illam comparetur. *pag.* 302.
Sectio IV. Vtrùm locus naturalis, quatenus diſtinctus à mathematico, addat qualitatem conſervativam locati? *pag.*304.
Sectio V. An omnia entia naturalia ſint in loco? *pag.* 305.
Sectio VI. An duo corpora poſsint eſſe in eodem loco? *pag.* 307.
Sectio VII. Occurritur argumentis ſententiæ adverſæ. *pag.* 310.

DISP. XXVI.
An idem corpus poſsit divinitus circumſcribi duobus locis? pag.311.

Sectio I. Statuitur, & multipliciter ſuadetur ſententia negans, præcluſis evaſionibus Adverſariorum. *ibidem.*
Sectio II. Prælactis quibuſdam circa errorem Vbiquiſtarum, refellitur ex doctrina Conciliorum, ac PP. ſententia adverſa, eiuſque præcipuum argumentum cõtra noſtrã opinionẽ multipliciter retorquetur. *pag.*316
Sectio III. Præmittitur mirabilis modus præſentiæ Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, in depulſionem argumentorum ſententiæ adverſæ. *pag.*321.
Sectio IV. Sententia adverſa, eiuſque argumenta præcipua ſoluta. *pag.*322.

DISP. XXVII.
An vacuum exiſtat, vel poſsit exiſtere in rerum natura? pag. 327.

Sectio I. Reiectis aliorum probationibus, aſsignatur, & multipliciter fulcitur genuina ratio ex Ariſt. & D. Tho. probans vacuum in rerum natura non eſſe. *ibidem.*
Sectio II. Argumenta præcipua, tum Veterum, tum & Recentiorũ ſoluta. Vbi vtrũ Angelus poſsit inducere vacuum? *pag.*332.
Sectio III. Alia quædam dubia circa vacuũ breviter expediuntur. *pag.*337.

DISP. XXVIII.
An Deus ſit actu in ſpatio imaginario, & extra Mundum? pag.338.

Sectio I. Præmittitur ratio propria ſpatij imaginarij ad reſolutionem controverſiæ, & Recentiorum quorundã placita reijciuntur. *pag.* 338.
minatur mens Ariſt. & D.Tho. circa præci-
Sectio II. Relatis Authorum ſententijs examinatur mens Ariſt. & D.Tho. circa præcipuam

minatur mens Ariſt. & D.Tho.circa præcipuam difficultatem,oſtenditurque vtrumque docuiſſe Deum eſſe actu extra Mundũ & in ſpatijs imaginarijs. pag.341.

Sectio III. Authoritate,ac rationibus probatur Deũ eſſe actu extra Mundũ.pag.343

Sectio IV. Etiam in ſpatijs, quæ imaginaria dicuntur,eſſe actu Deũ. Obiectiones Adverſariorũ interpoſitæ,& ſolutæ.pag.345.

DISP. XXIX.

An duratio diſtinguatur ab exiſtentia rei durantis? pag.350.

Sectio I. Præmittuntur quædam obſervatu digna,& referuntur Philoſophorum ſententiæ. pag.350.

Sectio II. Excluditur duratio permanens ſuperaddita exiſtẽtiæ rerum permanentiũ. Aliorum tamen rationes in id probandum reijciuntur. pag.353.

Sectio III. Solidiores probationes noſtræ ſententiæ, quibus & evaſiones Adverſariorum præoccupantur,& illorum argumenta præcipua retorquentur. pag.354.

Sectio IV. Obiectiones, tum cõmunes, tum & exquiſitiores opinionis contrariæ, in Adverſarios retortæ,& ſolutæ. pag.358.

DISP. XXX.

In quo differat tempus, ævum, & æternitas? pag.364.

Sectio I. Potiſsimum diſcrimen temporis, & ævi ab Henrico & alijs aſsignatum reijcitur ibidem.

Sectio II. Eadem fere opinio prout à Recentioribus innovata refellitur, præſertim contra Lugum & Arriagam, quem tamen malè alij impugnant. pag.367.

Sectio III. Statuitur præcipuum diſcrimen temporis ab æternitate, ævo, & duratione rerum permanentium. Vbi plura obſervatu digna. pag.370.

Sectio IV. Argumenta Henrici, & aliorũ ſoluta. Dubia quædam minoris notæ breviter expediuntur. pag.374.

DISP. XXXI.

An tempus exiſtat realiter, & quomodo? pag.377.

Sectio I. Tempus exiſtere verè,atque extra animum. Obiectiones ſolutæ. ibidem.

Sectio II. Entitatem realem temporis,nõ quamlibet eſſe,ſed ſucceſsivam;diſtinctam verò realiter à motu. Difficultates in oppoſitum reſolvuntur. pag.379.

Sectio III. Occurritur difficili argumento à paritate durationis permanentis ad ſucceſsivam; & iterum roboratur diſtinctio motus à tempore. pag.383.

Sectio IV. An tempus exiſtat, ſeu præſens ſit ſecundum aliquam ſui partem. Eligitur negativa ſententia Ariſtotelis & D. Thomæ. pag.386.

Sectio V. Præcipua argumenta opinionis adverſæ breviter expediuntur. pag. 387.

IN LIBRVM QVINTVM.

DISP. XXXII.

Ad quæ Prædicamẽta detur per ſe motus. p.389

Sectio I. Ad quantitatem dari per ſe motum, non tamen ad omnem, ſed viventium propriam. ibidem.

Sectio II. Obiectiones difficiles in oppoſitum diverſimodè vrgentur, & enodantur. pag.391.

Sectio III. Dari etiã per ſe motũ ad qualitatẽ; nõ tamen omnem, ſed tertiæ ſpeciei; ſimiliter & ad Vbi; nullũ tamen ad reliqua prædicamẽta. Plura obſervatu digna adnotantur. pag.396.

Sectio IV. Quædam dubia minoris notæ circa vnitatẽ, ſpecificationẽ, & contrarietatem motuũ breviter expediũtur. pag.401

IN LIBRVM SEXTVM.

DISP. XXXIII.

An probabiliter ſuſtineri poſsit media aliqua opinio inter Ariſtotelem & Zenonem circa compoſitionem continui? pag.403.

Sectio I. Opinio media negans omnẽ cõtinui compoſitionem ex partibus; itemq; excludens quælibet indiviſibilia; & vtriuſque fundamenta. pag.404.

Sectio II. Demonſtratur multipliciter exiſtentia partium actu diſtinctarum in continuo permanenti, iuxta veram & communẽ ſententiam. pag.406.

Sectio III. Oſtenditur authoritate Ariſtot. Auguſtini, & D.Thom. in quovis continuo permanenti eſſe indiviſibilia; tum copulativa, tum & terminativa; idque ſpeciali ratione convincitur independenter à varietate opinionum inter Ariſtotelem & Zenonem. pag.411.

Sectio IV. Solvuntur argumenta de medio tollentia partes & indiviſibilia à continuo permanenti. pag.414.

DISP. XXXIV.

An continuum permanens conſtet immediatè ſolis

ſolis indiviſibilibus; an verò partibus abſque fine diviuis? pag. 416.

Sectio I. Refertur duplex opinio extremè oppoſita, & vniuſcuiuſque Authores. Præfertur Ariſtotelica vt communis apud Patres & Philoſophos. An definita? *ibidem.*

Sectio II. Prima ratio ſententiæ Ariſtotelis multipliciter roboratur, præoccupatis evaſionibus quorũdã Adverſariorũ *pag.* 418

Sectio III. Difficultates nonnullæ, & ſpeciales contra præcedentem rationem, obijciuntur, & enervantur. *pag.* 421.

Sectio IV. Remiſſo aliorum argumento Ariſtotelis ex inæqualitate motuum, probatur ipſius opinio ſelectis obſervationibus ex Matheſi petitis. *pag.* 426.

Sectio V. Præcipua argumenta opinionis adverſæ, opponuntur, & enodantur: alijs in varia loca remiſsis. *pag.* 429.

DISP. XXXV.

An poſita diviſibilitate continui in infinitum, colligatur partes eius fore actu infinitas, contra Ariſtotelem. pag. 435.

Sectio I. Difficillimus nodus in opinionẽ Ariſtotelis proponitur, & irretitur multipliciter. *ibidem.*

Sectio II. Prænotatis quibuſdam, oſtenditur ſpeciatim continuum non eſſe infinitũ in actu, neque ſecundùm multitudinem, neque ſecundùm extenſionẽ, quãvis conſtet partibus in infinitum diviſibilibus. *pag.* 440.

Sectio III. Occurritur ſpecialiter argumẽtis ſectione prima propoſitis, liberaturque ſententia Ariſtotelis, circa compoſitionem continui, ab abſurdo infiniti actu extituri penes numerum, & extenſionem. *pag.* 444.

DISP. XXXVI.

An indiviſibilia continui permanentis ſint inflata, ſeu mathematicè diviſibilia? pag. 448.

Sectio I. Refertur, & impugnantur multipliciter nov-antiqua opinio affirmans quò ad priorem modum, iuxta quem à nõnullis defenditur. *ibidem.*

Sectio II. Poſterior modus exponendi pũſta inflata reijcitur diverſimodè. *pag.* 452.

Sectio III. Oſtenditur præterea teſtimonijs Patrum, ac ratione, indiviſibilia cõtinui nullã extenſionem habere in ordine ad locum. *pag.* 454.

Sectio IV. Selecta, ac difficilia argumenta pro punctis inflatis obijciuntur, vrgentur, & enodantur. *pag.* 456.

DISP. XXXVII.

An tempus, & motus, immediatè conſtent indiviſibilibus; an verò partibus ſine fine dividuis? pag. 459.

Sectio I. Oſtenditur, tum expreſsis PP. teſtimonijs, tum rationibus, in tempore, & motu eſſe partes actu diſtinctas, quidquid aliqui Recentiorum negent. *pag.* 460.

Sectio II. Nec motum, nec tempus conſtare ſolis indiviſibilibus, etiam inflatis, ſed partibus abſque fine dividuis, per indiviſibilia copulatis. *pag.* 463.

Sectio III. Difficillimum argumentũ opinionis adverſæ multipliciter roboratũ, obijcitur & diſſolvitur. *pag.* 468.

Sectio IV. Cætera argumenta obijciũtur, atque enodantur. Vbi de inceptione temporis, ac motus. *pag.* 471.

DISP. XXXVIII.

De Initio & Termino rerum. pag. 474.

Sectio I. Quomodo incipiant, & deſinant indiviſibilia, item & res ſucceſsivæ, & quæcunque fiunt per motum? *pag.* 475.

Sectio II. Qualiter incipiant, deſinãtq; ſubſtãtiæ generabiles & corruptibiles? *pag.* 477.

Sectio III. Quid ſentiendum ſit de alijs rebus, quæ in ſuo fieri non pendent à motu? *pag.* 478.

Sectio IV. De initio & termino viventiũ penes magnitudinem & parvitatẽ. *pag.* 480

Sectio V. An non viventia ex vi ſuæ generationis & formæ habeãt terminum intrinſecum magnitudinis, & ſimiliter in ſui incremento, ſeu aggeneratione. *pag* 483.

IN LIBRVM SEPTIMVM.

DISP. XXXIX.

De approximatione agentis ad paſſum, ſive motoris ad mobile. pag. 484.

Sectio I. An exigatur approximatio motoris ad mobile, ſeu agentis ad paſſum, vt in eo operetur. Eligitur ſententia affirmans. *ibidem.*

Sectio II. Obiectiones Adverſariorum ſolutæ. *pag.* 487.

Sectio III. Quid ſit dicendum iuxta potẽtiam Dei abſolutam? Vbi corollaria quædã obſervatu digna circa approximationẽ requiſitam inter agens & paſſum. *pag.* 489.

Sectio IV. An gravia & levia moveantur à generante, etiam quando diſtat; an potius à ſe ipſis. *pag.* 491.

DISP. XL.

An exiſtentia vnius Primi Motoris immobilis ſufficienter probata ſit ab Ariſtotele ex natura motus? pag. 493.

Sectio I. Plures rationes dubitandi, ſeu argumenta proponuntur contra diſcurſum Ariſt. probantis exiſtentiam vnius Primi Motoris, quia omne quod mouetur, ab alio mouetur. *ibidem*

Sectio II. Protegitur, ac diverſimodè fulcitur ratio Philoſophi, veluti efficax & demonſtrativa. Vbi plura notatu digna ex penitiori Philoſophia. *pag.* 497.

Sectio III. Inferuntur plura corollaria ex doctrina præcedenti iuxta Ariſt. & D. Thomam, circa perfectionem Primi Motoris. *pag.* 501.

Sectio IV. Occurritur argumentis initio propoſitis. *pag.* 503

DISP. XLI.

In quo conſiſtat diſcrimen motus tardi à veloci? pag. 505.

Sectio I. Refertur, exponitur, & impugnatur prima opinio docens motum tardum differre à veloci penes interruptiones, ſeu morulas, quibus deſinit eſſe continuus. *ibid.*

Sectio II. Celebre argumentum rotæ in eandem opinionem vrgetur, & variæ Adverſariorum evaſiones multipliciter præcluduntur. *pag.* 509.

Sectio III. Eligitur ſententia Ariſtotelis, & D. Th. probaturque. Obiectiones difficilimæ ex retorſione argumentorum præcedentium expediuntur. *pag.* 513

Sectio IV. Argumentum ex motu circulari rotæ lapideæ, in noſtram ſententiam retorquetur, & ſolvitur. *pag.* 516.

IN LIBRVM OTAVVM.

DISP. XLII.

An Mundus re ipſa ab æterno fuerit? pag. 518.

Sectio I. Mundum ab æterno extitiſſe opinione Ariſtotelis & aliorum quorundam. Cœteros Ethnicorum, Græcos, & Latinos oppoſitum iudicaſſe. Selecta ipſorum teſtimonia. *pag.* 519.

Sectio II. Refelluntur rationibus quotquot putarunt, Mundũ ex æternitate conditũ, & præcludũtur everſiones multipliciter. *p.* 521

Sectio III. Probatio alia ab everſione vnius ex præcipuis argumẽtis, quibus Ariſtoteles probat æternitatem Mundi. *pag.* 523.

Sectio IV. Varia Ariſtotelis argumẽta pro æternitate Mundi obijciuntur, & enervantur; præſertim ex doctrina ipſius. *pag.* 526.

DISP. XLIII.

An Mundus abſolutè quo ad res permanentes potuerit ex æterno condi? pag. 531.

Sectio I. Eligitur negatiua ſententia SS.PP. & ſuadetur ſelectis ipſorum teſtimonijs multipliciter expenſis. *pag.* 532.

Sectio II. Vlteriores eius probationes, argumentis ex doctrina PP. erutis. *pag.* 536.

Sectio III. Selectæ aliæ rationes pro eadẽ ſententià, præſertim ex retorſione argumẽtorum oppoſitæ. *pag.* 5[illegible]9.

Sectio IV. Argumenta in contrariũ ſoluta. D. Thomã favere noſtræ ſententiæ. *pag.* 543.

DISP. XLIV.

An tempus & motus potuerint ab æterno exiſtere? pag. 547.

Sectio I. Quibus rationibus aliqui probent repugnantiam vt tempus & motus extiterint ab æterno; & illarum ſolutio. *ibidem.*

Sectio II. Probatio ſententiæ negantis, tũ ex D. Thoma, tum ratione communi multipliciter, & ſpeciatim expenſa. *pag.* 551.

Sectio III. Vlterior confirmatio eiuſdem doctrinæ. Difficillimus nodus, ab alijs prætermiſſus, extricatur. *pag.* 554.

Sectio IV. Aliæ rationes indicatæ, & argumenta Adverſariorum ſoluta. *pag.* 554.

DISP. XLV.

An ſit poſsibilis creatura, quæ ex ſuppoſitione ſolius exiſtentiæ eſſentialiter exigat permanere in æternum, ac proinde nequeat deſtrui à Deo? 560.

Sectio I. Eligitur ſententia negans poſsibilitatem eiuſmodi creaturæ, & ſuadetur ex ſacris litteris, ac ſelectis PP. teſtimonijs, breviter expenſis. *pag.* 560.

Sectio II. Rationibus varijs probatur vera & communis ſententia, refutatis ſolutionibus Adverſariorum. *pag.* 562.

Sectio III. Argumenta opinionis adverſæ, diverſimodè roborata, ſolvuntur. *pag.* 566.

Sectio IV. Obijcitur ſolviturque argumẽtum Theologis Recẽtioribus celebre, cuiuſque plenior diſcuſsio in proprium locum remittitur. *pag* 572.

Sectio V. Excuſat ſe Author, rationemque reddit, cur ſæpe hoc libro octavo impugnaverit Ariſtotelem; eiuſque laboribus coronidem toti Phyſicæ imponit. *pag.* 573.

PHILOSOPHIÆ NATVRALIS,

NOV-ANTIQVAE;

IN OCTO LIBROS PHYSICORVM ARISTOTELIS,

DISPVTATIO PRIMA PROOEMIALIS;

Quid & quotuplex ſit Philoſophia?

QVAMQVAM Propoſitum noſtrum ſit, ea ſolùm in hoc Opere accuratè examinare, quæ frequentiùs operoſiuſque in Scholis diſputantur, aut meritò exagitari poſſunt, cæteris minoris momenti omiſsis, aut breviter perſtrictis; oportet quædam procemij loco præmittere circa nomen, ſectas, Authorem præcipuum, diſtributionem, partes, naturam, obiectum, dignitatēq; Philoſophiæ. Quæ omnia, non latè differendo, neque ita ad præſcriptum Academicæ diſputationis; ſed breviter, & plerumque ſimplicis doctrinæ methodo, ſtatim præſtabimus.

SECTIO PRIMA.

Vnde Philoſophiæ nomen? Quot illius ſectæ? Quantus vir Ariſtoteles Philoſophorum Princeps. Quænam ipſius Opera ad Philoſophiam ſpectantia, & illorum diſtributio.

§. 1 VIROS Sapientiâ & doctrinâ præſtantes, Græci Veteres σοφοὺς, id eſt, ſapientes nuncupáre ſoliti ſunt, donec Pythagoras eam appellationem turgidam, & arrogantiæ plenam, correxit, & Leontio Phliaſiorum Regi, interrogatus quisnā eſſet, reſpondit, ſe non ſophum, ſeu ſapientem eſſe; ſed φιλόσοφον, ſeu amicum ſapientiæ. Vnde ea vox communi ferè plauſu recepta fuit, tum à Pythagoræ ſectatoribus, tum à Platonicis, Peripateticiſque, & ipſorum æqualibus; tum denique à poſteris omnibus, quotquot naturalium rerum ſpeculationem profeſsi ſunt. De quo legendi Clemens Alexandrinus *lib.* 1 *Stromateon*, Iamblichus *lib.* 1. *de Sectâ Pythagoricâ*, & S. Auguſtinus *l.* 14. *de Trin. c.* 1. Cicero *Tuſcul. lib. vlt.*

2 VARIÆ Philoſophorū ſectæ ab Authoribus recenſentur. PRIMA fuit *Pythagorica* ab eodem Pythagorâ Samio inchoata, de quo nonnulla dedimus *tom.* 1. *Theologiæ Florentæ Ludo* 1. *excurſu* 10. *ſect.* 3. & dicta eſt *Italica*, quia potiſsimùm floruit in Italia, quæ tunc Magna Græcia dicebatur. Illam proſecuti ſunt Pherecides Syrus, Telanges, Xenophanes, Parmenides, Zeno Eleates Dialecticæ inuentor, Leucippus, & Democritus. Huic ſucceſsère inter alios Neuſiphanes, Naucides, & longo poſteà interuallo Epicurus, in quo demum hæc ſecta deſijt. SECVNDA fuit *Academica*, ſeu quæ in Academiâ tradi ſolebat: partim *Vetus* à Platone: partim *Media* ab Arceſilao: partim *Noua* à Lacyde: ſicut & *Cynica* ab Antiſthene Athenienſe: *Eretrica* à Menedemo Eretrienſe: *Cyrenaica* ab Ariſtippo Cyrenæo: *Eliaca* à Phædone Elienſe: *Megalica* ab Eu-

mi error, quem apertè naturalis ratio proſcribit.

5 EX Quam plurimis verò ipſius Operibus, quæ Laertius idem vſque ad quadringentos libros producit, in præſenti ſolùm accipimus elucidandas præcipuas controverſias, quæ ad *Physiologiam* attinent: ſcilicet, ad libros *Physicorum*, item de Generatione & Corruptione, Animâ, Cœlo, ac Meteoris: quamquam de his duobus poſtremis parciùs, quoniam in Curſibus *Philoſophicis* prætermitti ſolent. Porro in libris Physicorū Ariſtoteles generatim diſputat de principijs, cauſiſque rerum naturâ conſtantium, & communibus earum affectionibus: in eoque impendit primam *Physiologiæ* partem. In ſecundâ agit de Cœlo, deſcendens ſpeciatim ad partes ſubiectas enti mobili, & agens de ſtructurâ Vniverſi, eiuſque cōpoſitione, & de quinque corporibus ſimplicibus; cœlo, ſcilicet, & quatuor elementis, quatenus certā in mundo ſedem habent, & penes locū mutari poſſunt. Tertiam partē Generationi rerum naturalium & Corruptioni deputat, exponens non modò ipſam generationem & corruptionē, ſed & mutationes alias, vt alterationē, accretionem, & mixtionem, tranſmutationemq́; elementorū, & proprias illorum qualitates. Quarta, libris Meteororū comprehenſa, exponit mixta imperfecta, quę meteora, id eſt, excelſa, vocantur: vt nivē, glaciē, grandinē, nubes, fulgura, tonitrus, fulmina, procellas, cometas, & quęcumq́; ex repercuſſione lucis apparent. Quibus adiungitur tractatio de his, quę meteoris opponūtur, & inferiùs gignuntur: vt metallis, mineralibus, terræmotibus, fontibus, lapidibꝰ, alijſq́; eiuſmodi. Quinta pars *de Anima* inſcribitur, & tota eſt in examinandâ ratione communi animæ, tum & ſpeciali illius, quæ diſcurſu prædita eſt, potētiarumque, ac ſenſuum, ſpecierum intentionalium, & operationum.

6 *PRIMA*, tertia, & quinta pars, ſunt quibus exponendis, atque operoſiùs exagitādis, ſuam navant operam quicūque Philoſophicos Curſus edunt, aut è ſuggeſto tradunt. Nā ſecunda, & quarta prætermitti ſolet; & ſi quando exponitur, id ſolet fieri breviùs, ac doctrinali, ſeu hiſtorico modo. Quo etiam Ariſtoteles ipſe expoſuit cætera quæ ad *Physiologiam* attinent. Talia ſunt quæ tradit libris de Senſu & Senſibili, de Somno & Vigilia, de Vitâ & Morte. Itē Hiſtoria Animaliū: vbi de illorum varietate, ingenio, figuris, & affectionibus, plurima, eaque admiranda, referūtur. Eius hiſtoriæ partes ſunt libri de *Partibus* Animalium, itē de Animalium Generatione, ac demū de ipſorum Inceſſu, & Motu. Totam verò doctrinam de Animalibus ab Ariſtotele ijs libris traditam Græci *libros octoginta talentorum* appellant, quòd eā ſummam expenderit Alexander Magnus, ad explorandam animalium naturam, quotquot eo tempore in toto Orbe extabant, vt quidquid in ijs obſervatu dignum eſſet, ab Ariſtotele ſcriptis conſignaretur. Et hæc quidem circa Opera *Physiologica* Ariſtoteli certò adſcripta. Nam pleraque alia eius generis, dubiæ fidei ſunt, & quę maieſtatem gravitatemque non ſapiunt ſtili Ariſtotelici, quo nihil purius, terſius, aut myſteriorum pondere plenius in ipſo fonte Græco; vbi ſæpe faciliùs percipitur eiuſdem *Philoſophi* mens, quam in varijs tranſlationibus; etiam ijs, quæ venuſtiores habentur & ſunt; vt Theodori Gazæ, Noſtri Benedicti Perionij, Petri Alcyonij, ac Ioannis Argyropili, aliorumque. Nam quod attinet ad antiquam, ſive quæ à Severino Boëtio edita eſt, ſive quæ D. Thomæ ævo circumferebatur, nihil eâ obſcurius: vt propterea, ſæpe mecum admiratus ſim divinum illud ingenium Angelici *Præceptoris*, qui ſine duce, ſine interprete alio politiore, Ariſtotelis ſenſum arcanum in verbis adeò incōptis, & pene barbaris, feliciter aſſecutus eſt. quod certè vix mihi poſſibile apparet abſque infuſo lumine, humani ingenij captum ſuperante.

7 *LIBROS* Physicorum inſcripſit Ariſtoteles; *περὶ τῆς φυσικῆς ἀκροάσεως*, id eſt, *de Naturali Auſcultatione*, aut, quod perinde eſt, *de Phyſico Auditu*. Dicitur tractatio *Phyſica* hæc, quoniam exponit ea quæ ad vniverſam naturam entium mobilium ſpectāt. Appellatur verò *Auſcultatoria*, quia vivam præceptoris vocem exigit, quam addiſcentes auſcultent. Pro cuius penitiori intellectu notandum ex Simplicio *in præſenti*, Plutarcho *in Vitâ Alexandri*, Cicerone 5. *de Finibus*, Clemente Alexandrino 5. *Stromateon*, Ariſtotelem duo edidiſſe librorum genera: vnum eorum, quos appellavit *ἐξωτερικοὺς*, ſcilicet, extraneos, ſeu populares, vt ipſe teſtatur *lib.* 1. *de Animâ cap.* 4. *textu* 54. & 1. *de Moribus ad Eudemum cap.* 5. alterum verò eorum, quos dixit *ἀκροαματικοὺς*, id eſt, auſcultatorios: quorum etiam idē meminit in epiſtolâ ad Alexandrum exſcripta à Gellio *lib.* 20. *c.* 4. addente, ſolēne fuiſſe Ariſtoteli deputare matutinum tempus Acroamaticæ diſciplinæ in Lyceo tradēdæ; Exotericæ autē ſeu extraneæ veſpertinū. Cùm verò facilior captu ſit popularis doctrina, vt Poëſeos, Rhetoricę, ac ſimplicis hiſtorię animaliū mento ab illo Exoterica appellatur, quaſi extranea, & communis etiam ijs, qui nec Philoſophi-

 audiunt,

audiunt, nec ſeverioribus ſapientiæ documentis inſiſtunt. Phyſici autem libri de rebus longè reconditioribus ſunt, & ſine duce nequeunt ſufficienter capi; ideoque vivam Magiſtri vocem exigunt, quam diſcipuli auſcultent: ac proinde dicuntur Auſcultatorij, ſeu Acroamatici. Nec tamen hac poſtremâ appellatione cenſentur ſolùm libri octo Phyſicorum, ſed etiam duo de Generatione, tres de Animâ; imò & urgentiori titulo quatuordecim Metaphyſicæ libri, quoniam adhuc ſubtiliores ſunt, & ſine Præceptoris operâ intelligi nequeunt. Speciatim verò ea appellatio tribuitur octo Phyſicorum libris, veluti limini, atque fundamento totius doctrinæ Acroamaticæ. Conſtat verò ex Simplicio & Themiſtio *in præſenti*, Gellio ubi proximè, ac Beſſarione Cardinali *in præfatione Metaph.* hos Phyſicorum libros eſſe illos, de quorum editione Alexander Magnum apud Ariſtotelem conqueſtus eſt. Cùm enim non ſolùm militari gloria, ſed etiam Philoſophiæ ſtudio & excellentiâ cæteris mortalibus antecellere cuperet, invidit alijs doctrinam his libris contentam: quaſi non ſatis ipſe ſapientis nomen aſſequeretur, neque iuxta votorum menſuram, ſi & cæteri eiſdem libris utentes, ipſorum myſteria & arcanas veritates agnoſcerent. Fertur verò reſpondiſſe Ariſtotelem, ſe ita abſtruſam, & à communi hominum ſtilo alienam edidiſſe doctrinam, vt timendum potius eſſet, ne nullo caperetur, quàm ne intelligeretur ab omnibus. Quod certè ſatis ipſi libri teſtantur, atque uberius probarent; niſi Deus generi humano præſtantes ipſius Interpretes dediſſet, ac præcipuè D. Thomam, qui mentis Ariſtotelicæ quaſi lingua eſt.

SECTIO SECVNDA.

Quid ſit Philoſophia, & quomodo dividatur in Rationalem, Naturalem, & Moralem. Subdiviſio Naturalis in Phyſiologiam, Mathematicam, & Metaphyſicam, illarumque diverſitas & abſtractiones varia à materiâ.

8 VENIAMVS Ad rem ipſam, quam ſignificat Philoſophiæ vox. Quidam dixerunt in amore ſapientiæ ſitam eſſe, vt ipſa appellatio indicat. Refelluntur tamen: Quia licèt ſapientię amor ſignificet eius nominis etymologiam, non tamen rei ipſius quidditatem. Philoſophia enim in tota ſuâ amplitudine eſt habitus directè ſpectans ad intellectum; non verò ad voluntatē: ac proinde ſita non eſt in amore, qui ſolius voluntatis exercitium ac perfectio eſt. Verum quidē eſt, illo aſſociata eſſe: nam, vt habetur libro illo de Sapientia ſecretiore ſecundùm Ægyptios, *amor intelligentē comitatur.* Quippe excellens rerum arcanarum cognitio neutiquā adquiritur abſque vehemēti deſiderio & ardēti amore veritatis inveniendæ. Alij II. Philoſophiam putārunt conſiſtere in cognitione rerū divinarum humanarumque, priorū nomine intelligentes ea, quæ ab omni materiâ ſunt libera; poſteriorum autem, quæ corporibus cōcreta, nobiliſque familiaria ſunt. Seu, vt alij exponebant, humanarum rerū appellatione intelligendę illæ, quæ ad vitæ communis officia, & civilem ſocietatē attinent: divinarum verò, illæ tātùm, quarum notitiā Philoſophus à vulgo illiteratorū ſeiungitur, ſeque in altiori ſphærā collocat. Quę poſtrema expoſitio celebris ac vulgata fuit, tam in Platonis Academia, quam in Zenonis porticu: vt conſtat, tum ex eodē Platone *in Theæteto*, tum ex Cicerone *lib. 4. Tuſculan. Qq.* tum denique ex Philone *lib. de Congreſſu quærendæ eruditionis gratiâ*. Hęc tamen expoſitio deficit: quoniā ſi Philoſophia in genere, ſeu univerſim loquendo, ſita eſſet in cōſideratione rerum divinarū humanarumque ſimul, omnis ſpecies Philoſophiæ id haberet. Exploratum autem eſt Phyſiologiam, quam exponendā aggredimur, non conſiderare divina & humana ſimul; cùm tamē indubiè ſpecies Philoſophiæ ſit. Si enim, iuxta priorem dicēdi modū, divinarum rerū appellatione intelligātur, quæ ab omni materia ſunt libera; palam eſt Phyſiologiam circa ea non verſari, ſed id Metaphyſicæ proprium eſſe. Si verò, iuxta poſteriorē expoſitionem, nomine rerum humanarum accipiantur quæ ad vitæ communis officia, & civilem ſocietatē ſpectant; pervium cuique eſt, id alienum eſſe à Phyſicâ, & Politicæ proprium.

9 DEMVM Pythagoras, teſte D. Hieronymo *in Apologiâ adverſus Ruſinum*, & Plato *Dialogo de Sapientiâ*, docuere, Philoſophiā ſitam eſſe in contemplatione mortis; non quidem illius, quæ cōſiſtit in ſeparatione animę à corpore; ſedque importet ſeceſſū quēdam, ſeu abſtractionem animæ à vitijs, & quibuſlibet fluxis, temporarijſque rebus, etiam dū corpori immerſa eſt. eâ quippe abſtractione fieri, vt animus ſolutior ſit, & limpidiori mentis acie divina & æternùm manſura ſpeculetur. Quia verò in hac vitâ vix, aut ne vix quidem, eò abſtractionis deveniri poteſt, ſubdidit Plato, *eum, qui verè philoſophatur, nuſquam, aut numquam, veram ſapientiam, quàm apud inferos, conſecuturum.* Scilicet, poſt fata. Quare & Mercurius

Triſmegiſtus *in Aſclepio* hortatur omnes Philoſophiæ Candidatos, vt, quantum fieri poteſt, rebus quibuſque evanidis ac perituris abſtineant, quo cœleſtibus & ſpiritualibus liberius inſiſtant. Ideo & Philoſophia, modò contemplatio mortis, modo receſſus animi a corpore, modò conſuetudo moriendi appellari ſolita eſt. Circa quod ipſum plura habent Xenophon *lib. 4. de dictis Socratis*, Apuleius *libr. de Philoſophiâ*, Proclus *lib. de Animâ & Dæmone*, & Alcinous *lib. de doctrinâ Platonis*. VERVM hic dicendi modus potius diſpoſitionem ad Philoſophiam comparandam, quàm ipſius naturam explicat. Licèt enim verum ſit, abſtractionem animæ, ſeu receſſum a ſenſibilibus, maximè conducere, vt quis veritates naturales ſpeculetur; nihilominus ſpeculatio ipſa & notitia eſt quid conſequens eam abſtractionem, ſive receſſum, & per ſe ſufficiens Philoſophum conſtituere. Sicut generatim loquendo, ad recipiendam formam aliquam in ſubiecto neceſſaria eſt aliqua prævia diſpoſitio: & tamen forma recepta non conſiſtit quidditativè in ipsâ diſpoſitione præviâ. Accedit, plures diligentiſſimè operam præſtare in eiuſmodi abſtractione, pijs ſolùm rebus & ſpiritualibus deditos; qui tamē Philoſophiæ penitus ignari ſunt, & amuſi. Patet igitur Philoſophiam non conſiſtere in eâ abſtractione.

10 *QVARE* Dicendum eſt iuxta Ariſtotelem *lib. 3 Metaph. cap. 1.* Philoſophiā ſitam eſſe in ſpeculatione rerum vt ſunt, per cauſas & principia illarum. Id enim indicat illis verbis: τῶν οὐσιῶν δέοι τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς αἰτίας ἔχειν τὸν φιλόσοφον. *Oportet profectò, vt ſubſtantiarum principia & cauſas Philoſophus habeat.* Eamdemque acceptionem maximè probant S. Ioannes Damaſcenus *lib. 4. Dialect.* & Ammonius *initio Prædicabilium*, pro ea appellans priſcos Philoſophos, & ipſum Ariſtotelem *lib. 10. Metaph. cap. 3.* quamvis, vt verum fatear, nihil ad rem eo loco inveniatur in varijs eius editionibus, quibus modo vtor. Ratio autem eſt: Tum quia Philoſophia generatim loquendo comprehendit omnem ſcientiam ſpeculativam; ac proinde ex propriâ ratione habet contemplari res prout ſunt, per earum cauſas & principia: Tum etiam, quia in eo diſtinguitur verus Philoſophus ab Empirico, ſeu experimentali, quòd hic cognoſcat quidem res, vt ſubiacent experimento ac ſenſui; ille verò ex principijs cauſiſque. Quod totum convenit omnibus Philoſophię partibus, quas ſtatim expono.

11 *PORRO* Philoſophia primâ ſui diviſione ſecatur in Rationalem, Naturalem, & Moralem. Rationalis nomine Dialectica accipitur, ſeu Logica, de qua in præſenti non agimus; ſicut nec de Morali, ſive Ethicâ diſciplina: quarum vnicuique ſeorsim proprium volumen conſignavimus, Deo favente, quam primum edendum. Naturalis Philoſophiæ appellatio non ſolùm ad Phyſicam, ſeu Phyſiologiam extenditur, ſed etiam ad Metaphyſicam, & Mathematicas diſciplinas: quamquam communi & recepto vſu loquendi ſola Phyſica intelligatur. Hanc diviſionem referunt, probantque Plato apud Alcinoum *vbi ſuprà capit. 1.* Ariſtoteles *1. Top. cap. 13.* Lactantius *lib. 13. cap. 13.* Euſebius Cæſarienſis initio *lib. 11. de Præpar.* Auguſtinus *lib. 8. de Civitat. cap. 4.* pluréſque Veterum, quos allegat Plutarchus *lib. de placitis Philoſoph. cap. 1.* & Laërtius *in vitâ Zenonis.*

12 *RECTAM* Eſſe diviſionem traditam, his conſiderationibus ſuaderi poteſt. PRIMO: Quia Philoſophia rectè dividitur in ea, per quæ felicitas humana obtinetur. Sed felicitas humana obtinetur per Philoſophiam Rationalem, Moralem, & Naturalem. Rectè ergo dividitur Philoſophia in Rationalem, Naturalem, & Moralem. Maior conſtat: Quia, teſtibus Platone & Auguſtino *lib. 19. de Civitat. cap. 1.* nulla alia philoſophandi cauſa, ſcopuſve eſt homini ex naturâ rei, quàm vt beatus ſit, ſeu felicitatem aſſequatur. Minor autem ſuadetur: Quoniam felicitas, ſeu beatitudo humana, ſita eſt, tum in contemplatione veritatum naturalium, tum in honeſtate morali operationum, vt docet Ariſtoteles *lib. 1. Ethic. ad Nicomachum cap. 7. & 8.* atque ex ipsâ terminorum apprehenſione ſtatim apparet. Contemplatio autem veritatum naturalium ſub ſe complectitur Philoſophiam Rationalem & Naturalem; priorem, quatenus docet rectè & abſque errore diſcurrere; poſteriorem verò, prout res ipſas vt in ſe ſunt contemplatur. Honeſtas denique moralium operationum eſt finis proprius Philoſophiæ Moralis. Ergo felicitas humana obtinetur per Philoſophiam Rationalem, Naturalem, & Moralem. SECVNDO ratione D. Thomæ *initio Ethic. ad Nicom.* Præcipua enim cura ſapientis eſt circa ordinem: cùm teſte Philoſopho *lib. 1. Metaph. cap. 2.* ſapientis maximè ſit ordinare. Ordo autem rerum, quæ à Philoſophis conſiderantur, triplex eſt. Primus quem ratio ipſa facit, vt intellectus abſque errore procedat, & rectè conceptiones ſuas dirigat. Secundus, quem ratio non facit, ſed ſupponit

quantitate, non conveniunt quantitati in ordine ad materiam primam, aliudve ſubſtantiale ſubiectum; ſed abſolute & in ſe: vt eſſe æqualem, aut inæqualem, bicubitam, aut tricubitam, proportionatam aut improportionatam, divisibilem, &c. Vnde ſi Deus miraculose ſepararet omnem quantitatem à ſubſtantia, vt cernitur in quantitate Euchariſticà, adhuc Mathematicus ſuis dimenſionibus ſpeculationibuſque plenè vacaret, ſicut modò. Ergo nomine materiæ intelligibilis inſpectæ à Mathematico, non intelligitur materia prima.

16 *VERIOR* Itaque eſt ſententia D. Thomæ 1. *Poſter. cap.* 23. Alexandri Aphrodiſæi 7. *Metaph. cap.* 10. Theophili Zimaræ *in* 1. *de Anima t.* 17. Antonij Zimaræ *in Theorematis prop.* 8. aliorumque, docentium nomine materiæ intelligibilis, à qua abſtrahit Metaphyſicus, & quam conſiderat Mathematicus, accipi magnitudinem, id eſt, lineā, ſuperficiem, & corpus; eamque appellari materiam propter analogiam, ſeu ſimilitudinem, quam habet cum materiâ prima. Quemadmodum enim hæc recipit ſubſtantiales formas, ita etiam magnitudo accidētalis trianguli, quadranguli, &c. Dicitur præterea intelligibilis, quia prout ſpectat ad Mathematicum, nequit percipi ſenſu, ſed intellectu tantum. Iuxta prædictam ergo expoſitionem Phyſiologia abſtrahit à materia ſingulari, Mathematica à ſenſibili, Metaphyſica ab intelligibili.

17 *CÆTERVM* Diuiſio prædicta abſtractionum partim eſt in ſpecies atomas, partim in ſubalternam. Nam abſtractio Phyſiologiæ eadem in ſpecie eſt, quatenus comprehendit octo Phyſicorum libros, quatuor de Cœlo, duos de Ortu & Interitu, tres de Anima, quatuor Meteororum, pluresque alios ab Ariſtotele ſcriptos: Metaphyſica etiā vnius ſpeciei abſtractione contenta eſt, quatenus ad totum ſuum obiectum ſe extendit, cùm abſtrahat ab omni materiâ. Mathematica autem plures abſtractionum ſpecies cōplectitur. Res enim, quas Mathematicus conſiderat, aut cogitatione ſeparātur à materia ſolùm ſenſibili, aut etiam ſimul ab intelligibili. Priori modo pertinent ad Geometriam, poſteriori vero ad Arithmeticā. Etenim iuxta Ariſtotelem 2. *Phyſ. cap.* 2. *textu* 20. & 1. Rhetoricorum ad Theodectem *cap.* 2. Geometra contemplatur affectiones magnitudinis; Arithmeticus vero proprietates numerorum, vt eſſe parem & imparem. Vnde neceſſario colligitur, plures eſſe ſpecies Mathematicæ, vt Geometriā & Arithmeticam; quia diverſâ ſpecie abſtractione & obiecto formali gaudent. Et hoc quidem loquendo de ijs ſcientijs Mathematicis, quæ puræ dicuntur, & ſunt. Alioqui enim plures aliæ inveniuntur, quæ mixtæ appellātur, ſeu mediæ inter Phyſiologiam & Mathematicam, quoniam obiecta ipſarū partim ad vnam, partim ad aliam ſpectant, vt Muſica & Perſpectiva. Numerus enim ſonorus, à Muſica inſpectus, quà numerus eſt, ad Arithmeticam attinet; quà ſonorus autem, ad Phyſiologiam. De quo legendus Ariſtoteles *lib.* 2. *Phyſ. cap.* 2. & ibidem ipſius Interpretes *ad textum* 18. & 19. ac præterea Scaliger *Exercitat.* 321. & 322. poſt Alcinoum loco ſuprà allegato, atque Hugonem Victorium 2. *Didaſc. cap.* 2.

18 *OBIICIES I.* Metaphyſica dum agit de ſupremis generibus, vt ſubſtantia & quantitate, agit eo ipſo de materià, quæ eſt ſubſtantia, & de accidente materiali, quod eſt quantitas. Ergo ſive nomine materiæ intelligibilis accipiatur materia prima, ſive etiam quantitas, Metaphyſicus non abſtrahit à materia intelligibili, ſed potiùs illam attendit. Quin & rationes tranſcendentes à Metaphyſico conſideratæ, aliaque ſuprema genera, cùm partim in materia non ſint, vt in Deo & Angelis; partim in eà ſint, vt in cæteris quibuſque rebus; nequeunt abſtrahere ab omni materià, ſed partim abſtrahere, & partim non abſtrahere. Ergo Metaphyſica non per ordinem ad totum ſuum obiectum abſtrahit ab omni materia, ſed ſolùm penes aliquam ſui obiecti partem. Denique duo prædicamenta Situs & Habitus, quæ ſub Metaphyſicæ conſiderationem veniunt, purè materialia ſunt, & propriæ corporum diſpoſitiones, ſeu affectiones. Quomodo ergo Metaphyſica abſtrahit ab omni materià?

19 *RESP.* Iuxta ea, quæ obiter ſuprà attigimus *num.* 14. omne id, quod ſub Metaphyſicæ conſideratione includitur, in tria membra ſecari. Primum eſt eorum, quæ reipſa ab omni materià ſeparata ſunt, vt Dei & Angelorum. Secundum eorum, quæ partim ſunt in materià, partim ſine illà, vt rationum tranſcendentium, & quorūdam ſupremorum generum, ſcilicet, ſubſtantię, relationis, qualitatis, &c. Ratio enim entis, veri, boni, ſubſtantiæ, relationis, & qualitatis, eſt communis inferioribus tam materialibus, quam ſpiritualibus, & ab vtriſque ęqualiter abſtrahit. Tertium denique eſt eorum, quæ ſemper determinatè & in re materialia ſunt, vt quantitatis, ſitus, & habitus; imò & ipſius materiæ primæ, quam etiam Metaphyſicus contemplatur, vt docet Philoſophus

teles *lib.4. Metaph. cap.4.* Eiuſdem opinionis fuit *Pythagoras*, expendens ſecum, quidquid ſubtile, quidquid notatu dignum in *Philoſophia Naturali* diſquiritur, ſub opinionibus poſitum eſſe. Ita enim de illo teſtantur Laertius *in eius vitâ*, & Tertullianus *lib. de Animâ*. Socrates etiam inter veteres celeberrimus, & quaſi ipſorum Oraculum, poſtquam diu multumque arcanis Naturæ explorandis inſtitit, cum videret ſe in ijs quærendis oleum atque operam perdere, propter rerum mutabilitatem & inconſtantiam; tandem tædio affectus Philoſophiam Naturalem deſeruit, & totius ingenij vires ad Ethicam, ſeu Moralem applicuit, vt legitur apud Xenophontem *lib. de dictis, & factis Socratis*, ac Theodoretum *lib. de Materiâ, & Mundo*. Academici vero, vt habetur apud Ciceronem *in QQ. Academ.* & Auguſtinum *lib. 19. de Civit. cap. 4.* non ſolum tollebāt de medio Phyſicarum rerum ſciētiam, ſed & quarumcumque aliarum; ita vt numquam vera alicuius obiecti notitia haberetur, ſed ſolùm veroſimilis. Quam exiſtimationem idem Auguſtinus *lib. 3. contra Academicos*, cenſet ex *Platone* derivatam, qui a Socrate præceptore ſuo eamdem didicerat; addens præterea, duos eſſe mundos; alterum intelligibilem, in quo veritas habitat; alterum ſenſibilem, quem nos percipimus miniſterio ſenſuum, & cuius contemplatione *Phyſici* implicantur; & quidem in illo ſolùm ſcientiam, ac veritatem eſſe; in hoc autem ſolum opinionem, & veroſimiles coniecturas. Refert id Clemens Alexand. *lib.5. Str.* Euſebius Cæſarienſis *lib.2. de Præpar. Evang. c.12.*

23 VERVM Exiſtimatio illa veterum iam omnino exolevit, & inclareſcente poſtea naturalium veritatum notitiâ, diutino ingeniorum ſublimium diſcurſu comparatâ, omnium iam Doctorum hominum mentibus altè defixum eſt, *Philoſophiam* Naturalem vere ac propriè ſcientiam eſſe. Quod planè omnes ſupponunt, dum Philoſophiā, ſeu Sophiam, quæ verè ſcientia eſt, partiuntur in *Phyſicam*, Dialecticam, & Moralem. *Patet* vero dividentia membra participare rationem diviſi. Quod ipſum Ariſtoteles expreſsè docet *3. Phyſic. cap. 4. textu 24. & lib. 1. de Partibus Animal. cap. 1. ac 2. Metaph. cap. 3. textu 3.* vbi *Philoſophiam* Naturalem appellat ſcientiam. *Poſteaque* lib. 4. eiuſdem operis cap. 5. textu 23. non modo idem ſtatuit, ſed & probat contra Herbelirum & Cratylum exiſtimantes oppoſitum. Ariſtotelem ſequuntur omnes Interpretes, tùm veteres, inter quos D. Thomas, tùm & Recentiores, quamquam hi breviter, vt plurimùm, & non tam probando, quam ſupponendo. Quia tamē res diſcuſsione digna eſt, & quæ olim magna contentione adverſantium *Philoſophorum* controverſia fuit, illam aliquanto operoſius exagitare, & communem ſententiam accuratiùs fulcire, è re & inſcriptione noſtri qualiſcumque Operis eſt.

24 *PORRO* *Philoſophiam* Naturalem eſſe verè ac propriè ſcientiam multipliciter probo. *PRIMO.* Ille dicitur habere ſcientiam veram & propriam, qui cognoſcit effectum per cauſam neceſſariam, vt patet ex definitione ſcientiæ. Sed *Philoſophus* Naturalis cognoſcit effectus per cauſam neceſſariam. Ergo verè & propriè habet eiuſmodi ſcientiam. *Probatur* minor, in quâ ſolùm eſſe poſſet difficultas. *Philoſophus* enim Naturalis aperte cognoſcit, hominem eſſe aptum ad diſcendum artes, ac facultates diverſas, quia rationalis eſt, & rationalitas neceſſario infert eam capacitatem: demōſtrat quoque voluntate præditum eſſe, quia intellectu conſtat: corpus eſſe diviſibile, quia continuum eſt; duo corpora naturaliter penetrari non poſſe, quia quanta ſunt, & vna quantitas a ſuo loco expellit aliam: itemque plura alia, quæ paſsim occurrunt in *Philoſophiæ* progreſſu. Cùm verò in ijs omnibus deprehendatur connexio neceſſaria cauſæ cum effectu, vtpote naturalis, & quæ aliter ſe habere non poſsit, planè deducitur *Philoſophum* Naturalem dignoſcere effectus per cauſam neceſſariam. CONFIRMATVR Non minùs certò aut evidenter deprehendit *Philoſophus* Naturalis, hominem eſſe aptum ad capeſſendas diſciplinas eo quod rationalis ſit, quam Mathematicus probet triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales. At quia Mathematicus certò, & evidenter deprehendit triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, cenſetur habere propriam, & veram ſcientiam. Ergò & Naturalis *Philoſophus* ob ſimilem cauſam. SECVNDO. Si qua ratio eſset, ne de rebus naturalibus *Philoſophus* ſcientiam haberet, maximè quòd illæ mutabiles ſint, & inconſtantes, fluxæque. At hæc ratio nulla eſt. Tum quia non omnes res naturales ſunt mutabiles, & fluxæ; cùm ſaltem cœleſtes ſphœræ ab intrinſeco ſint ingenerabiles, & incorruptibiles in communi ferè ſententia: Tum etiam, quia eſto tàm illæ, quàm ſublunaria compoſita ſint corruptibilia in actu exercito & phyſicè loquendo; adhuc habent metaphyſicam connexionem prædicatorum eſſentialium, proprietatumque

nu-

invariabilium, quas Philoſophus de ijs demonſtrare poſſit. At omnis demonſtratio proprietatum invariabilium ex connexione neceſſariâ cum eſſentiâ, eſt generativa veræ, ac propriæ ſcientiæ. Ergo nulla eſt ratio, quæ deſumitur ex varietate, & inconſtantiâ rerum naturalium, ne Philoſophus de ijs verè & propriè dicatur habere ſcientiam. CONFIRMATVR. Eſto namque res omnes naturales ita mutabiles eſſent, vt nihil demum conſiſtentiæ haberent, qualiter exiſtimabat Heraclitus; adhuc ea ipſa mutabilitas demonſtrari poſſet ex ipſarum naturâ compoſita ex materia & forma, proindeque neceſſariò inferente eiuſmodi mutationem. Ergo adhuc de rebus naturalibus haberi poſſet ſcientia: quia hæc ſolùm conſiſtit in certâ & evidenti cognitione qualiſcumque effectus, sivè mutabilis, sivè immutabilis ex causâ neceſſariâ. Quæ probationes apertè idem evincunt de rebus ad Physiologiam ſpectantibus.

25 *TERTIO* Probatur ſpeciatim contra Academicos, qui è medio auferebant omnem ſcientiam, & approbationem, Græcè συγκατάθεσιν: item contra Pyrrhonios Philoſophos, quos Græci σκεπτικοὺς, ſeu conſideratores, appellabant. Natura enim vnicuique hominum indidit appetitum naturalem ſciendi res ad naturam ſpectantes: vt quilibet in ſeipſo experitur, & ſupponitur axiomate illo: Omnis homo naturaliter ſcire desiderat. Ergo poteſt homo naturaliter de rebus physicis ſcientiam propriam, & veram habere. Patet conſequentia: Quia appetitus naturalis non eſt, nisi circa bonum naturaliter poſsibile. Alioqui eſſet fruſtrà, & Deus, ac natura incaſſum indidiſſet homini appetitum eiuſmodi. quod abſurdum eſſe conſtat. Immeritò igitur Academici & Pyrrhonij negarunt poſsibilem nobis eſſe naturalium rerum ſcientiam. CONFIRM. I. Vnaquæque res aſſequi poteſt perfectionem illam, in quam à naturâ dirigitur: quia directio naturæ non eſt ad aliquid impoſsibile. Sed cognitio perfecta ac ſcientifica rerum naturalium eſt perfectio, in quam homo à naturà dirigitur: siquidem humana felicitas in cognitione ſcientifica veritatis sita eſt, teſte Philoſopho *lib.* 10. *Ethicorum cap.* 7. & 8. Ergo homo poteſt aſſequi cognitionē ſcientificam rerum naturalium. Quòd si illam aſſequi poteſt; cur non medio habitu Philoſophiæ naturalis, cui id muneris propriū eſt? CONFIRM. II. Quoniam ex eo tempore quo homines in vitam ſociabilem civilemque convenerunt, & præcipuè poſtquam publicas ſcholas inſtituerunt iuventuti erudiendæ, plures viri omnibus ferè ſæculis extiterunt, ſummo ingenio præditi, ac deditiſſimi rerum naturalium ſpeculationi, iuxta naturæ genium & appetitum. Ergo verosimile non eſt, quod tandem aliquando aſſecuti non sint perfectam, ac ſcientificam earumdem rerum cognitionem, irritique demum extiterint tot nobiles ingeniorum conatus, ſpeculationes, pervigilia; idque circa finem a natura præſcriptum, & ex propenſione naturali.

26 DENIQVE Academici ipsi, & omnes alij, quarumlibet rerum ſcientiam de medio tollentes, redargui poſſunt rationibus S. Auguſtini *lib. de Verâ Religione*, & *lib.* 2. *contra Academicos*, & *lib.* 19. *de Civit. cap.* 18. Tertulliani *lib. de Animâ*, Epiphanij *lib.* 1. *tom.* 1. & *lib.* 3. *tom.* 2. Damaſceni *in Dialecticâ cap.* 1. aliorumque paſsim, quas ſub hanc formam propono. Quiſquis evidenter ſcit ſe non eſſe certum, ſed ſolum dubium & hærentem circa cognitionem, ignorationemvè alicuius veritatis, iam eo ipſo de ſuâ dubitatione ſcientiam habet. Sed Academici evidenter ſciebant ſe non eſſe certos, ſed dubios & hærentes circa cognitionem, ignorationemvè veritatum, vt ipſi fatebantur. Ergo vel eo ipſo ſcientiam habuerunt de ſuâ dubitatione. At dubitatio illa eſt quid naturale. Ergo iam habuerunt ſcientiam alicuius rei naturalis. Vndè & Philoſophus ille dixiſſe fertur: *Hoc vnum ſcio, me nihil ſcire.* Quasi vel neſcientiæ reflexa & evidens cognitio sine ſcientia haberi non poſsit. PRÆTEREA: Iidem Academici, negantes poſſe nos deprehendere verum, & concedētes poſſe id, quod verosimile eſt, apprehendere, redarguuntur sic. Nemo poteſt ſcire verosimile, si neſciat quod verum eſt: sicut nemo poteſt ſcire Platonem eſſe Socrati similem, si omnino neſciat Socratem. At homines, iuxta Academicos, ſciunt id, quod eſt verosimile. Ergo & ſciunt id quod verum eſt. Non ergo adeò deſperata cenſeri debet in hominibus rerum cognitio, quæ vera ſcientia sit. DENIQVE, Arceſilas, novæ Academiæ præcipuus Author, & ignorantiæ Magiſter (his enim epithetis notari ſolet) ſapientes hortabatur, ne quidquam vel verū ſuffragio ſuo approbarent, quoniam falſæ opinionis ſubirent periculum. Refellitur tamen: Quoniam otioſæ vitæ, & quasi æterno ſomno, mancipabat ſapientes, vtpotè nihil aſſerturos, etiam mente, cogitationevè, propter erroris diſcrimen. Quare potiùs dormire, quam ſpeculari, aut loqui oporteret. Inſuper, cùm voluntas ductum intellectus ſequatur, si hic ſemper errori obnoxius

xius eſt, & illa vbique trepidare poterit, ne quidquam amet, odiovè proſequatur ex ſiniſtro intellectus dictamine. Expediet itaque hominem nihil cogitare, aut velle; ſed imitar belluæ indignam rationali animo vitam agere, ad præcepta Dei mentem non erigere; imò & de Deo, ac de ſe ipſo nihil vnquam cogitare. quod, ne atheis quidem in mentem venit, quamquam hominum appellatione indignis, & Inſipientium notà inuſtis apud ſacras litteras.

SECTIO QVARTA.

Occurritur argumentis negantium Philoſophiã Naturalem ſcientiam eſſe, & eorum, qui ſcientiam omnem è medio tollebant. Vbi de Magiâ, quo ſenſu ſit Phyſiologiæ pars.

27 CVM Nullus ferè ſit error, qui patronum aliquem non habuerit, mirum non eſt quod ſcientia vniverſim, & potiſsimè rerum naturalium, plures experta ſit adverſarios. nam & hic error fuit, ſcientiæ iura violare, illamque de medio tollere. Videamus quibus argumẽtis nixi Veteres, & præcipue Academici, eo dementiæ venerint, aut venire potuerint.

28 *ARGVMENTANTVR* I. Sciẽtia eſt habitus omnino certus, ac proinde de rebus certis, neceſſarijs, atque perpetuis, vt omnium conſenſio eſt cum Platone *in Charmide*, & Ariſtotele 1. *Poſter. c.2. & 6. Ethic. cap.3.* atque alibi ferè paſſim. At Philoſophia Naturalis non eſt habitus omnino certus, nec de rebus certis, neceſſarijs, atque perpetuis. Ergo ſcientia non eſt. *Probatur minor.* Et quod non ſit habitus omnino certus, videtur manifeſtũ ex toto fere ipſius progreſſu, vbi omnia quæ in diſputationẽ veniunt ſub opinionibus ſunt, vt vix appareat aliquid demõſtratum. Quod vero nõ ſit de rebus certis, neceſſarijs, & perpetuis, patet: Quia *Phi*loſophia ferè tota inſiſtit ſpeculationi elementorum, & mixtorum, quæ ex ijs ortũ ducunt, planè inſtabilium, & quæ generationi, corruptioni, alterationique obnoxia ſunt, vt proinde nullam certitudinẽ, neceſsitatemvè habeant in exiſtendo. *Præ*terea ſpeculatur cœleſtium orbiũ, ac ſublunarium corporum motus, qui neq; ſunt perpetui, nec neceſſarij, cùm potuerint, poſsintque abſolutè non fuiſſe, aut eſſe. Agit vlterius de ente ſucceſsivo. quod nullam firmitatẽ habet, ac viciſsitudine plenum eſt. Agit de ortu & interitu rerũ naturalium, qui ſunt inſtãtanei motus, & vix incipiunt, cùm deſinunt. Ergo *Philoſo*phia Naturalis nõ eſt habitus omnino certus, nec de rebus certis, neceſſarijs, atque perpetuis, vt oportet ad rationem ſcientiæ. CONFIRMATVR I. Naturalis *Philoſo*phus ſpeculatur materiam ſenſibilem, teſte Ariſtotele *lib.2. de Gener. c. 1. textu* 6. At materia ſenſibilis eſt ens per accidẽs; cùm non ſit aliud, quàm materia ſubiecta accidentibus, quæ ſenſum movent. Ergo Naturalis *Philoſophus* ſpeculatur ens per accidens. Sed de ente per accidens nulla eſt ſcientia, vt omnes fatẽtur, & idem Ariſtoteles docet 6. *Metaph. cap.2. textu* 4. & *lib.* 11. *c.*7. Igitur Naturalis *Philoſophus* in ijs omnibus, quæ de materiâ diſſerit, nullam habet ſcientiam. CONFIRMATVR II. Intellectus noſter, vt rerum ſcientiam ſibi comparet, abſtrahere debet conſiderationem à conditionibus materiæ, & à tempore, ac motu, quoniam hæc omnia contingentia ſunt, & ad ſcientiam non ſpectant. At ens generabile & corruptibile, de quo agit Naturalis *Philoſophus*, non abſtrahit à conditionibus materiæ, nec à tempore, & motu, cùm naturaliter ab ijs dependeat. Ergo circa ens generabile & corruptibile Naturalis *Philoſophus* nequit habere ſcientiam.

29 *RESPONDEO*, Prætermiſſo *Pla*tonis confugio ad ideas à ſingularibus ſeparatas (quæ ſi à Deo diſtinctę fingantur; nullæ ſunt; ſi indiſtinctæ ab ideis rerũ in mente divinà, ad rem non attinent, quoniam ſine recurſu ad illas *Philoſophus* Naturalis circa ſuum obiectum exequitur proprias demonſtrationes) negando minorem. Quãvis enim omnia illa quæ ad partem *Philo*ſophiæ topicam attinent, & crebro ferè in Scholis exagitantur, ſub opinionibus poſità ſint; complura alia ſub demonſtrationem cadunt, vt quædam *num.*23. indicata, & alia innumera. Quod vero additur, *Phi*loſophiam conſiderare elementa & mixta corruptibilia, generabilia, & alterationi obnoxia, quę proinde nullam ſtabilitatem, certitudinemvè præſeferant; non vrget. Quoniam eiuſmodi mutationes ac viciſsitudines ſola ſingularia ſubeunt per ſe loquẽdo; non autem naturæ communes, incorruptæ per ſe, & quantùm ad connexionem prædicatorum eſſentialium, illationemq; ſuarum proprietatum; licèt per accidens varientur & corrumpantur ad mutationem ſingularium, quibus inſunt. Itaque naturæ rerum firmitatem habent ſufficientem ad

ſcie

terminandam ſcientiam: illam, ſcilicet, firmitatem, quam negativam vocant, quatenus ex ſe non naſcuntur, neque intereunt, nec alterantur, vt colligitur ex doctrina Ariſtot. 1. *Poſter. c. 7.* & D. Thomæ 1. *p. q. 86. art. 3. & de Verit. q. 1. art. 5.* Iam ad id quod tangitur circa cœleſtium orbium & ſublunarium corporum motus, qui nec perpetui, nec neceſſarij apparent, vt nec planetarum ecclypſes, quæ modo ſunt, modò non ſunt, & abſolutè poſſunt deſinere eſſe; diſtinguendum eſt. Quædam enim ſunt, quæ omnimoda neceſsitate à cauſis oriuntur, vt paſsiones propriæ ab eſſentia: & de ijs perfecta ſcientia ac demonſtratio habetur: qualia ſunt plurima à Philoſophis conſiderata. Alia autem medio quodam modo ſe habent inter omnino neceſſaria & contingentia, ſolumque neceſsitatem illam important, quam phyſicam appellant, quia ita cum naturis rerum cohærent, vt earũ exiſtentiam prærequirant. Hac ratione dicitur neceſſarius motus cœlorum, & ecclypſis planetarum, quoniam ille durabit exiſtente cœlo, vſque ad diem Iudicij; hæc vero infallibiliter accidet Soli, ac Lunæ, non ſemper, ſed exiſtentibus in certo ſtatu, & determinatá cœli parte. Similiter & motus ſublunarium corporum erunt, non ſemper, ſed vſque ad conflagrationem orbis. Et de ijs quidem omnibus in indiuiduo conſideratis, fatemur perfectam demonſtrationem, ſcientiamque omnibus numeris abſolutam haberi non poſſe: ſed ſolùm inſpectis ſecundùm exigentiam & connexionem eſſentialem quam habent cum effectibus, abſtrahendo à conditionibus individuantibus, & abſolutè defectibilibus. Quin etiam neque de exiſtentia phyſicá & exercitá paſsionum abſolutè ſeparabilium haberi poteſt perfecta ſcientia; cum poſsint à Deo impediri, & non exiſtere, adhuc poſita extra cauſas eſſentiá. Quare de ijs ſolùm in actu ſignato, & quantùm ad exigentiam conſideratis, ſciẽtia omnibus numeris perfecta habetur. Denique ad id quod ſubditur de entis ſucceſsivi viciſsitudine, & ortus atque interitus duratione ſolùm inſtantaneá, ac vix incipiente cùm deſinit; dicendum eſt, id non obſtare quominus de ipſo ente ſucceſsivo, eiuſque eſſentiá, qualiſcumque illa ſit, paſsiones proprietateſque demonſtrentur. Idemque eſt de generatione & corruptione, quamquam inſtantaneis.

30 *AD I. CONFIRMATIONEM.* Philoſophus Naturalis non modò ſpeculatur materiam ſenſibilem, vt ſenſibilem; id eſt, quatenus ſubiectam accidentibus ſenſibilibus: ſed etiam vt pars eſt compoſiti ſubſtantialis; qua ratione eſt ens per ſe, & capax terminandi veram ac propriam ſcientiam. Imo adhuc de materia, vt ſubiecta accidẽtibus ſenſibilibus neceſſario, & naturali illatione, ſcientia perfecta haberi poteſt: quia ſecundùm hanc conſiderationem non eſt propriè ens per accidens, ſed latè loquendo, & negativè, quatenus non facit compoſitionem ſubſtantialem cum accidentibus. Cùm verò aliunde neceſſaria illatione afferat accidentia, & potiſsimum quantitatem, poteſt ſub hac ratione eſſe obiectũ ſcientiæ: ſicut & numerus harmonicus eſt obiectum Muſicæ, & radius ſeu linea viſualis *Perſpectivæ*, quamvis neuter ſtrictè habeat rationem entis per ſe. Illa ergo ſolùm entia per accidens excluduntur ab obiecto ſcientiæ, quæ nec reſolvi poſſunt in cauſas determinatas, nec inferunt ex ſe paſsiones certas, quas ſcientia de ijs demonſtret: vt album muſicum, theſaurus caſu inventus, acervus lapidum, &c. *Ad II. Confirm.* Intellectus dicitur à tempore, & loco abſtrahere conſiderationem, quia cõſiderat naturas communes non definitas ad certum locum & tempus, vt docet *Plato in Parmenide*, Ariſtot. 1. *Po. cap. 24. textu* 43. D. Thomas 3. *contra Gent. c.* 48. Similiter & dicitur conſiderationem abſtrahere à materiá, quoniam non conſiderat materiam ſingularium. Atqui totum hoc verificatur de Philoſopho Naturali: quoniam licèt entia corruptibilia, & generabilia in re, & prout exiſtunt, concernant locum, & tempus, & conditiones individuales materiæ; adhuc prout conſiderantur à Philoſophia abſtrahunt ab ijs, denudanturque; & proinde terminant ſcientificam cognitionem.

31 *INSTABIS* Contra ſolutionem præcipui argumenti. Vt Philoſophia Naturalis eſſet ſcientia, deberet penetrare eſſentias rerum generabilium, & corruptibilium abſtrahentes à conditionibus ſingularibus, & à loco, & tempore, illaſque ſub eá ratione explorare, & proprietates inde deducere. Id enim eſt de ratione ſcientiæ iuxta Ariſtotelem 6. *Metaph. c. 1. textu* 1. At Philoſophia non penetrat eſſentias rerum generabilium & corruptibilium; ſed ſolius Metaphyſicæ id proprium eſt, vt idem Ariſtoteles docet 4. *Metaph. c. 2. textu* 5. Ergo Philoſophia Naturalis non eſt ſcientia, ſed id proprium eſt Metaphyſicæ. RESPONDEO, conceſsá maiore, negando minorem. Neque obſtat Philoſophi authoritas in oppoſitum allegati. Eo namque loco intelligendus eſt adſcribere ſoli Metaphyſicæ penetrationẽ eſſen-

tias

tiarum ſub conceptu vniverſaliſsimo eſſentiæ, ſicut & entis, & veri, & ſubſtantiæ abſtrahentis à materiali, & immateriali. Cùm hoc tamen cohæret, quod Phyſiologia, ſeu Phyſica penetret eſſentias rerum generabilium & corruptibilium, quatenus habent rationem entis mobilis, & ſub ea propria, ac ſpecifica ratione, quà inferunt proprias paſsiones: quod ſufficit ad rationem ſcientiæ.

32 *VRGEBIS*. Nequit Phyſica penetrare eſſentias rerum generabilium, & corruptibilium, quæ ſubſtantiales ſunt, niſi in ijs penetret rationem communem ſubſtãtiæ. Ergo cùm non poſsit in ijs penetrare rationem communem ſubſtantiæ, cuius conſideratio Metaphyſici propria eſt, non poterit vllatenus penetrare eſſentias rerũ generabilium & corruptibilium, quæ ſubſtantiales ſunt. RESP.. vt Phyſiologia ſciẽtia ſit vera & propria intra ſuam ſphœrã; opus non eſſe aliâ cognitione perfectâ, quam intra genus phyſicum: id eſt, cognitione perfecta materiæ & formæ, ac compoſiti, ſecundum quòd habent rationem entis mobilis generabilis & corruptibilis, ſeu generationi & corruptioni, alijſque eiuſmodi motibus ſubiecti. Quòd verò hoc ipſum cognitione omnino perfectâ penetrari nequeat, non penetrata ratione cõmuni entis & ſubſtantiæ, à ſolo Metaphyſico inſpecta; ſolum probat dependentiam Phyſiologiæ à Metaphyſica, vt prima & potiſsimâ Philoſophiæ parte: quâ non præeunte, & ſuppetias ferente, Phyſiologus non habebit plenam & omnibus numeris abſolutam ſui obiecti cognitionem. Indidem verò ſummùm colligere licèt, partẽ hanc Philoſophiæ Naturalis, quæ Phyſica, ſeu Phyſiologia appellatur, eſſe ſcientiam ſubalternatam Metaphyſicæ, vt ſuperiori, ab eaque mutuare notitiam rationum vniverſalium entis, veri, ſubſtantiæ, &c. Quod ſine Phyſicæ diſpendio, aut impedimento ad veram rationem ſcientiæ, quãquam ſubalternatæ, & nõ primæ, fieri poſſe, evincit planè inſtantia communis in Mathematicis diſciplinis, quæ ſcientiæ ſunt, quamquam à Metaphiſicæ principijs præſuppoſitis omnino dependeant.

33 *ARGVVNT II.* Si Philoſophia Naturalis eſſet ſcientia, quælibet pars præcipua ipſius ſcientia eſſet. At non quælibet pars præcipua illius ſcientia eſt. Ergo nec Naturalis Philoſophia. *P*robatur minor. Magia enim eſt pars præcipua Philoſophiæ Naturalis. Definitur enim *pars Phyſiologiæ, quæ ex mutuâ & opportunâ naturalium virium copulatione docet opera edere extra omnis admirationis captum.* Et tamen ſcientia non eſt, iuxta regulam illam Ariſtotelis 1. *Magnorum Moral. cap.*1. *&* 1. *Ethic. cap.*1. *&* 4. aſſerentis, omnem doctrinam, ſivè ſcientiam, eſſe gratia alicuius boni. At eiuſmodi Magia non eſt gratia alicuius boni, ſed potiùs communi bono contraria, ideoque prohibita ſæpiſsimè in ſacris litteris, & *P*ontificijs, ac Cæſareis legibus, vt in iure Canon. 26. *q.*6. & Decretalium *tit.* 21. *de Sortilegijs, cap. Ex tuarum* 2. ac Decreti 2. *p. cauſa* 62. *q.*2. *&* 3. & in Concilio Toletano I. *in Confeſsione Fidei, num.*15. & ſimiliter in iure Civili *Cod. de Maleficis, l. Nullus, l. Nemo, l. Culpa*, pluribuſque alijs locis, quæ vſque ad nauſeam ferè congeſſimus *tom.*1. *Theologiæ Florulentæ Lud.*6. *excurſu* 2. Ergo Magia illa, quæ pars eſt præcipua Naturalis *P*hiloſophiæ, ſcientia non eſt. RESPONDEO, Negando minorem. Ad probationem diſtinguendum inter duplicem Magiam: alteram nocivam, maleficamque, Græcis γοητείαν, quæ præſtigijs evanidis, veneficijſque adverſatur, tum veritati, tum & ſaluti hominum, adiecto dæmonum commercio; & hæc nec *P*hyſiologiæ pars, nec vera ſcientia eſt: alteram verò naturalẽ, quæ abſolutè μαγεία dicitur, & pars *P*hyſicæ; addens tamen ſuprà rationem communẽ *P*hyſiologiæ notitiam arcanam mutuorum naturæ conſenſuum, copulationemque reconditarum virium, è quà admiranda opera progrediantur. Et hæc verà diſciplina, ac ſcientia eſt, priſciſque *P*hiloſophis in pretio habita, vt conſtat ex *P*latone *in Alcibiade*, Cicerone *lib. de Divinat.* Plinio *lib.*30. *initio*, Philone *lib. de Legibus ſpecialibus*, Tertulliano *lib. de Idololatriâ*: vt omittam Delrium, ac Torreblancam, alioſque Recentiores plenà manu id verſantes. In eamque revocari debent nonnulla opera admirãda Appollonij Thyanæi, aliorumque, teſte Iuſtino Martyre, *q.*24. ac Bonaventurâ *in* 2. *diſt.* 9. *q.*3. & Guillelmo *P*ariſienſi *de Vniverſo*, *q.*21. item omnia Severini Boetij artefacta, & Gilberti Benedictini, aliàs Sylveſtri *P*apæ II. omne ferè hominum genus in ſtuporem rapientia, ſoliſque inſipientibus ſuſpecta, aut temerè malo genio adſcripta à nonnullis Hiſtoricis licentioris ſtili. Addendum tamen, eam *P*hyſicæ partem, non tàm ſpeculativam, quàm practicam eſſe, vtpotè ad effecta mirabilia ordinatam: ac proinde intrinſecè non ſpectare ad *P*hiloſophiam Naturalem, quæ ex integro ſpeculatrix ſcientia eſt.

34 *ARGVVNT III.* Academici. Nihil eſt in intellectu, quin fuerit prius in ſenſu, vnde omnis noſtra cognitio ortum ducit, & ſpecies haurit. Omnis autem ſenſuum cognitio fallibilis, & erroribus, ac præſtigijs expoſita eſt. Ergo & omnis intellectiva cognitio: ac proinde hæc non habet rationem ſcientiæ. *RESP.* Veram eſſe maiorem, ſed minorem falſam, atque adeo vtramque conſequentiam nullam. Minor quidem falſa eſt: nam licèt quandoque ſenſus noſtri præſtigias & errorem patiantur; non tamen plerumque; cùm, teſte Philoſopho 2. *de Animâ*, *cap. 6. textu* 63. multa ſint, in quibus ſenſus deblte approximati obiectis numquam deceptionē patiūtur. Neque etiam errare poſſunt circa proprium ſenſibile conſideratum ſecūdùm rationem communem; eſto ſecundū particularem poſſint. Quin & non ſemel errantem ſenſum intellectus corrigit ratione naturalis acuminis, quo vniverſalia principia ſpeculatur, iiſque aſſentitur citra viſum erroris diſcrimen; indeque concluſiones deducit, quaſdam certò, quaſdam probabiliter ſolùm, quidquid contra ſenſus ſuadere videatur. Lege D. Thom. *1. p. q. 84. art. 6.* & Scotum *in 1. diſt. 3. q. 4.* ac Tertullianum *lib. de Animâ*, vbi meritò Academicos reprehendit, quòd negatâ ſenſibus omni fide, totius naturæ ordinem inverterint, ipſiuſque Authorem criminâti ſint, quaſi malè providum; cùm intellectui hominum, veritatis inveniendæ ſtudioſo, miniſtros dederit ſenſus, non, niſi errorum & præſtigiarum aucupes, quibus ſemper errare cogatur. Cùm ergo hac notâ Deum inurere extremæ dementiæ ſit, aſſerendum eſt communiter loquendo, ſenſus circa ſua obiecta deceptionem non pati; & & ſi quando id accidat, poſſe à ratione corrigi, vt veram, ac limpidam rerum cognitionem obtineat homo.

SECTIO QVINTA.

An Philoſophia Naturalis ſit ſpeculativa, vel practica? Vbi an Medicina ſit pars Philoſophiæ.

35 STATVTO Iam præcedentibus Philoſophiam Naturalem eſſe verè & propriè ſcientiam, nunc addendum, non qualemcumque, non practicam, ſed ſpeculativam, aut, quod perinde eſt, contemplatricem eſſe. Quod planè docet Plato apud Alcinoum *lib. de ipſius doctrinâ, cap. 7.* Ariſtoteles 6. *Metaph. cap. 1.* illis verbis: *Cùm autem Phyſica etiam circa quoddam entis genus ſcientia ſit (etenim circa talem ſubſtantiam eſt, in quâ principium eſt motus, & ſtatus, qui in eâ eſt) patet quòd nec activa, nec factiva eſt.* Idē habet *lib. 11. cap. 6.* Auguſt. *lib. 8. de Civit. c. 4.* Boetius *in opere de Trinitate*, Hugo Victorius *lib. Didaſcal. cap. 2.* & communiter Philoſophi cum D. Thoma in prædicta loca Philoſophi.

PROBATVR Ratione vnicà, & communi. Scientiæ enim ſpeculativæ eò à practicis differunt, quòd priores ad nudam ſimplicemque veritatis cognitionem natura ſua ordinantur; poſteriores vero ad effectionem, ſeu operationem; in quam etiam potentias dirigunt, traduntque regulas, & præcepta. Atqui Philoſophia Naturalis ad nudam ſimplicemque veritatis cognitionē natura ſua ordinatur; non verò ad effectionem, ſeu operationem; neque in hanc potentias dirigit, aut tradit regulas, vel præcepta. Igitur Naturalis Philoſophia eſt ſciētia ſpeculativa, & non practica. Maior cum conſequentia eſt evidens. Minor autem facilè ſuadetur: quia Philoſophia Naturalis ex propria ratione ſolùm habet ſpeculari ens mobile, ſeu generabile & corruptibile, eiuſque proprietates & affectiones, nihil aliud quærendo, quàm puram & nudam ipſius contemplationem. Quod ſiquis honoris, aut quæſtus causâ illam addiſcat, erit finis extraneus, & ſolius operantis, qui nequit illam ſpoliare dignitate ſcientiæ ſpeculatricis, ſicut nec alias diſciplinas, quæ pariter contemplativæ ſunt omnium Philoſophorum conſenſu.

36 *DICES I.* Minorem probationis noſtræ propoſitionem eſſe falſam: quia Philoſophia Naturalis non ſiſtit in ſola ſpeculatione; ſed progreditur ad amorem Dei ex naturâ ſua inclinando voluntatem, vt tradit Alcinous ex mente Platonis vbi nuper *cap. 30.* & D. Thomas *1. contra Gent. c. 2.* Omnis enim abſtruſarum rerum notitia hominem evehit ad ſimilitudinem quamdam cum Deo, ac proinde etiam Naturalis Philoſophia, quæ in eâ notitiâ conſiſtit. At ſimilitudo eſt cauſa amoris, teſte Ariſtotele *lib. 3. Magnorum Moral. cap. 11.* Igitur Naturalis Philoſophia inclinat ad amorem Dei. Amor autem Dei non eſt ſpeculatio, ſed actio, & operatio. Ergo Philoſophia ordinatur ad actionem, ſeu operationem. Idque verum eſſe experientia ipſa teſtari videtur. Vix enim aliqui dignoſcūtur præcelluiſſe vltra Philoſophorum vulgus, & fecitſe ſibi clarum nomen, qui humana, & fluxa hæc non deſpexerint, toto cordis affe-

affectu & mentis conatu in Deum non converſo: vti de Socrate, Empedocle, Diogene, Anaxarcho, & Heraclito Epheſio, teſtantur Laërtius *in Vitâ Socratis*, Plutarchus *libello de Exilio*, Philo Iudæus *lib. de Vitâ Contemplativâ*, Theodoretus *ſerm. 6. de Providentiâ*, & recentiùs Rhodigini² *lib. 19. Lect. Antiq*. Igitur quia Philoſophia ex ſe ordinatur ad Dei amorem, qui vera operatio eſt.

37 *SED Contrà I.* Hac enim ratione nulla ſcientia eſſet ſpeculatrix ab intrinſeco, quia nulla eſt, quæ non præſtet homini notitiam rerum abſtruſarum; quâ ſimilior Deo reddatur alijs hominibus indoctis; ac proinde non habeat maiorem anſam diligendi primam cauſam ex perfectiore notitiâ effectuum. Conſequens verò abſurdum eſſe patet. *CONTRA II.* Licèt enim notitia rerum naturalium, quæ ex Philoſophia comparatur, ſimilitudinem ſpecialem homini cum Deo pariat, ac proinde ſubminiſtret occaſionem maioris in eum amoris; non tamen præbendo regulas, aut præceptiones operandi: quod ſcientiæ practicæ proprium eſt. Numquam ergo propter contemptum rerum humanarum, amoremque Dei, vtcumque ex Philoſophia ortum, excluditur illa à ratione ſcientiæ ſpeculativæ.

38 *DICES II.* Vt Philoſophia Naturalis ſit ſcientia contemplatrix, debet eſſe libera. At libera non eſt. Ergo neque contẽplatrix. Maior eſt certa: Quia in genere diſciplinarum illud dicitur liberum, quod ſui ipſius gratiâ quæritur: omnis autem ſcientia contemplativa quæritur gratiâ ſui ipſius, vt conſtat ex Ariſtotele *lib. 1. Methaph. c. 2*. Ergo vt Philoſophia Naturalis, & quævis alia diſciplina, ſit contemplatrix ſcientia, debet eſſe libera. Iam minor illa præcipua probatur. Si enim Philoſophia Naturalis eſſet libera, eſſet vtique liberalis, ac proinde vna ex ſeptem artibus liberalibus: quod apertè conſtat eſſe falſum.

39 *SED Contrà.* Siquid enim probat obiectio, pariter probat, nullam ſcientiam eſſe ſpeculativam, niſi ſit vna ex ſeptem liberalibus diſciplinis: cùm omnis ſcientia ſpeculativa liberalis ſit, & eſſe liberalem, iuxta argumentum propoſitum, idem ſit; ac eſſe vnam ex ſeptem artibus. Deinde procedit ex æquivocatione. Quòd enim omnis ſciẽtia ſpeculativa debeat quæri propter ſe, ſive gratiâ ſui ipſius, ſolùm denotat, ingenuam eſſe, ſeu liberam ab ordine ad operationem ſervilem. quod planè habet Philoſophia Naturalis, ſi quæquam alia diſciplinarum. Ad rationem verò artis liberalis præterea requiritur traditio regularum in ordine ad quoddam quaſi opus externum, quãquam ſiſtens intra metas ſpeculationis, iuxta illud S. Thomæ 1. 2. q. 57. art. 3. *In ipſis ſpeculabilibus invenitur aliquid per modum cuiuſdam operis: vt conſtructio ſyllogiſmi, opus numerandi, menſurandi. Et ideo quicumque habitus ſpeculativi ad huiuſmodi opera ordinantur, dicuntur artes per quamdam ſimilitudinẽ; ſcil. liberales.* Patet verò Philoſophiam Naturalem, ſicut & Metaphyſicam, nec regulas aut præceptiones præſtare ad aliquod quaſi opus externum, nec eiuſmodi artefacta exequi. Licèt enim conſtruat ſyllogiſmos, id eſt iuxta regulas traditas à Dialecticâ, quæ propterea cenſetur liberalis ars. Nec Veteres Philoſophi in receptâ illâ liberalium artiũ partitione omnes ſcientias ſpeculativas cõprehendere voluerunt, ſed illas ſolùm, quas Encyclopædias appellabant, ſeu in circulo poſitas: vt adoleſcentes priùs ijs imbuerentur, quàm ad Phyſicam addiſcendam accederent. De quo legendus Hugo Victor *lib. 3. Didaſcalon.*

40 *DICES III.* Medicina eſt pars Philoſophiæ Naturalis: quia agit de corpore humano prout ſubiacet mobilitati & alterationi penes ſanitatem & ægritudinem. At Medicina eſt ſcientia practica, vtpotè regulis ac præceptionibus inſiſtens circa operationem medendi. Ergo & Naturalis Philoſophia, ſaltim quâ parte Medicinam complectitur, non ſpeculativa, ſed practica eſt. Præterea & Ariſtoteles id ipſum cõfirmat, quatenus Philoſophiam & Medicinam ſorores vocat, alteramque per alteram definit, dicens, Philoſophiam eſſe animi Medicinam; hanc verò Philoſophiam corporis. Vnde & Anatomia, quæ ad Medicinam ſpectat, cõmuniter pars Phyſiologiæ exiſtimatur, vt legere eſt apud Andræam Veſalium, Ambroſium Pareum, Andræam Laurentium, pluresq; alios, quos allegat & ſequitur Laurentius Beyerlinc *tom. 1. Magni Theatr. Vitæ Humanæ, verbo Anatomia.* Inſuper & Democritum in eâ fuiſſe opinione, vt Medicina Philoſophiæ pars ſit, teſtantur Clemẽs Alexandrinus *Pædagogi cap. 2.* & Iſidorus Peluſiota *lib. 1. Epiſt. 437.* Cùm ergo Medicina indubiè practica ſit, idem dicendum erit de Philoſophia.

41 *HÆC* Obiectio tangit celebrem illam inter Medicos controverſiam, num Medicina ſcientijs practicis accenſenda ſit, an potiùs ſpeculativis. Sunt qui exiſtiment vtrarumque numero adſcribendã eſſe, quoniam Medicina habet partem quamdam practicam, aliam theoricam, vt ſupponit Avicenna initio ſuæ Metaphyſicæ, & Gale-

nus in finitionibus medicis. Vnde quà parte docet ſtructuram corporis humani, ipſiuſq; temperamentum, & varias humorum mixtiones conſiderat, videtur purè contemplatrix: qua vero parte vnicuique morbo medicamenta & regulas curationis præſcribit, apparet practica ſolum. Iuxta hanc opinionem, occurri poteſt obiectioni côcedendo, Medicinam, ſolum quatenus ſpeculativam, eſſe *Philoſophiæ* Naturalis partem; nô verò prout practica eſt: ideoque numquam evinci, *Philoſophiam* eſſe practicam.

42 *PROBABILIOR* Opinio videtur S. Thomæ in Boëtium *de Trinit. q. 5. art. 1.* Scoti *in Prologo Sent. quæſt. 4.* Iſidori 1. *Ethic.* Commentatoris *Collect. lib. 6. cap. 1.* Fernelij *initio ſuæ Phyſicæ*, aliorumque complurium aſſerentium, Medicinam ſimpliciter practicam eſſe: Quia ratio practici aut ſpeculativi in quolibet habitu ſimpliciter ſumitur & denominatur ab obiecto attributionis. Palam vero eſt, ſubiectum attributionis Medicinę eſſe corpus humanum ex fine conſervandæ aut recuperandæ ſalutis: quod totum ad praxim ſpectat. Ergo Medicina cenſeri debet ſcientia ſimpliciter practica. Minor apud omnes Medicinæ Doctores receptiſsima eſt, & ab Ariſtotele traditur 1. *Ethic. c. 7. & 1. Rhetor. ad Theodectem cap. 2.* Maior, in quà poſſet eſſe diſsidium, probatur: Quia ratio propria cuiuslibet ſcientiæ, & denominatio practicæ aut ſpeculativæ ſimpliciter, non deſumitur ab vno aliovè obiecto partiali, ſeu inadæquato; ſed ab obiecto attributionis, in quod omnes ſuas conceptiones dirigit. Ideo enim Iuriſprudētia v.g. cenſetur habitus ſimpliciter practicus, quia licet ſpeculetur nonnulla obiecta partialia, vt iuſtitiæ definitionem, naturam contractuum, rationem iuris naturalis, Gētiū, & civilis, ac pleraque alia; adhuc obiectum attributionis illius eſt operabile; nimirum, reddere vnicuique quod ſuum eſt. Ideo etiam *Philoſophia* Moralis eſt ſimpliciter practica iuxta Ariſtotelem 2. *Ethic. c. 2.* quia obiectum attributionis eius eſt quoddam opus, ſcilicet, recta vitæ ac morum inſtitutio & directio; licet ſpeculetur nonnulla obiecta partialia; vt circa errata illa, quibus aſſeritur, virtutes eſſe inter ſe cônexas, iuſtitiam eſſe præſtantiorem fortitudine, prudentiam eſſe virtutum moralium ducem, & alia eiuſmodi. Contrà vero Mathematicæ ſpeculatrices ſunt, quia obiectum attributionis illarum eſt ſpeculabile ab ijs; licèt nonnulla obiecta partialia ſint operabilia, vt triangulus, quadrangulus, & omnes figuræ mathematicæ. Et ratio à priori eſt, quia quælibet ſcientia dirigit omnes ſuas conceptiones in ordine ac propriū ac ſibi adæquatum finem, qui eſt conſecutio ſui obiecti attributionis: ac proinde ſi illud ſit operabile, etiam ipſas ſpeculationes dirigit in ordine ad opus; ſi autem ſpeculabile ſit, ipſa opera dirigit in eius ſpeculationem. Quare Medicina, etiamſi quatenùs definit, & dividit, argumentaturque circa eſſentias morborū ac proprietates, veluti partialia obiecta, ſpeculetur; adhuc ſimpliciter practica eſt, quia omnes eas conceptiones dirigit in finem corporis ſanandi, ſeu tuendæ valetudinis; quod totum ad praxim ſpectat.

43 *AD* Obiectionem in oppoſitum *ex num.* 40. negatur maior: Quia licèt tam Medicus, quam Naturalis *Philoſophus*, reſpiciant idem corpus, quod eſt mobile & ſanabile ſimul, materialiter & in re; adhuc eſt formalis diverſitas ex parte obiecti. *Philoſophus* enim reſpicit corpus ſub ratione entis mobilis, & quantùm ad affectiones illius ſub ratione mobilis; idque ex fine ſolius cōtemplationis. Medicus vero cōſiderat illud ſub ratione ſanabilis, & ex fine operationis. Vnde & pleraque ex ijs, quæ ad partem theoricam Medicinæ aptari ſolent, ex *Philoſophia* Naturali trahuntur, & quaſi tranſferuntur ad eam facultatem, veluti alienā; Mediculque in ijs verſandis aſſumit *Philoſophi* perſonā, quam intra ſuam ſphæram ſtrictè conſideratam non induit, ſed ſolum præſupponit.

44 Quòd verò Ariſtoteles *Philoſophiam*, ſcilicet, ſapientiam, & Medicinam, ſorores vocet, in cauſa eſt analogia vtriuſque, quatenus prior illa medetur affectionibus inordinatis animæ, hæc verò ægritudinibus corporis. Inde verò ſolùm infertur *Philoſophiam* animi curatricem, id eſt, Moralem, magnam cum Medicina conſenſionem habere, & vtramque eſſe practicā. At *Philoſophia* Naturalis directè non habet curare animum, ſed perficere intellectum quò ad partem ſpeculativam: quamquam inde non modica occaſio ſit ad medelam inordinatarū affectionum, per cognitionem propriæ naturæ. Id vero eſt præter inſtitutum directum Naturalis *Philoſophiæ*. Indidem quoque patet ad authoritatem Democriti, ſi illa alicuius ponderis eſt.

45 Denique quod additur circa Anatomiam non vrget, quoniam illa non eſt Medicinæ, ſed *Phyſiologiæ* pars. quod ijſdem Authores in obiectione allegati diſertè docent. Et quidem ipſa ſpeculativa eſt, quia ad ſolam ſpeculationem partium corporis humani natura ſuà ordinatur, in eamque

que

quæ refert ſciſſionem illam corporum à quâ Anatomiæ denominationem recipit: ſicuti Mathematica in finem contemplationis ordinat figuras, quas operatur, ideoque ſtricte ſpeculatiua eſt. Patet igitur Philoſophiam naturalem nullo ex capite practicã eſſe, etiam prout Anatomiam complectitur, quamquam Medicina ipſius documentis & concluſionibus vtatur ex fine operationis.

SECTIO SEXTA.

Quodnam ſit proprium Philoſophiæ obiectum?

46 PLVRIBVS Opinionib⁹ aliorũ prætermiſsis, quas recenſet Caietanus *Opuſculo de Obiecto Philoſophiæ*, quarum nõnullæ videntur diſsidere de vocibus, nõ autem de re ipſa; eligenda nobis eſt, & cæteris præferẽda, quæ iam ferè in omnium ore verſatur, & aſsignat ens mobile pro obiecto Naturalis Philoſophiæ, prout *Phyſica* eſt, & dicitur.

47 Sed vt illa penitiùs intelligatur, præmittendum eſt, dupliciter poſſe conſiderari ens mobile: vno modo, quatenus importat aptitudinem ad motum, quæ eſt proprietas entis naturalis: altero, quatenus ſignificat principium illud, cui ea proprietas debetur, & ex cuius viſceribus oritur: ſcilicet, compoſitum naturale ex materiâ & forma, quæ ſunt principia illarum ſex ſpecierũ motus enumeratarum ab Ariſtotele circa finem libri Categoriarum. Præmittendum deinde ex eodem Philoſopho *lib.* 2. *Phyſic. c.* 1. ens naturale eſſe quod conſtat materia & forma: ens verò ſecũdùm naturam latiùs vagari, & extendi non modò ad id, quod materia & forma conſtat, ſed etiam ad omnes illius affectiones; vt ad ipſius quantitatem, potentias operativas, motus, vbicationes, &c. Præmittendum denique ex D. Th. *in* 1. *diſt.* 23. *q.* 1. *art.* 1. & Caietano 1. *p. q.* 7. *art.* 3. corpus aliud eſſe mathematicum, aliud metaphyſicum, aliud phyſicum. Primum eſt quædam ſpecies quantitatis continuæ conſtans trina dimenſione: ſcilicet, longitudine, latitudine, & profunditate: ſecundũ vero eſt, quod ratione genericà ſubſtantiæ & differentiali corporis coaleſcit, diciturque corpus de prædicamento ſubſtãtiæ: tertium demùm eſt materia prima, ſive ſubiectum commune formarum ſubſtãtialium, & in earum conſortio ipſum ens naturale componens. Aſſerimus itaque, ens naturale, ſive mobile, ſeu (quod perinde eſt) corpus mobile, quatenus coaleſcẽs materià & forma ſubſtantiali, ac veluti radicẽ mobilitatis, ſeu aptitudinis ad motum, eſſe obiectum attributionis *Philoſophiæ* Naturalis. In quo revera pleræque opiniones diſsidentium convenire videntur, quãquam alioqui contrariæ appareant.

48 *HANC* Sententiam ſic explicatã videtur tradidiſſe Ariſtoteles *lib.* 5. alias 6. *Metaph. cap.* 1. vbi poſtquam aſſeruerat *Phyſicam* ſpeculativam eſſe, ſubdit: ἀλλὰ θεωρητικὴ περὶ τοιοῦτον ὄν, ὅ ἐστι δυνατὸν κινεῖσθαι *ſed ſpeculativa eſt circa tale ens, quod poſsibile eſt moveri.* Atqui ens quod poſsibile eſt moveri, nullum aliud eſt, quàm ens mobile, vt ex ſe patet. Ergo ex mente Ariſtotelis obiectum *Phyſicæ* eſt ens mobile. Idemque docet D. Tho. 11. *Metaph. lect.* 4.

49 *DEINDE* Ratione cõmuni probatur: Quia ens mobile acceptum modo iam explicato, eſt per ſe attingibile ab aliqua ſcientia, cùm habeat ſub ea conſideratione plures paſsiones & proprietates, quæ de illo demonſtrari valeant. At non ab aliâ ſcientiâ, quam a Naturali *Philoſophiâ*. Igitur ens mobile acceptum modo iam explicato eſt obiectum Naturalis *Philoſophiæ*. *Probatur* minor: Tum quia nulla alia ſcientia aſsignari poteſt, quæ ex inſtituto verſetur circa ens mobile vt mobile: Tum quia *Philoſophia* Naturalis ex profeſſo explicat naturam & affectiones entis mobilis, quà mobile eſt, vt patet ex toto illius progreſſu: Tum denique, quia quidquid requiritur ad rationem obiecti alicuius ſcientiæ concurrit in ente mobili relatè ad *Philoſophiã*. *Primò* namque per illius ſpeculationem à cæteris ſcientijs differt: deinde importat eandem rationem formalem & vnius naturæ, vtpotè ſpectantem directè ad prædicamentum ſubſtantiæ: & tandem quidquid ſub conſiderationem *Philoſophiæ* cadit, ad illud refertur, ac maximè motus, qui definitur in ordine ad ens mobile quatenus mobile eſt, vt patet ex 3 *Phyſic. text.* 16.

50 *OPPONES I.* Ariſtotelem 1. *Poſter. cap.* 1. docentem, debere præſupponi à ſciẽtia, & non probari, exiſtentiam ſui obiecti. At idem ipſe Ariſtoteles 6. *Phyſic. cap.* 3 *textu* 31, atque adeo in ipſo *Philoſophiæ* Naturalis progreſſu, probat omne corpus eſſe mobile. Non ergo corpus mobile eſt obiectum Naturalis *Philoſophiæ*. Si ergo ens mobile & corpus mobile idem ſunt, neque ens mobile erit obiectũ *Philoſophiæ*. *CONFIRMATVR* expreſſo, vt videtur, teſtimonio D. Thomæ *in Proœm. Phyſic.* negantis corpus mobile eſſe obiectũ *Philoſophiæ*, quia illa probat omne mobile eſſe corpus;

& nulla ſcientia probat, ſed ſupponit ſuum obiectum. Idemque habet *Opuſc.* 42, *cap.* 14.

51 Quòd ſi verò cum aliquibus reſpondeas, Ariſtotelem loco proximè allegato non probare omne corpus mobile eſſe, ſed cōtrà, omne mobile eſſe corpus; in oppoſitũ vrget, quod nulla ſcientia cuius obiectum eſt complexum, aut ſignificatum cōplexè, probat coniunctionem partium, ex quibus illud coaleſcit: quia illa coniunctio pertinet ad quæſtionē *an ſit*, ſive ad exiſtentiam ſui obiecti. At, iuxta ſolutionem aſsignatam, Philoſophia de corpore mobili probat coniunctionem partium, dum probat omne mobile eſſe corpus. Ergo corpus mobile non eſt obiectum *Philoſophiæ*.

52 *RESP.* iuxta doctrinam traditam num. 47. ex D. Thomà, diſtinguendo de corpore prædicamentali, & continuo, ſeu quantitativo: & concedendo hoc poſterius non eſſe obiectum *Philoſophiæ*: quia reverà ſolùm id ex obiectione colligitur. Ariſtoteles enim loco illo ex 6. *Phyſic.* non probat in rerum naturà dari corpus mobile ſecundùm priorem conſiderationem, neque omne mobile eſſe corpus de prædicamento ſubſtantiæ: ſed omne mobile eſſe corpus continuum, ſeu diviſibile. Verba enim ſunt: *φανερὸν ὂν ὅτι πᾶν τὸ μεταβάλλον ἔϛαι διαιρετόν: Patet igitur omne quod mutatur, eſſe diviſibile.* Quare ex *Philoſopho*, ac D. Thomà, ſolùm licet colligere corpus continuum mobile nō eſſe obiectum *Philoſophiæ*, quia ab illà probatur, & nō ſupponitur eiuſmodi corporeitas. Cùm eo tamen cohæret quòd corpus prædicamentale mobile, cuius exiſtentia ſupponitur, & minimè probatur à *Philoſophià* Naturali, ſit illius obiectum.

53 *QVOD* ipſum contra nonnullos Recentiorum excludentes corpus mobile ab obiecto *Philoſophiæ*, vrgenter probari poteſt, ſi de corpore prædicamentali loquantur. Certum namque eſt in omni ſententià obiectum attributionis *Philoſophiæ* Naturalis eſſe ens naturale, ſeu conſtans naturà: & quidem non naturà purè ſpirituali, quæ omnis phyſici motus incapax eſt; neque etiam naturà abſtrahente à corporea & ſpirituali, quia ſub hac conſideratione ſpectat ad Metaphyſicam, comprehenditque ſubſtantias ſeparatas Angelorum, quæ omnino ſunt extra obiectum Naturalis *Philoſophiæ*. Ergo certum eſſe debet, obiectum attributionis *Philoſophiæ* Naturalis eſſe ens naturale, ſeu conſtans naturà corporeà. At ens naturale conſtans naturà corporeà, eſt corpus de prædicamento ſubſtantiæ, vt patet. Ergo obiectum attributionis *Philoſophiæ* eſt corpus de prædicamento ſubſtãtiæ. Atqui non vt præſcindens a mobilitate, ſeu radice motus, & aptitudinis proximæ ad motum, quem maximè *Philoſophus* ſpeculatur. Ergo de primo ad vltimum corpus prædicamentale, vt mobile, eſt obiectũ attributionis Philoſophiæ.

54 *NEQVE* Exiſtimes aliam eſſe formalitatem corporis prædicamentalis, & aliam mobilitatis, vt hæc ſolùm formaliter inſpiciatur à Philoſopho, illa vero de materiali tantùm, qualiter vſuvenit in alijs obiectis. Verè enim eadem ratio formalis importatur in corporeitate prædicamentali, & mobilitate radicali: quia corpus prædicamentale, nec reipſa, nec ſecundùm rationem formalem, quid aliud importat, quàm habere naturam, quę eſt principium radicale motus corporei: ſicut homo, nec reipſa, nec ſecundùm rationem formalē, quidquam aliud eſt, quàm animal conſtans naturà, quæ eſt radix diſcurſus. Fateor explicatiùs importari per mobilitatem radicalem id, quod è re *Philoſophi* eſt: at ſi rectè accipiatur prædicamētalis corporis notio, ipſa ratio formalis eius eſt radicalis mobilitas à *Philoſopho* Naturali inſpecta. Vndè & tota *Philoſophia* ferè eſt in probando affectiones & paſsiones proprias corporis prędicamentalis: nimirum, eſſe quantum, eſſe diviſibile, eſſe in tempore, eſſe in loco, & pleraque alia.

55 *OPPONES II.* Eodem modo ſe habet ens mobile in ordine ad Aſtrologum, & ad *Philoſophum*: quia Aſtrologus non ſolùm ſpeculatur cœleſtium corporum figuram, & diſtantiam à terrà, ſed etiam motum ipſorum, teſte Ariſtotele 1. *Metaph. c.* 7. *textu* 19. *&* 10. *Metaph. c.* 2. *textu* 4. ac Proclo *in lib.* 1. Euclidis. Ergo Aſtrologus non minùs, quàm *Philoſophus*, ſpeculatur ens mobile, quà mobile eſt. Igitur ens mobile non eſt proprium obiectum *Philoſophię*. *CONFIRMATVR*: Quia nec motus videtur præcipua affectio entis mobilis. Ergo quamquam *Philoſophia* ſpeculetur motum, nō ideo conſiderat præcipuas affectiones entis mobilis, quod ſanè deberet pręſtare, ſi ens mobile eſſet proprium ipſius obiectum. *Probatur* antecedens: Quia motus eſt affectio communis alijs rebus diſtinctis ab ente mobili: vt patet in quantitate Euchariſticà, & ſubſtantijs ſeparatis Angelorum, quæ moventur, quamquam nec re, nec appellatione entium mobilium cenſeantur.

56 *RESP.* Negando antecedens: Quia

Aſtrologus non conſiderat motum vt eſt actus entis in potentia, qualiter attenditur à Philoſopho; ſed ſolum ſecundùm mathematicam rationem: vtpotè, ſecundum numeros, æqualitatem, multitudinem, propinquitatem, inæqualitatem, diſtantiam, menſuram, & alias eiuſmodi affectiones. Quarę ſolus Philoſoph' ſpeculatur ens mobile vt mobile, ſive vt principiũ motus habentis rationem actus imperfecti, ſeu actus entis in potentia. *AD Confirm.* nego antecedens: quia licèt quantitas ſeparata divinitus à ſubiecto moveatur *vt quod*, non tamē per modum radicis: hoc enim corporis mobilis, ſeu de prædicamento ſubſtantiæ proprium eſt. Angelorum verò motus phyſicus non eſt, ſed alterius rationis ab eo motu, quem Naturalis Philoſophus ſpeculatur. An verò motus ſpirituales animę rationalis cēſeri debeant motus phyſici, & ſpectantes ad Phyſiologiam, conſtabit proprio loco, vbi diſputandum occurrerit, quibus competat ratio naturæ. Plures aliæ obiectiones, quas præterimus, ex prædictis ſolvi poſſunt.

SECTIO SEPTIMA.

Quo ordine addiſcenda ſit Philoſophia?

57 RESP. Cum D. Thomà *Opuſc.* 70. *& in lib.* 6. *Ethic. cap.* 8. aliiſque pluribus, Mathematicam diſciplinam ſecūdùm rectum ordinē priùs addiſci debere, quàm Naturalem Philoſophiam. Favetque Ariſt. loco allegato Ethicorum, vbi docet, poſſe puerum fieri Mathematicum, non tamen Sapientem, aut Phyſicum. Quare & Veterum mos fuit, pręſertim tempore Platonis, neminem ad gymnaſium Philoſophiæ admittere, niſi prius in Matheſibus, præſertim in Geometrià verſatus eſſet. Vnde & in ipſis Academiæ foribus ſcriptum erat: μηδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω: *Nemo Geometriæ ignarus ingrediatur*. Vnde & Mathematicas doctrinas προπαιδείας appellabant, ſeu *priores inſtitutiones*, quibus imbuendi eſſent adoleſcentes, priuſquam ſeverioribus Philoſophię ſtudiis ſeſe committerent. Legendi eà de re & Veterum conſuetudine Philo Iudęus *lib. de Agricult.* Plutarchus *lib. de Contrarietat. Stoicorum*, Boetius *lib. de Doctrinà Scholar.* Hugo Victorius in prologo cœleſtis Hierarchiæ, & 2 *Didaſc.* Ratio autem eius conſuetudinis, & doctrinæ in aſſertione traditæ, ea eſt, quod naturæ ordine inſitum ſit vt à facilioribus ad difficiliora progrediamur. Faciliores verò captu ſunt diſciplinæ Mathematicæ, & præſertim Geometria, quàm Philoſophia Naturalis impenſa in ſpeculandis naturæ arcanis, & occultis viribus: ad quas explorandas opus eſt diuturniore rerũ obſervatione & experientia. Ergo oportuit Mathematicam diſciplinam, & præſertim Geometriam, eſſe priorem ordine, quam Philoſophiam.

58 *INDIDEM* Verò, æquali conſequentiæ filo deducitur, Phyſicam doctrinæ ordine priorē eſſe Morali Philoſophia: Quia ad ferendum iudicium de iis, quæ ad vitæ morumque diſciplinam, ac moderationem paſſionum attinent, multò maturiori intelligentia opus eſt, quàm ad res phyſicas dignoſcēdas. Vnde Ariſtoteles 1. *Ethic. cap.* 3. docet iuvenes non eſſe idoneos auditores diſciplinæ Moralis: quia ratione ætatis nondum perfectæ, & turbatæ paſſionũ illecebris ac tumultibus, nequeunt firmum ſerenumque iudicium ferre de rebus ad mores ſpectantibus. Accedit, quòd iuxta eumdem Ariſtotelem 1 *Ethic. cap.* 1. Simpliciũ, Alexandrũ, & Averroèm *initio Phyſic.* multa in Philoſophia Morali præſupponantur ſpectantia ad Philoſophiam Naturalem: vt, quid ſit anima, quales ipſius potentiæ, ſenſus, & operationes. Neque enim poſſumus rectè mentem dirigere ad debitum finem, & frænare ab inordinatis affectibus, niſi ipſius naturam, potentias, & operandi modũ antea perſpectum habeamus; quod certè ſubſidio Naturalis Philoſophiæ adquiritur.

59 *IAM*, Quod attinet ad Metaphyſicam, hæc omnium poſtrema cenſeri debet, quotquot humani ingenii viribus comparantur. Id planè tradit Avicenna *lib.* 1. *ſuæ Metaph. cap.* 3. D. Thomas 1. *contra Gent. cap.* 4. aliique complures. Et meritò quidē; quia naturæ ordo exigit, vt res magis abſtruſæ, & à ſenſib' remotiores, vltimo loco addiſcantur. Manifeſtum verò eſt, res quas Metaphyſica ſpeculatur, eſſe magis abſtruſas, & à ſenſibus remotiores cæteris, quæ ad ſcientias humani ingenii viribus comparabiles ſpectant. Propterea enim Metaphyſica appellatur, quia tranſnaturalium rerum, & ſenſibilia quæque ſuperexcedentium, arcanis explorãdis incumbit: vt teſtatur Ariſtot. 1. *Metaph. cap.* 2. *&* 1. *de partibus Animal. c.* 5. Ideo etiam cæteræ diſciplinæ quaſi gradũ faciunt, & mentem præparant ad diviniorum rerum notitiam, quæ per Metaphyſicã comparatur: vt propterea Ariſtoteles ipſe, & ex eo alii, Metaphyſicam *Theologiæ* appellatione dignati ſint. Nonnulla quæ doctrinæ hucuſque traditæ videntur obſtare, obvia ſunt apud nonnullos Recentiorum, & præſertim Conimbricenſes in *Proœmio Phyſicæ q.* 5. *art.* 2. *&* 3.

DIS-

IN LIBRVM PRIMVM PHYSICORVM.

ARISTOTELES Tria præſtat in hoc libro. Primò tradit ordinem, methodumq́ue procedendi in hac ſcientiâ: circa quod iam nonnulla dedimus diſputatione præcedēti. Secūdò inquirit quot & quænam ſint principia entis naturalis, tam in fieri, quàm in facto eſſe; variaſque circa id opiniones Veterum Philoſophorum refert, & impugnat. Tertiò demū propriam opinionem ſtatuit, probat, & confirmat; interea deſcendens ad exponendum plura principijs entium naturalium convenientia. Supra quæ omnia, prætermiſsis aliquibus levioris notæ, aut breviter indicatis, omnes, aut ferè omnes præcipuas diſputationes excitabimus; id ipſum obſervantes in reliquo Philoſophiæ progreſſu.

DISPVTATIO SECVNDA.

DE PRINCIPIJS ENTIS NATVRALIS. Quod & quænam ſint?

Num. 1. *DISPVTATIONE præcedenti ſtatuimus, ens naturale, ſive mobile, eſſe obiectum Phyſiologiæ. Cùm verò qualibet diſciplina in id primò incubat, vt examinet principia, cauſas, & naturam ſui obiecti, rectè ab omnibus in ipſo Phyſicæ veſtibulo hæc controverſia excitatur, quâ inquiritur, quot & quænam ſint principia entis naturalis. Habet verò locum præſens diſputatio toto ferè* lib. 1. præſertim cap. 5. 6. & 7.

SECTIO PRIMA.

Prænotatis quibuſdam, referuntur Authorum opiniones.

ENS Naturale in præſenti non accipitur vt contrapoſitum enti ſupernaturali. Sub hac enim antitheſi comprehendit ſubſtantias ſeparatas, ſcillicet, Angelos, qui certè non ſunt obiectum Phyſicæ, nec ſubiectum huius diſputationis. Sumitur ergo nunc pro ſubſtantiâ compoſitâ ex materia & forma, habenteque eſſe mobile, & tranſmutabile medio motu phyſico. Poteſt verò conſiderari ens naturale prout *in fieri*, & ſtatu imperfecto viæ, vel *in facto* eſſe & ſtatu perfecto quietis. Priori ſenſu ſolùm importat ipſum *fieri*, ſive prout generatio eſt, ſive prout mutatio quædam eſt. Quod ab Authoribus communiter præmiſſum, præ oculis habere oportet, ad ſervandam conſequentiam doctrinæ. Poſteriori conſideratione eſt idem ac compoſitū naturale permanens. Vtroque ſenſu quærimus quot & quæ ſint eius principia prima. Quæ definit Ariſtoteles *capit.* 5. huius libri paulò poſt initium, dum ait: δεῖ γὰρ τὰς ἀρχὰς μήτε ἐξ ἀλλήλων εἶναι, μήτε ἐξ ἄλλων· καὶ ἐκ τούτων πάντα. *principia enim, neque ex ſeſe mutuò, neque ex alijs, & ex ipſis omnia eſſe oportet.* Hanc ipſam fere primorum principiorum

rum deſinitionem priùs tradiderat Plato in Phædro, inquiens: *Principium verò ſine ortu eſt. ex principio enim neceſſe eſt quidquid generatur oriri: ipſum autem ex nullo.* Et Cicero in Ariſtotelis operibus evolvendis verſatiſsimus, *QQ. Tuſculan.* 3., iiſdem ferè verbis, *Principij*, inquit, *nulla eſt origo. nam ex principio oriuntur omnia: ipſum autem ex re nullà naſci poteſt.* Sed neque hoc nomine principij nis modo primum principium rerũ omnium ſimpliciter tale, quod eſt Deus, tam in ratione efficientis, quam finis. Diſceptatio itaque eſt de principijs primis infra Deum, quot & quænam ſint.

3 *VARIÆ* circa hoc fuerũt Philoſophorum Veterum opiniones, ab Ariſtotele relatæ & reiectæ. Parmenides enim & Meliſſus vnicum rerum naturalium principium ſtatuebant, illudque Immobile; eo tamen diſcrimine, vt prior finitum, poſterior infinitum exiſtimaverit. Verum eos ignoro, putavit Ariſtoteles, quibuſcũ diſceptarent Philoſophi, quòd auſi ſint negare & de medio tollere principia per ſe nota & evidentia in Naturali Philoſophia. Etenim principium, & id cuius principium eſt, debere eſſe res diſtinctas, manifeſtum eſt: cùm nihil poſsit eſſe principium ſui ipſius. At ſi vnicum eſſet omnium rerum principium, nulla eſſet diſtinctio rei à ſuo principio. Nó enim ſuperadderet res aliquid vltra id principium. nam ſi aliquid ſuperaddit, hoc ipſum erit principium eius, atque adeo non erit vnicum principium, ſed plura. Manifeſtum eſt igitur rerum omnium non eſſe principium vnicum. Deinde evidens eſt, res naturales ſubire aſsiduam viciſsitudinem, moveri, alterari, generari, & corrumpi. quod tamen non ita fieret, ſi conſtarent vnico principio Immobili. Sunt tamen qui Meliſſum interpretentur de principio primo effectivo rerum omnium, ſcilicet, Deo. Quod ſi voluit, recte ipſius vnitatem & immobilitatem expreſsit. Sed in præſenti non agimus de primo principio extrinſeco & efficiente.

4 *ALII* Philoſophorum cùm viderent res naturales in aſsiduo ferè motu eſſe, agnoverunt planè illas non conſtare principio aliquo immobili, ſed variabili. quod aliquorum opinione erat ignis, vel aqua; aliorum vero terra, aut aër. Præter id verò exigebant contrarietatem raritatis & denſitatis. ratione cuius ex illo vno principio res diverſæ generarentur. Quidam vero alij non vnum eorum, ſed plura ſimul, & invicem contraria, ſtatuebant; quæ continerẽtur in quodam infinito receptaculo, ab iis appellato *Chaos*: in quo Empedocles aſſerebat eſſe quatuor elementa, veluti in quodã primo principio. Anaxagoras vero & Anaximander, non tam ipſum chaos, quam infinitas particulas rerum omnium, puta, carnis, oſsium, ſanguinis, pituitæ, &c. indiviſibiles, & propterea atomos appellatas, in ipſoque chao contentas, principia rerum exiſtimarunt. At priores illorum reijciuntur: Quia prima entis naturalis principia debent eo ipſo eſſe ſimplicia, & compoſitionis ſubſtantialis expertia. Atqui elementa omnia & ſingula non ſunt ſimplicia, nec ſubſtantialis compoſitionis expertia: cùm conſtent materia & forma ſubſtantiali. Ergo neq; omnia, neque ſingula illorum ſunt prima entis naturalis principia. Poſteriores vero, præterquam quod delirare videntur in illo chao, nec oculis; nec ratione comprobato, ſed prorſus ficto, reijciuntur: tum, quia quælibet particula elementorum eſt compoſita, & verum elementum, vtpote pars illius homogenea; atque adeo impotens habere rationem primi principij: tum etiam, quia ex puris indiviſibilibus nequit reſultare aliquod extenſum & diviſibile, qualia ſunt mixta omnia; vt latius demonſtrabitur *libr.* 6.

5 *QVARE* omiſsis his alijſque Veterum opinionibus, ſeu potius ſomnijs, ſententia Ariſtotelis eſt pluribus locis huius primi libri, præcipue *cap.* 3. *&* 7. principia entis naturalis *in fieri* eſſe tria; privationem, materiam, & formam; in facto eſſe autem, duo tantùm, materiam & formam. Vnde textu 67. inter alia inquit: *Διὸ ἔστι μὲν ὡς δύο λεκτέον εἶναι τὰς ἀρχάς, ἔστι δ' ὡς τρεῖς· καὶ ἔστι μὲν ὡς τἀναντία. Quapropter ipſa principia, tum duo, tum tria dicenda ſunt: & tum contraria.* Nomine autem trium principiorum ipſe exprimit & enumerat privationem, materiam, & formam, quæ habent rationem principij entis naturalis *in fieri*, ſive generationis ipſius, prout quædã mutatio eſt. Quælibet enim mutatio, eſt tranſitus ſubiecti de vno termino, ſive ſtatu, in alium: ac proinde mutatio ſimplex ſubſtantialis, de qua in præſenti, eſt ſimplex tranſitus ſubiecti de nõ eſſe ſubſtantialis formæ, ad eſſe ſubſtantialis formæ: atque adeò ex parte termini *à quo* importat non eſſe, ſeu privationẽ formæ; ex parte termini *ad quem*, formam ipſam. & ex parte ſubiecti materiam: quibus completur ternarius numerus principiorũ. Nomine autem duorum coprehendit materiam & formam, quæ ſunt principia entis naturalis in facto eſſe. Etenim idem Philoſophus *cap.* 6. agens de numero principiorum

BIBLIOTECA NAZ. ROMA EMANUELE

cti, ſivè materiæ, à *non eſſe* ad eſſe ſubſtantiale. Ergo neque eſſe, néque intelligi poteſt, non intellecta ex parte termini *a quo* priuatione, quæ eſt ipſum non eſſe; & ſubiecto recipiente eamdem mutationē, quod eſt materia; & termino *ad quem* eiuſdem mutationis, qui eſt ſubſtantialis forma.

9 *DICES*: Hac ratione etiam agens, quatenus activè mutans ſubiectum, erit recenſendum inter principia entis naturalis prout *in fieri*: quia nequit intelligi, aut eſſe mutatio, niſi ab aliquo activè mutante. *RESP*. negando conſequentiam: quia in præſenti non accipimus mutationem activè ſumptam, quo ſenſu importat actionem; ſed formaliter ſolùm, prout eſt tranſitus ſubiecti à non eſſe formæ ad eſſe formæ. quo ſenſu tantùm importat, veluti principia ſui, privationem, materiam, & formā. Ex eodē capite repellitur forma corrupta, quia quòd illa præceſſerit in materiâ, ſivè ſubiecto mutationis ſubſtantialis, eſt quid præſuppoſitum, & de materiali ſe habens ad mutationem. Pone enim quod multorū opinione poſsibile eſt, nimirum, materiam priùs extitiſſe abſque omni forma. Certè tunc ſi Deus in ea & ex ea produceret ſubſtantialem formam, eſſet vera & ſubſtantialis mutatio abſque eo, quòd præceſsiſſet forma corrupta: quia eſſet tranſitus materiæ a non eſſe ad eſſe formæ ſubſtantialis. Ergo forma corrupta non requiritur per ſe & eſſentialiter ad ſubſtantialem mutationem. Imo neque ad mutationem determinatam generationis animalis v.g. aut cadaveris: quia abſolutè fieri poteſt a Deo, vt in materia præexiſtente induc[illegible]atur, ex eaque educatur forma animalis, quin præcedat forma embryonis; & ſimiliter forma cadaveris, non præcedente forma animalis; cùm in hoc nulla repugnantia eſſentialis ſit. Ergo neque ad determinatam mutationem earum generationum prærequiritur eſſentialiter forma corrupta ſecundùm ſpeciem determinatam. Quod quia non obſervarunt Recentiores aliqui, immeritò principijs entis naturalis prout *in fieri* annumerarunt formam corruptam, ſaltim pro determinatis generationibus. [illegible] argumenta præterire viſum, quoniam ex modò dictis corruunt.

10 *INSTABIS*. Etiam poteſt dari determinata generatio formæ in materiâ, & ex materiâ, quin præceſſerit in eà priuatio aliqua formæ. Ergo quemadmodum ex hac ratione excludimus formām corruptam à numero principiorum entis naturalis prout *in fieri*, etiam privationem excludere debemus. Conſequentia patet, & antecedens probatur: Tum quia probabile eſt primas formas cœlorum & elementorum fuiſſe eductas ex materià, aut ſaltim potuiſſe educi, ac per conſequens generari; cùm tamen in materià illa non præceſſerit privatio alicuius formæ: Tum etiam notiſsimo illo experimento ſpecierum Sacramentalium, vbi ex eàrum corruptione generatur forma vermis in materia eodem inſtanti productà iuxta frequentiorem Theologorum opinionem, atque adeo minimè præexiſtente ſub aliqua privatione formæ.

11 *RESPONDENT* Conimbricenſes *lib. 1. Phyſic. c. 9. q. 5. art. 2.* Eximius Suarez *tom. 1. Metaph. diſp. 15. ſect. 3.* alijque plures, in primà rerum generatione conponi cum coexiſtentia materiæ & formæ pro eodem inſtanti reali prioritatem naturæ in materia ante formam pro alio naturæ poſteriori eductam. In eo autem naturæ priori ſufficientem eſſe locum privationi primæ formæ, vt ipſa privatio ſit generationis principium. Quæ doctrina conſequēter adaptari poteſt generationi vermis ex ſpeciebus Sacramentalibus.

12 *SED* Contra I. Aliud enim eſt quòd materia pro priori naturæ ad primam formam ab eà præſcindat: aliud verò quòd in eo cauſalitatis ſigno verè afficiatur privatione eiuſdem formæ. Primum quidem eſt verum: quia hoc ipſo quòd materia formā primam natura & cauſalitate antevertat, eſt locus vt pro illo priori intellectus cum fundamēto ex parte obiecti concipiat materiam nondum intellectà forma. Secundum verò eſt planè falſum: Quia in eodem inſtanti reali, etiam ſecundùm diverſas prioritates, & conſiderationes diviſo, nequeunt coexiſtere forma, & privatio formæ; cùm eſſentialiter opponantur inter ſe. At in illo inſtanti reali primæ generationis exiſtit forma. Ergo adhuc ſecundùm diverſas prioritates, vel conſiderationes, nequit exiſtere in illo inſtanti in materia eiuſdem formæ privatio. *Contrà II.* Aut relati Authores loquuntur de privatione reali & vera; aut ſolùm de ficta, & merè apprehenſa ab intellectu, ſaltim cum fundamento ex parte obiecti? Si primum; planè ſequitur, veram ac realem privationem formæ exiſtere ſimul in eodem inſtanti cum ipſa formà: quod tamen eſt contra illud notiſsimum principium: *Impoſsibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe*. Si ſecundum dicant; manifeſtè colligitur, privationem per ſe loquendo non eſſe realiter principium generationis; ſed ficte & penes apprehenſionem tantū: quia

quod

quod realiter non eſt, nequit eſſe principiũ generationis realiter. *Contrà III.* Si quidquã enim prodeſt Adverſariorum ſolutio, evincit non modò in primâ rerum generatione, ſed etiam in ſubſequentibus, privationem non realem & antecedentem in materia, ſed fictam & exiſtentem ſolùm in illâ pro priori naturæ ad formam, eſſe principium generationis: quia ſicut in primâ generatione, ita etiam in ſequentibus materia pro aliquo priori naturæ & cauſalitatis antecedit formam. Ergo in omni generatione materia pro illo priori naturæ erit ſub privatione eiuſdem formæ. Cumque hæc privatio nequeat eſſe realiter talis, ſed ſolùm ficta & in apprehenſione, vt probatum eſt; ſit conſequens, aliquid purè fictum & apprehenſum, eſſe principium phyſicæ generationis: qui planè eſt error in Philoſophia nul tus, & contrarius Ariſtoteli, qui in præſenti agit ſolùm de principijs realiter intrantibus ens naturale.

13 *IDEO* Alij reſpondent, in materiâ pro priori ad formam primò productã eſſe carentiam idemtitatis cum formâ, quę quidem carentia eſt privatio vera, ac proinde idoneum naturalis generationis principium. *SED Contrà I.* Carentia namque idemtitatis cum forma nequit in materiâ eſſe vera privatio. Ergo permiſſo gratis, carentiam illam idemtitatis eſſe principium generationis, non ideo habetur privationẽ aliquam eſſe generationis principium. Cõſequentia liquet. Antecedens verò probatur. Privatio enim vera eſt carentia alicuius prædicati in ſubiecto apto nato ad habendum illud. At carentia idemtitatis cum forma non eſt in materia carentia alicuius prædicati in ſubiecto apto nato ad habendum illud: quippe materia capax nõn eſt, ſed incapax ad habendam idemtitatem cum formâ. Igitur carentia idemtitatis cũ forma nequit in materiâ eſſe vera privatio. *Contrà II.* Privatio illa ſolùm poſſet aſsignari tamquam principium, quæ habet rationẽ termini *à quo* incompoſsibilis cum termino *ad quem* generatio tẽdit. At privatio ſumpta pro carentiâ idemtitatis materiæ cum formâ, non habet ratione termini *à quo* incompoſsibilis cum termino *ad quem* generatio tendit: quia carentia illa permanet ſimul cum productione & exiſtentia formæ, ad quam generatio terminatur. Ergo privatio ſumpta pro carentia idemtitatis materiæ cum formâ, non poteſt aſsignari tamquam principium generationis. *Contrà III.* Si propterea privatio eſt principium entis naturalis prout *in fieri*, ſeu generationis, etiam primæ, quia carentia idẽtitatis materiæ cum forma datur in omni generatione; etiam reſpectu entis naturalis *in facto eſſe* privatio, ſeu carentia eadem idemtitatis erit principium; quia talis carentia idemtitatis etiam permanet *in facto eſſe*. At neq; relati Authores, neque quiſquam alius, dicunt privationem carentiamve idemtitatis materiæ cum formâ eſſe principium entis naturalis *in facto eſſe*. Ergo neque privatio ſeu carentia idemtitatis materiæ cum formâ eſt principium entis naturalis prout *in fieri*, ſeu generationis, præſertim primæ. *Contrà IV.* Si carentia idemtitatis materiæ cum formâ eſſet principium generationis diſtinctum ab ipsâ materia; etiam carentia idemtitatis formæ cum materiâ eſſet principium generationis diſtinctum ab ipſa forma. Vtraque enim carentia idemtitatis requiritur eſſentialiter ad cõſtitutionem entis naturalis; ac proinde vel vtraq; vel neutra debet eſſe illius principiũ prout *in fieri*. At carentia idemtitatis formæ cum materiâ non eſt principium generationis, adhuc iuxta Authores relatos. Ergo neque carentia idemtitatis materiæ cum forma. *Contrà vltimò*, & à priori: Quia carentia idemtitatis vnius cum alio non conſtituit rationem formalem diſtinctam ab eius eſſentia, quatenus entitas & vnitas poſitiva eſt: vt carẽtia *perſeitatis* non eſt ratio formalis diſtincta ab eſſentiâ accidentis; nec carentia hinnibilitatis eſt formalis ratio diſtincta, aut ponens in numero ſupra eſſentiam hominis; ac ſic de alijs. Ergo neque carentia idẽtitatis cum formâ eſt ratio formalis diſtincta ab eſſentiâ materiæ, aut ponens in numero cum illâ: ac proinde nequit formaliter conſtituere diſtinctum principium generationis.

14 *ALII* Denique, quia exiſtimant primas formas ſubſtantiales non fuiſſe productas per generationem, eductionemve, ſed concreatas ad creationem totius, facilè ſibi videntur occurrere argumento prælato, negando eſſe generationem aliquam, cui non præſupponatur privatio in materiâ. Nam omnis generatio præſupponit primã productionem, ac proinde materiã ſub formâ præcedenti, & privatione ſubſequentis formæ. Inde autem evincitur, omnem generationem, vt generatio eſt formaliter, præſupponere privationem aliquam, tamquam verum principium, licet privatio non ſit principium creationis.

15 *SED Contrà I.* Dato enim de facto primas formas non fuiſſe eductas de potentia materiæ, ſeu, quod perinde eſt, non

fuiſſe

fuiſſe genitas, ſed tantùm côcreatas ad creationem totius (cuius tamen oppoſitum ſatis probabile eſt) negari non poteſt eaſdem formas potuiſſe, ſaltim ſecundùm poteſtatem Dei abſolutam, educi, ac proinde generari verè; præſuppoſitâ ſolùm materia pro priori naturę abſque vlla reali ac verâ privatione alicuius formæ. In hoc enim nulla apparet repugnantia; ſicut nec in eo quòd in primo inſtanti creationis Angeli, animæve rationalis, Deus educat gratiam habitualem ex potentia obedientiali ſubiecti, præſuppoſitâ pro aliquo priori naturæ; ſine aliqua vera carentia, aut privatione gratiæ. Et tamen non præſupponeret veram privationem, vt principium ipſius. Igitur privatio non eſt principium generationis, vt generatio eſt. *Contrà II.* In ſententia eorumdem Authorum potuit mundus abſolutè creari ab æterno, etiam quò ad entia ſucceſsiva, ac proinde quò ad ſeriem generationum. Aſſumamus ergo generationem aliquam ab æterno poſitam, & apparebit planè ad illam non præſupponi alicuius formæ privationem; quia rei æternæ à parte antè nihil præſupponitur ſecundùm durationem. Ergo privatio non eſt principium neceſſarium generationis, vt generatio eſt. Aliàs omni generationi entis naturalis, etiã æternæ, præſupponetur. *Contrà III.* Quando ex corruptione ſpecierum ſacramentalium reſultat vermis, ille verè ac propriè generatur. nec enim veroſimile eſt illum propriè creari; cùm poſt primam rerum productionem nihil præter animam rationalem ſtrictè creaverit Deus, & fruſtra ipſi ſoli adſcribatur, quod connaturaliter a creatura fieri poteſt. At tũc nulla præcedit privatio in materiâ. Ergo datur vera generatio, quin præcedat vlla privatio in materiâ. *P*robatur minor ſupponendo frequentem opinionem, quâ negatur, quantitatem Euchariſticam in eo eventu gerere vices materiæ primæ, & aſſentus quantitatẽ ipſam converti in materiam primam, ex quâ præſuppoſitâ ſolùm pro aliquo priori naturæ educitur, ac proinde generatur forma vermis. At eo ipſo nulla præcedit privatio formæ vermis in materiâ, nec ante inſtans illius generationis, in quo materia nondum exiſtit; neque in eodem inſtanti generationis, cùm impoſsibile ſit formam & illius privationem coëxiſtere, vt ſupra demonſtratum eſt. Ergo in eo eventu nulla præcedit privatio formæ in materiâ: ac proinde immeritò deſcribitur privatio inter principia neceſſaria generationis, vt generatio eſt.

16 *QVARE* ſuper eſt dicendum, omiſſis aliorum ſolutionibus, quando dicimus privationem eſſe principium eſſentialiter præſuppoſitum ex parte termini *à quo* ad ens naturale prout *in fieri*, non eſſe ſermonem de ipſo *fieri* ſub ratione generationis, ſed mutationis tantum. Itaque generatio entis naturalis, vt generatio eſt, non prę requirit eſſentialiter & indiſpenſabiliter privationem in materiâ, vt evincitur planè in obiectione; ſed tantùm vt mutatio eſt. Sub hac enim conſideratione, cùm ſit eſſentialiter tranſitus materiæ de non eſſe ad eſſe formæ, neceſſario præ requirit in materiâ privationem eiuſdem formæ, vt terminum *à quo*. Quare in ijs caſibus primæ productionis cœlorum, & vermis ex ſpeciebus ſacramentalibus, nô datur mutatio, ſed ſimplex generatio, ſive eductio formæ ex præſuppoſito ſubiecto pro priori naturæ: propterea que tunc ſolum concurrunt duo principia intrinſeca, modo explicato; ſcilicèt, materia; vt ſubiectum *ex quo*, & forma vt terminus *ad quem* ſimplex illa generatio tendit.

17 *INFERTVR I.* Ex tribus principijs iam enumeratis entis naturalis prout *in fieri*, ſive ſub ratione mutationis; ſolum ſecundum, id eſt, materiam, ſe habere per modum principij influentis in aliquo genere cauſalitatis intrinſecæ. Id patet: quia ex duobus alijs privatio nullam cauſalitatem præſtare poteſt, cùm non ſit ens: forma autem nequit exhibere cauſalitatem informativam reſpectu mutationis, cùm in ea non recipiatur, ſed tãtum ſit terminus *ad quem*; nêc recipiat in ſe mutationem ipſam: quia hoc ſolum præſtatur à materia. Ergo cùm non ſit aliud genus intrinſecæ cauſalitatis, quàm receptio & informatio, ſola materia illam exhibet per modum ſubiecti recipientis in ſubſtãtialem mutationem, ſive in ipſum *fieri* entis naturalis ſub ratione mutationis.

18 *INFERTVR. II.* Philoſophum meritò docuiſſe *hoc lib. capit.* 3. *&* 7. privationem eſſe principium per accidens: quia licèt ad *fieri* entis naturalis in vi mutationis præſupponatur privatio formæ in materiâ per ſe loquendo, & tamquam terminus *à quo*; non tamen ad illud ſub ratione generationis, niſi per accidens. Quippę opinione Ariſtotelis formę cœleſtes non habuerunt eſſe per creationem, cùm vix vnquam ille creationis ſtrictæ meminerit, vt oſtendemus *lib.* 8. ſed per eductionẽ, & ſimplicem generationem; quæ certè nullam præſuppoſuit privationem in materiâ cœleſti; vtpote coævâ ſuæ formæ. Igitur ratio-

ni eſſentiali generationis accidit privatio. Quare generatio in communi, & prout abſtrahit a mutatione, ſolum eſt productio formæ dependenter a ſubiecto præſuppoſito in fieri & eſſe: prout verò habet rationẽ mutationis, eſſentialiter & per ſe præſupponit privationem formæ in materia, vt terminum *à quo*.

SECTIO TERTIA.

Quo ſenſu communis ſententia ſit falſa, & ab Ariſtotele aliena?

19 SIT II. Aſſertio. Si ſermo ſit de principijs intrinſecè componentibus, vt plerique Authores videntur loqui, nec privatio, nec materia, nec forma, ſunt principia intrinſeca entis naturalis *in fieri*.

PROBATVR Aſſertum vniverſim, ſive quo ad omnes partes. Nam ens naturale prout *in fieri* nihil aliud eſt, quam ipſum *fieri*, ſeu generatio entis naturalis, ſive prout generatio, ſive prout quædam mutatio eſt, vt omnes loquuntur in præſenti. At neque privatio, neque materia, neque forma, ſunt principium intrinſecè componens ipſum *fieri* entis naturalis, ſive prout habet rationem generationis, ſive mutationis. Ergo neque privatio, neque materia, nec forma ſunt principium componens intrinſecè ens naturale *in fieri*. Maior cum conſequentia liquet. Minor probatur: Quia ſive *fieri* ipſum accipiatur in ratione generationis, ſive etiã in mutationis, eſt entitas quædam ſimplex & accidens viale carẽs omni phyſica compoſitione, præſertim ex materia & forma ſubſtantiali, & aliunde multo magis ex privatione, quæ præ ijs duabus inepta eſt ad componendum intrinſecè aliquod tertium reale. Solùm itaque *fieri* entis naturalis, ſive ſub ratione generationis, ſive mutationis, eſt capax metaphyſicæ cõpoſitionis ex genere & differentià, ſicut quodlibet aliud ſimplex accidens; non verò alicuius phyſicæ compoſitionis ex materià & forma, velut ex principijs intrinſecè componẽtibus. id enim proprium ſubſtantiæ totalis eſt.

20 *DEINDE* ſpeciatim ſuadetur quò ad ſingula membra; & primò quãtum ad privationem. Omne quod componit aliquid intrinſecè per modum principij, debet intrinſecè & realiter in eo exiſtere & permanẽre. Sed privatio nequit exiſtere intrinſecè & realiter, aut permanere *in fieri*, ſeu generatione entis naturalis, adhuc ſub ratione mutationis. Ergo privatio nequit componere intrinſecè per modũ principij ipſum *fieri*, ſeu generationem entis naturalis, adhuc ſub ratione mutationis. Maior conſtat: Quia omne quod componit aliquid intrinſecè per modum principij debet eſſe pars illius intrinſeca; omnis autem pars intrinſeca debet exiſtere & permanere intra proprium compoſitum. Minor autem probatur. *Fieri* enim, ſeu generatio entis naturalis, adhuc ſub ratione mutationis, vnico inſtanti durat, in eoque coexiſtit formę productæ per generationẽ; cùm omnis generatio ſubſtantialis fiat in inſtanti. Ergo privatio eiuſdem formæ non exiſtit intrinſecè ac realiter, aut permanet *in fieri*, ſeu generatione entis naturalis, adhuc ſub ratione mutationis. Alias in eodem inſtanti ſimul & realiter eſſent intra ſubiectum forma & illius privatio. quod neceſſariò colligi & abſurdiſsimum eſſe, conſtat ex pluribus, quæ iam propoſuimus. Quò ad ſecundam verò partem Aſſerti, quæ eſt de materià, facilè evincitur: Quia licet *fieri* entis naturalis accipiatur ſub ratione mutationis, nequit componi ex ſubiecto, tamquam ex principio intrinſeco: Tum, quia nullum ſubiectum eſt pars intrinſecè componens actionem, vel mutationem; cùm ſubiectum ſit ſubſtãtia, actio autem & mutatio ſit verum accidens. Tum etiam, quia neque in entibus ſucceſsivis, quorum compoſitio minus ſtricta eſt, motus localis componitur ex ſubiecto mobili, tamquam ex principio intrinſeco; neque alteratio ex ſubiecto quod alteratur; neque actio aliqua, etiam vitalis, ex ſubiecto ſe movente per illam; quamquam hoc reſpectu actionis vitalis intrinſecum principium appelletur & ſit, quia illã intra ſe recipit. Similiter & forma ſubſtantialis licèt intrinſecè recipiatur in materià, non ideo illam intrinſecè componit; quia componere intrinſecè eſt proprium partis, formá autem non eſt pars, ſed actus materiæ. Ergo ſimiliter, & potiori ratione, licèt *fieri*, ſeu generatio entis naturalis, etiam in vi mutationis, recipiatur intrinſecè in materià, vt ſubiecto mobili, non ideo ex illà intrinſecè componitur.

21 Iam verò tertia pars, quæ eſt de formà ſubſtantiali, ſuadetur multipliciter. *Primò*: Quia nulla actio, ſeu mutatio, ſecundùm rem accidentalis, componitur intrinſecè ex termino ſecundùm rem ſubſtantiali. Sed *fieri* entis naturalis eſt actio, ſeu mutatio ſecundùm rem accidentalis. Ergo *fieri* entis naturalis non componitur intrinſecè ex formà, quæ ſecũdùm rem terminus ſubſtantialis eſt. *Secundò*. Quia omnis actio & mu-

mutatio eſt prior naturâ ſuo termino, ſive quia illud cauſat, ſive quia conſtituit ſubiectum pro aliquo priori naturæ in viâ ad terminum. Ergo omnis actio & mutatio pro aliquo priori naturæ præſupponitur adæquatè & intrinſecè conſtituta ante adventum ſui termini. Igitur repugnat, quod aliqua actio, vel mutatio, intrinſecè, ſeu adæquatè, ſeu inadæquatè, ex ſuo termino intrinſecè conſtituatur. *Tertiò*: Nulla actio & mutatio, & generatim nullum ens, intelligitur in recto adæquatè & intrinſecè conſtitutum, antequam intelligatur principium illud ex quo intrinſecè componitur. Sed omnis actio & mutatio intelligitur adæquatè, & intrinſecè conſtituta in recto; antequam intelligatur terminus, vel forma producta. Ergo nulla actio vel mutatio componitur intrinſecè ex termino, vel formâ productâ. *Quartò*: Nullus motus ſucceſsivus componitur intrinſecè ex termino, ſeu vbicatione, ad quam tendit: ſed hęc tantùm eſt effectus, vel terminus motus præſuppoſiti iam adæquatè & intrinſecè conſtituti. Ergo ſimiliter, ac potiori ratione, nulla mutatio inſtãtanea componitur intrinſecè ex termino, ſive forma, ad quam tendit; ſed hæc tantũ erit effectus, ſeu terminus mutationis, pro priori aliquo in recto, & intrinſecè conſtitutæ. *Quintò*: vbi primùm intelligitur forma, ſeu terminus mutationis in ſe ipſo, ceſſat *fieri*, & ſuccedit *factum eſſe* entis naturalis. Ergo impoſsibile eſt formam eſſe principium intrinſecum, & intrinſecè componens ipſum *fieri*. Patet conſequentia: Quia impoſsibile eſt formam eſſe principium intrinſecum illius rei, quæ ceſſat eadem forma adveniente; aut intrinſecè componere illum ſtatum, qui per adventum ipſius formæ deſtruitur.

22 *TERTIO* & ſingillatim id ipſum probatur de privatione, argumento communi, quod tamen ſpeciatim vrgere, & multipliciter confirmare oportet. Etenim omnia principia entis naturalis ab Ariſtotele definita & annumerata, debent eſſe ipſi intrinſeca. Alias etiam cauſa efficiens & finis, illorum numero accẽſenda eſſent, cùm verè ſint principia entis naturalis, ſi non officit ijs quod extrinſeca ſint. Sed privatio nõ eſt quid intrinſecum enti naturali prout *in fieri*. Ergo neque cenſeri debet inter principia entis naturalis ab Ariſtotele definita & annumerata. Probatur minor. Privatio enim nullam rem naturalem intrinſecè componit, neque vlli eius parti intrinſecè ineſt. Ergo non eſt quid intrinſecum enti naturali prout *in fieri*. Conſequentia patet: Quia omne quod eſt intrinſecum enti naturali prout *in fieri*, ſeu quacumque aliâ ratione, debet intrinſecè illud componere, aut ſaltim alicui eius parti ineſſe intrinſecè. Antecedens verò quò ad priorem partem evidens eſt: Quia omne ens naturale ſolùm componitur intrinſecè ex ijs, quibus conſtituitur in ratione entis naturalis. Nihil autẽ conſtituitur in ratione entis naturalis per privationem, quæ totius entitatis naturalis carentia eſt. Iam poſterior illa antecedentis eiuſdem pars probatur: Quoniam privatio formæ genitę, de quà eſt diſsidium, non ineſt intrinſecè eidem formæ genitæ; cùm impoſsibilis ſit coexiſtentia privationis & formæ. Aliunde nec coëxiſtit materiæ: quia quando materia eſt pars entis naturalis *in fieri*, ſeu in inſtanti reali generationis, iam exiſtit altera pars, quæ eſt forma; ac proinde iam in materiâ non exiſtit privatio eiuſdem formæ. Ergo cùm partes intrinſecæ entis naturalis ſolùm ſint materia & forma nulli parti entis naturalis intrinſecè ineſt privatio.

23 *RESPONDEBIS I.* Privationem eſſe principium intrinſecum entis naturalis; quia licèt non componat illud intrinſecè, neque inſit alicui eius parti intrinſecè in inſtanti generationis, nihilominus ante illud inſtans immediatè ineſt materiæ diſpoſitæ ad formam ſtatim introducendam, & interim eà privatę. Id autem ſufficere, vt privatio cenſeatur principium intrinſecum entis naturalis prout *in fieri*, ſeu generationis eiuſdem ſub ratione mutationis quia mutatio vt mutatio intrinſecè claudit privationem antecedentem, vt terminum *à quo*, & formam noviter introductam vt terminum *ad quem*, ac materiam vt ſubiectum commune vtriuſque. Quæ ſolutio eſt communis.

24 *SED* Contra illam vrget, privationem non poſſe eſſe principium intrinſecum entis naturalis in aliquo inſtanti; aut ſigno: ſcilicet, neque quando eſt privatio, neque quando iam non eſt, neque quando concipitur in via, ſeu in ipſo tranſitu. Ergo nullo modo privatio poteſt eſſe entis naturalis principium intrinſecum. Antecedens, tribus partibus conſtans, quò ad primam probatur. Chimericum enim eſt privationem in eo inſtanti quo exiſtit principiare intrinſecè ens naturale: nam quoties vnum principiat (liceat ita loqui ob inopiam vocum) intrinſecè alterum, debet eſſe in rerũ natura res ab eo intrinſecè principiata: ſicut quoties vnum cauſat intrinſecè aliud, debet eſſe in rerum natura effectus ab eo

cauſatus intrinſecè. *Par* enim eſt quantùm ad hoc ratio principij & cauſæ, ſi vtrumq; intrinſecũ ſupponatur, vt in præſenti. Sed quando exiſtit privatio, nondum exiſtit ens naturale prout *in fieri*, ſeu generatio illius, adhuc ſub ratione mutationis: quia mutatio coëxiſtit realiter formæ recens productæ, forma autem realiter non coexiſtit privationi ipſius, vt iam probatum eſt. Ergo privatio quando exiſtit non principiat intrinſecè ens naturale *in fieri*, ſive ſub ratione mutationis. Quò ad II. partem probatur idem antecedens. Principium enim intrinſecum alicuius rei, tunc exercet ſuu munus, quando illam intrinſecè componit At privatio quando iam non eſt, nequit ens naturale prout *in fieri*, ſive ſub ratione mutationis, intrinſecè componere. Ergo privatio quando iam non eſt, nequit exercere ratione principij entis naturalis prout *in fieri*, ſeu ſub ratione mutationis. Maior patet: Quia de ratione principij intrinſeci, ſub munere & ratione talis, eſt intrinſecè componere. Minor probatur: Quoniã componere intrinſecè eſt ſimul cum alio extremo intrinſeco poni ad conſtituendũ aliquod tertium. At privatio quando iam non eſt nequit cum alio extremo intrinſeco poni ad conſtituendum aliquod tertiũ, nempe ens naturale *in fieri*, ſive ſub ratione mutationis. Ergo privatio quando iam non eſt, nequit componere intrinſecè ens naturale prout *in fieri*, ſeu ſub ratione mutationis.

25 *Confirm. I.* Hæc probatio. Omne enim prædicatum principiandi, ſeu componendi, & præſertim intrinſecè, ſequitur ad eſſe intrinſecum principiantis, vel componentis intrinſecè. Ergo quando privatio iam intrinſecè non eſt, nequit intrinſecè principiare, aut cõponere. *Confirm. II.* Nullum ens poſitivum principiat componitve intrinſecè, niſi quando eſſe ipſius poſitivũ in rerum natura exiſtit. Ergo & nulla privatio intrinſecè principiat, componitve, niſi quãdo eius eſſe privativum, ſeu veriùs non eſſe, in rerum natura exiſtit eo modo, quo privatio exiſtere poteſt. *Confirm. III.* Commune namque axioma eſt, non verificari propoſitiones de ſecũdo adiacẽte, niſi etiã propoſitiones de ſecundo adiacente verificentur. Vnde ſi hæc non verificatur, *Petrus eſt*; neque etiam vera erit iſta, *Petrus eſt doctus*. Ergo ſimiliter, quia quando privatio iam non exiſtit, hæc propoſitio non verificatur, *Privatio eſt*; neque etiam verificabitur iſta, *Privatio eſt principium*. Ergo privatio quando iam non eſt, nequit principiare ens naturale. *Confirm. IV.* Si privatio quando iam non eſt principiaret ens naturale, verificarentur de illa ſimul duo contradictoria; ſcilicet, ſimul eſſe & non eſſe. Sequela probatur. Etenim hoc ipſo quod iam adeſt inſtans generationis, verificatur illam non eſſe, vt patet. Aliunde in eo inſtanti verificabitur illam eſſe, quia verificabitur illam in eo inſtanti eſſe principium, & maximè principium intrinſecum. Nequit autem eſſe principium, & maximè intrinſecum, in aliquo inſtanti, quod in eo inſtanti non eſt. Ergo verificabitur ſimul eſſe & non eſſe privationem.

26 IAM vero tertia illa antecedentis pars, qua aſſumitur, privationem non poſſe principiare ens naturale, quando concipitur in via, ſeu in ipſo tranſitu mutationis ſubſtantialis, facilè extorquetur: Quia privationem eſſe tunc in via, ſeu in tranſitu, aut importat privationem eſſe in eo inſtanti, ita tamen vt futura non ſit in inſtanti ſequenti; aut importat privationem iam non eſſe tunc, ſed immediatè antea fuiſſe; aut denique indicat eſſe quidem privationem pro aliquo priori naturæ intra illud inſtans, ita vt in alio poſteriori naturæ iam non ſit. Si primum dicatur, vrgent probationes primæ partis antecedentis, quibus oſtenſum eſt privationem in eo inſtanti, in quo eſt, non poſſe principiare ens naturale *in fieri*, ſeu generationem ipſius, etiam prout mutatio eſt. Si ſecundum dicatur, vrgent probationes, & confirmationes ſecundæ partis eiuſdem antecedentis, quibus demonſtratum eſt non poſſe privationem principiare in eo inſtanti, in quo iam non eſt. Si denique aſſeratur tertium; planè ſequitur privationem realem, ac veram, intra idem inſtans reale coexiſtere formæ quã privat. Sequela patet. Nam illud inſtans reale amplectitur vtrumque ſignum naturæ, prius, ſcilicèt, & poſterius. Sed in priori ſigno naturæ aſſeris eſſe privationem formæ; in poſteriori autem negare non potes exiſtere formam. Ergo intra idem inſtans reale pro diverſis naturæ ſignis erit ſimul forma, & privatio formæ. Cumque hoc ſit impoſſibile, dicendum eſt privationem nullatenus eſſe principium entis naturalis prout *in fieri*, ſeu generationis ipſius, adhuc prout mutatio eſt.

27 *RESPONDEBIS II.* Ex doctrinà quorundam Recentiorum, privationem eſſe principium generationis, illamque cõponere ſub ratione mutationis, pro eo inſtanti in quo privatio eſt. Quod exponunt, notando mutationem eſſe quoddam ſuc-

ſucceſsivum, compoſitum ex partibus inſœderabilibus; nimirum, ex privatione inchoante, & formâ finiente: ſicut tempus, quod eſt totū aliquod ſucceſsivum, intrinſecè componitur ex partibus inſociabilibus; ſcilicet, ex parte præteritâ, & futurâ, quæ ſibi invicem coexiſtere nequeunt, & annus componitur ex duodecim menſibus; quorum primus dum exiſtit, inchoat annum; & vltimus, etiam dum exiſtit, eumdem annū terminat; quin tamen primus, & vltimus menſis ſibi coexiſtant. Similiter ergo licèt privatio & forma nequeant invicē coexiſtere, potuerunt ambæ intrinſecè componere mutationem ſucceſsivam; privatio quidem in ſe exiſtens, tamquam initium; forma vero, etiam in ſe exiſtens, inſtar termini mutationis.

28 *SED Contrà I.* Mutatio enim, de qua in præſenti loquimur, non eſt ſucceſsiva, ſed inſtantanea: vtpotè eadem realiter cum generatione ſubſtantiali, quæ tota eſt in inſtanti. Ergo quidquid illam intrinſecè conſtituit debet in inſtanti generationis exiſtere in ſeipſo; quamquam non omne quod conſtituit motū ſucceſsivum debeat in ſeipſo exiſtere in quolibet inſtanti motus. Sed privatio non exiſtit in ipſo inſtanti generationis, vt patet. Ergo privatio nequit intrinſecè componere mutationem, de quâ in præſenti loquimur. Vnde exemplum in favorem ſolutionis adductū, videtur omnino extra rem. *Contrà II.* Et, permiſſo quodammodo exemplo ad vim argumenti, nequit incipere mutatio generationis ſubſtantialis, niſi incipiat tranſitus ſubiecti à termino *à quo*, ad terminum *ad quem*. Sed in eo inſtanti, in quo eſt privatio, nequit incipere tranſitus ſubiecti à termino *à quo* ad terminum *ad quem*. Ergo in eo inſtanti, in quo eſt privatio, nequit incipere mutatio generationis ſubſtantialis. Conſequentia manifeſtè deducitur. Maior probatur: Quia mutatio non importat in recto terminum *à quo*, ſed tranſitum ab illo ad terminum *ad quem*. Solūm namque importat mutatio in recto id, cum quo identificatur. Non identificatur autem cum termino *à quo*, ſed cum tranſitu; quia mutatio non eſt privatio, ſed quidam tranſitus à privatione ad formam. Ergo mutatio non importat in recto terminum *à quo*, ſed tranſitum. Ergo nequit incipere mutatio generationis ſubſtantialis, niſi incipiat tranſitus ſubiecti à termino *à quo* in terminum *ad quem*.

29 *IAM* Minor illa præcipua, ſcilicet, in eo inſtanti, in quo eſt privatio, nondum incipere tranſitum ſubiecti à termino *à quo* in terminum ad quem, probatur multipliciter. *Primò*: Quia dum ſubiectum adhuc eſt ſub termino *à quo*, nondum intelligitur initium motus: ſiquidem motus ſemper, & ab initio ſui, importat negationem termini *à quo*. Quod facilè intelligetur exēplo motus ſucceſsivi & localis. Sit Ioannes in puncto A. alicuius lineæ, & velit progredi ad punctum D. Punctum A. erit terminus *à quo* motus; punctum verò D. terminus *ad quem*. Tum ſic. Per hoc præcisè quòd Ioannes ſit in puncto A. nondum intelligitur initium motus, neque vbicatio illa permanens in puncto A. poteſt cōponere motum eſſentialiter ſucceſsivum. Et tamen punctum A. eſt terminus *à quo* ſucceſsivi motus. Ergo dum ſubiectum adhuc eſt ſub termino *à quo*, nondum intelligitur initiū motus. Ergo dum in ſubiecto exiſtit privatio, vt terminus *à quo* mutationis ſubſtantialis, nequit incipere tranſitus, ſeu mutatio ſubſtantialis ſubiecti à termino *à quo*, in terminum *ad quem*. *Secundò* probatur eadem minor principalis. Impoſsibile eſt enim incipere tranſitum, ſeu mutationem, niſi ſimul ſubiectum incipiat moveri: quia impoſsibile eſt formam incipere eſſe in aliquo ſubiecto capaci, quin ſubiectum ſimul incipiat recipere effectum formalem: mutatio autem, ſeu tranſitus eſt forma intrinſecè denominans ſubiectum motum. At in eo inſtanti *in quo* eſt privatio, vt terminus *à quo*, non incipit ſubiectum moveri ad terminum ad quem; ſicut in inſtanti quo mobile in exemplo nuper adducto, antequam progrediatur, eſt in puncto A. vt termino *à quo* motus localis, nondum mobile incipit moveri, ſed adhuc quieſcit. Ergo in eo inſtanti quo exiſtit ſubiectum ſub privatione, vt termino *à quo*, impoſsibile eſt incipere tranſitum, ſeu mutationem ſubſtantialem. *Tertiò* probatur eadem minor, &, vt videtur, vrgentiſsimè. In eo inſtanti in quo eſt privatio, non exiſtit realiter aliquid purè coexiſtens formæ de novo productæ; ſicut neque in illo inſtanti quo eſt privatio, exiſtit forma de novo producta; cùm privatio & forma coexiſtere nequeant. Sed tranſitus, ſeu mutatio eſt quid purè coexiſtens formæ de novo productæ: quia ille tranſitus, ſeu mutatio, eſt reipſa indiviſibilis, & vnico inſtanti perficitur, in eoque ponit formam reipſa exiſtentem. Ergo in inſtanti quo eſt privatio, non exiſtit tranſitus, ſeu ſubſtantialis mutatio ſubiecti. *Quartò* probatur eadem minor ab inſtantiâ formarum naturalium, & ſupernaturalium. In inſtanti enim

quo exiſtit privatio formę cadaveris in materiâ, non incipit tranſitus, ſeu mutatio coexiſtens formæ cadaveris; & in inſtanti quo privatio gratiæ eſt in animâ, nondum incipit motus contritionis ad gratiâ. Alias enim, cùm privatio formæ cadaveris in omni inſtanti in quo eſt, coexiſtat formæ viventis; & mutatio, ſeu tranſitus generationis ad formam cadaveris in omni ſua exiſtentia coexiſtat realiter formæ cadaveris; fieret, materiam ſimul eſſe ſub formâ viventis, & cadaveris, ac proinde idem cōpoſitū naturale eſſe ſimul vivum, ac mortuum, quod repugnat. Similiter, cùm privatio gratiæ in omni inſtanti, in quo eſt, coexiſtat peccato lethali habituali, & aliūde motus contritionis in omni ſui exiſtentiâ coexiſtat realiter gratiæ iuſtificanti; fieret, hominem ſimul eſſe ſupernaturaliter vivum per gratiam, & mortuum per peccatum; quod æquè repugnat. Ergo ſimiliter in inſtanti quo privatio formæ exiſtit in materiâ, non incipit tranſitus, ſeu mutatio, eidem formæ realiter coexiſtens: quia pariter, & non minùs quàm in exemplis prætactis, fieret materiam pro eodem inſtanti eſſe ſimul ſub formâ, & privatione eiuſdē formæ. Non ergo privatio eſt principium intrinſecum illius mutationis, neque componit illam, neque eſt in ſubiecto quando mutatio ipſa, ſeu tranſitus generationis incipit. Aliunde nequit eſſe principium illius mutationis intrinſecum, neque illam componere privatio quando iam non eſt, vt ſuperioribus probatum manet. Ergo de primo ad vltimum nullo ſenſu privatio eſt principium intrinſecè componens generationem, ſeu fieri entis naturalis, adhuc ſub munere mutationis.

30 *IAM* Denique, opinionem ipſam communem eſſe ab Ariſtotele alienam, ſi intelligatur de principiis intrinſecè componentibus, ſivè, quod perinde eſt intrinſecis propriè ac ſimpliciter, prout frequenter loqui ſolent Authores, ſuadetur: Quia cap. 6. huius libri, agens *de numero principiorum ſecundum veritatē* (ſic enim inſcribitur illud caput) ſcilicet, de numero principiorum, quæ ſunt intrinſeca propriè & ſimpliciter, inquit: *Principia verò manere ſemper oportet*. Nimirum, oportet ea permanere ſimul cū eo, cuius principia ſunt, intrinſecè illud componendo. Manifeſtum eſt autem, tum reipſa, tum ex eodem Philoſopho in præſenti, nec privationem manere cum ipſo *fieri* entis naturalis, nec materiam & formam ſimul cum eo perſiſtere, quia adveniente formâ deſinit eſſe ipſum *fieri*, ſicut adveniente termino ceſſat motus. Ergo manifeſtum eſt iuxta ipſum, nec privationem, nec materiam, nec formam, eſſe principia *ſecundum veritatem*, id eſt, intrinſeca propriè & ſimpliciter reſpectu entis naturalis prout *in fieri*. Vnde ſolū ſupereſt, vt iuxta ipſius mentem tria illa ad ſummū ſint principia intrinſeca latè loquendo, & minùs propriè, prout *ſect.* præcedenti explicatum eſt. Nam alioqui, cùm de principijs ſtrictè, & propriè intrinſecis agit, ſolùm duo aſsignat, quæ ſunt materia, & forma; & quidem in ordine ad compoſitum *in facto eſſe*, vt infra *ſect.* 5. oſtendam.

SECTIO QVARTA.

Obiectiones ſpeciales contra noſtram opinionem, ſolutæ.

31 CONTRA Opinionem noſtram, nullam vim habere poſſunt argumenta aliarum, quæ iam ſuperioribus præoccupata ſunt. Adhuc tamen ſpeciatim nonnulla opponi poſſunt pro modo frequentiori exponendi ſententiam Ariſtotelis, præcedenti ſectione reiecto. *PRIMVM*, eſt. Quod privatio & forma coexiſtere nequeant, minime probat vtrāque debere excludi à ratione principij intrinſeci generationis prout quædam mutatio eſt: Quia mutatio, vt mutatio, eſt quoddam totum ſucceſsivum. At totum ſucceſſivum conſtat partibus, ſeu principijs intrinſecè componentibus, quæ tamen nequeunt coexiſtere, vt patet in motu & tempore. Ergo & generatio, vt mutatio, poterit componi ex privatione & formâ, tāquam ex principijs intrinſecè componentibus, quamquam vtraque coexiſtere nequeat. RESP. Negamus aſſumptum, & maiorem ſyllogiſmi. Mutatio namque de quâ loquimur, eſt inſtantanea, & indiviſibilis: ac proinde ſucceſsiva non eſt, nec conſtans partibus, quarum vna poſt aliam ſit. Imò, cum ſit entitas quædam ſimpliciſsima, nullam partium compoſitionem admittit. Permiſſo autem gratis, generationem in vi mutationis cenſeri poſſe ens ſucceſsivum, neutiquam probatur debere conſtitui ex termino *à quo* & *ad quem*: ſicut motus localis, quamquam ſucceſsivus ſit, non componitur ex termino *à quo* & *ad quem*, vt ſuprà *à num.* 20. demonſtratum eſt; ſed ſolùm ex parte præteritâ & futurâ, quatenus præſentibus ratione alicuius indiviſibilis, ſeu *mutati eſſe*. Patet verò ex ſuperioribus, generationem, etiam ſub ra-

tione mutationis, nullam partium compoſitionem admittere.

32 *DICES.* Subiectum mutari eſſentialiter importat tranſitum illius à non eſſe ad eſſe. Sed ſubiectum mutari eſt idem formaliter, ac fieri entis naturalis. Ergo fieri entis naturalis formaliter importat tranſitum ſubiecti a non eſſe ad eſſe. Maior conſtat ex definitione mutationis, quæ, prout accipitur in præſenti, definitur tranſitus ſubiecti de non eſſe ad eſſe. Minor probatur: Quia per hoc ſolùm quòd intelligatur ſubiectum mutari, intelligitur compoſitum *in fieri*. *RESP.* Conceſſa maiore, negando minorem: quia ſubiectum mutari eſt quoddam concretum, ſeu compoſitum accidentale ex materia & mutatione, ac proinde diſtinctum realiter ab ipſo *fieri* entis naturalis tamquam totum à parte, ſeu incluſum ab includente. *Fieri* namque entis naturalis, ſi conſideretur in vi actionis, eſt operatio ſimplex; ſi autem in vi mutationis, eſt ſimplex tranſitus ſubiecti de non eſſe ad eſſe formæ; ac proinde eſt quaſi pars huius concreti, quod eſt *ſubiectum mutari* à non eſſe ad eſſe formæ. Quamvis ergo concretum illud accidentale *ſubiecti mutati* importet intrinſecè materiam, & mutatione͂, non tamen *fieri* entis naturalis, quod ſimplex eſt.

33 *INSTABIS.* Nequit compoſitum *in fieri* intelligi potiùs ſub mutatione, quàm ſub actione, niſi in ipſo *fieri* intelligatur privatio formæ ex parte termini *ad quem*: quia vtroque termino ſecluſo manet ipſum *fieri* in ratione puræ actionis. Ergo nequit compoſitum *in fieri* intelligi potius ſub mutatione, quàm ſub actione, niſi in ipſo *fieri* intelligatur privatio & forma veluti principia intrinſeca.

RESP. Negando conſequentiam: quia vt compoſitum *in fieri* intelligatur ſub mutatione, prout diſtinctà ab actione, ſat eſt ſi neceſſario intelligi & connotari debeat privatio ex parte termini *à quo*, & forma ex parte termini *ad quem*, iuxta dicta *num.* 8. quamquam neutra intrinſecè mutationem conſtituat. Sic etiam ipſum *fieri* ſub ratione actionis nequit exiſtere, aut intelligi, non exiſtente, aut intellecto principio activo, a quo eggreditur, quin propterea per illud intrinſecè conſtituatur.

34 *OBIICIES II.* Compoſitum *in fieri* quò ad intrinſeca idem eſt, ac compoſitum in facto eſſe, ſolùmque diſtinguitur quò ad ſtatum penes viam & terminum: ſicut mobile & quieſcens idem intrinſecè eſt, ſecluſa variatione͂ penes motu͂ & quietem. Ergo iiſdem principiis quò ad intrinſeca conſtat compoſitum *in fieri*, ac *in facto eſſe*. At *in facto eſſe* conſtat materià & formà quo ad intrinſeca, vt diximus Aſſertione IV. & omnes ferè docent. Ergo & *in fieri* quò ad intrinſeca conſtat iiſdem materià & forma.

RESP. Negando maiorem: quia nomine compoſiti *in fieri* nō accipitur in præſenti ipſum compoſitū, quod poſtea reipsa permanet ex materia & forma intrinſecè conſtitutum; ſed ſola mutatio, ſeu ipſum *fieri*, in quantùm eſt tranſitus ab vno termino in alium. Quare *fieri* compoſiti, & compoſitum ipſum permanens, nō ſunt eadem res ſub diverſis ſtatib⁹: ſed habent ſe vt via & terminus adæquatè ab illà diverſus; proindeque habent conſtitutiva intrinſecè & adæquatè diverſa. Quippe intellectà ſolùm mutatione ſubiecti, & connotatis actione ac formà, intelligitur adæquatè ipſum *fieri*.

35 *INSTAS*: Accipiendo nomine compoſiti *in fieri*, non ſolùm mutationem, ſed ipſum ens naturale prout *in fieri*, ſolùm diſtinguitur ex parte ſtatus ab eodem ente naturali prout *in facto eſſe*; non verò quò ad principia intrinſeca. Ergo ſicut materia & forma ſunt principia intrinſeca entis naturalis *in facto* eſſe, ita etiam *in fieri*.

36 *RESP.* Obiectionem in æquivoco laborare. Quando enim agitur non ſolùm de mutatione, ſed de ipſo ente naturali prout *in fieri*, aut eſt ſermo de ſubiecto ſolo mutationis, prout mutationi ſubſtat; & ſic eſt quoddam compoſitum accidentale & viale ex ſola materià & mutatione inſtãtaneà, quamquam præterea connotet formam, vt terminum *ad quem*: aut ſermo eſt non ſolùm de ſubiecto mutationis prout mutationi ſubſtat, ſed etiam de toto compoſito prout ſubſtat mutationi; & tunc negatur ſuppoſitum: quia compoſitum non mutatur, ſed ſolùm producitur. Mutatio namque eſt tranſitus ſubiecti præſuppoſiti ſub privatione ad formam. At compoſitū non eſt ſubiectum præſuppoſitum ſub privatione, vt patet. Ergo compoſitum non mutatur. Ac proinde ſi nomine entis naturalis prout *in fieri*, ſub ratione mutationis, intelligatur ipſum compoſitum, involvitur aperta implicatio in adiecto. Quare abſolutè nego antecedens, quia nomine entis naturalis prout *in fieri* ad ſummum intelligi poteſt materia vt ſubſtat mutationi pro aliquo priori naturæ ad formam; quo ſenſu diſtinguitur a compoſito, pro poſteriori naturæ producto, inadæquatè realiter, ſeu tã-

quam

quam incluſum ab Includente.

DEINDE Retorquetur totum argumētum, quia ſiquid probat, evincit totidem, & non plura, nec pauciora eſſe principia entis naturalis in *facto eſſe*, ac *in fieri*: quod tamen plerique Adverſariorum negant. Aſſumptum probo: Quia iuxta argumenti formam, ens naturale ſub vtroque ſtatu idem eſt intrinſecè, ac proinde totidem principijs intrinſecis conſtare debet.

SECTIO QVINTA.

Quid ſit ſentiendum de principijs in facto eſſe. Corollaria quadam.

37 SIT III. Aſſertio. Abſolute loquendo, principia entis naturalis ſimpliciter talis, ſeu, quod perinde eſt, *in facto eſſe*, ſunt duo tantùm; ſcilicet, materia & forma. Ita Ariſtoteles *cap*. 6. huius libri, vbi & D. Thomas, & cæteri communiter, vno vel alio excepto.

PROBATVR facilè. Illa enim ſolùm aſsignari debent principia entis naturalis ſimpliciter, ſeu in ſuo eſſe conſiderati, quæ ipſum intrinſecè & permanenter componunt. At ſola materia & forma ſunt eiuſmodi. Ergo &c. Maior patet ex toto diſputationis progreſſu, & præſertim ex illis verbis Ariſtotelis ſuprà expenſis: *Principia verò manere ſemper oportet*. Minor ſuadetur: Quia licèt vnio, ſubſiſtentia, aut etiã exiſtentia, componant intrinſecè ens naturale; ſunt modi, ſeu complementa materiæ & formæ, proindeque cum eis non cenſentur ponere in numero ſub ratione principiorum. Sola igitur materia & forma componunt intrinſecè & permanenter compoſitum in facto eſſe; ſcilicet, compoſitione eſſentiali, & ponente in numero ad rationem primi principij. Ex quà doctrinà meliùs occurres argumentis quæ fieri ſolent pro ſubſiſtentià, quàm ſi cum Hurtado dicas, ſubſiſtentiam non componere phyſicè ens naturale, ſed metaphyſicè tantùm, ac proinde non eſſe principium phyſicum. Cōtra enim eſt: quòd compoſitio metaphyſica non eſt realis, adhuc in huius Authoris opinione, vt diximus in Logica. At compoſitio naturæ creatæ cum ſubſiſtentia realis eſt, vtporè inter extrema realiter diſtincta, quorum vnum recipit, & aliud informat. Non ergo eſt compoſitio metaphyſica. Meliùs etiam ſatisfacies, quàm ſi cum Spinula *vbi ſuprà num*. 8. reſpondeas, nomine principiorum ſolùm intelligi illa quæ conſtitutiva ſunt corporis naturalis, & ita, vt ſi vel vnum demas, non maneat còrpus naturale eſſentialiter completum. In oppoſitum enim eſt, quòd hac ratione vnio inter materiam & formam (quam idem Author *diſp*. 4. *ſect*. 3. tuetur realiter diſtinctam ab extremis) haberet rationem principij; quia eſt corporis naturalis conſtitutiva, ita vt ſine illà non maneat completum eſſentialiter. Quare melius dicendum eſt, vt ſuprà, rationem excludendi, tum ſubſiſtentiam, tum & vnionem, à numero principiorum entis naturalis, eſſe, quòd neutra componat per modum partis eſſentialis, & vtraque ſit tantùm modus partium eſſentialium, aut complementum ipſarum, quod proinde cum ijs non ponit in numero ſub ratione principij.

38 *INFERTVR I*. Rectam eſſe definitionem primorum principiorum ab Ariſtotele traditam *cap*. 5. huius libri paulò poſt initium ijs verbis, iam ſuperiùs relatis: *Principia namque, neque ex ſeſe mutuò, neque ex alijs, & ex ipſis omnia eſſe oportet*. Quod totum ſtrictè & ſimpliciter loquendo ſolis principijs intrinſecè componentibus, & verè intrinſecis convenit: nimirum, materiæ, & formæ. nam neque materia fit ex forma, neque forma ex materia, aliove quoquam, veluti ex principio intrinſecè componente. quinimo verò omne ens naturale, ſive natura ſubſtantialiter completà præditum, fit ex vtràque, tamquam ex principio intrinſecè componente. Quo ſenſu plana & vniformis eſt tota definitio tradita, eodemque ſenſu quò ad omnia per eam definita accipitur; cùm tamen non, niſi diverſimodè, inæqualiter, & diſtortè exponi valeat ab ijs, qui privationem ſtrictè in eà cō prehenſam volunt, in conſortio materiæ & formæ. Peccãt deinde ex eo, quod eamdem definitionem, expreſsivam realis entitatis & cōpoſitionis veræ, adaptare ſimpliciter velint enti poſitivo, & non enti, qualis eſt privatio. quibus tamē nihil ſimpliciter commune eſt. Vt omittam, plura entia naturalia eſſe poſſe abſolute, quæ nullam privationem in ſubiecto præſupponãt, ex quà fiant, vt ſuprà oſtenſum eſt; & nulla eſſe quæ ſecum admittãt privationem formæ. quod tamen eſſet neceſſarium, ſi privatio veniret intelligenda nomine principij intrinſeci & ſimpliciter dicti. Quare ſolùm ſupereſt vt privatio accenſeatur numero primorum entium naturalium latè loquēdo, & ſenſu explicato *ſect*. 2. per totam. Etenim neque fit ex materia, neque ex forma, neque ex quoquam alio, veluti ex principio intrinſecè conſtituente, ſed omnia

entia prout *in fieri*, & ſub ratione mutationis, fiunt ex illa, vt ex termino *à quo*.

39 *INFERTVR II.* quid dicendũ ſit circa illam difficultatem, qua inquiritur, an principia entis naturalis ſint invicè contraria? Reſpondetur enim, ſi ſermo ſit de principijs intrinſecè componentibus, ſeu *in facto eſſe*, nullam habere contrarietatem. quod communiter Authores in præſenti docent, probantque: Quia contraria mutuò ſe expellunt. At principia eiuſmodi, nimirum, materia & forma, non ſe expellunt invicẽ, ſed amico nexu copulantur. Non ergo contraria ſunt. Si autem ſermo ſit de principijs entis naturalis prout *in fieri*, iuxta ſenſum explicatum *ſect.* 2. dicendum, privationem & formam eſſe principia contraria, vt omnes in præſenti docent cum Ariſtotele *cap.* 5. & D. Thoma *ibidem*. Privatio enim & forma ita ſunt prima principia entis naturalis *in fieri*, ſive ſub ratione mutationis, vt ſub eà ratione communi primi principij maximè diſtent, & ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellant. quæ eſt definitio contrariorum. Imò cùm iuxta Philoſophum in præſenti *textu* 50. *&* 56. huius libri in quolibet genere detur vna prima contrarietas, & conſequenter aſſignari debeant aliqua prima cõtraria, privatio & forma intra genus primi principij prima contraria cenſeri debẽt. Vide Complutenſes, *diſp.* 2. *q.* 3.

DISPVTATIO TERTIA:

DE MATERIA PRIMA.

An in rerum naturà exiſtat materia prima, à quatuor elementis diſtincta?

Num. 1. *CVM Tria principia prima entis naturalis ſtatuta fuerint, iuxta ſenſum præcedentis diſputationis, nunc ad ſingula examinanda procedimus, inter quæ primum ſibi vendicat locum materia. Et inquirendum accuratiùs ſolito, vtrùm in rerum naturà ſit entitas illa, quam materiam primam appellamus, & exiſtimavimus omnes à quatuor elementis diſtinctam: cuius rei vberiori diſcuſſioni Recentiores aliqui anſam dederunt. Habet porro germanum locum controverſia præſens hoc* libro 1. *Phyſ.* præſertim cap. 6. & 8.

SECTIO PRIMA.

Præmittitur ſententia communis Philoſophorum cum Ariſtotele, & refertur alia ſingularis Recentiorum quorundam.

2 EXISTERE In rerum naturà materiam primam, quæ appelletur & ſit primum ſubiectum, ex quo ens naturale fiat, & intrinſecè componatur, ſupponit Ariſtoteles *lib.* 1. *Phyſicorum ferè per totum*, præſertim *cap.* 6. *&* 8. *vbi textu* 82. illam definit his verbis: *λέγω γὰρ ὕλην, τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ, ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος μὴ κατὰ συμβεβηκός. Materiam enim dico id, quod eſt primum vniuſcuiuſque ſubiectum, è quo quippiam eo ſit pacto, vt non ſecundùm accidens inſit*. Id ipſum D. Thomas iiſdem locis & vbique ferè ſupponit explicatque, & cum ipſo Philoſophi, tum Veteres, tum Recentiores in præſenti, ac Theologi 1. *part. q.* 66. *art.* 4. Similiterque Scholaſtici cum Magiſtro *in* 2. *diſt.* 12. & SS. *Patres*, vt Baſilius & Ambroſius *in Hexaëmeron*, Damaſcenus *in Phyſicis cap.* 3. Auguſtinus, Chryſoſtomus, & Beda, quos allegat Maſius hic *cap.* 9. *ſect.* 2. *q.* 1. Ex Philoſophis Gentilibus id ipſum tradunt, veluti rem indubiam, Plato *in Timæo*, Plotinus *libr.* 4. *Enneadis ſecundæ cap.* 6. Averroës 4. *Phyſic. comment.* 38. *&* 8. *Metaph. comm.* 12.

VLTERIVS Idem Ariſtoteles, & cum eo cæteri Philoſophi in prædicta loca, ſtatuunt, materiam primam, quæ in rerum naturà exiſtit, ita eſſe primum ſubiectum ex quo fit ens naturale, vt ſit omninò ſimplex, & quavis compoſitione carens; ex quà vt parte materiali, & formà vt parte formali, compoſitum ſubſtantiale intrinſecè conſtituitur. Hoc tradiderant huc uſque Philoſophi omnes, & ſuppoſuerant Theologi, tantà ſcholarum conſenſione, vt in eo probando nemo tempus impenderet, aut vires ingenij exacueret.

3 *CÆTERVM*, Vt varia hominum ingenia ſunt, non defuere hoc ipſo ſæculo

qui

qui prædictam doctrinam, antiquitate ipſâ venerabilem, & quaſi iure præſcriptionis munitam, longo ætatum decurſu, reijcere, & è Scholis proſcribere auderent. Nam Gomezius Pereira in ſuâ Antonianâ Margaritâ abſolutè cenſet, in rerum naturâ non exiſtere materiam primam à Philoſopho traditam, & ab alijs communiter ſuppoſitã; in idemque inclinat Torrejon *diſp. vnicâ de elementis*, & nonnulli alij Recentiorum. Id ipſum noviter, & aliquantò diverſimodè, docet illuſtratque Doctor Ludov. Rodriguez, Primarius Medicinæ Anteceſſor iam Emeritus in hac Salmanticenſi Academiâ, & Philoſophus celeberrimus, in ſelectis *diſput. 5.* vbi negat exiſtere hanc materiã primam ab alijs omnibus traditam; & pluribus ſuadere conatur, ſubiectum aptiſsimum cuiuſque formæ ſubſtantialis mixti perfecti eſſe ipſa quatuor elementa inter ſe per mixta, ex quibus, non quidem corruptis, ſed alteratis ſolùm, & retractis quò ad qualitates proprias, coaleſcit materia prima, ex quâ fiunt omnes generationes mixtorũ. Eamdem opinionem probatam fuiſſe aſſerit, & pluribus confirmatam ab Illuſtriſs. & RR. D. Magiſtro D. Fr. Didaco de Sylva, tunc Noſtri Collegij D. VINCENTII Studiorũ Regente, poſtea Generali Congregationis Benedictinæ Hiſpano-Anglicæ, ac Theologo, & Concionatore Regio, nunc Accitano Epiſcopo, & fœtu plurium voluminum celebri. Quamvis nimium dubitem, doctiſſimum Magiſtrum in eâ aliquando fuiſſe ſententiâ, ſaltim vt modò propoſita eſt. Nam cùm triennio integro ipſum è cathedrâ docentem audierim eo ipſo tempore, quo Regens huius Collegij erat, omneſque ferè ipſius opiniones perſpectas habuerim, nihil vnquam de hac, vel leviter ab eo percepi, nec loquentem de materiâ primâ, niſi iuxta Ariſtotelis doctrinam notavi. Aſſerit deinde, Sapientiſsimum P. Fr. Dominicum à S. Thereſia, evulgatis voluminibꝰ PP. Carmelitarum Salmanticenſium in *Primam Secundæ* vbique notum, aſſeruiſſe, niſi in contrarium eſſet Ariſtoteles, D. Thomas, omneſque Theologi ac Philoſophi, ſe libenter huic opinioni adhæſurum. Quod tamen, an ſolius vrbanitatis Academicæ cauſa dictum, an ſeria approbatione ſententiæ adeò exoticæ, dubitare meritò poſsis. Quidquid tamẽ ſit de defenſoribus eius opinionis, in præſenti pro doctrinâ Ariſtotelis ac D. Thomæ, omniumque aliorum Philoſophorum decertandum eſt: ac primò quidem vniverſim probanda exiſtẽtia materiæ primæ ab Ariſtotele traditæ in præſenti: deinde ſtatuẽdum multipliciter, illam eſſe quid ab elementis diſtinctum.

SECTIO SECVNDA.

Demonſtratur multipliciter exiſtentia materiæ primæ, & præoccupantur evaſiones Recentiorum, ſive abſolutè negantium illam, ſive aſſerentium eſſe indiſtinctam ab elementis.

4 MATERIAM Primam abſolutè in rerum naturâ exiſtere, multipliciter demonſtrari poteſt. PRIMO Ratione Ariſtotelis lib. 1. Phyſic. cap. 8. quam ſub hac forma propono: Ad ſenſum enim patet quotidiano experimento multiplex generatio & corruptio: cùm videamus animalia & plantas naſci, ac mori, manente ſemper aliquo ex ijs, quæ fuerant in compoſito præcedente. Palam enim eſt, moriente animali non perire quidquid in eo eſt, ſed aliquid permanere in cadavere. Hoc autem impoſsibile eſſet, niſi exiſteret aliquod ſubiectum commune formis genitæ, & corruptæ, quod materia prima appellatur & eſt. Exiſtit ergo in rerum naturâ aliquod ſubiectum commune formis genitæ, & corruptæ, quod materia prima appellatur & eſt. Probatur minor I. Si enim in ijs mutationibus non perſiſtat ſubiectum aliquod commune formis genitæ & corruptæ, nihil aliud eſt, quod perſiſtere poſſe videatur. Non enim forma compoſiti præcedentis, quæ perijt, aut ſeparata eſt: non etiam vnio materiæ & formæ, quæ ſoluta eſt per mortem: non accidentia eiuſdem compoſiti ſeparata ab omni ſubiecto; cùm id ſit naturaliter impoſsibile. Ergo moriente animali nihil poſſet permanere in cadavere, vt oculis cernitur, niſi in eo perſiſteret aliquod ſubiectum cõmune formis genitæ & corruptæ, quod materia prima appellatur & eſt. II. Suadetur eadem minor diſcurſu eiuſdem Ariſtotelis loco allegato. Hoc ipſo quòd in ijs mutationibus non perſiſtat ſubiectum aliquod commune formis genitæ & corruptæ, tollitur de medio omnis generatio, & corruptio, ſolumque adſtruitur vera creatio & annihilatio, contra evidentiam intellectus, & manifeſtam ſenſuum experientiã, quâ percipimus animalia & plantas naſci & mori, ac proinde generari & corrumpi. Sequelam probo. Hoc ipſo quòd res aliqua ita incipiat eſſe, vt nihil omnino illius præſupponatur, aut ita deſinat, vt nihil eius relinquatur, non fit aut deſtruitur per generationem aut corruptionem; ſed per creatio-

tionem aut annihilationẽ. At eo ipſo quòd in prædictis mutationibus non perſiſtat ſubiectũ aliquod commune formis, quodlibet totũ ita fiet, vt nihil eius omnino præſupponatur, & ita deſinet, vt nihil ipſius relinquatur. non enim forma, quæ incipit, aut perit; neque accidentia, quæ incipiente ſubiecto incipiunt, & deſinẽte pereunt. Ergo eo ipſo quodlibet totum non generabitur aut corrumpetur, ſed creabitur, & annihilabitur. *CONFIRMATVR.* Creatio eſt productio rei ex nullo ſubiecto præſuppoſito; annihilatio autem illius deſtructio, nullo ſubiecto remanente. At ſi in rerum naturâ non exiſtit cõmune ſubiectum formarum, quod materiam primam appellamus, forma cuiuslibet compoſiti naturalis producetur ex nullo ſubiecto præſuppoſito, ac deſtruetur nullo ſubiecto remanẽte. neque enim illud eſſe poteſt aliud præter id, quod materiam primam appellamus. Ergo eo ipſo quælibet forma compoſiti naturalis producetur per creationem, & deſtruetur per annihilationem. Vnde infertur, nec equum generari ab alio equo; nec plantam à planta, ſed creari, contra evidentiam ſenſuum, & rationis, quæ vim creandi ſoli Deo adſcribit: ſimiliterque colligitur nullum equum mori, aut plantam interire, ſed annihilari, & quidem ab agente creato; cui tamen repugnat deſtruere aliquid per verã annihilationem, ſicut & producere per veram creationem.

5 *RESPONDEBIS* ex Gomezio Pereyra apud Arriagã *diſp.2 Phyſica ſect.1. num.4.* nullum eſſe inconveniẽs in eo quòd equus per veram creationem producat aliũ equũ, aut cauſa creata deſtruat aliquid per veram annihilationem. Eâ autem ſtatutâ tollitur de medio neceſsitas materiæ primæ, ſive ſubiecti præſuppoſiti ad omnem generationem. Quam ſolutionem Arriaga loco allegato inquit, non facilè poſſe redargui. Imò & poſtea *diſp.11. à num.97.* ex parte illam tuetur dum aſſerit, vim creandi poſſe abſolutè competere creaturis: idq; adhuc recentius tuetur Lalemandetus *in Metaph. diſp.12. part.3. à num.17.* contendens, poſſe cauſam ſecundam creare & annihilare. Imò & (quod fortaſſe miraberis) ita de facto evenire contendunt aliqui Recentiores cum Galilæo inſigni Mathematico, & Gaſpare Berto, nobili Romano, apud Sancta-Crucium *diſp.3. in lib.3. de Animâ, à num.625.* idque experimentis mirabilibus probare pergunt. Si enim tubus vitreus oblongus ex vnâ parte, & obturatus ex altera, impleatur Mercurio, ſeu argento vivo, quod vulgò *azogue* dicimus; & erectus ſecundùm partem apertam, ſed digito appoſito clauſam, immergatur alteri portioni Mercurij contentæ in vaſe ibidem ſubiecto, & aquâ ſuperfuſæ; tunc amoto digito ab orificio tubi, Mercurius contentus in tubo deſcendit, & ex parte cadit in vaſe, deinde poſt deſcenſum aliquantulũ aſſurgit, & poſtea deſcendit minus, & minùs reſurgit; donec poſt iteratas aliquot vibrationes deſcenſus & aſcenſus ſemper minores, tandem ſiſtitur & quieſcit in parte tubi inferiori, relicta ſuperiori, & ſeipſo deſtitutâ, & quovis alio corpore quod potuerit ſibi ſuccedere, ac proinde omnino vacuâ. Finge nunc ex ſupremâ tubi parte pendere cãpanulam vitream cum ſuâ vitreâ aut ferreâ lingulâ, & move tubum. *Percipies* profectò tinnitum campanulæ in loco vacuo factũ, quem item videbis pellucidum; & per ipſum notabis quæ circũcirca colorata ſunt. Ergo agentia naturalia producere poſſunt varios effectus extra omne ſubiectum; ac proinde creare lucem, ſonos, & ſpecies eorum ſenſibilium; quia in eo vacuo nullum ſubiectum eſt, in quo eiuſmodi accidentia producantur, ne aër quidem, vt evidenter ab alio quodam & a ſe ipſo demonſtratum inquit relatus Sancta-Crucius. Nulla igitur repugnantia eſt in eo, quòd agentia naturalia producant aliquid, etiam de facto, independenter ab omni ſubiecto: ac per conſequens ex hoc capite neutiquam evincitur neceſsitas, vt exiſtat materia prima, veluti commune ſubiectum actionis cuiuslibet cauſæ ſecundæ.

6 *SED Contrà I.* Hæc enim evaſio, & plura quæ in eâ continentur, ex diametro repugnant SS. Patribus, ſumma conſenſione aſſerentibus, *nullam creaturam poſſe creare quippiam, ſeu magnum, ſive parvum*, vt expreſsè habet S. Auguſtinus *lib.9. in Geneſim cap.15.* Damaſcenus *2. de Fide cap.3.* Athanaſius *ſerm.3.* contra Arianos, pluresque alij, & D. Thomas *1. p. q.45. art.5.* probans id repugnare, adhuc ſecundùm abſolutam Dei potentiam. quod ſaltim loquẽdo de virtute principali; & de facto; nullus vmquam Theologus aut Philoſophus in dubium vocavit. Falſiſsimo igitur, & abſurdiſsimo fundamento nititur aſsignata ſolutio, dum de facto adſcribit cauſis ſecundis virtutem creandi, ſeu producendi independenter à præſuppoſito ſubiecto, vt neget exiſtentiam materiæ primæ, & neceſsitatem alicuius communis ſubiecti. Sed de hoc latiùs proprio loco. *CONTRA II.* Inſtat ratio Ariſtotelis in præſenti *text.33. 34.*

74. & 75. cum priſcis illis Philoſophis, deſumpta ex communi illo axiomate, *Ex nihilo nihil fit*. quod adeò evidens viſum eſt, vt numquam in Ariſtotelis mentem veniſſe poſsibilitatem creationis plures aſſerant. Catholici autem Philoſophi, quibus creatio poſsibilis, & de facto poſita creditur, ita illud axioma ſtatuunt, vt viribus agentis creati nihil fiat ex nihilo, ſolumque poſsit fieri ex nihilo aliquid ab agente infinitæ virtutis, ſicut & ex aliquo purũ nihil. Quod ipſum demonſtrari poteſt breviter hoc diſcurſu. Etenim purum nihil & ens diſtant infinitè; tùm magis diſtent, quàm quælibet duo entia finita, quantumvis diverſa, inter quæ tamen finita diſtantia eſt. Ergo oportet id, quod habet virtutem producendi ex puro nihilo aliquid, aut redigendi aliquid in purum nihil, eſſe virtutis infinitæ: quemadmodum id, quod haberet vim transferẽdi aliquid de loco in locum infinitè diſtantem, deberet eſſe virtutis delativæ infinitæ. At nulla creatura habet virtutem infinitam; cùm omnis natura & virtus creata, ſaltim de facto exiſtens, ſit eſſentialiter finita. Ergo nulla natura creata habet virtutem producendi ex puro nihilo aliquid, aut redigendi aliquid in purum nihil. Omnis ergo natura creata ſolùm habet vim ad producendũ ex aliquo præſuppoſito ſubiecto, & ad deſtruendum remanente aliquo communi ſubiecto, quod materiam primam appellamus: ac proinde neceſſariò exiſtit in natura rerum materia prima. *Confirmatur* hæc impugnatio. Lumine enim naturæ innoteſcit, nullum agens creatum poſſe agere in diſtans, ſed tantùm circa paſſum ſibi approximatum. Ergo multò minùs poteſt agere, niſi circa illud, cuius materia in rerum naturâ exiſtit. Nam ſi in rerum naturâ non exiſtit materia, circa quam operetur; neque etiam exiſtet forma (non loquor de animâ rationali ſeparata) neque aliquod accidens vtriuſque. Nihil ergo exiſtet approximatum agenti naturali, in quod agere poſsit. Cùm ergo ad ſenſum pateat, naturalia agentia paſsim agere in aliud, patet ſimiliter in paſſo exiſtere materiam aliquam approximatam agenti, in quam & agere poſsit, & formam inducere, & accidentia. CONTRA III. Quidquid enim ſit de poſsibili, loquendo tamẽ de facto ingens temeritas apparet concedere agenti creato virtutem creandi, & annihilandi, maximè in genere cauſę principalis, vt indicatur in ſolutione præiactâ, & opus eſt in eâ intelligere, vt ad rem ſit. Argumentum enim noſtrum procedit de productione vnius equi præſtitâ ab alio in genere cauſæ principalis, ac proinde exigẽte materiam primam, ex qua vnus equus generet alium equum. Ergo ſi in ea ſolutione negatur materiæ primæ neceſsitas, vt equus in genere cauſæ principalis producat alium equum, etiam in genere cauſæ principalis tribuitur equo vera creatio. Hæc enim eſt productio rei ex nullo præſuppoſito ſubiecto. *CONTRA IV.* Permiſſo enim gratis, quòd aliqua creatura de facto exiſtens habeat vim creandi in genere cauſæ principalis, quamquam alioqui falſiſsimo & abſurdiſsimo; adhuc evidens eſt lumine naturæ, & ſacris litteris ſæpiſsimè traditum, hominem ab homine generari, equum ab equo, alitem ab alite. Ergo ex iiſdem principijs conſtat, ſaltim in ijs generationibus exiſtere aliquod ſubiectũ commune, ſeu materiam primam, quæ tranſeat de vna forma ad aliam: quia ſine præſuppoſitione communis ſubiecti nequit exiſtere vera generatio, ſed ſolùm creatio.

7 *VNDE* Corruunt omnia, quæ in ſolutione præiactâ ab alijs traduntur, & plura ex ijs vltrò data Adverſarijs, ac minimè concesſa, non enervant vim argumẽti quod proſequimur; ſicut neque experimentum illud in tubo vivi argenti pleno; quod, ſicut non evincit exiſtentiam vacui, ſic neque productionis independentis a ſubiecto præſtitæ ab agente creato. Dicimus enim, vbi Mercurius deſcendit ex ſuperiori parte tubi vitrei, ſpatium illud deſertum ab argento vivo ſtatim impleri aère ſubintrante per poros eiuſdem argenti; aut inter ſuperficiem eiuſdem & tubi vitrei interiectos: eadem certè ratione, ac in amphorã aquâ plenam intrat aèr ad impediendum vacuum, vbi illa deorſum convertitur, & per anguſtum os fundit aquam. Quod & in eodem tubo vitreo evidentiùs apparebit, aquâ pleno, & vnico impetu deorſum effuſo. Videbitur enim in parte ſuperiori vacuitas derelicta à receſſu aquarum cadentium per orificium, impleta tamen ſubintrante aère ex impetu naturæ, ne detur vacuum. Vndè neutiquam infertur campanulam vitream in ſummo tubi ſonantẽ producere tinnitum extra ſubiectum: tum quia tinnitus ille fit dependenter à præſuppoſito ſubiecto, nimirum, dependenter à duobus ſolidis corporibus inter ſe colliſis, qualia ſunt campanula & eius lingua; tum, quia tinnitus, ſeu ſonus ille recipitur ſtatim in circunſtanti aère eodem modo, ac tinnitus cæteri quorumlibet tintinnabulorum; aut

ſolidorum corporum ſoni; & medio aëre deferuntur eius ſpecies ad aurem: ſicut & ſonus piſcatoris, & vociferantium in littore, & tonitruorum è cœlo, fertur ad piſces mediante aëre & aquis, quibus vndique circumdantur. Non ergo verum eſt, nec veroſimile, agentia creata producere aliquid extra ſubiectum; ac proinde falsò in ſolutione aſſumitur, poſſe illa creare aliquid naturaliter, adhuc in illo experimento, quod mirabile appellant prædicti Authores.

8 *SECVNDO* impugnatur eadem doctrina & denuo præcluditur aſsignata ſolutio. Si enim in deſtructione cuiuslibet cōpoſiti ſubſtantialis non manet aliquod commune ſubiectum, quod materia prima appelletur & ſit; planè ſequitur quod nec in morte hominis maneat. Inde autem per via illatione deducitur, nec in triduo mortis fuiſſe in ſepulchro partem aliquam ſubſtantialem Chriſti, nec poſt obitum ſanctorum hominum ſupereſſe aliquid veneratione dignum: quorum vtrumque eſt manifeſta hæreſis. Sequelam probo quò ad priorem partem: Quia cùm anima Chriſti per mortem ipſius ſeparata fuerit a corpore, illa non manſit cum cadavere triduo illo intra ſepulchrum. Aliunde negatà in Chriſto vivo & mortuo materia primà, nulla ſupereſt pars ſubſtantialis, quæ in ſepulchro manſerit; cùm vltra animam ſola reſtet materia. Nulla ergo pars ſubſtantialis Chriſti manſit triduo illo intra ſepulchrum. Quò ad poſteriorem verò partem probatur eadem ſequela: Quia ſi poſt obitum ſanctorū hominum non ſupereſt ipſorum materia; cùm apud nos nec permaneat forma, nec vnio vtriuſque, nec accidentia in ijs recepta (vtpote quæ deſinente ſubiecto naturaliter deſinunt) nihil tandem manebit, quod cultu & veneratione dignum ſit. Immeritò ergo cadaver Chriſti in triduo, & corpora ac reliquias Sanctorum adoramus. quā illationem nemo ex Catholicis admittet; nemo etiam contrariæ opinionis aſſertor negare poteſt. Sequitur enim.

9 *RESPONDEBIS* pro Authoribus ſententiæ adverſæ[1] negando ſequelā: Quia licèt in reſolutione compoſiti ſubſtātialis non remaneat hæc materia prima, quam Ariſtoteles & cæteri Philoſophi cōmuniter agnoverunt; manet alia indiſtincta ab elementis, & ex illorum permiſtione reſultans. Vnde meritò Chriſti corpus in triduo, & reliquiæ ſanctorum hominum adorantur: quia in ijs poſt obitum manent eadem elementa permiſta, quæ antea in ſtatu vnionis animæ ad corpus habuerant rationem materiæ primæ. Poſito autem quòd eadem materia ab elemētis indiſtincta permaneat, iam verificatur illam ipſam eſſe, aut fuiſſe partem ſubſtantialem Chriſti, ac Sanctorum; & proinde veneratione dignam.

10 *SED Contrà I.* Saltim enim præiacto argumento extorquetur, in rerum naturà exiſtere materiam primam, quæ ſit primum ſubiectum; & pars compoſiti ſubſtantialis: quod abſolutè negaſſe Gomeziū Pereyram, Arriaga loco allegato teſtatur. Habemus ergo vt minimùm, exiſtere in rerum naturà materiam primam: ſolaq; iam diſputatio ſupererit, an illa ſit quid indiſtinctum ab elementis inter ſe permixtis. *CONTRA II.* Poſito enim materiam hominis eſſe indiſtinctam ab elementis, ſequitur idē ferè abſurdum: nimirum, quando corpora Martyrum ab infidelibus cremantur, illorū cineres non eſſe veneratione dignos. Sequelam probo: Quia poſito ſemel materiā hominis eſſe indiſtinctam ab elementis inter ſe permiſtis, contingere poteſt in cineribus Martyrum non permanere elementa, quæ antea erant, & conſtituebant Martyris viuentis materiam. Ergo in cineribus nihil manebit veneratione dignum. Conſequentia patet: Quia ſolùm eſt dignum veneratione illud, quod erat materia, ſivè pars materiæ Martyris dum viveret. Antecedēs verò ſuadetur: Quia poſito ſemel materiā hominis eſſe indiſtinctam ab elementis inter ſe permiſtis, concedi debet illam deſtrui, quando cremantur Martyrum corpora, & convertuntur in ignem: Ad ſenſum enim patet, ſi quid aquæ, ſi quid aëris, ſi quid terræ, imo ſi quid conflatum ex quatuor elementis eſt in corpore Martyris, quod habeat rationem materiæ primæ, totum illud abſumi ab ardentiſsimà pyrà, & in ignem converti. Ergo tunc non manent elementa, quæ antea erant, & conſtituebant Martyris viventis materiam: ac proinde nihil permanet veneratione dignum.

11 *DICES*, permanere adhuc in corporibus Martyrum particulam illam ignis, quæ erat in ijs dum viverent, tamquam vnum ex quatuor elementis, quibus illorū materia conſtabat: ac proinde ſemper ſupereſſe aliquid, quod cultu & veneratione dignum ſit. *SED Contrà I.* Si enim in cineribus Martyrum ſolùm remanēt quarta pars materiæ ipſorum permiſta tribus alijs omnino adventitijs & alienis, non poterimus prudenter adorare cineres illos: Quia quoties ex quatuor partibus alicuius rei vna ſolùm veneratione digna eſt, immeritò to-

[1] *Aguirre Philoſophia.*

ſtum adoratur. Finge enim Sacerdotem pro libito ſolùm velle conſecrare quartam partem deſignatam alicuius hoſtiæ. Tunc non poterit prudenter aut licitè totam hoſtiam adorare, quia tres illius partes nihil veneratione dignum habent; ſed ſolùm quartam illam partem, quam ſcit ſe data opera conſecraſſe. Ergo ſimiliter ſi crematis corporibus Martyrum ſolùm ſupereſt quarta pars illorum, quæ ſpectabat ad ignem, immeritò quis totos illorum cineres adorabit: vtpote in quibus tres partes profanæ, ſeu nullo cultu dignæ erunt. *CONTRA II.* Poteſt enim contingere particulam illam ignis, quæ in Martyrum cineribus manet, converti poſtea in elementum ſymbolum terræ, eâ ſeu facilitate, quâ tria elementa permiſta in corpore Martyris viventis aſſeruntur iuxta ſolutionem aſsignatam converſa in ignem. Facilior enim eſt tranſitus inter elementa ſymbola, quàm diſſymbola, vt ſuppono ex libris de Generatione. Ergo poterit eo deveniri, vt in cineribus Martyrum nihil omnino materiæ, ſeu nulla pars veterum elementorum permaneat. Tres enim partes, vt ſupponis, per combuſtionem ſui abierunt in ignem: ignis deinde tranſivit in terram. Nihil ergo iam in cineribus Martyrum reſtat dignum veneratione & cultu. *CONTRA III.* Cùm enim adeo facilis ſit tranſmutatio vnius elementi in aliud, præſertim ſymbolum, ſaltim poſſemus meritò dubitare, an ignis ille qui aſſeritur ſolus manere ex quatuor elementis in cineribus Martyrum, eſſet iam decurſu temporis in terram converſus: ac proinde cineres non erunt abſolutè adorandi, ſed ſolùm timidè & ſub dubio, aut ex ſuppoſitione quòd in iis perſiſtat aliquid illorum, quæ fuerunt aliquando partes viventis Martyris. quod tamen eſt contra praxim totius Eccleſiæ abſolutè & ſine reſtrictione mentali illos cineres adorantis.

SECTIO TERTIA.

Vrgentur adhuc ſuperiora argumenta, & impugnatur recens opinio, ſtatuens materiam primam eſſe indiſtinctam ab elementis inter ſe permiſtis.

12 ALITER Rationibus hucuſque propoſitis reſponderi poteſt iuxta doctrinam inſignis Philoſophi & Salmātini Anteceſſoris *num.* 3. allegati, nec tolli de medio generationes corruptioneſque, nec impediri debitum cultū cineribus Martyrum, vbi cremantur corpora illorum. Quamvis enim ipſe neutrum ex prædictis argumentis contra ſuam opinionem proponat, doctrinam præſtat, ex qua primus ſaltim vtriuſque impetus haud difficulter retundatur. *Primò* enim ſtatuit in rerum natura exiſtere materiam primam, licèt indiſtinctam à quatuor elementis alteratis & inter ſe permixtis: quo poſito impeditur abſurdum creationis præſtandæ ab agente naturali. Hoc enim ſolùm aget ex præſuppoſito ſubiecto, nimirum, ex præſuppoſitis quatuor elementis, in quibus conſtituit prædictus Author materiam primam, ſeu idoneum, & aptiſsimum, vt ipſe inquit, cuiuſque formæ ſubſtantialis ſubiectum. Poſitâ autem actione productivâ ſolùm ex præſuppoſito ſubſtantialis formæ ſubiecto, nulla creatio ſequitur, ſed ſolùm vera generatio, vt ex ſe patet. Ergo poſita materiâ primà ab elementis indiſtinctà, nulla ſequitur creatio, ſed generatio tantùm: ac proindè adverſus prædictam opinionem nihil convincit prima ratio deſumpta ex Philoſopho. *Secundò* ſupponit contra communem aliorum ſententiā, elemēta eſſe entitates omnino ſimplices, & quavis compoſitione carentes, atque præſuppoſitas ante omnem ſubſtantialem generationem à prima mundi creatione; conſequenterque ingenerabiles & incorruptibiles, & quæ per ſolā creationem fieri poſsint à Deo, ſicut ipſa materia prima in omnium ſententiâ. Similiter ſtatuit, non poſſe vnum elementum converti, ſeu tranſmutari in aliud, ſive ſymbolum, ſive diſsymbolum: quidquid in oppoſitum velit vniverſa ferè Philoſophorum Schola. Iis verò ſuppoſitis, facilè negatur ſequela inferentium tollendas de medio generationes & inducendam creationem: quia numquam eſt locus vt aliquod elemētum producatur àb alio elemento, vel ab agente creato; cùm omne elementum ſit ingenerabile, & ſolùm fieri poſsit per actionem creativam repugnantem creato agēti. Indidem verò ad ſecundum argumentū, facili negotio occurri poteſt aſſerendo, cineres Martyrum eſſe veneratione dignos: quia omnia quatuor elementa, quæ erant in Martyre vivente, & inter ſe permiſta habebant rationem materiæ primæ, perſiſtūt integra & incorrupta in ipſius cineribus, veluti materia prima formæ cineris; ac proinde cultu & veneratione Eccleſiæ digna ſunt. Hoc, inquam, reſponderi poſſet iuxta opinionem præcitati Doctoris: & quidem probabiliter ſatis ac conſequenter, ſi fundamenta, quæ ſupponit, & relatæ hypo-

theſes admittantur. Quare altiùs revocare oportet rationem Ariſtotelis, quam a principio propoſuimus, vt ex fundamentis oppoſitis corruat vtraque ſolutio opinionis adverſæ.

13 *ET* *Prior* quidem multipliciter. *PRIMO*: Omnia quatuor elementa poſſunt ac ſolent produci & deſtrui naturaliter ab agente creato. Sed per te, & iuxta veritatem, materia prima nec deſtrui, nec produci poteſt aut ſolet ab agente creato: cùm ſit ingenerabilis & incorruptibilis, atque adeò producibilis & deſtruibilis per creationem tantùm & annihilationem, quæ nulli agenti creato competere poteſt. Ergo quatuor elemẽta non ſunt idem, quod materia prima. Conſequentia eſt evidens in quarto modo ſecundæ figuræ, & minor ab omnibus recepta, & a te ſtatuta. Maiorem, in qua ſola eſt diſsidium, probo: Quia poteſt agens creatum producere & deſtruere proprietates, ſeu qualitates primas & proprias cuiuſlibet elementi, ac proinde poteſt producere & deſtruere elemẽtum ipſum, quod cum primis qualitatibus neceſſariam connexionem habet. Aſſumptum ſuadetur cõferendo invicem elementa inter ſe. *Poteſt* enim & ſolet aqua frigidiſsima & in magnà quantitate inducere in ignem modicum frigiditatem & humiditatem in ſummo aut prope ſummum, quæ ſunt primæ qualitates propriæ elementi aquæ; & ſimul expellere ab illo calorem ac ſiccitatẽ in ſummo aut prope ſummum, quæ ſunt qualitates primæ ac propriæ ignis. Ergo tunc poteſt aqua deſtruere ignẽ, & ipſum in ſe convertere ac producere.

14 *DICES*, in eo eventu ignem nõ deſtrui ſubſtantialiter, ſed ſolùm alterari accidentaliter ab aquà, quatenus diſsipatur in vapores igneos; vt patet ex fumo tunc generari ſolito in aquis, qui ſubſtantialiter non diſtinguitur ab elemento ignis. *SED Contrà*. Pone enim candelam ardentem nõ mitti in mare deſuper, nec media ſuperficie extima aquarum, vbi in fumum abire poſſet; ſed ab homine per profundum maris natante deferri intra ſphæram vitream; ibidemque, tracto vitro, lucernam ardentẽ ingenti aquarum mole circumdari. Certè tunc ignis, qui in lucerna erat, non evaneſcet in fumum, prohibente id pondere circumdantium aquarum; ſed ſtatim ferè diſſipabitur, & convertetur in aquam. Ergo poteſt elementum aquæ deſtruere elementum ignis, & illud in ſe per veram productione convertere. *RVRSVS*, & vice verſa: *Poteſt* ardẽtiſsimus ignis ac ſolet guttulam aquæ intùs miſſam abſumere, & in propriã ſubſtantiam covertere. neque enim aſsignare potes, quid facta ſit guttula illa, poſtquam in ardentiſsimã pyram proiecta eſt, & ab oculis ſtatim diſparuit. Etenim cum fateaaris ab igne annihilatam non fuiſſe, ſupereſt vt in aliud elementũ prævalens converſa ſit, ac proinde in ignẽ. *DICES*, guttulam abijſſe in exhalationẽ humidam & frigidam, ſeu vaporem, indiſtinctum ſubſtantialiter ab aqua. *SED Contrà*. Pone enim guttulam illam, ſeu arte, ſeu miraculo, mitti intra globum æreum candentẽ, & ab igne vehementiſsimo vallatum, carentemq; orificio, per quod vapores reſpirare poſsint. Tunc certe guttula non poterit in vapores diſſolvi, ſed mediatè aut immediatè in ignẽ abibit. Quod ſic adhuc demonſtrari poteſt: Quia cum frigiditas propria aquæ ſit contraria ſummo calori ignis, & ab eo in intẽſione ac viribus in eo eventu excedatur incomparabiliter, nequit non vinci & corrũpi ab illo. Ergo & aqua ipſa vincitur ac corrumpitur per deſtructionem qualitatis propriæ, & neceſſariò ſecum cõnexæ. Quæ ratio vniverſim demõſtrat, poſita pugna duplicis elementi ſecundùm qualitates cõtrarias, & nimiùm inæquales, poſſe vnum abſumere aliud, & mediatè ſaltim in ſe convertere per veram productionẽ. Ergo cùm materia prima non poſsit abſumi, nec per converſionẽ produci ab agẽte creato; manifeſtè colligitur materiam primam non eſſe elementum, aut conflatum aliquod ex quatuor elementis.

15 *SECVNDO* Et vniverſim impugnatur doctrina illa opinionis contrariæ ratione, quæ ſingula elementa comprehendit. Materia prima nunc exiſtens talis conditionis eſt, vt incorruptibilis ſit. Sed nec omnia, nec ſingula elementa talis conditionis ſunt, vt incorruptibilia ſint. Ergo nec omnia, nec ſingula elementa ſunt materia prima modo exiſtens. Maior non ſolùm conſenſione omnium certa eſt, ſed etiam conceditur ab Adverſario. Minorem in quà ſolà eſt difficultas, probo: Omnia enim & ſingula elementa talis conditionis ſunt, vt alterentur, & variationẽ ſubeant in qualitatibus ipſorum conſervativis. Etenim ignis, quamquã habeat calorẽ & ſiccitatẽ in ſũmo, aut prope ſummũ, humectatur, & infrigidatur ab aquà in ipſũ miſsà. Terrà, licèt ſicca & frigida in ſummo aut prope ſummũ humectatur ab aquà, & calefit à vicino igne. Aèr, licèt calidus prope ſummũ, infrigidatur in ſecundà regione ab aqueis exhalationibus è mari aſcendẽtibus; vnde & nives

parit, & grandines gignit. Aqua, licet frigida in ſummo, aut ſaltim prope ſummum, calefit ab igne, & in lebete approximato igni fervet. Quæ omnia ad ſenſum indicāt, omnia & ſingula elementa talis conditionis eſſe, vt alterationem patiantur in qualitatibus primis ipſorum conſervativis. Ergo pariter omnia & ſingula elementa corruptibilia ſunt. *P*atet conſequentia: Tum quia alteratio qualitatis conſervativæ eſt via ad corruptionem: Tum etiam, quia ideo *Phi*loſophi omnes probant exiſtentiam generationum & corruptionum ſubſtantialium, quia exiſtit alteratio, parās viam ad inductionem vnius formæ, & expulſionem alterius. Igitur, cùm ad ſenſum pateat elemēta paſſim alterari in qualitatib⁹ proprijs & ipſorum conſervativis, patet ſimiliter omnia illa eſſe corruptibilia; ac proinde diſtincta a materià primà, quæ omnium conſenſione prorſus incorruptibilis eſt.

16 *CONFIRMATVR* Impugnatio hæc. Ideo vnum elementum alteratur ab alio ſibi contrario, quia ab illo inducitur in ipſum qualitas prima oppoſita ſuæ primæ qualitati, & prævalens in intenſiori gradu. Neceſſarium enim eſt, vt, pugnante duplici qualitate contrarià, prævaleat quæ intenſior & potentior eſt, atque oppoſitam & inferiorem remittat. Ergo tantus poterit eſſe exceſſus elementi prævalentis, tum quoad intenſionem qualitatis, tū quòad extenſionem quantitatis vndique circūdantis elementum devictum, vt non ſolùm remittat primam illius qualitatem, ſed etiam paulatim diſsipet & abſumat, ac proinde corrumpat ipſum elementum.

17 *CONFIRMATVR II.* Omnis potentia ſuſceptiva contrariorum præternaturaliter ac violenter, eo ipſo eſt corruptibilis. Sed omnia elementa ſunt potentiæ ſuſceptivæ contrariorum præternaturaliter ac violenter. Ergo omnia elementa ſunt corruptibilia; ac proinde diſtincta à materia primà prorſus incorruptibili. Conſequētia eſt in Barbara, & minor evidens ad ſenſum; cùm pateat ignem ſiccum recipere violenter humiditatem, aërem calidum frigiditatem, aquam frigidam calorem, & terram ſiccam humiditatem, quæ proculdubio ſunt qualitates contrariæ. Maior autem probatur. Omnis enim potentia ſuſceptiva connaturaliter vnius contrarij, & alterius violenter, capax eſt vt qualitas contraria ac violenta in quolibet gradu intenſionis, etiam nimium excedente, illam afficiat; ac proinde exturbet ab ea qualitatem ipſius propriam, connaturalemque. Vnde corpora cœleſtia, iuxta communiorē opinionem, quæ illa incorruptibilia ſtatuit, non ſunt ſuſceptiva contrariorum, adhuc præternaturaliter & violenter, quia ſic propriæ ipſorum qualitates alterari, ac ſubinde deſtrui poſſent a qualitate contraria, pugnante in gradu prævalenti. Ergo omnis potentia ſuſceptiva contrariorum præternaturaliter & violenter, eo ipſo eſt corruptibilis. *P*ræterea probatur eadem maior. Nulla potentia ſuſceptiva contrariorum præternaturaliter & violenter, eſt capax habendi ſimul duplicem qualitatem contrariā in gradu intenſo, ſive ſummo: quia contraria in intenſis gradibus ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt. Ergo omnis potētia ſuſceptiva contrariorum præternaturaliter & violenter, ſicut capax eſt qualitatis violentæ in gradu intenſo, ſic etiam capax eſt habendi propriam qualitatem in gradu remiſſo. Ergo capax eſt amittendi gradus aliquos qualitatis propriæ per advētum qualitatis contrariæ ac violentæ. Ergo multo magis capax eſt amittendi gradum illum remiſſum propriæ qualitatis, ad quem iam redacta eſt propter victoriam qualitatis oppoſitæ & prævalentis. nam quæ habens qualitatem propriam intenſam à principio, devicta fuit ab oppoſità qualitate, multò magis ab ea vinci poterit, quando iā habet propriam qualitatem remiſſam. Ergo potentia ſuſceptiva contrariorum præternaturaliter & violenter, capax eſt amittendi penitus propriam qualitatem, ipſius conſervativam. Sed omne quod eſt capax amittendi propriam qualitatem ipſius conſervativam, ex adventu qualitatis contrariæ ac violentæ, eſt corruptibile, vt ex terminis patet. Ergo de primo ad vltimum, omnis potentia ſuſceptiva contrariorum præternaturaliter ac violenter, eſt corruptibilis. Cùm igitur elementa omnia ſint ſuſceptiva contrariorum præternaturaliter ac violenter, vt ſatis ſuperque demonſtratum eſt, materia autem incorruptibilis ſit, manifeſtè colligitur, materiam primam nunc exiſtentem, eſſe realiter diſtinctam ab omnibus elementis. Neque opponas, etiam materiam primam eſſe ſuſceptivam contrariorum, & tamen incorruptibilem eſſe: Nam facili negotio occurrimus huic obiectioni, negando materiam eſſe ſuſceptivam contrariorum propriè loquendo; cùm formæ ſubſtantiales, quas recipit, non ſint cōtrariæ, ſed incompoſsibiles tantùm, & nulla illarum determinatè præ aliâ exigatur à materia, ſed omnes indifferenter ab eà recipiantur, ſicut & qualitates ipſarum pro-

primæ: cuius oppoſitum quoad omnia contingit in potentia paſsivà elementorum quoad qualitates contrarias.

18 *TERTIO* Refellitur prædicta doctrina: Quia pluribus experimentis comprobatur elementa, ſi ſunt formaliter in mixto, vt allegatus Author ſupponit, corruptibilia eſſe, & ſæpe de facto corrūpi. Ergo cùm materia omnino incorruptibilis ſit, vt omnes ſtatuimus, palā eſt materiam primā exiſtentem de facto eſſe quid diſtinctū ab elemētis. Probatur antecedēs multipliciter. *Primò* ab experimēto ſtuppæ, quæ, ſi accendatur, tota in ignē convertitur. Ergo tria alia elementa, ſi formaliter in illà erant, vt ſupponis, deſinunt eſſe per corruptionē, & convertuntur in ignem. Manifeſtum enim eſt, & quaſi meridiana luce clarius, non tantùm ignis aut flāmæ fuiſſe formaliter in ſtuppà antequam arderet, ac poſtea eſt quando ardet. Nam antequam arderet ſtuppa, iuxta tuam opinionem, ſola quarta pars ſpectabat ad elementum ignis, & tres reliquæ ad tria alia elementa. At poſt conflagrationem, nō modo quarta pars, ſed tota ſtuppa vertitur in ignem, aut ferè tota, vt ad ſenſum patet. Ergo per conflagrationem corrumpuntur in eà, aut ex toto, aut ferè, tria alia elementa, & gignitur magna pars ignis. Ergo manifeſtum eſt, & ad ſenſum patens, poſſe tria elementa corrumpi, & quartum generari in ſtuppà; ac propterea diſtincta eſſe realiter à materia primà, quæ ingenerabilis & incorruptibilis eſt. *Secundo* probatur idem antecedens, & ſimul inſtauratur poſterior ratio, quam ſuperiùs vrgebamus ex corporibus Martyrum, vbi cremantur, & rediguntur in flammas, præcipuè quantùm ad oſſa, quæ ad ardendum aptiora ſunt. Etenim eodem experimento ſtuppæ, nuper expenſo, palàm dignoſcitur, ſi elementa ſunt formaliter in oſsibus Martyrum, tria illorum ex toto, aut magnà ex parte ſaltim, converti in ignem. Incredibile enim eſt, totum illum ignem, qui apparet in oſsibus ardentibus, fuiſſe antea formaliter in corpore viventis Martyris. Alioqui Martyr vivens rigidiores cruciatus, ardentiorēque flammam ſubiret a proprio temperamento, quàm à tyranno, ſegniorque eſſet ignis qui foris vſsit, quàm qui intus arſit, vt loquitur Leo Magnus de D. Laurentio. Ergo magna pars ignis generatur in oſsibus Martyris, quando comburuntur, & rediguntur in flammas. Ergo tria alia elementa, quæ formaliter in iiſdem oſsibus præextitiſſe ſupponis, corrupta ſunt, & ſaltim magnà ex parte in ignem abierunt. Ergo tria elementa prædicta ſubeunt corruptionem, quartum vero ignis producitur & augetur per veram generationem: quæ omnia prorſus repugnant materiæ primæ.

19 *HINC* Autem iterum inſtauratur abſurdum, quod ſupra contra Gomezium Pereyram inferebamus; nempe, cineres Martyrum non fore veneratione dignos. Eo namque ipſo, quod nulla pars ſubſtantialis viventis Martyris ſuperſit in ipſius cineribus, palam eſt cineres nullo cultu dignos eſſe. Sed poſito materiam primam eſſe indiſtinctam ab elemētis, vt ſupponis; & ſtatuto, tria elementa fuiſſe converſa in ignem, vt à me nunc probatum eſt, iam nulla pars ſubſtantialis viventis Martyris ſupereſt in ipſius cineribus. Ergo cineres Martyris nullo cultu digni ſunt. Probatur minor. Siqua ſubſtantialis pars vivētis Martyris ſupereſſet in ipſius cineribus, maximè aliquod elementum ex iis, quibus, dum viveret, componebatur. At nullum elementum in cineribus manet ex iis, quibus, dum viveret, formaliter, iuxta tuam opinionem, componebatur. Ergo nulla ſubſtantialis pars vivētis Martyris ſupereſt. Minorem probo. Tria elementa aëris, aquæ, & terræ, deſierunt eſſe, ſaltim maximà ex parte, per conflagrationem & converſionem in ignem, vt iam oſtendi. Deinde ignis, aut ex toto, aut ferè ex toto deſiit eſſe per cōverſionem in cineres, & quidem frigidos, nec potentes in ſe continere ignem alicuius momēti. Rurſus eo ipſo quod quatuor elementa adeò notabiliter variata fuerint quantùm ad ipſorum ſubſtantiam, manifeſtè colligitur, adhuc poſſe noviter variari in ſepulchro, ex vicinitate aliorum corporum diverſæ qualitatis, ita vt nihil iam ſuperſit elementorum, quæ antea in vivente Martyre erant. Nulla enim eſt ratio, cur a principio ſubſtantialiter, & adeò notabiliter variata ſint, poſtea autem eodem modo variari non poſsint. Ergo de primo ad vltimum nulla ſubſtantialis pars viventis Martyris ſupererit tandem in ipſius cineribus, ac propterea non erunt adoratione digni, quòd eſt contrà ſenſum & praxim totius Eccleſiæ. *CONFIRMATVR* idem diſcurſus. Opinio contraria conſtituit materiam, ſive corpus Martyris, ſicut & cuiuſlibet alterius naturalis compoſiti, ex quatuor elementis inter ſe permiſtis & alteratis. Supponit ergo elemēta, ex quibus Martyr ſubſtātialiter cōſtat eſſe capacia alterationis. Ergo & corruptionis, vt ſuperiùs arguebamus. Fieri igitur poteſt

vt omnia quatuor elementa, quibus, vt materià, conſtabat ſubſtantialiter Martyr, non modo alterentur, ſed penitus corrumpantur, atque adeo nihil in eius cineribus reſtet cultu & adoratione dignum.

SECTIO QVARTA.

Alia duo argumenta diverſimodè roborata in eamdem recentem opinionem.

20 VLTERIVS Impugnari poteſt opinio eadem D. Rodriguez à priori, Materia prima talis naturæ debet eſſe, vt ex illà & formà ſubſtantiali fiat vnum per ſe ſimpliciter in genere ſubſtantiæ. Sed quatuor elementa inter ſe permiſta non ſunt talis conditionis, vt ex illis & formà ſubſtantiali fiat vnum per ſe in genere ſubſtantiæ. Ergo quatuor elementa inter ſe permiſta non ſunt materia prima. Conſequentia eſt recta, & maior explorata apud omnes: quia compoſitum reſultans ex materia primà & formà eſt vnum per ſe ſimpliciter in genere ſubſtantiæ. Minorem probo. Quatuor elementa inter ſe ſolùm permiſcentur per accidens, non autem per ſe. Ergo quatuor elementa inter ſe permiſta non ſunt talis conditionis, vt ex ijs & formà ſubſtantiali fiat vnum per ſe in genere ſubſtantiæ. Conſequentia patet: Quia id quod tantùm eſt vnū per accidens ineptiſsimè & extra rem omnino aſſumitur vt cum alio conſtituat vnū per ſe. Antecedens verò multipliciter probo. *Primò*: Solùm illa coniunguntur per ſe ſufficienti modo ad componendum vnum ſimpliciter in genere ſubſtantiæ, quæ invicem comparantur per modum actus & potentiæ: cum prima ſimpliciter compoſitio, ſcilicet, eſſentialis in genere ſubſtantiæ, diſtinguatur ab alijs in eo, quòd reſultet ex partibus mutuò ac per ſe comparatis per modum actus & potentię. At quatuor elementa inter ſe non comparantur per modum actus & potentiæ. non enim vnum elementum recipit aliud, vel ab eo informatur; neque vnum completur ſubſtantialiter per aliud, ſed independenter ab illo exiſtit in proprio cuiuſque loco. Ergo quatuor elemēta non coniunguntur per ſe ſufficienti modo ad componēdum vnum per ſe ſimpliciter in genere ſubſtantiæ, ſed ſolùm permiſcentur per accidens. *Secundò* probatur idem antecedens. Illa coniunguntur per accidens, & non per ſe, quæ ſeorſim ac diviſim exiſtunt & operantur connaturaliter. Hoc enim ipſo non egent complemento ex coniunctione ad aliud in eſſe aut operari. Sed quatuor elemēta ſeorſim exiſtunt & operantur connaturaliter, etiam in contraria opinione. certum enim eſt vnumquodque elementum in propria regione ac per ſe loquendo exiſtere purum, & operari ſeorſim ac diviſum ab omni alio. Ergo quatuor elementa quoties inter ſe permiſcentur, ſolùm per accidens coniunguntur & non per ſe. *Tertiò* & à poſteriori ſuadetur idem antecedens. Si enim quatuor elemēta per ſe coniungerentur ſufficienti modo ad conſtituendum vnum quid intra genus ſubſtantiæ, & non tantùm per accidēs, fuiſſent in ſtatu violento a prima conditione Vniverſi vſque modo. quod ſanè erroneū in Philoſophia eſt. Sequelam probo. Nam ea quę habent per ſe coniungi ad conſtituēdum vnum quid ſimpliciter in genere ſubſtantiæ, quoties ſeorſim ac ſeparata exiſtūt, in ſtatu præternaturali aut violento ſunt: vt patet in animà ſeparata, & quavis formà ſubſtantiali, imò & accidentali, ſi miraculosè a proprio ſubiecto ſeparata exiſtat. At quatuor elementa à prima conditione Vniverſi vſque modo ſeparata exiſtunt: ignis quidem ſummo loco & infra concavum Lunæ, iuxta communem ferè ſententiam, aër in medio, aqua & terra in infimo. Ergo ſi quatuor elementa per ſe coniungerentur ſufficienti modo ad conſtituendum vnum quid ſimpliciter intra genus ſubſtantiæ, & non tantùm per accidens; fuiſſent in ſtatu præternaturali aut violento à primà conditione Vniverſi vſque nunc.

21 *VLTIMO*, Prætermiſsis quamplurimis alijs, ſuadetur vera & communis ſententia, atque impugnatur oppoſita. In quolibet mixto nec exiſtit, nec exiſtere poteſt, niſi vnicum compoſitum ſubſtantiale eiuſdem ſpeciei atomæ: vt patet in homine, equo, leone, planta, &c. Ergo neque materia in illo exiſtens eſt, niſi vnica & eiuſdē ſpeciei atomæ. Sed quatuor elementa ſunt plura & totidem ſpecierum atomarum. Ergo materia exiſtens in quolibet mixto eſt quid diſtinctum a quatuor elementis. Minor ſubſumpta cum conſequentia per ſe patent, & ſimiliter antecedens. Priorem conſequentiam, in qua eſt tota difficultas, probo. Repugnat enim materiam eiuſdem cōpoſiti in ſpecie atoma, ſpectare ad plures ſpecies: quia compoſitum deſumit ſuam vnitatem ſpecificam a partibus conſtituentibus per modum actus & potentię; ac proinde exigit vt vnaquæque in ſuà lineà vnius ſpeciei atomæ & indiviſæ ſit. Ergo materia in quolibet mixto exiſtens, no eſt, niſi vnica, & eiuſdem ſpeciei atomæ. CONFIRMA-

MATVR, & ſimul præcluditur evaſio, quę ex doctrina Adverſariorum poterat excogitari. Quod enim quatuor elemēta in opinione contraria aſſerantur ſimplicia & incompleta, ac proinde ordinata per ſe ad componendum cum forma ſubſtantiali, nō ſufficit vt, ſi verè habent rationem materiæ primæ, conſtituant vnum compoſitum eiuſdem ſpeciei atomæ ſimul cum formâ. Id autem ſic oſtendo. Etiam forma ſubſtantialis eſt ſimplex & incompleta, ac proinde ordinata per ſe ad componēdum cum materia prima. Et tamen ſi ponantur quatuor formæ ſubſtantiales in eadem materia per poſsibile aut impoſsibile, non conſtituent vnum compoſitum eiuſdem ſpeciei atomę ſed diverſæ; vt hominis, leonis, equi, & plātæ, ſi formæ ſint prædictarum ſpecierum. Ergo licèt quatuor elementa in opinione contraria aſſerantur ſimplicia & incompleta, ac per ſe ordinata ad componendum cum forma, non ſufficit, vt, ſi verè habent rationem materiæ primæ, conſtituant vnū compoſitum eiuſdem ſpeciei atomæ, ſed quatuor diverſæ ſpeciei. *CONFIRMATVR II.* Ideò omnes Scholæ reijciunt à quolibet vivente in ſpecie atoma pluralitatem ſpecificam animarum ſpecie diverſarum, vt vegetativę, ſenſitivæ, & rationalis, quia ex animabus, ſive formis ſpecie diſtinctis, nequit reſultare totum eiuſdem ſpeciei atomæ, quamvis formæ ipſæ incompletæ & ſimplices aſſerantur, vt latè & ex profeſſo diſputamus in libris de Animâ. Ergo pariter, licet quatuor elementa aſſerantur incompleta & ſimplicia, cùm aliunde differant ſecundùm ſpeciem, ſi vere habent rationem materiæ primæ, non poterit ex ijs reſultare totum aliquod eiuſdē atomæ ſpeciei. Vnitas enim ſpecifica totius, non minus eſſentialiter aut per ſe ſumitur ab vnitate materiæ, quàm formæ. Ideoquè Patres Eccleſiæ adverſus Manichæos, Apellem, & Apelleianos, alioſque ſimilis farinæ hæreticos, arguebant, Chriſtum non fore verum hominem, & eiuſdem ſpeciei nobiſcum, ſi conſtaret materia cœleſti, ac diverſa ſecūdùm ſpeciem, vt ipſi aſſerebant.

22 *MITTO* Argumenta, quæ prædictus Author in ſuam opinionē̄m propoſuit, & ſolvit; quamquam nonnulla illorum vrgere, & multipliciter roborare, haud difficile eſſet. Vide alias impugnationes *infrà diſput. 9. ſect. 1.* præſertim *n. 11.*

***

SECTIO QVINTA.

Obijciuntur, & extricantur argumenta opinionis adverſæ.

23 **R**ESTAT Modò obijcere & diſſolvere argumenta contraria, illa præſertim quibus Rodriguez ſuam opinionem munit. Oppones primo nullam aliam in rerum natura exiſtere materiam primam, quàm ipſa elementa. Quod probatur ex doctrina Ariſtotelis lib. 2. de partibus animalium, cap. 1. vbi elementa vocat materiales partes verè primas cuiuſcumq; mixti; verè primas, inquam, non ſolùm ratione originis, ſed etiam ratione compoſitionis. Ergo pars materialis cuiuſcumque mixti, ſeu materia prima de facto exiſtens, non eſt quid diſtinctum ab elementis. *CONFIRMATVR*: Quia difinitiones tàm materiæ primæ, quàm elementi, traditæ ab eodem Ariſtotele, & D. Thoma 5. Metaph. cap. 3. indifferenter conveniunt tam elementis, quam materiæ primæ. Etenim eſſe primum ſubiectum, ex quo aliquid fit (quæ eſt definitio materiæ primæ) convenit etiā elementis; cum ex ijs, tamquam ex cauſa materiali fiant, & componantur mixta. Deinde, eſſe *id, in quod cætera corpora dividuntur, ipſum autem penes formam diverſam indivisibile* (quæ eſt definitio elementi aſſignata à Philoſopho 3. de Cœlo, cap. 3.) convenit etiam materiæ primæ; ſiquidem mixtorū corpora dividuntur in partes materiæ; ipſa vero materia indiviſibilis eſt ſpecie, ſeu penes formam diverſam ſecundùm ſpeciem. Verè igitur definitio, tàm materiæ primæ, quàm elementi, vtriſque indifferènter convenit, ac propterea non diſtinguuntur realiter, aut eſſentialiter.

24 *RESPONDEO*, Ridiculum eſſe, & quaſi quærere nodum in ſcirpo, adducere teſtimonia Ariſtotelis, aut D. Thomæ, faventia contrariæ opinioni; cùm innumeris locis ſtatuant expreſsè, elementa non exiſtere formaliter in mixto, & ſecundū ſuum eſſe ſubſtantiale; in quo tamen aiunt materiam primam formaliter, & ſubſtantialiter eſſe. Deinde ijdem Præceptores noſtri diſertè docent elementa eſſe compoſita ex materia & formà, vt videbimus in libris de Generatione: nullus autem ſanæ mentis dixit huiuſque materiam primam eſſe quid ſubſtantialiter compoſitum ex materia, & formà. Denique, vt plura alia omittam, vterque probat expreſsè in præſenti materiam primam ingenerabilem, & incorruptibilem eſſe; & ambo pariter de elementis

oppo-

oppoſitum probant, docentes vnum elementum poſſe generari ex alio, præſertim ſymbolo; & corrumpi ab alio, præſertim diſſymbolo. Manifeſtum igitur eſt vtrumq; diſtinguere materiam ab elementis modo exiſtentibus, tamquam aliquid omnino diverſum.

25 *DEINDE* Argumento facilè occurritur negando ſuppoſitũ antecedentis: Quia Ariſtoteles loco illo allegato in obiectione ex lib. 2. de partibus animalium, cap. 1. potiùs docet elementa in ſeipſis, & ſecundùm ſuum eſſe ſubſtantiale non eſſe partes materiales, ex quibus componatur mixtum; ſed tantùm ait, mixtum componi ex temperamento qualitatum relictarum ab elementis. Patet id ex verbis eiuſdem Philoſophi, quæ eiuſmodi ſunt: *Compoſitio prima ſtatui poteſt ea, quæ ex primordijs conficitur ijs, quæ nonnulli elementa appellant. Terram dico, aquam, aërem, ignem. Sed meliùs fortaſſe dici poteſt, ex virtutibus confici elementorum.* Quid expreſsius? Deinde eodẽ capite apertè aſsignat materiam elementis, dum ait: ὥστε τὴν μὲν τῶν στοιχείων ὕλην ἀναγκαῖον εἶναι τῶν ὁμοιομερῶν ἕνεκεν. *Quamobrem elementorum materiam eſſe ſimilarium partium gratiâ neceſſe eſt.* Ridiculum autem eſſet, & indignum Ariſtotele, aſsignare materiam elementis, ſi elementa eſſent ipſa materia. Supereſt igitur, vt iuxta illius doctrinam & veritatem, elementa ſint partes materiales mixti, non in ſeipſis, neque per compoſitionem; ſed in virtute ipſorum relictâ, ſeu ratione originis; & quidem non ſubſtantialiter, ſed accidentaliter, quia virtutes, quas relinquunt in mixto, accidentales ſunt. *Ad Confirmationem* negatur antecedens quò ad vtramque partem. Quò ad primam quidẽ, nam definitio materiæ primæ neutiquam convenit elemẽtis: Tum quia materia prima definitur *primũ ſubiectum*, ſcilicet, primum ſimpliciter, & proinde non præſupponens ſubiectum aliud: elementa autem, ne in ordine ad proprias qualitates quidem, ſunt primum ſubiectum ſimpliciter, ſed ſecundum: quia proprias qualitates recipiunt poſt complementum ſubſtantiale ex materia & formâ elementi, atque adeò præſuppoſitâ materiâ primâ, vt ſubiecto ſubſtantialis formæ: Tum etiam, quia materia prima definitur primum ſubiectum rei, *cùm inſit*; elementa autem non inſunt rei, ſive mixto, formaliter loquendo, ſed tantùm virtualiter. Quò ad ſecundam verò partem id ipſum patet. Quia elementum definitur à Philoſopho loco allegato in obiectione ſolùm per hoc, vt ſit, *in quod cætera corpora dividuntur, ipſum autem penes formam diviſam indiviſibile eſt.* Quod planè ſolis elemẽtis convenit; non autem materiæ primæ. Non enim corpora cætera dividuntur in materiam primam; cùm tamen in quatuor elementa dividantur. Ergo eſſe id, in quod cætera corpora dividuntur, non convenit materiæ primæ, ſed elementis tantùm. Deinde, eſſe id, in quod cætera corpora dividuntur, non quomodocumque, ſed accidentaliter ſolùm ſecundùm qualitates primas, eſt ratio formalis, & propria elementi; quæ quidem nullo modo materiæ primę convenit; cùm non dividatur mixtum ſecundùm materiã in qualitates primas, ſed in partes integrales. Palàm igitur eſt, nec definitionem materiæ convenire elementis, nec definitionem elementi adaptari poſſe materiæ primæ.

26 *DICES*: Elementa ſunt pars materialis mixti, quia mixtum non componitur ex elemẽtis tamquàm ex parte formali, ſed materiali tantùm. At pars materialis mixti eſt materia primá. Ergo elementa ſunt idem quod materia prima. *RESP.* Diſtinguendo maiorem: Elementa ſunt pars materialis mixti ſecundùm materiam ex quâ ſubſtantialiter componũtur, concedo: ſecundùm totum ſuum eſſe ſubſtantiale, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. *INSTABIS*: Ergo elementum, vt ſit elementum, & vt ſit pars materialis *ex quâ*, non requirit formã ſubſtantialem elementi, ſed hæc impertinenter ſe habet reſpectu mixti. *RESP.* Negando conſequentiam quòad primam partem: Quia ad rationem elementi, formaliter, & in ſeipſo conſiderati, eſſentialiter requiritur forma elementi recepta in ipſius materiâ. Deinde ad ſecundam partem dico, formam elementi in ſeipſa formaliter non requiri ad compoſitionem mixti, ſed virtualiter tantum, & quò ad primas qualitates, vt ex ijs mixtum accidentaliter componatur. Quare elementum dupliciter eſt cauſa materialis mixti: primò & ſubſtantialiter, ſecundùm materiam, quæ poſt corruptionem formæ elementi, componit intrinſecè, & ſubſtantialiter mixtum: ſecundò penes formam, non in ſeipſa manentem, ſed virtute tantùm in qualitatibus derelictis, ex quarum confluxu integratur accidẽtaliter, & materialiter mixtum.

27 *OPPONES II.* Non ſunt multiplicandæ entitates abſque neceſsitate. At nulla neceſsitas eſt ponendi entitatem materię diſtinctam ab entitatibus elementorum. Ergo materia ab elementis indiſtincta eſt.

Pro-

Probatur minor: Quia poſitis quatuor elementis invicem permixtis, & penes qualitates refractas, ponitur totum id, ad quod inſtituta eſt materia prima. Eo namque poſito, ſalvatur ſufficiens ſubiectum generationum, & corruptionum ſubſtantialium; ſalvantur etiam operationes cuiuſque elementi propriæ; item & cuiuslibet mixti, ſi accedat ſubſtantialis forma mixtum conſtituens; ſalvatur præterea, elementa ſubſtantialiter invariata perſiſtere à primâ conditione Vniverſi, & ſecundùm entitates proprias; ſalvatur denique incompletio neceſſaria illius aggregati ex quatuor elementis ad componendum cum forma mixti advenienre vnum per ſe ſubſtantiale. Nulla ergo neceſsitas eſt ponendi materiam primã ſecundùm entitatem diſtinctam ab elemẽtis permiſtis, & refractis quò ad proprias qualitates.

28 *RESP.* Negando minorem. Rationes enim à nobis aſsignatæ pro communi, ac vera ſententiâ, abundè demonſtrant neceſsitatem materiæ primæ, vt ponatur primum cuiuſque compoſiti naturalis ſubiectũ omnino ingenerabile, & incorruptibile; quale non eſt aliquod ex elementis, vt ſatè oſtendimus. Deinde improbabile eſt elemẽtum omninò ſimplex, & deſtiturum formâ ſubſtantiali, qualiter ponitur in opinione contraria, exercere proprias operationes: quia repugnat in terminis, aſſerere ex vno capite eiuſmodi elementum habere rationem materiæ primæ, ac proinde principij purè paſsivi; & aliunde ipſi adſcribere veram actionem, atque operationem independenter à forma, quæ eſt actus primus materiæ. Quod verò ab Adverſarijs co dicendi modo ſalvetur elementa à principio Vniverſi ſubſtantialiter invariata perſiſtere, non eſt ſalvare Philoſophiam, ſed illam damnare, aut invertere; cùm vera Philoſophia demonſtret poſſe ac ſolere vnum elementũ corrumpi ſubſtantialiter ab alio, præſertim diſſymbolo; & generari ex alio, præſertim ſymbolo: quod certè ſine mutatione ſubſtantiali non fit. Denique nec ſalvatur incompletio requiſita ad primum ſubiectum compoſiti ſubſtãtialis; quia eiuſmodi ſubiectũ debet eſſe omnino ſimplex & vnius ſpeciei, ſicut omnis materia ſublunaris. At quatuor elementa nequeunt cõſtituere entitatem aliquam omnino ſimplicem, neque eiuſdem ſpeciei, ſed quatuor diverſarum, iuxta numerum, & eſſentias elementorum. Ergo niſi recurramus ad materiam primam diſtinctam ab elementis, nequit ſalvari primum ſubiectum compoſiti ſubſtantialis in eâ ſimplicitate & incompletione, quæ requiritur ad componendum vnum per ſe.

29 *OPPONES III.* Si materia modò exiſtens eſſet quid diſtinctum ab elemẽtis, nulla eſſet cauſa productiva elementorum, quando mixtum perfectum per ſui corruptionem reſolvitur in elementa, niſi ad cœlum recurratur: quod Philoſophis indignum eſt. Imo nec facile aſsignaretur cauſa productiva diſpoſitionum, quæ neceſſario præcedere debent, vt inducantur elementorum formę. Mixtum enim, quod reſolvitur, nequit cauſare formas, aut diſpoſitiones proprias elementorum, vt perperam opinatus eſt Doctor Bravo, Primarius olim Medicinæ Profeſſor Valliſoleti, nunc Regius Archiater, quamquam alioqui inſignis Philoſophus: Nam forma quæ corrumpitur non habet vim productivam ſubſtantialis formæ, per quam expellitur, neque proprietatum illam comitantiũ. Neque enim poteſt illã producere quando exiſtit in materia. Alioqui vtraque ſubſtantialis forma coexiſteret eidem materiæ: quod, ſaltim naturaliter, impoſsibile eſt. Neque etiam quando iam non exiſtit: quia cauſa debet eſſe exiſtens ad cauſandum, vt rectè arguit Rodriguez contra prædictum Authorem. Cùm ergo hæc omnia abſurdis plena ſint, dicendum videtur, non ita reſolvi mixtum perfectum in elementa, vt hæc verè generentur; ſed ſolùm detegantur, veluti quid ſubſtantialiter diſtinctum à materia mixti præexiſtente.

30 *RESP.* Si quippiam hoc argumento probatur, planè evinci aliquam eſſe, imò & plures corruptiones ſubſtantiales, quas non ſequatur, aut comitetur generatio aliqua: quod inauditum eſt in Philoſophiâ, & contra illud commune axioma, *Generatio vnius eſt corruptio alterius.* Sequelam probo: Nam quando mixtum perfectum corrumpitur, & reſolvi dicitur in elementa, corruptionem illam veram & propriam nulla generatio ſubſtantialis, aut vera ſequitur, vel comitatur in opinione contrariâ: cùm aſſerat tunc neque generari aliud mixtum, neque aliquod elementorum; vtpote iuxta illam omnino ingenerabilium. Datur ergo corruptio ſubſtantialis abſque verâ, & ſolidâ generatione. *DEINDE* dico, quando contingit mixtum reſolvi immediatè in elementa, hæc propriè loquendo generari, ſicut & qualitates ipſorum proprias; non quidem à formâ eiuſdem mixti; ſed ab elementis extrinſecè ambientibus, & ſimul à cauſis ſuperioribus: quæ ſicut ha-

buc-

buerunt virtutem activam ad alterandum paulatim ipſum mixtum, ſic etiam ad corrumpendum illud, & convertẽdum in propriam ſubſtantiam per veram generationem. Itaque quando papyrus aut ſtuppa cōburitur à vicino igne, elemẽtum ignis medio calore vt octo corrumpit diſpoſitiones conſervativas vtriuſque mixti, & illud per veram generationem in ſe convertit, abeunte formà illius in formam ignis, & manente eadem mixti materia ſub nova formà ignis; novà, inquam, quò ad partem aggeneratam, quæ per combuſtionem accrevit.

31 *OPPONES II.* Elementa ſæpe educuntur ex mixtis abſque vera generatione, per ſolam detectionem eius elemẽti quod inerat intra mixtum. Ergo verè ac formaliter ſunt elementa ſecundùm eſſe ſubſtantiale in mixto, ac proinde obtinere in eo poſſunt rationem materiæ primæ; cùm aliud munus apte ijs aſsignari non poſsit. Probatur antecedens experimentis. Videmus enim ex ſilice ignem educi quoties cum chalybe colliditur, idque ſubitò, & abſque morà vllà. Id autem non fieri per veram generationem, ſed tantùm per detectionem ignis latentis intra ſilicem, probatur facilè: Quia ſi ita eſſet, faciliùs educeretur ignis æſtivo, quàm hyemali tempore, ex ſilice & chalybe colliſis inter ſe: quia diſpoſitiones neceſſariæ ad generationem ignis multò faciliùs introduci poſſunt æſtivo, quàm hiberno tempore. At conſequens contradicit quotidianæ experientiæ, quà deprehenditur æquè breviter vno tempore, atque alio, educi ignem ex ſilice & chalybe. Non ergo tunc generatur ignis, ſed ſolùm detegitur. Similiter ex plantis per alābicum educuntur aquæ, & non generātur: cùm id fiat ſolà herbarum expreſsione. Vnde & elementum aquæ ſecundùm eſſe ſubſtantiale videtur componere materiam plantæ.

32 RESP. Dupliciter. *Primò*, aſſerēdo intra poros ſilicis exiſtere formaliter ignē, qui ſolùm detegatur percuſsione chalybis. Cùm enim ſilex inter omnes lapides ſummè ſiccus ſit, magnam cum igne cognationem habet, vt intra poros ipſum contineat, quia ignis etiam ſiccus eſt in ſummo, aut prope ſummum. Quin & præterea qualitates alias habet affines calori proprio ignis, quia ſola ſiccitas non ſufficeret ad ignem continendum, vt patet in terra. Indidem verò non probatur ignem illum, qui extrahitur è ſilice, eſſe partem ſubſtantiālē illius, ſicut neque aquam quæ educitur ex herbis miniſterio alambici. quippe tam ignis, quàm aqueus humor, ſolùm per iuxta poſitionem ſunt intra ſilicem & herbam, non verò tamquam partes ſubſtantiales illorum. Similiter in ferro candẽti, quidquid ignis eſt, adventitium eſt, & ſolùm intra poros clauſum. Vnde neutiquam infertur ignem vel aquam in aliquo mixto, aut ex toto, aut ex parte habere rationem materiæ primæ.

33 RESP. *Secundò*, in eà percuſsione ſilicis & chalybis verè generari ignem. Neque oppoſitum evincit obiectio: Tum, quia fortaſſe æſtivo tempore faciliùs educitur ignis, quàm hiberno; neque oppoſitū facilè probari poterit: Tum etiam, quia eſto vtroque tempore æquali facilitate educatur, ideo eſt, quoniam diſpoſitiones requiſitæ ad generationem illius ignis, non inducuntur ab aère ambiente, qui calidior exiſtit media æſtate, quàm hyeme. Diſpoſitiones igitur ad ignem generandum conſiſtūt in vehementi calore ac ſiccitate clauſa in poris eiuſdem ſilicis, qui percuſſus chalybe, & adiutus a ſuperioribus cauſis, mittit ignem extra ſe, ſupplente cœlo id, quod deeſt agenti particulari. Quod inevitabile eſt in pluribus experimentis. Quando enim æſtivo tēpore, ac pluente cœlo, ex guttis aquæ cadentibus in pulverem generantur bufones exigui, ranulæ, & alia id genus animalcula, certum eſt illa non produci in genere cauſæ principalis ab elementis ambientibus, vel ab aliquo agente inferiori ex ijs, quæ circunſtant paſſum, ſed defectum activitatis illorum ſuppleri à Deo, & ab alijs cauſis vniverſalibus: quia nullum agens circunſtat paſſum in eo eventu, quod formaliter aut eminenter contineat formam viventem animalculi geniti, niſi Deus & cauſæ vniverſales. Ita in præſenti dicendum de igne, generari quidem, non tamen ab aliquo agentium particularium, quæ circunſtant; ſed a Deo, & alijs cauſis vniverſalibus, quarum curæ eſt ſupplere defectum diſpoſitionis vltimæ ad generationes eiuſmodi.

DISPVTATIO QVARTA:

DE NATVRA ET PROPRIETATIBVS Materiæ Primæ.

Num. 1. PROBATVM *Eſt diſputatione præcedenti, in rerum naturâ exiſtere materiam primam, quod ſpectat ad quæſtionem* an ſit; *inſuperque, eam eſſe diſtinctam ab elementis. Nunc, vt faciamus ſatis quæſtioni,* quid ſit, *eius naturam & proprietates veſtigandas ſuſcipimus. Curſim verò id præſtandum eſt, vt poſtea ſuperſit locus ad graviores alias difficultates ex profeſſo examinandas.*

2 MATERIAM *Ita definit Ariſtoteles lib. 1. Phyſic. cap. 8. textu 82.* τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ, ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος μὴ κατὰ συμβεβηκός. Id, quod eſt primum vniuſcuiuſque ſubiectum, è quo quippiam eo fit pacto, vt non per accidens inſit. *In qua definitione, ſive veriùs deſcriptione,* ſubiectum *adhibetur loco quaſi generis, in quo cum materiâ ſecundâ convenit. Additur* primum, *per quod ab eâ differt. Adijcitur præterea,* è quo quippiam fit, *in quo cum privatione convenit, ex quâ etiam fit ens naturale. Subditur tamen* τὸ inſit, *quo ab eâ diſſidet. Nam privatio non ineſt, ſeu non componit intrinſecè ens naturale, cuius principium eſt; ſecus autem materia. Denique dicitur,* non ſecundùm accidens *ineſſe, vt denotetur materiam eſſe partem, ſeu principium compoſiti naturalis, quod eſt vnum per ſe. Vbi quamvis appareat, definitionẽ eſſe redundantem, ac propterea minùs propriam, quia per rationem* primi ſubiecti *materiæ quidditas ſatis comprehenderetur; oportuit nihilominus cæteras particulas ſuperaddere, maioris explicationis causâ.*

3 CVM *Verò Philoſophus textu 8. aſſerat,* materiam primam per ſeipſam, neque eſſe quid, neque quantum, neque quale, neque aliquid eorum, quibus ens determinatur; *ſed eſſe in potentiâ, expers actualitatis, vt ex dicendis infrà conſtabit; inde eſt, vt diverſis appellationibus materia ſignificetur, ipſius naturæ congruentibus. Dicitur enim* Chaos *à priſcis Poetis, vt Orpheo, Heſiodo, & Ovidio, ſimiliterque à Magiſtro Sent.* in 2. diſtinct. 12. *quòd confuſo & potentiali modo ſe habeat ad omnes formas. Dicitur* Mater; *quoniam eſt principium paſſivum generationis. Dicitur* Matrix; *quia ſuo ſinu fovet conſervatque formas, quæ in eâ recipiuntur. Dicitur* Turpis, *ſeu, quod perinde eſt, incompoſita; quia, cùm ſit ex ſe pura potentia, ac proinde carens omni actu, caret conſequenter omni decore. Etenim omnis decor & perfectio, ab actu eſt. Dicitur* Malefica; *quia dum eſt ſub vnâ formâ, appetit aliam; ac proinde quaſi machinatur ruinam formæ, quam actu poſſidet. Eodemque reſpicit appellatio* Adulteræ, *quâ ſæpe notatur. Dicitur* Ignota per ſe, *vt inquit Ariſtot. 8.* Metaph. lect. 1. *apud D. Thom. quia, cùm careat ex ſe omni actualitate, caret omni cognoſcibilitate propriâ. Indidem effectum, vt* Tenebræ *quandoque audiat. Dicitur denique* Prope nihil, *ab Auguſtino* lib. 2. Confeſ. *quia in genere ſubſtãtiæ habet minimum entitatis, quo proinde ad nihilum vergit.*

SECTIO PRIMA.

An materia prima ſublunaris habeat vnitatem ſpecificam poſitivam? Vbi an habeat ex ſe actum metaphyſicum.

4. PRO Dubij expeditione faciliori, notandum conſequenter ad doctrinam D. Thomæ 1. *p. q. 16. art. 7. ad 2. & Opuſc. 31. §. 1. poſt medium,* duplicẽ eſſe vnitatem ſpecificam; aliam poſitivam, negativam aliam. Prior eſt, qua aliquid in ſeipſo & poſitivè habet principium aliquod, ratione cuius ſit in ſpecie vnum: vt patet in homine, qui in ſe habet rationalem animum, ex quo, vt primo & radicali principio, vnitas ipſius ſpecifica oritur. *Poſterior* eſt illa, qua aliquid non eſt plura ſpecie, quia non claudit in ſe principium aliquod, vi cuius multiplicetur ſecundùm ſpeciem; ſeu quia ex ſe caret omni actu diſtinguente ſecundùm ſpeciem, vt loquitur Angelicus Doctor. His poſitis,

5 *DICENDVM I.* Materiam ſublunarem non habere ex ſe vnitatem ſpecificã poſitivam, ſed negativam tantum, emendicatamque à forma. Ita Ariſtot. loco nuper allegato, verbiſque exſcriptis *num. 3.* ac præterea *2. de Animâ textu 2. & 8. Metaph. cap. 1.* vbi & D. Thomas, ac loco indicato *ex 1. parte,* vbi inquit: *Materia prima dicitur eſſe vna, nõ quia habet vnam formam, ſicut homo eſt vnus ab vnitate vnius formæ; ſed per remotionem omnium formarum diſtinguentium.* Palam verò eſt,

eſt, vnitatem illam ſpecificam, quæ conſiſtit in ſolà remotione formarum, ſeu (quod perinde eſt) carentia actuum diſtinguentiū, non eſſe poſitivam, ſed negativam. Igitur materia ex mente D. Tho. non habet ſpecificam vnitatem poſitivam, ſed negativam tantùm. Idemque expreſsè habet cæteris locis ſupra allegatis.

6 *RATIO* Communis ac ſolida hæc eſt. Vt aliquid ſecundum quodvis eſſe reale habeat vnitatem ſpecificam poſitivam, neceſſarium eſt habere in ſe ipſo principium aliquod, ex quo talem vnitatem accipiat, vt nuper ſtatutum eſt. Sed materia non habet ex ſe ipſà principium aliquod, ex quo vnitatem ſpecificam poſitivam accipiat. Ergo materia nō habet ex ſe ipſa vnitatem ſpecificam poſitivam. *Probatur minor*, in quà ſola poteſt eſſe diſsidium. Vnitas ſpecifica poſitiva includit de formali actum metaphyſicum differentiæ, quæ deſumitur radicaliter ab actu phyſico, ſive (quod idem eſt) a formà ſubſtantiali, iuxta commune axioma Dialecticorum. Sed materia prima non habet ex ſe ipsà aliquem actum phyſicum, ſeu formam ſubſtantialem, à qua radicaliter deſumat actum metaphyſicum differentiæ, importatum de formali in vnitate ſpecificà poſitivà. Ergo materia prima non habet ex ſe ipsa principium aliquod, ex quo vnitatem ſpecificam poſitivam accipiat. Reſtat igitur, vt ſiquam vnitatem ſpecificam poſitivam habet materia (vti eam habet reipsà, & quoties exiſtit) illam ſolùm accipiat à formà & per formam. *CONFIRMATVR I.* Ideo genus deſumitur radicaliter a materià phyſica, quia importat gradum potentialem, & omnis potentialitas metaphyſica originaliter deſumitur à materià, quæ phyſicè potētialis & entitas paſſiva eſt. At ſpecies poſitiva ſecundùm eſſe formale conſiderata, non importat gradū potentialem, ſed actualem; & omnis actualitas metaphyſica originaliter deſumitur à forma, quæ phyſicè actualis, & entitas activa eſt. Ergo ſpecies poſitiva ſecundùm eſſe formale conſiderata, originaliter deſumitur à formà. Igitur cùm materia prima ex ſe ſit potētia paſsiva, expers omnis formæ, ac phyſicæ actualitatis, expers quoque eſt ex ſe vnitatis ſpecificæ poſitivæ. *CONFIRMATVR II.* Ideo Deus eſt expers duplicis rationis, vnius contrahibilis per modum generis, & alterius contrahētis per modum differentiæ, quia caret omni verà potentialitate. Ideo etiam Angeli, quorum ſubſtantia eſt actus completus, ſeu perfectus, non poſſent conſtare eà duplici ratione, alterà contrahibili per modum generis, alterà contrahente per modum differētiæ, niſi haberent potētialitatem paſsivam in ordine ad ſubſiſtentiam, vel exiſtentiam. At materia prima ex ſe nullam habet actualitatē, cùm ſit *pura potentia, ſicut Deus eſt actus purus*, vt loquitur D. Thomas 1. *part.* q. 105. *art.* 1. *ad* 2. Ergò à contrario ſenſu, materia prima eſt expers duplicis rationis, vnius contrahibilis per modum generis, & alterius contrahentis per modum differentiæ. Patet conſequentia: Quia ſicut ratio contrahibilis exigit potentialitatem, ita & contrahens petit actualitatem, à quà ſumatur. Modò ſic. Sed vnitas ſpecifica poſitiva reſultat indiviſibiliter ex duplici ratione, alterà contrahibili in ratione generis, alterà contrahente per modum differētiæ. Ergo cùm materia careat duplici ratione, altera contrahibili per modum generis, altera contrahēte per modum differētiæ; caret etiam ex ſe vnitate ſpecifica poſitivà.

7 *DICES*: Quælibet potentia deſumit ſpeciē poſitivam ab actu, ſicut & termino adæquato, ad quē importat habitudinem. Sed materia ſublunaris importat habitudinem ad omnem formam ſubſtantialem, tamquam ad actum vel terminū adæquatum; cùm ex ſe reſpiciat omnem formam ſubſtantialem vagè ſumptam ſub ratione actus amiſsibiliter informantis. Ergo materia deſumit ſpeciem poſitivam per ordinē ad formā ſubſtātialem: atque adeo habet vnitatem ſpecificam poſitivā. *CONFIRMABIS I.* Materia ſublunaris convenit genere cum materià cœleſti in ratione potentiæ paſsivæ, & ſpecie diſtinguitur ab eà per reſpectum ad formam amiſsibiliter informantem. Ergo conſtat gradu generico & differentiali, ac proinde ex ſe habet vnitatem ſpecificam poſitivam, quæ in cōplexo vtriuſque gradus conſiſtit. *CONFIRM. II.* Materia convenit cum forma ſubſtantiali in genere ſubſtantiæ, & diſtinguitur ab eà in ratione differentiali potentiæ paſsiuæ, per quam differt ab actu phyſico formali. Ergo conſtat gradibus generico & differentiali per ſuam eſſentiam; ac proinde vnitate ſpecificà poſitivà.

8 *RESPONDEO*, Non quemcūque reſpectum potentiæ ad actum adæquatum ſufficere ad vnitatem ſpecificam poſitivam; ſed ſolum illum reſpectum, qui vel eſt potentiæ activæ, vel ſaltim non purè paſsiuæ. hæc enim, co ipſo quod purè paſsiva ſit, ab intrinſeco caret omni actualitate; proindeque & vnitate ſpecificà poſitivà, quæ ſine actualitate propria & intrin-

trinſecà intelligi non poteſt. Materia ergo, licet importet habitudinem ad omnes formas ſublunares, tamquam ad actum vel terminum adæquatum ſub ratione informantis amiſsibiliter, importat illam per modum potentiæ purè paſsivæ, atque adeò carentis ab intrinſeco vnitate ſpecifica poſitiva. *AD I. Confirmationem*, quæ directè ſpectat ad libros de Cœlo, vbi illam diſcutiemus, dicendum eſt, poſita diſtinctione eſſentiali materiæ cœleſtis à ſublunari, neutram convenire in vna aliqua ratione no genericà, ſed analoga, & quæ nō ſit vna ſimpliciter, ſed ſecundum quid ſolum, vt docet D. Thom. 1. *part. quæſt.* 66. *artic.* *ſine corporis*. Et ratio eſt, quia vt ratio communis ſeu abſtracta ſit ſimpliciter vna, oportet in re, quæ abſtrahitur, dari fundamentum ad duplicem conceptum efformandum, quorum alter habeat rationem differentiæ contrahentis, alter generis contrahibilis. Probatum autem eſt ſuperius materiam omni actualitate carentem non præſtare fundamentum duplici conceptui, quorum alter habeat rationem differentiæ contrahentis, alter vero generis contrahibilis. Ergo materia ſublunaris, etſi differat eſſentialiter à cœleſti, non præſtat fundamentum vt ratio communis abſtracta ab vtraque ſit ſimpliciter & vnivocè vna. Ergo differentia, aut quaſi differentia, quà diſtinguetur eſſentialiter à materia cœleſti, non eſt ſtrictè dicta, & ſufficiens ad vnitatem ſpecificam poſitivam; ſed latè ſolùm & impropriè dicta, qualiter modi *per ſe & in alio* reſpectu entis; imò & latiùs adhuc, cùm ſit differentia per modum potentiæ purè paſsivæ; quod nulli alteri entitati convenit. *AD II. Confirm.* patet ex eadem doctrina, materiam ſolum analogicè convenire in ratione ſubſtantiæ cum forma, tamquam cum principali analogato: ideóque non oportere adſcribere materiæ differentiam, & proinde nec vnitatem ſpecificam poſitivam. In quo ſanè à forma ſubſtantiali diſsidet, quæ licèt analogicè conveniat cum eadem materia, & ſub hac ratione formali non exprimat differentiam abſtrahentem, aut præciſam à ratione communi; aliunde habet rationem actus formalis, & convenit ſimpliciter cū alijs formis in ratione actus phyſici, quæ eſt ratio generis incompleti. Vnde paſsim dicimus, omnes animas rationales eſſe eiuſdem ſpeciei, & omnes animas ſenſitivas eſſe eiuſdem generis: incompleti, ſcilicet, ſicut & forma ſubſtantialis eſt actus incompletus. quod tamen adhuc non convenit materiæ primæ ob defectum omnis actualitatis.

9 *HINC* Patet, quid dicendum ſit circa illam difficultatem, qua inquiritur, an materia prima habeat actum metaphyſicum, quamque alij latè nimis diſcutiunt. Ex præiactis enim colligitur veram eſſe negativam partem: cum actus metaphyſicus idem ſit ac differentia ſpecifica ac poſitiva, per quam aliqua res intra proprium genus conſtituitur poſitivè, & diſtinguitur ab omni alio ſecundùm propriam ipſius ſpeciem conſiderato. Ergo cùm probatum maneat, materiam primam carere differentia ſpecifica ac poſitiva ex ſe, per quam intra genus conſtituatur poſitivè, & diſtinguatur ab omni alio, eo quòd pura potentia paſsiva ſit; probatum etiam manet, illam carere actu metaphyſico.

QVOD Præterea, ſuaderi poteſt hac conſideratione, deſumptà ex D. Thom. loco & verbis ſuprà allegatis *numero* 8. Etenim, vt ipſe inquit, *materia prima eſt pura potentia, ſicut Deus eſt actus purus*. Sed Deus ita eſt actus purus, vt ex ſe careat omni potētialitate, tam phyſica, quam metaphyſicà. Ergo & materia prima ita eſt pura potentia, vt ex ſe careat omni actu, tam phyſico, quam metaphyſico. *Præterea*. Stat optimè Deum convenire cum creaturà in ratione ſubſtantiæ, quin ratio illa conveniendi ſit in Deo potentia metaphyſica, ſive genus. Deus enim omnis potentialitatis metaphyſicæ, ſeu convenientiæ cum creaturà in genere incapax eſt, eò quòd actus purus ſit. Ergo pariter, ſtat optimè materiam ſublunarem differre à cœleſti, & à forma ſubſtantiali, abſque eo quōd ratio illa differendi in ipſa materia ſit actus metaphyſicus, aut propria differentia: quia nimirùm materia ex ſe pura potentia eſt.

10 *SECVNDO* Probari poteſt principalis concluſio contra aliquos Recentiores, qui tribuunt materiæ vnitatem ſpecificam poſitivam & incompletam, atque infimam. Etenim ſicut ſpecies imperfecta reducitur ad perfectam, ita ſpecies incompleta infima reduci debet ad ſpeciem infimam completam. At materia ex ſe præciſè conſiderata ad nullam ſpeciem completam infimam reduci poteſt. Ergo ex ſe præciſe conſiderata non habet ſpeciem poſitivam infimam & incōpletā. Probatur minor: quia materia ex ſe præciſè

conſiderata, nec poteſt reduci ad omnes ſpecies infimas & completas, cùm illarum naturam ex ſe non habeat; neque ad aliquã in particulari, cùm non ſit maior ratio vnius quàm alterius, & æquè indifferenter ſe habeat ad omnes ſpecies completas, quas ſucceſsivè participare poteſt; modo ſub hac, modo ſub illa forma.

11 *DICENDVM* Eſt II. Materiam ex ſe habere vnitatem ſpecificam negativam. *Probatur* breviter ac facile. Vt enim præmiſsimus *num.* 4. tunc aliqua res habet vnitatem ſpecificam negativam, quando non eſt plures ſpecie, ſeu quando ex ſe non habet principium vnde talis ſpecificatio ac plurificatio deſumatur. At materia prima ſublunaris non eſt plures ſpecie, ſeu non habet ex ſe principium, vnde ſpecificationem plurificationemque deſumat; cum careat omni actu, qui eſt principium ſpecificandi, & plurificandi ſecundùm diverſas ſpecies. Ergo materia prima ſublunaris ex ſe habet vnitatem ſpecificam negativam.

12 *OBIICIES I.* Materia prima eſt ens poſitivè, & eſſentialiter, atque adeò poſitivè & eſſentialiter vna; quia vnum eſt paſsio entis, & quà ratione convenit alicui tranſcendens, convenit etiam ipſi paſsio, aut quaſi paſsio ipſius. At omne quod eſt vnum poſitivè & eſſentialiter, eſt etiam vnum ſpecie poſitivè & eſſentialiter; cùm vnitas ſpecifica rei ſit eſſentialis ipſius vnitas. Ergo materia prima habet vnitatem ſpecificam poſitivam, & non ſolùm negativam. *RESP.* Conceſsà maiore, negando minorem: Quia licèt materia habeat vnitatem eſſentialem & poſitivam tranſcendentem, analogamque, ſicut & entitatẽ; nõ tamen vnitatem ſpecificam poſitivã. Hæc enim non eſt quæcumque vnitas eſſentialis, ſed conſtituta per actum phyſicum, aut metaphyſicum: quorum vtroque caret ex ſe materia prima.

13 *OBIICIES II.* Et retorquebis argumentum à nobis propoſitum *num.* 10. Omne negativum reducitur ad ſuum poſitivum; ac proinde ſi materia ex ſe ſolùm habet vnitatem ſpecificam negativam, oportebit vt hæc reducatur ad aliquam ſpeciem poſitivam. Hoc autem impoſsibile eſt: Quia nec reduci poteſt ad formam ſubſtantialem in communi, aliàs eſſet ſpecies vaga; neque ad ſpeciem infimam alicuius formæ præ alia, cùm non ſit maior ratio vnius, quam alterius, & indifferenter ſe habeat ad omnes. *RESP.* Materiam reduci ad ſpeciem poſitivam; non tamen ea ratione quà ſpecies poſitiva imperfecta reducitur ad perfectam, vt ſuprà arguebamus; ſed eo ſolum modo, quo vnum negativum reducitur ad ſuum poſitivum, ac proinde negativè tantùm. Sicut autem materiæ aſcribimus vnitatem ſpecificam negativam, conſiſtentem in carentia actus metaphyſici ſecundum rationem ſpecificam; ita & aſsignamus in eà vnitatem negativam genericam, conſiſtentem in carentia actus proprij ſecundùm ſpeciem ſubalternam. Quare vnitas negativa materiæ priori modo, reducitur ad omnes formas ſpecie diſtinctas; poſteriori autem ad omnes formas ſubſtantiales, quatenus in genere ſubalterno actus primi conveniunt. in quo nihil abſurdi eſt.

14 *COLLIGITVR* Ex dictis, materiam primam ſublunarẽ conſiſtere eſſentialiter in ratione potentiæ paſsivæ, ſeu receptivæ omnium formarum ſubſtantialium amiſsibiliter; ita vt adhuc dum eſt ſub vnà formà, & participat ab illa ſpeciem poſitivam, ſit etiam potẽtia ex ſe ſuſceptiva aliarum quarumlibet. Quò ad vnitatem verò numericam, idem proportionaliter dicendum eſt, ac de ſpecificà, vt ſolùm negativã ex ſe habeat materia, non verò poſitivam, niſi ex conſortio huius, aut illius numero formæ. Vide Complut. *diſp.* 3. *q.* 4.

SECTIO SECVNDA.

Vtrùm materia prima ſit ingenerabilis & incorruptibilis? Vbi & quo ſenſu materia dicatur & ſit principium corruptionis?

15 QVATVOR ſunt gradus incorruptibilitatis. *Primus*, ac Dei proprius, conſiſtit in ſummà neceſsitate eſſendi, ſeu repugnantia ad deficiendum, tam ex ſe, quàm ab omni principio, ſeu cauſa extrinſecà. *Secundus*, & ſubſtantiarum ſpiritualium creatarum proprius vt Angelorum & animæ ſeparatæ, conſiſtit in imp[…]ntia deficiendi, independenter ab omn[…]ſà creatà. Nullus enim præter Deũ p[…] deſtruere, ſive annihilare ſubſtantiam ſpiritualem creatam; ſicut nullus præter ipſum poteſt illam producere ſeu creare: nulla etiam cauſa creata eſt, à quà eiuſmodi ſubſtantiæ pendeant in exiſtendo. *Tertius* conſiſtit in impotentia deficiendi cum dependentia à Deo & à cauſis ſecundis, quæ tamen naturaliter impediri non poſſunt. *Quartus* denique ſitus eſt incorruptibilitate ſolùm ab extrinſeco & præter exigentiã rei naturalem, vt ſi hominem ab intrinſe-

co

eo corruptibilem Deus per miraculum ſeruet incorruptum. Certum autem eſt materiam primam neutro ex duobus primis modis corruptibilem eſſe: quia materia, vt in rerum natura exiſtat & perſeueret indeſtructa, non ſolum pendet a Deo, ſed etiam à formà ſubſtantiali, ſine qua nequit exiſtere, ſaltim naturaliter. Quare difficultas non procedit de primo aut ſecundo modo incorruptibilitatis. Similiter nec de quarto: cum exploratum ſit res ab intrinſeco corruptibiles poſſe a Deo præter ipſarum exigentiam conſeruari. Solum itaque eſt dubium de tertio incorruptibilitatis gradu, an conueniat materiæ primæ, ita vt licèt pendeat in ſui permanentiâ à Deo, & ab alijs cauſis, ex naturaliter impediri nõ poſſint. Idemque proportionaliter quærimus circa materiæ ingenerabilitatem.

16 *DICENDVM* Eſt materiam primam ſub eà tertia acceptione ingenerabilem prorſus & incorruptibilem eſſe. Ita communiter Philoſophi cum Ariſtotele *lib. 1. Phyſic. cap. 9. textu* 82. vbi de materià prima loquens inquit: ἀλλ' ἄφθαρτον καὶ ἀγένητον ἀνάγκη αὐτὴν εἶναι. *Sed nec occidat, nec oriatur neceſſe eſt.* Quod ibidem luculenter probat & repetit 7. *Metaph. c. 7. & 8. & lib. 8. c. 5. & lib. 11. c. 3.* Traditurque ijſdē locis à D. Th. *& 1. p. q. 46. ar. 1. ad 3. & alibi ſæpe.*

17 *PROBATVR* Ratione Ariſtotelis deſumpta ex conceptu generationis & corruptionis, quarum prior eſt tranſitus rei de non eſſe ad eſſe, præſuppoſito aliquo ſubiecto; poſterior autem, vice verſà, tranſitus rei de eſſe ad non eſſe, manēte aliquo ſubiecto. Hinc autem euidenter infertur, materiam primam ingenerabilem eſſe. Vt enim generaretur, deberet fieri ex præſuppoſito ſubiecto. Repugnat autem in terminis materiam primam fieri ex præſuppoſito ſubiecto. Ergo repugnat materiam primam generari. Maior conſtat ex conceptu & definitione generationis ab omnibus tradità. Minor probatur: quia materia eſt primum ſubiectum, vt patet ex ipſius definitione. Ergo repugnat in terminis quòd præſupponat aliud ſubiectum, ex quo fiat. *Confirmatur*: Quia vt rectè infert Philoſophus, ſi materia generaretur, iam exiſteret ante generationem: quod eſt chimericum. Etenim materia, ſiue primū ſubiectū, præſuponitur omni generationi. Ergo ſi materia generaretur, iā deberet præſupponi ad ipſā generationē, quā fieret; ac proinde exiſteret priꝰ, quā acciperet eſſe per generationē.

18 *QVOD* Verò præterea incorruptibilis ſit, eodem fere fundamento probatur. Vt enim corrumperetur, deberet aſſignari tranſitus illius de eſſe ad non eſſe, permanente aliquo ſubiecto, vt patet ex definitione corruptionis, & diſtinctione illius ab annihilatione. Sed repugnat materiam tranſire de eſſe ad non eſſe, permanente aliquo ſubiecto. Ergo repugnat materiam primam corrumpi. Probatur minor: Nam ſubiectum, quod permanere debet in tranſitu corruptiuo rei de non eſſe ad eſſe, eſt primum ſubiectum, ac proinde materia ipſa. Sed repugnat materiam tranſire de eſſe ad non eſſe, permanente in rerum natura eadem materia. Idem enim nequit ſimul eſſe & non eſſe. Ergo repugnat materiam tranſire de eſſe ad non eſſe, permanēte aliquo ſubiecto.

19 *OBICIES I.* Si materia eſſet ingenerabilis & incorruptibilis, tribueret compoſito eandem denominationem; ſicut, quia materialis eſt, tribuit compoſito eandem denominationem. At materia nõ tribuit compoſito denominationem ingenerabilis & incorruptibilis: nam compoſitum ſubſtātiale abſolutè generabile & corruptibile appellatur, & eſt. Ergo nec ipſa materia eſt ingenerabilis & incorruptibilis. *Reſp.* Ingenerabilitatem & incorruptibilitatem totius eſſe de genere boni & perfectionis, vt patet in cœlo, iuxta frequentiorem opinionem: ac proinde debere conſurgere ex integrà cauſa: id eſt, tam ex partibus ſeorſim incorruptibilibus, quàm ex indiſſolubili earundem vnione. Quare quòd materia ſit ſola incorruptibilis & ingenerabilis, Imo & quod forma etiam, vt anima rationalis, non ſufficit vt totum abſolutè dicatur ingenerabile & incorruptibile; quia adhuc vnio vtriuſq; partis generari & corrumpi poteſt. Denominatio autem *materialis* in compoſito eſt de genere mali, ac proinde ex quocumque defectu contrahitur, ſiue ille ſit omnium partium, ſiue vnius tantùm, quæ materialis ſit.

20 *DICES*; Hoc ipſo quòd ingenerabilitas, & incorruptibilitas ſit de genere perfectionis, nequit conuenire materiæ, quin etiam compoſito per illam conſtituto. Aliàs enim compoſitum eſſet, ſimpliciter loquendo, imperfectius, quàm materia. Ergo ſi compoſito non conuenit ingenerabilitas, & incorruptibilitas, vt fatemur, nequit conuenire materiæ. *RESP.* Negando antecedens. Neque inde infertur, compoſitū forè minus perfectum ſimpliciter, quàm materiam; ſed ſolùm ſecundùm quid, & quoad modum incipiendi. Nam cùm perfectio ſimpliciter deſumatur

ab entitate, & actualitate, compoſitum autem excedat ſimpliciter materiam in entitate & actualitate, excedit proinde illam in perfectione. Adde, illam ipſam perfectionē ingenerabilitatis, & incorruptibilitatis, quantulacumque, & qualiſcumque ſit in materiā, etiam convenire compoſito inadæquatè conſiderato, & quoad partē materialem ſui: ac proinde nihil perfectionis convenire materiæ, quod inadæquatè compoſito non conveniat.

21 *OBIICIES II.* Omnis actus & accidens informans materiam tribuit ipſi ſuum effectum formalem: vt patet ab inductione quarumlibet formarum accidentalium relatè ad proprium ſubiectum. Sed actus generationis informat materiam, cùm in ea recipiatur iuxta frequentiorem opinionem tamquam in proprio ſubiecto. Ergo tribuit materiæ ſuum effectum formalē. Sed effectus formalis generationis ſubſtantialis eſt reddere ſubiectum genitum, ſicut & albedinis album, & caloris calidum. Ergo materia recipiens formalem effectum generationis ſubſtantialis, erit genita; ac proinde generabilis, quia ab actu ad potentiam recta eſt illatio. *RESP.* Duplex eſſe genus formarum ſive actuum accidentalium. Quidā enim important habitudinē ſimul ad ſubiectum & terminum: alij vero ad ſubiectum tantùm. Hi præſtat quidem omnem denominationem & effectum ſibi connaturalem proprio ſubiecto, quia no habent aliud cui illud communicent: & ita contingit in albedine & nigredine & calore, alijſque formis permanentibus. Illi vero, cum ordinē importent, tàm ad ſubiectum, quàm ad terminum, partiuntur inter vtrumque proprios effectus, denominationeſque, iuxta cuiuſcumque capacitatem. Cùm vero terminus ſit capax denominationis geniti, eam ipſi communicant: ſubiecto vero, quod ſolùm fuerit capax denominationis mutati, ſeu tranſeuntis ab vno ad alium terminū, pręſtant formaliter mutatum eſſe. Proinde, cum generatio ſubſtantialis ſit dē genere poſteriorum actuum, partitur ſuas denominationes, ſive effectus formales, inter materiam primam & terminum, ſive totum per ipſam productum; & materiam quidē reddit mutatam, ſive tranſeuntem ab vno termino in alium; totum vero reddit ſeu denominat genitum: quia vnumquodque illorum eius tantùm denominationis eſt capax. Et hoc ipſum adhuc negari poteſt in opinione aſſerentium generationem ſubſtantialem recipi in termino, iuxta quam obiectio falſum ſupponit.

22 *OBIICIES III.* Materia eſt principium corruptionis, vt indicat Ariſtoteles hoc *lib. 1. cap. vltimo*, ac D. Thomas *1. p. q. 66. art. 2. & 2. contra Gentes, cap. 55.* aliique Philoſophi communiter, adeo vt in axioma abierit. At poſito quòd materia ſit incorruptibilis, nequit eſſe corruptionis principium. Ergo materia incorruptibilis non eſt. Probatur minor dupliciter. *Primò:* Quia propter quod vnumquodque tale & illud magis, vt Ariſtoteles loquitur *lib. 1. de Poster. analyſi, cap. 2.* & ex eo ſequentur alij. Ergo ſi compoſitum eſſet corruptibile, propter materiam, multò magis ipſa eſſet corruptibilis. *Secundò:* Quoniam oppoſitum nequit eſſe cauſa, ſive principiū inductivum ſui oppoſiti. At corruptio & incorruptio opponuntur. Ergo ſi materia eſt incorruptibilis, nequit eſſe cauſa, ſive principium inductivum corruptionis.

23 *RESP.* Principium corruptionis eſſe duplex: nimirum, materiam non ſatiatam formà, & formam non ſatiantem materiam; vnamquamque illarum in ſuo genere. Ratio prioris partis eſt, quia materia, dum eſt ſub vna forma, appetit naturaliter aliam, vt dicemus ſect. ſequenti: ac proinde appetit diſpoſitiones parantes viam ad formam futuram, & inductivas corruptionis in formam præſentem. Ratio poſterioris partis eſt, quia ideo materia, dum eſt ſub vna forma, appetit aliam, quia per formam, quam poſsidet, no ſatiatur, ſeu expletur capacitas paſsiva, & connaturalis ipſius, qua reſpicit omnes ſublunares formas. Ideoque materia cęleſtis iuxta communiorem ſententiam, quę illam ſpecie diſtinguit a ſublunari, non appetit aliam formam ab eà, quam actu poſsidet; quia ab illà ſatiatur; tamquam ab actu adæquato & inamiſsibili. Ergo principium corruptionis partim eſt materia, quatenus appetens formā aliam; partim forma, quatenus non explens totam capacitatem, & appetitum materiæ; vnaquæque in ſuo genere. Cæterum facta collatione inter vtramque, materia eſt principium omnino primum & radicale corruptionis, vt indicat D. Thom. loco allegato in obiectione ex 2. contra Gentes. Ratio eſt: Quia licèt omnes diſpoſitiones, medio quibus ſit corruptio, recipiantur in toto; adhuc tamen, quòd totum ijs ſubſlet, non habet à formà, vt primo, & radicali principio ſimpliciter, ſed à materia, quæ eſt ſubiectum omnino primum. Tum præterea, quia privatio, quæ maximè ad corruptionem requiritur, non ſe tenet ex parte formæ, cum quà minimè coexiſtit; ſed materiæ,

riæ, in quâ eſt. Patet igitur, factâ collatione inter vtramque, materiam potiùs eſſe principium corruptionis, quàm formam; licèt vtraque illam inferat modo iam explicato.

24 *INDIDEM* Verò non infertur, materiam corruptibilem eſſe, vt in obiectione prætenditur: Quia axioma illud *Philoſophi* ſolùm eſt verum de ijs prædicatis, quæ nata ſunt cauſæ ſimul & effectui convenire; non verò de ijs, quæ effectui tantùm. Id patet in bonitate divina, propter quam Deus omnia creavit, quin exinde colligatur multò magis illam creatam eſſe. Similiter in reo, quem iudex punit propter iuſtitiam, abſque eo quòd inferatur multò magis iuſtitiam puniri; ſed potiùs oppoſitū. Nimirum, denominationes creati, & puniti, non ſunt natæ Deo, & iuſtitiæ convenire; ſed creaturæ & reo tantùm. Ob eandē cauſam, licèt forma, ſive anima rationalis, ſit corruptionis principium, iuxta dicta, quatenus non explet totam capacitatem, & appetitum materiæ; non propterea corruptibilis eſt. Hoc enim prædicatum non eſt natum convenire cauſæ primæ materiali, ſed ipſius effectui materiali. *Pariter* ergo, quia corruptibilitas non eſt prædicatū natum convenire cauſæ primæ materiali, & ipſius effectui ſimul, ſed effectui tantùm; neutiquam infertur, materiam eſſe corruptibilem, quamquam totum ratione ipſius reddatur & ſit corruptibile.

SECTIO TERTIA.

Vtrùm materia prima habeat appetitum ad omnes formas ſubſtantiales?

25 NOTANDVM Ex doctrinâ D. Thomæ 1.*p.q.*61.*art.*1.*ad* 2. alijſque locis, duplicem eſſe appetitum: alterum innatum, elicitum alium. *Prior* eſt inclinatio, ſeu pondus inditum ab Authore naturæ, quo vnaquæque res abſq; vllâ cognitione fertur in proprium bonum; qualiter gravia & levia in centrum, ac potentiæ in ſua obiecta. *Poſterior* eſt actus appetendi, quo res propendet in bonum cognitum ſub ratione boni, quique propriè ac præciſius rationem appetitus habet. Difficultas præſens non eſt de hoc poſteriori; cùm planè conſtet materiam eſſe omnis cognitionis expertem; ſed tantùm de illo priori, cuius capax eſt entitas inanimata & incapax cognitionis.

26 *NEGANT* Materiæ appetitum ad formas S. Iuſtinus *Philoſophus* & Martyr *in Confutatione dogmatum Ariſtotelis*, & Avicena *libr.*1. *Sufficientiæ c.*2. & ex parte Arriaga *diſp.*2.*ſect.* 4. alijque Recentiores. Alij verò communiter oppoſitum docent cum *Philoſopho* lib. 1. *Phyſic.* cap. 9. textu 81. vbi de materiâ loquens comparatâ ad formam, inquit: ἀλλὰ τοῦτ᾽ ἐστὶν ἡ ὕλη, ὥσπερ ἂν θῆλυ ἄρρενος, καὶ αἰσχρὸν καλοῦ. *Sed hoc eſt materia, perinde appetens illud* (formam) *ac ſi fœmina marem, & turpe appetat pulchrum.* Vbi eamdem doctrinam tradit S. Thomas, & 1.p.q.19.art.2. inquiens: *Videmus quòd inclinatio, quæ eſt ad eſſe rei non eſt per aliquid additum eſſentiæ; ſed per materiam, quæ appetit eſſe antequam habeat; & per formam, quæ tenet rem in eſſe, poſtquam fuerit.* Idemque habet *in* 2.*diſt.*18.*q.*1.*art.*2.*corpore, ac de Veritate q.*32.*art.*1.*ad* 3. Vtrumque ſequuntur ferè omnes alij *Philoſophi*, & Interpretes in præſenti.

27 *RATIO* Communis, & germana eſt: Quia omnis res appetitu innato propēdet in bonum ſibi proportionatum & conveniens, cuius acceſſione perficitur. *Proportionatum*, inquam. Nam ſi improportionatum ſit, vt dona ſupernaturalia reſpectu naturæ, nullus erit appetitus innatus ad talia bona. *Conveniens*, etiam. Si namque res aliqua in ſe bona ſit, non tamen conveniens alicui naturæ; hæc non habebit appetitum innatum ad illam. quâ ratione aqua non appetit naturaliter calorem, quia licèt in ſe & abſolutè bonus ſit, non eſt bonus & cōveniens relatè ad aquam, ſed potiùs nocivus & diſconveniens. Sed forma ſubſtantialis eſt bonum aliquid & conveniens materiæ primæ; cùm hæc ab illâ accipiat perfectionem in ſpecie determinatâ & completâ, actueturque primò intra genus ſubſtantiæ. Ergo materia appetitu innato propendet in ſubſtantialem formam.

28 *HIC* Verò appetitus innatus in materia duplex eſt: alter quaſi deſiderij erga formam abſentem, alter quaſi complacētiæ in ordine ad formam actu poſſeſſam & præſentem materiæ. Quod luculenter explicat S. Thomas 1.*part.quæſt.*19.*art.*1. illis verbis: *Qualibet res per ſuam formam naturalem hanc habet habitudinem, vt quando non habet ipſam, tendat in eam; & quando habet ipſam, quieſcat in eâ: & hæc habitudo ad bonum in rebus carentibus cognitione vocatur appetitus naturalis.* Palam verò eſt, appetitum ad bonum abſens eſſe deſiderij; ad præſens verò, gaudij, fruitionis, ſeu complacentiæ, aut quaſi. Licet enim hæc nomina propriùs conveniant appetitui elicito, adaptātur nihilominus innato proportione quadam.

dam,

dam. Proindeque materia in formam abſentem propendet appetitu naturali quaſi deſiderij; in præſentem verò, quaſi delectationis, aut quietis.

CONFIRM. Quò res aliqua magis imperfecta & incompleta eſt, eò magis propendet naturaliter in ſui perfectionem & complementum; vel tendendo in illud, ſi nondum obtinet; vel quieſcendo in eo, ſi obtinet. Sed materia eſt res valde imperfecta & incompleta intra genus ſubſtantiæ, & forma ſubſtantialis eſt illius perfectio ac complementum. Ergo propendet naturaliter & præcipuè tendendo in formam, quam nondum obtinet, & quieſcendo in eà, quam obtinet. qui duo appetitus ſunt planè quaſi deſiderij & complacentiæ.

29 *OPPONES I.* D. Thomam 1. *part. q. 87. art. 4.* docentem, appetitum naturalem procedere à formà naturali, ſicut elicitum à formà apprehenſà. At materia ex ſe nullam habet formam. Ergo nullum appetitum. *RESP.* S. Doctorē eò loci agere de appetitu conſequente ens completum in ſuà ſpecie, qualis eſt propenſio gravium & levium ad proprium centrum; non verò de illo qui conſequitur quamlibet entitatē incompletam, & naturaliter egentem cōplemento ac perfectione alterius: vt patet ex alio teſtimonio ipſius nuper relato.

30 *OPPONES II.* Si materia appeteret formas eò quòd per eas completur atque perficitur, appeteret omnes, cùm ab omnibus compleatur & perficiatur. At nō appetit omnes formas. Ergo nullas. Probatur minor multipliciter. *Primò*: Quia ſi materia appeteret omnes formas, appetitus eius numquam ſatiaretur; cùm numquā poſsidere poſsit omnes formas, vtpotè ſyncathegorematicè infinitas, & numquam tot exiſtentes, quin plures exiſtere poſsint. *Secundò*, Si materia appeteret omnes formas, etiam dum poſsidet optimam & perfectiorem, qualis eſt anima rationalis, naturaliter appeteret minùs perfectam, vt purè ſentientem, vegetantem, aut inanimatam. Repugnat autem rem aliquam appetitu naturali ferri ad minorem perfectionem incompoſsibilem cum perfectione maiori actu poſſeſsà: quia appetitus naturalis tendit à minori ad maiorem perfectionem; nō autem è contra. *Tertiò*, & eſt confirmatio præcedentis probationis. Appetitus elicitus ſi tenderet ad minorem perfectionem abſentem & incompoſsibilem cum maiori perfectione præſenti, eſſet inordinatus. Ergo ſimiliter appetitus naturalis. At nihil in naturà inordinatum eſt. Ergo dum materia poſsidet formam perfectiorem, non appetit naturaliter minus perfectam, & incompoſsibilem cum ipsa. *Quartò*. Si materia appeteret omnes formas, dum eſt ſub vna, appeteret vtique deſtructionem propriæ formæ; vtpotè incompoſsibilis cum alijs, quas appeteret: imo & vt argumentatur Arriaga, eſſet violenta ſub formà, quā actu poſsidet. Vtrumque autem abſurdum eſt: quia omnis pars naturaliter appetit bonum totius multò magis, quam proprium, & in eo propenſione innatà quieſcit. Non ergo appetit materia omnes formas quando vnam poſsidet.

31 *RESP.* Negando minorem. Materia enim dum actu poſsidet vnā formam, & in eà quieſcit, vt in termino inadæquato, adhuc propendet appetitu deſiderij naturalis in cæteras omnes formas, a quibus compleri & perfici poteſt. *Ad I. Probationem* dicendum, materiæ appetitum numquam ſatiari, niſi inadæquatè: quia numquam poſsidet, niſi vnicam formam, cuius fruitione ſatietur appetitus inadæquatus deſiderij, quo in eam abſentem ferebatur: reſpectu verò cæterarum, quibus actu caret, & quarum naturaliter capax eſt, numquam eſt in ſatietate actuali, niſi inadæquatè & ſucceſsivè, prout vnamquāque illarum actu poſſederit. Id autem non eſt contra, ſed potiùs iuxta conditionem potentiæ paſsivæ ſyncathegorematicè infinitæ, qualis eſt materiæ primæ ad omnes formas, etiam ſyncathegorematicè infinitas: ſicut non eſt contra, ſed iuxta indolem potentiæ activæ ſyncathegorematicè infinitę, vt viſus & auditus, quod naturaliter propendeat in omnes colores ac ſonos, etiam ſyncathegorematicè infinitos, iuxta illud Eccl. 1. v. 8. *Non ſaturatur oculus viſu, neque auris auditu impletur*. Lege S. Thomam 1. *p. quaeſt. 7. art. 4. ad 1. Ad II. Probat.* conceſsa maiore negatur minor: Quia licèt ex eo capite, quo aliquid eſt maior perfectio, appetatur naturaliter præ minori perfectione; aliunde ille exceſſus compenſari poteſt, imò & ſuperari, ex propenſione ad bonum commune ac prævalens. Manifeſtum eſt autem ad bonum commune Vniverſi potiùs conducere ſeriem ac viciſsitudinem generationum, quàm quòd ijs ceſſantibus materia perpetuò ſit ſub eadem formà, etiam optima & perfectiſsimà. Ergo materia, adhuc dum eſt ſub formà optima & perfectiſsimà, naturaliter appetit alias formas producibiles per generationem, in quantùm pars quædam Vniverſi eſt. Ex quo patet ad III. Probationem. Appetitus enim elicitus ad propriam per-

perfectionem minorem & incompoſsibilem cum maiori, non eſſet inordinatus, ſi perfectio quæ eſt minor reſpectu appetentis, eſſet convenientior & maior reſpectu boni communis totius, aut Vniverſi. Addendum præterea; adhuc relatè ad materiam eſſe quid convenientius & melius recipere ſucceſsivè plures formas, & vagari per omnes, quam perſiſtere ſub vnà ſemper: Quia id eſt melius & convenientius alicui, quod eſt conformius ipſius naturæ. At naturæ materiæ primæ, conſiſtenti in potentià paſsivà omnium formarum amiſsibiliter; conformius eſt recipere ſucceſsivè varias formas, quam ſemper ſub vnà perſiſtere, vt ex terminis patet. Ergo adhuc reſpectu materiæ quid convenientius & melius eſt recipere ſucceſsivè omnes formas, quàm perſiſtere ſemper ſub vnà, qualiſcũque, & quantumvis perfectior ea ſit. Vnde maior illa perfectio vnius formæ actu poſſeſſæ ſupra aliam, de materiali ſe habet reſpectu materiæ ſecundùm ſe conſideratæ; ſicut maior perfectio vnius coloris ſupra alium materialiter ſe habet reſpectu appetitus naturalis, quo viſus propendet in omnes alios colores, etiam minùs perfectos.

Ad IV. Probationem, concedimus materiam ſub vna formà appetere naturali deſiderio, ſeu quaſi deſiderio, aliam per ſe loquendo; non tamen interitum formæ, quam actu poſsidet, niſi ſolùm per accidens. Stat enim optimè, & mille exemplis comprobatur, duorum inter ſe neceſſariò connexorum poſſe vnum appeti per ſe, quia bonum eſt, quin aliud per ſe appetatur, ſed ſolum ex cõſequenti & per accidens, eò quòd malum ſit. Corruptio autem formæ mala eſt, ſicut generatio cenſetur bonum naturę. Nec denuum infertur materiam fore omnino violentam ſub qualibet formà. Id enim ſolùm eſſet caſu quo exiſteret abſque omni formà vt D. Rodriguez de facto cenſet; & Arriaga, cuius eſt obiectio, arbitratur poſsibile: quia tunc materia neque adæquatè, neque inadæquatè eſſet in actum reducta. At enim vero nunc, vbi materia ſub qualibet formà eſt, inadæquatè ſaltim ſatiatur, ſive ſecundùm illam quaſi partialem habitudinem, qua propendebat antea ad formam hanc, quam modò poſsidet. Omnis autem potentia conſiſtens in amplitudine ad plura inter ſe incompoſsibilia, ſive ſit potentia activa, ſive paſsiva, ſolùm exigit ſatiari inadæquatè per vnum vel aliud extremum, quia per plura incompoſsibilia ſimul ſatiari non poteſt. Vnde quamvis plura ſimul non poſſideat, ſed vnicum, non ideo erit propriè violenta: quia violentia propriè dicta ſolùm datur vbi res impeditur omnino à ſtatu ſibi connaturaliter debito; qualis non eſt reſpectu materiæ exiſtentia ſub pluribus formis ſimul; imò nec ſucceſsivè, niſi ſolùm vbi fuerit affecta diſpoſitionibus ad novam formam.

32 *HINC* Colliges, cur corpora Beatorum poſt reſurrectionem non ſint futura in ſtatu violento, licèt totà æternitate à parte pòſt extitura ſint ſub animà rationali inamiſsibiliter: Quia, ſcilicet, ex vno capite naturalis capacitas materiæ ſatiata erit inadæquatè & quò ad illum ordinem quaſi partialem, quo in hãc numero animam rationalem propendebat; & ex altero, nullæ in Beatis erunt diſpoſitiones alterativæ, aut parantes viam ad novam generationem, ſine quibus materia caret appetitu proximo alterius formæ. Quare in ea ſolùm manebit appetitus deſiderij quaſi remotus & radicalis ad alias formas inſatiatus ex illo capite. quod non ſufficit ad ſtrictã violentiam. Maximè, quia anima cuiuſlibet Beati tot corpori dotes afferet, vt compenſet abundè quidquid perfectionis mutuare poſſet ex viciſsitudine plurium formarum amiſsibilium, ac proinde nõ ſit in ſtatu violento. Sic humanitas Chriſti, licèt naturali, ſive innato deſiderio, propendeat in ſubſiſtentiam creatam & propriam, quà actu caret; non ideo eſt in ſtatu violento: quia, ſcilicet, per ſubſiſtentiam Verbi eidem intimè communicatam abundè compenſat quidquid perfectionis mutuare poſſet ex hypoſtaſi humanà, & ſibi connaturali.

33 *COLLIGES II.* Appetitum naturalem materiæ ad formam, ſive ille appelletur deſiderij, ſive gaudij, ſolùm eſſe propenſionem innatam materiæ ad formam. ſine vllo actu elicito, vel ſuperaddito; ac proinde quid indiſtinctum ab entitate ipſa materiæ, quatenus reſpiciente formam vt bonum ſibi conveniens. Quando autem hoc bonum inſpicitur tamquam proximè & de facili habendum, propter ſpeciales diſpoſitiones parantes viam ad aliquam formam determinatam, vt ad formam cadaveris in homine iam moriente; talis appetitus appellatur proximus: indiſtinctus tamen ex parte recti ab entitate materiæ; ſolumque diſtinctus ex parte obliqui, ſive diſpoſitionũ, quibus illa affecta eſt. Nihil enim medium cadere poteſt inter materiam & formam: ac proinde nec appetitus proximus, qui ſit à materià realiter diſtinctus. Secluſis verò diſpoſitionibus ad aliquam formam, manet materia cum ſolo appetitu remo-

remoto, ſeu radicali ad illam, indiſtincto vndique ab eius entitate, & abſoluto, ſeu libero ab omni connotatione diſpoſitionum.

34 *VNIVERSA* ferè, quæ dixim°, illuſtrantur admodum duplici teſtimonio D. Thomæ. Alterum eſt ex hoc *lib.1. Phyſicor. text. 81.* vbi loquitur: *Nihil eſt aliud materiam appetere formam, quàm eam ordinari ad formam. ideo ineſt ei ſemper appetitus formæ, non propter faſtidium formæ quam habet; nec propter hoc, quòd quærat contraria eſſe ſimul: ſed quia eſt in potentiâ ad formas, dum vnam habet actu.* Alterum ſedem habet 1. *p. quæſt. 59. art. 2.* eſtque huiuſmodi: *Inclinatio, quæ eſt ad eſſe rei, non eſt per aliquid ſuperadditum eſſentiæ: ſed per materiam, quæ appetit eſſe antequam habeat, & per formam, quæ tenet rem in eſſe poſt quam fuerit.* Reſtat nunc diſquirere, an hic materiæ appetitus extendatur ad formam corruptam.

SECTIO QVARTA.

Vtrùm materia appetat formam præteritam, ſeu corruptam.

35 NEGANT Authores *ſect. præced. num. 25.* à principio allegati. Affirmant tamen cæteri communiter, quibus libenter conſentio.

DICENDVM itaque eſt, materiam appetitu deſiderij innato, ſeu naturali quò ad ſubſtantiam, appetere formam corruptam, ſeu præteritam; licèt illam non appetat naturaliter quò ad modum. Aſſertum deducitur ex D. Thom. 1. *part. q. 66. art. 1.* illis verbis: *Sicut corpus leve manet quidem leve cùm à proprio loco fuerit ſeparatum, cum aptitudine tamen & inclinatione ad proprium locum; ita anima humana manet in ſuo eſſe, cùm fuerit à corpore ſeparata, habens inclinationem naturalem ad corporis vnionem.* Quod ita expendo. Sicut anima ſeparata ſe habet vt cõpars ad materiam ſeparatam, ita & materia reſpectu animæ ſeparatæ. Sed quia anima ſeparata eſt compars materiæ, fertur ad illam appetitu naturali deſiderij. Ergo ob eamdem rationem materia ſimili appetitu fertur ad animam ſeparatam. Ergo & ad omnem formam præteritam, ſeu corruptam: quia omnem eiuſmodi formam etiam reſpicit materia, vt compartem. At nõ fertur anima ſeparata ad materiam appetitu naturali quò ad modum; cùm modus vnionis animæ ſeparatæ, aut formæ corruptæ ad materiam, ſit naturaliter impoſsibilis, ſicut & reſurrectio: ſed ſolùm poteſt in eam propendere appetitu naturali quò ad ſubſtantiam, & præſcindendo à ſupernaturali modo. Ergo & materia fertur ad formam ſeparatam appetitu deſiderij naturalis, quò ad ſubſtantiam, non verò quo ad modum. Vt enim idem Angelicus Doctor tradit *in 4. diſt. 48. art. 1.* naturale & ſupernaturale dicitur dupliciter. Primò abſolutè & ſimpliciter loquendo, tam ex parte termini producti, quàm principij & modi producendi. Hac ratione homo, equus, & alia eiuſmodi, quoties per generationẽ naturalem procedunt, dicuntur entia naturalia ſimpliciter: è contra verò gratia, fides, ac ſpes theologica, cenſentur entitates abſolutè ſupernaturales. Secundò dicitur aliquid naturale ex parte termini, & ſupernaturale ex parte principij ac modi: vt reſurrectio, & illuminatio cæci. Terminus enim productus eſt in ſe aliquid quò ad ſubſtantiam naturale: principium verò & modus quo iterum ponitur in rerum naturâ, eſt ſupra naturæ vires; ac proinde res ipſa dicitur ſupernaturalis quò ad modum. Hoc ſenſu eſt accipienda concluſio.

36 *DEINDE* Probatur ratione. Quælibet enim res appetitu naturali deſiderij propendet in bonum ſuæ naturæ conforme: ideóque ſuperiori ſectione probatũ eſt, materiam primam pondere appetitus innati ferri ad omnes formas ſubſtantiales, quia ab ijs omnibus perfici poteſt. Sed forma ſeparata, & corrupta eſt quò ad ſubſtãtiam bonum aliquod conveniens naturæ materiæ primæ, eiuſque perfectivum, licèt ſolùm ab agente ſupernaturali revniri, aut iterum produci valeat. Ergo materia appetitu naturali deſiderij quo ad ſubſtantiam fertur in formam ſeparatam, & corruptam; licèt ſolùm ab agente ſupernaturali revnibilem, aut iterum producibilem. *CONFIRMATVR.* Si dependentia ab Authore ſupernaturali quò ad recuperationem formæ amiſſæ excluderet à materiâ appetitum naturalem deſiderij ad illam; etiam anima ſeparata careret eiuſmodi appetitu circa proprium corpus, quia ſolùm ab agente ſupernaturali reſtitui poteſt proprio corpori. At conſequens iuxta omnes falſum eſt, & reijcitur expreſsè à D. Thomâ verbis in principio allegatis. Ergo & falſum eſt dependẽtiam ab Authore ſupernaturali quò ad recuperationẽ formæ amiſſæ, impedire materiæ appetitum naturalem ad illam.

37 *VBI* Notatum volo, reſurrectionem hominis non dici ſupernaturalem quò ad modum, quia producatur aliquis modus intrinſecè ſupernaturalis in homine reſurgen-

gente. Talis enim modus ſine fundamento aſſereretur, quia entitas vnionis inter animam & corpus poſt reſurrectionem, ſiue temporalem, ſiue æternam, tam naturalis eſt intrinſecè, ac fuit ipſa vnio producta ex vi naturalis generationis. Imo non eſt alia numero vnio, ſed eadem ipſa quæ primùm fuit; ſicut non eſt alius homo qui reſurgit, ab eo, qui genitus antea fuerat. Dicitur ergo ſupernaturalis quò ad modum reſurrectio mortuorum, quia licèt nihil entitatis, aut modi ponatur in homine reſurgente, quod intrinſecè ſupernaturale ſit; adhuc producitur per imitationem quamdam ad dona ſupernaturalia, ſine prævijs naturæ diſpoſitionibus, aut concurſu phyſico agenti naturalis. In quo eſt imitatio quædam imperfecta ſupernaturalium donorum, quæ ſunt ſupra diſpoſitiones & actiuum influxũ naturæ creatæ. Qua ratione etiam creatio aliquatenus dici poteſt ſupernaturalis quò ad modum, cùm nullas præſupponat diſpoſitiones, aut influxum agentis creati in rem, quæ ex puro nihilo producitur. In vſu tamen, & ſtilo communi loquendi, potiùs reſurrectio, quam creatio, ſupernaturalis quo ad modum dici ſolet. Hinc vero;

38 *CONFIRMATVR II.* Aſſertum. Non obſtanti quod anima rationalis ſolùm fieri poſsit per creationem, ac proinde ſine influxo actiuo agentis creati in illam, materia prima naturali appetitu deſiderij fertur in animam rationalem nondum creatã; quia ſecundùm ſe eſt forma corporis, & naturalis perfectio illius. Sed etiam forma ſeparata, & corrupta, ſecundùm ſe eſt actus corporis, eiuſque naturalis perfectio, licèt nequeat induci per influxum agentis creati. Ergo pariter materia appetitu naturali deſiderij fertur ad formam ſeparatam & corruptam. Quia vero diſpoſitiones ad recipiendum animam nondum creatam, induci poſſunt ab agente creato, & de facto inducuntur quoties homo generandus eſt, ideo appetitus materiæ ad animã nondum creatam cenſetur ex omni capite naturalis. At vero cùm diſpoſitiones ad recuperandũ formam ſeparatam, vel corruptam, induci nequeant ab agente naturali, appetitus materiæ ad illam non cenſetur vndique naturalis ex parte termini, ſed ſolùm quo ad ſubſtantiam ipſius, & præſcindendo à modo illo ſupernaturali. Dixi, *ex parte termini:* quia ex parte ſubiecti ſiue materiæ reverà nihil ſupernaturale eſt, ſed ſola entitas materię propendens in formam corruptam, aut ſeparatam, appetitu ac pondere naturali.

39 *OBIICIES.* Nulla eſt ratio naturalis, quæ ſuadeat impoſsibilem eſſe agenti creato reproductionem phyſicam eiuſdem rei antea corruptæ. Ergo nulla eſt ratio, quæ probet appetitum materiæ ad formã corruptam non eſſe ex omni capite naturalem; ac proinde tam quo ad ſubſtantiam, quam quo ad modum. Conſequentia patet: & antecedens probatur: Quia ideo res aliqua potuit primo produci phyſicè ab agente creato, quia in eius potentia phyſica continebatur, tamquam effectus in virtute cauſæ. Sed etiam res poſtquam corrupta fuit, continetur in potentia phyſicà agẽtis creati, tamquam effectus in virtute ſuæ cauſæ. Eadem quippe eſt virtus, ſeu potentia phyſica agentis creati poſtquam aliquid produxit, & antequam illud produceret, eiuſdemque omnino eſſentiæ in vtroque ſtatu. Ergo res etiam poſtquam producta fuit poteſt produci phyſicè a creato agente. *DICES* ex doctrina aliquorum, non poſſe agens creatum producere diſpoſitiones requiſitas ad reſtitutionem, ſiue inductionẽ formæ corruptæ. Sed hoc non ſatisfacit: Quia argumentum æquè contendit, agens creatum habere vim phyſicè productiuam diſpoſitionum ad inducendam formam corruptã; ſicut illam habuit à principio quando primò illam produxit; ſiquidem in vtroquè ſtatu virtus agentis creati eadem eſt. *DICES II.* cum alijs, indiuiduationem formæ, & cuiuſlibet rei, determinari ex circunſtantijs temporis, loci, aliiſque ſimilibus: ac proinde agens creatum non poſſe producere formam ſemel corruptam, & eamdem numero, quæ antea erat; ſiquidem non poteſt facere vt illa ſecundo incipiat in eodem locõ & tempore, ac antea, ſed in diverſo: atque adeò nequit producere eamdem numericè, ſeu in indiuiduo. *SED* Contra. Si enim ſolutio hæc quippiam probat, evincit ſanè, nec ſecundùm poteſtatem Dei abſolutam fieri valere, vt forma corrupta eadem numero reproducatur: quod tamen quàm abſurdum ſit, quamque diſſonum articulo reſurrectionis futuræ, nemo non videt. Sequelam probo: Quia nec poteſtate Dei abſoluta fieri poteſt, vt forma iam corrupta ponatur iterum in rerum naturà ſub eadem circunſtantià temporis, ac primùm poſita fuit. Quippe cum tempus eſſentialiter ſit ens ſucceſsiuum, & alligatum ſuæ durationi fluenti, omnino irrevocabile eſt, & ab intrinſeco repugnans ſuæ reproductioni. Ergo ſi indiuiduatio formæ corruptæ deſumitur ex circunſtantià temporis irrevocabilis ab agente creato, ideoque impotentis ad

illam

illam eamdem numero reproducendam; cùm etiam circunſtantia eiuſmodi ſit irrevocabilis ab agente increato, adhuc ſecundùm poteſtatem abſolutam operante, conſequens eſt, vt neque ab ipſo reproduci valeat eadem numero forma corrupta.

40. *FATEOR* Difficilem eſſe aſsignatu rationem, quæ ſuadeat, impoſsibilem eſſe agenti creato phyſicam reproductionem eiuſdem numero effectus. Quamvis enim Ariſtoteles, & cum eo communiter alij ſtatuant, & ingeminent axioma illud, *Ad præteritum non eſt naturalis regreſſus*; adhuc tamen deſideratur illius probatio. Veroſimilior quæ occurrit modò, deſumi poteſt ex ordine Vniverſi, & naturali rerum fluxu, ac viciſsitudine generationum & corruptionum; quæ exigit nullam rem produci, aut corrumpi, niſi ſemel tantùm; ac proinde nullius agentis creati virtutem phyſicã extendi ad producendum aliquem effectum, niſi tantùm ſemel. Accedit ratio alia ex D. Thom. 4. *contra Gent. cap.* 81. & *Quodlib.* 4. quia virtus naturæ nequit repetere hoc tẽpore præſenti eamdem numero actionem, quà produxit talem effectum tempore præterito: quoniam actio illa individuabatur ex connotatione temporis iam elapſi. Ergo virtus naturæ nequit reproducere eumdem effectum in individuo. Hic enim ſicut naturaliter pendet à determinata cauſa, ita & à determinatà actione. Neque obſtat quod in obiectione proponitur de eàdem virtute agentis ante, & poſt primam rei productionem: nam licèt eadem ſit quò ad eſſentiam & ſpecificationem in vtroque ſtatu, diverſa tamen eſt quò ad modum ſe habendi, ſive quò ad exercitium; quia ante primam rei productionem nondum fuerat in actum reducta, atque adeò poterat rem primò producere; ſecus autem poſtea.

41 *REPLICABIS*: Etiam materia per primam receptionem formę fuerat in actũ reducta. Et tamen iuxta noſtrã ſententiam manet cum potẽtià paſsivà naturali, atquę appetu innato, ad ſecundam eiuſdem numero formæ receptionem. Ergo licèt potentia activa creata fuerit in actum reducta ex vi primæ productionis alicuius effectus, poteſt in eà perſiſtere vis activa & connaturalis ad ſecundam eiuſdem numero effectus productionem. *RESP.* Conceſsà vtraque præmiſsà, negando conſequentiam & paritatem. Materia enim, cùm ſit ingenerabilis & incorruptibilis, neque attenuatur, neque minoratur, neque vlla ex parte conſumitur per ſuſceptiones diverſarum formarum, aut replicatas eiuſdẽ numero formæ, in diverſis temporibus. Quare tam eius potentia, quàm appetitus naturalis, integer perſiſtit circa omnes formas, & circa replicatam eiuſdem numero receptionẽ. At vero vis activa creata agendo repatitur, fatiſcit, debilitaturque, & exhauritur tandem per productiones effectuũ; cùm ſit corruptibilis, & limitata plerumque, non ſolum in actu, vt de ſe patet, ſed etiam in potentia. Imò eſto aliqua virtus activa creaturæ ſit infinita in potentià ad proprios actus, vt intellectus & voluntas, ac potentiæ ſenſitivæ poſt reſurrectionem vniverſalem; adhuc dicendum eſt, vim naturalẽ ipſarum exhauriri per productionem cuiuslibet effectus in individuo; quia virtualitas illa, ſeu inadæquata vis, quæ correſpondet cuilibet cauſæ creatę per ordinẽ ad vnamquemque actum, ſive effectum in individuo, agendo repatitur, & exhauritur per primam productionẽ ejuſdem effectus. in quo ſanè differt ab Omnipotẽtià Dei, quæ, cùm ſit infinita, & actus purus, exhauriri nequit, aut imminui, vel fatiſcere per replicatas eiuſdem numero rei productiones. Vide plura alia apud Izquierdo in ſua Pharo *diſp.* 7. *q.* 4. *prop.* 7. vbi latè examinat axioma illud, *Ad præteritum non datur potentia*: quod ex Agathone refert Ariſt. 6. *Ethic. c.* 2. Lege etiã Complut. *diſp.* 13. *de Gener. q.* 1. & 2. per totas.

42 *OBIICIES II.* Si materia naturaliter appetit formam corruptam, ſequitur in eà ſimul eſſe appetitum complacentiæ & deſiderij circa eamdem numero formam. At conſequens abſurdum eſt. Ergo & quod appetat formam corruptam. Abſurditas coſequentis videtur manifeſta: Quia repugnat idem numero bonum eſſe ſimul præſens & abſens eidem materiæ; ac proinde in eà coexiſtere complacentiam, quę eſt de bono præſenti, & deſiderium, quod de bono abſenti eſt, circa eandem formam in individuo. Sequela vero probatur: Si enim materia appetit formã corruptam, appetit planè illam per ſuam entitatem; cùm appetitus innatus materię non ſit aliquid diſtinctũ ab entitate ipſius. Ergo quandiu exiſtit entitas materiæ, exiſtet in eà appetitus complacentiæ ad formam præſentem, & deſiderij ad formam corruptam. Ergo etiam dum actu poſsidet aliquam formam, & in eà complacet, vt præſenti & poſſeſsa, habet ſimul appetitũ deſiderij relatè ad eandem pro eo tempore, in quo iam erit corrupta: ac proinde habet ſimul complacentiam & deſiderium eiuſdẽ numero formæ, quod eſt abſurdum illatum.

43 *SVBTILIS* Quidem obiectio. Reſpon-

pondetur tamen negando ſequelam. Ad probationem conceſſo antecedente, & prima conſequentia, diſtinguo ſecundum conſequens: Habet ſimul materia appetitum complacentię circa eamdem numero formam, conſideratam in eodem ſtatu, nego; in diverſo, concedo conſequentiam. Itaque ſtat optimè in materia exiſtere ſimul appetitum innatum complacentiæ circa formã, quam poſsidet, prout exiſtentem in ſtatu vnionis, & poſſeſsionis actualis; deſiderij vero circa eamdem, prout conſideratam in ſtatu præteritionis, ſeu novæ futuritionis; qui duo ſtatus planè diverſi ſunt, atque adeo in eadem & indiviſà re poſſunt ſimul terminare appetitus diuerſos. Sic, loquendo de appetitu elicito, poteſt quis ſimul complacere de eàdem numero vitâ, quam actu poſsidet in hoc ſæculo, & ſimul deſiderare illam vt reproducendam in futuro ſæculo, vbi idem numero homo reſurget. Sic gaudemus ſæpè de vitâ & ſalute hodiernâ, interim deſiderantes ſalutem craſtinam; cùm tamen eadem vita & ſalus numero ſit, ſolaque varietate temporis diſtinguatur. Eſt tamen hoc diſcrimen, quòd tàm appetitus deſiderij naturalis, quàm complacentiæ, ſunt idem re ipsà & intrinſecè cum entitate materiæ, ac ſolà connotatione diverſorum ſtatuum ex parte termini differunt, iuxta ea quæ præmiſsimus ſuprà. At verò appetitus elicitus deſiderij eſt actio aliqua realiter diſtincta ab appetitu complacentiæ etiã elicito, vt ex ſe patet.

DISPVTATIO QVINTA:

DE POTENTIA PASSIVA MATERIÆ.

Verùm materia ita ſit pura potentia, vt ex ſe nullum omnino actum exiſtentiæ habeat, ſed tantum à formà, & dependenter à formà.

Num. 1. *EXAMINATA Iam naturâ & proprietatibus materiæ primæ, ſupereſt veſtigare accidentia logica, quæ illam comitantur, ſeu afficiunt in ſtatu productionis, & diſquirere an in eo ſtatu adeò pura potentia paſsiva ſit, vt ex ſe nullum habeat actum. Vendicat ſibi locum controverſia præſens potiſsimùm apud Ariſt. hoc lib. 1. cap. 7. & 8.*

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur aliqua.

EST Autem quadruplex actus de quo inſtitui poſsit quæſtio. *Primus* metaphyſicus, conſiſtens in differentia ſpecifica qua res aliqua conſtituitur eſſentialiter intra certum genus, & diſtinguitur ſpecificè ab omni alio. Et de hoc actu iam ſatis dictũ eſt, probatumque *diſp. præced. ſect.* 1. præſertim *à num.* 9. materiam non habere illum ex ſe; quia ex proprijs non habet vnitatem ſpecificam poſitivam, atque adeò nec differentiam ſpecificam propriam, quæ appellari ſolet actus metaphyſicus. *Secundus* eſt actus phyſicus formalis, quo naturale compoſitum conſtituitur phyſicè eſſentialiter in ſeipſo ex parte formæ, quique nihil aliud eſt, quàm forma ipſa ſubſtantialis. *Tertius* eſt actus exiſtentiæ, quo res à ſuis cauſis extrahitur & ponitur in rerum natura. *Quartus* eſt, quem Recentiores *entitativum* appellant, & aiunt conſiſtere in entitate qualibet reali: nam eo ipſo quod res ſit extra ſtatum poſsibilitatis, iam habet entitatẽ actualem; ac proinde per ſe ipſam eſt actus entitativus. Cæterùm cùm veteres Philoſophi eiuſmodi actus non meminerint, niſi fortè prout idem eſt cum exiſtẽtiâ, & omnia quæ afferri ſolent ad ponendum illum, vel negãdum materiæ primæ, conducant pariter ad ponendam, vel negandam ipſi propriã exiſtentiam; quod de hac reſolutum fuerit, de actu quoque entitativo decretum exiſtimabitur. Præterquam quòd diſputatio illa de actu entitativo, an conveniat materiæ ex ſe, redditur merè vocalis, niſi nomine actus entitativi exiſtentia intelligatur. Quare vt controverſia de re ſit, & non de nomine tãtùm, in præſenti diſquirendum eſt, an materia ex ſe adeò pura potentia ſit, vt nullum actum proprium exiſtentiæ habeat, ſed ſolùm à forma, & dependenter ab illà: qui eſt tertius ſenſus ex quatuor enumeratis. Nam quod attinet ad ſecundum ſenſum de actu phy-

phyſico formali, diſputatione ſequenti exagitabitur.

2 *ABSTRAHENDVM* Eſt in præſēti ab illà alia cōtroverſiâ, in quà quæritur, an eſſentia rei creatæ diſtinguatur realiter ab exiſtentia: imo & modò ſupponenda potiùs videtur opinio ſtatuens realem diſtinctionem inter vtramque. Nam ſi ſemel ſtatuatur opinio contraria, vix locus erit, aut ne vix quidem, præſenti diſputationi. Manifeſtum enim eſt materiam habere ſuam eſſentiam propriam, ſicut & entitatem, diſtinctam realiter à forma. Ergo ſi ſemel ſupponitur, eſſentiam cuiuslibet rei creatæ eſſe idem realiter cum exiſtentia; ſicut materia habet propriam eſſentiam & entitatem, ſic etiam habebit exiſtentiam propriam. Quare extra rem plura argumenta in præſenti afferuntur ad probandum, materiā habere, vel non habere propriam exiſtentiam, ex eo, quòd eſſentia creata diſtinguatur, aut non diſtinguatur ab exiſtentià. Remittenda igitur eſt poſterior hæc difficultas in proprium locum; & adhuc ſuppoſità opinione affirmante, quærendum eſt, an materia propriā exiſtentiam habeat, ſaltim realiter à ſe diſtinctam; an verò ſolùm à formà, & dependenter à formà.

3 *PRÆMITTENDA* Verò ſunt quædam ex communi Authorum ſenſu. *Primùm*, diſputationem hanc procedere de materià, non in ſtatu meræ poſsibilitatis, quia tunc non exiſtit, ſolumque habet non repugnantiam obiectivam, ſeu logicam, ad exiſtendum; ſed tantùm de illa vbi iam extra cauſas poſita eſt reipsà. Nec prætereà de illà prout exiſtente reduplicative inquirimus: cùm ſub eâ ratione formali exploratū ſit, non diſtingui ab exiſtentià, ſicut album reduplicatiuè vt album non diſtinguitur ab albedine; quia in quantùm album ſolùm exprimit effectum formalem albedinis, indiſtinctum realiter ab ipſa formà. Vnde ſub ea reduplicatione certum eſt, materiam eſſe indiſtinctā realiter ab exiſtentià, ac proptereà de illà in hoc ſenſu non procedere controverſiam præſentem, vt diximus *num. præcedenti*: ſed tantùm ſpecificativè, & in re, an materiæ poſitæ extra cauſas correſpondeat propria exiſtentia, quamquam ſuperaddita, & diſtincta realiter ab exiſtentià formæ. *Secundum* eſt, materiam non ita eſſe puram potētiam, vt in re careat omni actu. Manifeſtum eſt enim, & omnibus exploratum, materiam in rerum natura exiſtentē, qualiter ſupponitur in hac quæſtione, eſſe ens in actu, tam phyſico formali, quàm exiſtentiali; cum diſputetur de illa iam poſità ſub formà ſubſtantiali, & ſub exiſtentià. quod certè ſufficit ad rationē entis in actu, ſiue proprio, ſive alieno. In quo potentia paſsiva materiæ differt ab actu puro & increato, quòd hic nihil potētialitatis ſecum admittat, adhuc adiunctum, & extraneum: materia vero ita ſit potentia paſsiva, vt admittat & neceſſario coniunctam habeat actualitatem, tum formæ, tum & exiſtentię. Quarè quod veſtigamus eſt, an ille actus exiſtentiæ, ſub quo materia eſt, ſit proprius eiuſdem materiæ; an vero alienus, & ſolùm communicatus à forma.

SECTIO SECVNDA.

Refertur opinio docens, materiam non ita eſſe puram potentiam, vt careat actu exiſtentiæ propriæ, euſque præcipua fundamenta vrgentur diverſimodè.

4 PRIMA Sententia concedit materiæ propriam exiſtentiam, ac diſtinctam ab exiſtentia formæ. Ita Henricus *Quodl.* 1. *quæſt.* 10. & *Quodlib.* 4. *quæſt.* 16. Scotus, Gregorius, & Gabriel *in* 1. *diſt.* 12. *quæſt.* 2. quos ex Recentioribus imitantur Toletus in præſenti *quæſt.* 13. Fonſeca 1. *Metaph. cap.* 7. *quæſt.* 1. *ſect.* 5. Suarez *diſp.* 13. *Metaph. ſect.* 4. & 3. *part. q.* 6. *diſp.* 17. *ſect.* 2. Pereyra *lib.* 5. *Philoſ. cap.* 13. Valentia 3. *p. q.* 1. *art.* 2. *puncto* 2. Conimbricenſes in præſenti *cap.* 9. *q.* 6. *art.* 2. Molina & Vaaquez apud Hurtadum, qui illos allegat & ſequitur in præſenti *diſp.* 2. Arriaga *diſp.* 2. *Phyſicæ, ſect.* 3. Oviedo *Controv.* 2. *punct.* 5. Rubius 1. *Phyſic. tract.* 2. *q.* 2. Tellez *diſp.* 22. *ſect.* 2. Compton *diſp.* 9. Quiros *diſp.* 40. *ſect.* 2. Lynce & cæteri Authores Societatis, vno dempto Albertino *tomo* 1. *Corollariorum diſput.* 2. *de prædicamēto Subſtantiæ quæſt.* 5. Idē tuentur Scotiſtæ omnes, vt inquit Merinerus *diſp.* 3. *q.* 2. Pontius *diſp.* 32. *q.* 4. Ex alijs Lalemandet *diſp.* 2. *partit.* 3. & Spinula *diſp.* 2. *ſect.* 5. pluresque alij extra Scholam D. Thomæ. Cum vero quam plurima ſint argumenta, quæ pro ſe accumulant, & quibus referendis plures paginæ inſumēdæ forent; placuit potiſsimam illorum difficultatem ad pauca quædam, & veluti ſumma capita, reducere, multipliciterque roborare; vt nihil ferè alicuius momenti in favorem huius ſententiæ diſsimulem, prætermiſsis alijs levioris notæ.

5 *ARGVVNT I.* Aut illa entitas materiæ pro priori naturæ ad formā, & ſecundū ſe conſiderata, eſt aliquid reale, & extra ſtatum

tum poſsibilitatis, ſive extra cauſam creātem; vel non. Si hoc ſecundum dicatur; non erit entitas realis, nec realitas ſuſceptiva formæ, ſed tantùm entitas poſsibilis, & in potentia obiectiua. quo ſenſu non diſputamus in præſenti cùm evidens ſit, materiam intra ſtatum meræ poſsibilitatis, ſeu in potentiâ obiectiva, non habere exiſtentiam aliquam, nec propriam, nec mutuatã à formâ. Si autem aſſeratur illud primum, vt reipsâ aſſerere debent Authores ſententiæ adverſæ, iam materia pro illo priori, quo præcedit formam, & vt condiſtincta ab illa, erit exiſtẽs; atque adeo habebit propriam exiſtentiam. Probatur prior conſequentiæ pars, ex quâ manifeſtè deducitur poſterior: Quia implicat aliquid vt condiſtinctum ab alio eſſe ens reale, & extra ſtatum poſsibilitatis, ſive extra cauſam creātem, & tamen vt condiſtinctum ab eo non eſſe exiſtens: cùm idem ſit exiſtere, ac habere realem entitatem poſitam extra cauſas. Si igitur materia pro priori ad formam, & vt condiſtincta ab illa, eſt aliquid reale, & extra ſtatum poſsibilitatis, ſive extra cauſam creantem; etiam vt condiſtincta ab eà erit exiſtens; atque adeo non per exiſtẽtiam formæ, ſed per aliam antecedentem, & ſibi propriam. *CONFIRMATVR.* Si materia pro illo priori naturæ, quo antecedit formam, & vt condiſtincta ab eà, non eſt quid in rerum naturâ exiſtens, erit nihil, & mera carentia entitatis, vt exiſtimabat Plato, impugnatus ab Ariſtotele *lib.1. Phyſic. cap.9.* quod aſſereret materiam ita eſſe puram potentiam, vt ex ſe ipſa nihil eſſet, ſeu indiſtincta à privatione. Ergo ne locum habeat error ille reiectus ab Ariſtotele, aſſerendum eſt, materiam pro illo priori naturæ, quo antecedit formam, & vt condiſtinctam ab eâ, eſſe quid in rerum naturâ exiſtens, atque adeò per propriam exiſtentiam.

6 *HVIC* Argumento, quod eſt potiſſimum, & velut Achilles ſententiæ præiactæ, reſpondent Authores opinionis oppoſitæ, non eſſe quod nimium in eo fidatur; cùm procedat ex æquivocatione, quorumdam Veterum Philoſophorum, & Platonis iam relati: qui nullum agnoſcentes medium inter ens actu & nihil, cùm viderent materiam primam non eſſe ens in actu per ſeipſam, aſſeruerunt illam eſſe privationẽ, ſeu purum nihil. Alij vero ex oppoſito, cõſiderantes abſurdum eſſe negare materiæ omnem entitatem, illamque cùm privatione confundere, dixerunt materiam eſſe ens in actu ſimpliciter, & indiſtinctum à formâ, vt videbimus diſputatione ſequenti. Inter hos duos opinandi modos, ſeu potius errores, mediam viam tenuere Ariſtoteles, & D. Thomas, poſtea allegandi: docentes, quàm optimè poſſe dari aliquid, quod neque ſit ens in actu per ſeipſum, neque purum nihil; ſed medium inter vtrumque: ſcilicet, ens verum in potentia paſsivà & ſuſceptivà actus, ſeu ens in actu per aliud, & ratione alterius. Hoc enim ipſo quod aliquid ſit ſub actualitate reali exiſtentiæ, illamque habeat, ſive à ſeipſo, ſeu ab alio communicatam, iam eſt extra puram poſsibilitatem, & extra nihil, ſeu privationem. quoniam pura poſsibilitas, nihil, & privatio, important carentiam totius actualitatis & exiſtentiæ, tam propriæ, quam alienæ.

7 *EX* Hac igitur doctrinâ occurrunt argumento præiacto, aſſerentes, materiam pro priori ſolius naturæ ad formam, eſſe aliquid reale, & extra ſtatum poſsibilitatis, loquendo in re, & extra cauſam creantem; non tamen independenter ab actu dante illi eſſe formaliter, ſeu à formâ. Et quando infertur, materiam pro illo priori, quo præcedit formam, ac prout indiſtinctam ab illâ, debere eſſe exiſtentem, ac proinde per exiſtentiam; *RESP.* Materiam pro illo priori naturæ quo antecedit formam, eſſe quidem in ſe & ſpecificativè, aut concomitanter exiſtentem; non tamen intelligi pro illo priori formaliter exiſtentem, ſed ſolum in via ad exiſtentiam communicandam ſibi à formà pro alio poſteriori naturæ. Et dum inſtatur, ex eo, quod materia pro illo priori naturæ ad formam ſit extra cauſam creantem, ſeu terminus creationis; facilè occurritur: quia vt aliquid ſit terminus creationis non requiritur quod ſeipſo, aut per ſeipſum ſit ens in actu; ſed ſufficit, vel eſſe ens in actu per ſeipſum, vel eſſe actum, vel potentiam ſuſceptivam actus. quod certè habet materia pro illo priori naturæ ad formam. Videturque ſolutio hæc expreſsè tradita à D. Thoma 1. p. q.44. art.2. ad 3. illis verbis: *Materia non eſt creata ſine formâ. Licèt enim omne creatum ſit in actu; non tamen eſt actus purus. Vnde oportet quòd etiam illud, quod ſe habet ex parte potentiæ, ſit creatum.* Vbi apertè Doctor Angelicus condiſtinguit potentiam ab actu, illamque prout ab eo condiſtinctam aſſerit eſſe, non ſolùm creabilem, ſed etiam creatam, ſeu concreatam; quia vt ſit terminus creationis ſufficit, quòd ponatur in rerum naturâ, tanquam potentia concomitans,

ſeu ſuſcipiens actum. Eſt enim triplex ordo rerum terminantium creationem. primus habentium rationem actus, qualiter forma ſubſtantialis & exiſtentia: ſecundus earum, quæ conſtituuntur ex potentiâ & actu, vt compoſitum: tertius denique potentiæ ſuſceptivæ actus, qualis eſt materia prima pro illo priori. Tandem dum infertur in confirmatione, materiam primam fore nihil, ſeu privationem, ſi ex ſeipſa non habet rationem entis in actu; Negatur ſequela; quia vt non ſit nihil, & diſtinguatur à privatione, ſat eſt quod per propriam entitatem ſit potentiâ realiter ſuſceptiva actus, & ſpecificativè exiſtens. Per hoc enim ſufficienter relegatur exiſtimatio Platonis, & Veterum illorum, qui aſſeruerunt, materiam primam eſſe privationem. Etenim privatio non modo non eſt ſeipſâ ens in actu; ſed neque conſtituta ex potentia & actu; neque etiam actus; nec demum potentia ſuſceptiva actus. quod vltimum certè convenit materiæ primæ. Quare Divus Thom. Opuſcul. 15. appellat *materiam, remotâ formâ, non ens, ſuſceptivum tamen formæ, quæ eſt participativa vltimi actus, qui eſt exiſtentia.*

SED Contra ſolutionem hanc multipliciter inſurgunt Adverſarij. *Primò*: Quia non eſt aſsignabile medium inter eſſe actu nihil, & ens in actu; ſicut neque inter eſſe extra cauſas & intra cauſas; cùm hæc extrema contradictoriè opponantur. Sed materia pro illo priori naturæ, quo antecedit formam, non eſt actu nihil, neque intra cauſas. alioqui incideremus in opinionem Platonis, ac Veterum illorum, eſſetque diſputatio de materiâ in ſtatu poſsibilitatis, contra ſuppoſitionẽ factam in limine controverſiæ. Ergo materia pro illo priori naturæ, quo antecedit formam, eſt ens in actu & extra cauſas. At repugnat ens in actu & extra cauſas pro priori ad aliud, quin etiam pro eodem priori ſit exiſtens. Ergo repugnat materiam pro illo priori naturæ ad formam non exiſtere, atque adeò & carere propria exiſtentiâ: quia quã habet pro illo priori, nequit habere à formâ, vtpote pro alio poſteriori intellectâ; ſed tantùm à ſeipsâ & independenter à formâ.

8 *SECVNDO* Inſtant: Quia pro illo priori naturæ, quo materia antecedit formam non ſpiritualem, eſt vera cauſa materialis illius, vtpote pendentis à materiâ in fieri & eſſe. Ergo pro illo priori naturæ materia intelligitur exiſtens, atq; adeo independenter à formâ. *Probatur* conſequẽtia: Quia de ratione cauſæ realis in quantùm talis, eſt quod exiſtat; atque adeo, quod pro illo priori naturæ, in quo cauſare intelligitur, etiam intelligatur exiſtere. Nulla enim res intelligi poteſt dare eſſe alteri, quin prius intelligatur illud in ſe habere. Ergo ſi materia pro illo priori naturæ intelligitur cauſare formam non ſpiritualẽ, ſeu dare illi eſſe; etiam præintelligitur habere illud ex ſe, ac proinde exiſtens per propriam exiſtentiam, & independenter à formâ. Nec videtur prodeſſe Adverſarijs ſolutio communis, qua diſtinguitur inter cauſam efficientem & materialem, conceditur que efficienti exiſtentia pro priori naturæ ad omnem cauſalitatem; quia propriè dat eſſe; negatur autem cauſæ materiali, quia non dat, ſeu potiùs ſuſcipit eſſe; ac propterea non prærequirit exiſtentiam, ſed ſolùm illam exigit concomitanter. *NON*, inquam, prodeſt: Quia etiam compoſitum ex materia & formâ, iuxta ſententiam D. Thomæ, & Diſcipulorum ipſius, eſt ſubiectum accidentium, ac proinde cauſa materialis illorum. Et tamen cõpoſitum ſubſtantiale pro priori naturæ ad accidentia præſupponitur exiſtens per exiſtentiam propriam, & nullatenus mutuatã ab accidentibus. Ergo licèt cauſalitas, quã exercet materia relatè ad formam non ſpiritualem, ſit paſsiva & materialis, præſupponenda eſt ad illam exiſtens, atque adeo per exiſtentiam propriam, & non mutuatam à forma.

9 *TERTIO*. Et conſequenter ad impugnationem præiactam inſurgit Hurtado ex verbis Ioannis Theologi celeberrimi in Concilio Florentino aſſumentis, *fieri non poſſe, vt vna res ab aliâ ſit, niſi ab aliâ recipiat eſſe.* Quo principio devicit Græcos dubitãtes de proceſsione Spiritus Sancti, aut illam negantes a Patre & Filio ſimul. Ergo repugnat quod forma non ſpiritualis ſit ex materiâ, & tamen non recipiat ſuum eſſe à materiâ. At eo ipſo quòd forma non ſpiritualis verè recipiat ſuum eſſe à materia, hæc præſupponi debet pro aliquo priori naturæ dans eſſe eidem formæ; cùm dare & recipere dicantur correlatiuè. Ergo materia pro aliquo priori naturæ præſupponitur dans eſſe, ſivè exiſtentiam formæ non ſpirituali, ac proinde illam ex ſe habens.

10 *QVARTO* Contra ſolutionem ſuperius datã inſurges cum Arriaga, & Oviedo. Materia pro priori naturæ ad formam eſt cauſa effectiva ſuarum paſsionum

per

per dimanationem: id enim eſt de ratione cuiuſlibet rei, vt paſsiones ſuas, ſive proprietates, activè per dimanationem cauſet. Sed omnis cauſa activa, ſive effectiva, ante cauſalitatem debet præſupponi exiſtẽs. Ergo materia pro priori naturæ ad formam debet præſupponi exiſtens. *Dices*, materiam primam priùs naturà conſtitui exiſtentem per exiſtentiam formæ, & poſteaquam eſt per formam conſtituta exiſtens, ſuas paſsiones producere. *SED Contrà*. Proprietates enim materiæ conveniunt ipſi vt ſpecialis quædam natura eſt, & diſtincta à natura formæ. Ergo materia cauſat emanativè ſuas proprietates pro priori naturæ ad formam, & ad exiſtentiam receptam à formà. *Rurſus*. Proprietates materiæ primæ ſunt diſpoſitiones, quibus præparatur ad formam recipiendã. Atqui proprietates, quibus materia præparatur ad formam recipiendam, antecedunt pro aliquo priori naturæ formam, & omnem exiſtentiam communicatam a forma. Ergo proprietates materiæ primæ antecedunt pro aliquo priori naturæ formam, & omnem exiſtentiam communicatam à forma. Ergo materia pro aliquo priori naturæ ad vtramque cauſat effectivè per emanationem ſuas proprietates, ſive diſpoſitiones. Cumque nulla res poſsit efficienter cauſare aliud, niſi pro aliquo priori naturæ præſupponatur exiſtens, materia pro priori ad formam, & exiſtentiam ipſius, neceſſario præſupponetur exiſtens.

11 *ARGVMENTANTVR II.* Quidquid eſt proprium rei creatæ, vt exiſtentis, convenit materiæ primæ pro priori naturæ ad formam. Ergo & exiſtentia convenit ipſi pro eodem priori naturæ, atque adeò independenter à formà. Conſequentia patet, & antecedens probatur. Quidquid enim proprium eſt rei creatæ, vt exiſtentis, conſiſtit in tribus requiſitis: primò ex parte ſupremæ cauſæ, vt habeat ideam in Deo: ſecundò ex parte cauſalitatis ipſius, vt terminet productionem: tertiò ex parte effectus, vt habeat bonitatem in actu, à primo bono participatam. Atqui hæc tria omnia conveniunt materiæ primæ pro priori naturæ ad formam. Ergo quidquid eſt proprium rei creatæ, vt exiſtentis, convenit materiæ primæ pro priori naturæ ad formam. *P*robatur minor quò ad ſingulas partes. Quò ad primam quidem: Quia materia prima habet ideam in Deo, vt docet D. Thomas 1. *part. quæſt.* 15. *art.* 3. Quò ad ſecundam verò: Quia materia prima pro aliquo priori naturæ ad formam terminavit creationem, vt cum eodem D. Angelico aſſerunt ipſius Diſcipuli. Et quidem modò de facto materia prima præſupponitur non ſolùm natura, ſed tempore, creata ante adventum cuiuſlibet formæ. Ergo materia pro priori ad formam terminat cauſalitatem, ſive actionem creativam primæ cauſæ. Quò ad tertiam denique partem probatur eadem minor: Tum quia materia pro priori naturæ ad formam habet entitatem propriam, atque adeò & bonitatem, quæ eſt illius paſsio; Tum etiam, quia ſi materia pro priori ad formam, & vt condiſtincta ab illà, non haberet bonitatem, faveremus errori Manichæorum, qui aſſeruerunt materiam eſſe malam: Tum denique, quia Sanct. Thomas 3. *contra Gentil. capit.* 20. expreſsè docet materiam habere bonitatem. Ergo omnia illa tria, quæ propria ſunt rei creatæ, vt exiſtẽtis, conveniunt materiæ primæ pro priori naturæ ad formam.

12 *RESPONDEBIS* Ex doctrinà Authorum contrariæ ſententiæ negando antecedens: & ad probationem quo ad ſingulas partes dices, omnes illas conditiones proprias rei exiſtentis convenire quidem materiæ pro priori naturæ ad formam; non tamen tamquam enti in actu per ſeipſam, neque tamquam habenti proprium actum; ſed tamquam potentiæ in eo priori naturæ & intra inſtans reale recipienti, tam actum primum formæ, quàm ſecundum exiſtentiæ dependenter a formà. Et, deſcendendo ad ſingula probationis membra, Sanct. Thomas quando aſſerit, loco in obiectione allegato, materiam habere ideam in Deo, ſubdit, illam *non eſſe aliam ab ideà compoſiti; cùm materia ſecundùm ſe, neque eſſe habeat, neque cognoſcibilis ſit*. Sicut ergo materia non habet in Deo iuxta S. Doctorem, propriam ideam; ſic etiam, ex ipſius mente, non habet exiſtentiam propriam, ſive ſeparatam ab ideà compoſiti; ſed in illà clauſam. Cuius doctrinæ ea ratio aſſignari põteſt: Quia eo modo materia habet ideam in Deo, quo terminat in tempore productionem: cùm productio temporalis ſit cauſalitas ſeu exercitium ideæ divinæ, veluti cauſæ exemplaris. At materia non terminat in tempore productionem ſeorſim, neque vt terminus adæquatus creationis, ſed ſimul cum formà, & vt terminus inadæquatus; quia, vt inquit idem Sanct. Thomas 1. *part. quæſt.* 3. *articulo* 2. *ad* 3. non *ſint creata*,

ſed cōcreata ad creationem totius. Non ergo materia habet in Deo ideam ſeorſim, neque adæquatam, ſed ſimul cum forma, & tanquam pars totius: in quo ſanè diſtinguitur anima rationalis, tum a materia, tum à formis materialibus. Hinc patet ad ſecundam probationem, materiam pro aliquo priori naturæ ad formam terminaſſe creationem in primâ rerum geneſi; inadæquatè tamē, & non vltimatè: quia creatio adæquata cœli & elemētorum terminata fuit ad totum. Vnde pro illo priori materia nō habuit exiſtentiam formaliter, ſed ſolum fuit in viâ ad exiſtentiam, ſicut & ad componendum totum. Modo autem formę ſupervenientes producuntur novâ actione & diſtinctâ ab ea, qua materia primùm creata eſt: atque adeo novam exiſtentiam materiæ afferunt, & diſtinctam ab eà, quam à principio habuit. Ad tertiam denique partem probationis dicitur, materiam non appellari bonam formaliter & in actu, ſed tantùm ſecundùm capacitatem & ordinationem ad bonū. Quod certè docet S. Thomas 1. *p. q. 5. ar. 3. ad 3.* illis verbis: *Materia participat aliquid de bono, ſcilicet, ipſum ordinem, vel aptitudinem ad bonum: & ideo non convenit ſibi quòd ſit appetibile, ſed quod appetat.* Conſonatque Philoſophus 1. *Phyſ. cap. 9. textu* 81. vbi materiæ omnem pulchritudinem negat, ac ſoli formæ concedit, in quam proinde materiæ appetitus feratur, quemadmodum turpe appetit pulchrum. Neque vrget quod materia pro illo priori habeat propriam entitatem, ac proinde & bonitatem. Reſpōdetur enim, pro illo priori habere entitatem, non in actu, ſed ſecundùm potentiam paſsivam & ſuſceptivam actus intra inſtans reale: ac proinde neque bonitatē in actu, ſed ſolùm penes ordinē ad actū in alio poſteriori naturæ advenientem. Numquā ergo evincitur argumento præiacto, materiam pro priori naturæ ad formā habere formaliter actum exiſtentiæ.

13 *SED* Adverſum ſolutionem aſſignatam inſtāt multipliciter Adverſarij. I. Quia creatio terminatur ad exiſtentiam, ſicut & omnis actio productiva. Ergo creatio per quam creatur materia pro aliquo priori naturæ ad formam, terminatur ad exiſtentiam materiæ pro eodem priori naturæ ad formam: atque adeò materia pro illo priori habet entitatem ac bonitatem in actu per propriam exiſtentiam. Conſequētia, inquit Oviedo, eſt evidens ad hominē contra Thomiſtas, qui concedunt antecedens; quod tamen cenſet ab ijs meritò negari poſſe, & difficilè probādum iri. Spinula autem idem antecedens aſſumit probādum: Quia creatio, & quælibet actio productiva, extrahit rem a ſuis cauſis, & ponit illam in rerum natura, transferendo a ſtatu potentiæ obiectivæ, ſeu poſsibilitatis, ad ſtatum actualitatis, ſeu exiſtētiæ. Sed idem eſt formaliſsimè extrahere rem a ſuis cauſis, & ponere illam in rerum natura, transferre a ſtatu potentiæ obiectivæ, ſeu poſsibilitatis, ad ſtatum actualitatis, ſeu exiſtentiæ; ac terminari ad rei exiſtentiam. Ergo creatio, & omnis actio productiva, terminatur ad exiſtentiam. Poteſt quoque probari idem antecedens hoc diſcurſu. Terminus formalis creationis, & cuiuslibet actionis productivæ Dei, eſt actualitas vniverſaliſsima gradus entis, ſicut & Deus eſt cauſa vniverſaliſsima. At vniverſaliſsima actualitas entis eſt exiſtentia, vt patet. Ergo terminus formalis creationis, & cuiuslibet actionis productivæ Dei, eſt exiſtentia. Si ergo materia pro priori naturæ ad formam terminat creationem, pro illo etiam priori exprimit actualitatem vniverſaliſsimā exiſtentiæ. Alioqui intelligeretur actio Dei productiva abſque termino formali.

14 *INSTANT II.* Quoniam creatio per quam creatur materia, nullo modo terminatur ad aliquid formæ. nihil enim formæ creatur, ſed tam eſſentia, quam exiſtentia formæ, educitur ex potentia materiæ, vel ipſis Thomiſtis faventibus. Ergo creatio non terminatur ad exiſtētiam propriam formæ. Et tamen terminatur ad exiſtentiam, vt iam probatum eſt. Ergo terminatur ad exiſtentiam propriam materiæ. *INSTANT III.* Si materia pro illo priori, quo terminat creationem, non haberet propriam exiſtentiam, ſed ſolùm pro alio poſteriori comunicatā a formà; variatà & corruptà ipsà formà, variaretur & corrumperetur exiſtentia materiæ. Omne enim quod ſecum affert forma, & quidquid ab illa communicatur materiæ, corrumpitur ad corruptionem eiuſdem formæ. At repugnat, variatà & corrupta ſubſtantiali forma, variari aut corrumpi exiſtentiā materiæ. Ergo materia pro illo priori, quo terminat creationem, habet propriam exiſtētiam; non vero pro alio poſteriori cōmunicatā a forma. Maior, ſive ſequela, iam manet probata. Minor autē ſuadetur diverſimodè. *Primo*: quia variatà & corrupta ſubſtantiali forma, repugnat variari aut corrūpi materiā; vtpote incorruptibilē. Ergo & repugnat variari aut corrumpi exiſtentiam materiæ. nihil enim aliud eſt, corrumpi rem aliquam, niſi corrūpi eius exiſtentiam.

Secundò. Ideo cōpoſitum ſubſtantiale corrumpitur, quia mediâ corruptione amittit exiſtentiam, quam habebat. Ergo ſi materia ad corruptionem formæ ſubſtantialis amittit exiſtentiam quam habebat, etiā ipſa materia corrumpitur. *Tertiò* probatur eadem minor: Quia ſi corrupta vna forma corrumperetur exiſtentia materiæ; ſuccedente alia forma per generationē etiam generaretur exiſtentia materiæ; ac proinde hæc eſſet generabilis: ſicut compoſitum generatur, quia accipit exiſtentiam mediâ generatione. *Quartò* denique: Quia materia modò conſervatur per illā ipſam actionem, quâ primò creata fuit; cum conſervatio ſit continuata productio. Si autem variatâ formâ variaret exiſtentiam; non conſervaretur per illam actionem Dei, quâ primùm creata fuit; ſed per actionem cauſæ ſecundæ communicantis materiæ novam formam & exiſtentiam. Ergo cùm conſequens ſit abſurdum, & ſolus Deus qui creavit materiam, eiuſdem cauſa conſervativa ſit; ſolus etiam ipſi exiſtētiam dedit, quam retineat propriam & invariatàm ſucceſſu generationum. Sunt & alia pleraque argumenta pro eadem opinione, ſed levia, præſertim apud Lalemandetū: quæ ideo omittenda duximus.

SECTIO TERTIA.

Eligitur ſententia Ariſtotelis ac D. Thomæ, negantium materiæ propriam exiſtentiam.

15 VERVM, Minimè obſtātibus quęcumque hactenus propoſita ſunt, placet ſentētia docens, materiam primam ita eſſe puram potentiam, vt ex ſe careat omni actu exiſtentiæ, ſolumque exiſtat per exiſtentiam formæ. Hanc exiſtimo expreſſam mētem Ariſtotelis & D. Thomæ, quod & ſingillatim oſtendam: illamque ſequuntur Caietanus *de Ente & eſſentia cap.* 5. *q.* 8. Soncinas 7. *Metaph. q.* 17. *& lib.* 8. *q.* 1. Ferrara 1. *contra Gent. cap.* 4. *& lib.* 1. *Phyſic. q.* 11. vbi & Ioannes à S. Thoma *q.* 3. *art.* 3. *PP.* Complutenſes *diſp.* 3. *q.* 5. Ortiz, Lerma Martinez de Prado, aliique omnes Thomiſtæ, & ex *PP.* Societatis Albertinus ſuprà *num.* 6. allegatus, & Magiſter Moneda, ac Noſtri Scriptores communiter.

16 *PROBATVR I.* ex Ariſtotele, qui hoc *lib.* 1. *Phyſic. cap.* 7. *textu* 69. *&* 70. expoſuit naturam materiæ primæ per ſimilitudinem ad materiam artificialium, dicens, materiam ſe habere ad formas naturales, ſicut lignum vel æs ad formas artificiales. Verba ſunt: *ἡ δ' ὑποκειμένη φύσις ἐπιστητὴ κατ' ἀναλογίαν*, &c. *Quæ autem ſubijcitur natura, proportione ſciri poteſt. Quam enim rationem ad ſtatuam æs habet, aut ad lecticam lignum* (non *lectica ad lignum*, vt in Conimbricenſibus legitur ex incuriâ Typographi) *aut ad aliquid aliud eorum quæ formam habent; materies atque informe etiam habet, antequam ſuſcipiat formam.* At lignum vel æs nullam habet artificialem exiſtentiam ante formam artis, ſed ſolùm potentiam paſsivam naturalem, ſeu receptivam eius formæ. Ergo pariter iuxta Philoſophum materia prima ante formam non habet aliquam exiſtentiam naturalem, ſed ſolùm potentiam paſsivam, ſeu receptivam naturalis formæ. Si autem materia pro priori ad formam naturalem non habet exiſtentiā aliquam, nequit habere exiſtentiam propriam, ſed ſolum alienam, & mutuatā à formâ. Ergo materia, iuxta Philoſophum, non habet exiſtentiam propriā, ſed alienam tātùm, & mutuatam à formâ.

17 *RESPONDENT* Adverſarij, materiam primam pro priori ad formam naturalem comparari materiæ ſecundæ formarū artificialium, quatenus ſicut hæc pro priori ad formam artis non habet exiſtentiam artificialem completam & perfectā; ſic etiam materia prima pro priori ad formam naturalem non habet exiſtentiā perfectam & completā in genere naturali. Cū hoc vero cohærere inquiunt, quòd materia prima pro illo priori habeat exiſtentiam imperfectam & incompletam intra naturæ genus, quemadmodum & entitatem.

18 *SED Contrà I.* Materia enim ſecunda, vt lignum & æs, ita eſt pura potentia circa formam artificialem, vt pro priori ad illam non habeat vllam actualitatem, neque completam, neque incompletam intra genus artificiale. Ergo pariter materia prima ita eſt pura potentia ad naturalem formam, vt pro priori ad illam non habeat actualitatem vllam, neque completam, neque incompletam intra genus naturale; ac proinde nec exiſtentiam partialem & incompletam. *Contrà II.* Ideo lignum & æs ante artificialem formam nullam habet actualitatem de genere artis, adhuc incompletam, quia eſt pura potentia paſsiva actûs primi artificialis. Sed etiam materia prima eſt pura potentia paſsiva actus primi naturalis, vt communiter loquuntur Philoſophi. Ergo etiam materia prima ante naturalem formam, nullam habet actualitatem, adhuc incōpletam, de genere naturali.

Contrà III. & vrgentius adhuc ex mente Philoſophi. Ipſe enim hoc libro 1. Phyſic. *cap.* 4. *textu* 34. *&* *cap.* 9. *textu* 70. cum D. Thoma *ibidem lect.* 9. ac præterea *lib.* 1. *de Generat. textu* 12. vbi & idem D. Angelicus *lect.* 6. proponit illam difficultatem antiquam, *Quòd ſi materia eſt nihil actu, & ſolùm aliquid in potentiâ, ſequitur id, quod maximè timebãt priores Philoſophi, quòd aliquid generetur ex nullo præexiſtente. quod enim nõ eſt ens actu, eſt nihil.* Vbi plane idem argumentum proponebant Veteres Philoſophi, quo Recentiores vtuntur ad noſtram ſententiam impugnandam. Aſſumebant namque, omne quod non eſt ens in actu, eſſe actu nihil: ac proinde materiam fore actu nihil, ſi non ſit ens in actu, ſed in potentia paſsivâ tantùm. Si autem materia eſt actu nihil, non poterit aliquid generari ex materiâ, quia ex nihilo nihil fit. Quod quidem argumẽtum, nec reipsa, nec vocibus ferè differt ab eo, quod in nos paſsim ingeminant Authores ſententiæ adverſæ. Huic vero difficultati non reſpondet Philoſophus aſſerẽdo, materiam eſſe ens in actu incompleto & imperfecto, ac proinde poſſe quam optimè fieri ex illâ aliquid actu. Ergo ideo eſt, quia cenſuit materiam ex ſe nõ eſſe ens in actu, adhuc incompleto & imperfecto. Conſequentia patet: Quia ſi Philoſophus ſentiret, materiam ex ſe ens in actu incompleto & imperfecto exiſtentiæ, adhiberet vtique hanc doctrinam, quâ manifeſtè & facile ſe expediret ab argumento illo. Evidenter nãque ceſſaret tota eius vis; cùm pronum & in aperto ſit, quamvis ex nihilo nihil fiat, poſſe aliquod ens in actu completo fieri ex ente in actu incompleto, tamquam ex ſubiecto præſuppoſito. Dum ergo hac ſolutione non occurrit difficultati Veterum Philoſophorum, longè ab eius mente eſt adſcribere materiæ ex ſe entitatem in actu exiſtentiæ, adhuc incompleto. Porrò Ariſtotelem non fuiſſe vſum relata doctrinâ & ſolutione contra Veteres illos, palam eſt legenti ipſum *lib.* 1. *Phyſic. textu* 66. *&* 78. *ac lib.* 1. *de Generat. textu* 17. & D. Thomam ibidem *lect.* 7. *fine*. Solùm enim reſpondet, numquam eſſe corruptionem ſine generatione; ac proinde numquam materiam manere ita in potentia, vt non ſit ens in actu per formam ſibi adiunctam, quia ſemper eſt ſub aliquâ formâ. Ideo aſſerit generationem fieri quidem per ſe loquendo ex ente in potentiâ paſsiva, quod eſt materia; per accidens verò fieri ex ente in actu; quia fit ex materia in re actuata per formam præcedentem. Non ergo reſpondet, materiam per ſe loquẽdo, ſive ex ſe, habere rationem entis in actu incompleto; ſed in potentia paſsiva tantùm, quæ ſemper in re ſit actuata per aliquam formam. quo ſatis declinat impetum argumenti: ſiquidem numquam verificatur, aut ſequitur, ex nihilo fieri aliquid, vt Veteres inferebant; ſeu potius aliquid ex aliquo: nimirum, naturale compoſitum ex materia præſuppoſita, quæ per accidens, ſeu ratione alterius, ſemper ſit ens in actu, ac proinde idoneum ſubiectum, vt ex ipsâ aliquid fiat.

20 *CONFIRMANTVR*, & quidẽ vrgenter, impugnationes ſolutionis ac doctrinæ contrariæ. Si enim materia aſſeratur eſſe ens in actu incõpleto ex ſe per exiſtentiam propriam ac partialem, vt Adverſarij reſpondent, præcluditur Ariſtoteli via, vt probet generationem ſubſtantialem formæ a materia diſtinctæ, cõtra Veteres illos, qui non agnoſcebant formam diſtinctam à materia, nec generationem ſubſtantialem alicuius rei de novo, ſed alterationem tantùm, vt refertur 1. *Phyſic. textu* 71. *&* 78. Vbi & S. Thomas *lect.* 14. aſsignat rationẽ, qua movebantur: Quia ſcilicet, ex non ente nequit fieri ens; nec etiam ex ente. Si enim ex non ente fieret ens, iam fieret ex nihilo aliquid: ſi autem ex ente, iam aliquid eſſet antequam fieret; quorum vtrumque repugnat. Vnde inferebant, nullam eſſe generationem ſubſtantialem, qua aliquid de novo fiat ſimpliciter, neque etiam formã ſubſtantialem realiter a materia diſtinctam & productam in eadem generatione. Huic verò argumento reſpondet Ariſtoteles negãdo ſequi vtrumque, aut alterum ex abſurdis illatis. Ens namque ſimpliciter, id eſt, compoſitum ſubſtantiale, neque fit ex non ente, neque ex ente in actu per ſe loquendo: ſed ex ente in potentia per ſe, quod eſt materia, quæ per accidens, ſive per aliud, eſt in actu, ratione formæ ſemper adiunctæ. Cæterum, ſi aſſeratur ſemel, materiam ex ſe eſſe ens in actu per qualemcumque propriã exiſtentiam, vt Adverſarij aſſerunt; argumentum illud Antiquorum aſſumet novas vires, & nulla efficax ratio ſupererit Ariſtoteli, vt probet generationem ſimpliciter ſubſtantialem, ſeu productionem formæ dantis primum eſſe ſimpliciter & in actu, intra genus ſubſtantiæ. Si enim generatio per ſe loquendo non fit ex nihilo, aut ex ente ſolùm in potentiâ paſsivâ, ſed potiùs ex ente in actu iam per ſe exiſtente, licèt incompletè; ergo forma, quæ advenire dicitur, non dat rei primùm eſſe ſimpliciter, neque primam actualitatem, ſed potiùs illã ſup-

ſupponit in materia. Ergo forma, quæ advenire dicitur, non ſpectat ad eſſe ſubſtantiale & primum ſimpliciter, ſed ad ſecundum: ac propterea nequit eſſe terminus generationis ſubſtantialis, quæ ſimpliciter talis ſit; ſed ſolum accidentalis, & indiſtinctæ ab alteratione. Vnde ergo Ariſtoteles, aut tu cum ipſo, ex vi rationis naturalis, poteris refellere hunc diſcurſum, & probare exiſtentiam ſubſtantialiũ generationum, quibus producatur verè aliquid quò ad ſuũ eſſe primum & actuale ſimpliciter intra genus ſubſtantiæ? Diſputemus invicem, te arguente pro Ariſtotele, me autem cauſam Veterum patrocinante. Aſſumes profecto, iuxta ſolutionem præiactam, ante generationem non præſupponi ens in actu ſimpliciter & completè, ſed incompletè tãtum, & per exiſtentiam partialem; ac proinde locum eſſe ſubſtantiali generationi, quæ producat formam ſubſtantialem, conſtituẽtem ens in actu ſimpliciter & completè. Ego vero, tuæ doctrinæ inſiſtens, reſpondeoo eſſe implicantiam terminorum in antecedente: quia repugnat materiam per ſe loquendo præſupponi ens in actu, niſi iam completo & perfecto intra genus ſubſtantiæ. Actualitas enim illa, quæ afficit immediatè materiam, nequit non eſſe actualitas actus primi ſubſtantialis, ac proinde complentis illam & perficientis intra genus ſubſtantiæ. Sed per te materia præſupponitur ex ſe cum actualitate ipſam afficiente immediatè. Ergo præſupponitur materia ex ſe cum actualitate actus primi ſubſtantialis, ac proinde completa & perfecta intra genus ſubſtantiæ. Ergo nullus ſupereſt in ea locus ſubſtantiali generationi, ſed ſolum accidentali, qualis eſt alteratio. Vide igitur ſi fortè aliud tibi argumentum occurrat, quo probes contra Veteres illos exiſtentiam ſubſtantialis generationis, & Ariſtotelis doctrinam tuearis. Ego certè neque in Philoſopho invenio, neque aliunde ex ratione naturali percipio efficax argumentum, quo probetur exiſtere generationem ſubſtãtialem ſimpliciter, ſeu, quod perinde eſt, productionem primam entis ſimpliciter & in actu, ſtatuto ſemel materiam ex ſe habere rationem entis in actu, ſive exiſtentiam propriam, pro priori naturæ ad formam. Eo namque ipſo actualitas illa exiſtentiæ debet præſupponere materiam completã ſimpliciter & in actu primo intra genus ſubſtantiæ. Quod certè argumentum hucuſque à nobis propoſitum, non modò ex ratione efficax eſt, ſed vt tale probatum Divo Thomæ Opuſc. 15. *cap.* 17. aienti: *Vbi ponitur materia ens in actu, nihil differt dicere materiam & ſubſtantiam rei. Sic enim Antiqui Naturales, qui materiam ponebant ens actu, dicebant materiam eſſe omnium rerum ſubſtantiam.*

21 *CONFIRMATVR II.* Eo namque ipſo quod materia ſit in vltimo actu perfectionis ſimpliciter per ſe ipſam, nullũ præſtat locum generationi ſubſtantiali, ſed ſolum accidentali. Sed eo ipſo quod materia ex ſe propriam exiſtentiam habeat, iam eſt in vltimo actu perfectionis per ſe ipſam. Ergo eo ipſo nullum præſtat locum generationi ſubſtantiali, ſed ſolum accidentali. Maior patet: Quia generatio ſubſtantialis prout diſtinguitur ab accidentali, tendit ad producendam rem, ac ponendam in vltimo actu perfectionis ſimpliciter: atque adeo ſi materia antecedenter, ac per ſe ipſam, eſt iam in vltimo actu perfectionis ſimpliciter, nullus ſupereſt locus generationi ſubſtantiali. tenderet enim ad ponẽdum id, quod iam ante illam integrè præſuponitur. Iam minor illa principalis probatur. Exiſtentia enim ex terminis eſt vltimus actus perfectionis ſimpliciter in quacumque re. Ergo eo ipſo quod materia ex ſe propriam exiſtentiam habeat, iam eſt in vltimo actu perfectionis per ſe ipſam. Conſequẽtia patet, & antecedens traditur à D. Thomà plurimis locis, præſertim *q.* 11. *de Animâ ar.* 2. *ad* 3. his verbis: *Ipſum eſſe eſt actus vltimus, qui participabilis eſt ab omnibus: ipſum autem non participat.* Et à priori demonſtrari poteſt hoc diſcurſu. Quælibet res tunc eſt in vltimo actu perfectionis ſimpliciter, quando iam eſt extra omnes ſuas cauſas: quia eo ipſo quod extra omnes ſuas cauſas ſit, iam accepit omne complementum & vltimum actum perfectionis ſimpliciter, quem ab ijs recipere poteſt. Sed exiſtentia eſt actus quo res eſt extra omnes ſuas cauſas, vt patet ex ipſius definitione. Ergo exiſtentia eſt vltimus actus perfectionis ſimpliciter in quacumque re. Proindè que repugnat materiam ex ſe ipſa habere propriam exiſtentiam, & non eſſe ex ſe in actu vltimo perfectionis ſimpliciter. quod eſt planè incidere in errorem illum Veterum Philoſophorum, quos impugnat Ariſtoteles; & de medio tollere ſubſtantialem generationem.

22 *DICES*, Exiſtentiam, quæ ab opinione contrarià aſsignatur, tamquam propria materiæ, ſolùm eſſe partialem & incompletam, quæ proinde non ponat materiam in actu vltimo perfectionis ſimpliciter, ſed relinquat illam in potentià ad-

fore

formam & ad exiſtentiam formæ, tamquam ad actum, quo ſimpliciter perficitur & completur. Ideo nec præcludi aditū ſubſtantiali generationi, quæ ſemper habet locum, quatenus tendit ad producendam vel communicandam formam, & ipſius exiſtētiam, quæ eouſque non præſupponebatur in materia.

23 *SED Contra I.* Repugnat enim id, quod ex terminis eſt actus vltimus perfectionis ſubſtantialis, eſſe actualitatem incompletam, & relinquere ſubiectum in potentia ad actum primū perfectionis intra genus ſubſtātiæ: quia ſic eſſet ſimul in termino & in via ad vltimam perfectionem. Sed exiſtentia ex terminis eſt actus vltimus perfectionis ſubſtantialis, vt paulo antè demonſtratum eſt. Ergo repugnat exiſtentiam eſſe actualitatem incompletam, & relinquere ſubiectum, ſive materiam, in potentia ad actum primum perfectionis intra genus ſubſtantiæ. Atqui ſubſtantialis forma eſt actus primus perficiens materiā intra genus ſubſtantiæ, vt patet ex definitione formæ. Ergo repugnat exiſtentiam eſſe actualitatem incompletam, & relinquere materiam, ſive ſubiectum in potentiâ ad ſubſtantialem formam. *CONTRA II.* In quolibet enim genere repugnat actū ſecundum aut vltimum præſupponi ad actū primum eiuſdem generis, aut relinquere ſubiectum in potentiâ ad illum. Sed exiſtētia *eſt* actus ſecundus ſive vltimus intra genus ſubſtantiæ, forma verò actus primus. Ergo repugnat exiſtentiam præſupponi ad formam, aut reliquere ſubiectum ſive materiam in potentia ad formā. *CONTRA III.* Quia operatio eſt actus ſecundus, ſive vltimus in genere activo, & potentia actus primus, repugnat in materia præſupponi aliquam operationem, ſive completam, ſive incompletam, pro priori naturæ ad potentiam activam. Ergo pariter, quia exiſtentia eſt actus ſecundus ſive vltimus rei intra genus ſubſtantiæ, forma autem actus primus, repugnat in materiâ præſupponi aliquam exiſtentiam, ſive completam, ſive incompletam, pro priori naturæ ad formam.

24 *VNDE* Inſtauratur breviter cōſequentia illa ſuperius deducta ad mentem Philoſophi. Eo ipſo quod materia ita ſit in actu per ſe loquendo, vt iam actuari nequeat per formam ſubſtantialem, tollitur de medio diſtinctio realis inter formam & materiam, præcluditurque omnis via ſubſtantiali generationi. Sed conceſsâ materiæ exiſtentia propria, materia ita eſt in actu per ſe loquendo, vt iā actuari nequeat per ſubſtantialem formam. Ergo conceſsâ materiæ exiſtentia propria, tollitur de medio diſtinctio realis formæ à materia, & præcluditur omnis via ſubſtantiali generationi. quod planè eſt incidere in errorem illum Veterum Philoſophorū, contra quos diſputant Ariſtoteles ac D. Thomas. Porro eiuſdem S. Doctoris pro noſtrâ ſententia adeo aperta ſunt teſtimonia, vt nullâ egeant ponderatione, nullam etiam interpretationem patiantur. Sufficiant ex pluribus duo illa: Alterum ex 1. *p. q.* 7. *ar.* 2. *ad* 1 *Materia prima non exiſtit in rerum naturâ per ſe ipſam, cùm non ſit ens actu, ſed potentiâ tantùm. Vnde potiùs eſt concreatum, quàm creatum.* Alterum *q.* 4. *de Potentiâ ar.* 2. *corpore*, illis verbis: *Materia prima non poteſt in rerum naturâ exiſtere, quin aliquâ forma formetur. Quidquid enim in rerum naturâ invenitur, actu exiſtit: quod quidem non habet materia, niſi per formam, quæ eſt actus eius. Vnde non habet ſine formâ in rerum naturâ inveniri.* Qui plura deſiderat, inveniet *Opuſc.* 15. *c.* 3. *&* *Opuſc.* 31. *in principio, &* 1. *p. q.* 66. *ar.* 1. *& q.* 115. *ar.* 1. *ad* 2. *&* 2. *contra Gent. cap.* 43. vbi materiam appellat puram potentiam abſque omni exiſtentia propriâ.

SECTIO QVARTA.

Roboratur eadem ſententia ratione aliâ, & inſuper ad hominem in pleroſque Adverſariorum.

25 *SECVNDO* Probatur noſtra ſententia ratione communi, quam ſpecialiter ac breviter vrgere oportet. Totū ſubſtantiale non ſolùm eſt vnum per ſe in ratione entis & ſubſtantiæ, ſed etiam in ratione exiſtentis, vt omnibus in confeſſo eſt, & probatione non eget. At nō eſſet vnum per ſe in ratione exiſtentis, ſi materia haberet exiſtentiam propriam & diſtinctam realiter ab exiſtentia formæ. Igitur materia nō habet exiſtentiam propriam & diſtinctam realiter ab exiſtentiâ formæ. Conſequentia patet, & minor probatur. Si enim materia haberet propriam exiſtentiam, diſtinctamque realiter ab exiſtētia formæ, vtraque illarum ratione propriæ exiſtentiæ cōſtitueretur ens in actu, & ambæ eſſent duo entia in actu. Sed ex duobus entibus in actu nequit reſultare totum, quod ſit vnum per ſe in ratione exiſtentis. Ergo totum, ſive compoſitum ſubſtantialē, non eſſet vnum per ſe in ratione exiſtentis, ſi materia exiſteret per propriam exiſtentiam, & diſtin-

ctam realiter ab exiſtentia formæ.

26 *RESPONDENT* Adverſarij negando minorem. Ad probationem aiūt ex duobus entibus in actu perfecto & completo non poſſe fieri vnum per ſe; poſſe tamen ex duobus entibus in actu incompleto & imperfecto, qualis eſt exiſtētia tùm materiæ primæ, tum & formæ. Cum enim hæ duæ ſint entia incompleta, & conſtituentia vnum per ſe, etiam exiſtentiæ illarum ſunt partiales & incompletæ; ac proinde aptæ ad conſtituendum vnum per ſe in ratione exiſtentis. Imo & retorquet argumentum Spinula vbi ſupra *num.* 83. & initare nititur in eſſentia materiæ omnino diſtinctà ab eſſentia formæ, cum quà tamen componit vnum per ſe in ratione totius eſſentialis. Ergo pariter licet vtraque habeat exiſtentiam propriam ac diſtinctam, poterit ex vtraque reſultare totum, quod ſit vnum per ſe in ratione exiſtentis.

27 *SED Contrà I.* & retorquetur inſtantia. Ideo ex materià & forma habentibus eſſentias diverſas poteſt reſultare vnū per ſe in ratione totius eſſentialis, quia ſecundum eſſentiam vna comparatur alteri per modum potentiæ, altera vero per modum actus. Compoſitio enim totius eſſentialis reſultat ex partibus comparatis per modum actus & potentiæ eſſentialiter inter ſe. At ſi materia & forma habent exiſtētias diverſas, hæ non poſſunt invicem cōparari vt actus & potentia. Ergo ex vtraque non poterit reſultare totum, quod in ratione exiſtentis ſit vnum per ſe. Probatur minor: Quia repugnat vni vltimo actui comparari vt potētiam ad alium vltimum actū: alioqui eſſet actus vltimus, & non eſſet: primum, quia ſupponitur; ſecundum vero, quia eſſet perfectibilis per alium actum vltimum ſupervenientem. Sed exiſtentia ex terminis eſt vltimus rei actus, vt ſupra *num.* 21. oſtenſum eſt, tum expreſſo teſtimonio D. Thomæ, tum & concludenti ratione. Ergo ſi materia & forma habent exiſtētias diverſas, hæ non poterunt comparari invicem vt actus & potentia inter ſe. *Confirmatur* hæc impugnatio. Propterea enim repugnat vnam operationem comparari alteri vt potentiam receptivam ad actum informantem, quia omnis operatio ex terminis eſt actus ſecundus, ſive vltimus intra genus activum. Sed etiam omnis exiſtentia ex terminis eſt actus ſecundus, ſive vltimus in genere entis. Ergo repugnat vnā exiſtentiam comparari alteri vt potentiam receptivam ad actum informantem.

28 *CONTRA II.* Ideo plerique Adverſariorum negant cōtra Scotum materiam primam pro priori ad formam ſubſtantialem informari alià forma corporeitatis, adhuc incompletà, quia ſic nō poſſet cum formà ſubſtantiali ſuperveniente conſtituere vnum per ſe. Ideo autem colligūt, non conſtituendum iri vnum per ſe, quia forma ſubſtantialis ſuperveniens, præſupponeret materiam conſtitutam in actu primo per formam præviam corporeitatis, & materia conſtituta iam in actu primo non eſt capax alterius actus primi ſupervenientis intra genus ſubſtantiæ. Sed multò minùs materia conſtituta in actu vltimo exiſtentiæ capax eſt alterius actus vltimi exiſtentiæ ſupervenientis. Ergo multò minùs materia conſtituta in actu vltimo exiſtentiæ poterit cum alio ſuperveniente conſtituere in ratione exiſtentis vnum per ſe.

29 *CONTRA III.* Si exiſtētia materiæ aſſeratur incompleta, ideoque potētialis ſicut ipſa materia, & potens informari ab exiſtentia ſuperveniente formę, tamquam ab actu, vt aſſeritur in ſolutione præfactà; fiet neceſſariò, exiſtentiam materiæ exiſtere per exiſtentiam formæ ſupervenietem: quia neceſſariò recipiet ab ea effectum ipſius formalem, qui eſt reddere exiſtens. At conſequens repugnat, vel ex mēte ipſorum Adverſariorum. Quod efficaciter probo. *Primò*: Quia ipſi, dum diſputant, vtrùm eſſentia creata diſtinguatur realiter ab exiſtentia, ſtatuunt nihil poſſe conſtitui exiſtens per aliquid à ſe diſtinctum, quia per id conſtituitur exiſtens, per quod conſtituitur in ratione entis realis: nulla autem res per aliquid a ſe diſtinctum conſtituitur in ratione entis realis: ergo neque in ratione exiſtentis. Nunc ego ſubſumo. Sed per vos exiſtentia materiæ diſtinguitur realiter ab exiſtentia formæ. Ergo exiſtentia materiæ nequit exiſtere per exiſtētia formæ. Alioqui iam res aliqua poſſet exiſtere per aliquid à ſe diſtinctum: cuius oppoſitum aſſumitis. Ergo abſurdum debet eſſe in veſtris principijs, quòd exiſtentia materiæ recipiat formalem effectum ab exiſtentià formæ, aut quod ad illam comparetur vt potentia ad actum informātem. *Secundò* probatur eadē abſurditas conſequentis, ad hominē: Quia ideo Adverſarij in hac diſputatione colligūt materiam pro priori ad formā habere propriam exiſtentiam, quia pro priori ad formam producitur & cōſtituitur extra nihil, quod eſt effectus formalis exiſtentiæ. Ergo eo ipſo materia pro priori ad exiſtentiam ſupervenientem formæ iam præſupponitur producta & extra nihil, quod eſt formalis effe-

effectus exiſtentiæ. Ergo repugnat in terminis, & iuxta ipſorum doctrinam, quod poſtea recipiat effectum formalem alterius exiſtentiæ ſupervenientis. Quidquid enim ex ſe & antecedenter ad omne aliud habet aliquam perfectionem, fruſtra ab eo talem perfectionem reciperet. Ergo de primo ad vltimum repugnat materiam habere propriam exiſtentiam incompletam, & potentiam, quę, ſicut ipſa materia, informetur ab exiſtentia formæ ſuperveniente.

30 TERTIO Probatur, & ſingulariter, contra Hurtadum, Arriagam, Spinulam, alioſque ex Adverſarijs, qui vltro ſupponunt, aut permittunt Thomiſtis diſtinctionem realem eſſentiæ creatæ ab exiſtētiâ, ea que diſtinctione ſuppoſitâ, adhuc volunt materiã habere exiſtētiam propriam. Ego verò eà ſuppoſitione ſtatutâ, ſic in oppoſitum argumentor. Conceſſa ſemel materiæ exiſtentia realiter diſtincta, nullus eſt locus vt materia pro priori naturæ ad formam exiſtat. Ergo nullus eſt locus vt materia habeat propriam exiſtentiam. Conſequentia patet: Quia ſi materia habet propriam exiſtentiam, debet neceſſariò exiſtere pro aliquo priori naturæ ad formam, non vero pro poſteriori naturæ ad illam, vt omnes in hac difficultate fatentur. Antecedens verò, in quo tantùm eſt difficultas, probatur. Conceſſà enim ſemel materiæ primæ exiſtentià realiter diſtinctà, corruūt omnia, aut præcipua ſaltim argumenta, quibus Adverſarij probant materiam pro priori naturæ ad formam exiſtere. Quod ſeorſim diſcurrendo per illa perſpicuum erit. *Corruit* primum argumentum *num.* 5. propoſitum, in quo aſſumunt, entitatem materiæ ſecundùm ſe conſideratam pro priori naturæ ad formam, eſſe entitatem realem, ac proinde contrapoſitam nihilo, & eductam à ſtatu poſſibilitatis, ac proinde exiſtentem. Nam retorqueo argumentum in entitate materiæ præveniente exiſtentiã realiter ſuperadditam. Entitas illa materiæ pro priori ſolius naturæ ad exiſtentiam realiter ſuperadditam, eſt aliquid reale, cōtrapoſitum nihilo, & eductum à ſtatu poſſibilitatis, ac proinde iam exiſtens. Alioqui ſolùm eſſet entitas materiæ poſſibilis, & nihil ſubiecti, quo ſenſu non loquimur in præsēti, vt & Adverſarij arguūt. Ergo entitas materiæ antecedenter ad omnem exiſtentiam realiter ſuperadditam, & ſe ipsa, exiſtit, cōtra ſuppoſitionem Authorum, quibuſcum diſputamus modò. Neque vlla, vel apparēs, diſcriminis ratio aſsignari poteſt. *Corruit* ſimiliter ſecundum argumentum à *num.* 11. propoſitum, quod eſt Achilles ſententiæ adverſæ; petitum ex eo, quòd materia pro priori naturæ ad formam habeat quidquid eſt proprium rei creatæ prout exiſtentis: nimirum, ideam in Deo vt ſuprema causà, productionem ipſius quam terminet, & bonitatem ex parte effectus. Ergo materia pro priori naturæ ad formam exiſtit. Retorqueo argumentū. Suppoſitâ diſtinctione reali materiæ ab exiſtentia, quam appellatis ipſius propriam; entitas materiæ pro priori naturæ ad exiſtentiam ſuam habet quidquid proprium eſt rei creatæ prout exiſtentis. Ergo entitas materiæ iam pro priori ad ſuam exiſtentiam, & immediate per ſe ipſam exiſtit: quod eſt contra veſtram ſuppoſitionem. Aſſumptum probo: Quia entitas materiæ pro illo priori naturæ ad exiſtentiam ſuam realiter ſuperadditam, habet iam ideam in Deo. Alias nō poſſit cauſari exemplariter ab illo. Habet præterea terminare actionem creativam Dei, quæ per priùs terminatur ad entitatem primi ſubiecti, quàm ad omne aliud primo ſubiecto realiter ſuperadditum. Habet denique pro illo priori bonitatem propriam ac diſtinctam a bonitate exiſtentię realiter ſuperadditæ, ſicut & entitatem, cuius paſſio eſt bonitas. Alioqui faverent Adverſarij Manichæis aſſerentibus entitatem materiæ eſſe malam, vt & ipſi in eo argumento contra nos inferunt. Ergo de primo ad vltimum, iuxta illorū hypotheſim, materia pro priori naturę ad exiſtentiam ſuperadditam, habet quidquid eſt proprium rei creatæ prout exiſtentis; atque adeò ante ſuam exiſtentiã exiſtit: quæ eſt manifeſta contradictio. *Corruit* deniq́, vt pleraque alia omittam, argumentum quoddam ſolemne Adverſarijs petitum ex eo, quòd materia pro aliquo priori ad formam ſit cauſa materialis illius; omnis autem cauſa debeat præſupponi exiſtens pro priori naturæ ad effectum. Vnde inferunt, materiam pro priori aliquo naturæ ad formam materialem debere præſupponi exiſtentem, atque adeò per exiſtētiam propriam. Sed retorqueo argumentū manifeſtè in hypotheſi Adverſariorum. Eo namque ipſo, quod materia ſupponatur exiſtens per exiſtentiam ſuperadditam, entitas materiæ præſupponitur vt cauſa materialis ipſius; vtpotè pendentis neceſſariò ab illa vel in fieri & eſſe, vel in eſſe ſaltim: qualiter & exiſtētia formæ, ſi ſupponatur realiter ab ea diſtincta, pendet ab illa vt causà materiali *ex quâ*, & *in quâ* ſimul, aut ſaltim in quà. Ergo ſi omnis cauſa pro priori ad ſuum effectum debet præſupponi exiſtens; entitas

ma-

materiæ præſupponetur exiſtens pro priori naturæ ad propriam exiſtentiam, cuius cauſa ſupponitur. Ergo entitas materiæ pro illo priori naturæ ad exiſtentiam propriam, ac realiter ſuperadditam, iam præſupponetur exiſtens: atque adeo iam eſſentia materiæ eſt diſtincta realiter ab exiſtētiâ: quod certè eſt contra ſuppoſitionem factam. Manifeſtum igitur eſt, ne dicam meridianâ luce clarius, prædictos Authores eiſdem difficultatibus irretiri, quibus nos innodare volunt: ac proinde nihil ferè alicuius ponderis aſſumere adverſus noſtram ſententiā, quod pariter contra ſuam ipſorum retorqueri nō poſsit. Aut ergo aſſigent argumenta, & difficultatem, quam in præſenti movent, alteri opinioni, quâ ruentur eſſentiam creatam eſſe indiſtinctam realiter ab exiſtentiâ: aut certè oppoſitâ ſententiâ vltro permiſsa, noverint nihil contra nos proponi poſſe, quod ipſi directè ſolvere non adſtringantur.

31 *CONFIRMATVR* Diſcurſus præiactus, & ſimul redditur ratio noſtræ ſententiæ. Eo namque ipſo, quod eſſentia creata materiæ (idemque ferè eſt de eſſentiâ cuiuslibet creaturæ) ante propriam ac ſuperadditam exiſtentiam præſupponatur cum verâ & reali entitate; neceſſario infertur, poſſe dari medium ſecundùm præciſionem mentis inter duplicem ſtatum, ſcilicet, puræ poſsibilitatis, & exiſtentiæ formalis, non modò conſiderando rem metaphyſicè & ſecundum ſe, ſed etiam dum illa verè eſt in rerum naturâ, & ſolùm præintelligitur pro aliquo priori cauſalitatis ad exiſtentiam. Entitas enim materiæ pro illo priori cauſalitatis ad exiſtentiam ſuperadditam, iam non conſideratur, neque re ipſa eſt, in ſtatu meræ poſsibilitatis: quia entitas purè poſsibilis, non poteſt cauſare aliquid. Nec præterea in illo priori conſideratur in ſtatu exiſtentiæ formalis; cùm in eo ſigno non concipiatur formaliter exiſtentia, quæ in alio poſteriori naturæ ſubſequitur. Nec tandem concipitur tunc entitas materiæ metaphyſicè & ſecundum ſe, vt in propoſitionibus ſempiternæ veritatis: Quia ſtatus ille cauſandi & recipiendi actu & in exercitio propriam exiſtentiam, non eſt prædicatum aliquod ſempiternæ veritatis, & neceſſarium; ſed conveniens ipſi in tempore & contingenter. Ergo in illo priori naturæ & cauſalitatis, entitas materiæ concipitur in ſtatu aliquo viali ac medio inter duplicē ſtatum, ſcilicet, poſsibilitatis puræ, & exiſtentiæ formalis; & quidem ita, vt eſſentia materiæ non conſideretur tunc ſolùm metaphyſicè & ſecundùm ſe, ſed quaſi in viâ ad exiſtentiam pro alio poſteriori naturæ habendam. Eo autem ipſo ceſſat iam omnis contradictio excogitata ab Adverſarijs cōtra noſtram opinionem, vt conſiderati patebit, & expendenti ſingula ferè ipſorum argumenta. Dicere enim poterimus, adhuc ipſis ſuffragantibus, entitatem materiæ pro priori ad exiſtentiam, nec concipi vt purè poſsibilem, nec vt formaliter exiſtentem, nec preterea metaphyſicè & ſecundùm ſe, vt in propoſitionibus ſempiternæ veritatis: ſed in ſtatu quodam viæ ad exiſtentiam recipiendam pro alio naturæ poſteriori, & initativè ſpectante ad ipſum exiſtentiæ ſtatum: ac proinde tunc habere quidquid requiritur ad cauſandam & recipiendam exiſtentiam, diviſo penes conſiderationem, aut ſigna naturæ, illo inſtāti reali, intra quod verè materia exiſtit, licèt pro priori præſcindat, & non ſupponatur exiſtens.

SECTIO QVINTA.

Occurritur argumentis opinionis contrariæ, propoſitis ſectione primâ.

32 *AD I.* Oppoſitæ ſentētiæ *ex num.* 5. recta eſt ſolutio interiecta *ex num.* 6. *AD I.* eius impugnationem *ex num.* 8. patet ex dictis fine ſectionis præcedentis, poſſe dari medium inter eſſe actu nihil & aliquid actu, penes conſiderationem mentis, & pro illo priori naturæ, quo aſſerimus materiā præſupponi ad exiſtentiam propriam, vt cauſā illius; quamquam in re, & pro inſtanti phyſico, nullum ſit mediū. Id que in omni opinione inſtantiam habet: Quia etiam in re non eſt aſsignare medium penes eſſe in loco & extra locum. Et tamē ſecundūm præciſionem mentis ſubſtantia, ſive materia pro priori naturæ ad quantitatem & præſētiam localem neque concipitur in loco, vt patet; neque etiam extra locum, quia ſic cauſare non poſſet eamdem quantitatem & preſentiam localem. Idem ergo de eadē materiâ dicendum penes hoc, quod eſt, eſſe actu aliquid, & nihil actu. Nimirum, ſicut effectus formalis quantitatis & præſentiæ eſt eſſe in loco, ita & exiſtentiæ eſſe aliquid actu.

33 *AD II.* Inſtantiam ex *num.* 9. dicimus exiſtentiam ſolum eſſe conditionem concomitantem vt cauſa materialis cauſet, non verò rationem formalem: atque adeo non debere intelligi in illo priori naturæ, ſed ſufficere quod adſit intra inſtans reale. Idemque videtur dicendum de omnibus cau-

cauſis: nam & efficiens ſolum debet præſupponi conſtituta in actu virtutis operativæ, quæ eſt ratio formalis operandi; no verò in actu exiſtentiæ, qui eſt conditio tantùm. Sed permiſſo exiſtentiam debere intelligi pro priori naturæ ad cauſalitatem efficientis, prout diſtinctam à cauſalitate materiali, vt in ſolutione ibidem interiectâ aſſeritur, nihil obeſt impugnatio propoſita à pari compoſiti ex materia & forma, quod iuxta D. Thomam, eiuſque Diſcipulos, eſt cauſa materialis accidentium, & tamen ante illa præſupponitur exiſtens: vnde videtur inferri, etiam materiam debere præſupponi exiſtentem pro priori ad formam, cuius cauſa materialis eſt. Nõ, inquam, hæc obiectio vrget: ſeu facilè diſſolvitur à D. Thomâ, qui ſibi ipſi illam obijcit *Opuſc.* 31. in principio, & ſolvit, inquiens: *Materia non ſe habet vt ſubiectum* in quo, *ſed* ex quo. *Et eſt differentia inter iſta ſubiecta, quia ſubiectum* in quo, *eſt habens eſſe, & in illo ſuſtentans formas, ſicut ſubſtantia ſuſtentat accidentia; & ita non habet eſſe ex eo, quod ſibi advenit. At verò materia dicitur ſubiectum* ex quo *aliquid componitur, & habet eſſe ex eo quod ſibi advenit, quia habet eſſe incompletum; imò nullum eſſe habet, vt dicit Commentator 2. de Animâ. Vnde ſimpliciter loquendo forma dat eſſe materiæ.* Ex quibus patet ad obiectionem, ſubiectum *in quo*, quale eſt compoſitum, debere præſupponi exiſtens pro priori naturæ ad accidentia, quia dat illis eſſe per modum ſuſtentantis: ſubiectum verò *ex quo*, ſcilicet, materiam, non dare, ſed recipere eſſe; ac proinde non debere præſupponi in actu exiſtentiæ, ſed illam habere conſequenter ex eo quod ſibi advenit.

AD III. Inſtantiam *num.* 10. propoſitam ex Ioanne Theologo in Concilio Florentino, fatemur, fieri non poſſe vt vna res ſit ab alia, niſi ab illâ recipiat eſſe, quia eſſe ab alio propriè & ſecundùm communem modum loquendi dicitur de re procedente comparata cum principio activo, à quo recipit eſſe. Forma autem materialis non eſt à materiâ, vt a principio activo, ſed ex illâ vt principio paſsivo, atque adeò non recipit eſſe ab eâ, ſed ab agente: quin potiùs ipſa dat eſſe materiæ, vt ex D. Thoma didicimus.

34 *AD IV.* Impugnationem. Materia ex ſe & pro priori ad formam, ſicut nullam habet vnitatem ſpecificam poſitivam, ſic neque vllas proprietates in ſpecie determinatâ, quæ realiter ab ipſa emanent. Vide quæ diximus *diſp.* 3. *præced. ſect.* 1. Solùm itaque habet pro illo priori entitas materiæ proprietates trãſcendentes, vt bonitatem, & veritatem tranſcendentalem; aliaſque identificatas ſecum, vt ingenerabilitatem, & incorruptibilitatem, quarum nullam verè cauſat, neque activè producit; cum omnis cauſalitas ſit circa aliquid realiter diſtinctum. Quare materia vſque dum coniungatur formæ ſubſtantiali, nullas proprietates, nec diſpoſitiones cauſat, vel recipit: de quo redibit ſermo in libris Generatione.

35 *AD II.* Argumentum *ex num.* 11. recta eſt ſolutio aſsignata *ex num.* 12. *AD I.* Impugnationem *ex num.* 13. conſtabit ex dicendis *diſp. ſequenti ſect. vlt.* loquẽdo de facto, in prima rerum creatione, tam formas cœlorum, quàm elementorum, fuiſſe creatas ſimul cum materia, ac proinde hãc non fuiſſe terminum adæquatum creationis, ſed inadæquatum: ad quod minimè requiritur, materiam pro priori naturæ ad formam habuiſſe propriam exiſtentiam, adhuc partialem; ſeu ſolum fuiſſe independenter ab alio ſubiecto præſuppoſito productam, & poſitam ſub exiſtentia formæ côcreatæ intra idem inſtans reale. Quia verò probabile eſt, etiam inter Thomiſtas, formas cœlorum & elementorum potuiſſe educi in prima mundi geneſi ex potentia materiæ creatæ pro aliquo priori naturæ; abſolutè reſpondeo, omnem actionem productivam terminari ad ponendam primò rem in ſtatu exiſtentiæ; creativam quidem independenter à præſuppoſito ſubiecto; eductivam verò dependenter ab illo. Vnde caſu quo ſola materia prima fuiſſet creata, & forma cœli, aut elementi pro alio poſteriori naturæ educta, materia ex vi creationis fuiſſet primò poſita in ſtatu exiſtentiæ, non formaliter, ſed initiativè tantùm, & per modum potentiæ paſsivæ recipientis exiſtentiam, in alio poſteriori naturæ eductã dependẽter ab illa. Vnde non oporteret vi eiuſdem actionis creativæ produci exiſtentiam materiæ, aut cõpoſiti, ſed ſolùm, & independenter à præſuppoſito ſubiecto, poni primò vt ſubiectum, ex quo intra idẽ inſtans reale educitur forma & ipſius exiſtentia. quemadmodum, vt anima Chriſti terminaverit creationem, non fuit opus vt vi eiuſdem actionis produceretur exiſtentia Verbi, quâ exiſtit, vtpotè increata; ſed ſolùm vt primò, & independenter à ſubiecto præſuppoſito, poneretur ſub eâ, in alio poſteriori naturę communicatâ. Quod inſtantiam habet in ſubſiſtentiâ Verbi communicata animæ Chriſti, quin fuerit producta per creationem, cùm tamen creatio etiam

tiam terminetur ad ſubſiſtens, non minùs, quàm ad exiſtens. Per quod patet ad impugationem. Terminus enim formalis creationis non eſt exiſtentia, ſed entitas, prout ndependenter à ſubiecto præcedente pota in ſtatu exiſtentiæ. quod certè habeet materia pro illo priori ad formam, cauquo ſola illa fuiſſet creata, & forma pro oſteriori ſigno educta. Nunc verò licèt ormæ non ſpirituales educantur ex matea, iam præſuppoſità ex vi creationis, ſolū quitur materiam ſub qualibet forma ſucedente mutare exiſtentiam, ſicut & ſubſiſentiam; & accidentia omnia: non verò ermanère ſub omnibus formis cum eàdē ut propria exiſtentià. Inde verò neutiquā olligitur materiam fore corruptibilem, ut generabilem, vt aſſumitur in III. Inſtāa: neque id ſuadetur à pari compoſiti ſubſtantialis. Hoc enim ideo producitur, ſeu generatur, quia vi actionis generativæ ponitur primo ſub exiſtentia, cùm numquam antea extiterit, nec per propriam, nec per alienam. Materia autem ante quamlibet generationem præſupponitur iam ſub exiſtentià, quamquam aliena, & ex vi præcedentis formæ. Vnde vi actionis generativæ ſubſequentis non generatur, nec producitur, ſed ſolùm tranſit ab vna in aliam exiſtentiam, ſicut ab vnà in aliam formam. Licèt enim directè conſervetur per actionē Dei, quà primùm creata fuit; indirectè tamen, & conſequenter, conſervatur per actionem cauſæ ſecundæ, inductivam novæ formæ & novæ exiſtentiæ, & inimpedibilē ex naturà rei in hac rerum ſerie. Sed hoc latiùs alibi. Vide Quiros *diſp*.60.

DISPVTATIO SEXTA.

DE FORMA SVBSTANTIALI.

An & quomodo formæ educantur ex potentià materiæ?

Num. 1. *EXAMINATA iam naturà, proprietatibus, & exiſtentià materiæ primæ, ſequitur veſtiganda natura, & conditiones formæ ſubſtantialis, quæ eſt alterum entis naturalis principium. Porro illa communiter definitur actus primus materiæ, ſeu, quod perinde eſt, actus primus informans materiam primam. Quæ definitio adeò aperta eſt, vt nullà expoſitione indigeat. Nunc veſtigandum eſt, an & quomodo formæ educantur ex potentià materiæ. Eductio definitur à D. Thom.* 1. part. q. 90. art. 2. ad 2. *actio, quâ fit actu, quod priùs erat in potentià materiæ. Actio ponitur loco generis, in quo convenit cum creatione. Differt verò ab eà penes hoc, quòd creatio producit rem ex puro nihilo, ſeu independenter à potentià materiæ præſuppoſita, in quà priùs contineatur res, quæ creatur: cæterum eductio eſt productio rei dependenter à potentià materiæ præſuppoſità, in quà continebatur res, quæ educi dicitur. Vnde ad eductionem tria requiruntur. Primum eſt dependentia rei eductæ in fieri & eſſe à materià præſuppoſità. Secundum, quòd forma non veniat ſolùm ab extrinſeco, vt in creatione, ſed naſcatur ex viſceribus materiæ. Tertium, quòd materia, ſive ſubiectum, præſupponatur productum diſtinctà actione ab eà, quà res educitur ex ipſo. Nunc referendæ & refellendæ ſunt aliquæ Philoſophorum opiniones, deinde ſtatuenda erit ſententia Ariſt. ac D. Thomæ. Habet locum hac diſputatio* cap. 4. 6. & 7. *libri præſentis.*

SECTIO PRIMA.

Refertur & reÿcitur multipliciter nov-antiqua opinio, negans formas quò ad ſubſtantiam educi ex potentià materiæ, quod exiſtimet formam à materià non diſtingui.

REFERT Ariſtotel. *lib.* 1. *Phyſic. cap.* 4. 6. & 7. quoſdam Veterū Philoſophorum negantium diſtinctionem formæ à materia, quibus adhærent aliqui apud Scotum *in* 2. *diſtinct.* 12. *quæſt.* 1. vbi illos ſuppreſſo nomine allegat non longe à principio, §. *Hic dicit.* De quo & videri poteſt Richardus de Mediâ Villa *Quodlib.* 4. *quæſt.* 5 *art.* 1. & Conimbricenſes *lib.* 1. *Phyſicor.* Aiunt itaque prædicti Authores, vt teſtatur Scotus, eamdem entitatem ſeipsà eſſe materiam & formam, potentiam paſſivam & actum phyſicum for-

formalem, ita vt inter vtramque nulla intercedat realis, ſed ſolum rationis diſtinctio. Hanc ipſam opinionem, quæ iam exoleverat, & in Scholis non audiebatur, ex tumulo tandem & iterum protegendam curarunt Recentiores aliqui, quos Ioannes à Sancto Thoma allegat, ſuppreſſo nomine, *quæſt. 3. Phyſic. art. 1.* ac ſequitur Lalemandet *diſputat. 2. part. 5.* Iiſque adijcere poſſem alium, doctrina & nomine ſatis celebrem, qui in Philoſophia tradidit, & ſæpe obiter in Theologia docuit, compoſitum ſubſtantiale vnicam entitatem ſimplicem & indiviſibilem importare, quam modo materiam, modo formam appellamus, licet re ipſa eadem entitas & individua ſit in toto eſſe. Parco autem nomini Authoris, ne ſi fortè relata opinio gravi noſa cenſeatur digna propter argumenta poſtea exhibenda, videar nonnihil bonæ illius exiſtimationi detraxiſſe. Porrò in hac opinione nullus eſt locus, vt formæ ſubſtantiales educantur ex potentia materiæ, ſeu producantur dependenter ab illa vt ſubiecto præſuppoſito; cum nihil poſsit dependere à ſeipſo, aut præſupponi ad productionem ſui ipſius.

3 Et (quod forſan mirère magis) prædicti Authores volunt Ariſtotelem ac D. Thomam in ea fuiſſe opinione. Ariſtotelem quidem, quoniam aiunt illum cenſuiſſe tranſitum materiæ de vno termino in alium, non ſicut mutationem ſubiecti de calore in frigus, ſed ſicut de potentia obiectivè ad ſtatum exiſtentiæ. Proindeque, quemadmodum eadem entitas, quæ antea erat poſsibilis, redditur poſtea exiſtens, ſic etiam eadem entitas, quæ ante mutationem generativam erat materia, & ens in potentia, adveniente illa tranſit per ſuam entitatem ad rationem formæ, ſeu actus phyſici formalis, & entis in actu abſque aliquo realiter ſuperaddito. Vnde & adijciunt aliqui, generans, quando producit aliud, ſolum convertere vnum ens in aliud: & hoc prout mutabile in aliud dici materiam; prout in actu verò, ſeu *mutato eſſe*, appellari formam. D. Thomam verò in idem probandum afferunt, quatenus 1. *part. quæſt. 66. artic. 1.* docet repugnare ens in actu ſine actu. Quod capi nequit, ſi materia ponatur diſtincta ab actu phyſico formali, ſive à forma: non enim poſſet reddi exiſtens, & ens in actu, per entitatem realiter ſuperadditam, ſed per ſemetipſam entitatem.

4 CÆTERVM quàm ſit falſa, & abſurda, ne quid amplius dicam, opinio relata, quamquè immeritò è ruderibus Antiquitatis, & nihil excuſſo pulvere, invecta fuerit in Scholas à Recentioribus, ſatis ſuadetur, eo quod vix diſſentiat ab erroribus illis Antiquorũ, quos reijcit Ariſtoteles *lib. 1. Phyſ. c. 6. & 7. & 1. Metaph. cap. 5.* vbi & D. Th. ac Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromatum.* Etenim ex ipſis conſtat Xenophanem Colophonium, & *Parmenidem* Eleatem, ac Meliſſum Samium, exiſtimaſſe materiam & formam eſſe vnum realiter inter ſe; eorumque errorem refutat Philoſophus locis allegatis, ac reiectum ſupponit, cum ſæpiſſime *lib. 1. Phyſic.* docet, formã fieri ex materia, tanquam ex ſubiecto præſuppoſito. Manifeſtum eſt autem nihil poſſe fieri ex ſeipſo, tanquam ex ſubiecto præſuppoſito, ſed ſolum ex alio realiter diſtincto. Manifeſtum eſt igitur, formam iuxta *Philoſophum* eſſe quid diſtinctum realiter à materia. *Præterea* idem *8. Metaph. lect. 4.* apud Divũ Thomam proponit hanc dubitationem: *Cùm ex vino fiat acetum, & ex vivo mortuum, dubitatur, quare vinum non ſit materia aceti, & vivum materia mortui, cum comparentur ſicut potentia ad actum?* Reſpondet autem ibidem Ariſtoteles & D. Th. in hunc modum: *Acetum eſt corruptio vini, & mortuum corruptio vivi. Non ergo acetum fit ex vino, ſicut ex materia; neque mortuum ex vivo; ſed ſecundum accidens dicitur hoc fieri, in quantum fit ex materia eius.* Vbi palàm Philoſophus reijcit opinionem relatam, quatenus aſſerit, ipſum totum, quod corrumpitur, eſſe materiam, in quantum eſt in potentia vt convertatur in id, quod de novo fit. *Denique*, cum Philoſophus toties decurſu libri primi *Phyſicorum* doceat, principia entis naturalis *in fieri* eſſe tria, nimirum, materiam formam & privationem, atque *in facto eſſe* duo tantum, ſcilicet, materiam & formam, nullus ambigendi locus relinquitur circa diſtinctionem realem materiæ ex mente ipſius, ab actu phyſico formali, ſive à forma.

Nunc referenda

5 *SIMILITER* nec de ſenſu D. Thomæ, vel apparenter, dubitari poteſt, vt patet ex ipſo in loca allegata *Philoſophi* præſertim *ex 1. Phyſ. lect. 13.* vbi docet, illud, quod eſt aliquid præter formam aquæ & præter formam aëris, dici materiam primam. Et *7. Metaph. lect. 2. Oportet*, inquit, *quòd materia ſecundum ſui eſſentiam ſit alia ab omnibus formis ſubſtantialibus, & earum privationibus, quæ ſunt termini generationis & corruptionis.* Quid expreſſius? Idem habet *quæſt. 3. de Veritate, articul. 5. ſolutione ad vltimum, & capite 7.*

de Ente, & Eſſentiâ, aliiſque quam pluribus locis.

6 DEINDE Id ipſum evidenti ratione demonſtrari poteſt. Evidens namque eſt, dari in rerum natura generationes ſubſtantiales & corruptiones. Hoc autem impoſsibile eſſet, ſi materia per ſuam entitatem eſſet actus phyſicus formalis, ſeu, quod perinde eſt, identificaretur realiter cum ſubſtantiali formâ. Igitur evidens eſt materiam primam per ſuam entitatem non eſſe actum phyſicum formalem, ſeu non identificari realiter cum ſubſtantiali formâ. Probatur minor multipliciter. *Primò*: Impoſsibile eſt dari generationem, corruptionemve ſubſtantialem, niſi ex vi prioris producatur, ſeu fiat aliquid ſubſtantiale in eo, quod gignitur; & ex vi poſterioris deſtruatur, vt ex terminis & notione vtriuſque patet. Si autem materia præſuppoſita ad generationem, eſt per ſuam entitatem actus phyſicus formalis, ſeu quid indiſtinctum realiter à forma, non erit aliquid ſubſtantiale, quod producatur; ſimiliterque, nec in corruptione, quod deſtruatur: ſiquidem in compoſito naturali, quod gignitur & corrumpitur, nihil ſubſtantiale eſt præter materiam & formam. Ergo impoſsibilis eſt exiſtentia generationis & corruptionis ſubſtantialis, ſi ſupponatur materiam per ſuam entitatem eſſe actum phyſicum formalem, ſeu quid indiſtinctum realiter à formâ. *Secundò* probatur eadem minor, & præcluditur evaſio, quæ poſſet fortè occurrere Adverſarijs. Ideo datur ſubſtantialis generatio & corruptio hominis quando producitur & moritur, quia licet nec materia nec forma ſeor ſim fiat, deſtruaturve per talem mutationem; vnio tamen ſubſtantialis vtriuſque producitur aut diſſolvitur. At poſito materiam per ſuam entitatem eſſe actum phyſicum formalem, ſeu quid indiſtinctum realiter à formâ, non eſt locus inter vtramque vnioni ſubſtantiali; cùm hæc ſolum vertetur inter extrema realiter diſtincta; nec præterea locus eſt vt agens producat, vel materiam præſuppoſitam, vel formam indiſtinctam realiter à materiâ, vt de ſe patet. Ergo poſito materiam per ſuam entitatem eſſe actum phyſicum formalem, ſeu quid indiſtinctum realiter a forma, nullus eſt locus ſubſtantiali generationi aut corruptioni. *Tertiò* probatur eadem minor à priori ex ratione formali generationis & corruptionis ſubſtantialis. Generatio enim definitur tranſitus ſubiecti ſive materiæ de non eſſe ad eſſe ſimpliciter: è contrà vero corruptio tranſitus ſubiecti de eſſe ad non eſſe ſimpliciter. Hoc autem impoſsibile eſſet poſita reali identitate inter materiam & actum phyſicum formalem, ſeu formam. etenim materia ante ipſam generationem haberet illud eſſe ſimpliciter, quod ſibi media generatione communicari poſſet; nimirum, eſſe formæ ſubſtantialis & totius ſimpliciter; præterea & poſt corruptionem maneret eadem entitas omnino, quæ antea, & in ratione totius ſubſtantialis, non egentis ſuperaddito complemento per formam. Ergo impoſsibilis eſſet generatio & corruptio ſubſtantialis, poſitâ identitate materiæ cum actu phyſico formali, ſeu forma.

7 CONFIRMANTVR Hæc omnia oculorum experimento, & palmari diſcurſu. Quando enim deprehendimus manifeſtè brutum generari ſubſtantialiter à bruto, avem ab ave, plantam à planta, manifeſtum etiam eſt, aliquid ſubſtantiale, & eſſentiale in ijs produci; non autem ſolùm accidentia & dimenſiones externas. Aliunde autem manifeſtum eſt, id quod in ijs producitur, ſeu fit de novo media generatione, non eſſe entitatem materiæ, vtpote ingenerabilem; vt demonſtratum eſt *diſputatione 3. ſectione 2.* Supereſt ergo quòd in ijs producatur per generationem aliquid ſubſtantiale & eſſentiale rei genitæ, quod ſit diſtinctum realiter à materia. Id autem nequit eſſe aliud, quam actus phyſicus formalis, ſeu forma. Ergo de primo ad vltimum manifeſtum eſt, materiam eſſe quid realiter diſtinctum ab actu phyſico formali, ſeu forma. Similiter ad ſenſum patet, & rationi evidens eſt, quando moritur brutum vel planta, aliquid ſubſtantiale & eſſentiale rei corruptæ perire, manente in rerum natura ipſius materia, vtpote incorruptibili, vt loco allegato oſtenſum eſt. At id quod perit, nihil aliud eſſe poteſt intra lineam ſubſtantialem & eſſentialem, quàm actus phyſicus formalis ſeu forma; ſiquidem accidentia, de quibus dubitari poſſet, an corrumpantur, vel maneant, non ſpectant ad ſubſtantialem lineam. Supereſt igitur vt id ſubſtantiale, quod corrumpitur in prædictis mutationibus, ſit actus phyſicus formalis, ſeu forma. Aliunde evidens eſt, non poſſe eamdem entitatem realiter ac ſimul manere & non manere, corrumpi, & non corrumpi. Ergo evidens etiam eſt, materiam non eſſe realiter eamdem entitatem cum actu phyſico formali, ſeu formâ. Sed hoc, quod intra Philoſophiæ metas hactenus demonſtratum eſt, oportet præterea

ex ſacris, ſeverioribuſque principijs oſtendere; vt conſtet, quam periculoſa ſit in fide opinio contraria, ne dicam, doctrinæ reuelatæ omnino repugnans.

8 *ID* verò partim deducitur ab evidenti experimento in morte hominis, quæ eſt ſeparatio animæ à corpore, ſeu formæ rationalis a materia; partim ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *Seſſ.* 8. vbi definitur, animam intellectivam, ſeu rationalem, immortalem eſſe, & formam corporis humani eſſentialiter. Quod etiam antea in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. fuerat declaratum. Hinc autem irrefragabilis diſcurſus, & Theologica demonſtratio conficitur. Separatio realis eſt ſignum evidens diſtinctionis realis. Sed evidens etiam eſt in morte hominis ſeparari a corpore animam rationalem, quæ in Concilijs definitur eſſentialiter eſſe forma corporis humani, ſive materiæ. Ergo evidens eſt animam rationalem, ſeu formam corporis humani eſſe quid diſtinctum realiter a materia ipſa. Ergo materia in homine ſaltim diſtinguitur ab actu phyſico formali, ſive forma, vel ex ſolo capite ſeparationis. Atqui etiam in omnibus alijs viventibus experimur ſeparationem animæ a materia, cum paſſim videamus omnia illa mori. Ergo in nullo vivente materia prima eſt quid indiſtinctum ab actu phyſico formali, ſeu forma. Denique, cùm in omnibus mixtis, & elementis, paſſim experiamur ſubſtantialem corruptionem, ſive ſeparationem formæ a materia, in rerum natura manente; evidens fit de primo ad vltimum diſtinctio realis vtriuſque, & materiam, vniverſaliter loquendo, ex ſeipſa non habere actum phyſicum formalem, ſed tantum a forma.

9 *CONFIRMATVR I.* & ſimul præcluditur id, quod addunt prædicti Recentiores de converſione rei, quæ corrumpitur, in illam, quæ generatur. Cùm enim ex allegatis Concilijs habeamus, animam hominis non corrumpi; ſed permanere poſt eius mortem; conſequenter habemus, animam hominis per eius mortem non cõverti in cadaver. id enim quod in aliud convertitur, non permanet in ſeipſo, ſed deſinit eſſe. Vel ergo materia illa, ſive corpus, à quo ſeparatur anima hominis per mortem, relinquitur in cadavere, vel non. Si relinquitur in cadavere planè conſtat animam hominis & materiam eodem tempore diviſim, ſeu ſeparatas realiter exiſtere, materiam quidem in ſepulchro, animam verò extra ſepulchrum, quod ſine reali vtriuſque diſtinctione eſſe non poteſt. Si autem non relinquitur corpus, ſive materia hominis in ipſius cadavere, aut ideo eſt, quia annihilata fuerit, & ſic tollitur de medio ſubſtantialis ac vera corruptio, alioqui naturali lumine manifeſta: aut aſſeritur materiam ſimul cum anima abire in aliud ſeculum; quod eſt dicere reipſa hominem nõ mori, contra evidentiam oculorum, & S. Scripturæ teſtimonia. Supereſt igitur aſſerendum, in morte hominis ſeparari animã a materia, ſive corpore ipſius, manente intra cadaver; ac proinde vnam realiter ab alia diſtingui.

10 *CONFIRMATVR II.* Quãdo enim aſſeritur rem quæ corrumpitur, converti in eam quæ generatur, aut ſenſus eſt de cõverſione totali, ſive totius in totum; aut de converſione partiali, ſive ſolùm ſecundum formam, manente eadem materia; aut de converſione materiæ ſolius in id quod generatur. *Primum* dici non poteſt: Tum quia totalis converſio, ſeu totius in totum, omnino miraculoſa eſt, & ſolùm ſupernaturaliter poſsibilis, vt patet in trãnſubſtantiatione Euchariſtica: Tum etiã, quia ſic totus homo penes animam & corpus ſimul deſineret eſſe per converſionẽ in aliud totum, ſicut & plantæ, & bruta, in relata opinione: ac proinde anima rationalis poſt ipſius mortem incorrupta non permaneret, contra expreſſum fidei articulum. *Secũdum* etiam, & ex eodem principio patet, quam erroneum ſit, & eidem doctrinæ revelatæ contrarium: Quia ſi homo per mortem partialiter, ſive ſecundum formã, converteretur in rem quę de novo producitur, verè anima hominis in ſeipſa deſineret eſſe, ſicut omne quod in aliud cõvertitur, deſinit eſſe in ſeipſo. Vt omittã, eo ipſo, quod anima ſola dicatur converti, & non materia, manifeſtè ſtatui realem vtriuſque diſtinctionem, alioqui ab Adverſarijs negatam. quod enim convertitur in aliud, diſtinguitur realiter ab eo quod manet in rerum naturâ minimè cõverſum. *Tertium* denique, pari incõſequentia laborat. Si enim materia hominis ſola convertitur in cadaver, ſuperſtite & in rerum naturâ manente ipſius animâ, planè colligitur vtramque realiter diſtingui, ratione ſeparationis. *Præterea* tollitur de medio veritas generationis ſubſtantialis: quia hæc conſiſtit in productione rei ex præſuppoſito ſubiecto, in rerum naturâ manente, & quod *inſit* rei per generationem productæ, vt loquitur Ariſtoteles. Si autem materia convertitur in rem illam, quæ producitur, iam

non

ıon manet in rerum naturà, ſicut neque *ſſt* rei illi, quæ producitur. Ergo tollitur: e medio veritas ſubſtantialis generationis *larſus* devoratur monſtrum, aliud in Philoſophia: nempe, materiam naturali rerum urſu deſinere eſſe, & non ſolùm per annihilationē. quod enim convertitur in aliud x vi frequentis & naturalis corruptionis, equit non deſinere naturali rerum fluxu, c ſecluſa annihilatione extraordinarià, ac oli Deo poſsibili. Palam igitur eſt aſſumptum illud huius ſecundæ Confirmationis ſſe verum quo ad ſingula membra: nempe, rem quæ corrumpitur, non converti in am quæ generatur, nec converſione tota, ſive totius in totum; nec cōverſione partiali ſecundum formam (loquendo de homine, nam de alijs mixtis diverſa ratio eſt) ec tandem converſione materiæ. Statuenda ergo eſt diſtinctio realis materiæ à orma, tum velut evidens ratione naturali, um veluti neceſſario cohærens doctrinæ evelatæ: ac proinde dicendum ex capite iſtinctionis realis inter vtramque nihil de ſſe, vt formæ educantur ex potentià materiæ.

11 *NEQVE* Vllum apparet fundamentum opinionis adverſæ, quod ſolutioem exigat. Nam quod opponitur *numer.* .nec leviter vrget: cùm ex Ariſt. demonſtratum ſit *diſput. præcedenti à numero* 18. materiam non tranſire per ſuam entitatem de poſsibili ad exiſtentem, ſed per aliquid ſuperadditum eius entitati, tamquam urè potentiæ paſsivæ. Nec præterea punit quod ex D. Thoma objjcitur de materia non valente exiſtere ſine forma, quia c eſſet in actu ſine actu. Id enim rectiſſimè infertur, quia cùm forma ſit eſſentiaiter actus primus materiæ; ſine illa nequit materia eſſe in actu vltimo exiſtētiæ. alioqui eſſet in actu vltimo ſine primo actu: quod eſt impoſsibile. De quo plura dicemus *nfrà diſp. octava per tot.* Indidem verò ne pparenter quidem infertur, materiam de acto, aut de poſsibili fore idem realiter cū orma; ſed ſolùm ex hypotheſi impoſsibili, n qua exiſteret abſque forma ſuperaddita. Tunc enim per ſeipſam eſſet in actu primo, t proinde immediatè, & ſecluſa forma diſtincta, eſſet in actu vltimo exiſtentiæ. quod velut abſurdum & impoſsibile deducit S. Doctor ex opinione ponente materiam ſine omni formà.

SECTIO SECVNDA.

Aliorum opiniones de eductione formarum ex potentià materiæ, & præſertim nov-antiqua quædam Lalemandeti, referuntur & improbantur.

12 NVNC Oportet referre varios dicendi modos circa eductionem formarum ex potentia materiæ. *PRIMVS* eſt Aureoli, communiter a Recentioribus allegati in præſenti, qui dixit formam educi ex potētia materiæ quatenus in illa præexiſtebat ſecundùm aliquos gradus, quibus per generationem adijciuntur alij vſque ad ſpecificum. *SED* Hæc opinio facilè refellitur: Tum, quia iuxta communem ſententiam forma ſubſtantialis eſt indiviſibilis; ac proinde nequit contineri ſecundùm aliquos gradus, quin etiam ſecundùm omnes: Tum quia omnes gradus metaphyſici ſunt idem realiter in quavis forma; atque adeò nequit vnus præſupponi realiter alteri: Tum denique, quia ſic materia per ſe loquendo eſſet actuata & informata, ante generationem; nec vtcumque actuata, ſed ſimul ab innumerabilibus formis, quæ poſſunt ex ipſa educi. Vnde materia erit quoddam monſtrū, ſeu aggregatum ex multitudine formarum, & quaſi aliquod ens per accidens; non verò pura potentia, & pars idonea, vt ex ipſa & forma educta reſultet vnum per ſe intra genus ſubſtantiæ.

13 *SECVNDO* Alij, vt Albertus Magnus 1. *Phyſic. tract.* 3. *cap.* 3. & Bachon *in* 2. *diſt.* 18. *q. vnic.* & *Quodlib.* 1. *q.* 6. aiunt formas materiales præexiſtere in materia ſecundùm aliquod eſſe inchoatum & imperfectum, quod poſtea media eductione perficitur & completur. *SED Contrà I.* Forma enim antequam producatur, vel præexiſtit ſecundùm aliquid ſuæ entitatis in materia, vel non præexiſtit. Si primum aſſeratur, iiſdem rationibus refellitur, ac opinio Aureoli nuper impugnata. Si autem dicatur ſecundum; ergo nihil formæ ſecundùm entitatē præſupponitur in materia, ſed tota illius entitas producitur, ſivè fit media eductione. quæ eſt communis ſententia inferiùs ſtatuenda. *CONTRA II.* Illud eſſe inchoatum & imperfectum formæ in materia, antequam ex illa educatur, aut eſt diſtinctum realiter ab entitate materiæ, aut non? Si non eſt diſtinctum; ergo ſola entitas materiæ præſupponitur ad eductionē formæ, non verò aliquid entitatis formæ,

quam ſuperiùs demonſtravimus realiter diſtinctam ab entitate materiæ. Si autē illud eſſe inchoatum & imperfectum formæ quod iam præſupponi aſſeritur in materia, eſt quid diſtinctum realiter ab entitate materiæ, & pertinens ad entitatem formæ, erit forma ſubſtantialis. Cumque plures eiuſmodi educi poſsint ex materia, hæc ſimul erit ſub pluribus ſubſtantialibus formis de facto. quod tamen, adhuc inſpecta abſolutâ Dei potentia repugnare, frequenter Philoſophi cenſent. *CONTRA III.* Formæ ſubſtantiales non ſunt capaces intenſionis & remiſsionis, nec habēt gradum & gradum, nec eſſe intenſum & remiſſum. Ergo neq; capaces ſunt vt penes aliquid præſupponatur in materia, & penes aliud non præſupponantur. Gradus enim poſterior adveniret ſupra priorem, ſicuti gradus intenſus ſupra remiſſum. *CONTRA IV.* & retorquetur argumentum, cui fidit vterque modus dicendi relatus. Stat optime quod forma educatur ex potentia paſsiva materiæ, quin entitas ipſa formæ, aut ex toto, aut ex parte, præſupponatur in materia. Ergo nulla ratio cogit ad aſſerendum formam, priuſquā educatur, præexiſtere in materia, vel penes quoſdam gradus, vel penes eſſe inchoatum. Conſequentia patet, & antecedens probatur ratione Durandi *in 2. diſtinct.* 18. Sicut forma præexiſtit in potentia paſsivà materiæ vt ex illà educatur, ita, & verius, in potentia operativà agentis, vt ab illo producatur. At forma, neque ſecundùm totam ſuam entitatem, neque ſecundùm aliquem gradum, aut eſſe inchoatum illius, præexiſtit in potentià operativà agentis; ſed antecedenter ad productionem eſt nihil in ſe, & ſolùm aliquid in virtute cauſæ efficientis, ſeu virtus ipſa cauſæ, vt potens illam producere. Ergo pariter forma, neque ſecundùm totam ſuam entitatem, neque ſecundum aliquem gradum, aut eſſe inchoatum illius, præexiſtit in potentià paſsivà materiæ; ſed antequam educatur ex illà eſt nihil in ſe, & ſolùm aliquid in potentia paſsivà ſuæ cauſæ materialis, ſeu potentia ipſa paſsiva cauſæ materialis, tamquam id ex quo, ſeu dependenter a quo, fieri & educi poteſt.

14 *TERTIO* Lalemandet, allegans plures ex Antiquis, noviſsimè tuetur, formas ſubſtantiales præcedere in materia ſecundùm ſuas virtutes ſeminales, & nō modò in potentià materiæ indiſtinctà à materia, vt vult communis opinio. Itaque defendit, agens naturale per generationem educere virtutem illam ſeminalem extra gremium materiæ, ſicque efficere formā actum exiſtentem. Quòd vt exemplo illuſtret, addit, materiam ſe habere vt terrā, in quam immiſſa ſunt ſemina variarum herbarum & arborum, quaſi virtutes ſeminales, diſtincta à potentia paſsiva, qua terra eſt capax recipiendi illas herbas & arbores actu exiſtentes; proptereaque materiam primam vltra ſuam entitatem habere etiam prædictas rationes ſeminales, realiter ab ea diſtinctas, quas potuiſſet Deus ipſi non conferre, relinquendo materiam ſine ijs, ſicut reliquit illam ſine virtutibus ſeminalibus de facto relatè ad animam rationalem. Si autem Deus ita ſe geſsiſſet cum alijs formis, vt potuit ab initio, nunc omnes formæ crearentur. Cùm vero de facto poſuerit Deus virtutes ſeminales quarumlibet formarum materialiū à principio Vniverſi in potētia paſsiva materiæ, conſequens eſt vt illæ non creentur, ſed educantur à generante. Ita prædictus Author *diſputat. 2. Phyſica part. 5. à numero* 29.

15 *SED Contrà I.* Vel illæ virtutes ſeminales, quæ dicuntur præexiſtere in potentia paſsiva materię, ſunt aliquid indiſtinctum ab entitate materiæ ipſius, vel ab entitate formæ, quæ educi dicitur, vel potiùs aliquid ab vtraque diſtinctum, materiæque ſuperadditum priùs tempore, quàm recipiat formas ſupervenientes? Neque enim inter hæc tria aſsignari poteſt aliquid medium. *Primum* non aſſerit opinio relata, ſed expreſsè negat. alioqui incideret in ſententiam communem poſtea ſtatuendam, quæ nihil diſtinctum a materià præſupponit in illà ante eductionem formæ. Secundum eſt falſum, & coincidit cum vtraque opinione iam impugnatà Aureoli & Alberti, quos Lalemandetus ipſe refellit. Eſſet namque præſupponere ante generationem formæ entitatem ipſam formę, aut ex toto, aut ex parte ſaltim, ſi virtutes ſeminales præſuppoſitæ in materià eſſent quid indiſtinctum a forma. Ergo tertium ſupereſt dicendum, nempe, virtutes ſeminales præſupponi in materia tamquam aliquid realiter ab eà diſtinctum, & a formà ſubſequente. Hoc autem falſum eſſe & abſurdū, probatur multipliciter. *Primò*: Quia, vt fusè probabimus *in libris de Gener.* nihil medium cadere poteſt, præſertim accidentale & permanens, inter materiam & formam; cùm forma ſit actus primus materię, ac proinde nihil pręſupponat in eà receptum. At virtutes ſeminales, ſi ſunt diſtinctæ realiter à materia & formà, quid accidentale ſunt, & permanēs, vt ex ſe patet. Ergo ſi diſtinctæ ſunt realiter

materia & formà, nequeunt præſupponi nmediatè in materià. *Secūdò* probatur eaem minor. Si virtutes ſeminales eſſent receptæ in materia à principio creationis, & ro priori ad quamlibet formam educibilē x ipsà, materia per ſe vt condiſtinctam à ormà eſſet principium activum, contra mnes Philoſophos aſſerentes materiā eſſe activam non eſſe, ſed principium purè aſſivum, vtpotè prçveniens actum primū, ui eſt forma. Imò (quod adhuc abſurdius at) materia ratione earum virtutum in ſe eceptarum eſſet principium activum formarum ſubſtantialium. Nam cùm ipſæ virutes ſint activæ *vt quo* formarum, quarum emina ſunt, ſubiectum connaturale earumlem virtutum, quod eſt materia prima, uxta opinionem adverſam, deberet contitui ab ijs in ratione principij *vt quod* activi & operativi. *Tertiò.* Aut virtutes illæ ſeminales eſſent in materià multiplicatç iuxa numerum formarum ex ipsa educibiliū, ut iuxta ſpeciem tantùm, aut ſolùm iuxta enus. Nihil autem horum dici poteſt. Non rimum: Tum quia ſic innumeræ virtutes eminales, realiter ac ſolo numero diſtinctæ xiſterent ſimul in materia, ſcilicet, tot, uot formç ſubſtantiales numero diſtinctç, unt ex ipsà educibiles. quod non ſolùm eſt dmittere plura accidentia adæquatè & ſolo numero diſtincta ſimul in eodem ſubiecto, contra communem ſententiam, ſed etiam propemodum innumerabilia: imò & ctu infinita. quod probo. Si enim exiſterēt imul omnes formæ quæ educi poſſunt ex otentià materiæ, cùm hæ ab omnibus aſerantur in potentià infinitæ nunc, & adæquatè diſtinctæ, proculdubio eſſent actu initæ numero, caſu quo ſimul exiſterent. Sed per te in materia totidem numero ſunt virtutes ſeminales adæquatè diſtinctæ, ac unt formæ ex eà educibiles, eſſentque ſi imul exiſterent. Ergo in materià ſunt modò virtutes ſeminales infinitç in actu ſecundùm numerum. Dixi *adequatè*, ne retorqueas argumentum in partibus proportionalibus, quæ licèt ſint actu in continuo, nō diſtinguuntur adæquatè, ac proinde non conſtituunt infinitum in actu ſecundum numerum.

16 *SED* Neque ſecundum dici poteſt, ſcilicet, virtutes ſeminales ſolùm præexiſtere in materià iuxta numerum ſpecierū illarum formarum, quæ ex ipſa educi poſſunt. Si enim eadem virtus ſeminalis eſt in materià indifferēter ad omnes formas ſubſtantiales eiuſdem ſpeciei educendas, agētia creata æquè connaturaliter poterunt producere formam corruptam, ac nondū genitam, intra ſuam ſpeciem: quia in materia invenient virtutem ſeminalem indifferentem æqualiter ad omnes formas eiuſdem ſpeciei, ac proinde æqualiter ſe habentem ad formam genitam & corruptā. Conſequens autem falſum eſſe conſtat ex illo Philoſophorum axiomate, *Ad præteritum non eſt naturalis regreſſus*, de quo plura dedimus ſupra *diſp. 4. ſect. 4.* Nec retorqueas obiectionem in potentià eductivà agentis creati, quæ eadem eſt ſecundùm ſpeciem circa omnes formas, quas producere poteſt, & tamen nequit reproducere formā corruptam, quamvis eadem ſpecie ſit cum forma genita. Reſpondetur enim, agens creatum non poſſe naturaliter reproducere formam corruptam, quia licèt habeat potentiam quaſi remotam ad producendā illam, caret virtute proximà, propter defectùm diſpoſitionum parantium viam ad eius inductionem. In opinione verò, quam modo impugnamus, iam adſunt in materia diſpoſitiones indifferentes ad quamlibet formam intra vnamquamque ſpeciem, ac proinde æquales ad nondùm genitam & corruptam: ſcilicèt, virtutes ſeminales nihil aliud eſſe poſſunt, quàm prævlæ diſpoſitiones. Ergo agēs creatum æquè proximè erit potens ad reproducendam formam corruptam, ac nōdum genitam. *CONFIRMATVR* Impugnatio hæc. Sequitur enim cōceptionem Samuelis & Ioannis Baptiſtæ non fuiſſe miraculoſam, ſed æquè connaturalem in ſterilibus Annæ & Eliſabethæ gremijs, ac conceptiones frequentes aliorum quorumlibet hominum. quod quàm abſurdum ſit, & repugnans, tum Scripturæ, tū & Patribus appellantibus vtriuſque cōceptionē pleno ore miraculoſam, viderit Adverſarius. Sequelam probo: Quia vbi virtutes ſeminales, ſeu diſpoſitiones ad conceptionem omnium viventium eiuſdem ſpeciei, æquè indifferenter & naturaliter præſupponuntur in materià, æquè connaturalis eſt conceptio vnius viventis, ac alterius. Sed ſicut aliorum animalium virtutes ſeminales, ſic diſpoſitiones ad cōceptionem Samuelis & Baptiſtæ, aliorumque hominū eiuſdem ſpeciei, æquè indifferenter & naturaliter præſupponuntur in materià. Ergo æquè connaturalis fuit conceptio Samuelis & Baptiſtæ, proculque ab omni miraculo, ac conceptio frequēs quorumlibet aliorum hominum.

17 Quo ad tertium denique, patet ex eiſdem impugnationibus, non præexiſtere in materià virtutem ſeminalem vnicam

eam numero pro omnibus formis alicuius generis: Tunc enim agentia naturalia poſſent reproducere quamlibet formam intra ipſum genus, & nullius animalis conceptio eſſet miraculoſa, vt nuper arguebamus. Deinde refellitur à priori. Nulla virtus ſeminalis extendi poteſt ad producenda plura, quam potentia illa activa, cuius virtus eſt: imo ad pauciora debet extēdi, quia virtus, ſicut & habitus, determinat potentiā ex ſe indifferentem, & reſtringit in ſpecie, vel individuo, vt patet ab ſimilitudine & notione propria omnium potētiarum, & virtutum habituumque earumdem. Sed nulla potētia agentis creati eſt, quæ extendatur ad producendas omnes formas ſubſtantiales alicuius generis, ſi excipiamus cauſas vniverſales, vt ex ſe patet. Ergo & nulla virtus ſeminalis eſt, quæ extendatur, eadem numero manens, ad productionem omnium formarum ſubſtantialium alicuius generis.

18 *CONTRA II.* Argumentor in eamdem opinionem. Ideo enim præſupponit virtutes ſeminales in materia ante eductionem cuiuslibet formæ, quia niſi illæ præſupponantur, formæ non educentur, ſed habebunt eſſe per creationē. Tunc etenim aliquid creatur, quando ita fit, vt nihil eius præceſſerit. At ſi virtutes ſeminales cuiuslibet formæ non præſupponuntur in materia, nihil eius formæ præceſſit. Ergo quando fit, non educitur, ſed creatur. Ita ille & ſæpè loco allegato. Nunc ego ad hominem retorqueo argumentum. Si nō ſufficit ad eductionem formæ quòd fiat dependenter a materià præſuppoſitâ, neque etiam ſufficit quòd fiat dependenter à virtutibus præſuppoſitis, quas ſeminales vocas. Aut ergo omnes formæ creantur de facto in tuà opinione, aut in mea, & communi non creantur. Conſequentia patet ab everſione fundamenti contrarij. Antecedens probo multipliciter. *Primò*: Ideo per te productio formæ dependenter à materia præſuppoſitâ non ſufficit ad eductionē, quia tunc nihil formæ quo ad ipſius entitatem præſupponitur, & eductio vt diſtincta à creatione debet præſupponere aliquid eius entitatis quæ educitur. Atqui licèt præſupponantur virtutes ſeminales, nihil formæ quò ad ipſius entitatem præſupponitur; cùm adhuc in tuà opinione, manifeſtum ſit eas diſtingui realiter adæquatè à forma producta, tamquam accidens phyſicum a ſubſtātiâ; tamquam præſuppoſitum à creatione mundi ad aliud productum ſucceſſu temporis, & tamquā cauſam ab effectu. Ergo ſi productio formæ dependenter à materiâ præſuppoſitâ non ſufficit vt forma educatur, neque etiam ſufficiet quòd illa fiat dependenter à virtutibus præſuppoſitis, quas ſeminales vocas. *Secundò* probatur idem antecedens. Forma ſolùm fieri poteſt dependenter à ſeminalibus virtutibus in genere cauſæ materialis, in quo genere etiam fit dependenter à materiâ, vt ſubiecto præſuppoſito. Ergo ſi hæc dependentia in ſui productione a materia non ſufficit vt forma educatur, neque etiam illa dependentia ſufficiet.

19 *DICES*, formam fieri dependenter à virtutibus ſeminalibus, ſicut arbor fit dependenter à ſemine in terram iacto, atque adeò pendere ab eo in genere cauſæ efficientis, & iam præſuppoſitæ. *Sed contrà*. Si præſuppoſitio cauſæ materialis non ſufficit vt forma dependenter ab eâ producta educatur; neque etiam ſufficiet præſuppoſitio cauſæ efficientis. Anima enim rationalis etiam præſupponit Deum exiſtentem, veluti cauſam effectivam ſui, in cuius virtute continetur. Et tamen non educitur, ſed creatur, quia fit independenter a ſubiecto præſuppoſito. Ergo ſi hoc, quod eſt, cæteras formas fieri dependenter à ſubiecto præſuppoſito, non ſufficit vt verè educantur; neque etiam ſufficit quòd in virtutibus ſeminalibus præcontineātur, vt in cauſa efficienti. *Tertio* probatur idem antecedens. Si independentia animæ rationalis à ſubiecto præſuppoſito in ſui productione nō ſufficit ad creationem veram, neque etiam ſufficiet independentia à virtutibus ſeminalibus vt creetur. Ergo ſimiliter, ſi depēdentia formarum materialium à ſubiecto non ſufficit vt in ſui productione verè educantur, neque etiam ſufficiet dependentia à virtutibus ſeminalibus præſuppoſitis. Conſequentia patet, tum a pari, tum per locum a contrario inter creationem & eductionē. Aſſumptum verò ſic probo. Ideo enim anima rationalis exigit fieri per ſolam creationē, quia eſt forma ſpiritualis per ſe ſubſiſtens, & forma eiuſmodi non pendet in ſuo fieri & eſſe ab aliquo materiali, quod eſt proprium rei eductæ. Sed tam materia præſuppoſita, quam virtutes ſeminales, ſunt quid materiale, vt patet. Ergo ſi independentia animæ rationalis a ſubiecto præſuppoſito in ſui productione non ſufficit ad creationem veram, neque etiam ſufficiet independentia a virtutibus ſeminalibus vt creetur. Non enim maior ſpiritualitas, aut vis per ſe ſubſiſtendi, colligitur ex independentia rationalis animæ a materia-

li-

ibus virtutibus, quam à ſubiecto mate-
riali.

20 *CONTRA III.* Eo namque ipſo,
quòd formæ dependeant a ſubiecto præ-
ſuppoſito in fieri & eſſe, educuntur, & non
creantur. Sed formæ materiales, quamvis
nullæ præcedant ſeminales illarum virtu-
tes, pendent à ſubiecto præſuppoſito in fie-
ri & eſſe. Ergo formæ materiales, quamvis
non præcedant ſeminales ipſarum virtutes,
educuntur & non creantur: ac proinde fru-
ſtra & immerito opinio adverſa prærequi-
rit ſeminales virtutes in materia, vt vitet
creationem, aſſeratque eductionem mate-
rialium formarum. Conſequentia quò ad
omnes partes rectè colligitur ex præmiſsis.
Minor conſtat: Ideo enim formæ materia-
les dependent in fieri & eſſe à ſubiecto præ-
ſuppoſito, quia non ſunt ſpirituales & per ſe
ſubſiſtentes, ſed materiales & ſolùm ſubſi-
ſtentes in toto. At ſive præcedant, ſive non
præcedant ſeminales ipſarum virtutes, for-
mæ eiuſmodi non ſunt ſpirituales & per ſe
ſubſiſtentes, ſed materiales & ſolum ſubſi-
ſtentes in toto: vt patet in forma lapidis,
plantæ, bruti, &c. Ergo ſive præcedant, ſi-
ve non præcedant ſeminales virtutes, for-
mæ, eiuſmodi dependent in fieri & eſſe à
ſubiecto præſuppoſito. Iam maior illa præ-
cipui, ac primi diſcurſus probatur multipli-
citer. *Primò* & à priori: Quia eductio vt di-
ſtincta à creatione eſt productio rei depen-
denter in fieri & eſſe a ſubiecto præſuppoſi-
to: ideòque anima rationalis neque educi-
tur, nec educi poteſt, ſed creari ſolùm, quia
in fieri & eſſe non dependet à præſuppoſito
ſubiecto. Ergo eo ipſo quod aliæ formæ de-
pendeant in fieri & eſſe à ſubiecto præſup-
poſito, educuntur, & non creantur. *Secun-
dò* probatur eadem maior. Eo namque ipſo
quod prædictæ formæ pendeant in fieri &
eſſe a ſubiecto præſuppoſito, non fiunt ex
puro nihilo, ſed ex aliquo ipſarum, licèt nó
per identitatem, ſaltim per intimam &
ſubſtantialem cum ijs coniunctionem: ſcili-
cet, materia præſuppoſita intimè ſubſtan-
tialiterque coniungitur formæ materiali,
dependenter ab ipſa productæ. At omne
quod non fit ex puro nihilo, ſed ex aliquo
ipſius, licèt non per identitatem, ſed per
intimam ſubſtantialemque coniunctionem,
cum ipſo, non educitur, ſed creatur. Ergo
eo ipſo quòd prædictæ formæ pendeant in
fieri & eſſe à ſubiecto præſuppoſito, no edu-
cuntur, ſed creantur. *Tertiò* probatur ea-
dem maior, & vrgetur ſimul præcedens
probatio. Ideo in opinione contraria pro-
ductio formæ dependenter a ſeminalibus
diſpoſitionibus iam præſuppoſitis eſt edu-
ctio, & non creatio, quia tunc non produ-
citur ex puro nihilo, vt oportet ad creatio-
nem, ſed potiùs ex aliquo ſui, non quidem
per identitatem, ſed per vnionem, & qui-
dem accidentalem. Virtutes enim ſemina-
les, cùm ſint vera accidentia, nequeunt eſſe
aliquid formæ ſubſtantialis per identitatē,
neque vniri cum ea ſubſtantialiter, ſed ſo-
lùm accidentaliter. Sed ſecluſis virtutibus
ſeminalibus productio formæ materialis
dependenter a ſubiecto præſuppoſito in fie-
ri & eſſe, non eſt productio illius ex puro ni-
hilo, ſed potiùs ex aliquo ſui, licèt non per
identitatem, ſaltim per coniunctionem, &
quidem non accidentalem, ſed ſubſtantia-
lem, quæ longè maior eſt. Ergo ſecluſis vir-
tutibus ſeminalibus productio formæ ma-
terialis dependenter a ſubiecto præſuppoſi-
to in fieri & eſſe, non eſt creatio, ſed vera
eductio. Fruſtrà ergo Lalemandet vt ſalvet
veram formarum eductionem, diſtinctam
à creatione, exigit virtutes ſeminales, quæ
in materia præſupponantur. Mitto pleraque
alia, quibus facile ipſius opinio impugnari
poſſet, & præterea teſtimonia Ariſtotelis
ac D. Thomæ, quia prædictum Authorem
non deterrent, quominus liberè in quamli-
bet opinionem inclinet. Mitto etiam plera-
que alia latiſsimè tradita à Caramuele in
Philoſophia *l. 3. Metaph. ſect. 3.*

SECTIO TERTIA.

Præmiſsis quibuſdam contra Anaxagoram, Platonem, & Avicennam, ſtatuitur ex mente Ariſtotelis, D. Auguſtini, ac S. Thomæ, ratio propria eductionis; deduciturque, formas materiales quò ad totam ſuam entitatem fuiſſe eductas ex potentia materiæ.

21 EXPLOSIS itaque aliorum opi-
nionibus, aut omnino obſoletis,
aut noviter inſtauratis à Recentioribus, vt
germanam mentem Ariſtotelis, ac D. Tho-
mæ aperiam, & communem ſententiam
vtcumque ſtabiliam, nonnulla præmittere
oportet.

PRIMVM Eſt, ſi quando aliàs, maxi-
mè in præſenti difficultate a priſcis Philoſo-
phis diſceptatum fuiſſe, magna diverſarum
partium contentione. Quicumque enim
Anaxagoræ diſciplinam ſectati ſunt, aſſe-
ruere, omnes formas occultas in exiſtere
ſingulis rebus, donec poſtea vi cauſarum
generantium, ex turbata fortuitaque cau-
ſarum congerie, quaſi ſopitæ excitentur,
&

& in ordinem ac certam ſpeciem redigantur. Hanc opinionem refutavit Ariſtoteles *lib. 1. Phyſic. cap. 4.* ex veritate generationis, quæ ſubſiſtere nequit niſi vi ipſius verè producatur, & nō ſolum detegatur aliquid ſubſtantiale. Ex oppoſito Plato in Phædone docuit, rerum intereuntium formas non ſemper in materia extitiſſe, vt opinabatur Anaxagoras; ſed ex idearum fontibus, id eſt, ex ſubſtantijs quibuſdam, per ſe ſubſiſtētibus extra ſingularia, in materiæ ſinum deſcendere. Ita enim Platonem interpretatur Ariſtoteles, aſsiduus eius auditor, *lib. 2. de Gener. cap. 9. & 1. Metaph. cap. 7. textu 25. & lib. 7. cap. 8. textu 28. & lib. 12. cap. 3. t. 18 & lib. 13. à cap. 7.* Vbi & ipſum impugnat, quòd eiuſmodi ſubſtantiæ ſeparatæ neutiquam in rerum naturâ exiſtant, & fruſtrà ad rerum generationē aſciſcantur. Avicenna autem in ſua Metaph. *tract. 9. cap. 4. & 1. Sufficientiæ, cap. 10.* finxit intelligentiam quamdam à materia ſeparatam, atque inter alias poſtremam, eamdemque mundi ſublunaris moderatricem à qua formæ inducantur in materiam, diſpoſitam priùs ab agente phyſico & ſublunari. Illamque intelligentiam ea propter *cholcodem*, ſcilicet, formarum datricem appellavit.

22 *VERVM* Cùm tres opiniones relatæ tollant de medio naturæ ſublunari perfectiſsimam ac nobiliſsimam ſuarum omnium operationum, ſcilicet, generationē ſubſtantialem, quam Ariſtoteles, D. Thomas, cæterique Philoſophi manifeſtam, & ad ſenſum patentem iudicant; omnes contra relatos Authores meritò conſentiunt in eo, quòd nec formæ ſubſtantiales inlateant veluti opertæ intra ſinum materiæ, nec producantur ab ideis ſeparatis, nec ab intelligentiâ aliqua; ſed educantùr verè ab agente phyſico ex potentia materiæ, ſi ſint formæ materiales; vel vniantur ipſi, ſi immateriales ſint, vt rationalis anima. Probatque id D. Thomas 3. *contra Gent. c. 69. & 103.* alijſque locis ratione deſumptâ ex Ariſtotele *7. Metaph. c. 7. & 8.* in hunc modum. Omne agens agit ſibi ſimile. At neque ideæ à ſingularibus ſeparatæ, nec intelligentię ſunt ſimiles enti naturali, quod fieri dicitur mediâ generatione; ſed ſolū agens phyſicum eſt ipſi ſimile in naturâ. Ergo nec ideæ ſeparatæ, nec intelligentia aliqua, ſed agens phyſicū producit ens naturale, quod fieri dicitur mediâ generatione. Oportet igitur pro eductione formarum non recurrere ad ſubſtantias ſeparatas, ſed illam adſcribere operationi phyſici agentis.

23 *ALIA* Quoque huius doctrinæ ratio eſt, quam tetigit D. Thomas *dict. cap. 103. ex 3. contra Gent.* & prius indicavit S. Auguſtinus *12. de Civit. c. 24. & ſeqq. & lib. 3. de Trinit. cap. 8.* Quia nulla ſubſtantia ſeparata à materia, qualis eſt intelligentia cogitata ab Avicenna, & idea ficta à Platone, excepto Deo, poteſt formam aliquā, ſive ſubſtantialem, ſive accidentalem inducere in materiam per ſe; ſed tantū applicando activa paſsivis. Vnde fit, neque intelligentias, ſive Angelos, poſſe producere ignem v. g. niſi copulando, ſive applicando cauſas phyſicas, quibus ignis excitari queat. Huius autem doctrinæ ratio eſt: Quia ſi poſſent intelligentię producere ignem, aut inducere formam ipſius in materiam, vel eſſet in ratione agentium naturalium, vel artificialium, id eſt, eorum quæ operantur ad præſcriptum & regulas artis. At neutro modo ex prædictis. Non quidem primo: Quia cauſę, ſive agentia naturalia determinata ſunt a natura ad certas actiones, peculiariaque effecta producenda: vt ignis ad generandum ignem, & non aquam; calor ad producendum calorem, & non frigus. Atqui manifeſtum eſt, intelligentias ſeparatas, ſive Angelos, non eſſe ſuaptè naturâ determinatos magis ad producendam vnā formam, quàm alteram. Non ergo circa productionem formarum ſe habent vt naturalia agentia. Non etiam ſecundo modo: Quia actio artificis, & quicquid ad artem ſpectat, præſupponit naturam. Ergo ſi intelligentiæ ſeparatæ operantur inſtar agentium artificialium, illorum actio præſupponit formam phyſicam in materiâ: ac proinde non tendit ad formam in materiâ inducendam. Sic enim tenderet ad præſtādum id, quod iam præſupponitur factum. Igitur intelligentiæ ſeparatæ non inducunt formas naturales in materiam, neque inſtar naturalium, neque ad modum artificialium agentium.

24 *QVIA* Verò Angeli probè norunt, imò & comprehenſivè ſciunt, quæ cuique elemento proprietas ſit, quis aſtrorum aſpectus, quis influxus ſyderum, & omnium rerum quænam occultæ vires, corporumque complexio ipſis ſubiacentium quò ad motum localem; inde eſt, vt facilè poſsint aliunde comportare & inducere cauſas, à quibus formæ eiuſmodi ex potentia materiæ educantur. Quapropter ſæpè Magi ope dæmonum, quorum dominatui ex aſſe ſe devoverunt, admiranda quædam operantur, non modò ſpecie tenus, aut quaſi præſtigias oculorum; ſed etiam reipſa exhibēdo vera mixta & viventia, vt veros ſerpentes,

tes, ac mures ſubitò progenitos, cauſarum quidem naturalium phyſico influxu, dæmonum verò adductione & applicatione tantum. Legendus præterea idem S. Auguſtinus *lib. 22. de Civit. cap. 19. & dicto lib. 3. de Trinit. cap. 7. & 8.* Manifeſtum eſt igitur, ſubſtantiales formas non ab ideis Platonicis, & confictis, non etiam ab aliquâ intelligentiâ ſeparatâ infra Deum, ſed ab agentibus naturalibus educi ex potentiâ materiæ.

25. PRÆMITTENDUM II. Ex dictis progreſſu diſputationis contra aliorum opiniones, per hoc quòd formæ educantur ex materia non indicari, quod formæ ſecundùm ſuum eſſe reale, vel penes aliquid ſpectans ad earum entitatem ex toto, aut ex parte, latitaverint in materiâ, ita, vt poſtea ab agente non producantur, ſed ſolùm detegantur. Id enim eſſet tollere de medio veritatem ſubſtantialis generationis, pro qua natura ipſa clamat, & ponere materiã innumeris compoſitionibus, ijſque ſubſtantialibus ex actu & potentiâ, præditam à prima conditione Vniverſi. Cùm verò omne quod educitur ex aliquo, videatur extrahi ab illo, & nihil extrahi poſsit, niſi ab eo loco, vel ſubiecto continente, vbi revera & ſecundùm ſuam entitatem eſt; difficilè apparet, quomodo formæ educantur ex potẽtia materiæ, ſi intra illius ſinum non præexiſtunt ſecundùm ſuam entitatem, aut ex toto, aut ex parte ſaltim, vt voluerunt plures Philoſophorum ab Ariſtotele impugnati in præſenti, & alij plures, ſæculis ſubſequentibus. Quare breviter ac dilucidè exponenda ſunt duo, quæ maximè ad rem præſentem faciunt. Alterum eſt, quid ſit formam contineri in potentia materiæ; alterum verò quid ſit educi ex materia.

26. QVOAD Primum facem præfert S. Thomas *1. p. q. 90. art. 2. ad 2. & q. de Spiritualibus creaturis, art. 2. ad 8. & 2. contra Gent. cap. 86.* Vbi tradit hoc, quod eſt formam contineri in potentiâ materiæ, ſicut & in potentiâ cauſæ efficientis, non importare aliquid actuale ex parte rei contentæ, ſicut aqua dimidia dicitur contineri in vaſe, aut panis in arca. Ratio eſt manifeſta: Quia quod eo modo contineri dicitur, jam præexiſtit actu in ſe continente, ac proinde quando ab ea extrahitur, non producitur, aut generatur verè, nec fit aliquod ſubſtantiale compoſitum, ſed ſolùm alteratur, aut movetur de loco in locum. Ergo vt ſalvetur vera formæ productio, ac generatio compoſiti ſubſtantialis, aſſerendum eſt, non ita formas contineri in potentiâ materiæ, vt in eâ præexiſtant ſecundùm aliquod eſſe actuale, & diſtinctum ab entitate materiæ. Supereſt igitur, vt non ſubiectivè & in ſe, ſed ſolùm obiectivè in potentia materiæ contineantur, veluti ex quâ, ſeu de penes quâ, per quâ in fieri, & eſſe educi, ſive produci poſsint. *Præterea*, contineri formas in potentia materiæ, importat ex parte materiæ inclinationem & proportionem naturalẽ ad formam: quia nec materia, neque vlla alia cauſa continere dicitur effectum aliquem, niſi ille ſit infra ſphæram talis cauſæ, & intra extenſionem virtutis ejus congenitæ. Nulla enim virtus cauſæ congenita extenditur, niſi ad id, ad quod cauſa ipſa naturalem proportionem & inclinationẽ habet. Quod enim alicui eſt improportionatum, nec continetur intra ipſius ſphæram, nec in virtute ipſius connaturali. Ergo vt formæ contineantur in potentiâ materiæ, oportet ex parte ipſius eſſe proportionem, & inclinationem naturalem ad formam, tanquam ad aliquid contẽtum intra ipſius ſphæram.

27. QVOAD Secundum, idem S. Doctor rem aperit dicto loco ex 1. p. q. 90. dum inquit: *Actum extrahi de potentia materiæ, nihil aliud eſt, quàm fieri actu, quod prius erat in potentiâ*, ſcilicet, ejuſdem materiæ. Quare eductio eſt quædam productio tranſmutativa, ac proinde importat duplicem reſpectum: alterum, ad cauſam efficientem, quæ producit; alterum, ad cauſam materialem, ex qua educitur forma, & in qua fit, & quæ media eductione tranſmutatur de potentiâ, in qua erat, ad actum, ſub quo non erat. Vnde communiter Philoſophi ad eductionem formæ tres conditiones requirunt. *Prima eſt*, quod forma pendeat neceſſariò in ſuo fieri & eſſe à ſubiecto, ex quo educitur. Defectu huius conditionis, anima rationalis non educitur, ſed ſolùm creatur à Deo; quia cùm ſit forma ſpiritualis per ſe ſubſiſtens, neque in fieri, neque in eſſe pendet à materiâ. Vnde & ſeparata à corpore perſiſtit incorrupta poſt hominis mortem, vt fides docet, & ratio naturalis probat, vt oſtendemus alibi. *Secunda* conditio eſt, quòd potentia, ex qua educitur forma ſubſtantialis, ſit ſubiectum proportionatum & connaturale tali formæ; alioqui nec continebitur, nec educi poterit ex ipſa. Defectu huius conditionis, iuxta ſententiã quæ diſtinguit ſpecie materiam cœleſtem à ſublunari, nec forma ſublunaris educi poteſt ex materia cœleſti, neque forma cœleſtis ex ſublunari materia. *Tertia eſt*, quod forma non veniat ab extrinſeco, ſed naſ-

ca-

catur ex viſceribus ipſius materiæ, ac per eius tranſmutationem fiat, ita vt reducatur de potentia, & privatione in actum. Defectu huius conditionis, nec formæ cœlorũ, nec primæ formæ elementorum fuerunt eductæ, iuxta probabiliorem ſententiam infrà ſtatuendam, quia provenerunt ſolùm ab extrinſeco per creationem, & ſine tranſmutatione materiæ de potentia in actum, ſive de privatione ad formam.

28 *VERVM*, Quia probabile eſt formas cœlorum, & elementorum primas, fuiſſe eductas ex potentiâ materiæ, aut ſaltim potuiſſe abſolute ex illâ educi, ne certa doctrina, & communis, quam hucuſque tradidimus, in dubiũ vocari poſsit ex opinionum varietate & incertitudine; abſtrahendum eſt in hac tertiâ conditione a neceſſitate tranſmutationis; aſſerendumque ſaltim requiri ad eductionem formæ ex materia, quod hæc præſupponatur ſaltim producta per diſtinctam actionem ab eâ, quâ forma educitur. Ratio eſt evidens: Quia materia prima eſt ineducibilis ex alio ſubiecto, cùm ipſa ſit ſubiectum omnium primum. Ergo nequit produci per actionem ipſam eductivam, quâ producitur forma ex ipſius potentiâ. Ergo debet præſupponi producta per aliam actionem ab eductione diſtinctam, quæ alia eſſe non poteſt à creatione.

29 *HIS* Poſitis ſit Aſſertio. Omnes formę ſubſtantiales materiales ſaltim præter formas cœlorum, & primas elementorum, fuerũt quoad totam ſuam entitatem eductæ de potentiâ materiæ. *PROBATVR* faciè in doctrina prætactâ. Eductio enim, prout diſtincta a creatione, eſt productio formæ dependenter à materia præſuppoſitâ in fieri & eſſe. Sed omnes formæ materiales poſt primam rerum conditionẽ producuntur dependenter in fieri, & eſſe à materia præſuppoſita. Sicut enim nequeunt eſſe ſine illâ, ita nec fieri, niſi præſuppoſita illâ. Ergo omnes formæ materiales poſt primam rerum conditionem educuntur de potentiâ materiæ. At producuntur dependenter à materiâ in fieri, & eſſe quò ad totam ſuam entitatem, cùm tota illa materialis ſit, & neque eſſe, neque fieri valeat, niſi in ſubiecto, & ex ſubiectô iam præſuppoſito. Ergo quò ad totam ſuam entitatem educuntur ex potentia materiæ.

SECTIO QVARTA.

Obijciuntur & enodantur argumenta aliarum opinionum; variaque difficultates reſolvuntur breviter, aut in propria loca remittuntur.

30 *SED* Contra aſſertionem traditã inſurgunt non levia argumenta, tum Veterum, tum & Recentiorum. *PRIMVM*, idque potiſsimũ eſt, quod priſcos movit, vt negarẽt formas vere produci ab agente phyſico quò ad ſuam ſolidam entitatem, & aſſererent illas præexiſtere actu velut occultas in ſinu materiæ, vt refert Ariſtoteles in præſenti. Etenim ex nihilo nihil fit ab agente creato, ac proinde ex nihilo formæ nihil formæ ab illo fieri poteſt. Sed eductio eſt productio, ſeu fieri eiuſdem formæ. Ergo ſi nihil formæ actu præſupponatur in materia, non poterit forma educi ex materia ab agente creato. *CONFIRM. I.* Si enim formam educi eſt extrahi à potentia materiæ, non autem præexiſtere actu in illa, forma quando educitur, ex nihilo fiet, ac proinde creabitur; ſimiliter quando deſinit eſſe, in nihilum redigetur, atque adeò annihilabitur. *P*atet ſequela: Quia forma materialis actu non præexiſtens in materia, ſicut & in ipſa non manens, eſt ſimpliciter nihil: atque adeo eductio ipſius erit vera creatio, ſicut & deſitio annihilatio. *CONFIRM. II.* Si nihil actu formæ præſupponitur, aut manet in materiâ quando educitur & deſinit eſſe, tam nihil eius præſupponetur & relinquetur, ac ſi Deus illam crearet intra materiam, aut annihilaret per ſuſpenſionem concurſus ꝫ materiâ in rerum natura manẽte. Ergo tam verè agens creatum dicetur creare & annihilare formam, ac Deus in dicta hypotheſi crearet illam & annihilaret. quod planè abſurdum eſt. Ergo non ita educitur forma, aut deſinit eſſe, vt actu non præſupponatur & maneat in materia, ſaltim ſecundùm aliquid ſuæ entitatis.

31 *RESP.* Ex doctrinâ D. Thomæ *1. p. q. 45. art. 8. & q. 3. de Potentiâ, art. 8.* formas præcontentas in materiâ non eſſe purũ nihil, ſed aliquid in potentiâ eiuſdem materiæ: quod autem eſt aliquid in potentiâ paſsivâ materiæ, non eſt purum nihil: ac proinde nec fit per creationem, nec deſinit per annihilationem. Vnde ad argumentũ dico ex puro nihilo nihil fieri ab agente creato; fieri autem aliquid actu ex eo, quod erat aliquid in potentiâ; qualiter forma

ſubſtantialis eſt aliquid priuſquam educatur. Quo ſenſu accepta maiore, & conceſsa minore, nego conſequentiam. *AD I. Confirm.* diſtinguo primam partē ſequelæ: Forma quando educitur, ex nihilo fiet; ex nihilo formæ in ſeipſa, concedo; ex nihilo materiæ, nego ſequelam, & ſecundam illius partem: Quia vt aliquid creetur, nō ſolùm debet fieri ex nihilo ſui, ſed ex puro nihilo; id eſt, tam ſui, quam materiæ præſuppoſitæ. Similiter, vt aliquid annihiletur, debet redigi in purum nihil; id eſt, tam ſui, quàm ſubiecti, ſive materiæ. Imo potius, formam ante ſui productionem debere eſſe nihil in ſeipsà, ſicut & poſt ſui corruptionem, convincit aperte ipſa ratio productionis & corruptionis. Id enim quod actu eſt aliquid in ſeipſo, non præſtat aditum productioni; cùm ſemel factum non poſsit denuo fieri. Similiter & quod actu permanet aliquid in ſeipſo, nullum locum corruptioni præſtat; quia corruptio eſt mutatio de eſſe ad non eſſe, ſicut & generatio eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe. Ergo repugnat in terminis, formam in ſeipsa eſſe ante ſui productionem, aut perſiſtere poſt ſui corruptionem. *Præterea*, deſitio formæ materialis non eſt corruptio, quia non abit in purum nihil ex parte termini; ſed in aliquid; ſcilicet, in formam denuo productam, per converſionem vnius formæ materialis in aliam. Ad annihilationem vero exigitur deſitio in purum nihil ex parte termini. Ideoque Euchariſtica converſio non eſt annihilatio, quia tota ſubſtantia panis non deſinit ex parte termini in purum nihil, ſed in aliquid, ſcilicet, in corpus Chriſti, vt notat Angelicus Doctor *Quodlib. 5. artic. 11.* *AD II. Confirm.* occurritur ex doctrinà eiuſdem D. Thom. 1. *part. quæſt. 45. art. 4* aſſerentis creationem proprie ſolùm eſſe rerum per ſe ſubſiſtentium: ac proinde idem dicendum eſt de annihilatione, quatenus oppoſità creationi. Quare, cùm nulla forma materialis ſit per ſe ſubſiſtens, nulla etiam proprie creari poteſt, aut annihilari, ſed ſolum concreari ad creationem totius, vt in prima rerum conditione iuxta probabiliorem ſententiam; & coannihilari ad totius annihilationem. In hypotheſi verò quæ proponitur in obiectione, ſi Deus ſe ſolo induceret aliquam formam in materiam iam præſuppoſitā vi alterius actionis, aut ſola ſuſpenſione concurſus illam deſtrueret, materià in rerum natura manente; non eſſet creatio ſimpliciter, nec annihilatio: ſed ſolùm ſecundùm quid & quò ad modum. Ratio prioris partis eſt: Quia tunc Deus verè produceret formam materialem dependenter in fieri & eſſe à materià præſuppoſita & producta per diverſā actionem: ſimiliterque illam deſtrueret ita, vt adhuc educi poſſet iterum ex potentia materiæ: quorum primum eſt proprium eductionis, ſecundum vero alienum ab annihilatione. Ergo tunc nec eſſet creatio, nec annihilatio ſimpliciter. Ratio poſterioris partis eſt, quia ille modus producēdi ſe ſolo & deſtruendi ſola ſuſpenſione concurſus, imitatur modum creationis & annihilationis, quatenus in vtraque Deus excludit conſortium cauſæ ſecūdæ. Ergo eſſet creatio & annihilatio ſecundū quid & quò ad modū. Agens verò creatū, ſeu naturale, ne hoc quidē modo improprio & latè dicto creat annihilatve, quādo formā educit, aut deſtruit: ſed ſolà generatione & corruptione, producendo ſimul cum causà prima materiā dependenter à præſuppoſito ſubiecto, & deſtruendo illam, ſubiecto in rerum naturà manente, ex cuius potentia paſsiva iterum abſolutè produci poſsit, operatur.

32 *Inſtabis*: Forma ante ſui productionē & poſt deſtructionē ſui, non aliter continetur in potentia paſsivà materiæ, quā in activà cauſæ efficiētis; cùm in neutra ſubiectivè & in ſe cōtineatur; ſed ſolum obiectivè, & veluti nihil in ſeipsà. Ergo quemadmodū, non obſtante activa continentia in agente, fit ex nihilo & creatur, ac redigitur in nihil & annihilari poteſt a Dèo; ſic etiā, non obſtante paſsivà continentia in materià, producetur & annihilabitur ab agente creato; quod planè repugnat. *RESP.* Formam materialem (de hac quippe tantùm procedit difficultas) nec in agente, nec in potentia paſsiva materiæ contineri, tamquam aliquid actu in ſeipsà; ſed ſolùm tamquam aliquid in alio & in ſuà causà: in efficiēte quidem; tamquam in aliquo activo; in materiali autem, tamquam in aliquo paſsivo. Id autem ſufficit, vt creetur, quod ſolum continetur in virtute cauſæ efficientis; non verò quod ſimul in cauſa efficiente & materiali. Primum enim dicitur contineri purè obiectivè, ac proinde tamquam purū nihil, & ex mero nihilo producendū ab agente, quod eſt proprium creationis. Secundum vero non dicitur contineri purè obiectivè, neque tamquam ex puro nihilo producendum, ſed dependenter in fieri & eſſe ex aliquo vt ſubiecto præſuppoſito, quod eſt proprium eductionis. Idē proportionaliter de annihilatione dicēdū eſt. Quæ ſolutio rectè intellecta ſufficit ad diluēdas plures aut omnes obiectiones, quibus Lalem. *loco allegato* con-

contēdit, niſi ſaltem virtutes ſeminales præcedant in materia, nullam fore eductionē formarum, ſed creationem. Quare pleraq; illius argumenta non referam veluti facilia ſolutu, præterquamquod omnia ferè in ipſum retorqueri poſſunt, vt iam præſtiti *ſect.* 2. Quia tamen aliqua illorum nonnihil amplius exigere videntur, ea modò proponam & diſſolvam.

33. *OBIICIES II.* Auguſtinum *lib. 3. de Trinit. c. 7. & 8.* vbi docet, omniū, quæ ad oculos noſtros prodeunt, occulta quædam ſemina in elementis mundi latere, per quæ ea, quæ in occulto erant, in apertum progrediuntur. Præterea, idem *de Geneſi ad litteram*, apud Argentinā allegatus, docet, tria eſſe rerum principia, materiam, formā & rationes ſeminales; quas poſtremas poſuit loco privationis ab Ariſtotele deſignatæ. Rurſus *lib. 5. c. 23.* ſuper eamdem Geneſim inquit, ſicut in grano indiviſibiliter ſunt omnia ſimul, quæ per tempora in arborem ſurgunt, vt rami, flores, & fructus; ita & ipſum mundum cogitandum habuiſſe omnia cùm Deus ſimul omnia creavit. Denique & *ibidem lib. 6. c. 13.* docet, quando omnia formata ſunt, tunc in illis inchoata fuiſſe ſemina & primordia eorum, quæ poſtea tractu temporis in mundo ſunt producta. Adhibetque exemplum in ſeminibus, vnde procedunt, tam vegetabilia, quam ſentientia, quæ quotidie naſcuntur. Ergo S. Auguſtinus apertè patrocinatur opinioni præſupponenti in materia virtutes ſeminales ante cuiuslibet formæ eductionem.

33 *RESP.* De ijs virtutibus ſeminarijs a D. Auguſtino commemoratis, ſermonem quoque eſſe apud Ægidium *in 2. diſt. 8.* Durandum *ibid. diſt. 18. q. 2.* Hervæum *ibid. q. 1. & tract. de Materiâ cœli q. 2.* Capreolum *in 2. diſt. 42. q. 1. art. 3.* Henricum Gandavenſem *Quodl. 4. q. 14.* qui circa intellectū eius doctrinæ diſputant. Expeditior autem nobis eſt doctrina D. Thomæ *1. p. q. 115. art. 2.* vbi inquirit, *vtrùm in materiâ corporali ſint aliquæ rationes ſeminales?* Et in corpore articuli rem elucidat, ſenſumque S. Auguſtini aperit his verbis: *Manifeſtum eſt autem quòd principium activum & paſſivum generationis rerum viventium ſunt ſemina, ex quibus viventia generantur. Et ideo convenienter Auguſtinus omnes virtutes activas & paſſivas, quæ ſunt principia generationum & motuum naturaliū, ſeminales rationes vocat. Huiuſmodi autem virtutes activæ & paſſivæ in multiplici ordine cōſiderari poſſunt. Nam primò quidē, vt Auguſtinus dicit in 6. ſuper Geneſim ad litt. ſunt principaliter & originaliter in ipſo Verbo Dei ſecundū rationes ideales. Secūdò verò ſunt in elementis mūdi, vbi ſimul à principio productæ ſunt, ſicut in vniverſalibus cauſis. Tertiò verò modo ſunt in ijs, quæ ex vniverſalibus cauſis ſecundùm ſucceſſiones temporum producuntur: ſicut in hac plantâ, & in hoc animali, tamquam in particularibus cauſis. Quarto modo ſunt in ſeminibus, quæ ex animalibus & plantis producuntur. Quæ iterum comparātur ad alios effect⁹ particulares, ſicut primordiales cauſæ vniverſales ad primos effect⁹ productos.*

34 Vbi non modo ex verbis allegatis, ſed ex contextu articuli, & ex teſtimonio Auguſtini relato in argumento *Sed contrà*, palam eſt, ſermonē non eſſe de quacumq; generatione, ſed viventiū tantùm, & quæ propriè naſci dicuntur. Et de ijs aſſeritur, præcedere debere rationes ſeminales, tum activas, tum & paſſivas, generales & particulares, adhuc infra primam cauſam & omnium ideam. Ad hoc vero nō eſt neceſſium quod in materia immediatè præexiſtant aliquæ virtutes ſuperadditæ ipſi, & activæ generationum ſubſequentium, vt ſententia oppoſita vult: ſed ſufficiunt naturaliū cauſarum, tā agentiū, quā patientiū potētiæ & facultates, in quibus, veluti quibuſdā ſeminibus, naturalia affecta continentur. Vnde ſolùm infertur ex teſtimonio Auguſtini, & rationibus cōtrariæ ſententiæ, nullā formā ſubſtantialē educi poſſe, niſi concurrētibus ſimul principijs activis & paſſivis ad ei⁹ productionē exactis. quod vltrò fatemur. Negamus autem inter ea accenſeri debere virtutem aliquam ſeminalem, ſuperadditam materiæ primę, ipſique coævam, vniverſalem, aut particularē, pro priori ad ſubſtantialem formā. Omnis quippe virtus activa, & diſpoſitio ſupperaddita materiæ ſolùm convenit ipſi mediante formà ſubſtantiali.

35 *Obijcies II.* Ariſt. *lib. 3. Ethic. c. 1.* definientē violentum per hoc, vt ſit, cuius principiū extrà eſt, ita vt nullā id quod patitur, vim conferat. Ergo ſupponit nō omnes virtutes activas ſeminales cōvenire materiæ per cōmunicationē ab extrinſeco agente, ſed plures ipſi ab intrinſeco convenire. Alioqui nullus motus eſſet materiæ violentus, ſi nullā virtutē haberet ex ſe, quà reſiſteret motui. *Reſp.* Retorquendo obiectionem. Si enim in materia ſūt virtutes ſeminales omnium formarū ex ipsà educibilium, quilibet motus erit ipſi violentus: quia licet ipſi cōnaturalis ſit quatenus habet in ſe virtutē inclinantē ad eū motū in ſpecie vel individuo, violētus aliūde erit materiæ, vt habēti ex ſe virtutes alias innumeras inclinātes ad oppoſitū motū. Deinde reſp. ex doctrinâ D. Tho-

D. Thomæ 1.2.*q.*6.*art.* 4. definitionem illam violenti a *Philoſopho* traditam ita eſſe accipiendam, vt id; cui aliquid violentum eſt; reſiſtat. Materia autem licèt ex ſe ſit indifferens ad omnes formas, ac proinde æqualitèr ſe habeat ad omnes; dum tamen eſt ſub vnâ determinata, & quatenûs ſub illa eſt, poteſt reſiſtere motui contrario tali formæ: v.g. dum eſt, & quatenus eſt ſub forma gravi, poteſt reſiſtere motui levi, quo ſurſum feratur, ac proinde violentiam pati. Cætera argumenta eiuſdem Authoris poſſunt ſolvi ex doctrinà lectionis ſecundæ *ex num.* 25.

36 *ROGABIS I.* An formæ cœlorũ & primæ elementorum concreatæ fuerint ad creationem totius, an verò eductæ de potentia materiæ? *RESP.* Probabilius eſſe à Deo concreatas fuiſſe, ſicut & totum ipſum cœli creatûm à Deo dicitur illis verbis Geneſeos, *In principio creavit Deus cœlum & terrã.* Vbi τὸ *creavit*, nulla ratio eſt, cur propriè non accipiatur. Tradit hanc reſolutionem S. Thomas expreſsè 1.*p.q.*65.*ar.*1. & ſimul rationem aſsignat, dicẽs: *In primâ corporalis creaturæ productione non conſideratur aliqua tranſmutatio de potentiâ in actum: & ideo formæ corporales, quas in primâ productione corpora habuerunt, ſunt immediatè à Deo productæ.* Idem frequenter docẽt Thomiſtæ, alijs refragrantibus, apud quos legi poteſt. Nobis enim tempus non eſt in hac & ſequentibus dubitationibus vagari.

37. *ROGABIS II.* Quanam actione fiant formæ accidentales, quæ neceſſariam connexionem habent cum ſubſtantialibus? *RESP.* Fieri eadẽ actione quà formæ ipſæ ſubſtantiales producuntur: nam qui dat formam, dat conſequentia ad formam neceſſariò ac per ſe.

38 *ROGABIS III.* Quà actione producantur formæ accidentales carentes connexione cum forma ſubſtantiali? *RESP.* Fieri eductione, idque ſive naturales ſint, ſive ſupernaturales: quia dependent in fieri & eſſe à ſubiecto; priores quidem ab illo ſecundùm potentiam paſsivam naturalem conſiderato; poſteriores verò a potentia ipſius obedientiali. *Præterea* neutræ illarum connectuntur cum forma ſubſtantiali, ac proinde ſive hæc facta ſit per creationem, ſive per eductionem, adhuc accidentia omnia inconnexa non ponuntur vi eiuſdem actionis, ſed alterius ſuperadditæ. Quare gratia no fit per creationem ſtrictè dictam, ſed per eductionem ex potentià obedientiali animæ. Cuius etiam alia ratio eſt: Quia nulla creatura aſſumi poteſt vt inſtrumentum phyſicum ad creationem, vt docet S. Tho. 1.*p.q.*43.*art.*5. Sacramenta autem aſſumuntur a Deo vt inſtrumentum phyſicum ad cauſandam gratiam, iuxta eumdem S. Doctorem. Ergo gratia non habet eſſe per creationem. Quod ſi verò dicitur *Pſalmo* 50. *Cor mundũ crea in me Deus*; ibi non eſt ſermo de creatione ſtrictè dicta, ſed latè, quatenus non invenitur in creatis aliquod gratiæ principium connaturale.

39 *ROGABIS IV.* Vtrùm anima rationalis educatur, aut ſaltim educi poſsit de potentià materiæ, necne? *RESP.* De hoc ipſo ſermonem latè habendum in libris de Animà. Nunc ſufficiat dicere animam rationalem immortalem & per ſe ſubſiſtentem eſſe, fierique per veram creationem, non autem per eductionem. Id enim ſolum per eductionẽ fit, quod dependet à materia ſive ſubiecto, in fieri & eſſe. Sed anima rationalis non pendet à materià, ſive ſubiecto, in fieri & eſſe; cũ ſit per ſe ſubſiſtẽs extra materiã & ſpiritualis, vt fides docet. Ergo nõ educitur, neq; eductione fieri poteſt.

DISPVTATIO SEPTIMA

DE COMPOSITO SVBSTANTIALI.

An diſtinguatur realiter à partibus ſimul ſumptis?

Num. 1. PRÆMITTO, *Ens naturale, quod* compoſitum *appellari ſolet, eſſentialiter conſtare ex materiâ & formâ, tamquã ex partibus ſibi eſſentialibus. Quod communiter probant Philoſophi Chriſtiani ex illo Symboli S. Athanaſij*: Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus. *Et S. Auguſtinus* lib. 19. de Civit. cap. 3. Homo, *inquit*, neque eſt anima ſolùm, neque ſolùm corpus; ſed ex vtroque compoſitum. *Idem habet Boetius* lib. de duabus Naturis, *& Sanct. Thomas* 1. contra Gent. cap. 21. ac 1. part. quæſt. 75. art. 4. *Et expreſsè*

traditur ab Ariſtotele infrà lib. 2. cap. 1. textu 12. *vbi loquens de materiâ & formâ, ſiue corpore & animâ, inquit:* τὸ δ' ἐκ τούτων φύσις μὲν οὐκ ἔστι, φύσει δέ, οἷον ὁ ἄνθρωπος. Id autem quod ex his eſt, natura quidem non eſt, ſed eſt & conſtat naturâ: vt homo. *Conſtatque idipſum aperta ratione: Quia eſſentia hominis (idemque eſt de alijs compoſitis ſubſtantialibus) non eſt ſola anima, neque ſolum corpus. Ergo eſt aliquid compoſitum ex vtroque. Conſequentia patet: & antecedens quò ad priorem partem ſuadetur: Tum quia homo eſſentialiter eſt non ſolùm rationalis, ſed animal; quod ſecundum eſſe non poteſt, niſi eſſentialiter conſtet materiâ per ſe exacta ad motus ſenſationis proprios animalis: Tum etiam: quia ſi tota eſſentia hominis eſſet rationalis anima, ſicut hæc incorruptibilis & ſpiritualis eſt, ſic & totus homo eſſentialiter incorruptibilis atque immortalis eſſet: Tum præterea, quia quemadmodum anima immortalis eſt, ac proinde incapax reſurgendi; ſic etiam homo immortalis eſſet, ac reſurgendi incapax: Tum denique, nam alioqui Chriſtus Dominus in triduo mortis extitiſſet verus homo, quoniam eius anima extitit tunc vnita Verbo. Quæ omnia, quàm aduerſa ſint doctrinæ reuelatæ, per ſe patet. Indidem verò ſecunda antecedentis eiuſdem pars etiam liquet: Tum quia homo eſſentialiter eſt non ſolùm animal, ſed ratione vtens, ac proinde includens animum rationalem. Tum etiam, quia cùm materia ingenerabilis atque immortalis ſit, ac proinde reſurgendi incapax, numquam homo moreretur aut reſurgeret, ſi ſola materia eſt de ipſius eſſentiâ: Tum denique, quia ſic Chriſtus etiam in triduo mortis permanſiſſet verus homo, cùm tunc retinuerit materiam, ſiue corpus vnitum perſonæ diuini Verbi. Ex quibus obiter reiecta manet quorumdam Veterum exiſtimatio in oppoſitum, quæ digna non eſt vt fuſius impugnetur.*

2 *SVPPOSITA ergo incluſione eſſentiali materiæ & formæ in compoſito ſubſtantiali, ac proinde diſtinctione reali inadæquata cuiuslibet ipſarum ſeorſim ab illo, tamquam incluſi ab includente, & partis à toto; quod quærimus in præſenti eſt, an illud diſtinguatur realiter ab vtraque parte ſimul ſumptâ & vnitâ; ſiue ambæ vniantur ſeipſis immediatè, ſiue per aliquem nexum ſuperadditum. Hoc enim ad præſentem controuerſiam non refert, & diſputatione aliâ examinandum eſt, libro ſequenti. Porrò locum habet quæſtio præſens hoc* lib. 1. cap. 7. præſertim textu 64. & 65.

SECTIO PRIMA.

Eligitur & probatur ſententia negans diſtinctionem realem.

3 VERISSIMAM cenſeo ſententiam, quæ negat cõpoſitum ſubſtantiale diſtingui realiter à ſuis partibus ſimul ſumptis & vnitis. Ita Ariſt. non quidẽ 4. *lib.* huius Operis *textu* 35. vt malè aliqui ipſum allegant, *ſed* 5. *Metaph. cap.* 26. *aliàs textu* 31. vbi in toto nihil aliud agnoſcit, quàm omnes eius partes collectim ſumptas. Et 2. *de Animâ cap.* 1. inquit: *Anima & corpus eſt animal, ſicut pupilla & viſus eſt oculus.* Eamdem doctrinam tradit S. Thomas 1. 2. *q.* 13. *art.* 1. & 4. *contra Gentes cap.* 81. *ad ſecundum*, vbi ita loquitur: *De humanitate non eſt intelligendum quòd ſit quædam forma conſurgens ex coniunctione formæ ad materiã, quaſi realiter ſit alia ab vtràque.* Reddẽſque rationem ſubdit: *Quia cùm materia per formam fiat hoc aliquid actu, illa tertia forma non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis.* Quæ verba infrà expendemus. Et in Additionibus *ad* 3. *part. q.* 79. *art.* 2. *ad* 2. Inquit: *Verior opinio videtur, quòd forma totius non eſt forma partis tantùm, neque eſt forma aliqua alia præter formam partis: ſed eſt totum reſultans ex compoſitione formæ & materiæ, comprehendens in ſe vtrumque.* Eidem ſententiæ ſubſcribunt ex antiquioribus Auerroes *comm.* 17. Boetius *de Trinit. cap.* 3. Alexander, Themiſtius, Simplicius & Philopp. Ex Scholaſticis Paludanus *in* 3. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. Gregorius *in* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 1. & frequenter Thomiſtæ, præſertim Complutenſes *diſp.* 6. *quæſt.* 4. Ioannes à S. Thoma *quæſt.* 6. *art* 2. Lerma & Moneda in præſenti. Ex Authoribus Societatis Eximius Suarez *diſp.* 36. *Metaph. ſect.* 3. Toletus *hoc lib.* 1. *Phyſic. quæſt.* 6. Rubius *cap.* 3. *quæſt.* 1. *num.* 66. Hurtado *diſp.* 6. *ſect.* 1. Arriaga *diſp.* 4. *ſect.* 1. Tellez *diſp.* 20. *ſect.* 3. Ouiedo *contr.* 5. *punct.* 1. Franciſcus Alphonſus *diſp.* 6. *ſect.* 2. Quiros *diſp.* 49. *ſect.* 2. Ex alijs Auerſa *q.* 19. *ſect.* 8. Spinula *diſp.* 4. *ſect.* 5.

4 *PROBATVR I.* Ratione deſumptà ex verbis D. Thomæ iam allegatis. Etenim materia & forma ſemel vnitæ, & ſecluſa omni alia entitate ſuperaddita, qualiſcumque illa ſit, conſtituunt vnum ens per ſe ſubſtantiale. At non vnum ens per ſe vnitate ſimplicitatis. Ergo vnitate cõpoſitionis: atque adeò compoſitũ ſubſtantiale non addit aliam entitatem ſupra materiã & formam ſimul ſumptas & vnitas. Vtraque conſequentiã eſt perſpicua, & minor ſimiliter: quia repugnat aliquid vnũ reſultãs ex materia & forma vnitis eſſe ſimplex,

Maior autem ſuadetur diverſimodè. *Primò*: Quia iuxta Ariſtotelem 2. *de Animâ cap.1. textu 7. & 8. Metaph. cap. vltim.* ex prima potentia & actu primo, inter ſe vnitis, conſtituitur vnum ens per ſe. At prima potentia eſt materia, & actus primus forma. Ergo ex ijs ſemel vnitis, nequit non reſultare vnum ens per ſe: atque adeò ſecluſà omni alia entitate, ex ijs vnum per ſe reſultat. *Secundò*: Quia eo ipſo quod intrinſecè vniantur duo aliqua ad invicem ordinata vt actus & potentia, abſque omni alio ſuperaddito, reſultat ex ijs vnū ens per ſe. At materia & forma ad invicem ordinantur vt actus & potentia. Ergo eo ipſo quòd ambæ vniantur intrinſecè, abſque omni alio ſuperaddito, reſultat ex ijs vnum ens per ſe. *Tertiò*: Quoniam vnum per ſe compoſitum, quatenus diſtinctum a ſimplici, nihil aliud importat, quàm ſimultaneam partium poſitionem & vnionem intrinſecam. Per hoc enim diſtinguitur eſſentialiter, tum à quolibet toto, ſeu ente per ſe omnino ſimplici, tum & à qualibet ſuarum partium ſeorſim ſumpta.

5 RESPONDET ex Scotiſtis Faber *theoremate 21. & in 3. diſt. 9.* partes vnitas tranſire in tertiam entitatem, & eas prout ſic tranſeuntes amittere entitatem propriam, & fieri quid indiſtinctum à toto. Idem ipſum reſpondet Lalemandet *diſp.3. part.3. num. 12.* vbi vult hanc eſſe germanam mētem Scoti. Quem dicendi modum tam in præſenti materia, quàm in tertio conſtituto ex intellectu & lumine gloriæ, iam diu excogitavit in Philoſophia, & nuper in Curſu Theologico edidit ex Noſtris Illuſtriſsimus Sylva *tom.1. in 1. part. quæſt. 12. artic. 13. dub. 8.* Quare iuxta ipſorum doctrinam, prætermiſsà maiore, negabis minorē: quia vnum per ſe reſultans ex materia & forma vnitis, non eſt vnum per compoſitionem in ſeipſo, ſed per ſimplicitatem, & tertia quædam entitas indiviſibilis, in quā tranſeunt, ſeu transferuntur materia & forma poſt vnionem.

6 SED *Contrà I.* Quia repugnat vnum aliquod reſultans ex duobus componentibus intrinſecè per modum partium eſſe aliquam entitatem ſimplicem; cùm ſimplicitati vt tali adverſa ſit compoſitio ex partibus. At materia & forma prout vnitę præciſè ſunt partes componentes, ex quibus reſultat vnum aliquid, vt ex ſe patet. Ergo repugnat illud vnum eſſe aliquam entitatem ſimplicē. CONTRA II. Materia & forma ſunt cauſæ intrinſecę tertij illius reſultantis, vtpotè materialis vna, & formalis altera. De ratione autem cauſæ intrinſecæ eſt, vt per ſuammet entitatem cauſet, conſtituatque tertium illud, cuius cauſa intrinſeca dicitur. Ergo de ratione materiæ & formæ eſt, vt per ſuasmet entitates cauſent, conſtituantque tertium illud, cuius cauſæ intrinſecæ dicuntur. Nequeunt autem ſuimet entitatibus cauſare & conſtituere tertium illud, niſi retineant in eo proprias entitates. Non ergo materia & forma tranſeunt in aliquam entitatem tertij diſtinctam, ſed retinent ſemper proprias entitates. III. Materia prima ſecundùm propriam entitatem diſtinctam realiter a formâ, vere in rerum naturâ exiſtit, vt *diſputation. 3. & 6.* demonſtratum eſt multipliciter. Sed materia prima ſolùm datur in rerum naturâ componens, ſive conſtituens aliquod tertium: quia ex communi Philoſophorum ſententia numquam exiſtit ſine forma aliqua, cum qua ſemper componit aliquod tertium. Ergo materia dum componit, ſive conſtituit aliquod tertium, exiſtit ſecundùm propriam entitatem diſtinctam realiter a formâ; ac proinde non deſinit habere ſuam entitatem. IV. Repugnat in terminis, & adhuc inſpecta poteſtate Dei abſolutâ, entitatem alicuius rei, quandiu permanet in rerum naturâ, trāſire in aliam tertiam entitatem: ſic enim maneret & non maneret in ſeipsâ eodem tempore. At entitates materiæ & formæ permanent in rerum natura quandiu exiſtit tertium reſultans. Ergo non tranſeunt in tertiam entitatem quandiu exiſtit tertium reſultans. Probatur minor: Quia per reſultantiam illius tertij, nec entitas materiæ & formæ annihilata fuit, nec corrupta, vt patet; neque etiam converſa in ipſum tertium. Huiuſmodi enim converſio, ſaltim ex parte materiæ miraculoſa foret, qualis Euchariſtica, quæ in præſenti locum non habet. Ergo, cùm non ſit alius modus amittendi propriam entitatem, aut non permanendi cum illâ, quam per annihilationem, corruptionemque, & converſionē, entitates materiæ & formæ non amittunt proprias entitates, ſed permanent cum ijs, quandiu exiſtit tertium reſultans.

7 *Confirmatur I.* hæc impugnatio in materiâ & formâ hominis, quarum quælibet eſt incorruptibilis, ac proinde ſolùm potens amittere propriam entitatē vi annihilationis, aut converſionis miraculoſæ,

qua tranſeat in entitatem aliam. Ergo vbi homo reſultat ex animo & corpore, neutra pars deſinit eſſe, aut tranſit in entitatem aliam: cum certo certius ſit, vbi homo reſultat ex vtraque, nullam dari annihilationem, aut miraculoſam converſionem. *Confirm. II.* & gravius ab abſurdo. Sequitur enim in Chriſto Domino deſinere eſſe humanitatem & perſonam Verbi in ſeipſis, tranſireque in aliam tertiam entitatem, quæ nec ſit Verbum, nec humanitas; nec Deus, nec creatura; ſed aliquid ab vtroque diſtinctum adequate. quod an ſine errore in fide aſſeri poſsit, viderint Adverſarij. Sequelam probo ex Symbolo Athanaſij. *Sicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus*. At iuxta prædictos Authores, anima rationalis & caro ita ſunt vnus homo, vt deſinant eſſe in ſeipſis, tranſeantque in aliam tertiam entitatem, quæ nec ſit anima, nec corpus; ſed aliquid ab vtroque diſtinctum realiter adæquatè. Ergo etiam Deus, ſive perſona Verbi, & homo ita ſunt vnus Chriſtus, vt humanitas & perſona Verbi deſinant eſſe in ſeipſis, tranſeantque in aliam tertiam entitatẽ, quæ nec ſit perſona Verbi, nec humanitas; nec Deus, nec creatura; ſed aliquid ab vtroque diſtinctum adæquatè. Et certè nulla ratio Authoribus opinionis adverſæ eſſe poteſt qua probent partes, ſive extrema tertij illi⁹ deſinere eſſe in ſeipſis, & abire in aliud quà pariter non probent idipſum de partibus, ſive extremis tertij reſultantis ex naturà & ſubſiſtentia. *VLTIMO* reijcitur: quia quæ ſemel realiter diſtinguuntur; numquam poſſunt eſſe realiter idem, ac proinde nec tranſire in tertiam aliquam & indiviſibilem entitatem. Deinde, ſi in homine non exiſtũt anima & corpus realiter diſtincta in ſeipſis, nec etiam exiſtẽt realiter vnita in ſeipſis: quia vnio realis non eſt, niſi duorum, aut plurium, actu in ſeipſis exiſtentium. Si autem corpus & anima hominis non exiſtunt realiter vnita in ſeipſis, quonam pacto erit locus vt moriatur homo? Nec enim aliud eſſe poteſt mors eius, quã corruptio vnionis inter animam & corpus, quorum neutrum ſeorſim moriendi capax eſt. Vbi autem vnio realis non eſt, nec vnionis corruptio eſſe poteſt. Mitto argumenta Fabri pro ſuà exiſtimatione, quoniam exilia ſunt.

8 *IDEO* Aliter occurres cum Pontio & alijs, aſſerendo ex materià & formà vnitis reſultare vnum ens per ſe vnitate cõpoſitionis: negando autem id fieri abſque ſuperadditione alicui⁹ entitatis. Cùm enim materia & forma vniantur, non quomodocumque, ſed tamquam veræ cauſæ illius tertij, quod ex ijs reſultat; nequeunt non ſuperaddere tertium aliquod, veluti effectum cauſatum ab vtraque ſimul. *SED Contrà I.* Quia pro illo priori naturæ, quo materia & forma intelliguntur vnitæ, ante adventum alicuius entitatis, modive ſuperadditi, aut effectus ab vtraque ſimul diſtincti, iam intelligitur vnum per ſe vnitate compoſitionis, vt multipliciter probatum eſt *num.*4. Ergo pro illo priori naturæ, & ante omnem entitatem effectumvè ſuperadditum, iam præſupponitur compoſitum ſubſtantiale, atque adeo totum ipſum integrè conſtitutum. *CONTRA II.* Pro illo priori naturæ, quo humanitas & perſona Verbi divini intelliguntur hypoſtaticè vnitæ, ante adventum cuiuslibet tertiæ entitatis, iã intelligitur peractum Incarnationis myſterium, quia *Deus & homo vnus eſt Chriſtus*, & vbi primùm intelligitur poſitus Chriſtus in rerum natura, iam tota apprehenditur Incarnatio. Si igitur eodem modo *anima rationalis & caro vnus eſt homo*; pro illo priori quo anima & corpus intelliguntur vnita, ante adventum cujuslibet tertiæ entitatis, iam intelligitur peracta generatio hominis ſeu integra humanitas. *Confirmatur* ab abſurdo impugnatio hæc. Sequitur enim, vt ſupra contra Fabrum arguebamus, tertiam illam entitatem diſtinctam ac ſuperadditã humanitati & perſonæ Verbi in Chriſto, nec eſſe creatam, nec increatam. quod apertè repugnat. Sequela quò ad poſteriorem partem eſt manifeſta: quoniam tertia illa entitas, iuxta Adverſarios, eſt diſtincta realiter & ſuperaddita extremis, tam ſeorſim, quàm coniunctim acceptis. Omne autem quod diſtinguitur realiter ac ſuperadditur in Chriſto perſonæ Verbi, increatum non eſt. Ergo illa tertia entis increata non eſt. Iam verò, nec creatam, quę eſt prior ſequelæ pars, ſuadetur: quia vltra animam & corpus, atque vtriuſque vnionem, nihil creatum in ſubſtantia Chriſti aſsignari poteſt. Si enim aliqua tertia entitas eſt, & adęquatè diſtincta abijs, vt effectus à causa, neceſſum eſt vt Verbum divinum vi Incarnationis illam aſſumpſerit, & poſtea in ſua morte dimiſerit, quia poſt mortem non manſit tertia entitas hominis. Durum autẽ eſt aſſerere aliquid, præter vnionem animæ & corporis, & adæquatè ab ea diſtinctum, fuiſſe dimiſſum in triduo a divino Verbo; videturque contrarium teſtimonio illi Damaſceni, à Theologis communiter recepto, quo aſſeritur, Verbum numquam

ul-

dimiſiſſe quod ſemel aſſumpſit.

9 *CONTRA III.* Cùm plerique Adverſariorũ doceant, eorum, quæ adæquatè diſtinguuntur, poſſe vnum, ſaltim divinitus, ſeparari ab alio; tertia illa entitas, quam adæquatè diſtinguunt a partibus vnitis, poterit ſeparari ab ijs, ſaltim divinitus. Conſequens autem falſum eſſe patet. Repugnat enim omnino in rerum natura exiſtere materiam vnitam formæ, ſeparatam à compoſito ſubſtantiali ex vtraque; & animam rationalem vnitam corpori, quin detur vera humanitas ex vtraque coaleſcens. Ideo ergo eſt, quia in nullo compoſito datur tertia entitas adæquatè diſtincta à partibus vnitis. *CONTRA IV.* Hoc ipſo quod anima rationalis & caro vnus ſit homo, vt ex Symbolo S. Athanaſij habemus, tam anima, quàm corpus, includuntur eſſentialiter in homine, ſimiliter & vtriuſque vnio. Igitur ſi præterea homo, ſeu humanitas, addit tertiam aliquam entitatem; in ſuo conceptu eſſentiali illam importabit, vt partem aliquam tertiam, duabus prioribus ſuperadditam. Ergo ſicut Adverſarij colligunt totum illud cauſari à materia & forma ſimul ſumptis, quia ſunt partes totius; ſic & illa entitas tertia, ſive pars, ſimul cum alijs, cauſabit intrinſecè totum ipſum. Cumque omnis cauſa debeat diſtingui realiter adæquatè à ſuo effectu, vt ipſi contra nos aſſumunt; etiam totum illud diſtinguetur realiter adæquatè à materia, formà, & tertia illa entitate, ſimul ſumptis, & invicem vnitis Cumque de ea, & alià, atque alia, idem argumẽtum fieri poſſit; dabitur in infinitum proceſſus: donec tandem fateantur a principio, totum ſubſtantiale nihil aliud importare, quàm materiam & formam vnitas.

10 *CONFIRMATVR* Argumentum præcipuum ex D. Thoma deſumptum. Si enim totum vltra materiam & formam vnitas, importat tertiam aliquam entitatem, hæc planè adveniet enti in actu, ac proinde accidentaliter. Ergo non poterit totum exinde reſultans eſſe vnum per ſe eſſentialiter: quod conſtat eſſe falſum. Explicatur vis huius rationis. *P*oteſt quidem materiæ & formæ vnitis advenire exiſtentia & ſubſiſtentia accidẽtaliter logicè, quia non ſunt de cõceptu eſſentiali naturę creatæ, quamquam in re ſint modi ſubſtantiales, aut vnicus modus cum duplici formalitate, vt latiùs diſputo in Metaphyſica. Ideoque ex ijs, ac materià & forma ſimul, non reſultat vnum ens per ſe eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter logicè, quod totum in re ſubſtantiale eſt. At enim verò tertia illa entitas, quam ſuperaddunt Adverſarij materiæ & formæ vnitis, cum conſtituat præcipuè, iuxta illos, eſſentiam compoſiti, debet conſtituere vnum per ſe eſſentiale, ſeu de linea eſſentiæ. Hoc autem impoſsibile eſt. Nam nulla entitas, ſeu forma adveniens materiæ iam conſtitutæ in actu per formã ſubſtantialem, poteſt conſtituere vnum per ſe eſſentiale, ſed ad ſummum accidentale logicè, quamquam in re ſubſtantia ſit. Ergo totum ex illa reſultans, & ex materia ac formà vnitis, humanitas v.g. aut equinitas, nequit eſſe vnum per ſe eſſentialiter, ſeu de lineà eſſentiæ.

11 *CONFIRMATVR II.* Propterea enim frequenter Philoſophi reijciunt formam ſubſtantialem coævam materiæ, & in eà manentem quãdo recipit alias formas ſubſtantiales, quia hæ advenirent materiæ iam conſtitutæ in actu per illam priorem, ideoque non poſſent conſtituere vnũ per ſe cum illa. Atqui tertia illa entitas, ſeu forma totalitatis (vt a Scotiſtis appellatur) advenit materię iam conſtitutæ in actu pro priori naturę per ſubſtantialem formam ſibi vnitam. Ergo non poterit cum materià conſtituere vnum per ſe. Illam verò debere eſſe formam ſuperadditam materię & formæ vnitis, videtur manifeſtum: quia advenit vtrique pro poſteriori naturæ, iuxta Adverſarios, ac proinde debet actuare & perficere vtramque ſimul, tamquam ſubiectũ præſuppoſitum: & quidem non veluti modus, aut entitas incompleta, ſed tamquam ſolida entitas, habenſque rationem totius; cui proinde repugnat magis, quàm ſecundæ formæ, conſtituere vnum per ſe cum materia actuata iam per primam & coævam formam.

12 *PROBATVR II.* Aſſertum præcipuum. Si homo v.g. diſtingueretur realiter adæquatè a materia, & forma vnitis, non poſſet illas includere intrinſecè vt partes eſſentiales. Nihil enim diſtinguitur realiter adæquatè à partibus, quas intrinſecè claudit eſſentialiter. At homo eſſentialiter claudit materiam & formam, cùm ſint de ipſius eſſentia, & per eas definiatur. Ergo non diſtinguitur realiter adæquatè à materià & forma vnitis.

RESPONDET Lynceus *lib. 2. Phyſic. tract. 9. n. 61.* (vbi latè & erudite, nec minùs ſubtiliter, opinionem adverſam tuetur) eſſentiam metaphyſicam rei ab eà realiter diſtingui non poſſe, ſecus verò eſſentiam phyſicam. Idque probare nititur, quia partes eſſentiales metaphyſicæ, ſeu logicæ,

ſi-

ſicut inter ſe ratione diſtinguuntur, ſic etiã à toto, ſaltim ratione ratiocinante. Ergo partes phyſicæ eſſentiales, ſicut diſtinguuntur realiter inter ſe, ita etiam à toto. Materia autem & forma non ſunt partes metaphyſicæ, ſed phyſicæ, quamquam eſſentiales. Poſſunt ergo à toto diſtingui realiter, quemadmodum & inter ſe. Addit deinde *num.* 62. aliud eſſe quod aliquid ſit eſſentia rei, aliud quòd ſit de eſſentia rei; & illud prius nõ poſſe a re ipsà diſtingui, ſecus verò hoc poſterius. Itaq; vel ex cõtrariâ ſententiâ, demonſtrari poſſe exiſtimat: ſiquidẽ iuxta illam quævis pars eſt de eſſentia totius; & tamen quævis pars ſeorſim ab alia diſtinguitur realiter a toto, & cum eo nequit realiter adæquatè identificari. Cum ergo partes phyſicæ ſimul ſumptæ, non eſſentia compoſiti, ſed ſolùm de illius eſſentia ſint, mirandum non eſt, ſi a toto ſuo realiter diſtingui poſsint.

13 *SED Pace* doctiſsimi & amiciſsimi Magiſtri, argumentum præiactum adhuc ſolutionem expectat. Non enim in eo aſſumitur, totum debere eſſe a partibus ſimul ſumptis indiſtinctum realiter, quia illæ ſint de ipſius eſſentia. Etenim, adhuc iuxta opinionem noſtram, totum eſt realiter diſtinctum, licèt inadæquatè, a qualibet parte ſeorſim ſumpta; cum tamen quælibet illarum ſit de illius eſſentia. Argumentum itaque ſolùm aſſumit, nullum totum poſſe diſtingui realiter adæquatè, ſive diſtinctione excludentis & excluſi, vt aiunt, à partibus, quas intrinſecè includit: quæ propoſitio videtur per ſe nota, ſive loquamur de partibus ſeorſim acceptis, ſive ſimul ſumptis. Eo namq; ipſo, quòd includat realiter, & intrinſecè partes, vtrovis modo ſumptas, nequit illas adæquatè realiter & intrinſecè excludere ab identitate cum ipſo. Ergo nequit ab ijs, vtrovis modo ſumptis, diſtingui realiter adæquatè, ſed ad ſummum inadæquatè. Sic etiam partes metaphyſicæ hominis, animal & rationale, quamvis inter ſe diſtinguantur adæquatè ſecundùm rationem; ab homine non diſtinguuntur ſeorſim acceptæ, niſi inadæquatè ſecundùm rationem tantùm, & veluti incluſum ab includente: ſimul autem acceptæ, non diſtinguuntur adæquatè per rationem ab homine, ſed tamquam explicitum ab implicito, & definitio a definito. Impoſsibile igitur eſt quòd partes phyſicæ hominis, ſive ſeorſim, ſive ſimul acceptæ, diſtinguantur ab illo realiter adæquatè. Supereſt igitur Adverſarijs dicendum, partes phyſicas ſimul ſumptas diſtingui realiter inadæquatè à toto, ſeu, quod perinde eſt, tamquam incluſum ab includente; quemadmodum noſtra opinione quælibet pars ſeorſim ſumpta, inadæquatè ab illo diſtinguitur. At hoc ipſum nequeunt dicere: Tum, quoniam ſic totum integrabitur materia ac forma ſimul ſumptis, & præterea illa tertià entitate, tamquã veris partibus; ideoque ab omnibus collectivè acceptis minimè diſtinguetur; quod recuſant: Tum etiam, quoniam totum ab omnibus ijs ſimul ſumptis intrinſecè ac phyſicè cauſabitur: omnis autem cauſa, vt ipſi arguunt, debet diſtingui realiter adæquatè à ſuo effectu: ergo totum adæquatè diſtingui debet a partibus ſimul ſumptis, ſi aliquomodo realiter ab ijs diſtinguitur. Argumento autem præiacto evincitur repugnãtia, vt pars quæ eſt de eſſentia alicuius totius, adæquatè realiter ab eo diſtinguatur. *CONTRA II.* Licèt non omne quod eſt de alicuius eſſentia, ſit per identitatem eſſentia ipſius; repugnat tamen quòd ab ea adæquatè realiter diſtinguatur: quia eo ipſo quod ſit de illius eſſentia, includitur in illa eſſentialiter, & nihil poteſt realiter adæquatè diſtingui, ſeu excludi ab identitate cum eo, in quo eſſentialiter includitur. Atqui materia & forma ſimul ſumptæ, iuxta ſolutionem datam, licet non ſint eſſentia totius, ſunt tamen de illius eſſentia, in eaque proinde includuntur. Ergo repugnat quod ab ea adæquatè realiter diſtinguantur, ſeu excludantur ab identitate cum illà.

14 *CONFIRMATVR* Ratio præcipua, ſimulque præcluduntur ſolutiones ab Adverſarijs tradi ſolitæ. Quemadmodũ enim eſſentia hominis metaphyſicè adæquatè definitur per animal rationale, ideoque ab ijs ſimul ſumptis non diſtinguitur metaphyſicè, ſed ſolùm tamquam implicitum ab explicito; ita etiam phyſicè adæquatè definitur per animam & corpus ſimul ſumpta, vt patet ex propoſitione illa Symboli iam relata, *Anima rationalis & caro, vnus eſt homo*: tum ex definitione hominis per partes phyſicas circumferri ſolità, quà dicitur & eſt, *ſubſtantia conſtans animo rationali, & corpore*. Vbi certè nihil aliud præter animam & corpus ſimul ſumpta exprimitur, quo hominis ſubſtantia conſtet. Ergo eſſentia hominis phyſicè conſiderata non diſtinguitur etiam phyſicè ab iiſdem partibus ſimul ſumptis. *Vrgetur I.* Eadem in re eſt eſſentia hominis vtrovis modo definita, cum ſolà varietate explicationis: ac proinde quemadmodum metaphyſicè explicata ſolùm diſtinguitur metaphyſicè in-

inadæquatè ab vnaquaque parte ſeorſim, velut includens ab incluſo; non vero ab vtraque ſimul; ſic etiam phyſicè explicata ſolùm diſtinguitur phyſicè inadæquatè ab vnaquaque parte ſeorſim, velut includens ab incluſo; non verò ab vtraque ſimul. *Vrgetur II.* & obiter impugnatur quædam evaſio Pontij vbi ſupra *num.* 12. In definitione enim phyſicà hominis non ponuntur anima & corpus vnita, veluti quid præſuppoſitum, aut connotatum; ſed tamquam partes eſſentiales, & in recto conſtituentes. Longè quippe aliter ſe habet forma ad materiam adæquatè diſtinctam, quam tamen præſupponit & connotat, quàm ad totum quod intrinſecè conſtituit, & in quo clauditur. Eademque ratio eſt de materià comparatà ad formam ex vna parte, & ad totum ex alia. Ergo materia & forma vnitæ, in definitione hominis, & cuiuslibet totius, ponuntur veluti conſtituẽtes in recto: ac proinde ita, vt idem ſit realiter & eſſentialiter ſubſtantia conſtans ex materia & forma, ac materia & formà vnitæ. Ergo ita ponuntur, vt totum realiter & eſſentialiter ſit idem cum materià & formà vnitis.

SECTIO SECVNDA.

Sententia adverſa, eiuſque argumenta præcipua ſoluta.

15 OPPOSITAM Sententiam, diſtinguentem realiter adæquatè totum a partibus ſimul ſumptis, tuetur Subtilis Doctor 8. *Metaph. q.* 4. & *in* 3. *diſt.* 2. *q.* 2. ac cum ipſo Antonius Andreas, Mayron, Lychetus, Pontius *diſp.* 6. *q.* 1. cæterique eiuſdem Scholæ: ex Thomiſtis Capreolus *in* 3. *diſt.* 2. *art.* 2. Caietanus 3. *p. q.* 6. *art.* 5. Ferrara 4. *contra Gent. cap.* 81. alijque, tum Veteres, tum & Recentiores. Ex Authoribus Societatis Pererius *lib.* 7. *cap.* 18. Fonſeca 5. *Metaph. cap.* 2. *q.* 2. *ſect.* 2. Conimbricenses hic *cap.* 2. *q.* 1. *art.* 3. Vazquez 3. *p. diſp.* 19. *cap.* 2. Chriſtophorus Clavius *in Prolegomenis Mathemat. diſciplinæ*, & Ricardus Lynce *lib.* 2. *Phyſic. tract.* 9. *per totum.* Ex alijs Argentina *in* 2. *diſt.* 15. *q. vnicà, art.* 4. Baſſolis *diſt.* 12. *q.* 2. Durandus *in* 3. *diſt.* 2. *q.* 2. vbi fusè rem examinat, ſicut & noviſsimè Lalemandet *diſp.* 3. *p.* 3. *ſ. num.* 12. vbi deciſionem ſtatuit, & ſententiam propriam aperit iuxta ſpecialem illum dicendi modum, quem ſuprà reiecimus *num.* 6. & 7.

16 *OPPONVNT I.* Ariſtotelem 5. *Metaph. cap.* 14. docentem, ſex non eſſe bis tria: & *lib.* 7. *c.* 17. ſyllabam BA. non eſſe B. & A. & *lib.* 8. *cap.* 6. totum eſſe aliquid præter partes, & 2. *de Anima* diſtinguentẽ ſubſtantiam in materiam, formam, & cõpoſitum. *RESP.* facilè nullo ex prædictis locis Ariſtotelem ab Adverſarijs ſtare. Nõ primo. quia ſenſus eſt, ſenarium non eſſe duo ternaria formaliter loquendo; nam ſic ſenarius eſt ſpecies diſtincta a ternario, ſive vno, ſive pluribus: ideoque ex *ijs* formaliter non componitur, ſed ex ſex vnitatibus coordinatis, à quibus ſimul ſumptis non diſtinguitur. Nec etiam ſecundo loco. quia ex illo tantùm habetur, ſyllabam BA. non eſſe B. & A. ſeclusà vnione ordinis, quà conſtat eiuſmodi ſyllaba: quoniam etiam ſyllaba AB. eiſdem litteris coaleſcit, & tamen propter diverſam ordinationem eſt ſyllaba diverſa. Neque tertio: vbi ſermo eſt de toto relatè ad partes ſeorſim ſumptas, aut etiam nondum vnitas: quo ſenſu non negamus diſtingui realiter à toto. Nec denique quarto: quia pariter diviſio illa exponi poteſt de partibus ſeorſim ſumptis, & compoſito, tamquam tribus extremis, in quæ dividitur ſubſtantia generatim accepta.

17 *INSTAT* Pontius ex eo, quòd idem Philoſophus 8. *Metaph. cap.* 6. ait totum compoſitum ex materia & formà nõ eſſe ſimile acervo lapidum, ſed aliquid præter partes. Vbi expreſsè vult diſcrimen totius reſultantis ex materià & formà à toto per aggregationem conſiſtere in eo, quòd illud importet aliquid præter partes, hoc verò è contra. At ſi intelligeret totum reſultans ex materia & forma ſolùm importare aliquid diſtinctum realiter a partibus ſeorſim ſumptis, & non ſimul acceptis, diſcrimen aſsignatum eſſet nullius momẽti: quia etiam totum per aggregationem diſtinguitur a partibus ſeorſim acceptis, & non ſimul ſumptis. Ergo vt ratum maneat diſcrimen aſsignatum ab Ariſtotele, dicẽdum ex ipſius ſenſu, totum reſultans ex materia & formà diſtingui realiter ab ijs, tam ſeorſim, quam ſimul ſumptis. *CONFIRMATVR.* Quia niſi vtroque modo diſtinguatur totum ſubſtantiale a materià & formà, nullum erit diſcrimen illius à toto accidentali ex parte vnionis; cùm totum per accidens, vt acervus lapidum, etiam importet vnionem aliquam, ſeu coniunctionem, ſive indiſtantiam extremorum; & totum accidentale, vt album, etiam involvat ſtrictam vnionem, ſive inhærentiam ad ſubiectum.

18 *RESP.* Philoſophum eo loco ſolù velle, aliquam debere eſſe cauſam, cur vnũ ſint quæ plures partes habent, &c. non ſunt totum quaſi coacervatio; ſed ipſum totum eſt aliquid aliud præter partes. Hic eſt ſcopus præcipuus eius capitis. Circa cuius medium reſpondet, cauſam eius vnitatis eſſe, quòd vna partium ſit materia, alia verò forma; vna habens rationem potentiæ, alia autem actus. Eo namque ipſo quòd ſic ſe habeant, vniuntur intrinſecè ad componendum vnum: atque adeo totum ex ijs reſultans, vnum eſt, & vltra entitatem vniuſcuiuſque partis ſeorſim acceptæ importat ſtrictam vtriuſque vnionem. quod tamen non contingit in toto per aggregationem, quod præter partes nullam intrinſecam vnionẽ importat, & ſic non diſtinguitur ab ipſis partibus ſtrictâ vnione carẽtibus. Quare licèt totum ſubſtantiale ſolùm diſtinguatur à partibus ſeorſim ſumptis, & non ſimul acceptis, eſt ſufficiens illius diſcrimen à toto per aggregationem, quatenus præ eo importat vnionem ſtrictam materiæ & formæ, ſeu potentiæ & actus, quâ vnione caret totum per aggregationem. De toto autem accidentali, quod non eſt tale per aggregationem, ſed per veram vnionem ſubiecti cum formâ, idem Ariſtoteles circa finem eiuſdem capitis, videtur tradere non eſſe diſtinctum a partibus vnitis. Ait enim: καὶ γὰρ τὸ ὑγιαίνειν ἔσται ἢ συνουσία, ἢ σύνδεσμος, ἢ σύνθεσις ψυχῆς καὶ ὑγιείας. καὶ τὸ τὸν χαλκὸν εἶναι τρίγωνον, σύνθεσις χαλκοῦ καὶ τριγώνου. καὶ τὸ λευκὸν εἶναι, σύνθεσις ἐπιφανείας, καὶ λευκότητος. *Etenim ipſum ſanum eſſe, aut copula, aut compoſitio, aut coniunctio animæ & ſanitatis erit. Et æs eſſe triangulum, compoſitio æris & trianguli. Et album vnum eſſe, compoſitio ſuperficiei atque albedinis.* Statimque rationem aſsignat, quia eiuſmodi ſubiecta ad prędictas formas comparantur vt potentia ad actum. Quare totum accidentale coaleſcens formâ & ſubiecto, ex mente Ariſtotelis videtur eſſe indiſtinctum ab vtraque parte *compoſitâ*, ſive, quod perinde eſt, ſimul poſitâ, & intrinſecè vnita. Quod ipſum ex Scotiſtis tuentur Maſtrius *diſput.* 5. *q.* 13 *art.* 2. & ex parte Fuentes *in præſenti q.* 6. *diff.* 1. *art.* 6. Quidni ergo ex mente Ariſtotelis totum ſubſtantiale ſit idem cum partibus vnitis media vnione multò ſtrictiore?

19 *OPPONVNT II.* Omnis cauſa realiter diſtinguitur à ſuo effectu. At materia & forma ſimul ſumptæ cauſant compoſitum. Ergo & ſimul ſumptæ diſtinguuntur realiter à compoſito. Maior certa eſt ex definitione cauſæ. Minor ſuadetur: Quia materia & forma cauſant compoſitum quatenus illud conſtituunt. At non conſtituunt illud ſeparatæ invicem, ſed coniunctæ; nec ſeorſim exiſtentes, ſed ſimul ſumptæ, & vnitæ. Ergo materia & forma ſimul ſumptæ cauſant compoſitum.

HVIC Argumento, quod eſt potiſsimum opinionis adverſæ, reſpondet Hurtado *vbi ſuprà*, negando minorem: quia materia & forma verè non cauſant compoſitũ, ſed tantum illud conſtituunt: ideoque non debent realiter ab eo diſtingui. *CONTRA.* Iuxta Ariſtotelem, cæteroſque Philoſophos, quodlibet compoſitum habens rationem vnius per ſe, habet quatuor cauſarum genera verè & realiter: cumque duo illorum ſint intrinſeca, nimirum, materiale & formale, materia & forma debent exhibere cauſalitatem intrinſecam circa ipſum compoſitum. *Vlterius.* Si non obſtanti quòd materia & forma aſſerantur intrinſecæ cauſæ compoſiti, adhuc illud non cauſant verè, ſed ſolùm conſtituunt; etiam de divinis perfectionibus dici poterit eſſe cauſas intrinſecas Dei, quia illum verè & intrinſecè conſtituunt, quamquam ſtrictè non cauſent. *Rurſus.* Licèt materia metaphyſica non cauſet totum, quia ab illo non diſtinguitur realiter, ſed tantùm conſtituat; materia tamen phyſica, & prima, quæ in omnium opinione a toto realiter diſtinguitur, non ſolùm debet illud conſtituere, ſed etiam cauſare; neque aliud in ea eſt intrinſeca conſtitutio totius, quàm cauſalitas intrinſeca. Vera igitur eſt illa minor argumenti, quam Hurtado negat.

QVARE Placet communior ſolutio: pro quâ præmitto, partes ſecundùm rem vnitas poſſe dupliciter conſiderari. Primò quaſi diviſim, accipiendo vnam in recto, & aliam in obliquo; ſive, quod perinde eſt, ſumendo ſingulas ſecundùm ſuam entitatem & vnionem ad aliam comparteni; nõ tamen ſimul cum alia comparte in ordine ad totum. Quod exprimi ſolet illis vocibus: *Forma vt vnita materiæ*: ſive etiam; *Materia vt vnita formæ*. Secundò conſiderari poſſunt collectivè, & quatenus non ſolum important vnionem, ſed vnionẽ ſub vnica collectione, & comparatione indiviſa intellectus ad compoſitum quod conſtituunt, ijs vocibus explicari ſolita: *Materia & forma ſimul*: ſivè etiam: *Materia & forma vnitæ*: His ſtatutis, dicimus, materiam & formam ſolùm priori modo con-

ſti-

ſideratas cauſare compoſitum, non autem poſteriori: quod exigebatur vt ſimul ſumptæ ab illo realiter diſtinguerentur. Cuius doctrinæ ratio prona & in aperto eſt, quia nec materia cauſat compoſitum, niſi in genere cauſæ materialis, in quo ipſa debet ſola exprimi cauſans in recto: nec forma cauſat illud, niſi in genere cauſæ formalis, in quo etiam ſola illa conſiderari debet cauſans in recto. Vnde ſicuti repugnat vtramque ſimul cauſare compoſitum in eodem genere cauſæ, ita etiam repugnat illas exercere cauſalitatem, ſi vtraque accipiatur in recto, & ſub vnicâ comparatione ad totum. Quare ſola materia vnita formæ eſt cauſa materialis; ſola etiam forma vnita materiæ eſt cauſa formalis: non autem vtraque ſimul & in recto conſiderata. Vnde tantum ſequitur totum diſtingui realiter à materiâ & formâ priori modo conſideratis, non autem poſteriori: quia ſub hac acceptione no ſunt cauſa, ſed effectus, & ipſum compoſitum ſecundum rem. Ex quibus ad formam argumenti negatur minor. Ad eius probationem diſtinguo maiorem: Materia & forma cauſant compoſitum quatenus conſtituunt illud inadæquatè, & vnaquæque ſeorſim in ſuo genere, concedo: quatenus conſtituunt illud adæquatè & per modum vnius collectionis, nego maiorem, & conceſſa minore, nego conſequentiâ. Quamvis enim ſimul ſumptæ, & vtraque in recto conſiderata, conſtituant adęquatè cõpoſitum, ſicut definitio conſtituit definitum; non tamen ſub eâdem acceptione cauſant totũ, ſed vnaquęque in ſuo proprio genere ſumpta in recto, & connotans alia in obliquo.

21 *ISNTANT* Adverſarij, & præcipuè *Pontius*. Compoſitum per ſe, ſicut habet cauſam aliquam extrinſecam adæquatam, ſive illa ſit vnica, ſive plures: ita etiam debet habere cauſam aliquam intrinſecam adæquatam, ſive illa ſit vna, ſive plures. Ac quemadmodum ſi plures ſint cauſæ extrinſecæ, puta, efficientes, vna illarum nequit agere ſine aliâ, ſed vtraque ſimul applicari debet, & prout ſic applicatæ ſimul cauſant etiam copulativè; ita ſi plures cauſæ intrinſecę exigantur, vna non poterit agere ſine alia, ſed vtramque ſimul applicari oportebit, & vt ſic applicatas copulativè cauſare. Atqui totum non habet pro cauſa intrinſeca adæquatâ, niſi materiam & formam. Ergo cauſatur ab ipſis ſimul & copulativè ſumptis. *Vrgetur* ampliùs. Materia ſeorſim ſumpta non eſt cauſa intrinſeca adæquata totius, ſed inadæquata: idemq́; eſt de formâ ſeorſim ſumprâ. Ergo vtraque ſimul ſumpta eſt cauſa intrinſeca adæquata totius. *Patet* conſequentia ab inductione in omnibus alijs cauſis extrinſecis inadæquatis, quę ſi ſeorſim ſumptæ cauſant indæquatè extrinſece effectum aliquem, ſimul ſumptæ ſunt cauſa extrinſeca adæquata eiuſdem.

22 *HÆC* Obiectio, & argumentum præcipuum ab eâ corroboratum, nequit non pati inſtantiam in opinione Adverſariorum plurium, & præcipuè ipſius *Pontij*: qui *num.* 17. *concluſ.* 2. ex profeſſo ſtatuit, totum phyſicum, ſeu tertiam entitatem diſtinctam realiter à partibus ſimul ſumptis & vnitis, eſſe quid compoſitum includens ipſas partes. Eo namque ipſo ex partibus & tertia illa entitate, ſimul ſumptis, conſurgere debet cauſa intrinſeca adæquata compoſiti, ſi quidquam probat obiectio; ac proinde compoſitum adæquatè diſtinguetur, non ſolùm à materia & formâ vnitis, ſed etiam ab vtraque ſimul cum illâ tertia entitate, tamquam effectus a causâ. Quod eſt contra Adverſarios, arguitq́ue planè proceſſum in infinitum, vt vberiùs probavi *ſect. præcedenti* præſertim *num.* 7 *ſine*. Deinde directè reſpondeo, compoſitũ habere duas cauſas intrinſecas, vnamquamque illarum ſolùm adæquatam in ſuo genere, & habentem cauſalitatem propriam diſtinctamq́ue à cauſalitate alterius, quæ in materia eſt receptio, & in formâ informatio. Vnde ambæ non integrant vnam cauſam intrinſecam adæquatam, ſed conſtituunt duplicem adæquatè & genericè diſtinctam: atque adeo ſufficit quod quælibet ſeorſim diſtinguatur realiter ab effectu cauſato, ſeu compoſito; nec requiritur quòd vtraque ſimul. Cauſæ autem efficiẽtes extrinſecæ cuiuſvis effectus conſtituunt vnicum genus cauſæ, integrantq́ue illud, quatenus vna operatur vt ſubordinata alteri intra idem genus cauſalitatis effectivæ: ideoq́ue non ſolùm ſeorſim, ſed collectivè ſumptæ, diſtinguũtur realiter adæquatè ab effectu per illas producto. *Præterea*. Cauſæ intrinſecæ cauſant exhibendo ſuas entitates, & intrinſecè componendo totum. Sed componere eſt proprium partis. Ergo cauſæ intrinſecæ cauſant in rationẽ partium. Ergo non adæquatè componendo totum: quia ſicut repugnat eſſe vnam partẽ adæquatam totius, ſic & vnam cauſam intrinſecam adæquatè componentem. Cauſæ autem extrinſecæ non cauſant exhibendo ſuam entitatem, ſed aliquid adæquatè diſtinctum producendo. Eſt etiam alia diſpa-

ritas inter cauſas extrinſecas ex vno capite, & intrinſecas ex alio; quod priores non ſint partes intrinſecè conſtituentes, ac proinde adæquate diſtingui debeant ab effectu; ſecus vero poſteriores, vt evidens eſt, adhuc iuxta Adverſarios. De ratione autem partis intrinſecè conſtituentis eſt vt includatur in eo, cuius eſt pars, atque adeo ab eo non diſtinguatur adæquatè realiter. Ergo cauſæ intrinſecæ nequeunt à toto conſtituto diſtingui adæquatè realiter. Solùm itaque reſtat Adverſarijs, quod illæ inadæquate realiter diſtinguantur à toto, quaſi hoc vltra ipſas cauſas intrinſecas, ſive partes, addat tertiam entitatem, à qua etiã partialiter intrinſecè cauſetur & conſtituatur. Ad vel inde manifeſte deprehenditur, ex principijs ipſorum, non dari cauſam intrinſecam adæquatam totius, integratam ex illa triplici entitate: alioqui deberent diſtinguere totum à tribus illis entitatibus ſimul ſumptis. Ergo neque in noſtra ſententiâ opus eſt aſsignare cauſam intrinſecam adæquatam totius, integratam ex duplici partium entitate.

23 *VRGEBIS*. Homo, iuxta noſtram opinionem, nõ includit aliquid, præter materiam, animam rationalem, & vnionem. At neque materia cauſat per modum partis intrinſecæ animam, vnionemvè, aut ſeipſam; neque item forma cauſat intrinſecè per modum partis ſeipſam, vnionem, aut materiam. Reſtat igitur vt tam materia, quàm forma, cauſent quidquam aliud realiter ab ijs tribus ſimul ſumptis diſtinctum, quod eſt entitas totius, ſive homo. *Confirm.* Quia partes vnitæ ſunt partes alicuius. At non ſunt partes ſui ipſarum. Ergo alicuius alterius diſtincti realiter ab ijſdem partibus vnitis, quod nequit eſſe, niſi totum. *RESP*. Verum eſſe quod materia non cauſat intrinſecè per modum partis vnionem, nec formam, nec ſeipſam ſeorſim: at id non prohibet quòd materia ſeorſim cauſet complexum ex ipſa, & vnione, ac formà. Per hoc enim nihil aliud exprimitur, niſi quod materia intrinſecè componat hoc quod eſt, *partes ſimul ſumptæ*. Id autem veriſsimum eſt: quia vnaquæque pars ſuà entitate & cauſalitate cuiuſque propria concurrit, vt ambæ ſimul ſint. Quo etiam ſenſu vnaquæque illarum ſeorſim dicitur, & eſt pars, non quidem ſui ipſius abſolutè, ſed complexi ex ipsà & alterà parte vnitis. Vt omittam, eamdem obiectionem retorqueri poſſe in Adverſarios, qualiter paulò antè, ſi res attentè inſpiciatur.

24 *OPPONVNT III*. Plura prædicata conveniunt realiter toti, quæ tamen non conveniunt partibus realiter, adhuc prout vnitis: vt generare, & generari: eſſe principium *quod* operandi convenit toti, & non partibus. At nequit eidem entitati convenire & non convenire realiter idem prædicatum. Ergo totum & partes prout vnitæ, non ſunt eadem entitas. *Confirmatur*. Subſtantialis generatio hominis debet in eo producere aliquid quod in re ſit ſubſtantia. Hoc autem nequit eſſe anima, aut materia, quoniam vtraque ingenerabilis eſt: nec præterea vnio, quia hæc nequit eſſe ſubſtantialis in re & intrinſecè; ſed ſolum extrinſecè, & quatenus extrema per illam vnita ſunt entitates ſubſtantiales; qualiter vnio ſeu indiſtantia localis duarum ſubſtãtiarum eſt ſubſtantialis ſolùm extrinſecè, & denominatione ſumpta ab extremis. Ergo id quod generatione ſubſtantiali producitur in homine debet eſſe quid realiter diſtinctum ab animà, materia, & vnione: ac proinde totum aliquod ab ijs ſimul ſumptis diſtinctum. *RESP*. Non placere ſolutionem aliorum aſſerentium, ſufficere diſtinctionẽ rationis inter totum & partes, vt illi conveniat realiter aliquod prædicatum, quod his ſimul ſumptis convenire realiter nequeat. Ij enim inſcrutabile divinitatis arcanum in creatis ponunt, & plus nimio credibile, ac vulgare quodammodo faciunt, vbi in eadem entitatulà admittunt ſimul duo oppoſita, qualia ſunt generari & non generari; quo nihil obſcurius, aut altius habet natura & filiatio divina. Deinde regula eſt Ariſtotelis lib. 7. Topic. *cap. 1. textu 6.* quoties duo realiter idem ſunt, quidquid vni convenit, & alteri convenire debere: alioqui ambo non futura idem. Quare vniverſim dico, quidquid convenit realiter compoſito, ſive toti, convenire etiam partibus ſimul ſumptis ſecundùm rem. Generari autem, & generare atque operari *vt quod*, ſicut non convenit realiter materiæ, & formæ ſimul ſumptis, ſed ſolum *vt quo*; ita nec toti naturæ, ſeu compoſito ex vtraque; ſed tantum ſubſiſtenti, quod addit aliquid realiter ſupra compoſitum, de quo in præſenti diſputatione actum eſt. *Ad Confirmationem* nego minorem quò ad vltimã partem. Vnio enim intrinſece & ſecundũ entitatem eſt modus ſubſtantialis, quia intrinſece vnit extrema entitativè ſubſtantialia, & non quælibet, ſed ordinata invicẽ atque immediate per modum potentiæ & actus primi intra genus ſubſtantiæ. In quo differt ab vnione locali, ſeu indiſtantia duarum

rum ſubſtantiarum totalium, quæ invicē non ordinantur vt actus, & potentia, ſed omnino per accidens: ac proinde indiſtantia ipſa eſt merum accidens, actionēque purè accidentalem terminat.

SECTIO TERTIA.

Alia Recentiorum argumenta obijciuntur & enervantur.

25 **O***PPONVNT IV.* Recentiores. Ex parte obiecti nulla diſtinctio realis eſt inter hos cōceptus, *materia vnita formæ*; item, *forma vnita materiæ*; item, *materia forma & vnio*. Nulla enim realitas modusve importatur in vno, qui non importetur in alio. Ergo quidquid affirmatur aut negatur verè de vno, affirmabitur aut negabitur etiam verè de alio. At de primo illo conceptu, *materia vnita formæ*, ſimiliter & de ſecundo, *forma vnita materiæ*, verè affirmatur eſſe cauſā totius, realiterque ab eo diſtinctam, vt conceſsimus *num.* 20. Ergo ſimiliter de tertio conceptu; *materia forma & vnio*, verè affirmatur eſſe cauſam totius, ac proinde realiter ab eo diſtinctam. Ergo partes ſimul ſumptæ ſunt cauſa totius, ab eoque realiter diſtinguuntur. *RESP.* conceſſo antecedente, negādo conſequētiam: quia licèt inter illos conceptus non detur diverſitas entitativa ex parte obiecti, datur diverſus modus ſignificandi penes rectum & obliquum, & varietas modi ſignificandi penes rectum atque obliquum ſufficit, vt varietur prædicatio, trāſeatque de vera in falſam, ſtantibus eiſdem entitatibus ex parte obiecti: quoniā veritas prædicationis, ſolùm attenditur penes identitatem ſubiecti cum eo quod eſt rectum ex parte prædicati; falſitas autem ex carentia identitatis cum eodem recto. Hoc patet exemplis. Etenim prædicatio hæc eſt vera: *Pallium Petri diſtinguitur realiter adæquatè à Petro.* Hæc autem falſa: *Pallium & Petrus diſtinguuntur realiter adæquatè à Petro.* At nihilominus nulla diſtinctio realis ex parte obiecti eſt inter vnum & alium conceptum, ſed ſolum penes modum ſignificandi in recto aut obliquo. Similiter & ex parte obiecti nulla eſt entitativa diſtinctio inter hos conceptus, *intellectio recepta in intellectu*, & *intellectus recipiens intellectionem.* At nihilominus hæc eſt vera propoſitio: *Intellectio recepta in intellectu eſt actus ſecundus vitalis.* Hæc autem falſa: *Intellectus recipiens intellectionem eſt actus ſecundus vitalis.* Nimirum, in priori datur identitas realis ſubiecti cum recto prædicati, & non in poſteriori.

26 *OPPONIT V.* Lynceus vbi ſupra *num.* 2. Suppoſitalitas, ſeu ſubſiſtentia corporis naturalis, eſt totum illud ſubſtantiale, & per ſe, quod ex eius partibus eſſentialibus, materia, ſcilicet, & forma, reſultat. Atqui ſuppoſitalitas, ſive ſubſiſtētia corporis naturalis diſtinguitur realiter adæquatè a præfatis eius partibus. Ergo & totum ſubſtantiale diſtinguitur ab iiſdem partibus realiter adæquatè. Conſequentia patet, ac minor ſimiliter: quia Verbum divinum aſſumpſit partes eſſentiales hominis, nimirum, materiam & animam rationalē, eaque aſſumptione homo factus eſt. At non aſſumpſit ſuppoſitalitatem, ſive ſubſiſtentiam hominis: alioqui eſſent in Chriſto duæ perſonæ, contra fidei doctrinam. Ergo ſuppoſitalitas, ſeu ſubſiſtentia corporis naturalis, ſive hominis, diſtinguitur realiter adæquarè à præfatis eius partibus. Iam maiorem illam primi ſyllogiſmi, in qua eſt totum diſſidium, probat excludendo ſeorſim opiniones Durandi, Scoti, Thomiſtarum, aliorūque circa id, in quo conſiſtit ſubſiſtentia, vt iis reiectis tādem evincat, ſubſiſtētiam nihil aliud eſſe, quā totum ipſum ſubſtantiale, ſive cōpoſitum; ac proinde realiter adæquatè diverſum à partibus, qualiter ſubſiſtētia ab iiſdem diſtinguitur. *RESP.* negando maiorem, quæ non ſolùm ab omnibus ferè Philoſophis & Theologis recedit, ſed à veritate ipsa, vt in Metaphyſica oſtendo: nulluſque Authorū, quos retulimus *n.* 13. pro opinione diſtinguente realiter totū a partibus, cōſtituit illud in ſubſiſtentiā, imò nec poteſt. Exinde enim ſequitur, Verbū divinum non aſſumpſiſſe totam naturam humanam, ſive quòd perinde eſt, totam humanitatē, aut compoſitum ex anima & corpore: quæmadmodum & certum eſt non aſſumpſiſſe hominis ſubſiſtentiam. At conſequēs abſurdum eſſe, inde patet, quòd Verbum homo factum ſit, iuxta fidem, ac proinde aſſumpſerit, non ſolum partem, aut partes, ſed totum illud, quod eſt de eſſentia completa & compoſita hominis.

27 *OPPONIT VI.* Idem Author. Si Petrus in ipſius materiā, formā, & vnione, formaliter conſiſteret, eſſet diverſæ ſpeciei à Paulo. Vnio enim Petri & Pauli eſt diverſæ ſpeciei: ſiquidem

ab hac & illa vnione Petri ratio communis vnionis Petri abſtrahi poteſt, quæ ſit prædicabilis de pluribus vnionibus ſolo numero differẽtibus, ac proinde vera ſpecies: ſimiliter & vnio *Pauli* ob eamdem rationem. Ergo Petrus & Paulus differunt ſpecie eſſentiali ſimpliciter ratione vnionis ſecundùm ſpeciem diverſæ. Probatur hæc conſequentia: Quia vt duo aliqua differant ſpecie ſimpliciter, non eſt opus omnia illorum prædicata eſſentialia ſpecie differre: alioqui homo & equus non differrent ſpecificè, cùm conveniant in multis prædicatis eſſentialibus: ſed ſat eſt ſi in aliquo ex prædicatis eſſentialibus differant. Ergo ſi inter prædicata eſſẽtialia Petri & Pauli ponãtur a nobis vniones, & hæ ſint ſpecificè diverſæ, Petrus & Paulus ſimpliciter differunt ſpecie eſſentiali. quod tamen eſt flagitium in Philoſophia.

28 *RESPONDEO*, prætermiſſis varijs ſolutionibus, quas idem Author fusè expendit & impugnat, negando ſequelam, & illius probationem. Vnio enim materiæ & formæ Petri non eſt diſtincta ſpecie ab vnione materiæ & formæ Pauli; ſed ſolùm individualiter, ſicut & materia & forma vtriuſque, quas vniunt. Eadem enim omnium ratio eſt, eademque ſingularum prædicata ſpecifica & eſſentialia. Neque oppoſitum ſuadet probatio deſumpta ex eo, quòd vnio Petri prædicetur de pluribus vnionibus ſolo numero differentibus, ſimiliterque vnio Pauli. Hoc enim manifeſtam inſtantiam patitur in animâ rationali Petri, quæ etiam prædicari poteſt de pluribus animabus huius Petri, & illius Petri, ſolo numero diſtinctis, ſicut & anima Pauli, ſi ſemel id aſſeritur de vnione; ac proinde animæ rationales Petri & Pauli ſpecie different. quod eſt inauditum. Rurſus, ſi ſemel vnio Petri de pluribus vnionibus ſolo numero diſtinctis prædicabilis eſt, vt aſſumitur in argumẽto; ergo in individuis ſub ea vnione poſitis ſunt plures vniones ſolo numero diſtinctæ. Si autem hæ inveniuntur; cur non dicemus, vniones Petri, Pauli, aliorumque quorumlibet hominum, eſſe diſtinctas ſolùm numero? Itaque videtur obiectio ipſa ſecum contradictionem involvere. Denique illam ex æquivocatione procedere, compertum erit adnotanti, hoc nomen *Petrus*, niſi aliud particulare & omnino ſingulariter determinatum addatur, eſſe indeterminatum, & æquivalens vago; quoniam omnibus individuis naturæ humanæ in ſingulari adaptari poſſet ad libitum, ſi omnes pro libito eligerent nomẽ *Petri*, quod eſt purè ad placitum. Quare omnino accidentaliter convenit ea appellatio cuilibet reali ac ſingulari individuo, proindeque & vnioni ſingulari materiæ & formæ, qua intrinſecè conſtat: quia eadem vnio, tam in ſpecie, quam in individuo eſſet intrinſecè, ſive homo ille, cuius vnio eſt, appellaretur hoc, ſive illo nomine. Vnde quando opponitur, *Vnio Petri eſt prædicabilis de pluribus vnionibus ſolo numero diſtinctis*, propoſitio hæc diſtinguenda eſt; & concedenda de prædicatione accidentali, ſolùmque ex appellatione ad placitum; neganda autem de prædicatione eſſentiali, atque ſpecifica: vt patet ab inſtantia *animæ Petri*, quæ pariter, & eodem modo, de pluribus animabus ſolo numerò diſtinctis huius Petri, & illius Petri, prædicari poteſt, abſque vlla ſui diſtinctione ſpecifica.

29 *MITTO* Argumenta alia minoris notæ, quæ proponit & ſolvit Oviedo vbi ſupra *puncto* 2. Solùmque addo circa modum ſtrictum loquendi in hac noſtra opinione, potiùs iuxta illam dicendum eſſe, totum non diſtingui realiter à materia formâ & vnione, quàm à partibus vnitis, ſeu ſimul ſumptis, vt hucuſque locuti ſumus iuxta communem ſtylum. Quod meritò ingenioſi quidam Recentiores adnotarunt. Ratio eſt: quia partes ſimul ſumptæ, & vnitæ, in rigore ſermonis, non important vnionem in recto, ſed in obliquo tantùm; ſicut homo albus importat albedinem ſolùm in obliquo; ideoque partes ſimul ſumptæ quo ad totum rectum diſtinguuntur adæquatè ab vnione, ſicuti homo albus quò ad rectum adæquatè diſtinguitur ab albedine. Atqui totum ſubſtantiale non diſtinguitur adæquatè realiter ab vnione, ſed inadæquatè tantùm; cùm illam includat eſſentialiter. Ergo totum ſubſtantiale non eſt idem ac partes ſimul ſũptæ & vnitæ in rigore loquendo. *Vltendo*. Totum ſubſtantiale in recto importat materiam, formam, & vnionem: partes autem ſimul ſumptæ ſolùm important illas entitates in recto, non verò vnionem, niſi de conotato. Ergo totũ nõ eſt idẽ realiter, nec per identitatem prædicari poteſt de partib⁹ ſimul ſũptis. Vt enim vnũ de alio verè & per idẽtitatẽ prædicetur, oportet om-

omnia quæ in recto importantur ex parte ſubiecti, importari etiam in recto ex parte prædicati, atque è contra, & non plura, neque pauciora, vt ex Summulis notum eſt: ideoque omnes docent concretum hoc, *materia vnita formæ*, eſſe diſtinctum realiter à compoſito, & prædicari non poſſe per identitatem de illo. Quando ergo in progreſſu diſputationis diximus totum nõ diſtingui realiter à partibus ſimul ſumptis, ſenſus eſt, ita vt in ijs vnio intelligatur etiam in recto, & perinde ſignificetur, ac materia, forma, & vnio: quæ tria in recto cõſiderata ſimul, & per modum vnius, ſunt idem cum toto.

DISPVTATIO OCTAVA

DE DEPENDENTIA MATERIÆ A FORMA.

Num. 1. STATVIMVS *Diſp. V. materiam non habere propriam exiſtentiam, ſed alienam tantùm, & mutuatam à formâ. Vnde manifeſtè deducitur, materiam dependere à formâ in exiſtendo. Adhuc tamen difficultas eſt abſtrahendo ab illâ controverſiâ, an materia poſsit abſque omni formâ exiſtere naturaliter, aut ſupernaturaliter. Poſterior pars latè examinari ſolet ab Authoribus. Prior, quam curſim & ieiunè expediunt, aliquantò operoſiùs enucleanda eſt.* Habet locum hoc lib. 1. cap. 7. & 8.

SECTIO PRIMA.

Diſquiritur paulò accuratiùs, an materia poſſit exiſtere naturaliter abſque omni formâ.

2 RESPONDEO, Non poſſe. Ita omnes Philoſophi, exceptis Marino & Gabriele apud Suarium *diſp.* 15. *Methaph. ſect.* 8. *num.* 6. quorum opinionem extumularunt & ſecuti ſunt nonnulli ex Recentioribus, vt Oviedo *Controu.* 2. *punt.* 7. *§.* 3. *numer.* 13. ac noviſsimè Doctor D. Ludovicus Rodriguez, Primarius Medicinæ Anteceſſor in hac Salmanticenſi Academiâ, *diſp.* 5. *num.* 10. quamquam obiter.

NOSTRAM & communem ſententiam probant aliqui ex eo, quod materia ſine forma eſſet prorſus inutilis. Ergo deficiente omni formâ debet connaturaliter deſtrui, ſicut formæ materiales deficiente materiâ: quia nihil eſt fruſtraneum & inutile ex ijs omnibus quæ naturaliter exiſtere poſſunt. VERVM probatio hæc facilè eluditur ab Adverſarijs, aſſerentque materiam abſque omni formâ non prorſus inutilem fore: deſerviet enim, vt ex illa iam præſuppoſitâ in rerum naturâ poſsit agens naturale educere materialem formam. ALII exinde probant, quia materia eſt pars phyſicè incompleta, atque adeo naturaliter indiget alia comparte vt exiſtat. COETERVM nec ij animadvertunt animam rationalem etiam eſſe partem phyſicè incompletam, & tamen naturaliter, ac citra miraculum, exiſtere ſeparatam ab aliâ comparte. Præterea: Agens naturale corrumpendo hominem ſeparat animam eius ab omni materia, quamquam phyſicè incompletam. Ergo & ſeparare poterit materiam ab omni formâ, quamquam incompletam phyſicè. TERTIO alij communiter id ſuadent, quia materia non habet propriam exiſtentiam, ſed alienam & communicatam à forma: atque adeò ſine forma nequit habere exiſtentiam. SED *Contrà*: quia vtuntur ſententiâ ſolùm probabili, aut etiam probabiliori, à quamplurimis Authoribus non admiſsâ, vt probent quod certum apud omnes ferè eſt, & modò aſſerimus. Patet verò, enerve genus probationis eſſe, ad tuendam doctrinam communem ac certam, vti rationibus ſolùm probabilibus, & quæ ſub lite contentioſa ſunt.

3 IDEO. Aliter & firmiùs, aſſertionem probo ratione deſumpta ex Ariſtotele *lib.* 2. *de Generat. cap.* 10. in quo ex profeſſo tradit perpetuam eſſe generationum & corruptionum ſeriem: ſiquè iam à ſe de-

monſtratum ſupponit his verbis: Ἐπεὶ δ' ὑπόκειται καὶ δέδεικται συνεχὴς οὖσα τοῖς πράγμασι γένεσις καὶ φθορά, &c. *Cùm autem ſupponatur, & demonſtratum ſit, continuam rebus ipſis generationem, corruptionemque competere,* &c. Vnde apud omnes Philoſophos invaluit, quaſi principium, axioma illud, *Generatio vnius eſt corruptio alterius.* Similiter & apud omnes receptum eſt axioma, aut etiam principium, ex Sanct. Dionyſio, nullum agens naturale poſſe directè tendere in malum, ſeu non eſſe: ſed ſolùm indirectè, & ex conſequenti, quatenus ponit aliquod bonum, ſive ens, inferens carentiam alterius. His duobus ſtatutis, ſic diſputo. Materia nequit exiſtere abſque omni formâ virtute agentis naturalis. Ergo nec naturaliter. Conſequentia patet: quia omnis modus exiſtendi naturaliter debet contineri in aliquâ naturali cauſâ, atque adeo & reduci in actum virtute alicuius naturalis agentis. Antecedens verò probo: Nullum agens naturale habet virtutem ad deſtruendum expellendumve formam vnam à materia, niſi immediatè in eâ producat, ſeu introducat formam aliam. Sed eo ipſo quòd in materiâ producat introducatve formam aliam, materia non exiſtit abſque omni formâ. Ergo materia virtute naturalis agentis abſque omni forma exiſtere nequit. Minor cum conſequentiâ patet. Maior probatur: quia nullum agens naturale habet virtutem ad immutandum, alterandum, variandumve naturæ ordinem. At naturæ ordo eſt, vt quoties deſtruitur expelliturve vna forma à materia, producatur ſeu introducatur in eam alia: eſt enim iuxta naturæ ordinem vicißitudo hæc corruptionum & generationum ſibi immediatè atque invicem ſuccedentium. Ergo nullum agens naturale habet virtutem ad expellendum formam vnam à materià, niſi immediatè introducat aliam. *Præterea* probatur eadem maior. Nullum agens naturale habet virtutem agendi in ordine ad malum, ſive non ens, directè loquendo; ſed tota eius activitas primaria & directa eſt in ordine ad bonum, ſive ens. At deſtructio, ſeu expulſio formę vnius ſine inductione aut productione alterius formæ, eſt malum, ſive purum non ens. Igitur nullum agens naturale habet virtutem expellendi deſtruendive formam vnam, niſi inducendo aut producendo directè & priùs formam aliam.

4 *DICES*: Stat optimè agens naturale deſtruere formam præexiſtentem in ſubiecto, abſque eo quod in ipſo producat, introducatvè formam aliam: vt patet in luce & lumine, quæ deſtruuntur abſque inductione alterius formæ incompoſsibilis in ſubiectum. Inſuper quemadmodum ex hoc non licet inferre, agens naturale deſtructivum aut impeditivum lucis, directè tendere ad malum, ſive non ens; ita neque ex eo quòd deſtruat vnam ſubſtantialem formam, quin producat aliam.

5 *SED Contrà.* Lux enim non deſtruitur per actionem aliquam poſitivam, ſed per meram ſubtractionem poſitivi concurſus quo ſubiectum illuminabatur à corpore luminoſo, huiuſve remotionem, aut elongationem vltra debitam diſtantiam. Ratio eſt, quia lux non habet contrarium, nec incompoſsibilitatem ex naturà rei cum aliqua formà poſitivà, aut qualitate alià; ſed ſolùm privativam cum tenebris, quæ ſunt mera lucis carentia: ideoque minimè deſtructibilis eſt actione poſitivà, ſeu, quod perinde eſt, inducente poſitivum aliquem terminum cum ea incompoſsibilem: in quo differt a cæteris qualitatibus, tam primis, quàm ſecundis, & ipſarum temperamento. At nulla forma ſubſtantialis eſt, quæ non habeat incompoſsibilitatem ex naturà rei cum alia qualibet; quæque non egeat diſpoſitionibus neceſſarijs ad ſui conſervationem, incompoſsibilibus etiam cum diſpoſitionibus alterius cuiuslibet formæ. Vnde fit, vt nulla forma ſubſtantialis naturaliter deſtrui poſsit, niſi actione poſitiva; illa, ſcilicet, quæ directè inducens diſpoſitiones ad formam aliam, contrarias præcedentibus, has deſtruit conſequenter & indirectè. *CONTRA II.* Omne enim ſubſtantiale compoſitum habet naturalem vim productivam accidentium propriorum & ſibi connaturalium, quibus eget ad ſui conſervationem. Ergo illa retinebit, niſi aliud agens extrinſecum producat in eo accidentia, ſeu diſpoſitiones incompoſsibiles cum præcedentibus. At nullum agens extrinſecum producere poteſt eiuſmodi accidentia, diſpoſitionesve, niſi per actionem poſitivi termini productivam, vt ex terminis patet. Ergo omne compoſitum ſubſtantiale habet naturalem vim ad ſui conſervationem, niſi ab agente extrinſeco ponatur actio productiva termini poſitivi, & incompoſsibilis. *CONTRA* denique:

De-

Deſtructio enim lucis receptæ in aere, vel cubiculo v. g. aut fit per deſtructionem corporis luminoſi, vt quando extinguitur lucerna; & tunc verè introducitur forma ſubſtantialis, favillæ, cineriſve, in locum vbi erat forma flammæ: aut fit per ſolam luminoſi corporis ſeparationem, vt ſi Sol, vel lucerna alio transferatur; & tunc actio transferens habet terminum primarium poſitivumque, nimirum vbicationem Solis vel lucernæ in alio loco, ſeu hemiſphærio. Quare ſi qua actio tunc intervenit, profecto habet terminum poſitivum directè; ideoque non tendit ad malum, ſive ad non ens, per ſe loquendo. Ergo & quælibet actio deſtructiva compoſiti debet habere terminum poſitivum, quem directè producat: quia alioqui tenderet per ſe loquendo ad malum, ſive non ens.

6 *DICES II.* Licèt nullum agens naturale tendat per ſe ad deſtructionem, ideoque directè debeat producere terminum aliquem poſitivum; adhuc locus eſt, fierique poteſt, vt aliquod naturale agens, ignis v. g. tendens directè ad producendum formam igneam, nequeat producere diſpoſitiones ſufficientes caloris in ſummo, ob reſiſtentiam paſsi; producat tamen diſpoſitiones, quæ ſufficiant ad deſtruendum formam in paſſo præexiſtentem, vtpote corruptivas diſpoſitionum ab eà exactarũ. Etenim vt forma præcedens deſtruatur, ſat eſt corrumpi diſpoſitiones in eo gradu, quo eget ad ſui conſervationem. Vt vero forma ignis in locum eius inducatur, neceſſum eſt produci diſpoſitionem caloris in ſummo, quam ſupponimus non produci, ob paſsi reſiſtentiam. Ergo fieri poterit vt forma præcedens deſtruatur, & nova non introducatur; ideoque materia maneat abſque omni ſubſtantiali forma.

7 *SED Contrà.* Niſi enim agens naturale producat in paſſo diſpoſitiones ſufficientes ad aliquam novam formam, ſive ſuam, ſive affinem ſuæ, introducendam, nullo modo forma præcedens expelletur efficaciter à ſubiecto. Hæc enim naturaliter deſtrui non poteſt; niſi deſtruãtur diſpoſitiones propriæ, in eo gradu, quo ſimpliciter eget ad conſervationem ſui. Nequit autem ille gradus deſtrui, niſi inducantur diſpoſitiones contrariæ in eo etiam gradu, qui ſufficiat tamquam diſpoſitio vltima ad aliquam novam formam introducendam: quia ſi ad hoc non ſufficit, nec etiam ſufficiet ad corruptionem gradus neceſſarij ad conſervationem præcedentis formæ. Quod appoſitè explicatur experimento ipſius ignis, in quo nititur obiectio. Vbi enim in magna quantitate applicatur lebeti aquà pleno, experimur aquam ferventiſsimam & calidam prope ſummum, adhuc perſiſtere incorruptam, quamvis non retineat frigiditatem ſui conſervativam, niſi prope infimum. Ideo ergo eſt, quia ignis non potuit in eà introducere vſque calorem in ſummo neceſſarium ad inducendam formam ignis, & ſubinde ad deſtruendam frigiditatem in eo gradu quo eget aqua ad conſervationem ſui ſimpliciter, ſed tantùm in eo, quo eget ad ſervandum ſtatum ſibi connaturalem. Quare tunc ſolùm aqua corrumpitur, quando vehementiore calore ſuccedente, & in ſummo gradu, amittit ex toto frigiditatem, ideoque corrumpitur, & tranſit in vaporem ſiccum atque omnino calidum, qui eſt eiuſdem ſpeciei cum igne quo ad ſubſtantiam. Idemque in alijs rebus cernere licet. Quòd ſi vero aliqua compoſita indigeant ſimpliciter diſpoſitionibus in gradu aliquo mediocri ad ſui conſervationem, illæque deſtruãtur ex adventu diſpoſitionis contrariæ, ſed inſufficientis ad inducẽdam formam propriam agentis, ignis, v.g. in paſſum; tunc generabitur mixtum aliquod tertium ex refractione illarum qualitatum contrariarum, & combinatione inter ſe, quaſi præter intentionem agentis particularis, nimirum, ignis. Semper itaque vbi corrumpitur vna ſubſtantialis forma, introducitur alia; ideoque numquam materia ab omni formà denudari poteſt virtute naturalis agentis.

SECTIO SECVNDA.

Obiectiones ſolutæ. Quid ſit dicendum iuxta potentiam Dei abſolutam?

8 OPPONES I. Materiam initio mundi creatam fuiſſe informem vt antiqui Patres innuunt, & præſertim Auguſtinus, iuxta illud Geneſeos: *Terra autem erat inanis & vacua.* Sed materia initio mundi naturaliter extitit, ſicut & creata eſt. Ergo materia naturaliter extitit informis, ſive, quòd perinde eſt, ſine omni formà. *RESP.* materiam ſi quando à Patribus dicitur creata informis, aut inſinuatur, non dici informem pro aliqua temporis duratione, ſed ſolùm pro priori naturæ, quo præſuppoſita fuit vt cauſa materialis primæ formæ. Quod verò Scriptura

quam non in ſtatu connaturali, non ideo eſt quia propriam exiſtentiam habet. Alioqui cùm etiam formæ materiales, & accidentia qualibet, iuxta ipſos Adverſarios, habeant propriam exiſtentiam, poſſent exiſtere naturaliter ſeparata a materia, & omni ſubiecto: quod erroneum in Philoſophia eſt. Ratio igitur vt anima rationalis exiſtat naturaliter extra omne ſubiectum, eſt quod ſit ſubſtantia ſpiritualis, quamquã incompleta, ideoque naturaliter independens a ſubiecto, ſive materià *in fieri* & *eſſe*. Materia autem, eſto habeat propriam exiſtentiam, eſt potentia pure paſsiva & receptiva primi actus, qui eſt forma ſubſtantialis; atque adeò naturaliter exigit illum, veluti propriam & potiſsimam perfectionem.

13 *ROGABIS*, Quid dicendum ſit inſpecta poteſtate Dei abſoluta? *RESP.* Probabiliorem videri ſententiam negantem poſſe materiam exiſtere abſque omni forma ſubſtantiali: quia impoſsibile eſt materiam conſtitui in actu vltimo, qui eſt exiſtentia, quin priùs conſtituatur in actu primo, qui eſt ſubſtantialis forma, iuxta dicta *diſput.* 5. ex qua plurima deſervire poſſunt vberiori diſcuſsioni huius controverſiæ. Hanc ſententiam expreſsè tuetur S. Thomas 1. *p. q.* 66. *art.* 1. & *Quodlib.* 3 *art.* 1. & *q.* 4. *de Potentia, art.* 1. & 3 *contra Gent. c.* 4. omneſque Thomiſtæ, excepto Bañez, & Soto 1. *Phyſic. q.* 6. *art.* 2. *dub.* 1. vbi licèt fateatur eſſe opinionem D. Thomæ, addit: *Neque in hoc puto derogari graviſsimæ authoritati S. Thomæ, quia res non eſt tanti momenti*: Legendi ſunt pro ea præcipuè Complutẽſes *diſp.* 3. *q.* 5. & Ioannes a S. Thoma *q.* 3. *art.* 3. præter plures alios, qui ab ijs allegantur.

OPPOSITAM, & ſatis probabilem, tuentur omnes, aut ferè omnes Societatis Authores, & generatim quotquot materiæ exiſtentiam propriam tribuunt, inter quos ex Scotiſtis rem latè exagitat *Pontius diſput.* 3. *quæſt.* 5. Illos conſule. nobis enim vbique nimiùm immorari non vacat.

DISPVTATIO NONA.

AN MATERIA ET FORMA SE LIMITENT mutuo?

Num. 1. D*VPLEX Limitatio eſt, de qua poſsit procedere controverſia. Prima tam ex parte materia, quàm formæ, ne altera earum recipiat, informetvè, niſi alteram. Secunda ex parte effectuum, quos forma præſtat materiæ.*

SECTIO PRIMA.

Repugnat vnicam materiam recipere plures formas, & vnicam formam informare materias plures.

2 P*RIOR* Pars expreſsè traditur à D. Thomà 1. *p. q.* 76. *art.* 3. & 4. & Quodlibeto 11 *art.* 6. vbi inquit: *Impoſsibile eſt in vno & eodem eſſe plures formas ſubſtãtiales.* Subſcribunt communiter Thomiſtæ, pluresque alij, loquentes etiam in ordine ad abſolutam Dei potentiam, vt Vazquez *de Incarn. diſp.* 23. Lorca *diſput.* 24. ex Scotiſtis Aretinus & Fuentis in præſenti. Oppoſitum docent, inſpectà poteſtate abſoluta Dei Suarez *diſp.* 15. *Metaph. ſect.* 10. Hurtado *diſp.* 4. *Phyſicæ ſect.* 3. & frequentiùs Recẽtiores Societatis, ac Scotiſtæ, vt Sghemma 1. *Phyſic. digreſsione* 7. Mastrius *diſp.* 5. Pontius *diſp.* 4. *q.* 3. *n.* 46. vbi latè rem examinat quò ad vtramque partem, ſicut & Lalemander *diſp.* 3 *part.* 5. Nos breviter rem expediemus.

3 *RATIO* Præcipua noſtræ ſententiæ eſt: Quia omnino repugnat poſita in rerum natura causà, & eius cauſalitate, non poni ipſius effectum: vtpotè cum eadem connexum eſſentialiter. Vndè neque cauſalitas ipſa cauſæ efficientis poteſt reipsà poni, quin eius effectus ponatur. At quælibet ſubſtantialis forma eſt cauſa expulſionis alterius formæ à ſubiecto, eiuſque cauſalitas, ſeu exercitium actuale expellendi, eſt ipſa informatio. Ergo repugnat quòd ſubſtantialis forma informet materiam, quin ſequatur effectus expulſionis cuiuslibet alterius formæ. *Confirmatur*, & ſimul præcluditur trita Adverſariorũ evaſio. Ideo poteſt cauſa efficiens non producere effectum, etiam poſtquam inſtructa eſt omnibus comprincipijs requiſitis ex par-

parte actus primi ad operandum, quia poteſt a Deo cohiberi ab exercitio operandi, vt ignis Babylonicus. Atqui ſubſtantialis forma vbi informat ſemel materiam, nequit cohiberi ab exercitio expellendi, ſeu non admittendi ſecum aliam formã; quia eiuſmodi exercitium eſt indiſtinctum ab informatione ipſà. Ergo nequit non præſtare effectum expulſionis alterius formæ. Quare conſequenter ſentio, duo contraria in gradibus intenſis nec divinitus eſſe poſſe in eodem ſubiecto; quoniam exercitiũ actuale expellendi ſe invicem non eſt diſtinctum ab informatione, atque adeo eà poſità nequit cohiberi à Deo. Quam illationem, vt veram, & conformem D. Tho. 2. *contra Gent. cap.* 25. imò & ipſius expreſſam, priuſquam ederem in lucem, ex animi ſententia mecum contulit ingenioſus pariter ac doctus Magiſter Fr. Ignatius de Vrbina, Collegij Hieronymiani in hac Academià Primarius Profeſſor.

4. *EX* Dictis colliges à fortiori, non poſſe naturaliter plures formas eamdem ſimul materiam informare: quidquid in oppoſitum velit Arriaga *in præſenti diſp.* 3. *num.* 101. Qui refellitur, non modo ratione prædicta, ſed & diutino experimento, quo deprehendimus, adveniente vna formà ſubſtantiali, recedere aut deſinere aliã. Quod verò ille opponit in ferro candente, vbi conſpicitur ſimul ſubſtantialis forma ferri cum forma ignis; non vrget: quia licèt ibi ſit vehemens calor diffuſus per totum ferrum, & forte magna ignis pars, hæc recepta eſt intra poros ipſius ferri. Quare non accidit formam ignis illius informare materiam ferri, ſed ſuam propriã. Infertur etiam contra Lorcam *vbi ſuprà*, nec pro vnico inſtanti adunari naturaliter duas formas in eadem materià: Quia ſi vnico inſtanti poſſent, idem eſſet dicendũ pro qualibet duratione, etiam æterna, nullum enim abſurdum ſequi poteſt ex connaturali duarum formarum, aut contrariorũ quorumlibet compoſsibilitate diuturnà, vel æternà, quod ex inſtantaneà non ſequatur. Vt omittam pleraque alia abſurda, à Theologis illata contra eam opinionem. Infertur denique, Authores qui docent formas plures poſſe ſubſtantialiter vniri eidem materiæ, inconſequenter negare vnionem diſtinctam. Nam alioqui nõ poſſet Deus penetrare duo compoſita, quin forma vnius vniretur ſubſtantialiter formæ alteri. Vide infra *diſp.* 12. *n.* 10.

5 *CONFIRMATVR* Doctrina huc uſque tradita. Si enim ſupernaturaliter, aut naturaliter duæ formæ ſubſtantiales poſſent informare eamdem materiam, poſſent quoque ſimul forma viventis, & cadaveris: ac propterea idem ſubſtantiale compoſitum eſſet ſimul vivum ac mortuum. quod tamen apertè conſtat eſſe impoſsibile. Eadem vero ratio eſt de alijs formis ſubſtantialibus, quarum nulla minorem habet incompoſsibilitatem cum aliâ, quàm forma cadaveris cum formà viventis. Quælibet enim eſſentialiter habet informare ſubiectum, & per eamdem informationem, abſque vllo ſuperaddito, expellere quamcumque aliam formam. Vbi autem exigentia aliqua, ſive poſitiva, ſive privativa, eſt eſſentialis; nulla alia maior aut ſtrictior eſſe poteſt, tam in ordine ad potentiam Dei ordinariam, quàm abſolutam. Ergo quemadmodum ſecundum neutram illarum coexiſtere ſibi poſſunt in materia eàdem forma cadaveris & viventis, ſic neque duæ aliæ formæ. Denique, omnes Philoſophi de hircocervo, & hippocẽtauro loquuntur, veluti de chimæra omnino impoſsibili. At vel eo ipſo ſupponunt apertam repugnantiam, vt idem compoſitum, eademque materia, ſimul habeat formas ſubſtantiales diverſorum viventiũ. Neque in opinione contrarià invenio fundamentum aliquod efficax, aut quod facilè ſolvi non poſsit. Vide Complutenſes 1. *Phyſic. diſp.* 4. *q.* 5. vbi rem optimè diſcuſſerunt.

6 *POSTERIOR* Aſſerti pars, quâ negamus poſſe eamdem formam plures materias informare, colligitur ex eodem ferè principio contra Rubium, Amicum, & Pontium in præſenti. Ita enim ſe habet capacitas formæ ad actualem materiam, ſicut capacitas materiæ ad recipiendã formam. At probatum manet eamdem numero materiam eſſe capacem ſolùm vt actuetur ab vnicà formà. Ergo & forma capacitatem ſolùm habet, vt recipiatur ab vnica materià. *Præterea.* Cauſa naturaliter impotens præſtare effectum aliquem, nequit illum exhibere, niſi aliquid ſupernaturaliter ipſi addatur. At forma ſubſtantialis naturaliter impotens eſt actuare plures materias, vt omnes fatentur. Nequit ergo plures actuare, niſi aliquid ipſi addatur ſupernaturaliter. Hoc autem fieri non poteſt. Quamvis enim cauſa efficiens elevari poſſit ad producendum effectum, quem in virtute propria non continebat; non tamẽ cauſa formalis, quia hęc præ illà cauſat per meram exhibitionem ſuæ entitatis. Ideoque ſi ratione ſui non præſtat effectum, nec ſa-

ratione ſuperadditi poteſt illum præſtare. Ergo repugnat formam ſubſtantialem ex ſe impotentem informare plures materias, elevari ſupernaturaliter per aliquid ſibi additum, vt eas actuet. Qua ratione communiter Theologi aiunt, eo ipſo quòd contritio non habeat ex ſe vim formalem iuſtificandi, neque illam habere poſſe ex elevatione: quia, nimirum, forma ſeipſam exhibendo præſtat effectum, atque adeò non per aliquid accidentaliter ſuperadditum.

7 *RESPONDET* Pontius *vbi ſuprà num.* 65. multa fieri poſſe ſupernaturaliter per aliquam rem, quæ tamen naturaliter fieri nequeunt, abſque additione alicuius præter concurſum Dei ſupernaturalem, & terminum eius. qualis concurſus adeſſet in caſu quæſtionis cum termino ſuo. Eſſet nãque ſupernaturalis concurſus Dei productivus ſecundæ vnionis in forma ad materiam alteram, & ipſa ſecunda vnio, vt terminus eius; ſubindeque ſecundum totum, quod reſultaret ex eadem formâ & alterâ materia recenter vnitâ.

8 *SED Contrà I.* Quamvis enim multa poſſint fieri ſupernaturaliter à cauſa efficiente, vi ſolius additionis concurſus ſupernaturalis Dei, quæ nequeunt ab ijs fieri naturaliter; nihil tamen præſtari poſt formaliter à formâ, quod naturaliter, imò & eſſentialiter ab illa non præſtetur. Forma enim per meram & immediatam ſuæ entitatis exhibitionem præſtat, quidquid ſubiecto præſtat in genere cauſæ formalis: atque adeo citra omnem elevationem. In quo apparet manifeſtum diſcrimen à cauſa efficiente, quæ non per immediatam exhibitionem ſui, ſed per interiectam actionem producit entitatem à ſe diſtinctam. *CONTRA II.* Nequit produci ſupernaturaliter illa ſecunda vnio formæ ad alteram materiam, niſi in ipsâ formâ detur capacitas naturalis, aut ſupernaturalis, ad informandam ſecundam materiam: At in forma ſubſtantiali non eſt capacitas naturalis, nec ſupernaturalis, ad informandam ſecundam materiam. Ergo nequit produci ſupernaturaliter ſecunda illa vnio formæ ad materiam alteram. Maior conſtat: Quia nequit vniverſim loquendo produci vnio formæ ad ſubiectum, niſi in eâ ſit capacitas aliqua ad illud informandum; ac proinde, vel naturalis, vel ſupernaturalis. Minor verò quò ad ſecundam partem probata manet argumento à nobis propoſito: quoniam tota capacitas formæ ad informandum eſt connaturalis, vtpotè identificata cum ipſius entitate; ac proinde impotens advenire ſupernaturaliter, & ex elevatione. Quò ad priorem autem partem ſuadetur ex ipsâ Adverſariorum doctrina, negantium eam capacitatem naturalem. Alioqui, cùm eadem ratio ſit duarum, ac plurium, & infinitarum materiarum, ſi ſimul in rerum natura eſſent, forma eadem ſubſtantialis haberet vim connaturalem informandi ſimul infinitas materias: ac per conſequens in ratione actus primi ſubſtantialis eſſet infinita. quod repugnat. Hanc rationem vrgebimus infrà *lib.* 4. & pluribus proſequemur, exponendo repugnantiam, vt idem corpus ſit in duobus, pluribus, aut infinitis locis circumſcriptivè. *CONTRA III.* & ad hominem ex Scoto *in* 3. *diſt.* 1. *q.* 2. expreſsè docente, Impoſſibile eſſe quod idem accidens ſit in diverſis ſubiectis, pluribuſvè, niſi illimitatum ſit. Idem ergo de forma ſubſtantiali dicendũ, de quâ, iuxta eumdem Doctorem Subtilẽ, eodem modo loquendum eſt quo ad vnitatem, aut pluralitatem ſubiecti. *DENIQVE*, omiſsis alijs pluribus, quæ brevitatis cauſa prætereo, ſi forma eadem, anima rationalis v.g. haberet capacitatem aliquam vt mediâ vnione ſupernaturaliter productâ eſſet in duobus, aut pluribus ſubiectis, etiã eſſet ipſi capacitas vt ſimul conſtitueret plura compoſita ſubſtantialia, & plures homines. quam ſequelam idem Author concedit, & probat *num.* 68. At quàm abſurda ſit, ex eo ſuadetur, quód alioqui non repugnaret eamdem animam in diverſis cõpoſitis eſſe ſimul ſanctam & peccatricem; videntem & amantem ſuper omnia Deum in vno, & odio habentem ipſum in alio; imò & vnitam Deo hypoſtaticè, aliundeque abominabilem & flagitijs plenã. Quæ omnia, vt devorentur, & abſurda non appareant, ingenti ſtomacho opus eſt.

9 *OBIICIES.* Poteſt eadem anima rationalis ſimul informare plura ſubiecta realiter diſtincta, & loco diſsita, vt caput & pedes, quamquam integrantia idem corpus naturale. Ergo de potentia abſolutâ poterit informare ſimul plura corpora adæquatè diſtincta, atque omnino ſeparata. *Rurſus.* Poteſt eadem anima rationalis informare quamplurimas partes aliquotas, ac determinatas eiuſdem corporis, poſſetque informare infinitas actu, ſi infinitæ exiſterent, quin propterea anima de facto exiſtens habeat virtutem informativam infinitam. Ergo idem dicendum, quamvis plura ſimul corpora informare valeat, poſſetque infinita, ſi corpora infinita exiſte-

ſterent. non enim ideo virtutem informativam infinitam haberet.

10 *RESP.* Si obiectio probat quidquam, probat in anima rationali naturalem capacitatem ad informandum naturaliter plura, aut etiam infinita corpora adæquatè diſtincta, & diviſa, quod tamen, adhuc iuxta Adverſarios, eſt falſum. Deinde, conceſſo antecedente, nego conſequẽtiam: tum, quia plura membra integrant idem numero corpus, quod eſt naturale ſubiectum animæ vnius; no vero plura corpora adæquata: tum etiam, quia forma nõ habet vim ad informandum aliquid ſupernaturaliter, ſed naturaliter tantũ; ac proinde extendi nequit divinitus extra ſubiectũ connaturale, quod eſt vnicum corpus. Ad Inſtantiã vlteriorem dico, ſi in vnico corpore eſſet capacitas habendi infinitas partes determinatas & aliquotas, formã ſubſtantialem ipſius adæquatè informativam, fore infinitæ virtutis & actualitatis: corpori enim infinitè extenſo deberet reſpondere forma ſubſtantialis naturaliter infinitam extentionem exigens, ac proinde infinita. Vndè & caſu quo poſſet eadem anima rationalis informare infinita corpora adæquatè diſtincta, haberet vim informativam ſimpliciter infinitam.

11 *DICES*: Idem numero locus habet capacitatem ad recipiendum plura & plura, atque infinita corpora, ſupernaturaliter penetrata. Ergo & eadem materia capacitatem habet ad recipiendas plures & plures formas, atque infinitas, ſi vniantur ſupernaturaliter. Et quemadmodum ex illo priori ſolùm infertur capacitatem paſsivã loci ad recipiendã corpora eſſe infinitam ſyncathegorematicè, in quo nulla eſt repugnantia; ita & ex hoc poſteriori ſolùm colligitur capacitatem paſsivam materiæ ad recipiendas formas eſſe ſyncathegorematicè infinitam. *Rurſus.* Vna quantitas non expellit aliam à proprio loco, niſi mediã informatione, qua communicatur ſuo ſubiecto, illudque extendit in ordine ad locũ. Et tamen ſupernaturaliter fieri poteſt, vt quantitas actu informans ſuum ſubiectum, illudque extendens in ordine ad locum, nõ expellat aliud corpus ab eodem loco. Igitur licèt vna forma ſubſtantialis expellat aliam mediã informatione, quà communicatur materiæ, adhuc fieri poterit ſupernaturaliter, vt ſtante eã informatione non expellat aliam formam. Nulla ergo repugnantia eſt in eo quòd materia ſimul recipiat plures ſubſtantiales formas.

12 *RESP.* Idem locus habet capacitatem paſsivam vt recipiat plura & plura corpora, non abſolutè, ſed ex ſuppoſitione poſsibili, quamquam ſupernaturali, in qua vna quantitas non expellat aliam à ſuo loco. Quo ſenſu capacitas paſsiva cuiuslibet loci eſt ſyncathegorematicè infinita. Materia autem eſt potentia paſsiva ſyncathegorematicè infinita in ordine ad recipiendas plures & plures formas ſolùm ſucceſsivè; non autem ſimul. Vnde non habet vllam potentiam, adhuc ex ſuppoſitione, ad plures formas ſimul; ſaltim quæ vera potẽtia ſit; quia impoſsibilis eſt conditio, ſive ſuppoſitio alicuius formæ non excludentis aliam a proprio ſubiecto; & potentia ad aliquid efficiendum, recipiendumve ex ſuppoſitione impoſsibili, non eſt vera, ſed chimerica. Ratio autem diſparitatis eſt: quia ſeparatio, ſeu diviſio penes locum, non eſt de eſſentia quantitatis vnius relatè ad aliã, neque eſt ratio aliqua probans eſſe indiſpenſabiliter connexam cum illã expulſionem actualem quantitatis alterius: quæ tamen è contrã invenitur in duplici formã ſubſtantiali, vt ſuperiùs probatum eſt. *AD Inſtantiam* vlteriorem, quæ vrgentior eſt, nego maiorem. Alioqui enim æquè impoſsibilis eſſet penetratio duorum corporum, ac vnio duplicis formę in eadem materiã, & duarum qualitatum contrariarum in gradibus intenſis; cùm eadem omnium ratio eſſet, ſi maior concederetur. Itaque vna quantitas non expellit aliam à proprio loco mediã informatione ſolã, quã communicat ſubiecto effectum primarium, niſi vlteriùs addatur exercitium actuale virtutis reſiſtivæ, quã quælibet quantitas, ſive dura, ſive mollis, reſiſtit multum, aut parùm, tum ingreſſui alterius quantitatis in proprium locum, tum & diviſioni, vt in Metaphyſicã pleniùs oſtendemus. Hoc autem exercitium abſolutè poteſt impediri à Deo, ac proinde fieri, vt plures quantitates ſint in eodem loco. Vna verò forma ſubſtantialis expellit aliam per illam ipſam informationem, qua communicatur materiæ.

(·?·)

SECTIO SECVNDA.

An forma limitetur ex vnione ad materiam, etiam in ordine ad proprios effectus? Vbi & Corollaria notatu digna.

13 RESP. Formam limitari per ordinem ad materiã, ſive ſubiectum, quod informat, ſive cui vnitur media informatione. Ratio eſt: quia omne quod ex natura ſua habet rationem partis, eſt imperfectum, ac proinde limitatum in ſuo eſſe: indiget enim conſortio alterius, vt ſimul cum illo vnũ aliquod tertium conſtituat, ad quod componendum ex propria ratione ordinatur. Atqui hoc modo ſe habet ſubſtantialis forma. definitur enim *actus primus materiæ*, vt illius cõpars, eademque indigens, vt in ipſius conſortio vnum aliquod tertium conſtituat, ad quod componendum ex propria ratione ordinatur. Ergo forma limitatur per ordinem ad materiam, ſive ſubiectum, quod informat. Quod idem dicendum de anima rationali. nam quãvis ſit ſpiritualis, & potens ſeorſim a materia ſubſiſtere in ſtatu ſeparationis, adhuc tamen *verè, per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtit*: quæ ſunt verba Concilij Lateranẽſis ſub Leone X. *ſeſſ.* 8. Quare meritò S. Thomas ſæpe de naturis Angelorum, quæ ſunt formæ per ſe ſubſiſtẽtes, & irreceptæ in materia, docet eſſe quoddammodo illimitatas & infinitas; ſcilicet, interiùs & negativè, quatenus carent ſubiecto, à quo limitẽtur. Alias enim, tam quò ad metaphyſicam compoſitionem prædicatorum eſſentialium, quam quò ad receptionem ſubſiſtentiæ, atque accidentium, limitantur.

14 SI Autem ſermo ſit de limitatione quò ad certos effectus, poteſt abſdubio forma limitari ex incapacitate ſubiecti ad recipiendum alios. Id patet in anima rationali, quæ pedi non communicat intellectivum gradum, ſed vegetativum & ſenſitivum tantùm, quoniam pes incapax omnino eſt gradus intellectivi. Similiter & in ſupernaturalibus ſi perſona Verbi divini aſſumeret naturã irrationalem, compoſitum inde reſultans nõ eſſet perſona, ſed ſuppoſitum tantùm: ideoque forma hypoſtatica, quamquam increata, non communicaret omnem effectum, quem ex ſe poterat; ſed aliquem ſolùm, ex incapacitate naturæ aſſumptæ.

15 COLLIGES I. ex dictis, nec materiam ſublunarem poſſe vllo modo recipere formam cœleſtem, neque hanc eſſe capacem vt in eadem materia recipiatur. Ratio eſt duplex. *Prima*: Quia tota habitudo ſublunaris materiæ eſt ad formam ſubſtantialem amiſsibiliter informantem, veluti ad terminum adæquatũ, vt ſuperioribus conſtitutum eſt: formæ autem cœleſti repugnat amiſsibiliter informare materiam, cùm ſit eſſentialiter pars compoſiti ab intrinſeco incorruptibilis, quale eſt cœlum, vt *tract. de Cœlo* oſtendemus. Ergo nullam capacitatem habet materia ad recipiendam formam cœleſtem, neque hæc vt in materia recipiatur. *Secunda*: Quia, vt etiam ibidẽ conſtabit, materia ſublunaris eſt omnino diverſæ naturæ ac rationis eſſentialis à cœleſti: ac proinde terminus adæquatus vtriuſque debet eſſe diverſus, & proprius vnicuilibet earum ſeorſi.n. Quare ſicuti ob eam rationem viſivæ potentiæ repugnat omnino receptio ſpecierum ſoni, & auditivæ receptio ſpecierum viſibilium coloris; ita & materiæ ſublunari receptio cœleſtis formæ, ſicut & receptio formæ ſublunaris materiæ cœleſti. Ideo etiam ex hoc capite limitantur ita vt, nec materia ſublunaris poſsit extendi, niſi ad recipiendum formam ſublunarem; nec forma cœleſtis, niſi ad informandum materiam cœleſtem.

16 COLLIGES II. Abſurdum cenſeri debere quod in materia poſsint naturaliter eſſe ſimul plures ſubſtantiales formæ non ſubordinatæ; etiamſi illæ non exigant diſpoſitiones contrarias: quidquid in oppoſitum velit Arriaga *diſp.* 3 *n.* 101. Rationes enim *sect.* 1. adductæ ne poſsit materia ſimul recipere plures formas ſupernaturaliter, probant a fortiori, vt aiũt; nec naturaliter poſſe, cuiuſcumque rationis illæ ſint. Alioqui, cùm duarum eadẽ ratio ſit, atque plurium, imo & infinitarũ actu (ſi eſſent poſsibiles) poſſet materia naturaliter ac ſimul illas omnes recipere. Quare nunc de facto potentia ipſius receptiva eſſet actu illimitata & infinita ſimpliciter: ſicut potentia activa quæ poſſet ſimul ac naturaliter producere infinitos effectus, caſu quo poſsibiles forẽt, deberet eſſe actu illimitata & ſimpliciter infinita. Porrò eandem eſſe rationem plurium, atque infinitarum formarum reſpectu materiæ, patet: quia cùm illa ſolùm præſtet concurſum paſsivum in receptionem

nem formarum, & aliunde ſit incorruptibilis, nec defatigatur, nec extenuatur; ſicuti defatigari & extenuari ſolent potentiæ activæ corruptibiles, imo & ſpirituales medio exercitio, præſertim vivido ac vehementi ſuarum operationum. Vnde ſtat optimè quod hæ poſsint ſimul ac naturaliter elicere plures operationes, quin etiam innumeras; in materia autem non ſtat capacitas naturalis ad recipiendum duas, aut plures ſimul, quin etiam ad innumeras formas.

17 *CONFIRMATVR*: Quia ſi in materia eſt naturalis capacitas ad recipiendas ſimul plures formas non ſubordinatas, nihil abſurdi erit in eo quod de facto aſſeratur illas recepiſſe, ſaltē ſemel aut iterum: quia nihil abſurdi eſt in eo, quòd naturalis capacitas alicuius ſubiecti aſſeratur reducta in actum, aut frequenter, aut ſaltem interdum. Vnde ſequitur immeritò Philoſophos, & quoslibet alios litterarum Profeſſores, communiter dicere, aut ſupponere, hippocentaurum & hircocervum eſſe chimæras, ſeu compoſita vt minimùm naturaliter impoſsibilia. Sequitur etiam, non eſſe cur reijciantur Fauni & Satyri, verè ac ſubſtantialiter conſtantes ex duplici naturâ, ſeu duplici forma in eodem numero corpore, ſive materia. Si enim hæc naturaliter capax eſt duplicis formæ ſimul, ac proinde prædictarum; cur aut inter chimæras, aut inter res naturaliter impoſsibiles adſcribetur, quòd prædictas viventium formas ſimul habuerit de facto? Imò non interdum modò, ſed frequenter id evenire vbilibet, ac ſine temporis vel locorum diſcrimine, videbitur concedendum, citra abſurdum aliquod: quia nec abſurdum eſt quòd frequenter atque vbique capacitas naturalis materiæ primæ reducatur in actū. Quare & nulla vnquam erunt monſtra, duarum ſimul naturarum ſpeciem, ſeu vultū exprimentia: quia monſtrum non eſt, quod iuxta frequentem naturæ curſum & ordinem eſt. Conſequens autem quam procul à vero ſit, conſtat, tum ex cōmuni hominum exiſtimatione, tum ex iis quæ latè diſſeremus *tract. de Generat. diſput. 47. per totam.*

18 *COLLIGES III.* Procul etiam à verò eſſe opinionem Henrici Gandavenſis, Pauli Veneti, & aliorum, qui docent de facto in quolibet compoſito ſubſtantiali eſſe totidem formas ſubſtantiales realiter diſtinctas, quot ſunt in eo prædicata eſſentialia, ſive gradus metaphyſici. Similiter & opinionem Scoti, aliorumque, qui cenſent in viventibus eſſe formam corporeitatis (quam aliqui coævam materiæ appellant) ſimul cum ea anima, quæ per generationem, aut creationem producitur. Denique & ſententiam à pluribus Medicinæ Profeſſoribus traditam, quâ aſſeritur, formas ſubſtantiales elementorum exiſtere formaliter, & non ſolùm virtute, in quolibet mixto. Quippe omnes relatæ opiniones reijciūtur ex dictis vtraque ſectione, præter plura alia, quæ proferemus dicto tractatu *de Gener.* præſertim *diſp. 51. per totā*, quæque hic præmittere nolumus, ne eadem poſtea repetere cogamur.

DISPVTATIO DECIMA.

Vtrùm eſſentia creata diſtinguatur realiter ab exiſtentiâ?

Num. 1. *AGGREDIMVR Controverſiam difficilem ac celebrem, præſertim à tempore Divi Thomæ, hodieque pugnaciſsima contentione agitari ſolitam. Quæ non procedit de eſſentia in ſtatu poſsibilitatis, ſed iam poſita extra cauſas, ſeu in rerum natura collocata; inquiritque, vtrùm diſtinguatur realiter ab exiſtentia ipſa per quam exiſtit. Nec illius reſolutio in alterutram partem pendet ab illa alia controverſia, in qua quæri ſolet, an eſſentiæ creaturarum antequam producantur ſint entia poſitiva & actualia, actualitate ſolùm eſſentiali, ſeu nominali, vt aiunt, de quà in Metaphyſica diſſeremus. Quamvis enim cum communi ac vera ſententia aſſeratur, illas eſſe actu nihil, & ſolùm aliquid in potentia, adhuc locus eſt diſquirendi, an eſſentia quando producitur, & tranſit ex nihilo in aliquid, diſtinguatur reipſa ab exiſtentia, per quam exiſtit, ſeu incipit exiſtere. Habet locum diſputatio apud Ariſt. hoc* lib. 1. *pluribus locis, præſertim* c. 7. & 8.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

Eligitur ſententia affirmans, & tam ex Ariſt. & D. Thom. quam ratione probatur, præcluſis euaſionibus Recentiorum.

2 VERIOREM Cenſeo ſententiam, quæ ſtatuit diſtinctionem realem inter eſſentiam creatam & exiſtentiam. Illam præter Ariſtotelem, ac D. Thomam, poſtea allegandos, tuentur Ægidius Romanus, ipſius Sanct. Doctoris diſcipulus & auditor *in 3. diſt. 6. part. 3. q. 1. art.* 2. Capreolus *in 1. diſt. 8. q. 1.* Caietanus *de Ente & Eſſentiâ cap. 5. q. 10. & 1. part. q. 3. art. 4.* eodemque loco Bañez, Navarrete, Zumel, & Albelda; Araujo *lib. 2. Metaph. quæſt. 2. art. 3.* Sapientiſsimus M. D. Ioannes Alphonſus Curiel, cuius ſepulchro, bibliotheca, & aureis ſcriptis Collegium hoc D. VINCENTII gloriatur, *tract. ſpeciali de Eſſentiâ*, nondum edito, *quæſt. 2.* Ioãnes à Sanct. Thomâ *lib. 2. Phyſic. quæſt 7. ar.* 4. Ortiz *in Phyſicâ tractat. 2.* Blaſius a Conceptione *diſput. 6. Metaph. quæſt.* 1. Philippus à SS. Trinitate *3. p. Philoſ. quæſt.* 19. & noviſsimè ex eadem præcedẽtium duorum Thereſiana, doctiſsima, pariter ac obſervantiſsima Familia, Ioannes ab Annunciatione in Curſu Complutenſium abbreviato, diſputatione ſpeciali de hoc ab ipſo ſuperaddita. Ex PP. Societatis conſentiunt Molina *1. part. quæſt. 3. diſput. 2.* Rubio *hoc libro 1. tractat. de Materia, quæſt.* 2. Conimbricenſes in præſenti *cap. 9. artic. 2. § Cæterùm*, vbi expreſsè ſtatuunt diſtinctionem realem modalem, quo ſenſu & alij fere omnes Authores huius ſententiæ loquuntur; Fonſeca *5. Metaph. cap. 6. quæſt. 6. & cap. 8.* Albertinus *tom. 2. Coroll. 1. diſputat. 1. quæſt. 1.* quamquam Amicus *tom. 2. Curſus Theolog. diſputat. 3. de Angelis*, teſtetur eumdem Albertinum in articulo mortis enixè ab eo rogaſſe, vt ipſius nomine hæc opinio à ſuis libris iam editis deleretur, veluti minùs pia. Sed certè doctus æquè ac pius vir potuit abſque vllo conſcientiæ ſtimulo relinquere editam, vti antea erat, opinionem tot Doctoribus probatam. Eamdem Noſtri frequenter docent, & noviſsimè Illuſtriſsim. Silva *tom. 1. in 1. part. quæſt. 3. artic. 3. dubio 3.* Magiſter Moneda, nunc Cancellarius Academiæ Hyrachenſis, pluresque alij ex omnibus Scholis, etiam Scotiſtarum, quidquid neget Pontius *diſputat. 69. quæſt. 4* Eſparza *lib. 1. de Deo quæſt. 5.* vult controverſiam hanc ſolum eſſe de voce. quod tamen immeritò dictum fuiſſe, ex decursu diſputationis palam erit.

PORRO Ariſtotelem eſſe ab hac opinione, conſtabit legenti quæ ex ipſo diximus *diſput. 5.* probantes materiam carere propria exiſtentia. Inde enim manifeſte colligitur exiſtentiam realiter ab eſſentia diſtingui: ſiquidem materia propriam eſſentiam, ſeu entitatem habet; & tamen exiſtentiam propriam realiter non habet. Aliquid ergo eſt eſſentia realiter diſtinctum ab eſſentia. Realiter, inquam, ex parte vnius extremi: quia exiſtentia eſt modus adiacens eſſentiæ, & illam determinat.

3 *DEINDE* Div. Thomas expreſſe illam tradit pluribus in locis. Nam *1. part. quæſt. 50. artic. 2. ad 3. & Opuſc. 42. cap. 5. & 2. contra Gent. cap. 55.* ait: *In qualibet creatura eſt aliud ipſa creatura, quæ habet eſſe, & ipſum eſſe eius.* Et *Quodlibeto 2. art. 3. Angeli*, inquit, *habent eſſe aliud ab eorum eſſentia.* Et *in 2. ad Annibaldum diſt. 3. quæſt. 1. art. 1. ad 3.* ait: *Cùm in Angelis differat ſubſtantia & eſſe, erit ibi actus & potentia, non autem materia & forma, ſeu forma, & eſſe.* Et *Quodlibeto 3. art. 20. Omnis alia res præter Deum, eſt ens participativè, ita quòd aliud ſit in eo ſubſtantia, aliud ipſum eſſe participatum.* Ergo ex mente D. Angelici eſſentia creata diſtinguitur realiter ab exiſtentia.

4 *RESPONDEBIS I.* D. Thomam ſolùm ſtatuere diſtinctionem rationis inter eſſentiam creatam & exiſtẽtiam, nihilque aliud convinci ex teſtimonijs allegatis; cùm in ijs ſolum doceat eſſentiam eſſe aliud ab exiſtentia, quod poteſt intelligi de alietate per intellectum. *SED Contrà I.* Div. Thomas enim quoties loquitur de diſtinctione rationis, illam expreſsè tradit cum particula diminuente, *penes cõſiderationem*, vel *per intellectum*, vel *ratione noſtra*, aut alio modo æquivalenti. At in relatis teſtimonijs ſolùm ſtatuit diſtinctionem eſſentiæ ab exiſtentia abſolutè, & abſque vllà particula diminuente. Ergo ſtatuit diſtinctionem, non rationis, ſed realem eſſentiæ ab exiſtentia. *CONTRA II.* Loquitur enim de illa diſtinctione, quæ verſatur inter eſſentiam & exiſtentiam, ſicut inter potentiam & actum, vt patet ex contextu. Sed diſtinctio, quæ verſatur inter potentiã & actum, non eſt rationis, ſed rea-

realis. Ergo loquitur de diſtinctione reali. *CONTRA III.* Loquitur enim eiſdem terminis de diſtinctione eſſentiæ creatæ ab exiſtentia, atque à ſubſiſtentia, vt patebit conſulenti loca allegata in ipſo Sancto Doctore. Sed diſtinctio eſſentiæ creatæ à ſubſiſtentia, eſt ſine dubio realis, vt manifeſtè colligitur ex Incarnationis myſterio. Ergo & eſſentia diſtinguitur realiter ab exiſtentià. *Confirmatur* hæc impugnatio. Ideo colligimus ſubſiſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia, ſive naturà, quia ſeparâtur realiter in myſterio Incarnationis, manēte humanitate Chriſti abſque propria hypoſtaſi. Sed etiam iuxta D. Thomam eadem eſſentia, ſive natura humana Chriſti, ſeparatur à propria exiſtentia, vt idem Sanctus Doctor affirmat *Quodlibeto 9. art. 3. & in 3. diſtinct. 6. q. 2. art. 2. & 3.* Ergo etiam exiſtentia diſtinguitur realiter ab eſſentia, ſive natura humana Chriſti.

5 *RESPONDEBIS II.* Non loqui Sanct. Doctorem de *eſſe* exiſtentiæ, circa quod vertitur quæſtio, ſed de *eſſe* ſubſiſtentiæ: quod ſine dubio diſtinguitur realiter ab eſſentia creata. *SED Contrà I.* Quia præterquamquod, vt ſuperius indicavi, ſub lite eſt, an exiſtentia eſſentię ſubſtantialis diſtinguatur realiter ab ipſius ſubſiſtentia, & ſecundùm opinionem affirmantem idem ſit D. Thomam loqui de eſſe ſubſiſtentiæ ac exiſtentiæ, vtpotè realiter indiſtinctis; adhuc manifeſtè evincitur in primo & vltimo ex relatis teſtimonijs ipſum loqui de exiſtentia. Loquitur enim vtrobique de illo *eſſe*, quod convenit omni creaturæ, ſive omni enti præter Deum. At *eſſe* quod convenit omni creaturæ, ſive omni enti præter Deum, non eſt *eſſe* ſubſiſtentiæ, ſed tantùm exiſtentiæ: quia exiſtentia omni creaturæ convenit, ſive illa ſubſtantialis ſit, ſive accidentalis: ſubſiſtentia autem non omni creaturæ convenit, ſed ſubſtantiali tantùm. Ergo D. Thomas vtroque illo teſtimonio non loquitur de eſſe ſubſiſtentiæ, ſed eſſentiæ. Idque adhuc verum eſt in eà opinione modo indicata, & proprio loco ſtabilienda. Iuxta illam enim exiſtentia latiùs patet, quam ſubſiſtentia; quia illa vagatur per omne ens; hæc vero per entia ſubſtantialia tantùm; & licèt omnis ſubſiſtentia identificet ſecum exiſtentiam, vt ratio particularis communem; non tamen è contrà. Quare in omni ſententia debet intelligi D. Thomas, loco primo & poſtremo ſaltim, de *eſſe* exiſtentiæ. *CONTRA II.* Quia ipſe Sanct. Doctor expreſsè ſuam mentem explicat, *Opuſc. 48. de Prædicamētis tract. 2. c. 2.* vbi & vtramq; ſolutionem relatam præcludit, illis verbis: *In creaturis eſſe eſſentiæ & eſſe actualis exiſtentiæ differunt realiter, vt duæ diverſæ res. Quod ſic patet. Illud enim quod eſt extra eſſentiam alicui, differt realiter ab eà: eſſe autem actualis exiſtentiæ eſt extra eſſentiam rei: nam definitio indicat totam eſſentiam rei; eſſe autem actualis exiſtentiæ eſt extra definitionem: quia in definitione ſolùm ponitur genus & differentia, & nulla fit mentio, vtrùm res definita exiſtat, vel non exiſtat. Apparet etiam manifeſtè: nam impoſsibile eſt poſſe intelligere aliquam rem, non intelligendo ea, quæ ſunt de eſſentia eius. Conſtat tamen, quòd ego intelligo roſam, non intelligendo vtrùm actu ſit, vel non. Ergo actu eſſe, vel eſſe actualis exiſtentiæ differt realiter ab eſſentia. Vnde, circa primum, in quacumque ſubſtantià creatà eſt compoſitio eſſe, & eſſentiæ, quæ non eſt compoſitio materiæ & formæ, ſed eſt compoſitio duorum principiorum ſuppoſiti: quorū, eſſentia eſt potentia; & eſſe, eſt actus. Vnde eſſe reſpectu eſſentiæ dicitur accidens, quia eſt extra eſſentiam rei; & dicitur ſubſtantia, quia eſt in genere ſubſtantiæ, ſicut principium ſuppoſiti: & eſt actus ſimpliciter, quia in genere ſubſtātiæ; licèt non ſit forma, quæ eſt actus materiæ: & eſt actus ſecundùm quid, quia eſſentia, cui advenit, non eſt pura potentià, ſicut eſt pura materia.* Adeò manifeſta ſunt verba D. Thomæ, tum in favorem noſtræ ſententiæ, tum & in ſolutionis præiactæ impugnationem, vt nullo iam interprete, nulla demum expenſione opus ſit.

6 *RESPONDEBIS III.* ex alijs, & iuxta doctrinam Eſparzæ *vbi ſuprà*, Div. Thomam ſolùm accipiendum de diſtinctione reali eſſentiæ nondum productæ, ſeu poſsibilis, ab exiſtentià in rerum naturà poſita. Sic enim manifeſtum eſt vtramque diſtingui realiter, tum poſitivè, tum negativè. Poſitivè quidem, ſi conſideretur eſſentia poſsibilis, quatenus contenta in virtute ſuæ cauſæ potētis illam producere: nam ſic eſt idem realiter cum Omnipotentia Dei, atque adeò poſitivè realiterque diſtincta ab exiſtentia creata & producta. Negativè autem, ſi eſſentia poſsibilis attendatur ſolùm penes negationem, ſeu carentiam exiſtendi, quam importat pro illo ſtatu poſsibilitatis. Sic enim exiſtentia producta diſtinguitur ab eſſentia poſsibili, tamquam ens à non ente. Ex his verò nullatenus colligi, iuxta mentē D. Th. quòd exiſtentia diſtinguatur realiter ab

eſſen-

eſſentiâ poſitâ iam extra cauſas. ipſa quippe eſſentia vbi primum in rerum naturâ ponitur, per ſe, atque immediatè habet rationem exiſtentiæ. *SED Contra I.* Quemadmodum enim omnes ferè Philoſophi verſantes hanc difficultatem, ſupponunt quæſtionem eſſe, non de diſtinctione exiſtentiæ ab eſſentia poſsibili, ſed ab eſſentia iam poſita in rerum natura & exiſtente; ſic etiam D. Thomas relatis locis, & vbicumque ferè verſat eãdem controverſiam. Ergo perperam & importunè exponitur de diſtinctione reali exiſtentiæ ab eſſentiâ poſsibili, non vero poſita in rerum naturâ. Aſſumptum probo multipliciter. *Primò*: Quia in teſtimonio nuper allegato prope finem, & alias ſæpe, docet expreſsè exiſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia, quia cõponit ſimul cum illâ, ſicut actus cum potentia. At manifeſtum eſt exiſtentiam non componere cum eſſentia poſsibili, ſive quatenus contenta in virtute primæ cauſæ, ſive quatenus importante carentiam exiſtendi pro illo ſtatu. Exiſtentia enim creata, neque componit aliquod tertium cum virtute increata, neque cum negatione exiſtendi, quæ potiùs per illam deſtruitur, ſeu removetur. Ergo D. Thomas expreſsè docens exiſtentiam diſtingui realiter ab eſſentia, non loquitur de eſſentiâ poſsibili, ſive quatenus continetur in virtute primæ cauſæ, ſive quatenus importat pro eo ſtatu carentiam exiſtendi. *Secundo*: quia vt vidimus in vltimo teſtimonio ex allegatis ſuprà *num* 3. loquitur vniverſim de omni re creata, & præter Deum, in qua ſit ſubſtantia & eſſe exiſtentiæ. Sed eſſentia in ſtatu poſsibilitatis prout contenta in virtute ſuæ cauſæ non eſt aliquid præter ipſum Deum, vt patet; & prout importat negationẽ exiſtendi, non eſt res creata, ſed carentia totius realitatis & creationis. Ergo nõ loquitur D. Thomas de eſſentia poſsibili, ſive prout contenta in virtute ſuæ cauſæ, ſive prout importante pro illo ſtatu carentiam exiſtendi. *Tertiò*. De illâ eſſentia loquitur, cui accidentaliter convenit actus exiſtentiæ, vt patet ex teſtimonio nuper exſcripto. Atqui exiſtentiæ actus nullo modo cõvenit, ne accidentaliter quidem, eſſentiæ poſsibili, ſive prout contentæ in virtute Dei activa, ſive prout importanti in ſe carentiam exiſtendi pro illo ſtatu. Etenim neque virtuti activæ Dei, neque carentiæ puræ exiſtendi convenit, aut convenire poteſt accidentaliter exiſtere per exiſtentiam creatam, vt ex ſe patet. Non ergo loquitur D. Thomas de eſſentia poſsibili, ſive prout continetur & eſt idem cum virtute activâ Dei, ſive quatenus importat puram carentiam exiſtendi pro illo ſtatu. Statuto igitur D. Thomam expreſsè ponere diſtinctionẽ realem exiſtẽtiæ creatæ ab eſſentia in rerũ natura poſita, ſupereſt illam probare rationibus ex ipſo Angelico Doctore deſumptis.

7 *PRIMA* Ratio ſit à priori deſumpta ex radice & fundamento cujuslibet diſtinctionis, & identitatis realis duorum in rerum natura exiſtentium. Quotieſcumq; enim aliquod prædicatum poſitivum & reale ita convenit alteri, vt nec ſit ipſi eſſentiale, nec cum eo conſtituat metaphyſice eſſentiam alicuius tertij, nec vtrumque proveniat ab eadem forma, ſed alterum à principio intrinſeco, alterum omnino ab extrinſeco; nullum eſt fundamentum ad aſſerendam identitatẽ realem vtriuſque, ſed potiùs diſtinctionem. Sed exiſtentia eſt aliquod prædicatum poſitivum & reale ita conveniens eſſentiæ creatæ, vt nec ſit ipſi eſſentiale, nec cum illa cõſtituat metaphyſicè eſſentiam alicuius tertij, nec vtraque proveniat ab eadem formà, ſed à principijs intrinſeco & extrinſeco, omnino diverſis. Ergo nullum eſt fundamentum ad aſſerendam identitatem eſſentiæ creatæ & exiſtentiæ, ſed potius ad diſtinctionem realẽ. Conſequentia eſt evidens in ſecundo modo perfectæ figuræ. Minor conſtat quò ad ſingulas partes. Primò enim exiſtentiam eſſe prædicatum poſitivum & reale conveniens eſſentiæ creatæ, exploratum eſt; cùm omnis eſſentia creata, vbi in rerum natura ponitur, realiter & poſitivè exiſtat, quod ſine dubio eſt formalis exiſtentiæ effectus. Deinde, exiſtentiam non eſſe prædicatum eſſentiale ipſi eſſentiæ, patet: Quia exiſtere eſſentiam creatam non eſt prædicatum ſempiternæ veritatis, aut neceſſarium; ſed conveniens ipſi ſolùm in tempore, & contingenter. Omne autem prædicatum eſſentiale, eſt ſempiternæ veritatis, ac neceſſarium. Præterea, nec exiſtentia eſt prædicatum cum eſſentia metaphyſicè cõſtituens aliquod tertium: quia nullum tertium creatum metaphyſicè & eſſentialiter conſtituitur ex eſſentia & exiſtentiâ; cùm hæc non ſit de alicuius creaturæ eſſentiali conceptu, ſed ſolius Dei, qui ſicut eſt ens ſummè neceſſarium, & ab omni alio independens, ita etiam eſſentialiter exiſtit; cætera autẽ ſolùm contingẽter, defectibiliter & depẽdenter ab ipſius liberà volũtate. Deniq; vltima minoris pars, ſcilicet, eſſentiã & exiſtentiã nõ ab eadẽ forma, ſed à principijs omnino diverſis provenire, patet. Eſſentia

enim ſolùm provenit à connexione prædicatorum eſſentialium; exiſtentia verò creaturæ ab actione extrinſeci agentis, quâ effectus ponitur extra cauſas. Vera eſt igitur minor illa quò ad omnes & ſingulas partes.

8 *IAM* Maior præcipui ſyllogiſmi, quã vis per ſeipſam ſatis perſpicua appareat, probatur: Quia quotieſcunq; prædicatũ aliquod reale & poſitivũ ita convenit alteri, vt nõ ſit de ipſius eſſentia, nec cum eo metaphyſicè cõſtituat tertiũ aliquod, nec proveniat ab eodẽ principio, ſed à diverſis, & alterum quidẽ ab intrinſeco, alterũ verò ab extrinſeco; manifeſtè conſtat vnũ alteri omnino contingẽter, ac diſparatè convenire, veluti quid realiter ſuperadditũ. Neq; in oppoſitum adduci poteſt inſtantia aliqua, aut veroſimilis ratio. Quod enim obijci ſolet de differentia ſpecifica reſpectu generis, & de individuali reſpectu ſpeciei, nõ eſt ad rem: quia differẽtia ſpecifica licèt non ſit de cõceptu eſſentiali generis, cõponit tamẽ metaphyſicè cum illo aliquod tertiũ, nimirũ, ſpeciẽ; & partes metaphyſicè conſtituentes tertium aliquod, ratione ſolùm diſtinguuntur, non autẽ realiter. Similiter & differentia individua, licèt non ſit de conceptu eſſentiali ſpeciei, ſimul cũ illa conſtituit metaphyſicè tertium aliquod, nimirum, individuũ determinatũ; quod in quantùm tale eſſentialiter includit tam rationẽ ſpecificã, quàm numericam. Nullum verò tertiũ eſt nec ſpecificum, nec individuale, quod eſſentialiter importet exiſtentiã ex vna parte, & eſſentiã ex altera. Iſtæ enim prædicationes, *Homo eſt exiſtens*, &, *Petrus eſt exiſtens*, ſive, *exiſtit*, non ſunt eſſentiales, ſed contingẽtes, & quinti prædicabilis. Nec præterea favere poteſt Adverſarijs, quod afferri ſolet in hoc prædicato *mortuum*, quod accidẽtaliter alicui ſubiecto convenit, & non vivẽti, cùm ipſi repugnet; ſed cadaveri, cũ quo tamen identificatur. In oppoſitũ enim eſt, prædicatum illud *mortuũ*, intellectum de morte in facto eſſe, non convenire accidẽtaliter cadaveri, ſed eſſentialiter, quia importat carentiam vitæ eſſentialis, excluſam ab intrinſeco conceptu cadaveris. Nulla autem creatura eſt, ſive in ſpecie, ſive in individuo conſiderata, de cuius eſſentiali ratione ſit exiſtentia in facto eſſe, cùm hæc ſoli Deo neceſſariò, eſſentialiterque cõveniat. Denique, quidquid ſit circa illam quorumdam Recentiorũ opinionem, quâ aſſeritur, nõ repugnare creaturã ab intrinſeco indefectibilẽ, & viſionẽ beatificã, de cuius eſſẽtiali ratione ſit æterna duratio à parte poſt nihilominus certũ eſt, repugnare creaturã, quæ eſſentialiter exigat durationẽ æternã ſimul à parte antè, & pòſt: neque audiendi ſunt qui oppoſitũ ſentiunt, derogantes ſine dubio ſummæ ac propriæ perfectioni Dei quo ad exigentiam durationis æternæ. Imò permiſſa eiuſmodi creatura vt poſsibili, in cæteris ſaltem convincitur argumẽto præiacto, exiſtentiam ijs ſolùm contingenter, & defectibiliter convenire. Vera igitur eſt maior illa præcipua primi diſcurſus, & quò ad omnes partes inconcuſſa perſiſtit.

9 *DICES I.* Hoc ipſo quòd exiſtẽtia nec ſit de conceptu eſſentiali eſſentiæ, nec cũ ea metaphyſicè cõſtituat aliquod tertium, nec proveniat ab eadem forma, ſed à principio omnino diverſo, non ſolùm probari diſtinctionẽ realẽ vtriuſque, ſed etiã defectum connexionis, & ſeparabilitatẽ vnius ab alia, ſi quidquã eo argumento probatur: quæ enim ita contingenter & accidentaliter coniunguntur, vt in ſyllogiſmo illo præfertur, nõ modo idẽtitate carẽt, ſed & cõnexione neceſſaria inter ſe, vnumq; ſe habet diſparatè ad alterũ, nec reſtat principiũ aliquod inſeparabilitatis ab illo. Atqui falſum eſt exiſtentiã & eſſentiam productam non habere inter ſe connexionẽ neceſſariã, aut alterã ab alterã ſeparabilem eſſe; cùm impoſsibile ſit eſſentiam produci, aut manere ſine exiſtentiâ, vel exiſtentiam ſine eſſentia. Ergo & falſum eſt, minimeq; probatũ eodem diſcurſu, eſſentiam productã diſtingui realiter ab exiſtentia.

SED Contrà I. Vt enim cõſtabit *infrà*, quã optimè ſtat mutua duorũ connexio, & inſeparabilitas omnimoda, cum diſtinctione reali: quia ſtat optimè duo aliqua diſtingui realiter ab alio, & tamen cũ eo nexum habere neceſſarium, colligationẽve dependentiæ mutuæ, vt ibidem probamus. Ergo non rectè infertur, neque ex terminis, vt aiunt, colligitur eſſentiã eſſe ab exiſtentia ſeparabilem, hoc ipſo, quòd ab ea realiter diſtinguatur. Nec argumentum propoſitum hucuſque probat defectum connexionis, ſed ſolùm repugnantiam identitatis, vt conſideranti apparebit. *Contrà II.* Nihil enim abſurdi eſt, ſed potiùs veritati conforme, ne dicam omnino certum, poſſe eſſentiam creatam realiter à propria exiſtentia ſeparari. quod ſupponunt communiter Thomiſtæ ex Angelico Magiſtro, docẽtes humanitatem Chriſti carere propria exiſtentia, & exiſtere per exiſtentiam increatam Verbi. Quia verò ab Adverſarijs negatur, ſingulariter id probare oportet. *PRIMO* ex VI. Synodo Gene-

rali

rali in epiſtolà Sophronij: vbi expreſsè dicitur, carnem Chriſti *in Verbo, & non per ſe ipſam habuiſſe exiſtentiam.* Quibus planè exprimitur, humanitati Chriſti nullam aliā fuiſſe exiſtētiam, quàm increatam Verbi. Ergo verè eſſentia humana Chriſti Domini ſeparata eſt à propria exiſtentia. *Secundò.* Quidquid enim excellentius & dignius de humanitate Chriſti Domini cogitari poteſt, ſalvo Incarnationis myſterio, & manēte vnitate ſuppoſiti, concedendum eſt ipſi de facto. Sed exiſtere per exiſtentiā increatam Verbi, maioris dignitatis & excellentiæ eſt humanitati Chriſti, quā exiſtere per propriam exiſtentiam; eoque poſito perſiſtit Incarnationis myſterium, & vnitas ſuppoſiti; cū vere ſubſiſtentia vtriuſq; naturæ ſit vna. Ergo cenſendum eſt humanitatem Chriſti de facto exiſtere per increatā Verbi exiſtentiā; atque adeo ſeparatā eſſe ab exiſtētia propria. *Tertiò*, omiſsis alijs rationibꝰ probatur retorquendo præcipuū argumentum ſententiæ adverſę inferentis exiſtentiā Verbi fore creatam, ſi redderet exiſtentem humanitatē, quia eſſet terminus formalis creationis, qua producitur anima Chriſti, & redditur exiſtēs. Retorquetur, inquā, hoc argumentū: Quia etiam ſubſiſtentia eſt terminus formalis creationis rerum ſubſiſtentium; cùm iuxta Ariſtotelem, & Philoſophos actiones ſint ſuppoſitorū, tam activè, quàm paſsivè. Et tamen ex eo, quòd humanitas Chriſti ſubſiſtat per Verbi ſubſiſtētiam, minimè infertur ſubſiſtētiam Verbi creari actione creativa animæ Chriſti. Ergo nec ex eo, quòd exiſtat per exiſtentiā Verbi, colligitur illā creari per eamdē actionē. *Denique*, cùm in noſtra opinione exiſtentia ſubſtantialis nō diſtinguatur realiter à ſubſiſtētiā, idem eſt humanitatē Chriſti ſeparari à ſubſiſtentia, & ab exiſtentia propriā.

10 *DICES II.* Eſſentiam poſſe dupliciter conſiderari; ſcilicet, intra cauſas & in ſtatu poſsibilitatis; vel extra cauſas poſitam, vt loquimur in præſenti quæſtione: & priori quidem conſideratione exiſtentiam non eſſe de illius conceptu eſſentiali, ſed accidentaliter ipſi convenire, poſteriori verò ſenſu eſſe de ratione eſſentiali illius: quia repugnat eſſentiam in rerum natura eſſe, & tamen non exiſtere. Quare negabis minorē illius diſcurſus præcipui quò ad primā & ſecundam partem. Exiſtentia enim eſt de conceptu eſſentiæ in rerum natura poſitæ, & ſimul cū illa conſtituit metaphyſicè aliquod tertium, quod eſt & appellatur *Exiſtens*. Sic etiam licèt actio ſolum accidentaliter conveniat virtuti creatę, nihilominus ſimul cum illa conſtituit eſſentialiter hoc concretū, quod eſt, & appellatur *Agens*, ex ſuppoſitione quòd virtus eius activa ſit reducta in actū ſecundū, & non ſuſpenſa circa operationem: quia repugnat in terminis agens ſine actione, ſicut exiſtēs ſine exiſtentia.

11 *SED Cōtrà I.* Exiſtētia enim non eſt prædicatū accidētaliter conveniēs eſſentię conſideratæ in ſtatu poſsibilitatis. Quidquid enim cōvenit accidētaliter eſſentię, & cuicumque rei conſideratæ in aliquo ſtatu, poteſt coexiſtere eidem rei in eo ſtatu manenti, ſeu eſſe ſimul cum illa: quia omne accidens poteſt, imò exigit in proprio ſubiecto exiſtere. Sed exiſtētia nequit coexiſtere, ſeu eſſe ſimul cum eſſentia conſiderata in ſtatu poſsibilitatis, aut ſub eo poſita. Manifeſtum quippe eſt ſtatum illum deſtrui, & incompoſsibilem eſſe cum exiſtētia. Ergo exiſtentia non eſt prædicatum accidentaliter conveniens eſſentiæ conſideratæ in ſtatu poſsibilitatis. At revera eſt prædicatum accidentaliter conveniens eſſentiæ creatæ: cùm nulla eſſentia creata ſit eſſentialiter exiſtens, nec exiſtentia enuntietur de illa in propoſitionibus ſempiternæ veritatis. Ergo reſtat vt ipſi eſſentię iam creatæ & productæ accidentaliter conveniat exiſtentia, & non eſſentialiter. *CONTRA II.* Licèt enim reduplicato effectu formali exiſtentiæ, hæc ſit de cònceptu eſſentiali rei exiſtentis, vt patet in illo concreto *Exiſtens*; ſicut & actio de conceptu eſſentiali agentis, in quantum agens eſt; attamen nec exiſtentia eſt de conceptu eſſentiæ exiſtentis, nec actio de ratione naturæ operantis, conſideratis ſpecificativè eſſentia & natura, ſub exiſtentia & operatione; ſed vtraque ijs accidentaliter convenit; prior quidem logicè, & poſterior phyſicè. Et ratio eadem vtrobique eſt. Ideo enim actio ſolùm accidentaliter convenit naturæ creatæ ſpecificativè ſumptæ, etiam dum agit, quia nulla natura creata eſt actus purus in operando, ac proinde nulla identificat ſuam operationem. Sed etiam nulla eſſentia creata eſt actus purus in exiſtendo, ſeu in linea eſſendi. Ergo & nulla eſſentia creata, etiamdum exiſtit ſpecificativè, identificat ſuam exiſtentiam, ſed hæc ipſi accidentaliter convenit. Verum de hoc redibit ſermo in ſecunda ratione.

11 *DICES III.* Stat optimè exiſtentiā provenire à diverſo principio, quā eſſentiā, & tamen vtramque eſſe idem realiter. Ergo ex diverſitate principiorum eſſentiæ atque exiſtentiæ, malè colligitur diſtinctio rea-

ratio vtriuſque. Probatur antecedẽs. Nam in homine v.g. gradus entis à diverſo principio provenit, ac gradus corporis, & gradus hominis; primus, ſcilicet, à ſolo Deo, ſecundus à Sole, tertius ab homine; & tamen omnes hi gradus ſunt idem realiter inter ſe. Similiter in vaſe aureo ratio auri provenit à natura, ratio autem vaſis ab arte, quæ eſt principium omnino diverſum; & tamen hæc propoſitio eſt vera per identitatem ſubiecti cum prædicato, *Vas eſt aureum*. Ergo pariter, licèt eſſentia & exiſtẽtia proveniant à principijs diverſis, poterit vna eſſe idem realiter cum alia, & verificari per identitatem hæc propoſitio, *Eſſentia eſt exiſtens*.

13 *SED Contrà I.* Non enim colligimus diſtinctionem realem eſſentiæ ab exiſtentia ex eo præciſè quod proveniant à diverſis principijs: ſeu ex eo, quod neque proveniant ab eadem forma, neque vna ſit de eſſentia alterius, neque cum altera conſtituat metaphyſicè aliquod tertium: qui ſenſus plane collectivus eſt. Ratio autem entis, corporis, & hominis, etſi proveniat à diverſis principijs extrinſecis, ab eadẽ formà intrinſeca oriuntur, & conſtituunt metaphyſicè aliquod tertium, & gradus entis eſt de eſſentia corporis, ſicut & gradus corporis de eſſentia hominis. Ergo diverſa vtriuſque ratio eſt. *Contra II.* & retorquetur inſtantia in vaſe aureo, cuius aurum realiter diſtinguitur à forma vaſis, ſicut materia ſecunda ab artificiali forma. Quare prædicatio illa, *Vas eſt aureum*, ſolùm verificatur in concreto, ſicut hæc, *Homo eſt albus*, & ſimiliter hæc, *Album eſt dulce*. Pariter ergo propoſitio illa, *Eſſentia eſt exiſtens*, ſolùm verificatur in concreto, non autem in abſtracto. Et ratio eſt eadem, quia ſicut forma artificialis provenit ab extrinſeco principio artis, & eſſentia auri à principijs intrinſecis ipſius; ita ſimiliter eſſentia cuiuslibet rei provenit à principijs eius intrinſecis, exiſtentia autem ſolùm ab agente extrinſeco.

14 *INSTABIS.* Ab eodem principio extrinſeco producitur eſſentia ac exiſtentia. Etenim quando aliquid creatur, nõ ſolùm eſſe exiſtentiæ, ſed & ipſa quidditas creari dicitur, vt expreſſè docet D. Thom. *q.3 de Potent. art.5 ad 5.* & patet in productione cuiuslibet rei. In creatione enim Angeli v.g. totus Angelus creatur, & non ſola ipſius exiſtentia; & quidem ab eodem principio extrinſeco, ſcilicet, Deo. Falſo ergo ſupponitur in noſtro argumento, & doctrina ſolutionis, vtramque à diverſis principijs provenire. *SED Contrà.* Licèt enim nũquam producatur exiſtentia, quin etiam eſſentia; adhuc verum eſt vtramque à diverſis principijs provenire. Eſſentia enim formaliter ſolùm provenit à prædicatis eſſentialibus, æternis, & invariabilibus; exiſtentia autem non provenit eſſentiæ à prædicatis eſſentialibus, æternis, & invariabilibus; ſed ab operatione agentis extrinſeci, omnino variabili & contingenti. Neque id impeditur ex eo quod eſſentia vt condiſtincta ab exiſtentia ponatur extra cauſas eadem actione creativa, qua producitur exiſtentia. Nam independenter ab illa actione & ſtatu exiſtentiæ, eſſentia formaliter habet ſuam conſtitutionem per intrinſeca & eſſentialia principia.

SECTIO SECVNDA.

Probatio alia eiuſdem ſententiæ ex repugnantiâ vt exiſtentia creata ſit actus purus.

15 ALIA Ratio efficax pro eadem ſententia deſumitur ex eodem D. Thoma *1.p.q.3 art.4.* in hanc formam redacta. Omne quod verè recipitur in aliquo, diſtinguitur realiter ab illo. Sed exiſtẽtia creata verè recipitur in eſſentiâ. Ergo realiter ab illa diſtinguitur. Conſequentia patet, & maior ſimiliter: quia omne quod verè recipitur in aliquo eſt cauſa formalis ipſius; omnis autem cauſa formalis diſtinguitur realiter à ſubiecto quod ipſa informat. Minor probatur. Si enim exiſtentia nõ reciperetur verè in eſſentiâ, eſſet infinita & actus purus: quod quàm abſurdum ſit, probatione non eget. Sequela probatur claritatis maioris gratia in exiſtentia Angeli, cuius eſſentia eſt omnino irrecepta in alio, cùm careat omni ſubiecto. Modò ſic. Si exiſtentia Angeli non recipitur verè in ipſius eſſentia, ſed eſt idem realiter cum illa, non habebit per quod limitetur, neque inferius, neque ſuperius. Ergo erit illimitata ex omni capite, ac proinde infinita & actus purus. Probatur aſſumptum; & quidem facilè quò ad priorem partem: nam eſſentia Angeli habet rationem actus per ſe ſubſiſtentis, & irrecepti, vt modò dicebamus; actus autem irreceptus non habet ſubiectũ, ſive materiam aliquam, ex quâ limitetur inferiùs. Quò ad poſteriorem verò partem, quæ difficilior probatu eſt, ſuadetur ſic. Ille actus dicitur infinitus & illimitatus ſuperiùs, qui ſupra ſe non habet aliud à quo limitetur: ille autem actus non habet ſupra

ſe

ſe aliud à quo limitetur, qui non recipit; nec informatur ab alio actu ſuperveniente. Sed exiſtentia Angeli eſt actus non habens ſupra ſe aliud, a quo limitetur. non enim expectat alium actum ſupervenientem, quem recipiat, vel à quo informetur. Ergo exiſtentia Angeli eſt ſuperiùs infinita. Cumque aliunde etiam inferiùs illimitata ſit, ſuppoſito quod ab eſſentia non diſtinguatur, planè deducitur, exiſtentiam Angeli ex omni capite illimitatam eſſe, atque infinitam: quod planè repugnat cuilibet creaturæ.

16 *OCCVRRES I.* Cum Adverſarijs negando quidquam abſurdi eſſe in eo, quod exiſtentia Angeli ſit inferiùs infinita per carentiam ſubiecti, in quo recipiatur. Hac enim ratione ipſa Angeli eſſentia citra vllum abſurdum infinita eſt, cùm careat ſubiecto receptivo; & maximè in ſententia S. Thomæ iuxta quam natura quælibet Angelorum exhaurit totam plenitudinem perfectionis ſpectantis ad ſuam ſpeciem, & omnino immultiplicabilis eſt. Si ergo nullum eſt inconueniens in eo quòd eſſentia Angeli ſit inferiùs infinita, nullum etiam erit in eo, quod exiſtentia eodem modo infinita ſit. Neutiquam verò inde colligitur exiſtentiam fore ſimpliciter infinitam, ſicut neque eſſentiam Angeli: quia vtraque recipit actum ſubſiſtentiæ ſupervenientem, ab eoque limitatur ne ſit ſuperiùs infinita.

17 *SED* Contra priorem partem ſolutionis eſt, exiſtentiam non habere rationem cuiuſcumque actus, ſed vniverſaliſſimi, atque omnium entium: at verò naturam cuiuslibet Angeli nō eſſe actum vniverſaliſſimum, neque omnium entium, ſed reſtrictum ad aliquam ſpeciem determinatam. Ergo licèt natura ſpecifica cuiuſlibet Angeli ſubiecto carens non ideo reddatur ſimpliciter infinita, ſed ſecundum quid & inferiùs tantùm; exiſtentia tamen, ſi omni ſubiecto careat, infinita ſimpliciter erit. Antecedens eſt certum, etiam iuxta Adverſarios: quia ratio entis vniverſim loquendo conſtituitur per aptitudinem, ſive potentiam ad exiſtendum, cui reſpondet exiſtentia tamquam actus æquè vniverſalis, vt ipſi communiter ſtatuunt, & dicemus *in Metaph.* diſputantes de Conceptu obiectivo entis. Quare licèt exiſtentia actuet omnes rationes particulares, nō tamen vt particulares, ſed vt habentes rationē entis, in qua conveniunt. Non enim exiſtentia ex ſe limitatur ad determinatā aliquam ſpeciem, vel individuum, niſi quia in tali ſpecie, vel individuo recipitur: nam ex ſe æquè latè patet ac ipſum ens. Conſequentiam verò iam probo: Quia ideò natura ſpecifica cuiuſcumque Angeli licèt ſit actus irreceptus in materia, non eſt ſimpliciter infinita, ſed inferiùs, & ſecundùm quid tantùm, quia ex ſe eſt determinata, & limitata ad ſingularem ſpeciem, extra quam non extenditur. Ergo cum e converſo probatum ſit exiſtentiam non eſſe determinatam, & limitatam ad ſingularem ſpeciem, ſed ex ſe ad omnia extendi, ſi ſemel illa ſit omninò irrecepta, vt in Angelo, erit ſimpliciter infinita. *CONFIRM. I.* Impugnatio hæc. Si daretur albedo irrecepta in ſubiecto, ſolùm eſſet infinita ſecundùm quid, & negativè, id eſt, non infinita poſitivè ex parte ſubiecti: ſi autem albedo eſſet illimitata in ratione entis, eſſet infinita ſimpliciter. Ergo pariter eſſentia Angeli irrecepta in ſubiecto, ſolum eſt ſecundùm quid, & negativè infinita, quatenus caret ſubiecto, per quod poſitivè finiatur: exiſtentia autem ſi illimitata ſit in ratione entis, erit infinita ſimpliciter. Sed hoc ipſo quod exiſtentia non recipiatur realiter in ſubiecto, ſive ente, erit infinita in ratione entis; quia actus ſolùm limitatur per potentiam paſſivam, & actus entis ſolùm per potentiam paſſivam ipſius entis. Ergo hoc ipſo quod exiſtentia non recipiatur in ente erit infinita ſimpliciter. *CONFIRMATVR II.* Ideo eſſentia Angeli, ſeu differentia ſpecifica ipſius, eſt actus ſimpliciter finitus in genere metaphyſico, quia habet potentiam metaphyſicam, per quam limitatur: ſcilicet, quia metaphyſicè actuat rationem genericam, vt potentiam paſſivam ſui. Sed exiſtētia Angeli eſt actus phyſicus eſſentiæ ipſius, non autem metaphyſicus; cùm non ſit de conceptu metaphyſico ſeu eſſentiali Angeli exiſtere, ſed de phyſico tantùm, & vt poſitus eſt extra cauſas. Ergo ſi exiſtentia Angeli caret ſubiecto, ſeu potentià paſſivà phyſicà, per quam limitetur, non erit actus finitus phyſicè, ſed potiùs ſimpliciter infinitus.

18 *CONTRA* Poſteriorem ſolutionis partem, quà aſſeritur, exiſtentiam Angeli adhuc limitandam iri per receptionē vlterioris actus ſubſiſtentiæ, ex profeſſo agam *in Met.* & oſtendam ex doctrinâ PP. ac multiplici argumento, ſubſiſtentiam nō diſtingui realiter ab exiſtentiâ ſubſtantiæ prout determinatâ; ac proinde neutram eſſe phyſicè ſuſceptivā alterius, cùm nihil poſſit phyſicè ſeipſum recipere. Illi verò ex Thomiſtis, qui ſtatuunt vtramque diſtin-

ſinguli realiter inter ſe, difficulter poſſunt refellere evaſionem Adverſariorum, in qua verſamur. Verùm quia omnes Diſcipuli D. Th. convenire debent in eo, quòd exiſtentia ſit actus vltimus eſſentiæ (ſive diſtinguatur realiter a ſubſiſtentiâ, ſive no) propter plura expreſſa teſtimonia ipſius, poterit ſic præcludi evaſio præiacta. Hoc ipſo quod eſſentia Angeli identificet actũ vltimum intra genus entis, iam nequit recipere aliquẽ actum vlteriorem, nec limitari per illum. Sed exiſtentia eſt actus vltimus reipſa intra genus entis. Ergo hoc ipſo quòd eſſentia Angeli identificet exiſtẽtiam, nequit recipere actum vlteriorem, nec limitari per illum. Conſequentia patet, & maior probatur I. Quia omnis eſſentia identificans actum vltimum intra genus entis, identificat quidquid perfectionis eſt in linea entis à primo ad vltimum; ac proinde incapax manet, vt ſuperveniat ipſi vlterior actus in eadem lineâ, per cuius receptionẽ limitetur. II. Quia ideo Theologi cum D. Thoma 1. *p. à quæſt.* 3. *ferè vſque ad* 10. probant illimitationem Dei in omni genere perfectionis, quia eſſentia Dei eſt ſuum eſſe, ſive, quod perinde eſt, quia identificat eſſe exiſtentiæ, quod eſt vltimus actus & perfectio in lineâ entis. III. Quia iuxta omnes Philoſophos, ac Theologos, vno aut alio excepto, repugnat eſſentia identificans actum vltimum in lineâ operandi, ſive ſuam operationem, quin ſit illimitata in eâdem lineâ, & incapax ſupervenientis actus, per quem limitetur. Ergo pariter repugnat eſſentia idẽtificans actum vltimum intra genus entis, quin illimitata ſit, ſeu incapax limitationis per actum ſubſequentem in eâdem lineâ. Iam minor illa præcipui ſyllogiſmi non ſolùm perſpicuè traditur à D. Thomâ pluribus locis, præſertim *q.* 1. *de Anima art.* 2. *ad* 3. ſed ſuprà *diſp.* 5. *num.* 21. à nobis probata eſt, & inſuper ratione ſuadetur: Quia gradui vniverſaliſsimo entis nullus alius actus correſpondet intra propriam lineam, niſi exiſtentia: cùm ratio entis iuxta communem ſententiam ſolùm conſiſtat in aptitudine ad exiſtendum, & hæc aptitudo tantum perficiatur per exiſtentiam, tanquam per proprium actum. Ergo exiſtentia eſt actus vltimus reipsâ intra genus entis. Præterea, vltimus actus, ſive perfectio entis in quantùm entis, non eſt quod ſubſiſtat, ſentiat, ratiocinaturvè; cùm eiuſmodi actualitates ſolum correſpondeant ſubſtantiæ, animali, & homini; ſed tantùm quòd habeat eſſe verum & reale, atque exiſtens independenter à fictione intellectus: per hoc enim attingit vltimam perfectionem, quæ ipſi competere poteſt, ac debetur intra lineam entis. Ergo exiſtentia in re eſt vltimus actus in linea entis: itáque, ſive exiſtentia identificetur realiter, ſive non, cum ſubſiſtentia ipſius. Semper enim perſiſtit veritas diſcurſus præiacti, & inconcuſſa ratio, quâ colligimus, eſſentiam Angeli, ſi ſemel identificet exiſtentiam, per ſeipſam fore in actu vltimo perfectionis intrâ lineam entis, ac proinde incapacem limitationis & ſimpliciter infinitam.

19 *OCCVRRES II.* Præcipuo argumento, negando opus eſſe vt exiſtentia Angeli recipiatur, vel recipiat aliud, quo finita ſit, & limitata ſimpliciter. Nam ad limitationem creaturæ cognatam ſufficit habere ſuum eſſe receptum à Deo & depẽdens in fieri & coſervari, quod haberet, habetq́ue exiſtentia Angeli, quamvis nec habeat ſubiectum in quo recipiatur, neque ipſa recipiat actum vlteriorem. *SED Contrà I.* Limitatio enim creaturæ per ſe & intrinſecè non deſumitur ab aliquo principio extrinſeco, quale eſt efficiens; ſed ab intrinſecis ipſius principijs; & vbi hæc omnem limitationem excludunt, repugnat quod res ab extrinſeco limitetur. Ideo, etiã apud Adverſarios, repugnat natura creata identificans ſubſiſtentiam & operationẽ, quæ tamen ab extrinſeco limitetur. Ideo & iuxta communẽ ferè ſentẽtiam, repugnat ſubſtantia ſupernaturalis, & ſimiliter ab intrinſeco impeccabilis, & exigens eſſentialiter durationem æternam à parte antè, & pòſt, quæ tamen ab intrinſeco efficienti dependeat & limitetur. Ergo ſi eſſentia identificans actum vltimum exiſtẽtiæ in Angelo, non habet principium intrinſecum, a quo limitetur, nec etiam poterit à causâ efficiente & extrinſeca limitari. *CONTRA II.* Repugnat enim in terminis aliquid carere intrinſeco limitativo, & tamen procedere à Deo vt causâ efficienti, exindeq́ue limitari. Sed eſſentia identificans actum vltimum exiſtentiæ caret omni limitativo intrinſeco, vt probatum manet, & conceditur in ſolutione præiacta. Ergo repugnat quòd procedat a Deo vt causâ efficiente, & exinde limitetur. Probatur maior. Ideo enim Verbum Divinum non procedit à *Patre* vt à causâ efficienti, quia procedit ab eo vt intrinſecè illimitatum: neque alia ratio eſt cur apud *Patres* & Theologos malè audiat nomen *cauſæ* in divinis proceſsionibus, quàm quod quælibet perſona procedens ab aliâ, intrinſecè illimi-

mitata ſit, & propterea omnem dependentiam excludens a cauſa efficiente. Si ergo eſſentia identificans actum vltimum exiſtentiæ caret limitativo intrinſeco, repugnat quod a Deo vt cauſa efficiente procedat, eximqueque limitetur. *CONTRA III.* Si quidquam enim prodeſt ſolutio Adverſarijs, poterit etiam aſſeri, non repugnare creaturam incapacem accidentium, & totius compoſitionis, tam phyſicæ, quàm metaphyſicæ, quæ tamen dependeat à Deo vt cauſa efficiente, & exinde obtineat limitationem. quod tamen abſurdiſsimum & inauditum eſt. Nec oportet impendere tempus in probatione ſequelæ, quæ ſatis per ſe ipſam perſpicua eſt. Sequitur etiam poſſe aliquam naturam creatam identificare propriam ſubſiſtentiam: quod non modo infert idem abſurdum, ſed etiam eiuſmodi naturam non poſſe aſſumi ab aliqua perſona divina: quia natura quæ per propriam entitatem eſſet ſubſiſtens, incapax foret paſsivæ aſſumptionis in vnitatem perſonæ alterius.

20 *OCCVRRES III.* Aſſerendo naturam intrinſecè limitandam iri intra genus ſubſtantiæ, quia licet identificet vltimum exiſtentiæ actum, ac proinde nulla ſit receptio illius, per quam finiatur; adhuc manet potentia ſuſceptiva accidentium, quorum receptione limitetur. Dato enim quòd eſſentia Angeli v.g. identificet actũ vltimum exiſtentiæ, adhuc manebit cum potentia receptiva intellectus ac voluntatis, & ſubinde operationum vtriuſque, quæ accidentia ſunt. At eſſentia manens cum potentia receptivà accidentium eſt verè & intrinſecè limitata. Ergo quamvis eſſentia creata Angeli identificet vltimum actum exiſtentiæ, adhuc manebit verè & intrinſecè limitata. *SED Contrà I.* Eſſentia quæ intra lineam ſubſtantiæ manet omnino illimitata, nequit limitari per ordinem ad accidentia. Sed eſſentia identificans actum vltimum exiſtentiæ in Angelo manet intra lineam ſubſtantiæ omnino illimitata. Ergo nequit vlterius limitari per ſuſceptionem accidẽtium. Conſequentia patet, & minor iam ſatis probata relinquitur. Maiorem, in qua eſt difficultas, probo: Quia quod eſt infinitum intrinſecè, & ſecundùm eſſentiam, nequit limitari per accidentium receptionem. Ideoque in Deo locum nõ habent accidentia, quia ſecundum eſſentiam illimitatus eſt. Ergo eſſentia manens illimitata intra genus ſubſtantiæ, non poteſt limitari per ordinem ad accidentia. Patet conſequentia: Quia prædicata quæ conſtituunt eſſentiam rei, de quâ loquimur, ſcilicet, Angeli, ſunt intra lineam ſive genus ſubſtantiæ: ac proinde ſi Angelus in prædicatis eius lineæ, aut generis, careret limitatione, iam eſſet illimitatus ſecundùm eſſentiam, & incapax accidentium, quorum receptione limitaretur. *CONTRA II.* Quidquid eſt purus actus eſſentialiter, incapax eſt limitationis ab accidentibus. Sed eſſentia identificans vltimum actum intra lineam ſubſtantiæ, eſt purus actus eſſentialiter. Ergo incapax eſt limitationis ab accidentibus. Probatur minor. Eſſentia identificans vltimum actum intra lineam ſubſtantiæ in Angelo, ita haberet rationem actus in linea ſubſtantiæ, vt nihil haberet admiſtum de potentialitate, nec per ordinem ad actum vlteriorem in eà lineà, nec per ordinem ad ſubiectum. Ergo eſſet purus actus eſſentialiter, ſivè ſecundùm prædicata eſſentialia.

21 *OCCVRRES IV.* Cum alijs, concedendo eſſentiam fore phyſicè in Angelo illimitatam, quia phyſicè eſſet purus actus, & nihil habens phyſicæ potẽtialitatis admiſtum. Cum hoc tamen cohæreret, quòd metaphyſicè limitata eſſet per compoſitionem ex genere & differentia: ſicut caſu quo exiſteret infinitum ſecundùm numerum, extenſionem, aut intenſionem, illud quidem phyſicè illimitatum eſſet; metaphyſicè autem limitatum ratione compoſitionis ex differentia, & genere, ſub quo contineretur. *SED Contrà I.* Limitatio enim metaphyſica penes compoſitionem rei ex genere & differentia, deſumitur ex prædicatis phyſicis, ſeu naturalibus. Vnde genus dicitur ſumi à materià, & differentià à forma: Atqui in ſubſtantia Angeli identificante vltimum exiſtentiæ actum, nulla eſſet limitatio ſecundum prædicata phyſica, vt conceditur in ſolutione. Ergo nulla eſſet metaphyſica limitatio penes compoſitionem ex genere & differentià. *CONTRA II:* In ſubſtantià Angeli phyſicè illimitatà, nulla eſſet potentialitas paſsiva & receptiva alicuius actus intra lineam eſſentialem: nulla etiam actualitas recepta in alio intra eandem lineam, vt iam demonſtratum eſt. Ergo nullus eſſet in Angelo locus ad rationem generis & differentiæ, vel ad compoſitionem ex vtroque: ſicuti ob eam cauſam nullus in Deo locus eſt metaphyſicæ compoſitioni. *CONTRA III.* Subſtantia enim identificans vltimum actum in linea operandi, non ſolùm phyſicè eſſet infinita, ſed etiam metaphyſicè. Ergo & ſubſtantia identificans vltimũ actum eſſendi in linea eſſendi.

di. Inſtantia autem de infinito in actu, nihil probat: Tum quia illud eſt omnino repugnans, vt oſtēdemus proprio loco; Tum, quia eo gratis permiſſo, eſſet tàm phyſicè, id eſt, ſecundum naturam; quam metaphyſicè, eſſet finita; ſolumque infinita penes accidentia.

SECTIO TERTIA.

Occurritur argumentis præcipuis ſententiæ adverſæ.

22 SENTENTIAM Oppoſitā præcedenti tuentur plures Authores: vt Scotus *in* 3 *diſt.* 6. *q.* 1. Durandus *in* 1. *diſt. diſt.* 8. *q.* 2. Gabriel, & alij ex Nominalibus, Valentia 1. *p. q.* 3. *puncto* 4. Suarez *diſp.* 31. *Metaph. ſect.* 1. *&* 6. & alius Suarez, vulgo Iunior, aliàs Luſitanus *tract.* 1. *Metaph. diſp.* 2. *num.* 233. Vazquez 3. *p. diſp.* 72. *cap. vlt.* Tellez *diſp.* 51. *ſect.* 2. Hurtado *diſput.* 8. *ſect.* 4. Arriaga *diſp.* 2. Compronus *diſp.* 5. *ſect.* 1. *num.* 5. Quiros *tract.* 7. *diſput.* 104. *ſect.* 2. Lynce *lib.* 2. *Metaph. tract.* 1. *cap.* 3. pluresque alij è Societate, quibus noviter adhærent Lalemandet *diſp.* 7. *Metaph. part.* 2. *poſt Clypeum* 6. *à num.* 12. Spinula *diſput.* 1. *Metaph. ſect.* 4. *à n.* 32.

23 PROBANT 1. ex Ariſtotele lib. 3. Metaph. iuxta editionem Beſſarionis, aliàs lib. 4. cap. 2. textu 3. illis verbis: ταὐτὸ γὰρ εἷς ἄνθρωπος, καὶ ὢν ἄνθρωπος, καὶ ἄνθρωπος, &c. *Idem enim vnus homo, & ens homo, ac homo; & non ſignificat diverſum aliquid ſecundùm dictionem repetitam, id eſt, homo, & homo, & vnus homo. Patet autem quòd non ſeparatur ens, nec in generatione, nec in corruptione. Similiter & de vno. Quare manifeſtum eſt, quòd additio in his idem ſignificat: & quod vnum nihil aliud eſt præter ens.* Hæc ille; quibus probat vnum non diſtingui ab ente, quia alterum non ſeparatur ab altero, neque viâ generationis, neque corruptionis, ſed ambo ſe inſeparabiliter comitantur. Vnde & D. Thom. ibidem inquit: *Quæ ſimul generantur & corrumpuntur, ſunt idem.* At qui eſſentia creata, & ipſius exiſtentia, nec ſeparantur, nec invicem ſeparari poſſunt. Ergo ſunt realiter idem. Conſequentia patet argumento Philoſophi, & paritate rationis. Minor autem probatur. Repugnat enim eſſentiam in rerum naturâ eſſe abſque exiſtentiâ, quia eſſe in rerum naturâ, eſt effectus formalis exiſtentiæ; & implicat contradictionem effectus formalis ſine forma. Aliunde etiam repugnat exiſtentiam ſine eſſentiâ in rerum naturâ eſſe: tum, quia exiſtentia etiam habet ſuam eſſentiam ab ipſa inſeparabilem: tum etiā, quia iuxta ſententiam oppoſitam exiſtentia eſt ſubſtantia incompleta & modalis, cui proinde repugnat eſſe in rerum naturâ abſque eſſentiâ, ſive re illa, quam afficit, & determinat. Ergo eſſentia & exiſtentia, nec ſeparantur, nec invicē ſeparari poſſunt; atque adeò ſunt idem realiter, ſi quidquam evincit argumentum Philoſophi.

24 RESPONDEO, Philoſophum non probare identitatem inter ens & vnum ex inſeparabilitate quacumque; ſeu phyſicâ ſolùm; ſed præcipuè ex obiectiva & intentionali: repugnat enim rationem entis obiectivè præſcindi, ſeu ſeparari per intellectum ab vnitate tranſcendentali, quæ ipſius paſſio eſt, & è contra, vt ex doctrina eiuſdem Philoſophi alibi oſtendimus, probantes conceptum obiectivum entis non poſſe præſcindi, ſeu mentaliter ſeparari ab inferioribus. Alloqui enim loquendo de inſeparabilitate phyſicâ, certum videtur non colligi ex illâ identitatem duorum realem. Id patet *Primò* in relationibus divinis, quarum vna ab alia omnino inſeparabilis eſt; & tamen fide conſtat vnam realiter ab alia diſtingui. *Secundò*, in opinione probabili, & expreſsâ D. Thomæ, impoſsibile eſt materiam ſeparari à formâ vagè ſumptâ; cùm tamen ab omni formâ realiter diſtinguatur. Quòd ſi dicas, ſaltim poſſe exiſtere omnē formam de potentiâ abſoluta abſque materiâ, ac proinde ſeparari ab illa, quamvis materia nequeat exiſtere abſque omni formâ; inſtatur *Tertiò* in volitione & impulſu, qui ab illa mutuò inſeparabilis eſt, veluti terminus intrinſecus & vitalis ab immanēti actione, ſui productivâ. Inſtatur *Quartò* in intellectione, quæ omnino inſeparabilis eſt à verbo mentis, ſicut & verbum ab ipſa, cùm tamen realiter inter ſe diſtinguantur, vt ſupponimus ex libris de Anima. Patet igitur, inſeparabilitatem duorum phyſicam non arguere ipſorum identitatem realem. Et ratio à priori huius doctrinæ eſt; quia ſeparatio ſupra diſtinctionem realem addit independentiam, aut defectum connexionis neceſſariæ duorum inter ſe. Poteſt autē contingere, vt duo inter ſe realiter diſtincta ſint, & tamē invicē dependeant, & neceſſariò inter ſe connectantur. Poteſt igitur cum diſtinctione reali duorum ſtare mutua ipſorum inſeparabilitas. Qualis etiam, præter exempla relata, invenitur in relatione prædicamētali creaturæ ad Deū, & ipſa creaturâ, à quâ mutuò inſeparabilis eſt, cùm tamen in opinione ſatis communi

rea-

realiter ab eâ diſtinguatur. Denique iam ſatis probatum eſt *num.9.* eſſentiam creatam abſolutè ſeparabilem eſſe à propriâ exiſtentia, imò & de facto ſeparatam fuiſſe ab humanitate Chriſti Domini, exiſtente per ſolam Verbi exiſtentiam.

DEINDE Retorquetur argumentum, velut nimium probans. Si enim quæcumque ſimul generantur & corrumpuntur, deberent eſſe idem ex mente Ariſtotelis; omnes proprietates deberent eſſe idẽ realiter cum eſſentia à qua emanant; quod apertè falſum eſt. Præterea, cum etiam ſubſiſtentia ſimul generetur & corrumpatur cum natura ſubſtantiali, deberet quoque eſſe ab ea indiſtincta. quo nihil abſurdius. *P*atet igitur, duorum identitatem non ex ſola ſocietate in generatione & corruptione colligi, niſi aliæ præterea coniecturæ adſint, quæ certe inter eſſentiam, & exiſtentiam non inveniuntur.

25 *PROBANT II.* Ratione, quam non nulli Authorum huius opinionis demonſtrativam cenſent. Nihil diſtinguitur realitèr ab eo, per quod conſtituitur in ratione entis realis. Sed eſſentia creata conſtituitur in ratione entis realis per exiſtentiam. Ergo eſſentia creata non diſtinguitur realiter ab exiſtentia. Conſequentia patet, & maior ſimiliter, quia conſtitutivum & diſtinctivum ſunt idem, & nulla res diſtinguitur à ſuâ entitate, ac proinde neque à conſtitutivo ſuæ entitatis, per quod diſtinguitur ab omni alia. Minor probatur I. Quia eſſentia vt condiſtincta ab exiſtentia non habet rationem entis realis, ſed eſt purum nihil. Alias antequam exiſteret haberet entitatem poſitivam & realem, quod Authores huius ſententiæ maximè abhorrent. Ergo eſſentia creata conſtituitur in ratione entis realis per exiſtentiam. *Secundò* probatur eadem minor. Aliquid eſt, quo eſſentia formaliter conſtituatur in ratione entis realis. Sed hoc non eſt aliud, quàm exiſtentia; cùm non ſit ipſa eſſentia ſecundùm ſe, quæ ſicut abſtrahit ab ſtatu poſsibilitatis & exiſtentiæ, ſic etiam ab entitate reali, & carentiâ ipſius. Solùm ergo conſtituitur eſſentia in ratione entis realis per exiſtentiã. *Tertiò*: Per id conſtituitur eſſentia in ratione entis realis, per quod opponitur ſtatui poſsibilitatis, & extrahitur à ſuis cauſis, in quarum potentiâ continebatur, vt patet ex definitione ipſius exiſtentiæ. Ergo eſſentia conſtituitur in ratione entis realis per exiſtentiam.

CONFIRM. I. Eſſentia enim pro priori naturæ ad quemcumque actum ſibi realiter ſuperadditum debet præſupponi exiſtens. Ergo per propriam entitatem exiſtit. Conſequentia patet & antecedens probatur. Eſſentia pro priori naturæ ad quemcumque actum ſibi realiter ſuperadditum, debet eſſe potentia receptiva, & cauſa materialis ipſius. Hoc autem nequit eſſe, niſi pro eodem priori præſupponatur exiſtens; quia nulla potentia recipit, neque cauſa cauſat, niſi quatenus exiſtens. Non enim recipit, aut cauſat in ſtatu poſsibilitatis, in quo caret exiſtentia: neque in ſtatu ſecundùm ſe, aut ſolius præciſionis, in quo abſtrahit ab exiſtentiâ & non exiſtentia: ac proinde cauſare debet, recipereque quatenus iam exiſtens.

26 *CONFIRM. II.* Omnis enim potẽtia recipiens aliquam perfectionem ſuperadditam, pro priori ad illam exiſtit: tum, quia nulla perfectio recipi poteſt niſi in ſubiecto exiſtente; tum etiam, quia potentia recipiens perfectionem aliquam, cauſat illam, & omnis cauſa realis debet præſupponi exiſtens ſaltim prius natura, quam cauſet. Ergo ſi eſſentia eſt potentia recipiens perfectionem ſuperadditã exiſtentiæ, iam pro priori ad illam præſupponitur exiſtens. Sed pro priori ad exiſtentiam ſuperadditã, nihil præſupponitur niſi entitas ipſius eſſentiæ. Igitur eſſentia ante omnem exiſtẽtiam ſuperadditam, & vi ſolius ſuæ entitatis, iam exiſtit.

27 *RESP.* Negando minorem: Quia eſſentia pro illo priori ad exiſtentiam non ponitur formaliter extra cauſas, ſed initiativè ſolùm & vialiter, quatenus tendit ad exiſtentiam recipiendã ab agente pro alio poſteriori naturæ. Hoc autem ſufficit, vt pro illo priori non ſit nihil, neque contineatur in virtute activa cauſarum: Quia quod eiuſmodi eſt, neque exiſtit ſpecificativè, & pro inſtanti reali; neque eſt ſub actuali exercitio recipiendi exiſtentiam. *AD II.* Impugnationem. *P*er id eſſentia redditur formaliter exiſtens, quo vltimò & completè terminat actionem productivam; non autẽ quo initiativè ſolùm & vialiter. Eſſentia autem pro priori naturæ ad receptionem exiſtentiæ ſuperadditæ non terminat vltimò & completè actionem productivam ſui; ſed vialiter & incompletè tantùm. Ergo pro illo priori formaliter non exiſtit. *AD III.* Impugnationem patet ex eadem doctrinâ.

28 *AD I.* Confirmationem nego antecedens. Ad probationem dico omnem potẽtiam receptivam alicuius perfectionis in-

tum reale inſtans debere præſupponi cum carentia præciſivè illius in aliquo priori naturæ; non autem privativa. Ratio prioris partis eſt, quia pro illo priori ſolùm exercet rationem cauſæ materialis circa talem perfectionem; atque adeò pro illo ſigno præſcindit à dependentia, quam alioqui habet ab ipſa perfectione vt cauſa formali. Et ita contingit in materia reſpectu formæ; in qualibet creatura reſpectu prædicamentalis relationis dependentiæ à Deo; in ſubſtantia materiali reſpectu quantitatis; & denique, velint nolint Adverſarij, in omni ſubſtantia creatâ reſpectu ſubſiſtentiæ, nam pro priori ad illam, ſubſtãtia præſcindit à ſubſiſtentia, quamquam actio illius productiva ad ſubſiſtens, ſive ſuppoſitum, terminetur. Ratio poſterioris partis eſt, quia repugnat privatio & forma ſimul pro eodem inſtanti reali, etiam penes diverſa ſigna naturæ, vt diximus probavimuſque ſæpè *diſp.* 2.

29 *AD II.* Confirmationem negatur antecedens in ſenſu formali: Quia nõ oportet cauſam materialẽ exiſtentiæ pro priori ad illam exiſtere, vt expreſſe docet D. Thom. *Opuſc.* 31. *in principio, & 8. Metaph. lect.* 4. Ratio eſt: Quia exiſtere formaliter eſt proprium entis in actu, alienum autem ab ente in potentia paſsivâ, in quantum tali. Atqui ſubiectum exiſtentiæ pro illo priori naturæ, quo ipſam recipit, non exprimit rationem entis in actu, ſed tantùm in potentiâ paſsiva. Ergo pro illo priori alienum eſt ab eo vt exiſtat formaliter. Sufficit itaque quòd pro inſtanti reali habeat exiſtentiam, quam recipit; neque ampliùs exigitur ad rationem cauſæ materialis.

30 *PROBANT III.* Si enim eſſentia diſtingueretur realiter ab exiſtentiâ, haberet entitatem poſitivam & realem prout extremum ab ea diſtinctum. Sed repugnat eſſentiam creatam, vt diſtinctã ab exiſtẽtiâ habere entitatem poſitivam & realẽ. Ergo repugnat eſſentiam creatam realiter eſſe diſtinctam ab exiſtentia. Conſequentia patet, & maior ſimiliter: quia ſi eſſentia diſtinguitur realiter ab exiſtentia, talis diſtinctio debet eſſe poſitiva & realis, quæ verſatur inter duplex extremum reale ac poſitivum; non autem negativa, quæ datur inter ens & non ens. Alioqui ſententia oppoſita neutiquam differret ab hac ipſa, quæ non negat, ſed vltrò admittit diſtinctionem realem negativam inter exiſtentiam & eſſentiam conſideratam ſecundum ſe, ſive ſeorſim ab exiſtentia. Iam minor illa præcipui ſyllogiſmi probatur multipliciter: *Primò*. Eſſentia vt condiſtincta realiter ab exiſtentiâ, ſolùm importat id quod eſt de linea formali eſſentiæ; ac proinde ſolum id quod pertinet ad prædicata eſſentialia. At ſecundùm quod eſt de linea eſſentiæ, ſive ſecundùm id, quod pertinet ad prædicata eſſentialia, nulla eſſentia creata eſt ens poſitivum & reale. Alias etiam in ſtatu poſsibilitatis eſſet poſitivum ac reale ens; quia prædicata quæ ſunt de linea eſſentiæ, debent illi convenire in quocumque ſtatu. Ergo eſſentia vt diſtincta ab exiſtentia non eſt ens reale poſitivũ. *Secundò* probatur eadem minor. Omne quod eſt ens reale poſitivum, eſt ſimiliter bonum poſitive: quia bonum eſt paſsio entis. Sed eſſentia creata vt diſtincta ab exiſtentia non eſt bonum poſitivum. Quod ſic ſuadetur. Nihil eſt poſitive bonum, niſi in quantùm habet rationem entis in actu. Vnde creaturæ poſsibiles, quia non habent entitatem in actu, ſed potentia ſolùm, non ſunt bonæ poſitivè; ideoque pro illo ſtatu non amantur à Deo, vt frequenter docent Theologi cum D. Thomà. Sed eſſentia vt condiſtincta ab exiſtentia non habet rationem entis in actu. Ergo etiam vt condiſtincta ab exiſtentia non eſt bonum poſitivè; ac proinde neque ens. Solùm ergo diſtinguitur eſſentia creata ab exiſtentia negativè, & tamquam non ens ab ente; neutiquam verò poſitivè & realiter. *Tertiò*. Diſtinctio actualis & phyſica duorum, ſolùm verſatur inter extrema habentia actualitatem phyſicam & diſtinctam: ſicut diſtinctio realis & poſitiva ſolùm intercedit duplex extremũ habens poſitivam diſtinctamque realitatem. Sed eſſentia creata minimè habet phyſicam actualitatem diſtinctã ab actualitate exiſtentiæ; quia vt extremum contradiſtinctum ab exiſtentia ſolùm manet ens in potentiâ, non verò in actu. Ergo eſſentia cr[e]ata non diſtinguitur actualiter, & phyſicè ab exiſtentia; ac per conſequens non habet entitatem poſitivam contradiſtinctam ab entitate poſitivà exiſtentiæ.

31 *RESPONDEO* Negando minorem: quia eſſentia vt condiſtincta ab exiſtentiâ habet rationem potentiæ paſsivæ, & receptivæ ipſius exiſtentiæ: omnis autẽ potentia paſsiva eſt entitas diſtincta ab actu, quem recipit; quia nihil realiter poteſt recipere ſeipſum, aut eſſe cauſa materialis ſuæ entitatis, ſed alterius ab ea realiter ac poſitivè diſtinctæ. *Ad I. Probat.* dico, eſſentiam in præſenti non ſolùm conſiderari ſecundùm id quod eſt de lineâ eſſentiæ,

ſeu

ſeu penes prædicata eſſentialia in ſtatu præciſionis: ſic enim quemadmodum abſtrahit a ſtatu poſsibilitatis & exiſtentiæ, ita etiam ab entitate poſitiva & ipſius carentiā. Conſideratur itaque eſſentia prout diſtincta realiter ab exiſtentia, non in ſtatu poſsibilitatis, neque etiam præciſionis; ſed in via proxima, & ſola prioritate naturæ ad exiſtentiam pro alio poſteriori ſolius naturæ habendam: qui ſtatus vialis eidem eſſentiæ convenit contingenter, & eſt quaſi prior pars ſtatus exiſtētiæ adæquatè ſumpti. Eſſe autem in via proximè ad recipiendum exiſtentiam, & contineri intra ſtatum exiſtentiæ adæquatè ſumptum, nequit convenire niſi enti poſitivo ac reali: quia per hoc ſufficienter diſtinguitur, non ſolùm a chimerā, ſed etiam a pura negatione, & privatione, & ab ente purè poſsibili, quibus nihil tale convenit. Ergo eſſentia vt diſtincta ab exiſtentia eſt ens reale poſitivum. *AD II. Probationem* dico, eàdem ratione quà aliquid eſt ens poſitivum & reale, eſſe bonum poſitivè, loquendo de bonitate tranſcendentali, quæ eſt paſsio entis. Eſſentia autē pro priori naturæ ad exiſtentiam ſuperadditam, ſicut habet entitatem poſitivam, ita & bonitatem realem, quà opponitur, non ſolùm chimeræ, ac privationi, & negationi, ſed etiam ſibi ipſi, prout conſideratæ in ſtatu meræ poſsibilitatis: ac proinde iam in illo priori amatur à Deo, ſicut & cauſatur. *AD III. Probationem* dicendum, actualem diſtinctionem nō exigere neceſſariò actualitatem ex parte vtriuſque extremi, ſed vel vtriuſque, vel alterius tantùm; quà ratione ſuperiùs diximus materiam diſtingui actu à forma, quamvis non habeat proprium actum, ſive actualitatem diſtinctam ab actualitate formæ. Et ratio eſt: Quia vt duo aliqua diſtinguantur actualiter & poſitivè, ſufficit vt vtrumque exiſtat, & neutrum illorum actu identificetur cum altero. At poteſt vtrumque actu exiſtere, etiamſi exiſtentia tantùm ſe teneat immediatè ex parte vnius, & ſimiliter neutrum illorum eſſe idē poſitivè, quòd alterum. Ergo duo aliqua poſſunt actu & poſitivè diſtingui, etiamſi exiſtentia immediatè ſe teneat ſolùm ex parte vnius. Vnde loco relato diximus, materiam actu & poſitivè diſtingui à forma, quāvis exiſtat ſolùm per exiſtentiam formæ.

32 *REPLICABIS.* Vt duo aliqua diſtinguantur realiter & poſitivè, non ſufficit, quod realitas ſe teneat ex parte vnius, ſed exigitur ex parte vtriuſque extremi. Ergo pariter vt duo aliqua diſtinguātur actu & poſitivè, non ſufficit actualitas ex parte vni⁹, ſed requiritur ex parte vtriuſque, veluti ratio formalis diſtinguēdi actualiter. Sed eſſentia pro priori ad exiſtentiam ſuperadditam non habet actualitatem propriam, quæ ſit ratio formalis diſtinguendi illam ab exiſtentia. Ergo eſſentia non diſtinguitur actualiter ab exiſtentia. *CONF.* ſicut Thomiſtæ communiter probant contra Diſcipulos Subtilis Doctoris, naturam non diſtingui a ſingularitate ante intellectus operationem, quia omnis diſtinctio numerica exigit vnitatem numericam vtriuſque extremi, & natura vt condiſtincta ab vnitate numerica ſuperaddita, non habet in ſe aliam vnitatem numericam, qua diſtinguatur. Ergo pariter, quia eſſentia vt condiſtincta ab actualitate exiſtentiæ non habet aliam actualitatem, quæ ſit extremum diſtinctionis, nequit actu & realiter ab ea diſtingui.

33 *RESP.* Si eſſentia, quæ diſtinguitur actualiter ab exiſtentia, ſit eſſentia formæ; actualitas ſe tenebit ex parte vtriuſque extremi; quia forma eſt actus primus, ſicut exiſtentia vltimus. Vnde in ijs ceſſat difficultas. Si autē eſſentia diſtincta actualiter ab exiſtentia, ſit eſſentia materiæ primæ, fatemur, diſtinctionem materiæ ab exiſtentia nō eſſe actualem actualitate mutua, ſed tantum non mutua, quæ ex parte vnius extremi, ſcilicet, exiſtentiæ, ſe tenet per modum rationis formalis; ex parte autem alterius, ſcilicet, materiæ, ſe habet vt conditio ad actualem diſtinctionem, ſicut & ad actualem cauſalitatem: in quo nulla repugnantia eſt. *AD Confirmationem* negatur paritas: Quia vnitas numerica debet ſe habere per modum rationis formalis ad diſtinctionem numericam ex parte vtriuſque extremi, eo quod vnitas ſit ratio tranſcendens intimè omnem entitatem, prout diſtinctam à quâlibet alia. Exiſtentia autem non eſt ratio tranſcendens omnem eſſentiam creatā, neque intimè in eā clauſā, ſed ſolùm accidentaliter conveniens. Quare non oportet vt ex parte vtriuſque extremi ſe habeat per modum rationis formalis ad actualem diſtinctionem.

SECTIO QVARTA.

Exquiſitiora aliæ ſententiæ adverſæ argumenta, eaque ſpeciatim roborata, ſolvuntur.

34 PROBANT IV. Recentiores aliqui eamdem opinionem ſubtili conſideratione, quam adhuc multipliciter vrgere placet, nequid difficultatis diſsimulare videar. Si eſſentia diſtingueretur realiter ab exiſtentia, maximè quia hæc convenit ipſi contingenter, vt plerique Thomiſtarum aſſumunt. At hæc ratio non probat. Ergo nulla. Suadetur minor: Quia plura ſunt quæ conveniunt naturæ contingenter, & tamen ab eâ extra cauſas poſita minimè diſtinguuntur. Differentia enim ſpecifica convenit contingenter generi, ſicut & numerica ſpeciei; ita vt hæ prædicationes ſint contingentes, & quinti prædicabilis, *Animal eſt rationale, Homo eſt Petrus*. Et tamen rationale non diſtinguitur realiter ab animali poſito in rerum naturâ, ſicut nec Petrus ab homine. *Rurſus*, ipſi eſſentiæ ſecundùm ſe conſideratæ contingenter convenit illa entitas poſitiva, quam iuxta ſententiam oppoſitam habet pro priori naturæ ad exiſtentiam ſuperadditam. Et tamen eſſentia ſecundùm ſe non diſtinguitur realiter ab illa entitate poſitiva, & præveniente ſuperadditam exiſtentiam. *Denique*: Exiſtentiæ ſecundùm ſe convenit contingenter exercitium actuale exiſtendi extra cauſas. Et tamen exiſtentia ſecundùm ſe non diſtinguitur realiter ab ipſo exercitio exiſtendi, ſeu ab eadem exiſtentia extra cauſas poſita. Ergo ſtat optimè aliquid convenire contingenter naturæ ſecundùm ſe, & tamen ab illa extra cauſas poſita realiter non diſtingui. Corruit ergo potiſsimum fundamentum ſententiæ noſtræ, eo diſcurſu nitentis.

35 CONFIRMATVR. Modus exiſtentiæ, à nobis ipſis ſuperadditus, etiam habet eſſentiam propriam, & prædicata eſſentialia, diſtincta à prædicatis eſſentialibus ſubiecti exiſtentis. Et tamen eſſentia illa exiſtentiæ, vbi ponitur extra cauſas, exiſtit immediatè per ſe ipſam, & non per alium modum ſuperadditum. Alioqui de illo modo fieret idem argumentum, dareturque proceſſus in infinitum. Ergo pariter eſſentia ſubiecti exiſtentis, vbi ponitur extra cauſas, exiſtet immediatè per ſe ipſam, & non per modum aliquem ſuperadditum. DICES I. Eſſe diſparem rationem vtriuſque: Quia exiſtentia eſſentialiter, & *vt quo*, eſt ipſa formalis ratio exiſtendi; ac proinde poſita extra cauſas non indiget alio modo vel realitate ſuperaddita, vt in exercitio exiſtat. Sic vnio, quia eſt ipſa ratio formalis vniendi, & relatio referendi, & albedo dealbandi, non indiget alia realitate ſuperaddita vt in exercitio vniatur, referatur, & ſit diſgregativa viſus; quamquam ſubiectum ipſarum, ad hæc omnia in exercitio habenda, indigeat realitate vnionis, relationis, & albedinis ſuperaddita. Ergo pariter, ex eo quod exiſtentia, quæ eſt ipſa ratio formalis exiſtendi, poſsit in exercitio exiſtere abſque realitate, modove ſuperaddito, neutiquam infertur eſſentiam, quæ eſt ipſius ſubiectum, poſſe abſque realitate modove ſuperaddito exiſtere. SED contrà. Argumentum enim contendit ipſam eſſentiam in rerum natura poſitam, eſſe rationem formalem exiſtendi, non minùs, quam ſit ille modus ſuperadditus ab Adverſarijs: ac proinde in ſolutione videtur eſſe egregia petitio principij. Quare inſtauratur aſſumptum. Modus ille ſuperadditus, iuxta nos habet ſua prædicata eſſentialia ab æterno, eodem modo, atque in eodem ſenſu, atque eſſentia hominis v. g. Tam veræ enim & neceſſariæ ſunt prædicationes, in quibus enuntiantur prædicata eſſentialia de illo modo, ac de natura hominis: vtræque enim ſunt ſempiternæ veritatis. Rurſus, tam indifferens eſt ille modus ſecundum ſe, vt producatur & exiſtat in exercitio, quam eſſentia hominis. Ergo ſi non obſtanti illa indifferentia prædicatorum eſſentialium ab æterno ad exiſtendum in exercitio, vel non exiſtendum, adhuc modus ille dicitur eſſe ratio formalis exiſtendi; etiam eſſentia hominis, non obſtanti indifferentia prædicatorum eſſentialium ad exiſtendum, vel non exiſtendum, erit ſimiliter & æqualiter ratio formalis exiſtendi. Ergo aut vtrumque, aut neutrum, exiſtet per realitatem modumve ſuperadditum. DICES II. Longè aliam eſſe indifferentiam prædicatorum eſſentialium illius modi, atque eſſentiæ humanæ ad exiſtendum vel non exiſtendum. Eſſentia enim humana eſt indifferens ad exiſtendum, vel non exiſtendum, per modum ſubiecti, ſeu potentiæ paſsivæ, cui communicari poteſt exiſtentia. Modus autem ille

eſt

eſt indifferens ad exercitiũ actuale exiſtendi, & negationem illius, tamquam ratio formalis, qua ſubiectum exiſtit. Ergo licet modus ille poſitus in rerum naturâ exiſtat immediatè per ſeipſum, eſſentia tamen hominis v. g. quæ eſt illius ſubiectum, non exiſtet abſque modo intrinſecè ſuperaddito. Sic, & ob eamdem rationem, in relatis exemplis, licèt tam vnio relatio, & albedo, quàm ipſarum ſubiectum, ſint indifferentia ab æterno ad habendum exercitium in tempore, vel non habendum; adhuc illud exequuntur ſeipſis immediatè; cùm tamen ſubiectum non, niſi ijs mediantibus, vniatur, referatur, & diſgreget viſum. *SED Contrà.* Semper enim obiectio inſtat, & probat, nullam eſſe rationem, cur potiùs eſſentia hominis, quàm eſſentia exiſtentiæ, ſit ſubiectum, & non ratio formalis exiſtendi. Sicut enim in ſtatu ſecundùm ſe vtraque eſſentia eſt indifferens ad exercitium exiſtendi, & carentiam ipſius; ita in ſtatu productionis vtraque determinatè ac neceſſariò exiſtit. Ergo nullum eſt fundamentum vt vna potius, quàm alia aſſeratur indifferens, aut determinata per modum ſubiecti, aut rationis formalis ad exercitium exiſtendi. Ergo aut vtraque, aut neutra in ſtatu productionis immediatè per ſe ipſam exiſtit. In relatis autem inſtantijs diverſa ratio eſt: Nam cum eſſentia hominis ſit res ſimpliciter, nequit eſſe modus vnionis; cùm ſit abſoluta, nequit eſſe relatio; cùm ſit ſubſtantia, nequit eſſe albedo, vel aliud accidens; ſed tantùm poteſt eſſe ſubiectum vnionis, relationis, atque albedinis. Exiſtentia autem nihil habet, quod nequeat eſſentiæ hominis per identitatem convenire, aut tamquam rationi formali exiſtendi, vt præiacto argumento ſuadetur. Ergo eſſentia hominis per ſeipſam poteſt eſſe ratio formalis exiſtendi.

36 *RESP.* Argumento præcipuo ex dictis progreſſu diſputationis, longe aliter convenire rationale animali, quam exiſtentiam eſſentiæ. Nam, vt docet D. Thomas *Quodlibet.* 2. *artic.* 4. *ad* 1. rationale advenit animali tamquam intrinſecum determinativum alicuius principij eſſentialis; idemque eſt de differentia individuali reſpectu ſpeciei. Quare non oportet, quòd realiter diſtinguantur. At verò exiſtentia non convenit eſſentiæ creatæ tamquam intrinſecum determinativum alicuius principij eſſentialis; ſed veluti quid adiunctum ab extrinſeco agente. Adhibetque Sanct. Doctor exemplum in albedine, quæ advenit ſubiecto, veluti quid extraneum, ſive non exactum ab intrinſeco. In quo ſolùm eſt paritas vtriuſque. Nam alioqui exiſtentia eſt modus entitativè ſubſtantialis, cùm tamen albedo ſit accidens phyſicum. *AD II. Inſtantiam*, quæ ſpecialior & vrgentior eſt, reſpondetur, illam entitatem eſſentiæ, quæ pro aliquo priori naturæ antecedit exiſtentiam ſuperadditam, eſſe eſſentiam ipſam, ſeu prædicata eſſentialia, non iam in ſtatu poſſibilitatis, vt antea, neque in ſtatu ſecundùm ſe, ſed in via proxima ad exiſtentiam. Et licèt tam ille ſtatus vialis, quam entitas poſitiva, quatenus ſub eo poſita, conveniat eſſentiæ ſecundùm ſe conſideratæ, ſolùm accidentaliter logicè; convenit tamen ipſi tamquam intrinſecum & immediatum determinativum prædicatorum eſſentialium proportionali modo ac differentia individualis convenit ſpeciei: ac proinde ab eſſentia pure poſſibili diſtinguitur realiter negativè, tamquam ens à non ente; ab eſſentia autem ſecundùm ſe conſiderata, & ſpecificative exiſtente in rerum naturâ, veluti eſſentia in individuo recipiens ſingularem exiſtentiam ab eſſentia præcisà obiectivè ab individuis.

37 *AD III. Inſtantiam* eiuſque Confirmationem, & plura alia in oppoſitum adducta, patet ex ſolutionibus ibidem datis. AD Vltimam illarum impugnationem conſtat ex ijs, quæ ibidem interiecimus, ſpecialem rationem eſſe in eſſentia præ exiſtentia, vt prior ſit indifferens ad exiſtendum per modum ſubiecti; poſterior verò per modum rationis formalis. Quod patet ab inſtantiâ eſſentiæ comparatæ cum ſubſiſtentiâ, etiam in opinione Adverſariorum. Eſſentia enim ſecundùm ſe indifferens eſt ad ſubſiſtendum exercitè, & extra cauſas, per modum ſubiecti, cui ſubſiſtentia exercita realiter ſuperadditur, tamquam actus potentiæ paſſivæ; ſubſiſtentia autem eſt indifferens ad exercitium actuale & phyſicum extra cauſas per modum rationis formalis. Ergo ſimiliter de eſſentia & exiſtentiâ dicendum. Ideo enim vel ipſi Adverſarij id de ſubſiſtentia docent, quia exiſtimant illam eſſe actum vltimum eſſentiæ ſubſtantialis, quæ nequit identificare actum vltimum, ſed ſolùm recipere. Cùm ergo in ſententia Div. Thomæ, ac noſtra, actus vltimus cuiuslibet eſſentiæ ſit exiſtentia, conſequens eſt, vt nequeat illam identificare, ſed ſolùm recipere

per modum potentiæ paſsivæ.

38 *PROBANT V.* Argumento ſingulari, quo everti videtur vna ex potiſsimis rationibus noſtræ ſententiæ. Si enim eſſentia creata deberet diſtingui realiter ab exiſtentia, maximè quia hæc eſt actus vltimus, & nulla eſſentia creata poteſt identificare ſuum actum vltimum de lineà eſſendi, ſicut nec de lineà operandi; quoniam hoc proprium eſt eſſentiæ divinæ, & actùs puri. Atqui falſum eſt quod exiſtentia relatè ad eſſentiam ſit actus vltimus, ſed hoc tantùm convenit ſubſiſtentiæ. Ergo ex falſo fundamento probatur eſſentiam creatam diſtingui realiter ab exiſtentia. *P*robatur minor. Etenim comparando exiſtentiam & ſubſiſtentiam inter ſe, exiſtentia correſpondet gradui primo atque vniverſaliſsimo entis; ſubſiſtentia autem gradui ſecundo & minùs vniverſali ſubſtantiæ. Sicut enim proprius actus entis eſt exiſtere, ita actus proprius ſubſtantiæ eſt ſubſiſtere. Ergo cùm ordine intellectus ſint priores gradus vniverſaliores, quàm minùs vniverſales, ſicùt & actualitates, proprietateſque & operationes graduum vniverſalium, quàm particularium; ita etiam prior debet eſſe actus exiſtentiæ, quàm ſubſiſtentiæ. Idque ſatis videtur indicare D. Thomas 1. *p. quæſt.* 8. *art.* 1. illis verbis: *Eſſe autem eſt illud, quod eſt magis intimum cuilibet, & quod profundiùs omnibus ineſt; cùm ſit formale reſpectu omnium, quæ in re ſunt.* Si autem exiſtentia non eſſet actus immediatus & proximus eſſentiæ ſubſtantiali, ſed tantùm vltimus, exiſtentia non eſſet intimior actus eſſentiæ, nec profundiùs eidem conveniens. totum enim id potiùs conveniret ſubſiſtentiæ, tamquā actui proximiori & immediatiori.

39 *HVIC* Argumento reſpondeant quotquot ex Thomiſtis volunt ſubſiſtentiam eſſe actum diſtinctum ab exiſtentia ſubſtantiæ, & comparari ad illam tamquam actum intermedium ad vltimum. quæ opinio videtur eo argumento efficaciſsimè deturbari. Contra me verò nullam vim habet, cùm aſſeram inter exiſtētiam ſubſtantiæ, ipſiuſque ſubſiſtentiam, non intervenire diſtinctionē realē; ſed ſubſiſtentiam ſolùm addere novam ac determinatā expreſsionē perſeitatis in exiſtendo ad rationē communem exiſtentiæ, ſicut ſubſtātia ſolùm addit modum per ſe ad rationem cōmunem entis. Itaque mea opinione quā expreſſam iudico SS. Patrū, & D. Thomæ, vt proprio loco oſtendam, tam ſubſiſtentia, quàm exiſtētia, eſt actus vltimus eſſentiæ in re, ac propterea neutra identificari poteſt cum eſſentia creata. Id tamen prætermittendum non eſt, adhuc poſita opinione contraria plurium Thomiſtarū, Adverſarios non poſſe vniverſim eo argumēto ſuam ſtabilire ſententiā: quia ſaltem reſpectu eſſentiæ accidentalis nulla datur ſubſiſtentia, quæ propria ſubſtantiarum eſt; ac proinde reſpectu illius ſola exiſtentia habet rationem vltimi actus. Ergo ſaltem exiſtentia accidentium diſtinguetur realiter ab ipſorum eſſentià. Verùm de ijs latiùs, & ex profeſſo, in Metaphyſicà diſputo.

40 *INSTABIS.* Eſto exiſtentia ſit actus vltimus eſſentiæ, indiſtinctus à ſubſiſtentia, ex identitate eſſentiæ cum illo, nō infertur eſſentiam aut exiſtentiam fore actum purum. Ergo ex illo principio neutiquam infertur præcipuum abſurdum illatum ab opinione contraria. Probatur antecedēs multipliciter. *Primò* ab Inſtātia vnionis in facto eſſe, quę iuxta pleroſq; Thomiſtarū idētificatur realiter cum eſſentià materiæ & formæ, quāquam ſit actus ſecundus & vltimus vtriuſq; in ratione vnibilium. Et tamen inde non ſequitur eſſentiam materiæ aut formæ eſſe actū purum. Ergo pariter, dato quòd exiſtentia ſit actus vltimus, & idētificetur cū eſſentia materiæ ac formæ, non infertur vtramq; fore actum purū. *Secundò* probatur idem antecedēs. Nam eſto eſſentia creata idētificando actum vltimum exiſtentiæ, non poſſet iam aliquid vlteriùs recipere ſub munere exiſtētiæ; adhuc tamen ſub munere eſſentiæ realiter indiſtincto poſſet recipere proprietates, & accidentia, ac proinde limitari per illorum receptionem; quod manifeſtè opponitur actui puro. Aſſumptum probatur: Quia recipere ſecundum vnam rationem formalem, & non ſecundùm aliam, poteſt cōvenire eidem entitati virtualiter multiplici; ſicut & fundare duo quaſi contradictoria. Etenim in ipſa exiſtentia creata deprehenditur, ſecundùm quòd creata eſt, informare eſſentiam, iuxta nos; non tamen ſecundùm quòd exiſtentia eſt. alioqui exiſtentia creata humanitatis Chriſti neutiquam ſuppleretur à Verbo, ſi ex formali conceptu exiſtentiæ exprimeret informationem. Et tamen exiſtentia creata humanitatis in quantùm creata, non diſtinguitur realiter à ſeipsà in quantùm exiſtentia eſt. Ergo poteſt eadem realiter exiſtentia ſecundùm diverſas rationes informare & non informare, ac proinde, licèt realiter cum eſſentia identificetur, poterit ſecundùm diverſàs conſide-

ſide-

conſiderationes recipere, & non recipere. Imò poſſet repugnare ipſi receptio ſub munere exiſtentiæ, & convenire ſub eſſentiæ munere, quamquam vtraque realiter idẽtificetur. Etenim talpæ ſecundum rationẽ genericam animalis convenit viſus; ſeu exigentia ad illum; & tamen eidem ſecundum differentiam ſpecificã repugnat viſus; cùm tamen differentia ſpecifica & ratio generica animalis reipſa idem ſint. Similiter & actus odij Dei ſecundùm rationem genericam actus humani exigit rectitudinẽ moralem, quæ tamen ipſi repugnat conſiderato, ſecundum differentiam ſpecificam. Nihil ergo abſurdi eſt, in eo, quod eſſentia idemtificet actum vltimùm exiſtentiæ, neque inde infertur habituram rationẽ actus puri: Quia ſi eſſentia ſit incompleta in genere ſubſtantiæ, vt in materia & forma, materia licèt idemtificet exiſtentiam, adhuc limitabitur per receptionem formæ; & forma, tam per informationem materiæ, quàm per receptionem proprietatum & accidentium ſub munere eſſentiæ. Idemq́; demum erit ſi forma ſubſtantialis ſit completa, & per ſe ſubſiſtens, vt in Angelo; licèt enim ſub formali munere exiſtentiæ, nec recipiatur, nec recipiat aliquid aliud adhuc ſub munere eſſentiæ, vel naturæ, poterit recipere intellectum & voluntatem actuſq́ue vtriuſque potentiæ, ac proinde limitari; quod opponitur actui puro.

41 *RESPOND.* Negando antecedens: nam vt ſatis ſuperque oſtenſum eſt *ſect.* 2. eſſentia idemtificans actum vltimum caret omni limitativo, ac proinde eſt actus purus. Neque oppoſitum evincit prima probatio à paritate vnionis: nam prætermiſſa incertitudine illius opinionis, de quà modò non diſputo, ... aperta vtriuſq́; diſparitas. Vnio enim materiæ & formæ inter ſe ex propria ratione formali importat imperfectionem, cùm ſit informatio & receptio: ac proinde nec materia, nec forma, ex eo, quod idemtificent talem vnionem, evehuntur ad rationem actus puri; imò potius exinde magis accedunt ad ſuũ limitativum, magiſq́ue imperfectionem ſuã explicant. At enim verò actus vltimus exiſtẽtiæ ex ſua ratione formali nullam importat imperfectionem, ſed potiùs perfectionem ſimpliciter ſimplicẽ, quia ex terminis melius eſt exiſtere quam non exiſtere; ac proinde idẽtificare eiuſmodi actum ſolùm poteſt convenire illi eſſentiæ, quæ omni limitativo caret. Inſtantia ſit in operatione, ſive actione, quæ ob eamdem cauſam nequit idemtificari cũ eſſentia alicuius agentis, niſi illa careat omni limitativo, & ſit actus purus. *AD II. Probationem*, quidquid ſit de capacitate eiuſdem entitatis multiplicis virtualiter ad fundandum duo quaſi cotradictoria, in quo non vna omnium ſententia eſt, neq́; modò immorari oportet; *Reſpondeo* eſſentiam, eo ipſo quod idemtificet actum vltimum exiſtentiæ, ſicut & operationis, manere incapacem limitationis ſub quacũque formalitate, & expreſsione; atq́; nullum in ea locum eſſe vt aliquid recipiat ſive ſubſtantiale, ſive accidentale. Quod etiã Adverſarij dicere tenentur, non ſolùm de eſſentia, idemtificante ſuam operationẽ ſed etiam propriam ſubſiſtentiam, quam actum vltimum ſubſtantialis eſſentiæ vocant. Eſt enim implicatio in adiecto, quòd eſſentia illimitata in ratione entis, vel ſubſtantiæ, in ordine ad accidentia; vel quidquam aliud, limitari poſsit.

DISPVTATIO VNDECIMA:

DE PRIVATIONE.

Vtrùm ſit in rerum naturà privatio diſtincta à formâ, & ab omni ente poſitivo? Vbi etiam de negatione, & carentià vniverſim.

Num. 1. HÆC *Diſputatio, quæ aliquibus forſan apparebit facilis reſolutu, cùm tamen difficilima ſit, habet locum* lib. 1. Phyſic. cap. 8. text. 75. & cap. 9. *cui epigraphe eſt:* In quem errorem Antiqui inciderint ex ignoratione privationis; & eius diſſolutio. *Ibi enim paulò poſt initium capitis ſtatuitur, privationem eſſe quid diverſum à materia; & hanc quidem eſſe non ens ſolùm*

per accidens; privationem verò eſſe per ſe non ens. Quo planè Ariſtoteles videtur privationem ſtatuere diſtinctam ab omni ente poſitivo, quia id, quod per ſe eſt non ens, nequit identificari cum ente. Plura item alia ſubdit in confirmationem eiuſdem ſententiæ, cuius veritatem, falſitatemve, examinare volumus.

2 COMMVNITER *Authores dividunt non ens in privativum & negativum, ſeu in privationem & negationem. Privatio ex doctrina Philoſophi libro Cathegoriarum,* cap. de Oppoſitis, *exponi ſolet per carentiam formæ in ſubiecto apto nato ad illam habendam. Vnde inquit* textu 12. *νωδὸν τε γὰρ λέγομεν, οὐ τὸ μὴ ἔχον ὀδόντας· καὶ τυφλὸν, οὐ τὸ μὴ ἔχον ὄψιν· ἀλλὰ τὸ μὴ ἔχον ὅτε πέφυκεν ἔχειν.* Edentulum enim dicimus, non quod non habet dentes: & cæcum, non quod non habet viſum: ſed quod non habet, quando natum eſt habere. *Hinc fit vt de ſubiectis ineptis ad aliquam formam habendam, nec poſsit prædicari forma, nec ipſius privatio. Quare de lapide, nec dici poteſt, videntem eſſe, nec cæcum. Negatio autem exponi ſolet per carẽtiam formæ indebitæ ſubiecto: vt non eſſe viſus in lapide, & irrationalitas in equo.*

3 ET *Ne in æquivoco laborare videamur, notandum eſt, non eſſe, ſive carentiam, quæ eſt ratio quaſi generica ad privationem & negationem, eſſe triplicem. Primam appellare poſſumus* intentionalem, *quæ conſiſtit in actu intellectus prædicantis carẽtiam alicuius formæ de ſubiecto, vt quando dicimus:* In Petro eſt carentia viſus; *ſive,* Petrus eſt cæcus; *aut,* Equus eſt irrationalis. *Et ſub hac conſideratione non eſt dubium quin ſit ens reale; ſicut neque dubium eſt quin actus intellectus ſit vera entitas. Secunda carentia eſt,* virtualis, *conſiſtitque in entitate poſitiva, quæ infert carentiam ſeu abſentiam, vel negationem alterius. Hac ratione non ſolùm vna qualitas cõtraria eſt virtualis carentia alterius, quam expellit à ſubiecto: ſed etiã qualibet entitas finita & creata eſt virtualis carentia alterius, quia coarctatur intra ſe ipſam, vt careat identitate cum omni alia, quæ non eſt ipſa. Tertia denique carentia eſt* formalis, *& conſiſtens in ipſo nõ eſſe ex parte rei, ſive obiecti. Et de hac diſquirimus an detur in rerum natura, vel ſit aliquid poſitivè, negativè, privativè, aut abuſivè, independenter ab omni fictione intellectus? Seu, alijs terminis, an ſit aliquid in rerum natura diſtinctum ab omni ente poſitivo? Sanè qui circa hanc difficultatem non exeruerint ingenij vires, putabunt levem, aut nullam eſſe. Ex progreſſu autem apparebit, quàm ſubtilibus, & penè inextricabilibus, nodis irretita ſit.*

SECTIO PRIMA.

Reiectâ ſententiâ Platonicorum ex mente Ariſtotelis, refertur & multipliciter ac noviter fulcitur alia docens carentias eſſe quid indiſtinctum ab ente poſitivo.

4 PLATONICI, Quos coarguit Ariſtoteles *hoc l. 1. Phyſic. cap. 9.* à principio, exiſtimabant privationem eſſe indiſtinctam à materia. Cùm vero aliunde ex doctrinâ Parmenidis aſſumerẽt omne quod eſt præter ens, eſſe non ens; & materiam quidem eſſe præter ens, quia non eſt ens actu; inferebant, materiam ſimpliciter eſſe non ens. Aſſumebant præterea, quæcumque ſunt vnum ſubiecto, idem eſſe ſecundùm eſſentiam. Tum ſic. Materia & privatio ſunt vnum ſubiecto. Ergo materia & privatio ſunt vnum ſecundùm eſſentiam. Itaque ij, ita aſſerebant privationem eſſe idem reipsà cum materià, vt tamen nullo pacto eſſet ens poſitivum; ſiquidem ipſorum iudicio, nec materia erat poſitivum ens.

5 *HANC* Opinionem, ſeu potiùs errorem Antiquorum improbat Ariſtoteles, & reijcit duplici conſideratione. *Prior eſt*: Quoniam materia recipit formã, eamque in ſinu ſuo fovet, veluti matrix ſemen ad gignendam prolem: ac propterea coexiſtit realiter formæ. Sed privatio formæ nec recipit formam, nec eam ſinu ſuo fovet, nec coexiſtit realiter formæ: ſiquidem eſt cum ipſa incompoſsibilis, vt idem ſubiectum eſſe ſimul videns & cæcum. Ergo privatio formæ non eſt idem realiter cum materià. *Poſterior* diſcurſus Philoſophi eſt huiuſmodi. Si privatio eſſet idem cum materia, appeteret propriam deſtructionem: quod abſurdum eſſe patet. Sequelam probat. Cùm enim forma ſit quiddam pulchrũ ac divinum, eſt etiam maximè appetibilis & deſiderabilis; non quidem à ſeipsà, quia nihil poteſt deſiderare ſeipſum; ſed à materia. Modò ſic. Eo ipſo quòd privatio ſit idem realiter cum materià, ſicut hæc appetit formam, ita & privatio illam appetere debet. At eo ipſo privatio appetet propriã deſtructionẽ, cùm deſtruatur per formam. Ergo eo ipſo quod privatio ſit idem cũ materia, appetet deſtructionem propriam. Cùm ergo hoc planè abſurdum ſit; evidens eſt, privationem non eſſe idem reipsà cum ſubiecto ſive materià.

6 *QVARE* Opinio illa Veterum iam omnino exolevit, & profligata eſt ab Ari-

Ariſtotelē, prout aſſerebat privationem eſſe idem cum materiâ. Nam alioqui materiam ipſam eſſe aliquod ens poſitivum, & ſubſtantiale in rerum natura exiſtens, quod iidem Platonici negabant, non modo aſſerit Ariſtoteles eodem loco, ſed etiā ſupra *diſput.* 3. ſtabilitum eſt. Quare modò examinandum eſt, quod præcipuè diſquirimus in præſenti: an, ſcilicet, privatio, ſicut a materiâ, ita etiam ab omni ente poſitivo diſtinguatur: idemque de negatione & carentijs vniverſim loquendo quærimus.

7 *PRIMA* Sententia quorumdam docet privationes & negationes non eſſe diſtinctas ab omni ente poſitivo, quia in ſeipſis aliquid poſitivè ſunt. Quod multipliciter ab iiſdem Authoribus explicatur. Quidam enim Veterum aſſerebant privationes & negationes eſſe quaſdam formas reales ſuperadditas ſubiecto, & ab ipſo diſtinctas, quas nonnulli ipſorum qualitates dicere videbantur. Cæterùm Sfortia Pallavicinus in ſuis Aſſertionibus Theologicis *lib.* 5 *num.* 182. ita docet illas eſſe entia poſitiva, vt tamen qualitates non ſint, ſed relationes quædam inhærentes ſubiecto, & excludentes id, cuius privationes, aut negationes ſunt, & reſpicientes tamquam terminum id, a quo ſubiectum vltimo determinatur ad carendum eo prædicato, ſive forma exclusà. quod determinativum plerumque eſt decretum divinum. Quamquam idem Author poſtea 1.2. *diſp.* 3. *q.* 2. *art.* 2. videatur paulo aliter locutus. Alij è contrà apud *P.* Quiros *diſput.* 46. *à num.* 3. volunt illas in nullo diſtingui ab ipſo ente poſitivo, cuius privationes & negationes ſunt, & tranſire per identitatem de non eſſe ad eſſe. Ipſe vero *à num.* 13. cenſet, multiſque probare conatur, carentias non eſſe quid cathegorematicè diſtinctum ab omni ente poſitivo; ſed ſyncathegorematicè ſolùm. Plures alios modos defendendi eam opinionem refert M. Lynce, loco interiùs indicando. Demumque eamdem noviter tuentur & illuſtrant Antonius Perez apud Pallavicinum, Moncæus *diſput.* 1. *ſelect. cap.* 3. Izquierdo *diſput.* 9. *Phari q.* 3 *num.* 34. doctiſsimus Academiæ Complutenſis Anteceſſor *P.* Gaſpar Ribadeneira *diſp.* 6. *de Scientia Dei, num.* 6. Eamque ſupponit Eſparza *lib.* 3. *de Actibus human. q.* 29. *art.* 3. *&* 10.

8 *PROBATVR I.* Sententia hæc, quatenus abſolute aſſerit, carentias aliquid poſitivum eſſe. Etenim in ſacris litteris ita de carentijs ſermo eſt, ac ſi aliquid poſitivum ſint. *Primò* enim initio Geneſeos dicitur: *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſsi.* Quo planè indicatur, tenebras tunc habuiſſe veram exiſtentiam, ac proinde veram entitatem. Et tamen tenebræ inter carentias cenſentur. *Præterea* eædem in hymno trium puerorum invitantur ad laudes Dei illis verbis: *Benedicite lux & tenebræ Domino.* Fruſtrà autem invitarentur ad laudes Dei, ſi ab illo non accepiſſent aliquam perfectionem & entitatem: quia quod divinā perfectionem nullo modo participat, ineptum omnino eſt, ſive ad accinendas, ſive ad excitandas Numinis laudes. *Secundò*: Quoniam peccatum habituale iuxta ſententiā valde receptam conſiſtit in carentiâ, ſeu privatione voluntaria gratiæ, quæ eſt & dicitur macula. At in ſacris litteris de peccato habituali, ſeu maculâ, ſermo eſt ac de ente poſitivo. Dicitur enim Ioſue cap. 22. v. 13. *Peccaſtis in Beelphegor, & vſque in præſentē diem macula huius ſceleris in vobis permanet.* Permanere autē in peccatore maculam alicuius ſceleris, denotat in ipſa entitatem aliquam, quia quod nullam entitatem habet nullam poteſt habere permanētiam. Et in Tridentino *ſeſſ.* 5. decreto de peccato originali, dicitur illud fuiſſe propagatione transfuſum, & ineſſe vnicuique ſuum peccatum originale proprium. Transfundi autem generatione, & ineſſe ſubiecto, nequit convenire, niſi enti poſitivo. Et tamen originale peccatum conſiſtit de formali in privatione, ſeu carentiâ gratiæ, vel iuſtitiæ originalis. Ergo carentia ſeu privatio gratiæ eſt ens poſitivum.

9 *CONFIRMATVR* Probatio hæc. Privatio enim, ſeu carentia gratiæ conſtituens peccatum habituale, ante omnem fictionem intellectus exiſtit in anima. Ergo eſt ens reale ac poſitivum. Conſequentia patet ex definitione entis realis. Antecedens verò ſuadetur: Tum quia privatio illa ante omnem fictionem intellectus conſtituit hominem peccatorem, exoſum, & inimicum Deo; qui omnes ſunt effectus reales; ac proinde a forma reali procedere debent: Tum etiam, quia privatio illa ante omnem fictionem intellectus movet Deum ad infligendam homini pœnam poſitivam æterni cruciatus. Intelligibile autem non eſt, Deum moveri a puro nihilo, ſeu non ente, ad infligendam pœnam, quæ ſit verum ac poſitivum ens. Si autem reſpondeas, Deum non a peccato habituali, ſed ab actuali moveri ad infligendam pœnam poſitivam; non effugis difficultatem argumenti: Quoniam etiam probabile eſt, &

& longè veriùs, actuale peccatum commiſſionis pro formali conſiſtere in privatione rectitudinis debitæ actui, quam in entitate ipſius actus vt dicente ordinem ad obiectū diſſonum legi. Et de peccato actuali omiſſionis ſententia omnium eſt, illud eſſentialiter conſiſtere in privatione, ſeu carentiâ actus præcepti. Modo ſic. Privatio illa, ſeu carentia conſtituens peccatum actuale cō-miſsionis & omiſsionis, ante omnem intellectus fictionem odio habetur à Deo, ipſumque movet ad infligendam pœnam poſitivam, & eſt cauſa ipſius pœnæ realiter ac verè. Ergo privatio illa eſt aliquod ens poſitivum ac reale.

10 *CONFIRM. II.* Ex Ariſtotele *hoc lib. 1. Phyſic. textu* 80. vbi privationem appellat maleficam. Id autem quod maleficum eſt, proculdubio aliquam vim nocendi habet, & per conſequens aliquam entitatem, à qua procedat maleficium, ſicut effectus à cauſa. Huc etiā ſpectat quod in ore omnium verſatur, privationem eſſe cauſam appetitus. Nequit autem privatio eſſe cauſa appetitus, niſi tribuat appetitui realem exiſtentiam; nec exiſtentiam alteri tribuere, quod illam in ſe non habet. Denique idem Philoſophus 3. de Animâ cap. 2. paulò poſt initiū ait: Καὶ γὰρ ὅταν μὴ ὁρῶμεν, τῇ ὄψει κρίνομεν καὶ τὸ σκότος, καὶ τὸ φῶς. *Etenim quando non videmus, tenebras & lumen viſu diſcernimus.* Nequit autem viſu diſcerni id, quod non cadit ſub obiecto viſus. Nequit autem cadere ſub obiecto viſus, quod reale & poſitivum non eſt. Ergo ſi viſus diſcernit tenebras à luce, tenebræ ſunt quid poſitivum & reale. Et tamen tenebræ ſunt privatio. Igitur de primo ad vltimum privatio eſt quid reale poſitivum.

11 *PROBATVR II.* Carentia enim identitatis non diſtinguitur ab ente poſitivo. Exempli gratia, Socratem non eſſe Platonem, hominem non eſſe equum, neutiquam conſiſtit in aliquâ negatione formali ſuperadditâ, ſed in ſolâ entitate Socratis, & hominis. Ergo idem etiam dicendum de qualibet carentia, ſive privativa, ſive negativâ; cùm omnium eadem ratio ſit. Probatur antecedens multipliciter. *Primò.* Quia Socrates ſeipſo diſtinguitur à Platone, & homo per ſuam entitatem poſitivam differt ab equo. Per id enim diſtinguitur, ſeu caret identitate cū alio, per quod conſtituitur vnus in ſe. Socrates autem, ſicut & homo, conſtituitur numericè & ſpecificè vnus per ſuam entitatem poſitivam. Ergo ſeipſo, ſeu entitate ſua poſitivâ diſtinguitur, ſeu caret identitate cum omni alio: ac proinde carentia identitatis non eſt aliqua negatio formalis ſuperaddita poſitivo enti. *Secundò* probatur antecedens. Poſita in homine rationalitate & ablato omni alio reſultante ex illâ, ſeu poſitivo, ſeu negativo, repugnat homini eſſe equū, & habere identitatem cum equo. Ergo carentia identitatis non eſt quid diſtinctū, aut ſuperadditū poſitivo enti. *Tertiò.* Vnaquæque carentia ſeipſa, & independenter ab alio ſuperaddito, caret identitate cum omni alia carentia. Etenim carentia *Petri* ſeipſa, & non per aliam carentiam ſuperadditam, eſt diſtincta à carentiâ *Pauli*: & ſurditas ſeipſa diſtinguitur a cæcitate, abſque ope alterius ſuperadditæ privationis. Alias iretur in infinitum, quærendaque eſſet vlterior & vlterior carentia, privatiove additiria, ſi prior non ſufficeret ad diſtinguendum ſeipſam ab omni alia. Ergo pariter vnumquodque ens poſitivum ſeipſo, & non per aliquid ſuperadditum, caret identitate cum omni alio ente poſitivo. *Quartò.* Si carentia identitatis eſſet quid diſtinctum ab ente poſitivo, in quolibet ente eſſent de facto infinitæ actu carentiæ ſecundùm numerum: ſcilicet, eſſent in eo tot carentiæ actu, quot ſunt & eſſe poſſunt abſolute entia ab illo diſtincta; ac proinde totidē carentiæ actuales identitatis, quot eſſent omnia entia, ſi per poſsibile, aut impoſsibile ponerentur ſimul. At manifeſtum eſt omnia entia, ſi per poſsibile, aut impoſsibile ponerentur ſimul, fore numero actu infinita. Ergo & carentiæ actuales identitatis cum quolibet alio ente, nunc de facto in hoc ente, Petro v.g. ſunt infinitæ in actu ſecundùm numerum. Eodemque iure inferri poteſt, fore in quolibet ſubiecto infinitas actu privationes formarum, quas poteſt recipere, & actu non habet. *Petrus* enim poteſt recipere, & actu non recipit infinitas qualitates poſsibiles intra ordinem naturalem. Etenim Omnipotētia divina ex infinitis qualitatibus abſolutè poſsibilibus, poteſt quamlibet illarum diviſivè ſaltim, ponere in *Petro*: ac proinde in eo erunt actu totidem privationes & infinitæ formarum, quibus privatus eſt. Non minus autem repugnat infinitum in actu privationum, & quarumlibet carentiarum ſecundum numerum, quam entium poſitivorum, vt conſtabit facilè ex pendenti argumenta impugnantia poſsibilitatem numeri actu infiniti. Ergo ne id abſurdum ſequatur, dicendum eſt, tùm privationes, tum carentias, ſive identitatis,

ſi-

ſive cuiuslibet perfectionis, non eſſe quid diſtinctum ab ente poſitivo.

12 *VRGETVR* Adhuc eadem quarta antecedentis præcipui probatio. Si enim carentia Antichriſti v. g. aut identitatis cum Antichriſto, eſt quid enti poſitivo ſuperadditum; aut multiplicatur iuxta numerum omnium entium ab Antichriſto diſtinctorum, tam exiſtentium, quàm poſſibilium; aut non multiplicatur, ſed eſt vna numero. Si primum dicatur, cùm illa carentia actu ſit, multiplicata erit modò in infinitum, iuxta numerum conſurgentem ex poſsibilibus & exiſtentibus creaturis. Si autem aſſeratur ſecundum; planè ſequitur eamdem numero carentiam Antichriſti eſſe Romæ ac Salmanticæ, in cœlo, & in terra, ac denique vbique; & proinde immenſam. Vbicumque enim Antichriſtus non eſt, ibi carentia ipſius eſt: quia carentia Antichriſti eſt no eſſe ipſius. Sed Antichriſtus non eſt Romæ, aut Salmanticæ, non in cœlo aut terra, non in toto Vniverſo, aut aliquo loco, vt ſupponimus, quia nondum eſt, & prius eſt eſſe, quàm alicubi eſſe. Ergo eadem numero carentia Antichriſti erit & eſt ſimul in toto Vniverſo, & in omni loco: quod eſt aſſerere illam eſſe immenſam.

13 *PROBATVR III.* Opinio eadem. Tenebræ enim v.g. habent proprietates entis poſitivi. Ergo privatio & carentia ſunt entia poſitiva, ſeu indiſtincta ab ente poſitivo. Conſequentia patet: quia cui convenit paſsio ſeu proprietas entis poſitivi, nequit non convenire ipſius eſſentia. Antecedens probatur multipliciter. *Primò*: Quia tenebris convenit vnitas, & diſtinctio a qualibet alia carentia & privatione. Sunt enim carentia lucis, quæ vna eſt ſecundùm ſpeciem, & diſtincta à carentia ſoni, à carentia viſus, auditus, &c. At vnitas in ſe & diſtinctio à quolibet alio, eſt proprietas entis poſitivi. Ergo tenebris convenit proprietas entis poſitivi. *Secundò*: Quoniam tenebræ habent vim expulſivam lucis deſtructivamque, non minùs quàm lux ſuperveniens reſpectu tenebrarum. At vis expulſiva & deſtructiva alicuius, debet eſſe ens poſitivum, ſeu illius proprietas. *Tertiò*: Ideo lux habet proprietates entis poſitivi, quia non pendet a fictione intellectus vt ſit & expellat tenebras. At etiam tenebræ non pendent à fictione intellectus vt ſint & expellant lucem. Nocte enim obſcurà, & in cubili clauſo, revèra tenebroſus eſt aër, & expulſa lux, quæ antea erat. Ergo etiam tenebris convenit proprietas entis poſitivi.

14 *RESPONDEBIS*, Lucem eſſe ens poſitivum, quia ita ponitur à parte rei, & ſine fictione intellectus, vt afferat ſubiecto aliquem effectum formalem poſitivum, ſcilicet, eſſe lucidum: tenebras verò ita poni abſque fictione intellectus, vt ſubiecto minime afferant poſitivum aliquem effectum, ſed potiùs merum non eſſe lucis. *At Contrà*. Hoc enim eſt quod contenditur in argumento; nimirum; tenebras verè ſubiecto afferre aliquem effectum poſitivum, ſcilicet, eſſe tenebroſum, quia hic effectus independenter a fictione intellectus exiſtit, & excludit lucem. *Vlteriùs*. Ideo lux ens poſitivum cenſetur, quia verè cauſatur & cauſat. At tenebræ etiam cauſantur ex abſentia Solis, & cauſant expulſionem lucis. Hæc namque propoſitio eſt vera & cauſalis a priori, *Ideo aer eſt tenebroſus; quia Sol non lucet*: & ſimiliter hæc: *Ideo lux expellitur à cubili, quia tenebroſum eſt*. Ergo etiam tenebræ cenſeri debent ens poſitivum.

15 *CONFIRMATVR*. Præſente luce non eſt negatio lucis. Aliàs ſimul eſſet lux. Ergo præſente luce negatio lucis, verè eſt nihil: quia id quod non eſt, verè nihil eſt. Modò ſic. Ergo quando lux nō eſt præſens, illa negatio lucis, quæ nihil erat, tranſit in aliquid; ac proinde tenebræ aliquid poſitivè ſunt. Probatur prior pars conſequentiæ, in quâ eſt tota difficultas: Quia recedente luce, illa negatio lucis, quæ antea erat nihil, mutat omnino ſtatum à poſsibilitate ad exiſtentiam. At nequit mutare ſtatum à poſſibilitate ad exiſtentiam, niſi quod antea erat nihil, tranſeat in aliquid. Ergo recedente luce, illa negatio lucis, quæ antea erat nihil; tranſit in aliquid.

16 *CONFIRM. II.* Eadem lux ante ſui productionem erat nihil, ſeu mera carentia intra ſtatum poſsibilitatis, & poſt ſui productionē eſt aliquid poſitivè. Ergo iam negatio lucis tranſit per identitatem in ens poſitivum, ac proinde non diſtinguitur ab illo. Conſequentia videtur aperta: quia ſi eadem eſt lux in vtroque ſtatu, trāſibit per identitatem ab vno in aliū. Quod verò eadem ſit, vt aſſumitur in antecedenti, apparet manifeſtum: quia eadem creatura quæ antea erat poſsibilis, eſt quæ per productionem ſui ponitur exiſtens. Alioqui quod fit in tempore non fuiſſet poſsibile ante ipſum tempus, ſed aliquid ab ipſo diſtinctum; nec Antichriſtus quando exiſtet erit idem numero, qui modò ſolùm futurus eſt; nec denique eadem creatura tranſiret a ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum exiſtentiæ: quæ omnia quàm ſint abſurda, palam

cui-

cuique eſt. Ergo eadem carentia lucis, quæ ante ſui productionem erat nihil, poſtea tranſit in aliquid poſitivum.

17 *VLTIMO* Probari poteſt ex doctrina Ariſtotelis *hoc lib.* 1. paſsim docente, privationem eſſe principium entis naturalis. Quod ſanè percipi non poteſt, niſi privatio ipſa ſit aliquod ens poſitivum. Nam quod ens poſitivum non eſt, ſed purum ac merum nihil, quomodo poteſt eſſe principium alicuius veri entis. Nec videtur ſufficere ſolutio quæ ſtatim occurrit; ſcilicet, privationem ſolùm eſſe principium per modum termini à quo receditur, ſeu tranſit ſubiectum ad terminum alium. Si enim terminus ad quem ſubiectum tranſit, eſt quid poſitivum, quia habet rationem principij; etiam terminus à quo recedit, erit aliquid poſitivum, quia pariter habet rationem principij.

SECTIO SECVNDA.

Authoritate Philoſophi & D. Thomæ ac rationibus probatur privationes, & negationes non eſſe aliquid poſitivum. Varij ac recentes modi explicandi opinionem aduerſam, refutantur.

18 *ASSERTIONEM* Hanc non tam probant, quam breviter ſupponunt Authores cum Ariſtotele, tum loco illo Categoriarum, tum loco iam indicato 1. *Phyſic. cap. 8. textu* 75. Vbi de privatione loquens inquit, ὅ ἐστι καθ' αὑτὸ μὴ ὄν, *quæ eſt per ſe non ens.* Rurſus cap. 9. textu 79. ex propria mente eandem doctrinam repetit, illis verbis: ἡμεῖς μὲν γὰρ ὕλην καὶ στέρησιν ἕτερόν φαμεν εἶναι, καὶ τούτων τὸ μὲν οὐκ ὂν εἶναι κατὰ συμβεβηκός, τὴν ὕλην, τὴν δὲ στέρησιν, καθ' αὑτήν. *Nos enim materiam & privationem eſſe diverſa dicimus; ipſorumque alterum, ſcilicet, materiam non eſſe ex accidenti; privationem verò, per ſe.* Vbi planè docet, privationem per ſe loquendo eſſe non ens, ſive nihil: ac proinde excludit ab illa omnem rationem entis poſitivi. Denique loco illo allegato Categoriarum *cap. de Oppoſitis*, eamdem doctrinam ſupponit, dum tradit oppoſitionem contradictoriam verſari inter ens & non ens, ſeu inter affirmationem & negationē; privativam verò, inter formam & carentiam formæ in ſubiecto apto. At non ens, & carentia formæ in ſubiecto apto, ſolùm importanet nihil entitatis, nihil formæ; non autem aliquid poſitivum, vt ex prima terminorum apprehenſione patet. Ergo nulla negatio, aut privatio, ex mente Ariſtotelis eſt quid poſitivum, ſed merum nihil. Quam etiam doctrinam tradit 4. Metaph. textu 2. illis verbis: *Ipſum non ens, eſſe non ens dicimus.* Eodemque modo loquitur S. Thomas in allegata Philoſophi loca, & 1. p. q. 48. art. 2. ad 2. inquiens: *Ens dupliciter dicitur. Vno modo, ſecundùm quòd ſignificat entitatem rei: & hoc modo privatio non eſt ens. Alio modo, ſecundùm quòd ſignificat veritatem propoſitionis: & ſic cæcitatem dicimus eſſe in oculo, vel quamcumque aliam privationem.* Vbi privationem in ſe conſideratam, apertè docet eſſe non ens, ac proinde nihil. Quare idem docent Molina 1. *p. q. 4. art.* 1. Suarez *diſp.* 54. Vazquez 1. *p. diſp.* 100. *cap.* 2. Albertinus *diſp. 3. de ſubſtantia, q.* 1. Coimb. 1. *Phyſic. cap. 9. q.* 7. Lynce *lib. 4. Metaph. tract. 2. cap.* 1. Spinula *diſp. 1. Phyſic. ſect. vlt.* P. Barthol. Amicus *tract. 3. Log. q. 5. dub.* 3, Arriaga *diſp. 2. ſect.* 12. *& diſput. 6. Metaph. ſect.* 5. Compton *diſp. 18. Log. ſect.* 2. Oviedo *contr. 12. Metaph. p.* 4. Conſentiunt communiter Thomiſtæ cum D. Angelico 4. *Metaph. lect. 1. & 2.* Videndus pro hac ipſa opinione Aldrete *diſp. 19. in 1. p. ſect.* 1. vbi ex more plura de ſuo promit, & Izquierdo *tom. 1. Theologiæ diſput. 8. quæſt.* 70. Tota difficultas eſt in probando eamdem doctrinam, quæ quanto manifeſtior apparet primo aſpectu, eo minorem locum diſcurſui videtur relinquere.

19 *RATIO I.* Sit deſumpta ex Ariſtotele *lib. 5. Metaph. cap. 22. textu 27. & lib. 10. cap. 7. textu* 15. quam ſub hanc formam propono. Privatio per ſe, & ex terminis, ſolùm importat carentiam formæ in ſubiecto apto ad illam habendam; negatio autem carentiam formæ in ſubiecto incepto ad habendam illam. Sed carentia formæ per ſe loquendo, & ex terminis, importat non ens, ſive purum nihil; non vero aliquam entitatem poſitivam. Ergo privatio & negatio per ſe loquendo, & ex terminis, ſolùm importat non ens, ſive purū nihil; non verò aliquam entitatem poſitivam. Maior cum conſequentia patet. Minor probatur: Quia carentia formæ per ſe, & ex terminis, ſolùm importat non eſſe formæ. At non eſſe formæ per ſe, & ex terminis, ſolùm importat non ens, ſive purum nihil; non autem poſitivam entitatē. Ergo carentia formæ per ſe loquendo, atque ex terminis, ſolùm importat non ens, ſive purum nihil; non verò entitatem aliquam poſitivam.

20 *CONFIRM.* In præſenti difficultas

non

non eſt de carentia virtuali; ſed ſolùm de formali, vt monuimus *num.* 3. At carentia formalis vt diſtinguitur a virtuali eſt purū nihil. Ergo carentia, de qua controvertitur difficultas præſens, eſt purū nihil. Probatur minor. In hoc enim carentia formalis diſtinguitur à virtuali, quòd hæc primo ac per ſe ſit aliquid poſitivum, afferens conſequenter non eſſe alterius; illa vero ex propria ac formali ratione ſit non eſſe, vt indicat ipſa carentiæ notio. At quod ex propria ac formali ratione conſiſtit in non eſſe, eſt purum nihil. Ergo carentia formalis vt diſtinguitur a virtuali eſt purum nihil.

21 *CONFIRM. II.* Si carentiæ formales, vt privatio & negatio, eſſent ex primaria ratione aliquid poſitivum, & ſolùm ex ſecundaria conſiſterent in non eſſe, omnis entitas in rerū natura exiſtens eſſet carentia formalis, privativa, aut negativa. At conſequens eſt abſurdum & inauditum. Ergo carentia formalis, vt negatio & privatio, ex primaria ratione non eſt aliquid poſitivum, ſecundariò afferens ipſum non eſſe. Minor cum conſequentià patet. Maior, ſive ſequela, probatur. Omnis enim entitas in rerum natura exiſtens ita ex primarià ratione importat aliquid poſitivum, vt ſecundario habeat, ſeu inferat non eſſe alterius perfectionis debitæ, aut indebitæ ſaltim: quia omnis entitas creata eſt finita & limitata, ac proinde inferens carentiam identitatis cum alia, ſeu non eſſe per identitatem illud, quod ab eà diſtinguitur. Ergo omnis creatura erit carentia formalis, ſi ad carentiam formalē ſolùm requiritur importare ex primarià ratione aliquid poſitivum, & ſecundario afferre ipſum non eſſe. *Vrgetur* illatio eadē. Sequeretur enim relationes, quibus divinæ perſonæ conſtituuntur & diſtinguuntur, eſſe carentias formales, ac proinde conſiſtentes potius in negatione, quàm in conceptu negationi oppoſito. Patet ſequela: Nam relationes licèt ex primarià ratione importent poſitivam conſtitutionem perſonarum, inferunt conſequenter non eſſe perſonæ oppoſitæ. Relatio enim Filiationis divinæ ita conſtituit poſitivè ſecundam perſonam, vt reddat illam diſtinctam, ſeu carentem identitate cum prima & tertià. Ergo ſi ad rationem formalis carentiæ ſufficit importare ex primario conceptu aliquid poſitivum, illato ſolùm ex conſequenti non eſſe alterius, relationes, quibus conſtituuntur divinæ perſonæ, erunt carentiæ formales. quod an impunè aſſeri poſſit, cenſuramque gravem mereatur, viderint Adverſarij.

22 *CONFIMATVR III.* Si formalis carentia eſſet ex primaria ratione, ſeu (quod perindè eſt) per identitatem aliquid poſitivum; ab æterno fuiſſent plura & innumera entia poſitiva extra Deum. quod directè adverſatur doctrinæ Catholicæ de productione creaturarum omnium in tēpore. Sequelā extorqueo. Ab æterno enim dabatur formalis carentia omnium & propemodum innumerarum rerum, quæ in mundo ſunt. Etenim non erat formaliter, & in ſe mundus, non elementa, non aliquid eorum omnium, quæ in iis ſunt. In quo conſiſtit formalis carentia. Ergo ſi hæc ex primaria ratione, ſeu per identitatem eſt aliquid poſitivum; ab æterno fuiſſent plura & innumera entia poſitiva extra Deum. Eodemque conſequentiæ filo deducitur, modo de facto extra cælum Empyreum, & in ipſis ſpatiis imaginariis, eſſe infinita entia poſitiva; quia in iis eſt formalis carētia omnium eorum entium quæ intra ambitum Empyrei & totius mundi ſunt; quæ carentia iuxta doctrinam Adverſariorum eſt quid poſitivum, ſeu identificatum cum ente poſitivo.

23 *RESPONDEBIS I.* Ex doctrinà *P.* Quiros vbi ſupra *à num.* 13. carentias no dari, nec diſtingui cathegorematicè ab ente poſitivo, ſed ſolùm ſyncathegorematicè. Non enim dabatur ab æterno formalis carentia mundi, quaſi ſeorſim poſita, & adæquatè diſtincta a mundo futuro; ſed ſyncathegorematicè, & tanquam includens ipſum mundum, ſine quo concipi nequit. Vnde & *num.* 14. ſubdit, nihil, ſeu *non eſſe*, non importare conceptum aliquem adæquatè diſtinctum ab ipſo *eſſe*.

24 *SED* Contra I. Vel enim illa formalis carentia mundi nondum creati erat aliquid identificatum realiter cum mundo; vel complexum ex non eſſe mundi & ex mundo ipſo; vel denique purum nihil, ſeu non eſſe mundi. Inter hæc enim nō videtur poſſe aſſignari medium. Si primum dicatur; planè infertur, aliquid identificatum realiter cum mundo, fuiſſe ab æterno; proindeque & mundum ab æterno fuiſſe. Duorum enim, quæ realiter idem ſunt, nequit vnum eſſe ab æterno, quin & alterum ab æterno ſit. At carentia formalis mundi nondum creati ab æterno fuit. Ergo ſi illa eſt idem realiter cum mundo, idem mundus ab æterno fuit. Si autem dicatur ſecundum; eſt [illegible], & æqualis abſurdi. Eſt, inquam, [illegible] quia re-

repugnat complexum ex mundo, & carentiâ mundi; ſicut implicatorium eſt complexum ex duobus extremis contradictoriè, aut privativè oppoſitis. Ergo formalis carentia mundi non eſt complexum ex non eſſe mundi, & ex mundo ipſo. Alioqui ſimul & de eodem verificarentur duo contradictoria, quod omnes negant cum Ariſtotele *cap. de Oppoſitis* iam allegato, & reijcitur principio illo omnium notiſsimo, *Quodlibet eſt, vel non eſt*. Simul quoque id eſt æqualis abſurdi, ac præcedens. Ab æterno enim erat formalis carentia mundi. Ergo ſi formalis mundi carentia eſt complexum ex non eſſe mundi, & ex mundo ipſo; ſicut ab æterno dabatur non eſſe mundi, ſic & ipſe mundus dabatur ab æterno, contra expreſſum Fidei articulum. Patet conſequentia: Quia quoties datur aliquod complexum, dantur ſingulæ partes eiuſdem cõplexi, vt evidens cuique eſt. Sed dabatur ab æterno formalis carentia mundi, quæ dicitur eſſe complexum ex non eſſe mundi & mundo ipſo. Ergo ſicuti eam ob cauſam dabatur ab æterno non eſſe mundi, ſic etiã mundus ipſe dabatur ab æterno. Si denique tertium aſſeratur, manifeſte deducitur contra eundem Authorem, cæteroſque Adverſariorum, carentiam formalem mundi diſtingui adæquatè ab illo, ac proinde carentiam formalem cuiuslibet entitatis poſitivæ diſtingui adæquatè à qualibet entitate poſitiva: quod probare, inſtituti noſtri eſt. Aſſumptum ſic evinco. Quoties enim duo ita mutuò ac viciſsim ſeparantur, vt vnumquodque eorum ſeorſim ſit abſque altero, datur realis & adæquata vtriuſque diſtinctio, quam Dialectici appellant *excludentis & excluſi*, vt omnibus notum eſt. Sed purum nihil, ſeu *non eſſe* mundi, & mũdus ipſe, ita mutuò ac viciſsim ſeparantur, vt vnumquodque eorum ſit abſque altero ſeorſim. Ab æterno enim erat nihil, ſeu *nõ eſſe* mundi, & per conſequens mundus non erat tunc. In tempore autem eſt mundus, & non nihil, ſeu *non eſſe* mundi, vt evidens eſt. Ergo purum nihil, ſeu *non eſſe* mundi, & mundus ipſe, diſtinguuntur realiter adæquatè. Ergo ſi formalis mundi carentia eſt nihil, ſeu non eſſe ipſius mundi; carentia formalis, ſive mundi, ſive alterius cuiuslibet rei poſitivæ, adæquatè diſtinguitur à mundo, & à quolibet ente poſitivo. Loquor non de carentia in ſubiecto actuali & exercitâ, iuxta dicenda *num.* 44.

25 *CONTRA II.* Illud dicitur cathegorematicè exiſtere, ſeu eſſe, quod ſeorſim à quolibet alio eſt, ſeu quod propriam ſedem habet ſeorſim ab alio. At carentia formalis mundi & cuiuslibet alterius entis eſt ſeorſim ab illo, & fuit ab æterno, cùm nondum eſſet mundus, vel aliud ens extra Deum. Ergo carentia formalis mundi, & cuiuslibet alterius entis, eſt cathegorematicè, & non ſolùm ſyncathegorematicè, vt vult prædictus Author. Neque obſtat quod pro ſe expendit: nimirum, illud dici eſſe ſolùm ſyncathegorematicè, quod ratione ſui non eſt, niſi vt coniunctum alteri; & carẽtias hoc modo ſe habere, quia nec concipi, nec explicari poſſunt ſine illo ente poſitivo, cuius carentiæ ſunt. In oppoſitu enim eſt, plura non poſſe concipi aut explicari ſine alio, & tamen habere eſſe diſtinctum ab illo cathegorematicè. Duorum enim relativorum vnum nequit concipi explicarivè ſine altero ſibi correlativo; & tamẽ vnumquodque eorum habet eſſe cathegoremaricè, atque adæquatè diſtinctum ab alio. Actio vitalis nequit concipi aut explicari, niſi in ordine ad principium intrinſecum vivens per illam, & tamen cathegorematicè exiſtit & diſtinguitur adæquatè ab ipſo. Ergo quamvis carentia formalis nõ poſsit concipi aut explicari ſine poſitivo illo, cuius carentia eſt; adhuc cathegorematicè poterit eſſe, & ab eo adæquatè diſtingui. Et ratio à priori huius eſt: quia licèt vnum nequeat concipi aut explicari ſine alio, ſi tamen habeat conceptum obiectivum adæquatè diſtinctum a conceptu obiectivo alterius, dicitur cathegorematicè & ſeorſim eſſe, vt patet in relatis inſtantijs. Privatio autem & carentia formalis cuiuslibet entis habet per modum remotionis conceptum adæquatè diſtinctum a conceptu obiectivo ipſius entis, imò & oppoſitũ ex diametro; ſcilicet, *non eſſe* illius. Igitur habet eſſe ſeorſim & cathegorematicè per modum remotionis. Aliter verò contingit in terminis, quos Dialectici appellant ſyncathegorematicos; quales ſunt, *omnis*, *nullus*, &c. Ita enim nequeunt concipi abſque cathegorematico aliquo, vt ſeorſim ab illo nullum conceptum obiectivum habeant.

26 *CONTRA III.* Sequitur enim ex doctrinâ relatâ, & opinione ejuſdem Authoris, peccatum cathegorematicè non exiſtere ſine gratia, ſi ſupponatur ſententia docens, privationem voluntariam gratiæ conſtituere peccatum habituale: & vniverſim loquendo, privationem gratiæ, quæ iuxta omnes Theologos eſt in peccatore, ſaltim vt pœna, nunquam eſſe ſeorſim & cathegorematicè abſque gratia ipſâ. quod ra-

tamen erroneum eſſe, nemo non videt. Sequelam probo. Iuxta Authorem enim allegatum, privatio numquam eſt cathegorematice, nec ſeorſim a forma, qua privat: ſed ſolum ſyncathegorematicè, & in complexo cum illa. Sed in peccatore eſt privatio gratiæ, vt culpa habitualis, vel ſaltim vt pœna inſeparabiliter peccato annexa. Ergo peccatum habituale, aut ſaltim pœna inſeparabiliter peccato annexa, numquam exiſtit cathegorematice & ſeorſim à gratia, aut ſine ipſa; ſed ſolùm ſyncathegorematicè & in complexo cum gratia. Vnde immeritò dixerit Apoſtolus 2. *Corinth.* 6. *Quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? Aut quæ ſocietas luci ad tenebras?* In opinione enim contraria iniquitas videtur inſeparabile inire commercium & ſocietatem cū iuſtitià & ſanctitate, quā privat; & tenebræ cum luce, quam expellunt. Vnde idem Author *dict. n.* 13. non longè à fine ait: *Tenebræ in ſe nō ſunt, neque explicari poſſunt, niſi involvendo intrinſecè ens poſitivum*; ſcilicet, lucem, de qua procedit ille diſcurſus. Nulla autem maior ſocietas eſſe poteſt quam eorum, quorum vnum neque eſſe, neque explicari poteſt, non involvendo intrinſecè alterum. Ergo erit maxima ſocietas inter lucem & tenebras, quam expreſsè Apoſtolus cenſet impoſsibilē, & naturalis ratio ſtatim apprehendit repugnantem.

27 *RESPONDEBIS II.* ex doctrinà aliorū Recentiorū, qui pro ſe Aureolū, Gabrielem, Soncinatē, & Sotum appellant, nō inferri aliquid extra Deum extitiſſe poſitivè ab æterno: quia carētia mundi & cuiuſlibet alterius rei, antequā exiſtat, conſtituitur in cōplexo per exiſtētiā rei poſsibilis & odiū efficax, ſeu nolitionē Dei, qua non vult rē habere eſſe, ſeu poni extra cauſas. In eo verò cōplexo nihil poſitivum eſt diſtinctum à Deo: nam exiſtentia poſsibilis non eſt ens poſitivum: nolitio vero, ſive odium divinū non eſt quid diſtinctum ab ipſo Deo. Numquā ergo colligitur ex opinione contraria, extitiſſe ab æterno aliquid poſitivū diſtinctum à Deo, ſed ſolùm indiſtinctum.

28 *SED Contrà I.* Complexum ex nolitione ſive odio Dei, & exiſtentia poſsibili, perſeverat deſtructa carētia formali cuiuſlibet creaturæ, mundi v. g. per eius productionē. Igitur carentia formalis non conſtituitur per cōplexū illud ex nolitione ſive odio Dei, & poſsibilitate exiſtentiæ. Conſequentia eſt evidēs: Quia nequit perſeverare conſtitutivum adæquatū alicuius, niſi perſeveret etiam res conſtituta. Antecedēs probo: Quià tam nolitio, ſive odium Dei, quàm poſsibilitas exiſtētiæ, datur ſemper; cùm vtrūque ſit aliquid æternū. Ergo complexum ex vtroque perſeverat, etiā deſtructā carētia formali rei per ipſius productionem. *DICES*, carentiā formalem præterea includere determinatū inſtans, pro quo decernitur; illudque inſtans iam non eſſe, vbi res producitur. *Contrà*. Poſſet res quò ad totam entitatem ſuam produci, & deſtrui carentia formalis ipſius, non exiſtēte aut præſuppoſito aliquo inſtanti reali: vt ſi independēter à tempore, & nullo alio ente producto, crеetur Angelus. Ergo carētia formalis illius Angeli non includit determinatū inſtans: vtpotè quo minimè præſuppoſito, aut exiſtente, poſſet deſtrui aut manere. Si autem confugias ad inſtās imaginariū pro quo decernebatur carentia illa; non ſatisfacis: Quia illud inſtans imaginariū eſt nihil, & illud nihil ſemper manet; cùm tamē carentia formalis nō maneat ſemper, ſed aliquando deſtruatur per rei productionem. Ergo carentia formalis non includit illud inſtans imaginarium, præter divinam nolitionem, & exiſtentiam poſsibilem.

29 *CONTRA II.* Vel carētia formalis alicuius inſtantis realis vt cōdiſtincta ab actu divinæ voluntatis eſt vera entitas, vel non. Si ſecundum aſſeratur, actū eſt de opinione adverſa, & probatum carentias formales rerum creatarū in ſeipſis conſideratas non eſſe aliquid poſitivum. Si verò aſſeratur primum, redit abſurdum ſuperiùs illatum: quoniam illud eſſe poſitivum eſt ab æterno, & increatum nō eſt. Ergo aliquod ens poſitivū diſtinctū ab ente increato, eſt ab æterno. *Rurſus*. Si carentia formalis Lunæ aut Solis v. g. nō diſtinguitur a decreto Dei, ſeu nolitione creandi, & poſsibilitate exiſtentiæ eorundē Planetarum; rogo, cur purificatis ijs duobus hodie lucet Sol ac Luna, omni carentia formali illorum ablata? Si autem carentia Lunæ in Sole exiſtens indiſtincta eſt ab eodem Sole; cur data ab æterno carentia Lunæ, non lucebat Sol? Quoties enim duo reipſa idem ſunt, ſi datur vnum, & alterum datur. *Denique*, iuxta modum dicendi relatum Deus non potuit abſolutè facere ne aliquid, imò ne innumera entia poſitiva diſtincta realiter ab ipſo non eſſent: Quoniam complexū illud ex nolitione divina & exiſtentia poſsibili creaturæ in ſe conſiderata, eſt diſtinctū ab ipſo Deo, & aſſeritur ens poſitivum. Deus autē non potuit abſolutè ſuſpendere omnē actū, ita vt nec decerneret abſolutā rei exiſtentiam, nec illius carētiam formalem.

tem, Ergò cùm exiſtentia rei ſit ens poſitivum, & ſimiliter non exiſtentia in opinione contraria, vtraque autem quid diſtinctum à Deo; planè infertur, ipſum non potuiſſe abſolutè facere ne aliquid, imò innumera entia poſitiva eſſent, ab ipſo diſtincta. Quod quidem non modo adſtruit plurima entia poſitiva ab æterno, ſed etiā lædit libertatem divinam, & perfectiſſimum eius dominium.

30 *RESPONDEBIS III.* ex alijs, negationem, ſeu carētiam formalem non diſtingui ab ipſa re vt proximè negabili, & connotante actum intellectus negantis: quod multis probare tentant. Vnde non infertur aliquid abſolutè & poſitivè extra Deum fuiſſe ab æterno; ſed ſolum aliquid poſitivum quatenus proximè negabile ab actu intellectus negantis. *SED Contrà I.* Si enim formalis carentia eſt idem cum ipſo ente poſitivo, quomodo ens poſitivum verè poterit negari ab intellectu ſemper exiſtens, vbi carentia ipſa verè affirmatur ab æterno? Propoſitionum enim contradictoriarum, ſive affirmantis & negantis, altera neceſſariò debet eſſe vera, & altera falſa. Ergo repugnat carentiam formalem rei eſſe ipſam rem, vt proximè negabilem ab intellectu. *CONFIRMATVR.* Nullum ens poſitivum ac verum cōſtituitur per ordinem ad actum negantem falſum. Sed ſtatuto ſemel ab Adverſarijs carentiam formalem rei eſſe indiſtinctam ab eā, illa certè eſt verum ens ac poſitivum. Ergo carentia formalis nequit conſtitui per ordinem ad actum negantem falſum. Eſſet verò falſus ille actus intellectus negās rem eſſe vbi revera eſt aliquid cum eā identificatum & poſitivum. Ergo carentia formalis rei non eſt eadem res vt connotans, ſeu dicens ordinem ad actum negantem.

31 *CONTRA II.* De ipsā enim carentia formali actus negantis, inſtituam ego idem argumentum. Illa enim erat ab æterno, cùm tamen ab æterno non ſit actus negans, ſed in tempore. Ergo eſt diſtincta ab actu negante, cuius carentia eſt. Quoties enim duorum alterum, ſine altero datur, neceſſum eſt realiter ab eo diſtingui. *DICES*, illam carentiam eſſe indiſtinctam ab actu negante, non abſolutè ſumpto, quā ratione ſolùm abſolutè exiſtit & eſt in tempore; ſed ab ipſo vt proximè negabili, quā ratione non inconvenit ipſum ab æterno fuiſſe. *SED* præterquam quòd redit prima impugnatio, vt cōſideranti patebit, infertur proceſſus in infinitum. Ille enim actus reflexus & negās, cur non datur ab æterno, ſi non diſtinguitur à carentia formali ipſius, quæ ab æterno erat. Si autem recurras ad alium actum reflexum & negantem; idem prorſus de illo interrogabo, & de alio, ac de alio, donec devores tandem proceſſum in infinitum, omnibus exoſum; aut tandem fateare, carentiam formalem actus negantis, & alterius cuiuslibet rei, non conſtitui per eundem actum ſive rem, vt proximè negabilem, ſive vt connotantem actum intellectus negantis. Mitto plures alias impugnationes, quæ facilè ex dictis efformari poſſunt.

EX Præiacta ratione facilè exturbatur opinio Sfortiæ Pallavicini ſuperius allegati. Argumentum enim hucuſque propoſitum evincit vniverſim carentias non eſſe aliquid poſitiuum, ac proinde excludit ab ijs omnem entitatem, ſive illa aſſeratur abſoluta, ſive reſpectiva. Adhuc tamen id ſeorſim & aliter oſtendendum eſt ſectione ventura.

SECTIO TERTIA.

Oſtenditur alijs rationibus, nec privationes, carentiaſque vniverſim, eſſe relationes; nec identificari realiter cum aliquo ente poſitivo increato aut creato.

32 *SECVNDO* Itaque reijcitur opinio, prout defenditur à Sfortiā Pallavicino. Relatio enim poſitiva habet totum ſuū eſſe poſitivum in ordine ad aliud. At carentiæ, ſeu privativæ, ſeu negativæ, non habent eſſe poſitivum, quod totum ſit in ordine ad aliud. Ergo non ſunt relationes poſitivæ. Conſequentia patet, & maior ſimiliter ex naturā relationis. Minor probatur dupliciter. *Primò*: Omne eſſe poſitivum habens ſe in ordine ad aliud, debet habere ſubiectum reale cui inhæreat. Id enim eſt de ratione accidentis. At reſpectu carentiæ, ſeu privativæ, ſeu negativæ, ab Adverſarijs poſitæ, non eſt ſubiectum reale, cui inhæreat. Ponunt enim carentias formales ab æterno, cùm nullum eſſet ſubiectum reale illarum, nec realiter exiſtens. Ergo carentiæ non habent eſſe poſitivum, quod totum ſit in ordine ad aliud. *Secundò* probatur eadem minor. Omne eſſe poſitivū habens ſe in ordine ad aliud, debet referre poſitivè fundamentum ad terminū, ac proinde ſupponere enti-

entitatem poſitivã fundamenti; quia quod poſitivè non eſt, nec poſitivè referri poteſt. At carentiæ rerum ab æterno non ſupponunt entitatem poſitivam fundamenti alicuius, vt patet. Ergo non habuerunt eſſe poſitivum in ordine ad aliud.

33 *DICES*, Authorem, cum quo diſputamus, non ponere carentias ab æterno, nec negativas, nec privativas, quæ ſint relationes poſitivæ ac reales, ſed tantùm in tempore. Cuius doctrinæ ea ratio, præter modo aſsignatas, reddi poteſt: Quoniam carentia privativa ſupponit ſubiectum aptum, negativa autem ineptum ad formam, ſeu perfectionem habendam, vt patet ex vtriuſque definitione. Ab æterno autem nullum ſubiectum præſupponebatur, neque aptum, neque ineptum ad formam, ſeu perfectionem habendam; ſed ſolùm in tempore, vt Fide docemur. Ergo ab æterno nulla carentia fuit, ſive privativa, ſive negativa; ſed ſolùm in tempore. Sufficit ergo ad eam opinionem verificandam, carẽtias, quandiu ſunt, id eſt, in tempore, & exiſtentibus iam ſubiectis ipſarum, habere eſſe relativum, poſitivumque; nec requiritur vt habuerint illud quando non erant carẽtiæ.

34 *SED Contrà I.* & abſtrahendo nunc ab eo, quod in evaſione negentur ab æterno carentiæ rerum formales, de quo infra; de iis, quæ in tempore aſſeruntur argumentor ſic. Si privatio & negatio ſunt relationes poſitivæ; totum eſſe illarum erit in ordine ad aliud. Sed nequit totum eſſe illarum ſe habere in ordine ad aliud. Ergo privatio & negatio non ſunt relationes poſitivæ. Probatur minor: Quia eſſe poſitivum illarum nequit eſſe totum, nec in ordine ad formam, quam excludunt; nec in ordine ad decretum divinum, vel ad aliud determinativum. Non in ordine ad formam: quia nulla relatio prædicamentalis excludit terminum, in ordine ad quem eſt; ſed potiùs exigit, iuxta omnes, exiſtentiam termini, ſaltim naturaliter loquendo. At privatio & negatio formæ excludit formam, cuius privatio & negatio eſt. Ergo eſſe illud poſitivum vtriuſque non eſt relatio prædicamentalis, cuius totum eſſe ſit in ordine ad formam. Sed neque in ordine ad decretum divinum, aut aliud determinativum extrinſecum, vt cauſam impeditivam formæ excluſæ. Etenim eſſentia negationis ſolùm & directè conſiſtit in negando. Non negat autem decretum divinum, nec cauſam impeditivam formę, vt patet; quia cum iis compoſſibilis eſt; ſed ſolùm formam, cum quâ eſt incompoſsibilis. Similiter privatio directè & ſecundùm ſuam eſſentiam conſiſtit in privando. Non privat autem decreto nolente, aut determinativo alio impediente exiſtentiam formæ, quibuſcum connectitur; ſed ſolùm privat forma ipſa. Ergo totũ eſſe negationis & privationis nõ eſt in ordine ad divinum decretum, vel ad aliud determinativum impediens. At prætereà nihil excogitari poteſt, neque ab Adverſariis aſsignatur, in ordine ad quod ſit totũ illud eſſe poſitivum negationis & privationis. Ergo non habent eſſe poſitivum, quod totum ſit in ordine ad aliud.

35 *TERTIO* Vniverſim probatur privationes negationeſque formales non eſſe aliquid poſitivum, nec idemtificatum cum ente poſitivo, qualitercumque Adverſarij ſuam opinionem explicent. *Primò* enim nequeunt eſſe quid idemtificatum cũ decreto divinæ voluntatis, aut actu ſcientiæ liberæ: quia, vt ſuperiùs indicatum eſt *num.* 10. ex Philoſopho, ſenſus materiales diſcernunt inter privationem & formã, inter tenebras & lucem. At nõ diſcernunt inter actum divinæ voluntatis aut ſciẽtiæ, & illius carentiam: alioqui elevari poſſent ad intuendum aliquid idemtificatum cũ Deo, eſſentque belluæ capaces beatitudinis eſſentialis: quod aſſerere impium eſt. Ergo privationes nequeunt eſſe aliquid idemtificatum cum actu divinæ voluntatis, vel ſcientiæ. *Secundò* nequeunt eſſe idem cum cauſa impeditiva formæ: quia cauſà ipsâ in rerum natura manente poteſt deſtrui privatio & non eſſe: vt ſi Deus, aut homo, aut quolibet inſtrumentum, abſtulit oculum à Ioanne, in eoque impedivit formam viſus inducendo ipſius privationem; poteſt hæc deſtrui, perſiſtente in rerum natura illo ipſo, à quo inducta eſt. Nec prætereà eſſe poteſt idem cum cauſalitate eiuſdem cauſæ impedientis formam: quia cauſalitas illa tranſit, & privatio formæ permanet. *Tertiò* nequeunt eſſe idem cum formâ quã privant: quod ſanè evidens eſt, vel ex ſolâ oppoſitione privativa, quæ non modo eſt inter extrema diſtincta, ſed etiam incõpoſsibilia. *Quartò*, nec cũ materia vt in præſenti ex profeſſo probat Philoſophus, & ex ipſo vidimus ſupra *n.* 5. *Quintò*, neque cum cõplexo ex formâ & materia: ſic enim vt minimùm forma coexiſteret privationi ſui ipſius. Prætereaq; nec locus eſſet doctrinæ Ariſt. cõmuniter receptæ, qua aſſeritur tria eſſe principia entis naturalis in fieri, materiam, formam, & privationẽ. Si enim hæc

ab iis duabus non diſtinguitur, ſive ſeorſim, ſive complexè ſumptis; nequibit conſtituere ſeorſim tertium principium ab aliis duobus diſtinctum. Aliud præterea non eſt poſitivum ens, cum quo identificetur privatio, neque Adverſarij illud aſsignant. Ergo privatio non eſt idem cum aliquo ente poſitivo.

36 *CONFIRM.* Probatio prima: Quia nolitio Dei efficax quamquam connectatur neceſſario cum carentia rei nolitæ, nequit eſſe idem realiter cum ipſa: ſicut licèt volitio Dei efficax cum exiſtentia rei volitæ connectatur, adhuc realiter ab ipſa diſtinguitur. Ergo carentia rei nolitæ non identificatur cum decreto Dei efficaciter nolentis rem eſſe. Vrgetur hoc ipſum. Minùs enim diſtat ab efficaci volitione Dei exiſtentia rerum, quàm ipſarum carentia à nolitione efficaci: Scilicet, prior illa cōvenit cum volitione in exiſtendo, & poſterior in eo cum nolitione non convenit. Et tamen exiſtentia rerum diſtinguitur ab efficaci illarū volitione, vt palam eſt. Ergo multo magis carentia earundē diſtinguetur à nolitione efficaci Dei. Et ratio à priori vtriuſque eſt: quia cauſa, præſertim efficiens, diſtinguitur à ſuo effectū. Volitio autem Dei efficax eſt cauſa exiſtentiæ rerū, ſicut & nolitio efficax cauſa eſt carentiæ illarum. Ergo tam volitio diſtinguitur ab illarum exiſtentia, quam nolitio ab earumdem carentia. *Deinde.* Repugnat exiſtentiā creatam eſſe idem realiter, aut conſtitui in ſua entitate per aliquod prædicatum divinū, vt ex ſe evidēs eſt. Ergo & repugnat carentiā exiſtentiæ creatæ eſſe idem realiter, aut conſtitui in ſe per aliquod divinum prædicatum, ſive illud ſit actus voluntatis, ſive intellectus, ſive vtriuſque ſimul.

SECTIO QVARTA.

Occurritur duobus primis argumentis ſententia adverſæ, & oſtenditur non ſequi infinitas actu privationes, aut negationes, quamquam ſint diſtincta ab omni ente.

37 QVANDOQVIDEM Nulla carētia, ſive negativa, ſive privativa, eſt idem realiter cum ente poſitivo, vt hactenus demonſtratum eſt; reſtat argumentis oppoſitis ſatisfacere. Pro quo digna notatu eſt doctrina S. Auguſtini *tom.* 10. *lib. de Vita beatâ* longè ante finem, loquentis de egeſtate, quæ proculdubio carentia eſt alicuius rei neceſſariæ; & dicentis: *Neſcio quomodo dicamus: Habet egeſtatem. Tale eſt enim, ac ſi locum aliquem, qui lumine careat, dicamus habere tenebras. quod nihil aliud eſt, quàm lumen non habere. Non enim tenebræ quaſi veniunt, aut recedunt: ſed carere lumine, hoc ipſum eſt tenebroſum eſſe: vt carere veſte, hoc eſt eſſe nudum: non enim veſte accedente, veluti aliqua res mobilis, nuditas fugit. Quamobrē, vt quod volo explicem, ſicut poſſum, ita dicitur, Habet egeſtatem, quaſi dicatur: Habet non habere.* Cōſentit porro hæc doctrina verbis Ariſt. *n.* 18. relatis: nimirū, *Ipſum non ens, eſſe non ens dicimus.* Idemque habetur in D. Thomâ loco ibidem exſcripto, vt conſideranti patebit. Ex quibus eruitur germana ſolutio ad pleraque argumētorum, quæ propoſuimus *ſect.* 1. pro ſententia adverſa.

38 *AD I.* Ex verbis Geneſeos cōſtat, illis verbis, *Tenebræ erāt ſuper faciem abyſſi,* nō denotari aliquod eſſe poſitivum & reale in tenebris; ſed ſolùm non fuiſſe lucē aliquam in abyſſo. Sacer enim Scriptor vſus eſt communi ſtilo loquendi, quo ipſum nō ens, eſſe non ens dicimus, vt ex Ariſt. obſervatū eſt; & quo affirmare ſolemus oculum eſſe cæcum, quatenus in eo viſus nō eſt; & hominē egenum eſſe, prout non habet aliquid ſibi neceſſarium. Ad locum ex Cantico, vbi tenebræ invitātur ad benedicēdum Domino, opus non eſt eas aliquam entitatem habere: ſed ſufficit nos dum non videmus lucē, ſeu deprehendimus illam abeſſe, laudare Deum, quia eius voluntas impletur circa non exiſtentiam lucis, aut quia ita lucem non eſſe voluit, vt tamen poſſet eam creaturam adeò fulgentem & neceſſariam producere. Iam quod de peccato habituali ſubditur, conſiſtere in privatione volūtaria gratiæ, & permanere maculā ipſius in peccatore iuxta Ioſue, & ineſſe cuiq; originale propriū, ac generatione transfundi, vt in Tridentino habetur; ſolùm probat, realiter & ante omnem intellectus fictionem non eſſe gratiā, aut iuſtitiā originalē in homine, cùm tamen verè teneatur ad illam habendā, & in eâ abijcienda deliquerit. quod eſt exoſum, maculatum, & turpem eſſe coram Deo; non quia aliquid poſitivum habeat, quo turpis reddatur, ſed quia realiter non habet gratiam, & pulchritudinem, quam tenebatur habere. An verò illud ipſum non habere gratiam, ſeu eſſe illa privatum, ſit carentia aliqua exiſtens actu, ſeu habens aliquod eſſe abuſivum vel privativum independenter à fictione intellectus, non diſputo in præſenti. Id enim ſeorſim & pleniùs examinari ſolet

tum

tum in Logica, *tract. de Entibus Rationis*, tum in Metaphyſica & Prædicamentis, vbi agitur de Oppoſitis Enti. Vide Authores *n.7. & 18.* allegatos. Verior tamen & cõmuni doctrinæ conformior apparet opinio dicens, privationes & negationes a parte rei habere quoddam eſſe ſecundùm quid, abuſive loquendo, & per modum remotionis, iuxta quem dicendi modum,

39 *AD I. Confirm.* Privatio gratiæ ante omnem fictionem intellectus exiſtit in anima impropriè & ſecundum quid, ac per modum remotionis; qua etiam ſolùm ratione exiſtit privatio iuſtitiæ originalis in nondum iuſtificatis per Baptiſmum, aut votum ipſius; & privatio rectitudinis debitæ in eſſe actui, & omiſſio pura ac culpabilis actus præcepti; & denique privatio cuiuſcumque formæ naturaliter debitæ, vt cæcitas, ſurditas, &c. Vnde non infertur privationem eſſe ens poſitivum ac reale: quia hoc conſiſtit in aptitudine ad exiſtendum propriè ac ſimpliciter; non autem impropriè, ſecundũ quid, & per modũ ſolius remotionis, vt exiſtit privatio. Quod verò ante omnẽ intellectꝰ fictionẽ privatio illa reddat hominẽ Deo exoſum, ſeu odibilem ac proinde dignum pœna æterni cruciatꝰ, tam procul ab eo eſt vt probet illã eſſe ens reale poſitivũ, quòd potius oppoſitum colligatur. Etenim ex ſacris litteris expreſsè habemus, Deũ nihil odiſſe eorũ quæ fecit, & diligere omnia quæ ſunt. Cùm verò fide ſanctũ præterea ſit, Deũ odio habere peccatum; conſequens eſt vt peccatum, nec fiat à Deo, nec propriè & ſimpliciter ſit. quod tamẽ neceſſum eſſet, ſi privatio illa, in qua argumentum ſupponit conſiſtere peccatũ, eſſet aliqua entitas realis & poſitiva. Deinde, neq; eo diſcurſu vti poſſunt quotquot vniverſim negant peccatũ conſtitui poſitivo, ne Deus author peccati aſſeratur. Inciderẽt enim in abſurdũ quod vitare volunt, ſi dicerent privationẽ conſtitutivam peccati eſſe poſitivum & reale ens, vt apparebit manifeſtè, vel leviter conſideranti.

40 *AD II. Confirm.* Ariſtoteles privationem appellat maleficam, non efficienter, quaſi activè nocumentum aliquod inferat; ſed formaliter, quia incompoſsibilis eſt cum forma ſubiecto proficua, & bonum ipſi afferente. Quod verò dicatur cauſa appetitus, communis quidem, ſed impropria locutio eſt; quatenus directè impediẽs bonum ſubiecti, indirectè movet appetitũ ad illud deſiderandum, vt quidam accinebat: *Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.* Vt verò probaretur privationem eſſe ens reale poſitivum, aſſumi deberet eſſe veram cauſam: quod tamen falſum eſt. Ideoque privatio ab Ariſtotele computatur inter principia, ſed nõ inter cauſas. Iam quod ex ipſo additur de viſu diſcernente inter tenebras & lucem, potiori ratione retorquetur in Adverſarios, illos præcipuè qui privationẽ, ac proinde tenebras, aiunt eſſe quid realiter indiſtinctum a nolitione divina, vel actu ſcientiæ liberæ, vt *num.* 35. oſtenſum eſt. Deinde dico, nos diſcernere viſu lucem à tenebris, nõ quia ſint aliquid; ſed quia non ſunt, & proinde non apparẽt. Quæ quidem eſt diſcretio ſolùm negativa, quia verſatur ſolum inter lucem, & carentiam lucis. Si autem tenebræ ipſæ quid reale ac poſitivum eſſent, opponerẽtur formaliter & poſitivè luci. Ergo quemadmodum viſus poſitivè diſcernit inter album, & nigrum videndo vtrumque, quia ſunt formaliter & poſitivè oppoſita, & contraria ſunt circa idem; ſic etiam viſus poſitivè diſcerneret inter lucem & tenebras, ſi illæ eſſent quid formaliter & poſitivè oppoſitum luci. Proindeque oculus corporeus naturaliter videret actũ voluntatis aut intellectus increati, in quo plerique Adverſariorum ſtatuũt entitatem tenebrarum poſitivam.

41 . *AD II. Argum. ex num.* 11. nego antecedens. Carentia enim identitatis eſt quid ſuperadditum enti poſitivo, quamquã eſſentialiter & omnino inſeparabiliter cum eo connexum; idque loquendo de carentia formali, vt loquimur in hac diſputatione. Alioqui enim, quomodo intelligi poteſt carentiam eſſe formalem, ſi de formali & primaria ratione non negat, ſeu excludit ens; ſed potius importat illud? Quid aliud eſt negatio formæ, quam merum nõ eſſe formæ? Sed de hoc latiùs alibi. Ad primam probationem dico, Socratem per ſuam entitatem eſſe diſtinctum à Platone, hominemque ab equo, ſolũ fundamentaliter; non autem formaliter. Et quando aſſumitur, per id vnumquodque diſtingui ab alio, per quod in ſe conſtituitur; verum eſt id fundamentaliter: quia tota ratio diſtinctionis inter duo aliqua eſt vniuſcuiuſque conſtitutivum, & vnitas cuiuſque propria. Formalis autem ratio diſtinctionis nihil aliud cenſeri debet, quàm carentia formalis identitatis inter vnum & alium: quæ certè eſt non identitas, ac proinde non ens. *AD II. Probationem.* Poſita in homine rationalitate, & ablato omni alio negativo inde reſultante, repugnat homini eſſe equum, repugnantia radicali & fundamentali; non verò repugnantia formali & pro-

proxima, quæ ſolùm provenit a carentia convenientiæ cum equo in prædicatis ſpecificis. Neque inde infertur, poſſe impediri reſultantiam illius carentiæ, identificarique hominem cum equo. Nam carentia illa eſt eſſentialiter annexa vnitati poſitivę, vt patet ex definitione vnius; ac proinde omnino inſeparabilis ab ea eſt. *AD III. Probationem.* Vnitas ſpecifica cuiuſcumque carentiæ non eſt poſitiva, ſed negativa tantùm, & per modum remotionis formæ, quam excludit: atque adeo ſeipſa & ſine alia carentia ſuperaddita poteſt diſtingui, tum ab ipſa formâ, tum à quolibet alio ente, tum & à quavis privatione, vel negatione diverſa. Itaque cæcitas v. g. ſeipſa non eſt viſus, quo privat, & diſtinguitur ab omni alio, quod non eſt carētia viſus; hoc ſolum diſcrimine, quod ſolius viſus privatio ſit; aliorum vero, ſeu relatè ad alia, ſolum carentia identitatis. Vnitas vero cuiuſcumque entis poſitiva eſt: ideoque nequit ſeipſa eſſe carentia formalis, ſive identitatis, ſive convenientiæ: ac propterea vt formaliter diſtinguatur, ſeu ſit non idem cum alio, indiget carentia ſuperaddita.

42 *HINC* iam ad IV. Probationem, prætermiſſa ſolutione aliorum, in conſequenter admittentium infinitas actu privationes, cum aliũde negēt poſſibilem numerum infinitum rerum in actu; dicendum eſt, non ſequi ex noſtra opinione id abſurdum: Quia privatio non eſt carentia cuiuſcumq; formæ; ſed ſolum debitæ ſubjecto. Nulli autem ſubiecto creato debētur infinitæ formæ, neque ſpecie, neque numero; ſed finitæ ſolùm: quia exigentia cuiuſlibet ſubiecti creati, ſicut & entitas, finita eſt; ac proinde ſolùm finitas ſpecie ac numero perfectiones, ſive formas exigit. Quare oculus cæcus Petri v. g. non eſt privatus quolibet viſu intra ſpeciem potentiæ viſivæ, ſed illo ipſo viſu individuo, quē amiſsit: & homo cui auferretur potentia loco-motiva, non eſſet privatus potentia volandi, quæ ſpectat ad avem; ſed progrediendi, quæ ſola convenit homini. Neque vrget quod homo abſolutè ſit capax infinitorum accidentium intra eandem ſpeciē diviſivè, & vagè quo ad individuum: quia non ſufficit qualiſcumque capacitas recipiendi formam abſolutè poſſibilem, ad privationem inducendam, niſi ſubiecto debita ſit, vel ab illo exigatur. Non debetur autem ſubiecto, neque ab illo exigitur omnis forma, quæ ipſi abſolutè poſsibilis eſt, aut convenire poteſt; ſed illa tantùm, ad quam eſt, ſeu erat diſpoſitum; & hæc ſemper eſt in ſpeciebus finitis, & circa vnam formam numero intra quamlibet ſpeciem. Quare nunquam infertur, dari in aliquo ſubiecto numerum infinitum privationum, ſive diverſæ, ſive eiuſdem ſpeciei. Ex quâ doctrina,

43 *INFERO I.* Non eſſe infinitas privationes formarum in materia prima dum eſt ſub aliqua forma; ſed illius tātùm ad quam habet exigentiam ratione diſpoſitionum præparantium ſubiectum ad interitum præſentis formæ, & receptionē futuræ. Cum enim privatio ſit carentia formæ in ſubiecto exigente illam; & materia dum eſt ſub vna formâ non exigat aliam proximè, niſi ratione diſpoſitionum ad illam præparantium; ſequitur ſolum habere privationem formalem illius, nō vero aliarum, ad quas recipiendas indiſpoſita eſt. Conſequenter dicendum, nec in materia eſſe proximum appetitum innatum deſiderij abſoluti circa omnes formas ſubſtantiales; ſed circa illam tantùm ad cuius receptionē diſpoſita eſt media alteratione. Circa cæteras vero, ad quas diſpoſita non eſt, ſolùm habet appetitum deſiderij conditionati, ſeu, quod perinde eſt, terminatum ad illas ex ſuppoſitione futura opportunarum diſpoſitionum.

44 *INFERO II.* Neque ante mundi creationem fuiſſe privationes aut negationes rerum exercitè & actualiter prout modò ſunt: proindeque nec actu infinitas. Prior pars illationis, ex qua poſterior manifeſte conſtat, facile probatur: Quia privatio actualis & exercita eſt carentia formæ in ſubiecto apto nato ad formam habendam; negatio autē, in ſubiecto inepto. Sed ante mundi creationem nullū erat ſubiectum aptum, neque ineptum ad habendam formam aliquam; ſed tam nihil erant omnia ſubiecta, aut tam nihil erat ſubiectorum omnium, quam formarum quarumlibet. Ergo ante mundi creationē nulla erat privatio aut negatio actualis & exercita. Solum itaque tunc non erant res in ſeipſis, nec ſubiecta, nec formæ, niſi in mente divina & Omnipotentia Dei: idque ſufficiebat, vt verè diceretur, mundum nō eſſe, hominem non exiſtere, nihil poſitum fuiſſe extra cauſas à Deo, & alia eiuſmodi. Sed de hoc latiùs alibi.

45 *INDIDEM* Occurres impugnationi propoſitæ *numer.* 12. Carentia enim identitatis cum Antichriſto non erat exercita & actualis ante mundi creationem, nec eſt modo in creaturis pure poſſibilibus, defectu ſubiecti. Solùm itaque eſt

in

in creaturis exiſtentibus, quarum ſingulæ actu carent identitate cum Antichriſto, carentia eiuſdem in exiſtente, & multiplicata iuxta numerum ſubiectorum, quorum vnitatem ſequuntur & inſeparabiliter comitantur. Cæterum cum creaturæ exiſtentes ſint numero finitæ, ita & carentiæ ipſæ: & quemadmodum nulla creatura eſt immenſa, ſed definita ad proprium locũ; ſic & carentiæ ſingulæ non ſunt immenſæ, ſed quodammodò reſtrictæ ad locum ſubiecti proprij. Mitto plures obiectiones, quas ſicut quilibet poteſt excogitare, ita & ſolvere.

46 *AD III.* Argum. *ex num.* 13. nego antecedens. Cùm enim ens reale conſiſtat in aptitudine ad exiſtendum ſimpliciter, & tenebræ potius habeant ineptitudinem ad exiſtentiam ſimpliciter, conſequens eſt, vt ens reale non ſint. Illa autem vnitas, & diſtinctio, quæ privationibus aſsignatur per ordinem, ſeu connotationem ad diverſas formas, ſolum eſt vnitas ſecundum quid; & per modum remotionis. Idemque dicendum de expulſione formæ, qua privant. Non enim expellunt illam activitate aliqua, qualiter calor expellit frigus; neque aliquid cauſant, nec propriè cauſantur; cũ nec recipiant, nec tribuant exiſtentiã ſimpliciter; ſed ſolum cauſant, cauſanturque impropriè, & ſecundum quid, tamquam remotiones oppoſiti. Vndè patet diſtinctio illarum, tum à luce, tum & ab omni ente poſitivo, in quo omnia ex oppoſito militant. Ex quibus patet ad impugnationem ſolutionis ibidem interiectæ.

47 *AD Confirm. I. ex num.* 15. quæ merum ſophiſma eſt, conceſſo antecedente, negatur ſuppoſitum conſequentis: quia negatio negationis, & carentia carentiæ eſt ens poſitivum: ac proinde ſi præſente luce non eſt negatio lucis, illa non negatio eſt ens poſitivum; ſcilicet, ipſa lux. Vndè & negato ſuppoſito probationis evaneſcit cavillus obiectionis.

48 *AD II. Confirm.* plura occurrunt, quæ in Metaphyſica propriam ſedem habent. Nunc breviter indicare ſufficiat, creaturam poſsibilem, quatenus contentam in Omnipotentia, eſſe Omnipotentiam ipſam; ac proinde diſtinctam realiter poſitivè à creaturà exiſtente. Cæterum creatura poſsibilis, vt diſtincta ab Omnipotentia, ſolùm eſt ens in potentià obiectivà; ſeu non repugnantià ad exiſtendum ſimpliciter; & quidem negativè diſtinctum à creatura producta, tamquam nondum exiſtens ab exiſtente. In quo ſanè differt creatura poſsibilis à privatione & negatione exercita & actuali, vt à cæcitate, & repugnantia vivendi; quod hæ numquam tranſire poſsint in entia ſimpliciter exiſtentia, quoniam ex ſe important repugnantiam exiſtendi ſimpliciter: creatura verò poſsibilis, ita pro illo ſtatu non eſt actu aliquid, vt tamen poſsit eſſe aliquid & exiſtere, tranſeundo de nondum exiſtente ad exiſtentem ſimpliciter.

49 *AD* vltimum patet ex dictis *diſp.* 3. privationem non eſſe principium entis naturalis per modum partis intrinſece cõponentis, nec per modum recipientis, aut informantis; ſed tamquam terminum *à quo* generationis, vt ſimplex mutatio eſt. Quæ quidem eo ipſo quòd ſit à privatione debet tendere ad terminum *ad quem* poſitivum. Alioqui ſubiectũ non mutaretur, ſi ex parte termini *ad quem* inveniret privationem, ſicut ex parte termini *à quo*.

SECTIO QVINTA.

Nonnulla alia dubia circa privationem, breviter expediuntur.

50 ROGABIS I. Quænam ſit ratio, vt aſſeramus privationes formaliter ſumptas eſſe in rebus ſeclusà operatione intellectus, qualiter ſuprà *num.* 38. *fine*, obiter ſtatutum eſt? *RESP.* Id à D. Thomà indicari *quæſt.* 1. *de Malo art.* 2. tradique à Caietano 1. *p. q.* 48. *art.* 2. & Ferrarienſi 3. *contra Gent. cap.* 19. ac Conimbricenſibus *lib.* 1. *Phyſic. cap.* 9. *q.* 6. *art.* 1. circa finem: & probari hac ratione: Quia vt Ariſtoteles docet *c. de Oppoſitis*, forma & illius privatio verſantur circa idem ſubiectum. Ergo quemadmodum forma vbi producitur eſt in ſubiecto independenter ab omni intellectus fictione; ſic etiam vbi illa non producitur, privatio ipſius in eodem ſubiecto erit abſq; vllà intellectus fictione. Alioqui ſi privatio verè in illo non eſt, intellectus non habebit fundamentum ex parte obiecti, vt potiùs neget, quam affirmet formam de ſubiecto; nec de oculo cæco poterit aſſerere potiùs cæcum eſſe, quàm videntem. Illud verò eſſe privationis iam ſuprà monuimus non eſſe ſimpliciter tale, neque ponere quicquam in re; ſed ſecundùm quid, & per modum remotionis. Sunt & plura alia, quæ eamdem doctrinam probent locis ſuprà indicatis.

51 *ROGABIS II.* An privatio conveniat vnivocè cum materià & formà in ratione principij entis naturalis? *RESP.* Nega-

gatívè: quia enti & nón enti nequit conuenire vniuocè ratio aliqua ex ſpectantibus ad primam intentionem, ſeu ex prædicatis quæ communiter dicuntur primò intentionalia. Sed ratio principij entis naturalis eſt prædicatum primo intentionale, vtpotè independens à fictione intellectus. Ergo ratio principij entis naturalis nequit conuenire vniuocè priuationi, quę non eſt ens, & formæ ac materiæ, quæ entia vera & poſitiua ſunt.

52 *ROGABIS III.* An capacitas ſubiecti ad formam habendam ſit pars, an verò ſolùm conditio, vt carentia formę ſit potiùs priuatio, quàm negatio. *RESP.* Eſſe conditionem puram, non vero rationem conſtitutiuam priuationis, adhuc inadæquatè: quia quod in ſe eſt nihil, non poteſt conſtitui, neque adæquatè, neque inadæquatè per aliquod ens poſitiuum & reale. Priuatio autem in ſe nihil eſt. Non ergo conſtituitur, neque adæquatè, neque inadæquatè, per capacitatē ſubiecti, quæ aliquid poſitiuum & reale eſt. Sufficit itaque per modum conditionis capacitas ſubiecti, vt carentia formæ, quæ alioqui futura erat negatio, ſit priuatio. Lege plura de hoc apud Quiros *diſp.*46. *Curſus Philoſophici ſect.*3. contra Arriagam *diſp.*2. *Phyſicæ ſect.*12. exiſtimantem oppoſitum.

53 *ROGABIS IV.* Quandoquidem formalis carentia identitatis cum alio ente, eſt quid diſtinctum ab omni entitate poſitiua cuiuſque rei, vt ſupra dictum eſt; an etiam aſſerendum ſit, in Deo eſſe carentiam identitatis formalē cum omni creatura vt creatura eſt, diſtinctā ab omni prædicato poſitivo Dei? Videtur namque id affirmandum, ſi conſequenter loquamur. Aliunde durum eſt ponere in Deo rationē aliquam, quæ per identitatem nō ſit Deus. At formalis carentia identitatis cum creatura, ſi diſtinguitur ab omni prædicato poſitivo Dei, non eſt Deus per identitatem. Ergo durum apparet, ponere in Deo formalem carentiam identitatis cum creatura diſtinctam ab omni prædicato Dei poſitivo.

54 *RESP.* Nullam carentiam formalem identitatis cum alio habere locum in Deo: quia formalis carentia identitatis abſolutæ cum alio oritur ex limitatione rei, non includentis, neque complectentis ſuā entitate perfectionem aliquam. Deus autem eſt illimitatus per eſſentiam in omni genere perfectionis; ac proinde nullam carentiam formalem habet abſolutæ identitatis cum alio. Præterea neque illa carētia eſſe poteſt priuatiua; cùm Deus actu habeat omnem illam perfectionem cuius eſt capax: neque negatiua, cum omni perfectione prædituſ ſit, & quæcumque aſſignari poteſt, Deo debeatur. Denique, omnis priuatio & negatio formalis & exercita eſt carentia formæ in ſubiecto. Deus autem non eſt ſubiectum reſpectu alicuius formæ, neque capax, neque incapax, cum ratio ſubiecti repugnet Deo. Ergo nulla in illo eſt priuatio aut negatio formalis.

55 Tantùm igitur in Deo eſt eminēter carentia identitatis cū creatura, quatenus habens eſſe ſimpliciter illimitatum in omni genere, diſcernitur & ſupereminet omni enti limitato in quolibet genere. Quæ carentia eminentialis, eſt indiſtincta ab ipſa entitate diuinā vt excedente omne eſſe limitatum, & ſufficit ad verificandas propoſitiones, quibus negamus de Deo eſſe plantam, equum, leonem, formaliter. Ipſum namque eſſe infinitum & illimitatum in genere ſubſtantiæ v.g. eſt virtualis, ſeu eminentialis carentia identitatis cum homine: quemadmodum in opinione cōtraria ipſum eſſe rationale hominis eſt virtualis carentia hinnibilitatis, & ſufficiens ad negandum hominem eſſe hinnibilem. Similiter & in correlationibus, ſecundùm quas perſonæ diuinæ inuicem opponuntur ac diſtinguuntur, non videtur concedenda formalis carentia identitatis, ob eaſdem rationes: ſed virtualis, & indiſtincta ab eiſdem relationibus, quatenus inter ſe oppoſitis; & ſufficiens abſolutè vt vna perſona de aliā negetur, ſeu aſſeratur realiter diſtincta ab alia.

56 *ROGABIS* vltimò, An priuationes & negationes aliquo ſenſu habeant rationem entis poſitivi? *RESP.* Affirmatiuè, ſi ſermo ſit de ente poſitivo, non reali, ſed rationis, & ficto ab intellectu, ex indigentiā ſui. Ratio eſt: quia cum obiectum adæquatum intellectus noſtri ſit ens in totā ſua latitudine, & nulla potentia extrahi poſſit à ſphæra ſui obiecti adæquati; conſequens eſt, vt intellectus noſter nequeat apprehendere priuationes & negationes, niſi ad modum entiū, ex parte obiecti: ac proinde fingat in iis entitatem aliquam, & fingendo illam cognoſcat. Qua ratione priuationes & negationes à Philoſophis, præſertim Thomiſtis, appellari ſolent entia rationis priuatiua & negatiua, conformiter ad doctrinam Angelici D. licèt ex parte fundamenti ſint nihil, ſeu purum non eſſe, vt probatum eſt.

IN LIBRVM SECVNDVM PHYSICORVM.

POSTQVAM Ariſtoteles primum librum deputavit expoſitioni principiorum Entis Naturalis, iam hoc ſecundo agit de Naturâ, varijſque eius acceptionibus; tum & de Arte, atque ijs, quæ ab vtraque procedunt. Cùm verò Natura ſit per ſe cauſa motus, variorumque effectuum ab eâ procedentium, & inæqualium, ac diverſæ rationis; potiſsima libri pars inſumitur in recenſione & veſtigatione cauſarum penes varia genera, & diverſas comparationes ad effecta ipſarum. De quibus nos ſucceſsivo ordine diſſeremus.

DISPVT. DVODECIMA.

DE NATVRA CREATA.

Quid ſit Natura, & quibus competat Naturæ ratio?

Num. 1. *ORDITVR Librum hunc Ariſtoteles ab expoſitione Naturæ, & eorum quibus competat Naturæ ratio: tum præterea addit, in quonam diſtinguatur ab Arte, & ijs, quæ per Artem fiunt: Circa quæ omnia diſputatio noſtra procedit.*

SECTIO PRIMA.

Exponitur definitio naturæ tradita ab Ariſtotele, & vindicatur ab obiectionibus præcipuis.

2 *NATVRAM* Ita definit Ariſtoteles hoc lib. 2. Phyſic. cap. 1. ὡς οὔσης τῆς φύσεως ἀρχῆς τινος καὶ αἰτίας τοῦ κινεῖσθαι καὶ ἠρεμεῖν ἐν ᾧ ὑπάρχει πρώτως καθ' αὐτό, καὶ μὴ κατὰ συμβεβηκός. *Quæ cùm ita ſint; patet naturam eſſe principium quoddam & cauſam, vt id moveatur, atque quieſcat, in quo primò eſt per ſe, & non ſecundùm accidens.*

PRO Cuius rei intellectu notandum eſt, nomen *naturæ* multipliciter accipi. *Primò* enim idem ſignificat, ac quidditas, ſive eſſentia rei explicata per definitionem: quo ſenſu dicere ſolemus proprium definitionis eſſe explicare naturam rei. *Secundò* accipitur pro Authore naturæ, ſcilicet Deo, qui barbarè appellari ſolet natura naturans. *Tertiò*, pro nativitate, ſeu generatione viventium; quæ dicitur nativitas; in quam ſignificandâ præcipue *natura* nomen impoſitum eſt iuxta D. Thomã 1. *p. q. 29. art. 1. ad 4.* *Quartò* ſumitur pro vniverſitate creaturarum: quo ſenſu dicimus, aliquid exiſtere aut non exiſtere in rerum naturâ. *Quintò* denique, & opportunè ad noſtrum inſtitutum, definitur à Philoſopho in præſenti; vt nuper ex ipſo vidimus, *principium & cauſa motus ac quietis eius, in quo eſt, primò & per ſe, & non ſecundùm accidens.* Vbi *principium* ponitur loco generis, in quo convenit cum alijs principijs, quæ non habent rationem natu-

turæ. Additur *cauſa* ad differentiam privationis, quæ licet ſit principium entis naturalis, non tamen eſt cauſa. Hæc enim ſupra rationem principij addit influxum, qui nequit competere privationi. Verba illa *motus & quietis* non ſunt accipienda copulativè, aut disiunctivè ſolùm: ſed per diſtributionem accommodam: ita, ſcilicet, vt nulla ſit natura, quæ non ſit cauſa motus, aut quietis; & aliqua præterea natura ſit, quæ principium vtriuſque ſimul exiſtat. Sequitur, *eius in quo eſt*, ad excludenda principia motus in alio, ſeu extrinſeca. Nimirum, natura debet eſſe principium, non cuiuſlibet motus, ſed intrinſeci, ſive exiſtẽtis in ipſo ente, cuius natura eſt pars. Quare artificialia non includunt naturam, quia motus ipſorum provenit ab arte, quæ eſt aliquid naturæ extrinſecum. Indidem quoque excluditur violentum, quia provenit ab extrinſeco. Imò & ignis, vt principium calefaciendi aliud à ſe, non eſt natura: ſed ſolùm quatenus eſt cauſa proprij motus ſurſum. Dicitur præterea, *primo & per ſe*, ad denotandum, naturam eſſe principium primum radicale & ſubſtantiale motus: in quo differt à principio proximo, inſtrumentalique, quod eſt accidens, & ab appellatione naturæ excluditur. Denique in vltima definitionis parte additur, *& non ſecundùm accidens*. Quod adiectum eſt, ſive maioris explicationis gratiâ, ſecundùm aliquos; ſive ad excludendum principiũ motus, quod per accidens invenitur in mobili. Cuius exemplum eſt in Medico curante ſeipſum. ars enim Medicinæ, quæ eſt principium motus ſanationis, eſt intrinſeca: non tamẽ per ſe, ſed per accidens; cùm Medicus infirmus æquè benè poſsit ab alio Medico ſanari. Quæ definitio ſic explicata præoccupat plures obiectiones, à quibus causâ brevitatis abſtineo, exceptis aliquibus poſteà ſolvendis.

3 *RVRSVS* præmittenda ſunt quædam apud omnes certa. Primum eſt, *naturale* multifariam accipi. *Primò* vt contraponitur ſupernaturali: quâ ratione etiam actiones liberæ, imò & violentæ, naturales cenſentur, ſi præter omnem elevationem fiant. *Secundò* vt opponitur libero: quo ſenſu bruta naturaliter operari dicuntur, id eſt, neceſſariò. *Tertiò*, omiſsis alijs acceptionibus, & opportunè ad noſtrum inſtitutum, ſumitur pro omni eo, quod fit à principio intrinſeco naturæ, & iuxta innatam ipſius inclinationem, ſive, quod perinde eſt, quatenus opponitur violento. Eſt autẽ violentum *quod provenit à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim*, iuxta definitionem Ariſtotelis; quæ tamen non eſt accipienda negativè, ita vt reddat hunc ſenſum: paſſo non reſiſtente, neque habente inclinationem ad reſiſtendum. Alioqui illuminatio Solis in aëre violenta eſſet, quia aër non habet inclinationem ad reſiſtendum luci. Accipienda eſt igitur definitio poſitivè: & hoc duobus modis: ſcilicet, activè & paſſivè. Activè, vt quando introducitur forma in ſubiecto, in quo eſt activitas, & inclinatio naturalis ad reſiſtendum; quæ tamen ſuperatur ab extrinſeco agente: vt quando aqua calefit ab igne. Paſsivè autem intelligitur, quoties inducitur forma in ſubiecto habente inclinationem paſsivam ad oppoſitam formam: vt ſi per poſsibile, vel impoſsibile, induceretur forma cœleſtis in ſublunarem materiam. Hoc igitur ſecundo modo debet intelligi particula illa definitionis, *paſſo non conferente vim*; id eſt, poſitivè reſiſtente, ſeu activè, ſeu paſsivè, ex parte inclinationis internæ. Quam reſiſtentiam ſatis expreſsit idem Philoſoph. 3. Eth. cap. 1. illis verbis: Δοκεῖ δὲ ἀκούσια εἶναι, τὰ βίᾳ ἢ δι᾽ ἄγνοιαν γινόμενα, &c. *Ea igitur ſuſcipere dicimur invitè, quæ aut vi coacti, aut per inſcitiam aguntur. Eſt autem violentum, cuius principium extrà eſt, atque eiuſmodi, vt nihil adiumenti afferat qui agit, aut qui patitur: vt ſi quò ventus detulerit, aut ij homines quorum ſub poteſtate ſumus.*

4 *SECVNDVM* Eſt, plures actiones appellari poſſe partim naturales, & partim violentas; ſecundùm diverſos reſpectus. Exempli causâ: viventi ſecundùm rationẽ elementi eſt violentus motus progreſsivus; accipiendo violentum latè, vt ad quælibet præternaturalia extenditur: cæterùm ſecundùm gradum animalis perfecti eſt ipſi connaturalis & proprius. Præterea, aquæ ſecundùm ſuam naturam eſt violentus motus ſurſum, cùm ſit elementum gravitans: cæterùm in ordine ad replendũ vacuum, connaturalis ipſi eſt. natura namque inditum eſt cuique parti Vniverſi tendere ad impediendum vacuum, veluti malum cõmune. Sic etiam motus ille, quo manus ſe ſe opponit ictui capitis cum nocumento proprio, eſt ipſi violentus, prout conſideratur cum propenſione ad propriam conſervationem: naturalis autem, quatenus eſt pars corporis humani, cuius conſervationem appetit magis, quàm propriam.

5 *EX* Prædictis, conſtat rectam eſſe definitionem naturæ ab Ariſtotele traditã, quoniam explicat propriam eius rationem

ſuf-

ſufficienti modò, vt jam oſtenſum eſt. Vnde illam communiter recipiunt omnes Philoſophi cum D. Thoma. Reſtat modo nonnullas obiectiones proponere & diluere, vt firma & inconcuſſa perſiſtat.

6 *OPPONES I.* Redundare particulam illam *principium*, quæ primò in definitione adhibetur. Cum enim natura dicatur *cauſa*, & omnis cauſa ſit principium, videtur ſuperfluè poſita ratio principij eo ipſo quòd natura ſit cauſa. *RESP.* Rationē cauſæ poni in diffinitione vt diſtinctivum naturæ a privatione, cum qua alias convenit in ratione principij. Nec in rebus adeò vniverſalibus & communibus, qualis eſt natura vniverſim accepta, quærenda eſt adeò ſtricta definitio, ac in rebus alijs ſub certo genere comprehenſis, quæ breviter ac dilucidè exponuntur. Quod dixerim, ne iterum opponas, ſufficienter excludi privationem per particulam, *in quo eſt primò & per ſe*. Nam, vel in alijs rebus ſtricta omnino definitione explicatis, ſolet excludi aliud extremum ex multiplici capite: vt videre licet in homine, qui tam ex capite *animalis*, quàm *rationalis*, excludit lapidem, & ab eo diſtinguitur.

7 *OPPONES II.* Cœlum Empyreum eſt ens naturale, ac proinde conſtans natura: & tamen non eſt principium motus, cùm perpetuo quieſcat. Ergo non omnis natura eſt principium motus. E converſo autem, reliqui orbes cœleſtes, licet natura conſtent, numquàm quieſcunt, ſed ſunt in perpetuo motu. Ergo non omnis natura eſt principium quietis, vt in definitione habetur. *RESP.* Sat eſſe ad rationem naturæ, quod ſit principium, vel ſolius motus, vel ſolius quietis, vel vtriuſque ſimul, vt ſupra dictum eſt. Cœlum autem Empyreum eſt ſaltem principium quietis, & cauſa permanentiæ, ſtabilitatisque inferiorum: ſimiliter & reliqui orbes ſaltim ſunt principium motus. Circa quæ plura hîc prætermittimus, quæ ad libros de Cœlo ſpectant, & in præſenti, non niſi importunè, infererentur.

8 *OPPONES III.* Natura debet eſſe ſubſtantia, vtpote primum principium motus in compoſito ſubſtantiali. Ergo non debuit definiri in ordine ad motum, qui eſt accidens: ſubſtantia enim libera eſt & abſoluta omnino ab ordine ad accidentia. *RESP.* Naturam quidem eſſe ſubſtantiam, ſimul autem eſſe principium primum motus, quietiſvè: ac propterea debuiſſe definiri in ordine ad vtrumque; quia principium in quantum tale exprimit ordinem ad id, cuius principium eſt. Proinde natura in definitione præiacta, non conſideratur formaliter quatenus ſubſtantia eſt præciſe, ſed vlterius ſecundùm rationem principij.

9 *OPPONES IV*, contra illa verba, *eius in quo eſt*. Ignis vt calefacit lignum, eſt natura. nam calefactio non eſt motus violentus aut liber, ſed naturalis. Et tamen calefaciens non cauſat calefactionem in ſe. Ergo natura non eſt principium motus eius in quo eſt; ſiquidem ignis non calefacit ſe, ſed aliud. Similiter principium generans, a quo provenit naturaliter generatio, non generat ſeipſum, ſed aliud a ſe. Ergo, &c. *RESP.* Neque ignem eſſe naturam reſpectu calefactionis, neque generans reſpectu generati; quia ſunt principia extrinſeca motus. Ad probationem dico, motum calefactionis eſſe naturalem, prout naturale opponitur ſupernaturali & libero; ſecus verò vt opponitur violento.

10 *DICES*: Calefactio non eſt contra inclinationem internam ligni calefacti. Ergo non eſt motus violentus. Ergo eſt naturalis, vt contraponitur violento; & conſequenter ignis vt principium calefactionis eſt natura. Hæc replica tangit non levem difficultatem, an, ſcilicet, detur motus medius inter naturalem & violentum? In qua tenenda eſt pars affirmativa; & dicendum, talem motum eſſe præternaturalem, qualis eſt motus calefactionis ligni, fluxus, & refluxus maris, in opinione aliquorum, circulatio ignis & aëris, quam ex motu firmamenti ait Ariſtoteles 1. Meteor. provenire. Ratio eſt, quia huiuſmodi motus non cauſatur ex principio intrinſeco, neque violenter, ſeu contrà inclinationem naturalem. Neque obſtat authoritas Ariſtotelis *infrà lib. 4. textu 67.* dicentis: *Omnis motus aut fit naturà, aut vi.* Ergo non datur motus medius inter naturalem & violentum. Nam reſpondetur Ariſtotelem ſumere violentum latè; vt etiam includit præternaturale. Etenim, cùm violentum duo includat, vnum ex parte principij activi, quod debet eſſe extrinſecum, & aliud ex parte paſſi, nempe; quod fit contra inclinationem naturalem illius; tunc eſt violentum propriè & ſtrictè, quando includit vtrumque: tunc verò latè, quando alterum tantum, videlicet, quando accipitur pro motu à principio extrinſeco, ſive mobile reſiſtat, ſive non. Denique, quod caput eſt, natura debet eſſe principium motus eius in quo eſt, ac proinde recepti in ſubiecto ipſo, cuius natura eſt. quod non convenit calefactioni, cùm

non

non recipiatur in igne calefaciente, ſed in paſſo calefacto.

EXAMINATA Iam ratione propria, ſeu definitione naturæ, reſtat nunc veſtigandum, quibus illa conveniat, ſeu, quod perinde eſt, quænam habeant rationem naturæ.

SECTIO SECVNDA.

Rationem propriam naturæ convenire materiæ primæ, & formæ ſubſtantiali, tam vt principio activo, quam paſsivo motus.

11 DICENDVM I. Definitionem, ſeu rationem naturæ convenire, tam materiæ primæ, quàm formæ ſubſtantiali. Duas partes habet hæc Aſſertio, quas ſeorſim probare oportet. Prior negatur a P. Vazquez 1.2. *diſp.* 25. *cap.* 3. *n.* 20. & 21. poſt Valleſium *contr.* 1 t. *ad Tyrones.* Poſteriorem negat Scotus *in* 2. *diſt.* 18. eiuſque diſcipuli; vniverſim relegantes rationem naturæ a principio activo, illamque ſoli paſsivo adſcribentes. Noſtram ſententiam communiter tuentur DD. in præſenti.

PRIMA Pars ſuadetur. Materia prima eſt principium paſsivum motus eius in quo eſt primo & per ſe, & non ſecundum accidens. Ergo convenit ipſi definitio ac propria ratio naturæ: quæ, iuxta dicta *ſect. præced.* abſtrahit à ratione principij activi & paſsivi motus. Probatur antecedens: Tum quia materia per ſe primò eſt principium paſsivum tranſmutationis naturalis, a quâ denominatur intrinſecè trâſmutata: Tum, quia generatio ſubſtantialis recipitur in materia primà, veluti in principio paſsivo: Tum denique, quia materia eſt vera cauſa motuum compoſiti naturalis, in quo eſt. Non enim ſola forma eſt quæ movetur, ſed compoſitum ex materia & formà coaleſcens: ac proinde vtrique illarum adſcribitur motus; formæ quidem vt principio formali; materiæ autem vt principio paſſivo. Vnde Ariſtotel. *infrà lib.* 8. *t.* 27. ait: τὸ μὲν ζῶον ὅλον φύσει αὐτὸ ἑαυτὸ κινεῖ. *Totum quidem animal naturà ſeipſum movet.*

12 *DICES*, Ad rationem naturæ exigi principium paſsivum motus, immediatum tamen, idque repugnare materiæ, quoniam ſolum mediante formà poteſt motum recipere. *SED Contrà I.* In definitione naturæ non exprimitur, neque indicatur, debere eſſe principium immediatum motus, vt conſtabit diſcurrenti per ſingulas eius partes. Ergo fruſtrà id in materia requiritur vt habeat rationem naturæ. *CONTRA II.* Anima rationalis vt principium motus localis progreſsivi eſt natura in omni ſententia. Et tamen non recipit immediatè prędictum motum, ſed mediante quantitate, quæ eſt ſubiectum immediatum cæterorum accidentium materialium. Ergo ad rationem naturæ non requiritur aliquid eſſe principium immediatè receptivum motus. *CONTRA III.* Ad rationem naturæ activæ ſufficit eſſe principium mediatè activum motus: vt patet in formà & compoſito ſubſtantiali, quæ rationem naturæ habent, licet in ſententià S. Thomæ non ſint principia immediata operandi. Ergo pariter ad rationem naturæ paſsivæ ſufficit eſſe principium mediatè receptivum motus. *CONTRA* Denique. Iam enim diximus materiam primam recipere immediatè in ſe motum generationis ſubſtantialis. Ergo permiſſo gratis, neceſſariam eſſe immediatam receptionem motus, nihil iam deſideratur in materia, vt verè natura ſit.

DENIQVE D. Thomas expreſsè tradit aſſertionem poſitam quoad eandem partem. Nam 2. Phyſic. lect. 1. inquit: *In rebus naturalibus eo modo datur principium motus, quo eis convenit motus. Quibus ergo convenit movere, convenit eſſe principium activum motus: quibus autem convenit moveri, eſt in eis principium paſsivum, quod eſt materia. Quod quidem principium, in quantùm habet potentiam naturalem ad talem formam & motum, facit motum eſſe naturalem.* Igitur ex mente D. Thomæ materia eſt natura, ſive principium motus naturalis, quatenus habet potentiam paſsivam, ſive ſuſceptivam naturalis formæ.

13 *OBIICES I.* Cum Valleſio authoritatem Philoſophi 5. Metaph. aſſerentis, materiam primam eſſe receptivam naturæ, id eſt, formæ. Ergo iuxta ipſum materia non eſt natura, ſed ſubiectum naturæ. *RESP.* Diſtinguendo conſequens: non eſt natura activa, concedo: paſsiva, nego conſequentiam.

14 *OBIICIES II.* Artificialia diſtinguũtur à naturalibus tantùm ratione formæ: vt ſtatua aurea non differt à rebus naturalibus quò ad aurum, ſed quò ad formam ſtatuæ. Ergo è converſo, naturalia diſtinguũtur ab artificialibus ſolùm penes formam. Ergo ſicut in artificialiabus ſola forma eſt ars, ita etiam in naturalibus ſola forma eſt natura. *RESP.* Negando antecedens: Quia naturalia diſtinguuntur ab artificialibus,

non

non ſolùm penes formam, ſed etiam ſecũdùm materiam; cùm materia naturalium rerum ſit potentia paſsiva ſimplex, artifici alium vero compoſita, quæ proinde materia ſecunda appellatur.

15 *OBIICIES III.* Si materia prima eſt natura, ſequitur nullum motũ eſſe violentum. At conſequens eſt falſum. Ergo & doctrina ex qua ſequitur. Probatur ſequela. Motus enim naturalis dicitur, qui eſt ſecũdùm inclinationem naturæ: violentus autem, qui eſt contra ipſius inclinationem. At ſi materia eſt natura, omnes motus erũt iuxta, non autem contra ipſius inclinationem. Omnes ergo motus erunt naturales, & nullus violentus. Probatur minor. Eo ipſo quòd materia ſit natura, erit profectò talis ſecundùm quòd eſt ſubiectum, ſive potentia paſsiva naturalis formæ. Secundùm autem quòd eſt potentia paſsiva naturalis formæ, nullus motus erit, qui iuxta ipſius naturalem inclinationem non ſit. Nã, vel dum eſt ſub forma lapidis, & altera cuiuslibet compoſiti gravis, motus ſurſum, qui violentus apparere poterat, erit iuxta inclinationem naturalem materiæ, vt ſubiecti paſsivi alterius formæ, ignis, v.g. aut aëris, cui motus ſurſum connaturalis ſit, ratione levitatis. Ergo omnis motus erit iuxta, non autem contra inclinationem naturalem materiæ. *RESP.* Nullum quidem motum violentum eſſe reſpectu materiæ conſideratæ ſecundùm ſe: quia, vt rectè aſſumitur in obiectione, materia ex ſe indifferens eſt ad omnes formas, ac proinde ad omnes ipſarum motus. Cum hoc tamen cohæret, quod aliqui motus ſint violenti, & contra inclinationem naturalem materiæ, vt exiſtentis ſub vna determinata forma potiùs quàm ſub alia. Vnde materiæ vt exiſtenti ſub forma compoſiti gravis, violentus eſt motus ſurſum; connaturalis autem ipſi, prout exiſtit ſub forma cõpoſiti levis. Vt enim nuper audivimus ex D. Thomà, principium paſsivum in cauſa eſt, vt motus ſit naturalis, quatenus habet naturalem potentiam ad formam & motum.

16 *SECVNDA* Pars concluſionis manifeſta eſt: Nam formæ ſubſtantiali, ſive conſideratæ ſecundum vim activam motus, ſive ſecundùm paſsivam, conveniunt omnes particulæ definitionis naturæ, vt palam erit ſingulas conſideranti. Ergo ſecundum vtramque inſpectionem habet rationem naturæ. Cùm verò hæc frequentius apprehendatur vt origo, & principium activum proprietatum, motuumque, ſive operationum; perſpicuum eſt, ſaltem ſub ea cõſideratione habere rationem naturæ. Cùm verò aliunde paſsivum principium motus ſit, præſertim circa operationes vitales; conſequens eſt vt ex vtroque capite rationem naturæ habeat. *Confirmatur.* Motus cœli ab Occidẽte in Oriẽtem eſt naturalis, quamvis comparetur ad illud tanquam ad principium paſsivum. Ita enim teſtatur D. Thom. *lib. 1. de Cœlo lect. 3 & 3. contra Gent. cap. 23. & de Potentiâ q. 5. art. 5. & 1. p. q. 70. art. 3. ad 4.* quia cœlum, non ſolùm ratione materiæ, ſed etiam formæ, ſolùm eſt principium paſsivum motus circularis, non verò activum. Quidquid enim in oppoſitum exiſtimaverint nonnulli Antiquorum, & ex Recẽtioribus Cæſar Cremoninus, Nierembergius in occulta Philoſophia, & Nicolaus Cauſinus *lib. 3. de Domo Dei*, cœlum non habet potentiam loco-motivam, neque activam motus circularis, ſed paſsivam tantùm vt oſtendemus *tract. de Cœlo.* Ergo forma, etiam ſecundùm rationem principij paſsivi motus, vere obtinet rationem naturæ.

17 *DENIQVE* vtramque aſſertionis partẽ expreſſam eſſe Ariſtotelis, mihi dubium non eſt. Etenim ſæpe, tum materiam, tum & formam appellat *naturam.* Hoc *lib. 2. textu* 10. inquit: *Natura ſic dicitur: primò ſubiecta materies cuiuſcumque eorum, quæ motus in ſe, mutationiſque principiũ habent. Alio verò modo ipſa forma, & ſpecies.* Et 5. *Metaph. cap. 4.* loquens de materia inquit: *Natura eſt, ex quo primò inexiſtente generatur, quod gignitur.* Neq; obſtat ſi obijcias eundem Philoſ. illo ipſo capite aientem: *Quare & quæcumque naturâ ſunt aut fiunt iam exiſtente, ex quo apta ſunt fieri, aut eſſe, nondum dicimus naturã habere, ſi ſpeciem & formam non habeant.* Quibus verbis videtur aſſerere non eſſe naturam, donec adveniat forma, ac proinde materiam non habere rationem naturæ pro priori ad illam. Nõ, inquam, obſtat. Ariſt. enim non dixit, materiam præexiſtentem non eſſe naturã: ſed illud quod faciendum eſt nondum habere naturam, quia nondum exiſtit, neque habet formam, donec illa producatur. Quem ſenſum exprimit hoc *lib. 2. cap. 1.* dum ait: *Nam quod poteſtate caro eſt, aut os, ſuam priùs naturam non habet, antequam formam, quæ vt ratio eſt, acceperit.*

SECTIO TERTIA.

Rationem naturæ convenire propriè loquendo animæ rationali, vt intellectiva & volitiva eſt, etiam in ſtatu ſeparationis. Obiectiones ſolutæ.

18 D*ICENDVM II.* Animam rationalem, ſecundùm quod intellectiva & volitiva eſt, etiam habere rationem naturæ.

PROBATVR. Anima enim rationalis, vt rationalis, eſt forma conſtitutiva entis naturalis, nimirum, hominis. Sed forma conſtitutiva entis naturalis eſt verè natura. Ergo anima rationalis vt rationalis eſt verè natura. Atqui anima rationalis vt rationalis eſt intellectiva & volitiva. Ergo anima rationalis vt intellectiva & volitiva eſt verè natura. Minor ſubſumpta & cõſequentia, conſtant. Maior præcipui ſyllogiſmi non ſolùm perſpicua eſt, sed expreſſè definita in Concilio Lateranēſi vltimo ſub Leone X. *ſeſſ.* 8. vbi hæc habentur: *Dãnamus & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectivam mortalem eſſe, & vnicam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes: cùm illa non ſolùm verè, per ſe, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verùm & immortalis, & prò corporum ratione, quibus infunditur, multitudine ſingulariter multiplicata & multiplicanda ſit.* Verè igitur anima rationalis vt rationalis, & ſecundùm eſſentiam ſuam, eſt forma conſtitutiva hominis, quatenus ens naturale eſt. Iam minor eiuſdem diſcurſus præcipui facilè ſuadetur: Quia ens naturale, in quantùm tale, eſt quod conſtat natura, vt ex terminis patet: ac proinde forma conſtituens illud in ratione entis naturalis debet eſſe natura. *CONFIRM. I.* Anima rationalis in quantùm intellectiva & volitiva non eſt forma irrecepta, vt natura angelica, neque ſeparata ab omni materià; ſed concreta corpori, & informans illud, ac cum eò conſtituens vnum ens naturale. Alioqui incideremus in errorem Averrois à Concilio damnatum, quo aſſerebatur, animam rationalem ſolùm eſſe formam aſsiſtentem, non verò informantem corpus humanum. Igitur anima rationalis in quantùm intellectiva & volitiva eſt principium motuum intellectionis & volitionis in homine, vt forma naturalis ipſius, primò ac per ſè. Sed quidquid in homine, ſive in eo, in quo eſt primò ac per ſe, habet rationem principij motus, eſt verè natura, vt conſtat ex definitione præiacta. Ergo anima rationalis vt intellectiva & volitiva eſt verè natura. *CONFIRM. II.* Id quod in homine per ſe loquendo habet rationem principij riſus & fletus, aliorumque motuum, qui in alijs animalibus præter hominem non inveniuntur, nequit non habere rationem naturæ. Sed anima rationalis quatenus intellectiva & volitiva habet in homine, primò ac per ſe loquendo, rationem principij riſus & fletus, aliorumque motuum, qui in alijs animalibus præter hominem non inveniuntur, vt perfectæ locutionis, ſcriptionis, ludorum artis & fortunæ, &c. Ergo anima rationalis quatenus intellectiva & volitiva, nequit non habere rationem naturæ.

19 *OBIICIES II.* Natura eſt determinata ad vnum, tamquam principium neceſſarium motus, & libertate ſeu indifferentia carens. Sed anima rationalis prout intellectiva & volitiva non eſt determinata ad vnum, tamquam principium neceſſarium motus; ſed potiùs tamquam liberum & indifferens. Ergo anima rationalis vt intellectiva & volitiva non eſt natura. *RESP.* Quando dicitur, naturam eſſe determinatam ad vnum, ſermonem eſſe de naturà, ſive de ente naturali, prout opponitur libero; non verò prout opponitur violento. Vnde ſolùm ſequitur, animam rationalem prout intellectivam & volitivam liberè, non eſſe naturam oppoſitam libero. Cùm hoc tamen cohæret quòd ſub ea ratione ſit natura & forma entis naturalis, quatenus oppoſiti violento: quà ratione potiſsimùm accipitur in præſenti. Quin & conſiderata anima prout eſt principium intellectionis, volitioniſque indeliberatæ, ſeu neceſſariæ, in homine, iam habet rationem naturæ, ſeu formæ entis naturalis, prout naturale opponitur libero: vt neque ex hac parte quidquam ad rationem naturæ deſideretur.

20 *DICES*: Eſto anima rationalis ſit principiũ intellectionis volitioniſque, tam neceſſariæ, quàm liberæ, in homine; nõ tamen eſt principiũ motus, vt requiritur ad rationẽ naturæ. Probatur aſſumptũ. Intellectio enim & volitio, ſive neceſſariæ, ſive liberæ ſint, nõ habẽt rationẽ mot⁹ phyſici, aut propriè dicti; ſed ad ſummũ metaphyſici & improprij, qualiter & in Angelo, cuius forma proinde nõ eſt principiũ motus, vt requiritur ad rationẽ naturæ. Ergo ſimiliter neque anima vt principium intellectionis volitioniſque, eſt principiũ motus,

vt

vt requiritur ad rationem naturæ. *RESP.* Negando antecedens: Quia anima pro ſtatu vnionis ad corpus, pendet in intelligendo & volendo a miniſterio phantaſiæ, aliorumque ſenſuum. nihil enim eſt in intellectu, quin priùs fuerit in ſenſu, vt inquit Philoſophus. Vnde motus intellectionis & volitionis, etiam phyſici appellari poſſunt, ſaltim diſpoſitive & miniſterialiter; quatenus pro hoc ſtatu pendent à phyſico motu ſenſuum, corporaliumque organorum.

21 *REPLICABIS*: Ergo ſaltim anima, prout in ſtatu ſeparationis, non eſt natura; ſiquidem motus intellectionis & volitionis, quos tunc exercet, non ſunt phyſici, ſeu pendentes à ſenſibus, ſive à corpore naturali; ſed metaphyſici ſolum, vt actus intelligendi & volendi in Angelo, cuius forma propterea non eſt natura. *RESP.* Negando conſequentiam: Quia ſtatus ille præternaturalis eſt animæ, quæ per ſe loquendo exigit operationes intellectus & voluntatis pẽdentes à corporis miniſterio. quod tamen non convenit operationibus Angelorum, quæ procedunt a forma per ſe loquẽdo independente ab omni miniſterio ſenſuum, liberaque, & exẽpta ab omni materia. Præterea, vel illas operationes intelligendi & volendi independentes à ſenſibus, quas anima ſeparata elicit, per ſe & connaturaliter exigit intra hominem, ſeu cõpoſitum phyſicum, elicere, veluti primũ principiũ motus reſpectu eius, in quo eſt; quod in Angelo non invenitur. Patet igitur formam hominis ſeparatam, præ angelica, principiũ motus, ac proinde naturam eſſe. Patet inſuper, animã ratione ſtatus accidentalis, & præternaturalis, qualis eſt ſeparationis, non debere amittere quod ipſi ſecundùm ſe convenit; nimirum, eſſe formam corporis humani, atque adeò naturam.

22 *INSTABIS*. Anima rationalis, in ſtatu ſeparationis ſaltim, non ſpectat ad conſiderationem phyſicã, neque eſt obiectũ Phyſiologiæ, ſed Metaphyſicæ tantùm, quæ ſola habet ſpeculari ſubſtãtias ſeparatas a materia. Ergo animà rationalis, ſaltim in ſtatu ſeparationis, non eſt natura propriè loquẽdo. Patet conſequentia: Quia quidquid habet rationẽ naturæ propriè loquendo, ſpectat ad conſiderationẽ phyſicam, ſeu Phyſiologiæ; non autem Metaphyſicæ, quę vltra naturam pergit, & ſenſibilia prætergreditur. *RESP.* ex doctrinà D. Thom. 5. *Phyſ. text.* 16 *lect.* 4. animam ſeparatam, ſecundùm quòd eſt forma corporis phyſici, ſpectare ad phyſicam conſiderationem, ſive ad Phyſiologiam: ſecundum quidditatẽ verò reſultantem ex genere & differentià incompletis, & ſecundum ipſum ſtatũ ſeparationis, pertinere ad Metaphyſicam, cuius eſt quidditates rerum, & ſeparationẽ à materia ſpeculari. Sufficit autem prima inſpectio, vt anima rationalis ſeparata habeat rationẽ naturalis formæ, conſequenterque naturę. Quod adhuc vrgeri, & fortè demonſtrari poteſt in hunc modũ. Anima ſeparata retinet id quòd habet eſſentialiter & ſecundùm ſe. Sed habet eſſentialiter, & ſecũdùm ſe eſſe formã corporis humani, vt cõſtat ex definitione Concilij Lateranẽſis, ac proinde eſſe naturã. Ergo anima ſeparata retinet hoc, quod eſt eſſe formã corporis humani, ac proinde naturã. *Præterea*: Id quo conſtituitur homo in ratione entis naturalis, diſtincti ſpecificè à quolibet alio, habet propriè rationem naturæ. Sed anima rationalis vt rationalis, eſt id, quo homo conſtituitur in ratione entis naturalis, diſtincti ſpecificè a quolibet alio. Ergo anima rationalis vt rationalis, habet propriè rationem naturæ. Sed anima ſeparata non amittit ratione ſtatus eſſe rationalem. Ergo neque amittit propriam rationem naturæ.

23 *INFERTVR* ex dictis cõtra Spinulam, poſita ſententia veriore, quæ potẽtias realiter diſtinguit ab anima, rationem naturæ non convenire potentijs animæ ſeparatæ; quoniam illæ non ſunt principium motus primò, id eſt, radicaliter, prout reverà oportebat. Anima autem ſeparata licèt non ſit actu in toto, eſt aptitudine, & quò ad exigentiam naturalẽ in illo: atque adeo ſufficienter habet rationem principij motus eius, in quo eſt.

SECTIO QVARTA.

Compoſitum ex materià & formà cenſeri naturæ re & nomine; non verò compoſitum ex naturà completa & ſubſiſtentià.

24 DICENDVM III. Compoſitum naturale ex materia & forma, vt humanitatem, habere ſtrictam rationem naturæ. Ita frequenter Thomiſtæ, & ex Ieſuitis Rubio in præſenti *q.* 2. *n.* 18. Oviedo *contr.* 2. *p. n.* 10. quamquã id negent Hurtado *diſputat.* 6. *ſect.* 1. Arriaga *diſput.* 6. *ſect.* 5. & Spinula in compendio huius libri *numer.* 6. ac PP. Complutenſes *diſputat.* 7. *quæſt.* 2.

PROBAT Oviedo ex Ariſtotele initio huius libri *c.* 1. dicente: *Natura quidem ſunt animalia, parteſque ipſorum, & plãta & ſim-*

plicia corpora, vt terra, ignis, & aër, & aqua. Hæc enim & eiuſcemodi res natura dicimus eſſe. Vbi expreſsè videtur aſſerere animalia, & plantas, quæ tamen ſunt vera cõpoſita ex materia & formà, eſſe naturam. Atqui teſtimonium hoc præter rem eſt, mirorque politiſsimum Authorem impegiſſe in rẽ adeò facilẽ, non ijs ſolum qui Græcam linguam ſummis labris libàrunt, ſed & qui Latinam vel mediocriter nòrunt. Senſus enim Philoſophi non eſt quod animalia & plantæ ſint natura; ſed quod ſint à naturà. Etenim in ipſo textu *natura* non accipitur in caſu nominandi, vti oporteret ad probandam Oviedi ſententiam; ſed in dativo Græco, qui æquivalet ablativo Latino, & per ipſum exprimitur. Verba enim Græca ſunt: *φύσει μὲν, τά τε ζῷα, καὶ τὰ μέρη αὐτῶν, καὶ τὰ φυτὰ*, &c. quæ ſic omnes per ablativum vertunt: *Naturà quidem ſunt, animalia, parteſque ipſorum, & plantæ*. Sed & ſufficerent poſtrema verba Latina ab Oviedo exſcripta, quæ non, niſi in ablativo, commodè, aut citra piaculum in Grammatica, accipi poſſunt: *Hæc enim, & huiuſcemodi res, naturà dicimus eſſe*. Quare ex prædicto Philoſophi loco veritas noſtræ ſententiæ, ne ſpecie tenus quidem, probatur.

25 *MELIVS* itaque probari poteſt, expreſſo teſtimonio D. Tho. 5 *Metaph. lect.* 5. illis verbis: *Non ſolùm forma partis dicitur natura; ſed ſpecies ipſa, quæ eſt forma totius. vt ſi dicamus quòd hominis natura non ſolùm eſt anima, ſed humanitas, quam ſignificat definitio.* Ergo iuxta D. Thomam compoſitum ex materia & forma, quale eſt humanitas, verè habet rationem naturæ. Tum & ratione: Definitio enim naturæ verè convenit compoſito ex materia & formà, vt humanitati. Hæc enim eſt principium & cauſa motuum, ſive operationum ſentiendi & intelligendi in homine, in quo eſt, primò ac per ſe, & non ſecundum accidens. Ergo cõvenit ipſi definitio naturæ. *Præterea*. Verbum divinum verè & propriè dicitur aſſumpſiſſe naturam humanam, quatenus aſſumpſit humanitatem, ſeu complexum ex animo rationali & corpore. Ergo id habet rationem naturæ.

26 *RESPONDEBIS I.* humanitatem eſſe naturam acceptam ſolùm pro quidditate & eſſentia; non verò pro principio motus & quietis, vt accipitur in præſenti. *SED Contrà*. Humanitas enim eſt principiũ *quo* operãdi in homine. nam principium *quod* eſt ſingulare, ſive ſubſiſtẽs iuxta doctrinam Ariſtot. 1. *de Animà textu* 64. & 7. *Metaph. t.* 77. ac D. Thom. *in* 1. *diſt.* 4. *q.* 1. *ar.* 2. *ad* 1. & 3. *p. q.* 20. *art.* 1. *ad* 2. & *q.* 3. *de Potentiâ art.* 8. Vide M. Ioannem a S. Thoma *q.* 7. *Phyſic. ar.* 2. vbi ex mente Ariſtotelis & D. Thomæ probat contra Vazquez, actiones non modo eſſe ſingularium, ſed & ſubſiſtẽtium. Ergo humanitas non ſolùm eſt natura, ſumpta pro quidditate, ſeu eſſentia, ſed etiã pro principio intrinſeco motus. nam principium *quo* motus, verè principiũ eius intrinſecum eſt. *Præterea*: In Concilijs definitur adverſus Monothelitas duplex natura Chriſti Domini, & duplicia omnia, quæ ad vtramque ſpectant, ex parte proprietatum & operationum; ac per conſequens humanitas & divinitas ipſius, atque vtriuſq; proprietates & operationes. Ergo humanitas vt principiũ operationũ humanarum verè eſt natura, ſicut & divinitas reſpectu divinarũ operationum. Alioqui liceret aſſerere, non eſſe duas in Chriſto naturas propriè loquendo, ſed duas quidditates tantum: quod planè diſcordat à communi modo loquẽdi Fideliũ & Theologorũ omnium.

27 *RESPONDEBIS II.* Compoſitũ ex materià & forma, ſive humanitatem, non eſſe primũ principiũ, ſed cõſtans ex primis principijs; ac proinde non eſſe naturã, quia hæc debet eſſe principiũ motus primo ac per ſe. *SED Contrà*. Etenim nomine principij motus eius in quo eſt primò ac per ſe, nulla ratio vrget vt nõ accipiatur omne id, quod eſt ſubſtantiale & radicale, vt oppoſitũ accidentali & proximo. Verè enim illud primò ac per ſe eſt principiũ & cauſa motus, eius in quo eſt. Sed cõpoſitũ ex materia & formà eſt principiũ ſubſtantiale & radicale motus eius in quo eſt, oppoſitũ accidentali & proximo. Ergo nulla ratio vrget vt cõpoſitum ex materia & forma non ſit principium motus eius, in quo eſt primo ac per ſe, & proinde natura. *CONTRA II.* Principiũ ſubſtantiale *quo* flendi ac ridẽdi in homine non eſt ſola materia, nec ſola forma: quippe neutra ſine altera eſt ſufficiens principium ridendi aut flendi, vt patet in corpore mortuo, & anima hominis ſeparata. Ergo principium *quo* ridendi ac flendi in homine completum & perfectum, eſt compoſitum ex materia & forma. Cumque illud ſit in homine flente ac ridente cauſa eorum motuum primò ac per ſe; nihil deeſſe putandum eſt, quominus humanitas, ſive compoſitum ex materia & forma, verè habeat rationem naturæ.

29 *DICES*. Natura ſecundum Ariſtotelem 5. *Metaph.* eſt principium & elementum. At compoſitum ex materià & forma, licet quodammodo ſit principium,

non

non tamen elementum. Ergo compoſitum ex materia & forma non eſt natura. *RESP.* Philoſophi ſenſu eſſe, quod natura ſit principium, & pariter elementum principium ſit. Vnde non infertur, compoſitum ex materia & forma excludi debere à ratione naturæ. Quæ interpretatio deſumitur ex D. Thoma *ibidem*, aſſerente, naturam eſſe principium, tamquam id à quo provenit motus; elementum vero eſſe principium, ſicut partem primam in generatione rei. Atqui compoſitum ex materia & forma eſt principium, tamquam id a quo incipit motus, licèt non tamquam pars prima in generatione rei. Ergo compoſitum ex materia & forma eſt verè natura, quamvis non ſit elementum.

27 *DIXI* in aſſertione, *compoſitum naturale ex materia & formâ* eſſe naturam. nam alioqui compoſitum ex natura & ſubſiſtentia non eſt natura. Quo ſenſu accipiēdus Ariſt. *hoc lib.* 2. *c.* 1, *t.* 12. illis verbis: *Id autem, quod ex his eſt compoſitum, natura quidem non eſt: ſed eſt & conſtat naturâ, vt homo,* τὸ δ' ἐκ τούτων φύσις μὲν οὐκ ἔστι, φύσει δέ, οἷον ὁ ἄνθρωπος. Vbi, cum loquatur de illo compoſito, quod eſt homo, planè de ſubſiſtente loquitur, & illud à ratione naturæ excludit. Vel ſi Ariſtoteles ſubſiſtentiam à naturâ diſtinctam neſcivit, vt communiter creditur, accipiendus eſt ijs verbis de compoſito ſingulari, & prout in individuo: quo ſenſu iam non eſt formaliter natura, ſed habens naturam. Quidquid tamen ſit de hoc, quod in Metaphyſica pleniùs elucidamus, doctrina tradita probatur ratione: Quia natura eſt pricipiū motus eius in quo eſt. Sed compoſitum ex naturâ completa & ſubſiſtentia non eſt principium motus eius, in quo eſt. non enim eſt principium *quo*, nec eſt in aliquo; ſed omnia in ipſo, vt in ſubiecto *quod*, omnia continente. Ergo compoſitum ex natura completa & ſubſiſtentia non eſt natura. Solùm itaque eſt ens naturale, ſeu natura conſtans, ſicut album non eſt albedo, ſed conſtans albedine.

28 *VNDE* Refellendi veniunt quicumque ex Thomiſtis autumant ſubſiſtētiam eſſe complementum naturæ diſtinctum realiter ab exiſtentia, ipſamque antecedens pro aliquo priori. Refelluntur, inquam: Quoniam, ſi ita eſt, nulla apparet ratio, cur ſuppoſitum non habeat ſtrictè rationem naturæ. Etenim eoipſo ſuppoſitum erit principium motus eius, in quo eſt, nimirum, exiſtentis; & continebitur in ipſo, vt in principio *quod*; ſicut humanitas continetur in ſuppoſito. Ergo quemadmodum eam ob cauſam humanitas eſt verè natura, quia eſt principium motus contentum in alio, vt ipſi aſſirmant; etiam ſuppoſitum natura erit, quod inconſequenter negant. Verùm & id abſolutè negare debent: quoniam fide ſanctum eſt, in Chriſto eſſe duplicem naturam, & vnicum ſuppoſitum. Si autem ſuppoſitum natura eſt, quemadmodum in Chriſto datur duplex natura, ſic etiam duplex ſuppoſitum dabitur. Cùm ergo hoc in fide erroneum ſit, dicendum ſupereſt, ſuppoſitum non eſſe naturam. Inde verò efficaciter colligitur, compoſitum exiſtens non ſuperaddere aliquid realiter intra lineam ſubſtantiæ vltra ſubſiſtentiam. Sed de hoc pleniùs in Metaphyſica. Vbi & an aliquo ſenſu Ariſtoteles ſubſiſtentiam agnoverit.

SECTIO QVINTA.

Materiam & formam non convenire vnivocè, ſed analogicè ſolùm, in ratione naturæ.

29 DICENDVM Denique, materiam, & formam non convenire vnivocè, ſeu analogicè ſolùm in ratione naturæ. Ita multi ex Recentioribus præcipuè quotquot actum metaphyſicum materiæ negant, vt & nos negavimus *diſp.* 4. *ſect.* 1. *à num.* 9. Quæ aſſertio videtur expreſſa Philoſophi in præſenti docentis, *formam eſſe magis naturam, quàm materiam.* Expendo ſic. Quoties duo aliqua conveniunt vnivocè in aliqua ratione communi, illa æqualiter participatur ab vtroque extremo, & non magis ab vno, quàm ab alio. Quod patet, tum ex conceptu rationis vnivocæ, quæ debet eſſe omnino eadem in inferioribus; tùm ab inſtantia, ſeu inductione omnium, & quorumcumque conceptuum vnivocorum; tum denique quia ſi in ipsâ ratione communi eſſet inæqualitas, illa potiùs eſſet analoga, quàm vnivoca, vt patet ex definitione conceptus analogi. Sed iuxta Philoſophum materia inæqualiter, ſive minus, participat rationem naturæ, quam forma. Ergo materia & forma non conveniūt vnivoce, ſed ſolum analogicè in ratione naturæ.

30 *SECVNDO* Probari poteſt iiſdem rationibus, quibus loco allegato oſtenſum eſt, materiam non habere actum proprium metaphyſicum, ſeu differentiam ſpecificam ſub aliqua vna ratione communi generica, in qua conveniat cum forma. Indidè verò haud obſcurè infer-

infertur, materiam cum formâ non cõvenire vnivocè in ratione naturæ. Si enim ratio naturæ incommuni eſſet quaſi generica ad formam & materiam; ac proinde hæc vt condiſtincta à forma haberet propriam differentiam ſpecificam, ſive actum metaphyſicum. quod ſanè opponitur conceptui puræ potentiæ paſsivæ, quem ibidẽ ſtatuimus: Recolantur quæ dicta ſunt eo loco. Conſequenter dicendum, nullam omnino eſſe rationem; neque cauſæ, neque principij, in qua materia conveniat vnivocè, ſed analogicè tantùm, cum formâ; quia omnium eadem ratio eſt, & ex carentia actus metaphyſici æqualiter inferuntur.

31 *DICES*: Ratio naturæ abſtrahit à principio paſsivo, & activo motus, vt ſuperius dictum eſt in expoſitione definitionis Ariſtotelicæ. Ergo nulla eſt ratio cur magis conveniat principio activo motus, quod eſt forma, quam paſsivo, quod eſt materia. Ergo neque ratio vlla ſubeſt, cur materia non conveniat cum forma in ratione naturæ vnivocè, ſed analogicè tantùm. *RESP*. Quemadmodum ratio entis implicitè & in confuſo importat ſubſtãtiam & accidens, vt proportionaliter convenientia inter ſe; ſic etiam rationem naturæ importare implicitè, & confuſè rationem principij paſsivi & activi motus, vt proportionaliter ſe habet vtrumque in ordine ad motũ ipſum. Cujus doctrinæ ſi rationem petas, difficilè reddi poteſt. Ea autem videtur aſsignanda, quòd natura ſimpliciter dicta ſit radix & origo perfectionũ aliarum, quæ cuique rei conveniunt. Eſſe autem radicem & originem perfectionum aliarum cuiuſq; rei, denotat influxum radicalem, activumque, qualis convenit formæ; non autẽ purè paſsivum, qualis eſt materiæ. Ergo ratio naturæ ſimpliciter convenit potius formæ, quàm materiæ. Præterea. Natura ſimpliciter importat potiſsimam perfectionem ſubiecti. Manifeſtum eſt autem, principium paſsivum, vt diſtinguitur ab activo, non importare potiſsimam perfectionem ſubiecti; ſed potius imperfectionem ſimpliciter; perfectionem verò ſecundùm quid; oppoſito autem modo ſecundùm omnia ſe habere principium activum. Ergo natura ſimpliciter talis potiùs importat principium activum, quàm paſsivum. Quæ ratio locum habet, etiam permiſſo materiam convenire vnivocè cum fõrma in ratione principij & cauſæ. hæc enim duo non important potiſsimam perfectionem cuiuſque rei abſtractè & in genere; cùm tamẽ natura ſimpliciter illam importet. Denique, cùm natura creata ſit participatio increatæ, illa erit natura ſimpliciter, quæ participaverit ſimpliciter naturam increatam: illa vero erit natura ſecundum quid, quæ participaverit ſecundùm quid ſolum increatam naturam. Atqui materia non participat ſimpliciter naturam increatam, ſed ſecundùm quid tantum ſub ratione principij paſsivi motus. Ergo neque eſt natura ſimpliciter, ſed ſolum ſecundùm quid ſub ratione principij paſsivi motus. Probatur minor: Quia natura increata non eſt principium paſsivum; cùm omnis receptio repugnet actualitati ſummæ Dei. Ergo materia ſub ratione principij paſsivi motus non participat ſimpliciter naturam increatam. Solum itaque participat illam ſecundùm quid, & proportionaliter; quatenus ita ſe habet materia per modum principij paſsivi ad motum, ſicut natura increata per modum principij activi ad movendum. Cum vero forma ſit principium activum motus ſimpliciter & *vt quo*, ſit conſequens, vt naturam increatam participet ſimpliciter, & abſoluto naturæ nomine cenſeatur.

SECTIO SEXTA.

In quo diſtinguatur Natura ab Arte?

32 RESP. Iuxta doctrinam Ariſt. hoc ipſo libro & *cap*. 1. diſtingui vtrãque, tum in *eſſe*, tum & in *operari*. In eſſe quidem: nam iuxta Philoſophum natura eſt ſubſtantia: ars verò eſt accidens præſupponens ſubſtantiam integrè conſtitutam. Manifeſtum eſt autem ſubſtantiam & accidẽs entitativè diſtingui. Ergo & naturam ab arte. In operari autem patet vtriuſque diverſitas: quia natura operatur veluti principium primum ac radicale motus, vt conſtat ex definitione: ars verò, cùm ſit accidens, ſolùm poteſt eſſe principium motus proximum, ſeu immediatum.

33 *DICES*. Poſitis duobus artefactis quò ad omnia naturalia æqualibus, & ſolùm inæqualibus quò ad artificialia, vt ſi alterum ſit ſphæricum, alterum verò planum; erit inæqualis vtriuſque motus, velociuſque ruet ex alto ſphæricum, quàm planum; vt experimento conſtare dicitur. At eiuſmodi inæqualitas motuum à natura non oritur, quæ in vtroque æqualis eſt. Ergo ab arte: atque adeò hæc poteſt eſſe vnicum & primum principium motus. *RESP*. admiſsâ experientiâ, obiectionem ſolum convincere, artem diſponere ad inæqualitatem

tatem motuum penes accidentia; nimirum, penes velocitatem: quia corpus ſphæricum habet partes magis vnitas beneficio artis, atque adeo magis diſpoſitas ad ſcindendum aerem, a quo motus poterat retardari. Inde vero minimè convincitur, artem eſſe primum principium motus quò ad ſubſtantiam. hoc enim naturæ proprium eſt. Ex hac doctrinâ,

34 *INFERO*, Artem per ſe loquendo non poſſe efficere naturæ opera, nec principaliter, nec inſtrumentaliter. Non primum: Quia naturæ opera ſunt compoſita ſubſtantialia, itemque formæ quibus ea eſſentialiter conſtant, & accidentia illas conſequentia. Omnia autē hæc nequeunt fieri ab arte principaliter, ſive virtute propria: quia non continentur in eâ formaliter, nec eminenter; quoniam perfectione excedunt illam, ſicut ſubſtantia eminet accidenti, & natura artem ſupergreditur. Non ſecundum: Quoniam quidquid inſtrumentaliter efficit naturæ opera, efficit illa in virtute eiuſdem naturę, & tamquam virtus illius inſtrumentaria. Ars autem non efficit opera prædicta in virtute naturæ, & tāquam virtus eius inſtrumentaria. Hoc enim ſolùm competit accidentibus naturalibus, quæ ab eadem naturâ fluunt. Non ergo ars efficit naturæ opera, adhuc inſtrumentaliter.

35 *DICES*: Ars Chimica producit verum ac naturale aurum, vt ſibi perſuaſum habent eius diſciplinæ Profeſſores, quibus favere videtur S. Thomas 2.2. *q.77. art. 2. ad* 1. Ergo iam ars poteſt efficere opera naturæ, vel principaliter, vel ſaltim inſtrumentaliter. *RESP. I.* negando antecedens: quia, vt expreſsè docet idem D. Angelicus in 2. diſt. 7. q. 3. art. 1. ad 3. *quadam formæ ſubſtantiales ſunt, quas nullo modo ars inducere poteſt; quia propria activa & paſsiva invenire non poteſt. Sed in ijs poteſt aliquid ſimile facere: ſicut Alchimiſtæ faciunt aliquid ſimile auro quātùm ad accidentia externa; ſed tamen non faciunt verum aurum; quia forma ſubſtantialis auri non eſt per calorem ignis, quo vtuntur Alchimiſtæ; ſed per calorem Solis in loco determinato, vbi viget virtus mineralis. Et ideò tale aurum non habet operationem conſequentem ſpeciem.* Quare meritò prohibita eſt ab Eccleſiâ in Extravag. *Spondet*, venditio auri eiuſmodi, ſeu commutatio pro vero; declaratumque, vendentes, ſeu commutantes, teneri ad reſtitutionē. Vt omittam, paucis vmquam accidiſſe, vt per artem Chimicam educerent aurum eiuſmodi, adhuc imperfectum, & fucatum; plurimoſque homines fruſtra oleum & operam impendiſſe longo tempore in eo exprimēdo. quorum aliquem, virum alias pium, & ſacris rebus addictum, viginti retro annis agnovimus in oppido Montis-Fortis apud Gallæciam. Is enim arti Chimicæ, & eius experimentis pertinaciter adhærens, hoc vnum poſt multa annorum curricula aſſecutus eſt, vt domeſticâ penu exhauſta in aſsiduo igne, oleo, alijſque eiuſmodi, tandem riſum omnium prudentum excitaret.

36 *VERVM*, Permiſſo gratis, fieri poſſe aurum verum per artem Chimicam; id certè rariſsimum erit, & non virtute connaturali eiuſdem artis, ſive principali, ſive inſtrumentariâ; ſed tantùm per applicationem activorum ad paſsiva. Quomodo autem applicatio facienda ſit, vix notum eſſe poteſt alicui mortalium in ordine ad efficiendum verum aurum, ſolumque concedi debet Angelis ac dæmonibus propter perfectam rerum naturalium notitiā. quæ, ſi adſit, applicare poterit proprijs paſsivis activas virtutes naturales corporum, in quibus naturalia effecta continētur, eaque producere applicativè ſolùm, & totâ virtute cauſandi in cauſis naturalibus reſidente. Quam doctrinam vniversè tradunt S. Auguſtinus *lib. 10. de Civit. cap.* 11. & D. Thomas loco in obiectione indicato ex 2.2. & cæteri Theologi ac Philoſophi. Inde eſt quòd Magi; ſive ſapientes Ægyptiorum, ediderint ſerpentes, vt habetur *Exodi 7.* non quidem ſpecie tenus, ſed veros, vt docet S. Thom. *q. 6. de Potentiâ art. 5. ad 8.* Etenim magiſterio dæmonum inſtructi, cognoſcere potuerunt aliqua ſemina habentia vim naturalē putrefaciendi Virgas, eaſque convertendi in ſerpentes, poſita ſufficienti applicatione. Inde etiam oritur, quod per Medicinæ artem, abſque vllà dæmonis ope, virtutes naturales herbarū & lapidum ita humanis corporibus applicentur, vt ſalus deperdita, & quaſi deſperata, ad plenū recuperetur. Indidem quoque procedit, quòd pulli gallinacei, qui connaturaliter ſolùm oriuntur ex calore gallinæ incubantis, aliunde procedant; applicatis, videlicet, alijs corporibus calidis, ſive fomentis ad eadē ova, aut poſitis his intra fornacē, vt in Ægypto communiter fieri dicitur. Poteſt itaque ars applicare virtutes activas naturales proprijs paſsivis, vt quoſdā effectus naturales producant. Verùm in ijs caſibus tota activitas penes naturam eſt, arte ſolùm per modum conditionis, miniſtræ, aut ſe habente.

DIS-

DISPVT. DECIMATERTIA:

QVID ET QVOTVPLEX SIT CAVSA?

Num. 1. *PLVRA Eàque diverſa, prӕter morem noſtrum, in hac diſputatione breviter percurrenda ſunt, ſicut & in præcedenti: vt ſic liceat alijs difficilioribus immorari. Neque enim vnico volumine comprehendi poſſunt omnia quæ ad Phyſiologiam attinent, ſi exactè diſcutiantur. Porrò cauſa tripliciter accipitur.* Primò *latè & impropriè, quà ratione omne principium dicitur cauſa, non modò ſi poſitivum ſit, ſed etiamſi privativum: vnde & privatio ſolet dici cauſa appetitus.* Secundò *nimium ſtrictè pro ſolà illà cauſà, quæ influit efficiendo. quò ſenſu accipitur illud Auguſtini* lib. 83. QQ. *aientis*: Omnis cauſa eſt efficiens. *Niſi fortè per τὸ* efficiens *idem intellexerit, ac principium influens.* Tertio *deniq; pro cauſà verè & poſitivè influente, vniverſim acceptà: quo ſenſu nuſquam invenitur definita ab Ariſtotele, neque hoc ſecundo libro, neque quinto Metaph. cap. 2. vbi ex profeſſo de cauſis differit. Vnde plurimi e proprio cerebro definitionem cauſæ aſsignant. Quorum impugnatione, brevitatis cauſa omiſſa, placet iuxta ſententiam D. Thomæ vbique receptiorem loqui. Hæc diſputatio vendicat ſibi locum apud Ariſtotel. præſertim cap. 3. huius libri ſecundi.*

SECTIO PRIMA.

Definitio cauſæ, à D. Thomà tradita, exponitur, vindicaturque à Recentiorum impugnationibus.

2 SIT I. *Aſſertio.* Recta eſt definitio cauſæ a D. Thomà tradita q. 10. de Potentia art. 1. ad 3. & hoc lib. 2. ſect. 11. vt ſit *principium, ad quod ſequitur aliud*, ſive, quod perinde eſt; *id, ad quod ſequitur eſſe alterius*. Eandem amplectitur S. Bonaventura *in 2. diſt. 20. art. 2.* ex Authoribus Societatis Eximius Suarez *diſp. 12. Metaph. ſect. 2.* Toletus *q. 1.* Rubius in præſenti *num. 15.* alijque plures, & communiter Thomiſtæ.

PRO Intellectu definitionis prӕiactæ notandum, de ratione cauſæ quatenus determinat rationem principij communem, eſſe quòd præſtet verum realemque influxum in effectum. quod quidem non exigitur ad rationem principij communem: vt patet in privatione, quæ licèt habeat rationem primi principij iuxta dicta *diſp. 2.* adhuc non eſt cauſa, defectu poſitivi ac realis influxus. Deinde neque is qualitercumque poſitus conſtituit cauſam in exercitio, ſed ille ſolus, qui ex parte effectus infert dependentiam realem à principio influente. Quare licèt Pater æternus poſitivum influxum exhibeat in Filium, eius cauſa non eſt, quoniam Filius non dependet à Patre. Ideo omnes Patres Latini abhorrent nomen *cauſæ* inter divinas perſonas: Græci autem, qui id admittunt, ferè de nomine ſolùm diſſentire videntur, quoniam ita eo vtuntur, vt tamen omnem limitationem & dependentiam excludant, nec velint aliud ſignificare cauſam in divinis, quam principium poſitivè influens in rem diſtinctam. Cuius rei amplum perhibet teſtimonium doctiſsimus Cardinalis Beſſarion, Patriarcha Conſtantinop. in Oratione pro Vnione, quæ habetur ad finem Cõcilij Florentini *cap. vlt.* vbi, poſtquam diſputaverat cum Græcis de proceſsione Spiritus Sancti, vſuſque fuerat nomine *cauſæ*, ſolum vt morem gereret ijs inter diſſerendum, ſubdit: *Notandum quòd Sancti Doctores Orientales, etiam in divinis vtuntur nomine cauſæ & cauſati largo modo; non quidem vt limitationem & dependentiam importat; ſed prout productionem & emanationem à principio eius, quod eſt à principio, ſignificat: ideo me etiam ad Græcos loquentem ijs nominibus vſum fuiſſe.* Circa quod plura notatu digna obſervat eruditiſsimus Vir, & magnum noſtri ſæculi decus, Dionyſius Petavius in Theologicis Dogmatibus.

3 *CÆTERVM* Vt influxus aliquis ex parte termini dependentiam importet, neceſſum eſt in principio influente, eiuſque termino, eſſe naturam ſpecificè diverſam; aut numericè ſaltẽ. Quod obſervat S. Tho. 1. p. q. 33. art. 1. ad 1. dicens: *Hoc nomen cauſa videtur importare diverſitatem ſubſtantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam nõ importat nomen principij. In omnibus enim cauſæ generibus ſemper invenitur diſtantia inter cauſam, & id, cuius cauſa eſt, ſecundùm aliquam perfectionem, ſeu virtutem.* Ratio autem eius doctrinæ prona atq; in aperto eſt: Quoniã ſuppoſito ſemel reali influxu vnius in

in aliam rem, nullum eſt caput excludendi dependentiam termini a principio influente, quam quod vtrumque habeat identitatem in natura, ſeu perfectione eſſentiali: qua identitate poſità, nequit eſſe vera dependentia. Ergo quidquid dependet a principio influenti, debet habere naturam, ſeu perfectionem eſſentialem realiter ab eo diſtinctam, vel ſpecificè, vel ſaltèm numericè. Quare licèt perſona Filij procedat per verum influxum à Patre æterno, & Spiritus Sanctus ab vtroque, nulla ibi intercedit cauſalitas, quoniam nulla eſt dependentia vnius ab alio, ratione identitatis in eàdem numero naturà. Hoc enim ipſo, quòd perſona vna dependeret ab aliâ ſecũdùm rationem peculiarem & propriam, qua procedit ab illâ, ſecundùm eam pateretur limitationem aliquam: omne enim quod dependet ab alio, ſub eàdem ratione limitatum eſt. At eo ipſo quod ratio peculiaris & propria alicuius perſonæ limitationem patiatur, nequit eſſe per identitatem Deus, ac proinde nequit habere identitatem realem cum naturâ divinà. Ergo eo ipſo quod perſona vna dependeret ab alia ſecundùm rationem peculiarẽ & propriam, non poſſet habere identitatem realem cum naturâ divinâ. Ergo de primo ad vltimum, vt aliquid procedat per verum influxum ab aliquo, vt à cauſâ, neceſſum eſt quòd principium & terminus non habeant eandem numero naturam, ſed diſtinctam realiter ſpecificè, vel ſaltèm numericè.

4 *HINC* Eſt quòd D. Thomas conſultò cauſam definierit, *principium, ad quod ſequitur aliud.* Non dixit, *alia res*, ſed *aliud*; vt denotaret per genus neutrum, inter cauſam & principium diſtinctionem realem eſſe debere penes naturam, ſive quò ad prædicata eſſentialia. Vt enim ipſe docet 1.p.q.31. art.2. *Neutrum genus eſt informe: maſculinum autem eſt formatum & diſtinctũ, & ſimiliter fœmininum: & ideo per neutrum genus ſignificatur eſſentia communis: per maſculinum autem & fœmininum, aliquod ſuppoſitum determinatum in communi naturà. Vnde, etiam in rebus humanis, ſi quæratur, quis eſt iſte; reſpondetur, Socrates. Si autem quæratur, quid eſt iſte; reſpondetur, Animal rationale. Et ideo, quia in divinis eſt diſtinctio ſecundùm perſonas, non autem ſecundùm eſſentiam, dicemus quòd Pater eſt alius à Filio; ſed non aliud: & è converſo dicemus, quòd ſunt vnum, ſed non vnus.* Hactenus ibi.

5 *EX* Quibus eluceſcit iam bonitas definitionis præiactæ, cuius ſi Authorem, ſimul & Interpretem, exhibuit Doctor Angelicus. Primò enim rationem principij, aut expreſsè, aut per circumlocutionem adhibuit, veluti rationem, communẽ, aut genericam, in qua cauſa convenit cum alijs rebus, quę principia ſunt quidem aliorum, ſed cauſa non ſunt: vt privatio relatè ad ens naturale, & punctum initiativum relatè ad lineam ſubſequentẽ. Addidit deinde τὸ *ſequitur*: quod de ſequela per phyſicũ influxum ex parte principij, & dependentiam ex parte termini, omnes accipiunt: & iam cauſa in hoc diſtinguitur à principio non influente. Denique ſubditur, influxum eiuſmodi debere eſſe in *aliud*: quo excluditur influxus æterni Patris in Filiũ, & vtriuſque in Spiritum Sanctum. Quamvis enim in alium tendat, non tamen in aliud; quoniam tres divinæ perſonæ eàdem numero natura conſtant, ideoque vna non eſt aliud ab alterà. Patet igitur definitione præiacta explicari, tum id quod commune eſt cauſę, quatenus convenit cũ principio quolibet; tum etiam quod peculiare, quatenus ab eo differt, & ab omni alio quod cauſæ rationem non habet. Cumque aliunde nihil deficiat ex ijs, quæ ad rectitudinem definitionis exigi ſolent, colligitur demum rectam eſſe, quam hucuſque explicuimus.

6 *DOCTRINA* Hactenus tradita, ſi rectè intelligatur, apertè iugulat obiectiones quorumdam Recentiorum, eam impugnantium. Quorum prætermiſsis quibuſdam obvijs, & quæ levi manu declinari poſſunt, paucæ aliquot videntur notatu dignæ. *Prima* in eo conſiſtit, quòd tradita definitio videatur convenire integrè conditionibus neceſſarijs ad exiſtentiam effectus, cuius tamen cauſa non ſunt; ac proinde alijs à definito. Sequela probatur: quia conditiones neceſſariæ ſunt principia, ad quæ ſequitur aliud, ſive aliquid ſecundùm eſſentiam diſtinctum; aliàs minimè ſequuturum, non exiſtente conditione. *Secunda*, quam vrget Oviedo *contr. 7. puncto 1. n. 3.* rogat, cur Filius, qui ſine Patre eſſe non poteſt, & ita ab illo producitur, vt nequeat non exiſtere ab eo productus, quique repugnaret ſi à Patre non produceretur, dicendus non ſit à Patre dependere, & ab illo vt causâ procedere? Quod enim dici ſolet, dependentiam importare naturam diſtinctã in termino dependente; videtur voluntariè dictum, vt tradita definitio ſarta tecta ſervetur. *Tertia*: Pater æternus, licèt ad intra non influat in aliud ſecundum eſſentiã, influit tamen in aliud ſuppoſitum. Ergo ve-

verè eſt principiũ, ad quod ſequitur aliud; cùm tamen Filij cauſa non ſit. *Confirmatur.* Illud *aliud*, in quod debet influere principium, vt cauſa ſit, vel importat naturam aliam, quam nos naturam vocamus, vt diſtinctam à perſonalitate: vel importat aliã eſſentiam, quatenus eſſentia dicit conceptum quidditativum rei, convenientem naturæ, perſonalitati, & cuilibet accidenti. Si importat aliam naturam, vt diſtinctam à perſonalitate, ſequitur naturam creatam influentem activè & paſsivè in propriam ſubſiſtentiam, adhuc nõ eſſe illius cauſam; quia non influit in aliam naturam. Si autẽ τὸ *aliud* importat aliam eſſentiam, quatenus eſſentia ſignificat quidditativum conceptum, ſubſiſtentia Filij importat conceptum quidditativum realiter diſtinctum à ſubſiſtentiâ Patris. Ergo verè Pater æternus influet in aliud, dum Filium producit, ac proinde erit vera cauſa Filij. Cùm verò vtrumque ex illatis abſurdum ſit, alterum ſaltem ſequitur ex tradita definitione cauſæ. *Quarta.* Finis eſt vera cauſa, vt conſtabit ex dicendis. Et tamen ſæpè indiſtinctus eſt realiter, ſeu non aliud à ſuo effectu. Ergo ſtat optimè aliquid eſſe verã cauſam, & tamen nõ influere in aliud. Probatur minor: tum, quia eadem res in intentione movet ad exiſtentiam ſui ipſius prout in executione, ac proinde cauſat finaliter ſeipſam: tum etiam, quia ſæpè quis amat ſolius amoris gratiâ, iuxta illud Bernardi: *Amo, quia amo: amo, vt amem.* Ergo idem amor poteſt eſſe finalis cauſa & effectus ſui ipſius.

7 *VERVM* Obiectiones præiactæ non exturbant definitionem, aut doctrinã traditam. AD I. nego ſequelam: quia conditiones puræ (de quibus debet procedere obiectio, vt vim habeat) quamvis ſint neceſſariæ vt effectus cauſetur, nõ tamen exhibent influxum poſitivè in illud: hoc enim proprium eſt rei habentis rationem principij influentis, ſeu virtutis cauſandi. Conditiones autem puræ, neque habent rationem principij influentis, neque virtutis cauſandi, ſed tantum ſunt requiſita vt cauſa cauſet in exercitio. Cuius ſignũ eſt quod nulla pura conditio habeat aſsimilare ſibi effectum, vt in divinis & creatis cernere eſt. AD II. patet ex dictis *num. 3. fine*, depẽdentiam importare limitationem & dependentiam à principio, ac proinde naturã creatam limitatamque; & per conſequens diſtinctam realiter à natura Patris æterni. AD III. exinde conſtat, non ſufficere alietatem ſuppoſiti, ſed requiri etiam naturæ diſtinctionem, imò & limitationem, vt aliquid procedat ab alio vt cauſa ipſius: quia debet habere dependentiam & inferioritatem, quæ non cohæret cum eadem numero naturâ. *Ad Confirm.* In definitione cauſæ τὸ *aliud* importat aliam eſſentiam, ſive alium conceptũ quidditativum ex parte termini, alietate reali à naturâ principij. Talis enim alietas exigitur ad dependentiã. Subſiſtentia autem Filij Dei, vt talis, nõ importat conceptum quidditativum alium, alietate reali, à naturâ principij producentis, quæ eſt divinitas; ſed realiter eundem, quia eſt idem reipsà cum divinitate. Mirũ ergo non eſt quod definitio cauſæ adaptari nequeat æterno Patri relatè ad Filium. AD IV. nego minorem. Ad primam probationem dico, rem prout in intentione habere totam ſuam exiſtentiam ſolùm in apprehenſione, & obiectivam; ac proinde realiter diſtinctam omnino ab exiſtentia phyſicâ, ſive prout in executione: ideoque non eſſe eandem entitatem, exiſtentiamvè, niſi repræſentativè tantùm. Inſuper illa ipſa entitas finis, vt moveat, cauſetque, aſſociari debet cauſalitati realiter diſtinctæ ab illâ, & ab effectu cauſato. Quare nunquam ſequitur, cauſare finaliter ſeipſam. Ad ſecũdam probationem patet ex hac ipsa doctrinâ, amorem prout in intentione non eſſe eundem quò ad exiſtentiam cum amore prout in executione, ſed repræſentativè tantùm. Siquando autẽ quis amat vt amet, iuxta phraſim Bernardi, aut dicendum eſt, amorem illum elici ex fine alterius amoris ferventioris perfectioriſque, ad quem diſponit; aut nudum amorem elici ex fine eiuſdem amoris quatenus conſtituentis vnum aliquid effectivè cum re amatâ. quo ſenſu amor vt finis, ſaltem ex parte, vnius extremi, diſtinguitur ab amore vt medio, vel nudo affectu.

SECTIO SECVNDA.

Quatuor eſſe cauſarum genera. Obiectiones ſolutæ, & Corollaria quædam.

8 SIT II. *Aſſertio.* Sufficienter & adæquatè dividitur cauſa vniverſim accepta in quatuor genera cauſarum: nimirum, in efficientem, finalem, materialem, & formalem. Ita Philoſophus hoc *lib. 2. textu 31. & 68.* & expreſsius *textu 70.* illis præcipuè verbis: καὶ δ' αἴτιαι τέτταρες, περὶ πασῶν τοῦ φυσικοῦ εἰδέναι, &c. *Cum autem quatuor cauſæ ſint, de omnibus ſcire, nimirum Naturalem Philoſophum pertinet: atque ad*

om-

omnes ipſum propter quid redigens ipſe, materiam, formam, id quod movit (ſcilicet, efficiens) *& id cuius gratià, naturaliter reddet, ac aſsignabit*. Eandem doctrinam, tum in præſenti, tum & alibi paſsim, probant, aut ſupponunt D. Thomas, & cæteri Doctores.

9 *RATIONEM* Ariſtoteles ipſe ſatis indicat verbis allegatis, eaque ſub hanc formam proponi poteſt. Ille numerus cauſarum aſsignari debet, per quem Philoſophus Naturalis ſatisfacere poſsit, ſive planè rationem reddere de quolibet effectu. At eiuſmodi eſt quadruplex genus cauſæ in aſſertione propoſitum. Ergo quadruplex cauſarum genus debet aſsignari. Probatur minor. Quatuor enim ſolùm in genere interrogari poſſunt à Philoſopho Naturali, vt ea ediſſerat: ſcilicet, à quo procedat res, propter quid facta ſit, per quid conſtituatur, & in quo aut ex quo fiat. Atqui primæ interrogationi fit ſatis aſsignando cauſam efficientem, ſecundæ finalem, tertiæ formalem, quartæ materialem. Plenè ergo ſatiſfaciet Philoſophus Naturalis aſsignãdo cuilibet rei prædictum quadruplex cauſæ genus. *Confirmatur*. Iis enim quatuor generibus, & non pluribus, neque paucioribus, indiget ens naturale, vt plenè exiſtat, ſeu integrè producatur. Debet enim procedere à naturali agente, quod eſt efficiens. Cumque hoc nequeat producere formam, aut eius vnionem, niſi in ſubiecto aliquo, exigitur cauſa materialis, quæ eſt ipſa materia. Cùm verò hæc non habeat ex ſe ſpeciẽ determinatam, ſaltem completam, indiget ſubſtantiali formà, per quam actuetur & compleatur, quæque proinde formalis cauſa compoſiti ſit. Denique, cùm omne agens agat propter finem, requiritur cauſa finalis. Nihil autem præterea exigere videtur ens naturale.

10 *OBIICIES*. Quædam habent rationem cauſarum, & tamen non ſpectant ad aliquod ex prædictis quatuor cauſarum generibus. Non ergo tantùm ſunt quatuor cauſarum genera. Aſſumptum probatur multipliciter. *Primò*. Idea, ſeu exemplar, quo præeunte in intellectu, phantaſiavè, artifex operatur, eſt vera cauſa artefacti: vtpotè dependentis ab eius influxu, & non aliter in rerum natura extituri. At non eſt cauſa materialis, aut formalis, cùm non ſit intrinſeca artefacto; neque efficiens, cùm non operetur illud; neque tandem finalis, cùm potiùs ipſa ordinetur ad artefactum, quàm è contra. Ergo idea pertinet ad aliud quintum genus cauſæ diverſum à quatuor enumeratis. *Secundò*. Obiectum eſt vera cauſa ſcientiæ, potentiæ, atque actus. At nõ formalis, neque materialis, quia extrinſecè concurrit; nec efficiens, quia ſcientia & actus à ſola potentia fit, potentia autem à ſola natura fluit, & ab agente extrinſeco producitur: nec tandem finalis, quia ipſum obiectum in alium finem ordinari poteſt. *Tertiò*. Abſentia nautæ eſt cauſa ſummerſionis navis, ideoque nautæ tribuitur, ſicut & tumultus Reipublicæ, aliaque mala eiuſmodi imputantur omiſsioni Gubernatorum. At illa inter prædicta quatuor cauſarum genera non videtur locum habere, vt conſtabit diſcurrenti per ſingula. Idemque videtur eſſe de eo, qui conſiliatur, aut præcipit quidquam alicui: eſt enim vera cauſa actus ſecuti. Et tamen non præſtat influxum ſpectantem ad quatuor prædicta genera.

11 *RESP*. Negando antecedens. Omnis enim cauſalitas vera ſpectat, ſive directè, ſive reductivè ſaltim, ad aliquod prædictorum generum; quæ quidem non ſunt infima, ſed intermedia, ac proinde habentia infra ſe differentias, aut quaſi differentias ſubalternas, per quas contrahũtur. AD I. Probationem. Idea pertinet ad genus cauſæ formalis, non intrinſecæ, ſed extrinſecæ: quia concurrit vt forma extrinſeca; ad cuius ſimilitudinem artifex effingit opus exterius. Patet verò ſub genere intermedio cauſæ formalis contineri duo infima; quorum alterum intrinſecum eſt, extrinſecum alterum. AD II. Obiectum ſecundùm aliquos reducitur ad cauſam finalem ſcientiæ; quia licèt hæc ex fine operantis poſsit ordinari ad aliud, ex fine tamen operis; ſive, quod perinde eſt, ex natura ſuà, ad obiectũ ordinatur. Verius tamen apparet eſſe cauſam formalem extrinſecam, quia exteriùs ſpecificat potentiam, habitum, & actum; ſpecificare autem proprium formæ eſt. AD III. Abſentia nautæ, item & omiſsio Gubernatoris, cùm ſint privationes, ſeu non entia, non poſſunt habere rationem cauſæ phyſicæ effectus ſecuti; ſed occaſionis tantùm. Id autem ſufficit vt imputetur nautæ, aut Gubernatori, veluti cauſæ moraliter atque indirectè efficienti damnũ ſecutum; quia tenebatur ex munere impedire illud; & quiſquis omittit ea, quæ ſui muneris ſunt, cenſetur interpretativè velle, ac moraliter efficere damnum ex omiſsione ſequutum. Similiter qui conſiliatur, præcipit, meretur, aut demeretur, habet rationẽ cauſæ efficientis moralis in ordine ad actũ bonum, aut malum, præmiũ, aut pœnam.

Quip-

Quippe ſub genere intermedio cauſæ efficientis continentur duo inferiora, morale & phyſicum. Ruſuſque intra genus cauſæ efficientis phyſicæ continentur duo reſtrictiora adhuc, nimirum, principale, & inſtrumentale. Quâ ſolutione præoccupatur obiectio fieri ſolita de inſtrumentis: item quæ de diſpoſitionibus efformari poteſt, quaſi ad nullum genus cauſæ pertineant. Reſpondetur enim, diſpoſitiones relatè ad formam exhibere cauſalitatem materialẽ diſpoſitivam, quæ eſt genus infimum diſtinctum à cauſalitate materiali receptiva, vel ad illud reducitur, quatenus diſpoſitiones ſe tenent ex parte materiæ vt recipiat.

12 *INFERTVR I.* Omnem cauſam cuiuſcumque generis debere eſſe priorem, ſaltem prioritate naturæ, ſuo effectu. Ita Ariſtotel. hoc libro, vbi & S. Thomas *lect.* 6. Pro quo notanda eſt duplex prioritas: quarum vnam *in quo* appellant Philoſophi, aliam *à quo*. Illud dicitur prius prioritate *in quo*, quod antecedit duratione aliud, ſive exiſtit eo nondum realiter exiſtente: quâ ratione matutinum tempus dicitur prius veſpertino. Huc revocatur prioritas *in quo* rationis: quæ contingit quoties duo aliqua ſunt ſimul in eodem inſtanti reali; cæterum intellectus diſtinguit in eo plura ſigna (ita enim communiter dicuntur) & in vno intelligit vnum obiectum, in alio aliud. quâ ratione prius intelligimus animal, quã rationale, & eſſentiam divinam, quam actus liberos Dei. Illud vero dicitur prius prioritate *à quo*, quod eſt prius alio, prioritate naturæ, & cauſalitatis, ita vt ipſum nõ dependeat à termino, ſaltem ſub ea ratione; terminus vero ab ipſo dependeat, quãquam vtrumque ſit in eodem inſtanti reali. Quibus poſitis apparet iam bonitas & veritas illationis præiactæ. Prioritas enim naturæ, ſive *à quo*, in eo conſiſtit, quod vnum ita influat in aliud, vt ab eo non dependeat, ſed potiùs reddat ipſum a ſe dependens. At omnis cauſa ita influit in effectum, vt non pendeat ab illo, ſaltèm quatenus cauſa eſt, ſed potiùs reddat effectum à ſe dependentem. Ergo omnis cauſa, ſaltèm quatenus cauſa, eſt prior naturà ſuo effectu. Vnde obiter infertur, prioritatem illam, quam *originis* appellant Theologi in divinis, non eſſe prioritatem naturæ, quia non infert dependentiam in termino, ſive perſonâ increatâ, quæ producitur. Plura, quæ contra illationem præcipuam obijci ſolent, levia ſunt, & videri poſſunt ſoluta apud Compiutenſes *diſp.* 8. *ſect.* 2.

13 *INFERO II.* Cauſam poſſe tripliciter accipi. *Primò*, & quaſi materialiter, pro entitate, ſive re illa, quæ cauſa eſt: & hoc modo aliquæ cauſæ poſſunt præcedere prioritate reali *in quo*, ſive durationis, ſuos effectus: vt videre eſt in patre reſpectu filij in creatis. Verùm hæc prioritas per ſe loquendo non exigitur ad rationem cauſæ. *Secundò*, accipi poteſt formaliter, prout importat relationem prædicamentalem ad effectum: & hac ratione non eſt prior, ſed ſimul naturà cum illo, vt quælibet relativa. *Tertiò* denique vt actu cauſans, & quatenus mediâ cauſalitate fundans prædictam relationem: ſub qua conſideratione eſt prior naturà effectu, redditque illum poſteriorem, & à ſe dependentem.

14 *INFERO III.* Omnem cauſam quatenus actu cauſantem, eſſe perfectiorem ſuo effectu, licet aliquæ ſecundum entitatem ſint imperfectiores. Ratio prioris partis eſt: quia omnis cauſa influit in effectum, cum independentiâ ſui, & dependentiâ effectus ab ipſa. Omne autem quod eſt independens ab alio, & reddit illud à ſe dependens, maiorem ſine dubio perfectionem exprimit. Omnis ergo cauſa, prout actu cauſans, ſeu influens, perfectior eſt ſuo effectu. Ratio poſterioris eſt: quia aliqua cauſa, nimirum, materialis, poteſt eſſe pura potentia paſsiva, vt contingit in materiâ primâ, quæ ſanè imperfectior eſt ſimpliciter in entitate, quàm ſubſtantialis forma, cuius cauſa materialis eſt. Quo ſenſu accipiendus S. Thom. q. 7. de Verit. art. 7. ad 1. illis verbis: *Quædam cauſæ ſunt nobiliores ijs, quorum ſunt cauſæ: ſcilicet, efficiens, formalis, & finalis. Sed materia eſt imperfectior eo, cuius eſt cauſa.* Scilicet, quò ad entitatem: non verò quatenus actu cauſans, reddenſque effectum à ſe dependentem. Verùm circa id lege Complutenſes *loco alleg. q.* 3. Idemque eſt de cauſa inſtrumentali, quæ ſemper producit effectum nobiliorem ſe, vt docet D. Thomas 3. *part. quæſt.* 62. *art.* 1. *& in* 4. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. ac cæteri communiter. Vide Ioannem à S. Thoma *in Phyſica*, *q.* 26. *art.* 1. Et hæc quidem circa cauſas generatim acceptas.

Nunc ad ſingula genera inter ſe collata accedamus.

(∴)

SE-

SECTIO TERTIA.

Cauſas eſſe invicem cauſas, & quo ſenſu? Recentiorum obiectiones extricatæ. An idem effectus poſsit pendere à duplici cauſa totali, remiſsivè.

15 SIT III. *Aſſertio.* Cauſæ quatuor generum ſunt ſibi invicem cauſæ: nō quidem ita vt vna cauſet aliam & cauſetur ab ea in eodem genere, ſed in diverſo.

Aſſertum expreſse traditur ab Ariſtotele hoc libro *text.* 30. quantùm ad aliqua. Ait enim: ἔστι δέ τινα καὶ ἀλλήλων αἴτια, οἷον τὸ πονεῖν αἴτιον τῆς εὐεξίας, καὶ αὕτη τοῦ πονεῖν. ἀλλ' οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον· ἀλλὰ τὸ μὲν ὡς τέλος, τὸ δὲ ὡς ἀρχὴ κινήσεως. *Sunt præterea, quæ ſunt ſibi mutuò cauſa, vt exercitium, bonæ habitudinis; & hæc, exercitij. at non eodem modo: ſed hæc, vt finis: illud, vt principium motus.* Idemque ferè eiſdem verbis tradit 5. *Metaph. text.* 2: ex quibus conſtat, inter cauſam efficientem & finalem eſſe mutuam cauſalitatem, ac proinde mutuam in diverſo genere. Deinde D. Th. in allegatum locū Metaphyſicæ *lect.* 2. non ſolùm eandem doctrinam probat quantùm ad cauſam efficientem & finalem, ſed etiam quantùm ad materiam & formam. Ait enim: *Forma autē & materia ſunt ſibi invicem cauſa quātùm ad eſſe: forma quidem materiæ, in quantum dat ei eſſe actu; materia verò formæ, in quantum ſuſtentat ipſam.* Quod etiam tradit *q.* 28. *de Verit. art.* 7. *& Opuſc.* 31. *§.* 2. Quamvis verò verbis allegatis doceat materiam & formā eſſe mutuò cauſas *quantùm ad eſſe*; verbis immediate præcedentibus dixerat, cauſam efficientem eſſe cauſam finis quantum ad eſſe, quia movendo perducit ad hoc vt ſit finis; finem verò non eſſe cauſam ſuæ cauſæ efficientis quantùm ad eſſe, ſed quātùm ad rationem cauſalitatis: nam efficiens eſt cauſa in quantùm agit; non autem agit niſi causà finis, ſeu propter finem. Itaque non aſſerimus, aut abſolutè, aut ex mente Ariſtotelis, vel D. Thomæ, omnes cauſas ſecundùm quamlibet combinationem eſſe ſibi invicem cauſas: quia nec materia & efficiens, nec forma & finis ſe cauſant invicem: ſed tantùm aſſerimus, tum abſolutè, tum ex mente vtriuſque, Inter quatuor genera cauſarum eſſe mutuam cauſalitatē, quatenus illa reperitur inter cauſam efficientem & finalem, modo explicato, & inter cauſam materialem ac formalem quātùm ad eſſe. Quam doctrinam communiter Philoſophi accepiſſe videntur, ita vt iā proverbium abierit, cauſas eſſe ſibi invicem cauſas. Eamque Thomiſtæ amplexantur, alijque plures: quamvis illam impugnent. Eximius Suarez *in Metaph. diſput.* 15. *ſect.* 8. *num.* 20. Hurtadus *diſp.* 8. *Phyſicæ ſect.* 8. Arriaga *diſp.* 7. *ſect.* 8. *ſubſect.* 2. Oviedo *controv.* 7. *punct.* 9. *à num.* 4. Cardinalis de Lugo *diſp.* 8. *de Pœnit. ſect.* 7. Spinula *diſp.* 5. *ſect.* 7. alijque plures Recentiorum, nolentes admittere aliquam mutuam cauſalitatem inter cauſas, quantùm ad eſſe ipſarū. Sed præterquam quòd aſſertio noſtra Ariſtotelem & D. Thomam pro ſe habet, ratione ſuadenda eſt.

16 *PRIOR* Pars probatur. Negari enim non poteſt cauſam efficientem quò ad ſui cauſalitatem dependere à fine; cùm omne agens agat propter finem, Ergo cauſa efficiens quantùm ad ſui cauſalitatem cauſatur à fine. Aliunde verò finis ipſe quò ad ſuum eſſe reale dependet ſæpiſsimè ab efficiente, & producitur ab illo: vt conſtat in toto ſubſtantiali, quod eſt finis generationis, atque ipſius generantis; & tamē ab illo efficienter procedit. Idque inſuper probatur exemplo ipſo, quo vtitur Ariſtoteles, in bona valetudine, quę eſt cauſa finalis exercitationis corporeæ, cùm tamē hæc ſit cauſa efficiens illius. Idemque apparet in medicina, quæ eſt cauſa effectrix ſanitatis; hæc vero finis illius. Similiter & inter cauſam materialē ac formalem non videtur negari poſſe mutuā cauſalitatē. Vbi enim eſt mutua duorū dependentia & influxus, eſt etiā mutua cauſalitas. Atqui inter cauſā materialem & formalē eſt mutua dependentia & influxus. Ergo mutua vtriuſque cauſalitas. Probatur minor: Quia materia dependet à forma, tanquam ab actu primo ſimpliciter vt exiſtat: cùm ex ſe nō habeat exiſtentiam, ſed tantùm à forma & per formam, vt *diſp.* 5. ſtatutum eſt. Dato autem quòd propriam exiſtentiam habeat, illa certè ſolùm partialis, potētialiſque eſt, ac propterea indigens compleri à formà, ſine qua proinde nequit exiſtere, ſaltem naturaliter, vt ex omnium ferè ſenſu probatum eſt *diſp.* 8. *ſect.* 1. Igitur materia quò ad ſuum eſſe, ſive quò ad ſui exiſtentiam dependet, ac proinde cauſatur à forma. Aliunde verò forma ipſa, ſi materialis ſit, dependet à materia in ſuo *fieri*, quatenus educitur ex ipſa; & in ſua entitate quatenus ab ea ſuſtentatur, alioqui peritura & corrumpenda ſtatim. Datur ergo inter materiam & formam mutua cauſalitas quantùm ad eſſe.

17 *CONFIRMATVR.* Subiectū enim

materiale quantitatis (quodcumque illud ſit) cauſat illam in genere cauſæ materialis receptivæ, vt patet; & viciſsim ab ea cauſatur in genere cauſæ formalis, cum ab ea non ſolùm informetur, ſed etiam realiter dependeat vt ſit in rerum natura modo connaturali; ſcilicet, habendo partes extra partes. Similiter & forma ſubſtantialis exhibet cauſalitatem materialem circa propriam ſubſiſtentiam, quam ſuſtentat; & tamen dependet naturaliter ab ea in ſuo eſſe, tanquam ab actu complente, ſeu informante. Datur ergo mutua cauſalitas inter cauſam materialem & formalem, quâ rùm ad eſſe vtriuſque. Plures aliæ inſtantiæ mutuæ cauſalitatis, quas adducere ſolent quotquot aiunt vltimam diſpoſitionē effectivè profluere à forma, ad quam diſponit, adduci poſſent. Sed facilè eluderentur ab Adverſariis, eam opinionem impugnantibus; quæ nec mihi arridet, & præſertim in ſupernaturalibus diſpoſitionibus nequit habere locum, vt fusè oſtendi *tom. 2. Theologia Fiorulenta Luſu* 15.

18 *OPPONVNT I.* Recentiores communem illam obiectionē, qua infertur, ex eo quòd cauſæ ſint invicem cauſæ, vnamquamque fore cauſam ſui ipſius: quod repugnat. Sequelam probant: Quia cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, vt in proverbio eſt. Ergo ſi aliquid eſt cauſa cauſæ, eſt etiā cauſa effectus à tali cauſa pendētis, atque adeo & ſui ipſius, hoc ipſo quod in ſuo eſſe dependeat à tali cauſa. Nec videtur ſufficienter occurri exponendo id axioma de cauſis in eodem genere cauſantibus, quaſi in iis tantum habeat locum; non vero in iis quæ cauſant in diverſo genere. Contrà enim eſt, quòd nec huius reſtrictionis ratio aſsignatur, nec vera videtur exceptio: quoniam applicans ligna igni dicitur eſſe cauſa combuſtionis, licèt ſolum concurrat in genere cauſæ applicantis, ignis verò efficiēter, & lignum materialiter. Pater quoque generans filiam, eſt cauſa nepotis geniti à filia; quamvis hæc, ſicut & omnis fœmina, ſolùm concurrat paſsivè ad generationem, iuxta ſententiam Ariſtotelis, & D. Thomæ; pater autem activè concurrerit ad generationem filiæ. Deus quoque dicitur cauſa boni operis, ad quem præſtitit efficienter vocationem congruam, licèt hæc ſolum obiectivè concurrat ad ipſum bonū opus. Ergo cauſa cauſæ, ſive in eodem, ſive in diverſo genere, eſt cauſa cauſati.

19 *RESP.* Argumentum hoc pati inſtantiam in cauſis efficienti & finali, inter quas ipſi Adverſarij nō renuunt admittere mutuam cauſalitatem. Si quid enim probat obiectio, probat planè vnamquanque earum cauſarum, eſſe cauſam ſui ipſius, quia exhibet cauſalitatē in ſuam cauſam. Deinde nego ſequelā. Ad probationem reſpondeo cum D. Th. 1. 2. *q.* 79. *ar.* 1. *ad* 1. *&* *q.* 3. *de Malo ar.* 1. *ad* 4. illud axioma intelligi de cauſato ſecundum quod cauſatum eſt; non verò ſecundùm quod cauſatum nō eſt. Etenim inter cauſas requiritur continuatio & certus ordo cauſalitatū, ita vt in illo, quod poſterior cauſa cauſat, dependeat à cauſa priore, & cōtinuetur cum illa, vel ipſi ſubordinetur, alioquī cauſa prior non erit cauſa effectus cauſati à cauſa poſteriore, quę ab ea proceſsit. Sic Deus licèt ſit cauſa hominis cauſantis peccatum, non propterea eſt cauſa peccati: quia homo dum peccat non ſubordinatur Deo vt primæ cauſæ, ſed ſubtrahit ſe ab ordine cauſalitatis divinæ. Quare diſtinguo axioma illud, quod in probatione aſſumitur: Cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, quando eſt cauſa cauſæ ſolùm in eſſe, ſine continuatione, aut coordinatione ad cauſalitatem eius; nego antecedens: Si habeat coordinationem aliquam, vel impreſſionem, influxumve in eius cauſalitatē, vel rationem cauſandi; omitto antecedēs, & ſub eadem diſtinctione in conſequente, nego vltimā illius partem. Cauſa autem applicans ignem, & pater producens filiam, & Deus movēs per excitationem obiectivam, verè ſunt cauſa cauſati: quia cauſant movendo ad cauſalitatem cauſæ, aut præbēdo virtutem, quà cauſet in ſuo genere & ordine. Itaque non ſequitur cauſam materialem (in qua præcipuè vim faciunt Adverſarij) cauſare ſeipsā, ſi cauſatur à forma quam cauſat: quia forma licèt cauſet materiam quò ad eſſe exiſtentiæ, non cauſat illam quò ad entitatem, potentialitatem paſsivam, aut cauſalitatem, qua cauſat ipſam formā: quippe materia ea omnia habet ſolùm à Deo, & vi creationis. Quare ſolùm infertur, materiam eſſe cauſam materialem receptivā ſuæ exiſtētiæ: in quo nulla contradictio eſt. Similiter nec infertur, formā eſſe cauſam ſui ipſius, quāvis cauſet materiam, & ab ea cauſetur, vt accidit omni formę materiali (ſpiritualis enim forma nō cauſatur à materia) quia cū forma nō cauſet materiā quò ad entitatē, ſed quò ad exiſtentiā, quam ipſi præſtat, ad ſummū infertur, formā eſſe cauſam ſuæ exiſtentiæ *vt quo*, ſicut & ſuæ ſubſiſtentiæ & propriarum paſsionum: in quo nulla contradictio eſt.

20 *INSTABIS* multipliciter. *Primò:* Quia iuxta ſolutionē datā non repugnabit mu-

mutua cauſalitas in eodem genere, effectivo v. g. Scilicet, non repugnabit effectũ alicuius cauſæ efficientis producere in ea aliquid diſtinctum ab entitate ipſius. Conſequens autē videtur abſurdũ. Ergo & quòd aliquid poſſit eſſe cauſa ſuæ cauſæ quo ad aliquid diſtinctum ab eius entitate *Secundò*. Si enim vt cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati, requiritur vt influat in eius cauſalitatē, ſequitur patrem producētem filiũ non eſſe cauſam nepotis, quia pater non influit in filij cauſalitatē erga nepotē. *Tertiò*: Quia ſaltē finis erit cauſa ſui ipſius, quoniam influit in cauſalitatem ſuæ cauſæ efficientis, quàm movet, vt efficiat, iuxta dicta *n*. 7. circa finem.

21 *RESP*. abſolutè loquendo, repugnare mutuam duorum cauſalitatē in eodem genere, vt Philoſophus indicat verbis exſcriptis initio huius ſectionis, & expreſsiùs S. Th. tradit 5. *Metaph lect*. 2. dicens: *Secundùm idem genus cauſæ, aliquid eſſe cauſam & cauſatum, eſt impoſsibile*. Et ratio eſt: Quia cauſæ eiuſdem generis exigunt conditiones eaſdem ad cauſandum: ac proinde, ſi eſſent invicem cauſæ, vnaquæque haberet ſuas conditiones, vt cauſaret; & non haberet illas, vt cauſaretur. quod eſt aperta contradictio. Verùm & hoc intelligendum eſt ſi vtraque cauſalitas ſit ſimul tempore, aut ſecundùm idem. Nam ſi alio atque alio tēpore, & ſecundùm diverſa intelligatur mutua cauſalitas duorum, minimè repugnat, ſed ſæpe naturaliter contingere poteſt. Accidit enim vt filius à patre productus in eo producat ſanitatem, caloremve, aut frigus, imò & conſervationem vitæ, quoddammodo, efficiendo aliquid, quo patet in rerum natura permaneat. Poteſt etiam miraculosè, & influxu phyſico inſtrumentali, patrem ſuum ſuſcitare ac reproducere: vt contigit S. Dominico Calceatenſi in Rivogiâ. Et ratio eſt: quia in ijs caſibus primum efficiens reſpectu ſui effectus, & relatè ad diverſum tempus, rationemve aliam, non ſe habet iam vt efficiens, ſed vt ſubiectum: ſicut etiam agēs in omni reactione, in quā repatitur à paſſo: & proinde æquè bene dari poteſt in ijs circunſtantijs cauſalitas mutua eiuſdem generis, ac diverſi. Quod ſi mirentur Adverſarij, mirum erit conſulenti ipſorum doctrinam. Etenim ipſe Suarez 3. *p. diſp*. 50. Arriaga *diſp*. 7. *Phyſicæ numer*. 14. ac præterea Compton *diſp*. 19. tuētur poſſe aliquid efficere ſeipſum quò ad ſecundum eſſe: in quo ſanè maior difficultas apparet, quàm in eo quòd producat cauſam ſui effectivam, vel quò ad ſecundũ eſſe, vel quò ad aliquid à primo eſſe diſtinctum. Ex quibus patet ad primam impugnationem. *AD II*. Vt cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati, requiritur influxus in eius cauſalitatem, vel immediatus ſi fuerit cauſa immediata, vt Deus reſpectu omnium entium, omniumq; cauſalitatum creatarum; vel mediatus, ſi ſolùm fuerit cauſa mediata, vt avus reſpectu nepotis. Vt enim mediatam cauſalitatem in eum exhibeat ſatis eſt quòd immediatè immediatione ſuppoſiti dederit filio virtutem ad ipſum generandum. *AD III*. patet ex dictis *num*. 7. prope finem quo ſenſu citra abſurdum aliquod finis ſit cauſa ſui ipſius.

22 *OPPONIT II*. Eminentiſsimus Lugo vbi ſuprà *num*. 151. eodem modo ſe habere prioritatem naturæ & cauſalitatis ad poſterioritatem naturæ & dependentiæ, ſicut ſe habet prioritas durationis ad poſterioritatem durationis. At id quod eſt prius alio duratione nequit eſſe duratione poſterius. Ergo id quod prius eſt alio natura & cauſalitate, nequit eſſe illo poſterius naturâ & dependentia. Non ergo duæ cauſæ poſſunt mutuò ſe cauſare. *Confirmat I*. Si enim cauſa aliqua poteſt cauſare ſuam cauſam, nullum erit principium Philoſophis ad probandum, deveniendum eſſe tandem ad vnam primam cauſam improductam: quia ſine proceſſu in infinitũ poſſemus devenire ad cauſam producentem hunc effectum, & viciſsim productam ab eodem effectu. Conſequens autem eſt contra Ariſtotelem & omnes Philoſophos *infrà lib*. 7. Quæ impugnatio adhuc difficiliùs vrgeri poſſet: Quia ideo reijcitur mutua illa cauſalitas omnium entium ſine recurſu ad vnam cauſam primam improductam, quia ſic committeretur circulus vniformis cauſarum. At hic etiam ſequitur ex ipſo quòd duo aliqua ſe mutuò cauſent. Si enim materia v. g. cauſatur a forma, & hæc rurſus à materiâ, vere dicemus ideo formam eſſe, quia materia ſuſtentat illam; & rurſus ideo materiam ſuſtentare, quia à forma informatur. Hic autem circulus æquè vniformis apparet. *Confirmat II*. ratione, quam a priori appellat. Omnis enim cauſa dat realiter eſſe, vt conſtat ex conceptu quidditativo cauſæ realis. Dare autem, ſicut ex ratione ſua importat diſtinctionem realem inter dantem & accipiētem, quia nemo poteſt dare ſibi primum eſſe, ſed tantùm alteri; ita importat diſtinctionem realem inter primò dantē & accipientem; vt proinde nequeat idem dare primũ eſſe ſibi, nec immediatè,

nec mediatè. Ergo nec poteſt dare primũ eſſe alteri, à quo cauſatur, ſive, quod perinde eſt, accipit primum eſſe.

23 *RESP.* Negando maiorem: Quia prioritas durationis, ſive *in quo*, eſſentialiter conſiſtit in hoc quòd vnum exiſtat, altero nondum realiter exiſtente, vt ſuprà *num.* 12. explicatum eſt: atque adeò repugnat extremum poſterius extitiſſe prius, aut ſimul à principio. Prioritas vero influxus, ſive *à quo* ſolùm conſiſtit in reali influxu principij circa terminum a ſe depẽdentem. Poteſt autem res aliqua influxum præſtare in aliam à ſe dependentem, & tamen ſub alia ratione pendere ab eius influxu: quia altera indiget cauſalitate alterius mutuo, ſive vt ſit, ſive vt habeat perfectionem aliquam. Sic Intellectus effectivè producit intellectionem, & tamen ab ea, tanquam formali cauſa, conſtituitur actu intelligens; ac proinde ſub diverſis conſiderationibus eſt prior & poſterior naturà. Sic, etiam ex mente Adverſariorum, medicina eſt prior natura in genere cauſæ efficientis, quàm ſanitas; & tamen hæc prior illà eſt in genere cauſæ finalis. *AD I. Confirmat.* nego ſequelam: quia repugnat circulus cauſarum ſe mutuò cauſantium in eodem genere effectivo: ac proinde neceſſariò deveniendum eſt ad vnam cauſam efficientem, quæ ſit omnium prima, & incauſabilis, vt fuſiùs demonſtrabimus *infrà libr.* 7. & ex profeſſo in Metaphyſica. In præſenti autem non datur circulus cauſarum ſe mutuò cauſantium in eodem genere, ſed in diverſo, & purè materialis, qui nihil abſurdi continet, cùm ſit penes aliam atque aliam rationem formalem. Sic Ariſtoteles *libro* 2. *Poſter. capit.* 13. vtitur circulo materiali, dum docet poſſe demonſtrari pluviam ex abundantia vaporum, & rurſum abundantiam vaporum ex pluvia. Nimirum, pluvia quatenus experimento nota manifeſtat vapores, qui ſunt cauſæ pluviæ; & ijdem vapores, tanquam cauſa efficiens pluviæ, illam demonſtrant. Et *lib.* 2. *de Cælo* probat illud habere partes anteriores & poſteriores, quia motus cœli incipit ab vna parte, & non ab alia: quòd verò ab vna & non ab alia parte incipiat, inde probat, quia cœlum habet partes priores & poſteriores. Qui circulus, vt obſervat D. Thomas ibi *lect.* 7. non eſt formalis, ſed materialis, & ab eadem re alio modo cognita, & in diverſo genere cauſæ: ſicuti quando probatur cor moveri per motum venæ pulſatilis; hoc ſpectat ad quæſtionem, *an ſit*: quando autem probatur ipſe motus venæ pulſatilis per idem cor veluti cauſam; hoc pertinet ad quæſtionem, *quid ſit*. Sunt & plures aliæ inſtantiæ, quas cauſa brevitatis omittimus. *AD II. Confirm.* Cauſa quæ dat eſſe alteri, non poteſt accipere eſſe ab eo in eodem genere, aut ſecundum eandem ſeriem, vel ordinationem cauſarum: poteſt tamen accipere eſſe ab illo in diverſo genere, & ſecundũ aliam atque aliam rationem, vt ſuprà *num.* 19. dictum eſt. Quare materia ab initio Vniverſi potuit abſolutè (quidquid ſit de facto) dare in genere cauſæ materialis primam entitatem formæ productæ ex illa & in illa, & tamen recipere ab eadem forma primum eſſe exiſtentiæ, atque a ſubſequentibus formis ſecundam ſive iteratam exiſtentiam: ſicut pater, qui produxit primam filij entitatem, poteſt ab eo poſtea recipere continuationem in primo eſſe naturaliter, & ſecũdum eſſe ſupernaturaliter: vt *num.* 21. dictum eſt.

24 *INSTAT* Oviedo vbi ſuprà *n.* 3. Materia nequit in genere cauſæ formalis dependere à formà: quia materia nullam habet cauſam formalem, per quam cõſtituatur, licèt recipiat formam: ſicut materia ſecunda, ſive totum ſubſtãtiale, licèt recipiat aliquam formam accidentalem, non ideo cauſatur formaliter, nec conſtituitur ab ea. *RESP.* negando antecedẽs: quia licèt materia non conſtituatur in ſua eſſentia per formam, neque reſpiciat illam vt cauſam formalem conſtitũtivam, reſpicit eam vt cauſam formalem informativã, à qua accepit primum eſſe exiſtentiæ in prima Vniverſi conditione, & ſecundum eſſe exiſtentiæ in generationibus ſubſequẽtibus. Similiter & materia ſecunda, ſive cõpoſitũ ſubſtantiale, licèt à nulla formà accidentali conſtituatur, informatur tamen, & dependet quò ad aliquod eſſe accidentale; vt homo ab intellectu, vt ſit potens proximè intelligere; & ab intellectione, vt reddatur actu intelligẽs; & à quantitate, vt ſit extẽſus. Obiectio autem laborat in æquovoco, quia confundit cauſam formalem conſtitutivam cum informativa: quæ tamen diverſæ ſunt; cum prior ſolùm habeat rationẽ partis formalis in ordine ad totum; poſterior verò ſolum rationem compartis actuantis in ordine ad alteram partem, & in ea receptæ.

25 *VRGENT* Alij. Impoſsibile eſt aliquid eſſe cauſam alterius, niſi pro priori naturæ præſupponatur exiſtẽs: quia quidquid cauſat aliud, tendit ad dandum illi eſſe, & nequit dare quod non præhabet. At

eo ipſo quòd aliquid pro priori naturæ præſupponitur exiſtens, non poteſt pro alio poſteriori accipere eſſe ab alio, ac proinde nec cauſari. Ergo impoſsibile eſt aliquid eſſe cauſam alterius, & tamen ab eo cauſari. *RESP*. negando maiorem. Vt enim oſtenſum eſt *diſput*. 5. exiſtentia cauſæ ſolùm eſt conditio ad cauſandum: ratio autem formalis eſt entitas, ſive virtus ipſius cauſæ. Quare pro illo priori naturæ & cauſalitatis ſat eſt intelligi entitatem, ſive virtutem cauſæ prout in via ad exiſtentiam pro poſteriori naturæ habendam, vt cauſa intelligatur cauſans; maximè in genere receptivo & materiali. Vnde poteſt ſub alia ratione pendere à ſuo effectu quò ad proprium eſſe, ſive quò ad exiſtentiam.

26 *RUGABIS* An idem effectus poſsit procedere, ſeu pendere à duplici cauſa totali eiuſdem ordinis, ſaltem ſecũdum poteſtatem Dei abſolutam? *RESP*. ſententiam affirmantem eſſe ſatis probabilem: probabiliorem autem videri negantem, & conformem D. Thomæ *Quodlib*. 3. *art*. 25. quia repugnat, tum ex parte cauſæ, tum & operationis, tum & effectus, qui per ſe dependeret, & non dependeret per ſe ab vnaquaque cauſa illarum. Lege pro hac ſententia Ioannem à S. Tho. *q*. 10. *art*. 5. Complutenſes *diſp*. 4. *q*. 6. *&* *diſp*. 15. *q*. 3. ac P. Vazquez *tom*. 1. *in* 3. *p*. *diſp*. 29. *cap*. 4. Vide etiam pro oppoſita Eximium Suarez *diſp*. 26. *Metaph*. *ſect*. 4. Oviedũ *controv*. 7. *punct*. 7. & Spinulam *diſp*. 5. *ſect*. 6. vbi ſingulariter, pro ſuo more, id contingere affirmat, omni miraculo ſecluſo. Recole quæ diximus *diſp*. 9. *ſect*. 1.

DISP. DECIMAQVARTA,

DE CAVSIS INTRINSECIS.

An vniantur ſeipſis immediatè, ſeu abſque nexu diſtincto?

Num. 1. CVM Cauſæ intrinſecæ compoſiti ſubſtantialis, nimirum, materia *&* forma, illud eſſentialiter conſtituant, vt præcedenti libro traditum eſt; dubitatur in præſenti, an vtraque vniatur alteri immediatè per ſe ipſam, *&* ſecluſo omni vinculo aut nexu interiecto; an potiùs eo mediãte? Poteſt autem dubitari de ijs in duplici ſtatu; ſcilicet, vel in fieri compoſiti naturalis., vel in facto eſſe. Vtroque ſenſu controverſiam dirimere oportet. Quæ excitari ſolet hoc lib. 2. nullibi tamen locum habere poteſt, niſi cap. 2. text. 21. & 22. vt legenti conſtabit.

SECTIO PRIMA.

Materiam & formam in fieri non vniri ſine aliquo medio.

2. SIT I. Aſſertio. Materia *in fieri* compoſiti naturalis nõ vnitur, nec cauſat formam immediatè per ſuam entitatẽ; ſed mediante actione generantis, quatenus recepta in ipſa. Ita frequentiùs Philoſophi: quamvis id negent plerique Scotiſtarum, & ex Thomiſtis Lerma *quæſt*. 8. vbi vult cauſalitatem materiæ in formam *in fieri* eſſe indiſtinctam ab ipſa entitate materiæ: quod & nonnulli alij Recentiores tradunt.

PRÆMITTO ex Ariſtot. *infrà lib*. 3. *cap*. 3. *textu* 20. eandem entitatem eſſe ſimul actionem & paſsionem, quanquam ratione differant inter ſe. Id enim luculenter tradit, illis præcipuè verbis τὸ πάσχον- καὶ τὸ ποιεῖν τὸ αὐτό ἐστι, &c. *Pati & agere, idem eſt. non vt ea tamen, quæ eiuſdẽ rationis ſunt, vt veſtimẽtum, ac tunica; ſed vt via, quâ ex Thebis Athenæ, & ex Athenis Thebæ petũtur*. Vbi D. Th. *Idem actus*, inquit, *eſt agentis, vt à quo, & patientis, vt receptus in eo*. Quod ipſum explicatiùs tradit 2. *contra Gent*. *c*. 16. *ratione* 6. dũ ait: *Materia cõparatur ad agens, ſicut recipiens actionem, quæ ab ipſo eſt. actus enim, qui eſt agentis, vt à quo, eſt patientis, vt in quo. Ergo requiritur materia ab agẽte, vt recipiat actionẽ ipſius: ipſa enim actio agentis in patiẽte recepta eſt actus agentis & forma*. Ratio autẽ præiactæ doctrinæ eſt: quoniã eadem entitas & exercitiũ in re, poteſt ſubire diverſas denominationes ſecundũ aliam atq; aliam formalitatẽ obiectivam. Quare eadem entitas, idẽque motus generationis prout ab agente oritur, eſt & dicitur actio, ſeu cauſalitas agẽtis: prout eſt trãſmutatio materiæ, dicitur paſsio, vel receptio, eſtq;

cauſalitas materiæ: prout eſt tranſitus, ſive via ſubiecti mobilis ad terminum, ſive formam, dicitur motus, ſeu mutatio: prout eſt vnio materiæ cũ forma in ordine ad conſtituendũ totum, dicitur conſtitutio: prout denique eſt productio formæ ex materia præſuppoſita, appellatur eductio. Neque enim inter prædictas formalitates aliqua eſt oppoſitio, aut ſpecialis ratio, vt eidem entitati convenire nequeat ſecundum aliã & aliam conſiderationem.

3 *PRÆMITTO* vlterius, cauſam dici intrinſecam dupliciter: vno modo propriè & conſtitutivè, ſcilicet, per modum partis intrinſecè & eſſentialiter componẽtis: alio minùs propriè & vnitivè, quia non componit intrinſecè & eſſentialiter effectum, ſed tantum illi vnitur per informationem, aut receptionem. Priori modo ſe habet materia, ſimiliter & forma, reſpectu compoſiti: poſteriori autem, vnaquæque illarum ad alteram. Non enim materia eſt pars formæ, aut è contrà: quælibet autem illarum eſt pars compoſiti. At licèt diverſimodè ſe habeat materia in ordine ad formam, & compoſitum; non ideo diverſam in re cauſalitatem exhibet circa vtrumque; ſed vnicam, ſolaque conſideratione ac denominatione diſtinctam; quidquid in oppoſitum doceant Conimbricenſes in præſenti, & Arriaga *diſp. 8 ſect. 2*. Eo namque ipſo quod materia cauſet formam, ipſique vniatur media receptione, neceſſariò reſultat compoſitum ſubſtantiale ex vtraque, ita vt nec divinitus impediri poſſit. Ergo eadem eſt in re cauſalitas materię reſpectu formæ & compoſiti, niſi quòd relatè ad formam ſubit denominationem receptionis; conſtitutionis autem relatè ad compoſitum. Idque dicendum exiſtimo, ſive vnio in facto eſſe ſit diſtincta realiter ab extremis, ſive non: quia vtrobique eſt eadem ratio, & entitates multiplicari nõ debent, niſi neceſſitate cogente. His ſtatutis,

4 *PROBATVR* Aſſertum. Materia enim *in fieri* compoſiti ſubſtantialis vnitur & cauſat formam media paſsione prædicamentali. Sed paſsio prædicamentalis eſt quid diſtinctũ realiter ab entitate materiæ; indiſtinctũ vero ab actione generantis, quatenus recepta in ipſa materia. Igitur hæc vnitur formæ & cauſat illam, non per ſuam entitatem immediatè, ſed media actione generantis, quatenus recepta in ipſa materia. Conſequentia rectè infertur, quoniam ſyllogiſmus expoſitorius eſt bene diſpoſitus. Maior conſtat: Quia paſsio prædicamentalis eſt exercitium & cauſalitas illius ſubiecti, quod *in fieri* compoſiti ſubſtantialis, ſive in eius generatione, vnitur & cauſat formam in ratione patientis, ſeu patiendo aut recipiendo illam. Etenim paſsio prædicamẽtalis eſt propriè exercitium patiendi, ideoque definitur, *receptio termini in paſſo*. At eiuſmodi ſubiectum eſt materia prima, vt patet. Ergo hæc *in fieri* compoſiti ſubſtãtialis vnitur & cauſat formam media paſsione prædicamentali. Iam minor illa præcipua quo ad priorem partem eſt manifeſta: tum quia entitas materiæ eſt ſubſtantia; entitas autem paſsionis prædicamentalis verum accidens: tum etiam, quia entitas materiæ permanet in rerum natura, paſsio autem prædicamentalis ſubitò tranſit & deſinit eſſe, ſicut motus. Neceſſum autem eſt omnem entitatem ſubſtantialem, & in rerum natura manentem, eſſe realiter diſtinctam à quolibet accidente, & præſertim ſubitò tranſeunte. Ergo paſsio prædicamentalis eſt quid diſtinctum realiter ab entitate materiæ. Quò ad poſteriorem verò partem ſuadetur: tum quia iuxta Philoſophum & D. Thomam ſuperius allegatos, pati & agere ſunt idem ſecundùm rem: tum etiam, quia actum activi & actum paſsivi in re eſſe vnum, teſtatur idem S. Doctor loco allegato contra Gentes: tum præterea, quia inter actionem & paſsionem prædicamentalem ſolùm datur diſtinctio rationis, vt conſtabit ex dicẽdis in Metaphyſica: tum denique, quia, vt præmiſſo primo ſtabilitum eſt, eadem entitas ſub diverſis formalitatibus ſubire poteſt ſimul rationem actionis & paſsionis, ſicut & eductionis, ac motus. Ergo paſsio prædicamentalis eſt quid indiſtinctum realiter ab actione generãtis, quatenus recepta in ipſa materia.

5 *CONFIRMATVR*. Materia eatenus vnitur formæ cauſatque illam *in fieri* compoſiti naturalis, quatenus tranſmutata activè à generante, ipſam formam primò recipit. Non enim materia ſecundùm ſe vnitur determinatè huic formæ potiùs quàm alteri; quia ſecundum ſe indifferens eſt ad omnes ſubſtantiales formas: ac proinde vt determinatè vniatur, cauſetq; potiùs vnam, quàm aliam, indiget tranſmutatione activa ac determinata generantis, ſimiliterque determinata receptione potiùs vnius, quam alterius formæ. Ergo repugnat materiam immediatè per ſuam entitatem, & ſecluſo exercitio ſuperaddito, vniri formæ determinatæ & cauſare illam *in fieri* compoſiti naturalis. Quare vt præſtet vtrumque ſufficit, & requiritur, vt per

eandem actionem tranſmutativam agentis, quatenus receptam in ſe, cauſet materialiter formam, ipſique in exercitio vniatur. *CONFIRMATVR II.* Cauſa indifferens vt indifferens nequit exercitium cauſalitatis determinatum habere, ſed neceſſario indiget aliquo ſuperaddito, & intrinſeco quidem, ſi cauſa intrinſeca ſit. Materia autem ſecundùm ſe eſt cauſa indifferens & intrinſeca, tum ad recipiendas omnes formas, tum & ad conſtituendum omne compoſitum ſubſtantiale. Ergo nequit habere determinatam cauſalitatem, ſive recipiendi formam, ſive conſtituendi cõpoſitum, ſine aliquo intrinſecè ſuperaddito. quod certè nullum aliud eſſe poteſt, quam paſsio prædicamentalis realiter indiſtincta ab actione agentis recepta in ipſa materia. *CONFIRMATVR III.* Forma ſubſtantialis cauſatur à materia medio illo exercitio, ſeu cauſalitate, qua ab eâ recipitur & ſuſtentatur. At recipitur & ſuſtentatur media paſsione prędicamentali: neque enim hæc in alio propriùs conſiſtit, quam in tali receptione. Ergo cauſalitas materiæ circa formam eſt paſsio prædicamentalis. At cauſalitas eſt ipſa vnio *in fieri*, cùm mediante illâ materia intimè coniungatur formæ. Ergo materia *in fieri* non vnitur formæ per ſuam entitatem immediatè, ſed media paſsione prædicamentali.

6 *NEQVE* Pro oppoſitis dicendi modis apparet ſolidum aliquod argumentum, quod ſolutione egeat. Nam quod obijci ſolet ex eo, quod ſi in materia pro priori ad formam admittitur aliquid ſuperadditum, obſtet compoſitioni ſubſtantiali, & immediationi exactæ inter materiam & formã; nullius ferè roboris eſt. Etenim cauſalitas illa ſuperaddita entitati materiæ pro priori naturæ ad formam, eſt purum exercitium viale, quod deſinit eſſe ſtatim adveniente formâ, ſicut omnis motus & via deſinit eſſe, vbi acceditur ad terminum. Quare poſtea materia & forma manent immediatè & invicem vnitæ, ſine aliquo motu, ſeu cauſalitate accidentali intermedia. An verò etiam ſine intermedia cauſalitate vnionis ſubſtantialis, poſtea videbimus. Denique, nulli cauſæ creatæ, vt immediata ſit eo ſenſu, quo immediata eſſe poteſt, obſtat interpoſito cauſalitatis diſtinctæ: quia hæc neceſſaria eſt eo ipſo, quod cauſa in actu primo indifferens ſit ad cauſandum & non cauſandum in exercitio.

***

SECTIO SECVNDA.

Vnionem quoque materiæ & formæ in facto eſſe, realiter intrinſecè ab vtraque diſtingui. Adverſariorum effugia multipliciter precluſa.

7 SIT *Aſſertio II.* Cauſæ intrinſecæ, quales ſunt materia & forma, non vniuntur *in facto eſſe* immediatè per proprias & nudas entitates, ſed mediante vinculo, ſive nexu vnionis realiter ſuperaddito. Ita ex Thomiſtis Banez *1.p.q.76.art.1. dub.3. ſolut. ad vltimum*, Cabrera *3.p.q.2. art.4. diſp.8. num.27.* Complutenſes *in præſenti diſput.6.q.2.* Araujo *tom.1. in 3.p. q.2. art.8. dub.2.* Herrera & Albelda *in m. ſ.* Ex Doctoribus Societatis Eximius Suarez in eundem locum *1.p. diſp.8. ſect.2. & diſput. 15. Metaph. ſect.6. à num. 6.* Vazquez *tom. 1. in 3.p. diſput.18. cap.3.* Rubius *tract.4. de Formâ q.6. num.57.* Hurtado *diſp.5. ſect. 1. num.6.* Arriaga *diſp.4. ſect.1.* Tellez *diſp. 25. ſect.2. concl.2.* Compton *diſp.14. ſect.6.* Oviedo *controv.2. puncto 1.* Quiros *diſput. 48. ſect.1.* Richardus Lynce *lib. 2. Phyſic. tract.8. cap. 3.* Idem docuit Subtilis Doctor, quem communiter diſcipuli ſequuntur, vt teſtatur Pontius *diſp.5. q.2.* Ex alijs Averſa *q. 19. ſect. 5.* Cabero Ciſtercienſis, & Noſtri ſatis frequenter, tum in Curſibus Philoſophicis, tum & *tract. de Incarnatione*, vbi de vnione hypoſtatica agunt. Porrò D. Thomam huic ſententiæ favere, prędicti Authores volunt, & meritò: Quia *1. p.q.76. art.1. ad 6.* docet, animam ita ſe habere ad eſſendum in materia, ſicut ſe habet corpus ad eſſendum in loco. At corpus ita eſt in loco, vt inter vtrumque mediet *vbi* realiter diſtinctum, & ambobus extremis ſuperadditum. Ergo & anima ita eſt in corpore, vt inter vtrumque mediet vnio realiter diſtincta, & ambobus extremis ſupperaddita. Et quidem communis hæc expenſio teſtimonij D. Thomæ ſpeciale robur mutuare poteſt: quia propterea corpus locabile indiget modo vbicationis realiter ſuperaddito & interiecto, vt potiùs ſit in hoc, quam in illo loco, quia ſecundùm ſe indifferens eſt ad omnem locum diſiunctivè; ideoque vt determinetur potiùs ad vnum quàm ad alium, indiget ſuperadditâ determinatione. At etiam materia ſecundùm ſe eſt indifferens ad omnes formas diſiunctivè. Ergo vt determinetur ad vnam potiùs quàm ad aliam, indiget modo ſuperaddito vnionis intrinſecè determinãte. Verùm vis huius conſiderationis ex dicendis

poſtea

poſtea vberiùs confirmabitur.

8 *RATIO* Aſſerti præcipua deſumitur ex regulâ illâ, ſeu potiùs principio ab Ariſtotele ſtatuto *lib. 7. Topic. cap. 1. loco 17.* vbi propoſitis multis locis, ex quibus deprehẽdi poſsit realis aliquorum duorum diſtinctio, ſubdit tandem, veluti omnium evidentiſsimum: ὅτι (ſcilicèt, *ἐκεῖνο ἦν*, vt immediatè præmiſerat) *εἰ δυνατὸν θάτερον ἄνευ θατέρου εἶναι. οὐ γὰρ εἴη ταυτόν. Præterea* conſiderare oportet, *an poſsit alterum ſine altero eſſe: ſic enim idem nõ erunt.* Quare apud omnes aſſenſum meruit notiſsimum illud axioma: *Separatio realis eſt ſignum realis diſtinctionis.* Manifeſtè enim conſtat, nihil poſſe realiter ſeparari à ſeipſo, ſed tantũ ab eo, quod realiter aliud eſt. Quo principio vſus eſt S. Auguſtinus 6. *de Trinit. cap. 6.* vt probaret, in vnoquoque corpore aliud eſſe magnitudinem, aliud colorem, aliud figuram. *Poteſt enim*, inquit, *& diminutâ magnitudine manere idem color, & eadem figura; & mutato colore manere eadem magnitudo, & eadem figura; & figurâ eadem non manente, tam magnum eſſe, & eodem modo coloratũ; & quæcumque alia ſimul dicuntur de corpore, poſſunt & ſimul, & plura ſine cæteris commutari: ac per hoc multiplex eſſe convincitur natura corporis: ſimplex autem nullo modo.* Et inferiùs probat, animam hominis varios actus, ſive effectus realiter diſtinctos habere, *quia alia ſine alijs, & alia magis, alia minùs inveniri poſſunt.* Quo etiam axiomate paſsim vtuntur Scholaſtici, quorum cenſuum agmen appellat Eximius Suarez *diſp. 7. Metaph. ſect. 2. num. 11.* præcipuè vt probent diſtinctionem realem ſubſiſtentiæ à naturâ creatâ, & inhærentiæ ab accidenti, & actionis à termino. Idque ſemel adnotaſſe ſufficiat pro varijs cõtroverſijs, ne idem repetere opus ſit.

HINC Verò efficax diſcurſus efformatur. Quidquid enim reipſa ſeparatur ab aliquo, diſtinguitur realiter ab illo. At entitas tum materiæ, tum & formæ, ſeparatur realiter ab vnione; ſive, quod perinde eſt, manet in rerum naturâ, non manẽte vnione vtriuſque. Igitur entitas materiæ & formæ diſtinguitur realiter ab vtriuſque vnione. Maior ſeipsâ conſtat, & ſatis nuper cõfirmata eſt. Minor verò apertè probatur in morte hominis, cuius anima & corpus ſeparatur realiter ab vnione præcedẽti vtriuſque, per mortem deſtructa; cùm tamen entitas ipſorum verè in rerum natura maneat.

9 *RESPONDENT I.* Adverſarij, conceſsâ maiore, diſtinguendo minorem, & concedendo quidem animam & corpus hominis ſecundùm ſuas entitates præcisè ſeparari realiter ab vnione; non tamen ſecundùm ſuas entitates invicem præſentes, & connotantes materiam diſpoſitam. Hac enim ratione, nec realiter ſeparari, neque invicem diſtingui ab vnione: cum fieri nequeat formam præſentem eſſe materiæ diſpoſitæ, quin ipſi intrinſecè vniatur, atque immediatè per ipſam.

10 *SED Contrà I.* Stat enim optimè animam eſſe localiter præſentem materiæ diſpoſitæ, & tamen cum ea ſubſtantialiter non vniri. Ergo vnio ſubſtantialis animæ cum corpore ſeparabilis eſt ab entitate animæ prout localiter præſente materiæ diſpoſitæ. Probatur antecedens: Quia ſaltem poteſtate abſolutâ Deus creare poteſt animam rationalem intra materiam diſpoſitam, & tamen illam non vnire ſubſtantialiter materiæ, ſed relinquere hanc ſub forma embryonis: ſicut abſolutè poteſt vnire ſolùm localitèr, & non ſubſtantialiter, formam ignis materiæ ligni iam diſpoſitæ, & relinquere hanc ſub forma ligni. Cuius doctrinæ ratio eſt: quia diſpoſitiones vltimæ non habent connexionem eſſentialem, ſed ſolùm connaturalem, cum formâ, ad cuius receptionem diſponunt; atque adeo, ijs poſitis in materiâ, poteſt abſolutè Deus nolle vnire ſubſtantialiter talem formam materiæ, eſto illam localiter adiungat. Igitur entitates formæ & materiæ diſpoſitæ, localiter præsẽtes, ſeparari poſſunt realiter ab vnione ſubſtantiali vtriuſque, ſive exiſtere poſſunt, illa non exiſtente realiter; ac proinde ab eâ diſtinguuntur. *CONTRA II.* In opinione plurium ex Adverſarijs materia vltimò diſpoſita ad formam hominis, æquè capax eſt vnionis ſubſtantialis cum hac numero animâ rationali, ac cum illâ; quia aiunt plures formas ſubſtantiales poſſe ſaltem divinitus recipi in eadem numero materiâ, & in pluribus materijs eandem formàm: quamvis id à nobis improbatum ſit *ſuprà diſp. 9. ſect. prima.* Modò ſic. Penetret Deus, vti poteſt, humanitatem Petri cum humanitate Pauli. Certè anima Pauli erit localiter præſens materiæ Petri ſufficienter diſpoſitæ ad illã recipiendam; & tamen non ideò erit vnita ipſi ſubſtantialiter. Ergo vnio ſubſtantialis animæ ad determinatam materiam poteſt non exiſtere, quamvis ſimul localiter exiſtant forma ipſa & materia diſpoſita. Neque recurrere licet Adverſarijs ad carẽtiam vnionis cum aliâ formâ, quaſi illa requiratur vt alia forma ſubſtantialiter vniatur

tur

tur materiæ. Non, inquam, licet: quoniam in eâ opinione compoſsibiles ſunt plures formæ in eadem materiâ: tum etiam, quia cùm æquè indiſtans & diſpoſita ſupponatur materia Petri ad animam ipſius, atque animam Pauli, nulla erit ratio cur potiùs ſit vnita prioris animæ, quàm poſterioris, ſi præter diſpoſitionem & indiſtantiam localem non additur ſubſtantialis vnio, nectens materiam ipſam potiùs vni, quàm alteri animæ. *CONTRA III.* Materiam eſſe diſpoſitam & indiſtantē localiter à formâ, eſt quid formaliter accidentale; vtpotè primum ſpectans ad prædicamentum qualitatis, ſecundum vero ad quantitatem, vel ad vbi. At materiam eſſe vnitam ſubſtantialiter formæ non eſt prædicatum accidentale formaliter, ſed ſubſtantiale, vt ex terminis innoteſcit, & ex vnitate per ſe compoſiti reſultantis ex vtraque intra genus ſubſtantiæ. Ergo materiam eſſe diſpoſitam & indiſtantem à formâ, non eſt eſſe ipſi ſubſtantialiter vnitam. Ergo adhuc ſuppoſitis diſpoſitionibus & indiſtantiâ locali materiæ ad formam oportet ſuperaddere aliquid, vi cuius materia & forma vniantur ſubſtantialiter.

11 *RESPONDENT II.* Vnionem materiæ & formæ, præter vtriuſque entitatē, diſpoſitioneſque materiæ, & indiſtantiam à formâ, involvere neceſſariò decretum aliquod divinæ voluntatis ſancientis earum intimam coniunctionem. *SED Contrà I.* Niſi enim ex parte obiecti ponatur aliquid formaliter vniens materiam & formam, actus ille voluntatis divinæ nón ſufficit præſtare talem effectum. Nequit enim formaliter illum præſtare, vt patet: quia entitas increata, qualis eſt ille actus, nequit eſſe formalis vnio extremorum creatorum, aut conſtituere eſſentialiter compoſitum aliquod naturale & creatum. Solùm ergo poſſet actus ille præſtare effectum vnionis in genere cauſæ efficientis, ſeu efficiendo ſubſtantialem vnionem. At hæc non eſt entitas extremorum, neque indiſtantia eorundem localis, neque quòd materia diſpoſita ſit, neque hæc omnia ſimul accepta: cum probatum ſit omnia collectivè exiſtere poſſe ſine vnione ſubſtantiali extremorum. Igitur debet aſsignari ſubſtantialis aliqua vnio, ijs omnibus ſuperaddita, quæ terminet illum actum volitionis divinæ. *CONTRA II.* Nullus actus voluntatis divinæ eſt de conceptu intrinſeco adæquato, aut inadæquato hominis vt homo eſt. At vnio ſubſtantialis animæ & corporis eſt de conceptu intrinſeco hominis vt homo eſt. Ergo nullus actus voluntatis divinæ eſt de coceptu intrinſeco adæquato vel inadæquato vnionis ſubſtantialis inter corpus & animam: proindeque ad eam explicandam quò ad intrinſeca, fruſtrà recurritur ad divinæ voluntatis actum.

12 *RESPONDENT III.* & frequentiùs, diſtinguendo aliter præcipuam illam minorem; & concedendo quidem entitatem materiæ & formæ ſeparari ab vnione vtriuſque quò ad exercitium vniendi, & ex parte connotati; negando autem ſeparationem quò ad abſolutam entitatem & ex parte recti: quia quò ad hæc vnio manet etiam in ſtatu ſeparationis inter materiam & formam. Quâ eâdem ſolutione & doctrinâ paſsim & vbique ferè vtuntur ij, qui vulgatâ iam appellatione *Connotatores* audiunt. Verùm præter plura, quæ contra illos obijcio, dum de reali diſtinctione relationis à fundamento differo, quæque facilè poſſent huc advocari,

13 *CONTRA I.* Entitates animæ & corporis humani ſeparantur realiter ab vnione quò ad exercitium vniendi, cùm poſt mortem nón ſint in exercitiô vnitæ. Ergo diſtinguuntur realiter ab vnione quò ad exercitium vniendi: atque adeò materia & forma vniuntur medio exercitio realiter diſtincto: quæ eſt ipſiſsima noſtra opinio, ab Adverſarijs negata. *CONTRA II.* Eò ipſo quòd vnio ſubſtantialis non ſit aliquid ſuperadditum entitatibus animæ & corporis, atque vtramque interiectum, nequit deficere ex parte connotati, dū vnaquæque illarum in rerum naturâ manet. Quod probo: Nam deficere vnionem illam ſubſtantialem ſolùm ex parte connotati, nihil aliud eſſe poteſt, quàm manente entitate materiæ deficere, ſeu non eſſe in rerum naturâ formam, quam connotet; & è contrà, manente entitate formæ deficere, ſeu non eſſe in rerum naturâ entitatē materiæ, quā connotet forma. At ſupponimus, & fide divina conſtat, poſt mortem hominis neutram illarum deficere, ſeu in rerum naturâ non eſſe. ambæ quippe manent invicem ſeparatæ. Ergo poſt mortem hominis non deficit vnio materiæ & formæ ſolùm ex parte connotati. Ergo verè ipſum exercitium vnionis deficit, ſeu intrinſecè non eſt, vtraque parte quò ad intrinſecam entitatē in rerum naturâ manente: proindeque ab eâ diſtinguitur realiter & intrinſecè. *CONTRA III.* Anima & corpus hominis, etiam poſt mortem, ſe invicèm connotant: quia materia retinet ſemper habitudinem ad om-

omnes formas, ac proinde ad animam ſeparatam; hæc verò naturali propenſione inclinatur ad proprium corpus, ſive maternam. Et tamen licèt ſe invicem connotent poſt mortem, non ſunt intrinſecè vnitæ. Ergo vnio intrinſeca materiæ & formæ non deficit ex defectu mutuæ connotationis. Deficit itaque ex defectu alicuius exercitij ſuperadditi, quo vniuntur intrinſecè.

14 *DICES I.* Ex doctrinà Gabrielis *in* 1. *diſt.* 30. *q.* 4. *concl.* 5. vnionem materiæ & formæ non conſiſtere in quacumque connotatione, qualis eſt quam important mutuo in ſtatu ſeparationis; ſed in connotatione, quæ eſt intima præſentia, ſeu approximatio vtriuſque. *VERVM* evaſio hæc ſuprà *num.* 10. præcluſa eſt, oſtenſumque ibidem manet, poſſe formam eſſe intimè præſentem materiæ, ſeu approximatam, quin tamen ipſi ſubſtantialiter vniatur. Præterea: Anima Chriſti exeuntis per vterum Virginis illæſum, fuit intimè præſens, ſive approximata materiæ Virginis. Et tamen certum eſt nō fuiſſe cum ea ſubſtantialiter vnitam. alioqui Verbum vnivisset ſibi ſubſtantialiter corpus ipſum Virginis tempore nativitatis ſuæ: quod erroneum eſt. Ergo ſubſtantialis vnio animæ cum corpore non conſiſtit in connotatione, quæ tantùm ſit approximatio, ſeu intima præſentia. *Deinde* refellitur ab abſurdis. *Primò* enim ſi vnio ſubſtantialis conſiſtit in approximatione, ſeu præſentià locali materiæ & formæ, quoties hæc præſentia mutatur realiter, etiam mutabitur ſubſtantialis vtriuſque vnio: ac proinde quoties homo ambulat, currit, aut qualicumque motu amittit præſentiam vnam localem, & adquirit aliam, mutabitur ſubſtantialiter, eritque alius numero ab eo qui antea erat. quod non modò falſum, ſed & riſu dignum eſt. *Secundò*, & conſequenter, infertur, contra ſacras litteras, imò & contra præcipuum articulum fidei noſtræ, non eſſe eundem numero Chriſtum, qui modò ſedet ad dexteram Patris, ac illum qui poſt reſurrectionem cum Diſcipulis fuit in cœnaculo & monte Olivarum: cùm ſubierit mutationem realiter penes localem præſentiam materiæ & formæ, in quà dicitur conſiſtere vnio vtriuſque. *Denique* ſi ſemel vnio materiæ & formæ conſiſtit formaliter in approximatione vtriuſque, cùm hæc ſeparabilis, ac proinde realiter diſtincta ſit ab entitate vtriuſque, iam vnio eſt ab extremis realiter diſtincta: quod potiſſimùm nobis in præſenti curæ eſt.

15 *DICES II.* Cum alijs, approximationem non eſſe rationem formalem in quà conſiſtat vnio materiæ & formæ; ſed conditionem neceſſariam, quà poſita entitates animæ & corporis, quæ ſecundùm ſe vnitæ non erant, vniantur in exercitio. *SED Contrà I.* Iam enim *ſuprà num.* 10. oſtenſum eſt, adhuc poſita approximatione, imo & diſpoſitione materiæ, fieri poſſe vt hæc nō vniatur ſubſtantialiter cum formà. Ergo talis vnio quid ſeparabile & realiter diſtinctum eſt à materia & formà, etiam vt ſtantibus ſub conditione illa approximationis. Hoc enim ipſo materia & forma, prout ſubſtantialiter vnitæ, important aliquid de lineà ſubſtantiæ ſupra entitates vtriuſque, etiam vt approximatas. Id autem nequit eſſe aliud, quàm vnio ſubſtantialis vtriuſque ſuperaddita. II. Quod eſt conditio vt aliquid in rerum naturà exiſtat, debet eſſe conditio vt exiſtat id, quod eſt idem realiter cum illo. Eadem namque entitas, ſicut exigit eaſdem cauſas, ita & eaſdem conditiones, ad realem ſui exiſtentiam. Atqui approximatio, iuxta ſolutionem datam, eſt conditio vt realiter exiſtat ſubſtantialis vnio; & tamen conditio non eſt vt exiſtant realiter entitates materiæ & formæ, prout patet in morte hominis. Ergo ſubſtātialis vnio materiæ & formæ non eſt idem realiter cum entitate vtriuſque. *Confirmatur* hæc impugnatio. Licèt aliquid poſſit eſſe conditio neceſſaria, vt cauſa in exercitio exhibeat cauſalitatem realiter à ſe diſtinctam, quin tamen ſit conditio vt cauſa in ſeipſa exiſtat, vel ſit; nequit tamen accidere quoties cauſa per ſuam entitatem cauſat in exercitio, vt quod eſt conditio ad exiſtendum, nō ſit conditio ad cauſandum, neque è contrà. Prædicatorum enim realiter indiſtinctorum nequit vnum realiter exigere conditionem aliquam vt in ſe ipſo ſit, quin & alterum realiter illam exigat. Alioqui poſſet alterum exiſtere, altero non exiſtente realiter: quod repugnat. Atqui approximatio non eſt conditio vt entitas cauſæ materialis & formalis exiſtat, vel ſit in ſeipsà, & eſt conditio vt exiſtat vtriuſque cauſalitas. Igitur cauſalitas cauſæ materialis & formalis non eſt idem realiter cum vtriuſque entitate. Cum ergo eiuſmodi cauſalitas ſit vnio, hæc debet eſſe realiter diſtincta ab entitatibus cauſarum materialis & formalis.

16 *DICES III.* cum Connotatoribus, approximationem non eſſe conditionem, vt exiſtat vnio animæ & corporis ſecundùm entitatem, ſed tantum ſecundùm formalita-

tatem, ſiue, quod perinde eſt, ſecundùm actuale exercitium vnionis. Aiunt itaque, eandem entitatem materiæ & formæ, quæ ſecluſa conditione approximationis non exercet cauſalitatem vniendi, poſita conditione prædicta, & nullo intrinſecè ſuperaddito ex parte recti, ſed ſolùm ex parte connotati, eam exercere intrinſecè & formaliter. Quod aliqui exponunt ab inſtantia actuum liberorum Dei, qui licèt ſint intrinſecè & quoad entitatem indefectibiles, identificentque ſecum rationem exercitij liberi, adhuc ſub hac poſteriori ratione poſſunt deficere, ſeu non eſſe, ex defectu ſolius connotati, nimirum, ex parte creaturæ volitæ, aut nolitæ. *SED Contrà I.* Indignum enim Philoſopho eſt ad exponendum exercitium cuiuslibet entitatulæ, quod ſolo naturali diſcurſu definiri debet, recurrere ad ſummum illud, & propemodum inſcrutabile arcanum liberorum Dei actuū, eodemque modo de vtroque loqui. Neque vllum fidei Catholicæ circa res increatas & diuinas obſequium præſtat, qui quod in eis ferè inſcrutabile eſt, quaſi ad amuſſim in creatura vult euenire contendit. Dum enim diuinas veritates ſuaſibiliores reddere vult, illas deprimit, & ſublimitate ſua defraudat. Ergo abſurdum eſt exponere defectibilitatem & indefectibilitatem vnionis materiæ & formę per defectibilitatem & indefectibilitatem actuum Dei liberorum. *CONTRA II.* & redit præcipuum argumentum. Quoties vnum in rerum natura exiſtit, altero realiter non exiſtente, inter vnum & alterum eſt realis diſtinctio. Sed poſt mortem hominis in rerum natura exiſtit entitas animæ rationalis (idemque eſt de materia proportionaliter) non exiſtente realiter illo exercitio, ſeu formalitate vnionis, quam importat ex parte recti. Ergo entitas animæ rationalis, & exercitium illud, ſiue formalitas vnionis, quam importat ex parte recti, diſtinguuntur realiter. Probatur minor, in qua ſola eſt diſſidium: Quia exercitium illud, ſeu formalitas vnionis, quam ex parte recti importat forma, nihil aliud eſt quàm ipſam formam eſſe actu vnitam materiæ, tamquam obliquo. At poſt mortem hominis exiſtit entitas formæ, ſiue animæ, non vnita actu materiæ; tamquam obliquo. Hoc enim ſolùm habet anima, dum viuit homo, & tunc ſolùm in recto eſt actu vnita materiæ, veluti obliquo ſuo. Ergo poſt mortem hominis exiſtit in rerum natura entitas animæ rationalis, non exiſtente realiter illo exercitio, ſeu formalitate vnionis, quam importat ex parte recti. Plura alia huc ſpectantia vide loco Metaphyſicæ iam indicato, & vbi de quantitate diſputo, an in ea ſint puncta copulatiua.

SECTIO TERTIA.

Aliæ rationes pro eadem ſententia breuiùs proponuntur.

17 SECVNDO Probatur eadem ſententia: Quia id, cuius eſſentia nō conſiſtit in exercitio aliquo, ſed in aptitudine ad ipſum exercitium, nequit in illud reduci ſine aliquo intrinſecè ſuperaddito. At eſſentia materiæ & formę non conſiſtit in exercitio recipiendi & informandi; ac proinde nec vnionis, ſed in aptitudine ad illud. Ergo materia & forma nequeunt reduci in exercitium recipiendi & informandi, ac proinde nec vnionis; ſine aliquo intrinſecè ſuperaddito. Conſequentia eſt optima, & minor euidens: quia ſi materia & forma conſiſterent eſſentialiter in exercitio recipiendi & informandi, ac proinde in actuali exercitio vnionis; neutra illarum poſſet exiſtere in rerum natura adhuc ſecūdùm poteſtatem abſolutam Dei, quin eſſet alteri in exercitio vnita. Repugnat enim aliquid exiſtere abſque eo, quod ſibi eſſentiale eſt. Atqui forma poteſt exiſtere in rerum natura ſine actuali exercitio vnionis, & de facto exiſtit, vt conſtat in anima ſeparata; idemque diuinitus accidere poſſet formis materialibus, ſicut & accidentibus, imò & materiæ primæ in opinione quorūdam ex Aduerſarijs. Ergo eſſentia materiæ primæ & formæ non conſiſtit in exercitio recipiendi & informandi, ac proinde nec vnionis. Iam maior illa primi ſyllogiſmi probatur multipliciter. *Primò*: Quia id, cuius eſſentia non conſiſtit in exercitio aliquo, ſed in aptitudine ad ipſum exercitium; ſi nihil ipſi intrinſecè ſuperaddatur, manet quoad omnia intrinſeca, ſicut antea. Ergo ſicut antea non erat reductum in exercitiū intrinſecum, ſic nec poſtea, ſine alicuius intrinſeci ſuperadditione. *Confirmatur* hæc probatio, & præcluditur obiter ſolutio frequens Aduerſariorum. Exercitium, tam materiæ circa formam, quam formæ circa materiam, eſt intrinſecum vtrique, & neutrum de conceptu eſſentiali vtriuſque ſecundùm ſe conſideratæ: ac proinde debet eſſe vtrique intrinſecè ſuperadditum ex parte recti, & non ſolùm ex parte obliqui. Exercitium enim intrinſecum materiæ ex parte recti circa formam, non eſt ipſa forma;

ma, quæ eſt purum obliquum, ſed receptio ex parte materiæ ſe tenens. Similiter & exercitium intrinſecum formæ circa materiam non eſt materia ipſa, quæ puri obliqui rationem habet: ſed informatio ſe tenens ex parte formæ. Ergo tam materiæ, quàm formæ in recto, ſuperaddi debet intrinſecum exercitium informationis & receptionis: quod certè eſt ipſa vnio. *Secundò* probatur eadem maior. Quia ideo nulla cauſa efficiens creata poteſt reduci in actū ſecundum operationis, etiam immanentis, ſine aliquo exercitio ſuperaddito, quia eſſentia ipſius non conſiſtit in actuali exercitio, ſed tantum in aptitudine proximà, aut remotà ad illum. Alioqui nulla erit ratio probans operationem a virtute efficiēte realiter diſtingui debere. *Tertiò.* Quoniā eandem [illegible] cauſam colligimus natura creatam à propria ſubſiſtentia diſtinctam, quoniam non conſiſtit eſſentialiter in exercitio ſubſiſtendi, aliſideque ſeparari ab eo poteſt: quæ duo etiam verificari de anima rationali relatè ad exercitium informandi, ex præcedentibus liquet. *Quartò* denique: nam ex eodem principio colligimus inhærentiam, ſive vnionem accidentalium formarum cum ſubiecto, eſſe intrinſecè ſuper additam vtrique extremo, quoniam neutrum cōſiſtit eſſentialiter in tali exercitio, ſed in ſola aptitudine ad illud. Quòd ſi ad connotata recurras in materia & forma, eadem quoque ratione recurrere poteris in accidentibus, vt proinde abſque ſuperadditione inhærentiæ, ſive exercitij vnionis, informent ſubiectum. quod alienum à Philoſophia eſt. Vera itaque apparet, certaque maior illa primi ſyllogiſmi.

18 *TERTIO* Suadetur communi argumento deſumpto ex generatione hominis, qui verè generatur ab alio homine, cùm tamen nec generetur, nec generabilis ſit entitas materiæ, aut animæ rationalis ipſius. Ergo oportet in homine genito eſſe aliquid diſtinctum realiter, ſuperadditumque entitatibus materiæ & formæ, quod per actionem generativam producatur, & ratione cuius totus homo dicatur ac ſit verè productus. Id autem nequit eſſe aliud, quàm earundem partium vnio. Alioqui dabitur in rerum natura actio generativa, quæ nihil omnino producat, aut certè producat aliquid ingenerabile. quorum vtrūque impoſsibile eſt. *Dicunt I.* Adverſarij, non eſſe opus vt omnis actio realis producat terminum de novo, ſed ſatis eſſe quòd aliquid iam exiſtens vniat alteri præexiſtenti. Idque ſuadere volunt ab inſtantià actionis intenſivæ, item & ſenſationum externarum, quæ in probabili opinione nihil producunt. *SED Contrà.* Præter enim quàm quòd inſtantiȩ adductæ laborant eàdem difficultate, actio generativa hominis non eſt quælibet actio, ſed vera productio illius, ſeu effectio, vt omnibus exploratum eſt; quemadmodum & cuique patet, in creatis patrem eſſe cauſam filij in genere cauſæ efficientis. Ergo oportet actionem generativam patris efficere aliquid pertinens ad prædicata ſubſtantialia filij. Id autem nequit eſſe entitas materiæ, aut formæ. Ergo vnio vtrique realiter ſuperaddita. *Dicunt II.* & frequenter, illud quod verè efficitur per generativā actionē, eſſe vtramque partem in complexo, & per modum totius; quod antea non præſupponebatur, & media generatione incipit eſſe. *SED contrà.* Vel illud complexum, ſive totum, addit aliquid realiter vltra vnā & aliam entitatem partium, vel non? Si primum dicatur; actum eſt de opinione adverſa. Si ſecundum; ergo quemadmodum vna & alia entitas partium, nequit produci, ſive effici media generatione; ſic nec complexum illud. Dicere autem, totum illud nihil aliud eſſe quàm materiam & formam vnitas; niſi addatur vnio vtrique earum entitati, mera nugatio eſt. Vel enim prout vnitæ important vnionem realiter diſtinctā ab vtriuſque entitate, quod quærimus; vel non important: & ſic homo improducibilis eſt ab alio homine, ſicut & entitates partium ipſius. *Præterea.* Pro illo priori naturæ ad generationem hominis iam materia præſupponitur coniuncta animæ rationali ſecundum indiſtantiam temporis & loci; cùm Deus animam non creet, niſi intra materiam. Ergo vt homo pro alio poſteriori naturæ ſubſtantialiter producatur ab alio homine, debet in illo produci, ſive effici aliquid ſubſtantiale præter entitates illas materiæ & formæ, quȩ iam productæ & indiſtantes præſupponebantur. Hoc autem nequit eſſe aliud, quam ſubſtātialis vnio vtrique ſuperaddita. Cumque hæc nequeat eſſe res adæquatè diſtincta ab ijs (alioqui non eſſet vnio, ſed extremum vnitum, egeretque alio nexu, & alio) ſupereſt vt ſit modus, ſive *adiacens rei determinatio*, quà materia & forma vniantur. & quidem modus intrinſecè ſubſtantialis eo ſenſu, quo exiſtentia, & ſubſiſtentia, quatenus perficiunt ſubſtantiam intra proprium genus manentem.

***

SECTIO QVARTA.

Sententia oppoſita, eiuſque argumenta ſoluta.

10 ADVERSAM Opinionem, negantem materiæ & formæ vnionem diſtinctam, tuentur Nominales apud Hurtadum *diſp.* 5. *§.* 6. Caietanus 3. *p. q.* 2. *art.* 7. *&* 10. Alvarez, *ibid. diſp.* 13. Ioannes à S. Thoma *quæſt.* 6 *Phyſica art.* 3. & plerique Thomiſtarum. Ex Authoribus Societatis Conimbricenſes, & Valentia, atque VVadingus *diſp.* 1. *de Incarnat.* Martinonus *diſp.* 5. *ſect.* 6. Idem docet Spinula quò ad vnionem formæ materialis cum materia, licèt aliunde velit animum rationalem coiungi materiæ vnione diſtinctà. Ita ille *diſput.* 4.

20 PROBANT I. ex D. Thomà *in* 3. *diſt.* 2. *q.* 2. *art.* 2. vbi ait: *In vnione humana naturæ ad divinam nihil poteſt cadere medium formaliter vnionē cauſans, cui per prius humana natura coniungatur, quàm divinæ: ſicut inter materiam & formam nihil cadit medium in eſſe, quod priùs ſit in materia, quàm forma ſubſtantialis.* Si autem daretur nexus materiam inter & formam, priùs eſſet in materia, quam forma ipſa. Deinde 3. *contra Gent. cap.* 7. ac ſæpe alibi, docet potentiam & actum vniri abſque vllo medio, in eoque diſtingui ab ijs, quæ ſunt diverſa ſecundùm actum. Cum igitur materia & forma comparentur vt potentia & actus, nihil inter vtramque cadit medium. RESP. D. Thomam ijs locis ſolùm excludere medium habens rationem extremi, ſeu tertij ponentis in numero cum extremis vnitis; non verò habens rationem puri nexus & vinculi modalis extremorum. Scopus enim ijs locis præfixus ſolùm eſt vt probet, tum ex natura humana & perſona Verbi, tum & ex materia ac forma fieri vnum per ſe. Quod certè ſubſiſtit, dummodo nihil per modum extremi aut tertij mediet inter vtrumque extremum, quamvis mediet aliquid per modum puri nexus.

21 VERVM Contra ſolutionem hanc inſtabis multipliciter. *Primò*: Quia aliter vniuntur materia & forma, quam partes eiuſdem quantitatis; quoniam ſolùm priores comparantur vt actus & potentia, non verò poſteriores; ac proinde illæ immediatiùs vniri debent, quam iſtæ. At partes eiuſdem quantitatis vniuntur medio aliquo nexu habente rationem puri vinculi, nimirum, puncto copulativo. Ergo materia & forma non vniuntur medio aliquo nexu, habente rationem puri vinculi. Ergo vniuntur omnino immediatè. *Secundò*. Natura humana vnitur perſonæ Verbi ſine medio aliquo, adhuc per modum puri nexus: tum, quia Verbum ſine aliquo ſuperaddito, & inexiſtente ſibi, vnitur humanitati: tum quia ſi daretur vnio intermedia, non poſſet eſſe naturalis, quoniam excederet totius naturæ vires; nec ſupernaturalis, quia deberet eſſe entitas ſubſtantialis creata, quam repugnat ſupernaturalem eſſe iuxta communem ferè ac meliorem Theologiam: tum præterea, quia vt humanitas denominetur & ſit intrinſecè vnita, ſufficit actio Dei vnitiva in humanitate recepta & relatio vnionis inde reſultans: tum denique, quia humanitas nullo nexu mediante coniungitur propriæ ſubſiſtentiæ, atque adeò & alienæ.

22 HÆC tamen non obſtant. AD I. conceſsis maiore ac minore, negatur conſequentia: quia materia & forma non differunt à partibus quantitatis penes interiectionem puri nexus vnientis; ſed penes hoc, quod nexus priorum ſit in re ſubſtantialis, & vnum per ſe ſimpliciter ex potentia & actu conſtituens; poſteriorum verò accidentalis in re, & ſolùm conſtituens vnum per ſe accidentale, vnitate ſolius continuationis. AD II. negatur antecedens: quia, vt frequentiùs & veriùs negant Theologi 3. *part. quæſt.* 2. *artic.* 7. humanitatem inter & Verbum mediat vnio hypoſtatica, veluti purus vtriuſque nexus, & modus ſuperadditus. Quod certè ſuadet ratio præcipua ſeparabilitatis realis; quam fusè propoſuimus *ſection.* 2. nam rectè expenſa probat, vnionem hypoſtaticam debere eſſe modaliter diſtinctam; quia licèt illa nequeat exiſtere non exiſtente vtroque extremo, poteſt vtrumque extremum abſolutè exiſtere ſine vnione; cùm poſsit abſolutè Verbum dimittere humanitatem in rerum naturà manentem. Neque vrgent probationes in oppoſitum. Non prima: quia cùm humanitas ſit creatura, capax eſt intrinſecæ immutationis per vnionem illam, in ſe receptam; ſecus verò perſona Verbi, quoniam eſt purus actus, & proinde identificans exercitium ſuum actuale vnionis ad naturam aſſumptam. Vnde vnio illa intrinſecè ſolùm informat naturam creatam, illamque coniungit Verbo vt termino intrinſeco. Non etiā vrget ſecunda probatio: quia vnio illa citra abſurdum aliquod

eſt ſubſtantia modalis & incompleta, cui non repugnat ſupernaturalem eſſe intrinſecè, cum habeat rationem modi elevantis, & in ea non militent rationes, quæ contra poſsibilitatem ſubſtantiæ ſupernaturalis creatæ fieri ſolent, vt dicemus *tom. 1. Curſus Theologici, tract. de Viſione Dei.* Non tertia: quia niſi actio vnitiva Dei ponat aliquid intrinſecum inter humanitatem & Verbum, quod vtrumque extremum nectat in ordine ad conſtitutionem vnius ſuppoſiti, erit actio inutilis in eum finem, & non magis ex humanitate illa ac perſona Verbi reſultabit vnum ſuppoſitum, quam ex ipſo Verbo & qualibet humanitate in rerum naturà poſita pro priori ad ſubſiſtentiam propriam. Sicut enim ex Verbo & humanitate ipſi præſente ratione intimi illapſus non reſultat pro illo priori aliquod ſubſtantiale tertium, defectu intrinſecæ vnionis; ſic nec reſultaret ex humanitate Chriſti & Verbo, ſi præter actionem vnitivam Dei non poneretur vnio intrinſeca vtriuſque extremi. Ad vltimam probationem nego antecedens: quia cùm omnis natura creata poſsit divinitus carere exercitio actuali vnionis ad ſubſiſtentiam ſibi debitam, abſolutè impeccabilem a Deo, debet realiter diſtingui ab eo exercitio. Poſſet quoque, prætermiſſo antecedēti, negari conſequentia, & reddi diſparitas: quia eo ipſo quòd exiſtant natura creata & ſubſiſtentia propria ipſius, debent eſſe ſubſtantialiter vnitæ, cùm nec divinitus poſsit ſubſiſtentia creata exiſtere, niſi ſubſtantialiter vnita propriæ naturæ. Vnde non videtur ita neceſſaria vnio vtrique ſuperaddita. Cæterum quælibet natura creata & perſona Verbi divini poſsūt abſolutè exiſtere, quin ſubſtantialiter vniātur: idēque eſt de materia, & qualibet forma, nō ſolùm ſpirituali, ſed etiā materiali, ſecundùm potentiā Dei abſolutā: quæ, ſicut conſervat formam accidentalē ſine ſubiecto, ita & poteſt ſubſtātialē formam ſine materia. Quare ſpecialis ex hoc capite ratio eſt, vt inter naturā creatā & ſubſiſtentiam alienā, ſimiliterq; inter materiā & formā, detur vnio ſuperaddita.

23 *PROBANT II.* Si daretur vnio diſtincta inter materiam & formam, maximè vt vtraque in cōſortio eius modi ſuperadditi cōſtitueret vnum aliquid. Hoc autem falſum eſt: tum quia ex materia & forma non conſtituitur aliquid vnum vnitate modali, ſed vnitate realitatis ſubſtantialis, in qua ambæ partes communicant: tum, quia iuxta Symbolum S. Athanaſij, *anima rationalis & caro, vnus eſt homo*; ac proinde nulla alia tertia entitas, ſive modus exigitur, vt vnus homo reſultet: tum denique, quia iuxta Philoſ. *lib. 1. de Gener.* in rebus ſubſtantialibus nihil aliud eſt, quam materia, forma, & compoſitum ex vtraque. Non ergo requiritur vnio diſtincta, vt ex materia & forma reſultet vnum aliquid ſubſtantiale. *RESP.* negando minorem. Ad primam probationem dicimus, ex materia & forma reſultare vnum vnitate modali *vt quo*, ſive tamquam ratione vniendi; licèt non reſultet vnū vnitate modali *vt quod*: quia id quod reſultat eſt res compoſita, & ex partibus realibus, medio vnionis modo copulatis, reſultans. Ad ſecundam non obſtat locus Athanaſij, in quo ſolùm ſermo eſt de partibus eſſentialibus hominis, quæ ſunt anima & corpus; non autem de modis intrinſecis, & neceſſariis ad hominem conſtituendum, vt patet in ſubſiſtentia modali, à pleriſque Adverſariorum admiſſa. Præterquam quod ibi ſermo eſt de anima rationali & corpore, non qualitercumque, aut ſecundum ſe conſideratis, ſed prout vnitis: quā ratione important nexum vnionis ſuperadditum. Ex quibus patet ad tertiam probationem ex Philoſopho, qui nomine compoſiti comprehendit vnionem, veluti nexum vtriuſque partis.

24 *PROBAT III.* Spinula, formā materialem vniri materiæ ſine vnione diſtincta, quia per hoc præciſe quod forma eiuſmodi intelligatur dependere a materia in genere cauſæ materialis, abſque vnione vlla intellecta, intelligitur conſtitutum cōpoſitum, & materia cum forma conſtituere vnum ens per ſe. Ergo ad conſtitutionem cōpoſiti ſuperflua eſt omnis vnio, & ſola ſufficit dependentia formæ à materia in genere cauſæ materialis. Conſequentiam patere inquit, & antecedens probat: Quia per hoc præcisè quod intelligatur forma dependere à materia in genere cauſæ materialis, etiam nulla intellecta vnione, intelligitur forma actuare materiam, recipi, atque inhærere materiæ. At per hoc præcisè quod forma intelligatur actuare materiam, recipi in ea, atque ipſi inhærere, intelligitur cum illa conſtituere vnum per ſe, & compoſitum ex iis reſultare. Ergo per hoc præcisè quòd materialis forma intelligatur dependere à materia in genere cauſæ materialis, abſque vnione vlla intellecta, intelligitur compoſitum conſtitutum, & materia cum forma conſtituere vnum ens per ſe.

25 *MIRUM* eſt quantùm prædicto Authori placuerit ratio præiacta, & quam ſæpe plura ad eam ſpectantia probare ſe *evidenter* affirmet. At fortè evidentius eſt nihil ab eo probari, & opinionem eius contradictione plenam eſſe. Etenim *ſection.* 3. per totam defendit, probatque vnionem animæ & corporis realiter diſtinctam eſſe ab vtraque parte, quia vtraque pars exiſtere poteſt, nõ exiſtente vnione. At etiam materia & forma materialis abſolutè exiſtere poſſunt non exiſtente vnione, ſi Deus conſervet materialem formam extra materiam, ſicut accidẽtia Euchariſtica ſine ſubiecto. Ergo etiam vnio materiæ & formæ materialis debet eſſe realiter diſtincta ab vtraque parte. Negare autem ſimpliciter vnionem illarum, vt negari videtur in argumento propoſito, eſt negare mero meridie lucem: tum quia materia & forma materialis in equo v. g. ſunt coniunctæ ſubſtantialiter, & ex ijs intimè communicatis conſtituitur per ſe vnum aliquid. Hoc autem nec eſſe, nec intelligi poteſt ſine vera & ſubſtantiali vnione, quæ nihil aliud eſt, quàm eiuſmodi coniunctio. Mitto pleraque alia cuique obvia in eam opinionem, quæ in medium proferre non vacat.

26 *RESP.* Deinde ad argumentum. Si loquamur de forma materiali prout *in fieri*, ipſa dependentia actualis formæ a materia eſt vnio cum illa. Vt enim præmiſſimus *n.* 2. eadem entitas actionis productivæ prout à cauſa efficiente eſt exercitium ſeu cauſalitas agentis; prout receptio formæ pendentis in ſuo *fieri* a materia, eſt receptio & cauſalitas illius erga formam; & quatenus vnio materiæ cum forma in ordine ad tertium conſtituendum, eſt conſtitutio compoſiti ſubſtantialis: quia, tam iuxta Ariſtotel. & D. Thomam ibidem allegatos, quàm ſecundùm veritatem, omnia hæc convenire poſſunt eidem motui ſecundùm diverſas formalitates, ſeu munera. Quare tranſeat poſſe vnum munus, ſive formalitatem vnam intelligi, non intellecta alia. Adhuc enim verum eſt, impoſsibile eſſe exercitium, ſive cauſalitatem materiæ circa formam *in fieri*, ſine vnione cum illa, etiam *in fieri*. Si autem loquamur *in facto eſſe*, exploratius adhuc eſt ipſam cauſalitatem materialem eſſe vnionem materiæ cum forma, ſicut & cauſalitatem formalem eſſe vnionem formæ cum materia: quia vtraque illarum per ſuam entitatem qualemqualem neceſſariò importat ſubſtantialem & intrinſecã coniunctionem cum alia. An verò prædicta vnio, tam *in fieri*, quàm *in facto eſſe*, ſit indiſtincta à concurſu ſimultaneo Dei, tum efficiente, tum & conſervante materiale compoſitum, dicã *ſeq. diſp.* 17 *ſect.* 3. *ſolut. ad* 3. *argum.*

SECTIO QVARTA.

Occurritur vltimo argumento, & diſſeritur obiter, an vnio inter materiam & formam ſit vnica, aut duplex.

27 POSTREMO Adverſarij ita arguunt. Si materia & forma coniungerentur vnione diſtincta realiter, illa eſſet vnica, aut duplex. At neutrum eſſe poteſt. Ergo, &c. Minor quo ad priorem partem videtur conſtare: Quia vnio inter materiam & formam, ſi ab ijs realiter diſtincta aſſeritur, debet eſſe cauſalitas vniuſcuiuſque in alteram. At cauſalitates vtriuſque ſunt realiter plures, ſicut & cauſæ ipſæ; vtpotè ſpectantes ad diverſa genera, quæ proinde nequeunt habere identitatem realem. Ergo vnio inter materiam & formã, ſi realiter diſtincta eſt, nequit eſſe vnica, ſed duplex. Accedit quòd materia cauſat recipiendo, & non informando; forma autem è converſo. Ergo cauſalitas materiæ nequit eſſe vnum & idem realiter cum cauſalitate formæ. Præterea: vnio inter materiam & formam fundat diverſas relationes reales, quibus ambæ invicem referuntur. At fundamenta diverſarum relationum debent eſſe realiter plura. Denique nequit materia cauſari & eſſe effectus realiter per idem exercitium, quo conſtituitur cauſans ipſam formam: quia alioqui eſſet ſimul effectus & cauſa per idem exercitium reale; quod repugnat. Ergo cauſalitas materiæ realiter diſtinguitur a cauſalitate formæ; ac proinde vnio vtriuſque debet eſſe realiter diſtincta & duplex. Iam poſterior illa eiuſdem minoris pars, nimirum, non poſſe eſſe duplicem vnionem, ſed vnicam, ſuadetur: quia poſita vnica vnione, ſive ex parte materiæ, ſive formæ, vtraque pars neceſſariò atque invicem nectitur. Ergo fruſtrà aſsignatur altera vnio.

28 HOC Argumentum diviſit Authores noſtræ ſententiæ in oppoſitos dicendi modos. Quidam, vt Suarez, Vazquez, Rubius, Arriaga, & Tellez, *n.* 7. allegati ac præterea Bernal *diſp.* 11 *de Incarn. ſection.* 5. *n.* 50. & ex Thomiſtis Complutenſes *diſp.* 6. *q.* 3. tuentur vnam & ſimplicẽ eſſe. Quod

 & nu-

& mihi verius videtur, quamvis plerique alij duplicem, ſive compoſitam velint. Ratio qua moveor, eſt, quia ſimplex quælibet vnio indiviſim & eſſentialiter eſt nexus duarum partium, ita vt nec divinitus fieri poſsit alteram vniri, quin & altera vniatur: ſicut nec divinitus fieri, nec etiam intelligi poteſt, me v. g. amare obiectum actu aliquo, quin per actum eundem obiectum ſit & denominetur amatum a me; & ſimiliter capi nequit vnum aliquid eſſe indiſtãs loco aut tempore ab alio, quin & hoc ſit pariter indiſtans ab illo. Quare eadem vnio realiter ſufficit vt materia intrinſecè vniatur formæ, & forma ſimiliter materiæ cũ hoc ſolùm diſcrimine, quòd vnio, prout ex parte materiæ ſe tenens, conſtituit in recto cauſam materialẽ quatenus in exercitio cauſantem, connotatque formam velut obliquum; prout verò ſe tenet ex parte formæ, conſtituit in recto cauſam formalem, quatenus cauſantem in exercitio, & connotat materiam veluti obliquum. Re autem vera vnicuique parti intrinſeca eſt vnio eadem, quia per illam intrinſecè cõpletur ex conſortio ad alteram partem.

29 *QVARE Reſp.* negando minorem quò ad priorem partem. Vnica enim vnio ſufficit ad coniungendam intrinſecè materiam & formam. Ad primam impugnationem, conceſſa maiore, negatur minor: quia ſtat optimè quòd cauſæ realiter diverſæ cauſent per idem exercitium realiter: ſicut cauſa prima & ſecunda per eandem operationẽ ipſius cauſæ ſecundæ, penes diverſas virtualitates conſideratam; & finis ac voluntas per eundem actum amoris ſecundũ varias inſpectiones, iuxta opinionem valde receptam; & cauſa efficiens ac materialis per eandem cauſalitatẽ in re, quæ prout ab agente eſt actio, & prout in materia eſt paſsio prædicamentalis. Quòd autem ſint cauſalitates diverſorum generũ, ſolùm probat diſtinctionẽ cauſalitatum virtualẽ intrinſecam; non realem: ſicut nec genera ipſa debent eſſe realiter diverſa: eademque entitas poteſt eſſe cauſa in duplici genere. Ad ſecundã impugnationẽ concedo, materiam cauſare ſolùm recipiendo, & non informando; formã verò è contra. Inde verò ſolũ infertur diſtinctio virtualis intrinſeca vtriuſq; cauſalitatis, quæ iuxta variã vtriuſque partis capacitatẽ tribuit diverſas denominationes intrinſecas; non autẽ diſtinctio realis actualis. Ad tertiam, quidquid ſit an in materia recipiatur immediatè relatio aliqua prædicamentalis ad formam (quod frequẽter negant qui ſubiectũ omnium accidentiũ aiunt eſſe totum cõpoſitũ) dicendum eſt ad fundandas diverſas relationes reales inter cauſam & effectũ, non requiri quod rationes fundandi ſint realiter diverſæ quaſi in abſtracto, & ſecundùm ſuam entitatem præciſsè; ſed ſufficere quòd in concreto diſtinguantur. Quare eadem cauſalitas quatenus ex parte materiæ ſe tenens, & cum eâ conſtituens cauſam materialem in exercitio recipientẽ, adæquatè fundat relationẽ vnionis ad formam; eademq; cauſalitas prout ſe tenens ex parte formæ, & cũ ea conſtituens cauſam formalem prout in exercitio informantem, fundat adæquatè relationem vnionis formæ ad materiam. Hinc denique ad vltimam impugnationem dicimus, poſſe quàm optimè materiã eſſe in re cauſam in exercitio cauſantẽ, ſimul & effectum formæ, per eandem cauſalitatem entitativè, ſolumq; virtualiter diverſam; neque inde ſequi quòd ſit ſimul cauſa & effectus eiuſdem ſecundùm idem, ſed penes diverſa tantùm. Quippe materia prout recipiens, ſeu quatenus conſtituens concretum aliquod reale cum vnione, prout hæc receptio eſt, habet rationẽ cauſæ relatè ad formam; ſimiliterque forma relatè ad materiam, quatenus cum vnione, vt informatione, conſtituit concretum aliud realiter diſtinctum à præcedenti. Quod ſuo modo apparet in inſtantijs nuper indicatis.

30 *DICES*: Saltem in homine nequit eſſe vnica vnio, ſed duplex, ſi ſemel ab extremis realiter diſtincta eſt. *Si enim* eſſet vnica & ſimplex, vel eſſet corporea, vel ſpiritualis. Non primum: quia non poſſet modificare, ſive intrinſece afficere animam purè ſpiritualem, defectu proportionis. Non ſecundum: quia non valeret intrinſecè afficere materiam, neque in ea recipi: quidquid enim recipitur, ad modũ recipientis recipitur. *RESP.* negando antecedens. Ad probationem non placet ſolutio P. Suarez vbi ſuprà *ſect.* 3. aientis eam vnionem ſpiritualem eſſe. Refellitur enim, quia homo cauſat effectivè principaliter vnionem medio actu materiali generationis. Nulla autem entitas ſpiritualis cauſari poteſt principaliter effectivè medio materiali actu. Ergo illa vnio ſpiritualis entitas non eſt. Quare cum alijs cenſeo, vnionem illam animæ rationalis cum corpore, ſimpliciter materialem & corpoream eſſe. Neque obſtat probatio in oppoſitum: quia licèt modus materialis nequeat intrinſecè afficere formã purè ſpiritualem, & nullo modo corporeã, qualis eſt forma Angeli per ſe cõpletè ſubſiſtẽs; poteſt tamẽ afficere

re formã ſpiritualem, quæ ſimul eſt corporea *vt quo*, & vera atque eſſentialis forma corporis humani; qualem eſſe rationalem animam in Concilio Lateranenſi definitum eſt. Eo namque ipſo recipitur in materia modo corporeo, ac proinde vnione materiali. Sic & in anima rationali, vt ſubiecto *quo*, recipiuntur potentiæ ſenſitivæ, & actus vitales ſenſationis, quia forma corporis eſt, & ſubiectum accidentium non eſt materia ſola, ſed totum compoſitum, vt proprio loco dicemus.

31 *INSTABIS* cum Hurtado. Cõceptus rei omnino materialis in eo conſiſtit, quòd partes omnino materiales, invicem diſtinctas, extenſaſque ſortiatur. At vnio inter animam rationalem & corpus id non habet, ſed conſiſtit in indiviſibili. Ergo materialis non eſt. *RESP.* poſſe negari maiorem, quoniam puncta, tum copulativa, tum & terminativa quantitatis, communiter a Philoſophis admiſſa, ſunt materialia, ſimul & indiviſibilia, atque omni diſtinctione partium & extenſione carentia. Verùm, maiore gratis permiſſa, negatur minor: quia ſicut vi caloris naturalis homo amittit aliquas partes ſubſtantiæ, & vi nutritionis alias adquirit; ita etiam amittit & adquirit partialem vnionem earundem cum anima. Sicùt enim toti materiæ hominis reſpondet totalis vnio cum anima, ſic & ſingulis partibus materiæ partialis vnio: quæ, ſicut ſeparabilis eſt a particula materiæ & ab animâ in rerum naturâ manentibus; ita & ab iis realiter diſtincta eſt. Deinde, pro illo priori naturæ, quo homo intelligitur potens ad actionem nutritivã, ac proinde ad efficiẽdam vnionem novæ partis materiæ cum animo rationali præexiſtente, iam intelligitur conſtitutus in actu primo ex materia, forma, & vnione, præcedentibus. Ergo vnio quam producit ex parte effectus diſtincta eſt realiter ab vnione quæ præceſsit ex parte cauſæ. Ergo totalis vnio animæ rationalis ad totam materiam integratur ex pluribus vnionibus partialibus, ac proinde extenſis iuxta latitudinem materiæ; ideoque ex hoc capite nihil deficit, quominus vnio corporea ſit.

DISP. DECIMA QVINTA

DE CAVSA EFFICIENTE.

Vtrùm ſubſtantia creata cauſet aliquid efficienter immediatè?

Num. 1. **C**AVSAM Efficientem definit Ariſt. hoc lib. 2. cap. 3. textu 31. *vbi τὸ ποιοῦν, id eſt,* efficiens, *dicitur eſſe illud, ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς μεταβολῆς, ἢ στάσεως, ἢ κινήσεως:* vnde eſt principium mutationis, vel quietis, vel motus. *Quare tam D. Thomas eo loci, quàm alij Interpretes communiter, quaſi ex mente Ariſt. definiunt cauſam efficientem, per hoc vt ſit* principium, à quo primò incipit motus. *Quod ſolùm ſpectato ordine executionis intelligendum. nam alioqui in ordine intentionis, ſola finalis cauſa eſt, à qua motus primò incipit, vt tradit idem Angelicus Doctor* 1. p. q. 5. art. 2. & 4. *quia cùm nihil agat, niſi propter finem, oportet vt ab eo moveatur efficiens, pendeatque in agendo: quod ſine aliqua prioritate naturæ finis relatè ad ipſum efficiens eſſe nequit. In executione autem oportet efficiens eſſe prius, comparatione factâ ad cæteras cauſas. Ad materialem; quia materia caret omni activitate: ad formalem; quia forma nequit efficere ſeipſam: ad finalem; quia finis prout in executione habet rationem effectus. Quare neceſſum eſt, vt mutatio, ſive motus, primò proveniat ab aliquo efficiente; quod materiam tranſmutet, formam educat, vel ſaltem vniat, efficiatque rem illam, quæ veluti finis inſpiciebatur. Controverſia igitur præſens in dubium vocat, vtrùm ſubſtantia creata ſit principium effectivum & immediatum alicuius rei, ſive ſubſtantialis, ſive accidentalis. Quæ diſputatio, cùm plura capita contineat, à nobis membratim percurrenda eſt, claritatis gratia, & breviter, quantùm fieri poſsit. Habet verò locum hoc* lib. 2. c. 1. & 3. & 7.

SECTIO PRIMA.

Solam ſubſtantiam eſſe cauſam principalem effectricem alterius ſubſtantiæ. Obiectiones ſolutæ.

2 **S**IT *I. Aſſertio.* Cauſa effectiva principalis cuiuslibet ſubſtantiæ, non eſt aliquod accidens, ſed alia ſubſtantia. Ita cõmuniter Philoſophi cum Ariſt. hoc libro *cap. 7. textu. 70.* vbi loquens de principali efficiẽte, inquit: *τὸ δ' ὅθεν ἡ κίνησις πρῶτον, τὸ ὁμοειδῆ αὐτοῖς τοῦτο. ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ. Id autem, unde motûs origo eſt, eius eſt ſpeciei, cuius hæc ſunt: hominem namque homo generat.* Idemque tradit *lib. 1. de Generat. text. 54. & 55.*

3 *EX* Quibus elicitur germana ratio pro concluſione. Cauſa enim effectiva principalis cuiuslibet ſubſtantiæ debet eſſe ſaltem eiuſdem perfectionis ſpecificæ cum illa. At nullum accidens eſt eiuſdem perfectionis ſpecificæ cum ſubſtantia; ſed id ſolùm alteri ſubſtantiæ competit. Ergo nullum accidens eſt cauſa principalis effectiva alicuius ſubſtantiæ, ſed id ſolùm alteri ſubſtantiæ competit. Conſequentia eſt optima, & maior expreſſa Philoſophi verbis allegatis, atque inſuper certa: quia cauſa principalis effectiva, quatenus diſtincta ab inſtrumentali, eſt quæ in virtute propria continet effectum. Hoc autem eſſe nequit niſi habeat perfectionem ſuperiorem, aut ſaltem ſpecificè æqualem eandémque cum ipſo effectu. Minor autem probatione non eget: cùm evidens ſit accidens longe inferioris perfectionis eſſe genericè & ſpecificè, quàm ſubſtantiam.

4 *OCCVRRES I.* ex doctrina quorumdam infra *num. 9.* allegandorum, diſtinguendo minorem, & concedendo accidẽs in eſſe entis eſſe minùs perfectum ſpecificè, quàm ſubſtantiam; negando autem id de accidente in eſſe operativi comparato ad ſubſtantiam in eſſe producibilis. hac enim ratione illam adæquat, ac proinde poteſt eſſe cauſa principalis effectiva ipſius.

SED Contrà I. Vnumquodque enim agit ſecundùm quòd eſt in actu: ac proinde tantundem, & non ampliùs, habet virtutis activæ, quantùm habet perfectionis in ſuo eſſe actuali. Sed nullum accidens habet æqualem perfectionem in ſuo eſſe actuali cum ſubſtantia producibili. Ergo nullum accidens habet æqualem virtutem activam cum ſubſtantia producibili. Indidem verò planè & cohærenter infertur, nec poſſe illam cauſare principaliter activè, ſeu in virtute propria. *CONTRA II.* Sequitur enim ex ſolutione data nihil abſurdi in eo contineri, naturali ratione ſpectata, quòd ignis aſſeratur principaliter activè produxiſſe aliquot cœleſtia corpora, & quælibet cõpoſita ſubſtantialia, quamquam ſpecificè, aut etiã genericè, ſuperiora; qualiter Apelleiani hæretici aſſeruerunt quandam ſubſtantiam igneam feciſſe cœlum & terram. Sequela probatur. Si enim ſolutio prætacta quidquam prodeſt, qui eam inſaniam tueretur, aſſereret ignem quidem in entitate eſſe inferiorem cœlo, aliiſque compoſitis ſubſtantialibus perfectionis maioris; æqualem verò in activitate iis quatenus producibilibus; ideoque poſſe ea principaliter, ſeu propria virtute, producere. Sequitur præterea, non poſſe vtcumque dignoſci ſummam Dei perfectionem in eſſe entis, ex eo quòd tamquam præcipua cauſa, ſive Author, totam viſibilem pulchritudinem huius Vniverſi condiderit: ſi ſemel cauſa præcipua poteſt eſſe perfectione entitativa inferior ſuo effectu. Conſequens autem contradicit Apoſtolo *ad Romanos 1. v. 20.* aſſerenti, nõ ſolùm virtutem ſempiternam ipſius, quæ eſt virtus activa, ſed & divinitatem, quæ eſt ſumma perfectio divini *eſſe*, perſpectam fieri nobis ex conſideratione rerum viſibilium à Deo factarum. Ait quippe: *Inviſibilia enim Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius VIRTVS, & DIVINITAS: ita vt ſint inexcuſabiles.* DENIQVE ſolutio data reiicitur à fortiori argumento quodã *tract. de Angelis*, vbi probo inferiorem non poſſe vllo modo adæquari cum ſuperiori Angelo in cognoſcendo, & qualitercumque operando, quia in ſuo eſſe naturali inferior eſt. Multò ergo minùs accidẽs poterit adæquari in producendo cum ſubſtantia, cùm hæc longè ſuperior in eſſentia ſit.

5 *OCCVRRES II.* negando maiorem illam præcipui ſyllogiſmi: & ad probationem dices, cauſam effectivam principalem, quatenus diſtinctam ab inſtrumentali, debere quidem continere effectum in virtute propria; non tamen immediatè & per ſe primò, ſed ſolùm ſecundariò, & per reſultantiam quandam, quatenus debet ſaltem virtute propria præcõtinere effectum aliquem directè ac primariò inſpectum, ac ſubinde alium cum eo naturaliter connexum, quamquam hic lõgè ſuperior ſit. Itaque vt calor vt octo v. g. producat principaliter ignem, ſufficit quod contineat in virtute propria, adæquetque alium calorem

rem

rem vt octo, quem primariò producendum reſpicit; licèt non adæquet ignem, quem ſecundario reſpicit producendum. Nimirum, ſat eſt habere vim principaliter productivam diſpoſitionis vltimæ cum termino ſubſtantiali connexæ, vt cenſeatur quoque illam indirectè habere in eundem terminum ſubſtantialem.

6 *SED Contrà I.* Vt enim ex profeſſo oſtendam *in libris de Generat.* debet dari actio aliqua per ſe terminata ad compoſitum ſubſtantiale ex materià & forma, diſtincta omnino ab alteratione, & qualibet actione per ſe productivà diſpoſitionum, ſive remotarum, ſive proximarum ad formam compoſiti recipiendam in materià. Dignius enim eſt ſubſtantiale compoſitum, & ipſius forma, vt per ſe inſpiciatur a natura actione aliquà productiva, quàm diſpoſitiones accidentariæ, quæ tamen per ſe inſpiciuntur ab actione alterante. Ergo quemadmodum cauſa principalis per ſe effectiva quarumlibet qualitatum diſponentium debet eſſe alia qualitas eiuſdem aut maioris perfectionis ſpecificæ; ita & cauſa principalis effectiva per ſe cuiuslibet compoſiti ſubſtantialis debet eſſe eiuſdem, aut maioris perfectionis ſpecificæ, quàm ipſum. Cùm ergo accidens nec ſit æqualis, nec maioris perfectionis ſpecificę, quam compoſitum ſubſtantiale; non poteſt illud producere principaliter ac per ſe. Solùm ergo poterit inſtrumentaliter, & virtute ſubſtantiæ alicuius generantis, quæ ſit maioris, aut ſaltem eiuſdem perfectionis ſpecificæ, vt loquitur Ariſtoteles. *CONTRA II.* Omnis cauſa principaliter productiva cuiuslibet effectus, ſive primario, ſive ſecundario, quatenus diſtincta ab inſtrumentali, debet illum continere in virtute propriâ. At nullum accidens continet effectū aliquem ſubſtantialem in virtute propria. Ergo nullū accidens poteſt eſſe cauſa principaliter productiva alicuius effectus ſubſtantialis, neque primario, neque ſecundariò, quatenus cauſa principalis diſtinguitur ab inſtrumentali. Præmiſſæ conſtant planè ex definitionibus cauſarum principalis inſtrumentaliſque, & inferioritate accidentis relatè ad ſubſtantiam. Conſequentia autem eſt recta in *Cameſtres.*

7 *ALIAM* Rationem deſumo ex Ariſtotele 1. *de Animà cap.4. textu* 65. *&* 66. vbi ex profeſſo tradit actiones & paſsiones eſſe ſubſiſtentium. Vnde & ſubdit: *Ratiocinari verò, & amare, aut odiſſe, non ſunt illius* (ſcilicet, animæ) *effectus ſed huius quod habet illud, eà ratione quà illud habet.* Nimirum, compoſiti, aut ſubſiſtentis, quod ibidē aſſeritur corrumpi, ſicut & generari. Ex quo invaluit axioma illud commune Philoſophorum, quo dicitur, actiones eſſe ſuppoſitorum *vt quod*, formarum verò *vt quo*. Hinc verò ſic diſputare licet. Illa forma conſtituit ſubſtantiale compoſitum in ratione principij effectivi principalis effectuum ſubſtantialium, quæ conſtituit illud per modum actus in eſſendo primò ac per ſe. At non forma accidentalis, ſed ſubſtantialis, conſtituit compoſitum ſubſtantiale per modum actus in eſſendo primo ac per ſe. Ergo non forma accidentalis, ſed ſubſtantialis, conſtituit compoſitum ſubſtantiale in ratione principij effectivi principalis alterius ſubſtantialis compoſiti. Conſequentia eſt optima in *Baroco*, & minor evidens. Maior, quæ ſola eget probatione, ſuadetur multipliciter. *Primò* diſcurſu S. Thomæ 3. *contra Gent. cap.69. ratione* 9. aientis: *Si formæ accidentales habent proprias actiones, quantò magis forma ſubſtantialis habebit propriam actionem?* Quod ipſum ex inſtituto, docet probatque Ariſt. 2. *de Gener. textu* 54. *&* 55. At forma conſtituens ſecundariò & accidentaliter compoſitum ſubſtantiale per modum actus, etiam conſtituit illud in ratione principij effectivi principalis effectuum accidentalium. Ergo multò magis forma conſtituens ſubſtantiale compoſitū primo ac per ſe per modū actus, conſtituet ipſum in ratione principij effectivi principalis effectuum ſubſtantialium. *Secundò* ſuadetur eadem maior. Eo namque ipſo quòd actiones productivæ ſubſtantialium effectuum ſint propriæ ſuppoſitorum, ſive ſubſiſtentium, debet in his aſsignari aliquod principium *quo* earundem actionum, ſicut & quarumlibet aliarum; & quidem principium eiſdem actionibus adæquatum, ſive perfectè proportionatum. At nullum aptius, quàm forma ipſa ſubſtantialis conſtituens ſuppoſitum, ſeu compoſitum ſubſtantiale per modum actus primò ac per ſe. Ergo hæc eſt principium *quo* in ordine ad actiones productivas effectuum ſubſtantialium. *Tertiò.* Vnumquodque ſe habet in eſſendo, ſicut in operando: quia operari ſequitur ad eſſe. Ergo quemadmodum compoſitum in eſſendo ſubſtantialiter conſtituitur per formam ſubſtantialem, ſic etiam in operando ſubſtantialiter. *Quartò*, & à priori. Suppoſitum communicare ſubſtantialiter naturam ſuam alteri, eſt actus potiſsimus ſubſtantialis naturæ: atque adeò pro-

proveniens ab aliquo principio conſtituẽte formaliter ipſum ſuppoſitum per modum naturæ. At principium conſtituens formaliter ſuppoſitum per modum naturæ eſt forma ſubſtantialis. Igitur actus communicandi ſubſtantialem naturam alteri, provenit à forma ſubſtantiali.

8 *CONFIRMATVR* vniverſim loquendo, etiã in ordine ad actus accidẽtales, & nullius effectus ſubſtantialis productivos, ex definitione animæ traditâ ab Ariſt. *lib.* 2. *de Animâ textu* 24. vbi aſſeritur eſſe id, *quo vivimus, ſentimus, loco movemur, & intelligimus primò.* Igitur anima; quæ planè forma ſubſtantialis eſt, habet rationem principij *quo* prædictorum actuum: ac proinde multo magis actionum earum, quibus ſubſtantialiter propagatur natura operantis. *Præterea.* Sicut vnumquodque recipit ſecundùm quòd eſt in potentiâ, ita & agit ſecundùm quòd eſt in actu. Ergo quemadmodum materia quia eſt prima potentia, eſt præcipua ratio, quâ ſuppoſitũ recipit; ita etiam, quia forma eſt actus primus, erit præcipua ratio, quâ ſuppoſitum agit, ſive operatur.

9 *OPPOSITAM* Doctrinam tuentur nonnulli Antiquiorum, quos refert Soncinas 7. *Metaph. quæſt.* 7. pluresque Recentiores poſt Benedictum Pererium *lib.* 8. *Rerum Natur. cap.* 11. 12. & 13. Aiunt enim totam activitatem circa effectus quoslibet, etiam ſubſtantiales, reſidere in ſolâ formâ accidentali; nullo autem modò in ſubſtantiali. *PROBANT I.* ex Philoſopho *lib. de Senſu & ſenſibili, cap.* 4. *de Sapore:* vbi docet ignem non agere vt ignem; ſed vt calidum. Ergo quia tota activitas reſidet penes ſolam accidentalem caloris formam. Atqui teſtimonium hoc ſolùm probat ignem non agere proximè vt ignem. quod vltro fatemur, & firmabimus progreſſu diſputationis. *Probant II.* Quia ſæpè ſubſtantia generatur ſolùm ab aliquo accidente: vt patet in ferro cãdẽti, cuius calor deſtitutus omni conſortio ſubſtantiæ ignis, producit ignem; & in accidentibus Euchariſticis vini, quæ in vinum convertunt ſubſtantialiter aquam. *Reſpondetur,* aut in ferro candenti eſſe poros aliquos, intra quos reſideat vera ſubſtantia ignis, quæ operetur combuſtionem, ſeu productionem illam; aut certè calorem ibi ſeorſim ab igne inhærentem operari inſtrumentaliter & virtute ignis à quo proceſsit: quemadmodum & ſemen deciſum à generante iam abſente, aut mortuo, producit virtute ipſius aliud vivens ſubſtantiale. Idemque eſt de accidentibus conſecratis vini. In ijs enim omnibus, vt virtutibus inſtrumẽtarijs, permanet virtualiter activitas ſubſtantiæ abſentis, aut nõ exiſtentis iam in ſeipſa, tamquam in effectu, gerente vices ipſius: de quo plura poſtea.

10 *INSTABIS*: Cauſa inſtrumentalis non habet intrinſecam activitatẽ in effectum ratione ſuæ nudæ entitatis, ſed ſolùm vi alicuius ſibi ſuperadditi. Sed accidentia in relatis caſibus habent activitatem intrinſecãm producendi ſubſtantiam ratione ſuæ nudæ entitatis, & non vi alicuius ſibi ſuperadditi. Ergo talia accidentia non ſunt cauſa inſtrumentalis ad producendum ſubſtantiam; atque adeò erunt principalis cauſa. Conſequentia patet quò ad vtramque partem. Maior videtur aperta: quia cauſa inſtrumentalis; vt diſtincta à principali, non operatur effectum in virtute propriâ, ſed alterius. Ergo cùm nihil ſit alicui magis proprium, quàm intrinſeca activitas ratione ſuæ nudæ entitatis; cauſa inſtrumentalis non habet intrinſecam activitatem ratione ſuæ nudæ entitatis. Minor autem præcipua apparet æquè certa: quia accidẽtia in prædictis caſibus non accipiunt aliquid ſuperadditum à ſubſtantiâ illa, à qua proceſſerunt; vtpotè iam non exiſtente, aut longè abſente. Ergo in ijs habent activitatem intrinſecam producendi ſubſtantiam ratione ſuæ nudæ entitatis, & non vi alicuius ſibi ſuperadditi. *Confirmatur* probatio eiuſdem minoris: Quia accidens proprium ignis, nimirum, calor in ferro candente exiſtens, de quo nuper loquebamur, habet activitatem intrinſecam ratione ſuæ entitatis ad producendum alium calorem in ſtuppâ, tamquam vltimam diſpoſitionẽ ad formam ignis: & ſimiliter accidentia vini conſecrati habent eandem activitatẽ ad producendam in aquâ immixta diſpoſitionem vltimam ad formam ſubſtantialem vini. Atqui intrinſeca activitas ad producendum vltimam diſpoſitionem nequit non eſſe pariter & extendi ad producendã formam ſubſtantialem, aut ſaltem compoſitum cum tali diſpoſitione connexum, vt patet ab inductione. Ergo tam calor ferri candentis, quàm accidentia vini conſecrati, habent intrinſecam activitatem ad producendum formam ſubſtantialem, ſive compoſitum, ignis, & vini. Sunt ergo cauſæ illius activæ principales, non autem inſtrumentales.

11 *RESP.* iuxta dicenda *infra num.* 30. cau-

cauſam inſtrumentalem, ſtrictè dictam nō habere intrinſecam, ſeu congenitam activitatem in effectum; ſed ſolùm adventitiam, & mutuatam a principali agente, ſibique ſuperadditam; ratione cuius conſtituitur proximè potens in effectum ſuperiorem ſe. Accidentia autem in relatis caſibus non ſunt cauſa inſtrumentalis ſtrictè dicta, ſed latè: ſcilicet, ſunt virtutes quædam inſtrumentariæ, ſeu miniſteriales ex propriâ naturâ ſubordinatæ agenti principali, vt eius nomine, etiam quando fuerit abſens, aut in ſeipſo non exiſtens, operentur effectum ſubſtantialem: atque adeo nō indigent virtute alia ſibi ſuperadditâ: ſicut neque illâ eget qualitas, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, quâ elevantur inſtrumenta ad producendum effectum nobiliorē, quia & illa non eſt cauſa inſtrumentalis ſtricta, ſed latè dicta, vtpotè virtus ab intrinſeco ſubordinata principali agenti, & proximè activa, in ordine ad eumdem effectus. *AD Confirmationem* patet ex eâdem doctrina, quomodo in relatis caſibus accidentia habeant virtutem intrinſecam ad producendum ſubſtantiales effectus; non tamē principalem, defectu æqualitatis exactæ vt minimùm à principali cauſa; ſed inſtrumentalem latè dictam, vt nuper explicatum eſt. Itaque idem calor vt octo v.g. exercet cauſalitatem principalem reſpectu alterius caloris vt octo vltimò diſponentis ad formam ignis, quia cum illo habet æqualitatem; reſpectu verò eiuſdem ignis ſolùm exercet cauſalitatem inſtrumentalem, defectu neceſſariæ æqualitatis.

SECTIO SECVNDA.

Subſtantiam creatam non eſſe rationem proximam & immediatam agendi quidquam; ſed ſolùm radicalem, & medio accidenti, vt virtute proximâ.

12 SIT II. *Aſſertio*. Quanquam ſola ſubſtantia ſit cauſa principalis productiva alterius ſubſtantiæ, vt ſuprà probatum eſt; non ideo eſt ratio proxima & immediata agendi, ſeu producendi, ſive alteram ſubſtantiam, ſive quidquam aliud; ſed ſolùm radicalis, & medio accidente, vt virtute connaturali & proximâ.

HANC Aſſertionem & ſententiam expreſsè videtur tradere Ariſtot. *lib. 2. de Senſu & ſenſibili, cap. 4. de Sapore, circa medium*: vbi non ſolùm de igne, & aquâ, ſed de quacumque ſubſtantiâ, docet, nihil ipſorum natum eſſe agere, niſi quatenus cōtrarietatem ſubit; ſive, quod perinde eſt, quatenus conſtituitur per qualitatem activam alteri qualitati contrariam. Quare inter alia inquit: *Ἴδιον τοῦ πυρὸς τὸ θερμαντικόν*, &c. *Proprium ignis calidum eſt, ſiccum terræ, vt in commentatione de elementis diximus. Nihil itaque quatenus ignis ſit, aut aqua, aut quippiam aliud, agere aut pati natum eſt: ſed omnia quatenus contrarietatem ſubeunt, eatenus agunt, patiunturque.* Patiuntur, ſcilicet, agendo, vti quælibet agentia repatiuntur dum agunt, ita vt ipſa qualitas media qua agunt, ſit etiam mediâ qua patiuntur à qualitate contraria. Idem tuetur & exponit S. Thomas eo ipſo loco *lect. 10.* & præterea *in 4. diſt. 12. q. 1. & 1. p. q. 54. art. 1.* & ibidem Caietanus ac Bañez & Zumel; Ferrara *4. contra Gent. cap. 66.* omneſque Thomiſtæ in Curſibus Philoſophicis, vt propterea opus non ſit indicare ſingulos; Averſa *q. 77. ſect. 5.* & ex Schola Societatis Toletus *in præſenti cap. 3. q. 2. concl. 5.* Fonſeca *5. Metaph. cap. 2. q. 6. ſect. 3.* Rubius *tract. de Cauſâ efficiente, q. 5. num. 58.* in Commentarijs excuſis Compluti anno 1613. Pereira *de Rebus Nat. lib. 8. à cap. 11.* Vazquez *1. p. diſp. 195. cap. 1. num. 10.* Verùm pro huius ſententiæ probatione nonnulla præmittere oportet, quæ illam elucident, & præoccupent varia argumenta, quibus oppugnari ſolet.

13 *PRIMVM* eſt: Subſtantiam immediatè ſpeciem deſumere ab actu exiſtētiæ per ſe, ſive ille ſit realiter diſtinctus ab actu ſubſiſtentiæ, ſive non; à quo nunc abſtrahendum. Id enim non ſolùm docet S. Thomas *loco allegato 1. p. art. 3. & q. 79. art. 1.* ſed & ratione conſtat: quia ſubſtantia eo ipſo quòd ſit ens per ſe, eſt quid omnino abſolutum; ac proinde impotens ſpecificari ab aliquo extrinſeco, ſive exiſtente extra prædicamentum ipſius. Cuius oppoſitum convenit accidētibus, etiam ijs quæ abſoluta appellantur: nam omnia illa, cùm ſint entis entia, ſive in alio, ex communi, ac tranſcendenti conceptu ordinantur ad ſubſtantiam, ab eaque ſpecificantur; & præterea ex ſpeciali cuiuſque ratione, ab illo, quod immediatè reſpiciunt ſecundùm propriam cuiuſque naturam. Præterea, cū potentiæ omnium perfectiſsimæ proprium ſit ſpecificari à perfectiſsimo actu, & illa conveniat ſubſtantiæ, hic verò ſit exiſtentia, vt *diſp. 10.* oſtenſum eſt; ſupereſt vt ſubſtantia ſpeciem mutuet ab actu exiſtentiæ. Denique, cùm actus ipſe exiſtendi ſit per ſe inſpectus à natura in productione

cu-

cuiuslibet ſubſtantiæ, mirum eſſet quòd nulla potentia per ſe inſtituta fuiſſet, vt ab eo ſpecificaretur; ſiquidem & actibus longe minoris notæ hoc ipſum paſsim conceditur. Si autem aliqua potentia eiuſmodi aſsignanda eſt, certè nulla aptior, quàm ipſa ſubſtantia, quæ vltimò intra proprium genus per eandem exiſtentiam perficitur & completur, vt eo loco fuse probavimus.

14 *SECVNDVM*: Potentiam immediatè activam ſpecificari adæquatè & proximè ab actu operationis. Omne enim quod eſſentialiter reſpectivum eſt, ſive prędicamentaliter, ſive tranſcendentaliter, ſpeciem adæquatè deſumit ab eo quod primo ac per ſe reſpicit, tamquam terminum proximum & adæquatum: vt inductione facta in omnibus potentijs, habitibus, & operationibus exploratum eſt. At potentia immediatè operativa reſpicit primò ac per ſe actum operationis, tamquam terminum proximum & adæquatum; vtpote cuius ſolius gratiâ inſtituta fuit, & quo eius tendentia adæquatè perficitur & completur. Omnis ergo potentia immediatè operativa ſpecificatur adæquatè & proximè ab actu operationis. Præterea, vt nuper argumentabamur circa exiſtentiâ, omnis actus per ſe & ratione perfectionis propriæ inſpectus proximè à naturâ, exigit potentiam aliquam per ſe primò inſtitutam & ordinatam ad ipſum, veluti ſpecificativum illius. Cùm ergo operatio generatim ſumpta ſit eiuſmodi, vtpote qua maximè perficitur Vniverſum, quod ſine illâ trũcum & otioſum exiſteret, aſſerenda eſt potentia in eam ordinata per ſe primo, tamquam in ſpecificativum proximum & adæquatum. Denique, compertum eſt potentias proximè operativas adæquatè inter ſe diſtingui per ordinem ad actus operationum immediatarum: vt patet in ſenſibus externis & internis, potentijſque animæ, & primis ac ſecundis qualitatibus, cæteriſque virtutibus quorumcumque mixtorum. Ergo & ab eiſdem operationibus adæquatè ſpecificantur: quia iuxta commune ac verum proloquiũ, ſpecificativum & diſtinctivum cuiuslibet rei idem omnino eſt.

15 *IAM* Ergo probatur Aſſertio ratione deſumpìa ex D. Thoma locis præindicatis: Nulla potentia reſpiciens per ſe & immediatè actum exiſtendi, reſpicit per ſe & immediatè actum operationis. At ſubſtantia eſt potentia per ſe immediatè reſpiciens actum exiſtendi. Ergo ſubſtantia nõ reſpicit per ſe immediatè actum operationis. Ergo neque eſt ratio proxima & immediata operandi. Syllogiſmus eſt in modo ac figurâ perfecta. Maior aperte conſtat *ex num. præced.* quia potentiæ ſpecificantur & diſtinguuntur realiter per ordinẽ ad actus adæquatè diſtinctos, quos per ſe & immediatè reſpiciunt; quales ſunt exiſtentia & operatio, vt nuper oſtenſum eſt. Minor etiã conſtat *ex num.* 13. vbi probata manet. Pergo ad ſecundam conſequentiam, in qua eſt diſsidium, eamque probo: Quia omnis potentia per ſe immediatè reſpiciens actum operationis, eſt ratio proxima & immediata operandi. Sed ſubſtantia non eſt potentia per ſe immediatè reſpiciens actum operationis. Ergo neque eſt ratio proxima & immediata operandi. Qui etiam ſyllogiſmus eſt in modo ac figura perfectâ: cuius minor eadem, ac ſyllogiſmi præcedentis; maior verò adeò evidens, vt probatione non egeat.

16 *RESPONDEBIS I.* iuxta mentem Adverſariorum, potentiam reſpicientem per ſe & immediatè actum exiſtendi, poſſe reſpicere etiam per ſe & immediatè actum operationis; quamquã aliter & aliter: priorẽ quidem, vt actum primariũ & ſpecificativum; poſteriorem verò, vt ſecundarium & non ſpecificativum. id enim nullam cõtradictionem involvere. Quod patet, non ſolùm in pluribus habitibus immediatè & per ſe reſpicientibus plures actus adæquatè diſtinctos ordine primarij & ſecundarij; ſed in ipsà potentiâ accidentali, quę immediatè & per ſe reſpicit operationem & exiſtẽtiam; illam vt actum ſpecificativum & primarium; hanc verò vt ſecundarium. Quare & eadem ſubſtantia poterit immediatè ac per ſe reſpicere exiſtentiam vt actum primarium, à quo ſpeciem mutuet; operationem verò vt actum ſecundarium, & nullatenus ſpecificantem.

17 *SED Contrà I.* Vt enim probatum eſt *num.* 14. omnis potentia per ſe immediatè reſpiciens actum operationis, ab eo ſpecificatur, & per ordinem ad illum diſtinguitur ab omni alio. At nulla potentia ſpecificatur ab actu ſecundario, nec per ordinem ad illum diſtinguitur ab omni alio, ſed ante ipſum præſupponitur adæquatè ſpecificata ab actu primario, ac proinde diſtincta. Ergo ſi ſubſtantia eſt potentia per ſe immediatè reſpiciens actum operationis, hæc non erit actus ſecundarius, ſed ſpecificativus & primarius. quod aperte repugnat. *Contrà II.* Quoties vna aliqua potentia per ſe & immediatè reſpicit plures actus ordine primarij & ſecundarij, poſteriorem

non

non reſpicit, niſi ſub eàdem formali ratione prioris: vt patet in habitu charitatis relate ad dilectionem Dei & proximi; in Dialecticà per ordinem ad actus doctrinæ & vſus; in pœnitentiæ habitu per ordinem ad dolorem de peccatis & propoſitum nō peccandi. Atqui potentia per ſe immediatè reſpiciens operationem, nequit illam reſpicere ſub eàdem formali ratione actus exiſtentiæ. Ergo nequit reſpicere operationē, vt actum ſecundarium. Probatur minor. Operatio enim ex genere ſuo, & ratione formali, eſt actus primo & per ſe inſpectus à naturà, ratione propriæ perfectionis, quà maximè elucescit pulchritudo Vniverſi, & completur ac perficitur in ſeipsa. Ergo potentia per ſe immediatè reſpiciens operationem, nequit illam reſpicere ſub eàdem ratione formali actus exiſtentiæ, ſed primario & propter ſeipſam: ac proinde, ſi ſemel ſubſtantia per ſe & immediatè reſpicit actum operationis, non debet eſſe ſub eàdem ratione formali, quà reſpicit exiſtentiam; ſed ſub proprià ac primarià ratione operationis.

18 *NEQVE* Obſtat inſtantia, quæ adducitur in ſolutione. Potentia enim accidentalis proximè operativa, ſolùm reſpicit per ſe primo operationem, vt actum ſpecificantem, cuius ſolius gratià à naturà inſtituta eſt; inexiſtentiam verò ſecundario ſolùm & ratione ipſius operationis. Naturà enim nullam aliam exiſtentiam, quàm ſolius ſubſtantiæ, per ſe ac primario quærit; cùm ſola illa ſit exiſtentia ſimpliciter ac per ſe: exiſtentiam autem accidentium tantùm quærit ſecundariò, & ex fine operationis; cùm ſit exiſtentia ſecundùm quid, & veluti additamentum quoddam ſubſtantialis exiſtentiæ. Quare potentia accidentalis ſolùm inexiſtit, vt operetur ſubſtantia, mediante ipsa. Ergo pariter ſi ſubſtantia eſſet potentia immediatè operativa, primariò ac per ſe tenderet in operationem, eſſetque à naturà inſtituta propter ipſam. Vnde iam non eſſet ſubſtantia, nec primariò tendens in actum exiſtendi per ſe: quia nulla entitas, nulla potentia, nec accidentalis, nec ſubſtantialis, poteſt primariò tendere in duos actus adæquatos & ſpecificativos, quales ſunt exiſtentiæ per ſe & operationis; ſed, ſi ſit ſubſtantialis, in actum exiſtendi per ſe; ſi autem accidentalis, in actum operationis.

19 *DICES*: Inexiſtentia nequit eſſe actus ſecundarius potentiæ accidentalis operativæ, ſed primarius. Ergo operatio immediatè ab ea procedēs, ſolum eſt actus ſecundarius: ac proinde potentia ſubſtantialis multo meliùs poterit reſpicere immediatè operationem vt actum ſecundarium, & ſolam exiſtentiam primariò. Cōſequentia patet, tum ab everſione doctrinæ traditæ, tum à pari vtriuſque potentiæ, tum denique a fortiori, quia in potentià ſubſtantiali vrgentior ratio eſt, ne ab operatione accidentarià, ſed ab exiſtentia ſubſtantiali ſpecificetur. Antecedens vero probatur dupliciter. *Primò*: quia quælibet res magis appetit, ac proinde prius reſpicit actum quo perficitur in ſe, quàm quo perficit aliud. At potentia accidentalis per actum inexiſtentiæ perficitur in ſe, per operationem verò, & maximè tranſeuntem, ſolùm perficit aliud, ſcilicet, effectum quē producit. Ergo potentia accidentalis prius reſpicit actum inexiſtentiæ, quàm operationis; ideoq; inexiſtentia nequit eſſe actus ſecundarius ipſius, ſed primarius. *Secundò*: quoniam nullus actus ſecundarius antecedit ſemper & per ſe loquendo primarium, ſed è contrà. At exiſtentia potentiæ accidentalis ſemper & per ſe loquendo præcedit actum operationis, quia per ſe loquendo prius eſt eſſe, ſeu exiſtere vtcumque, quàm operari. Ergo inexiſtentia potentiæ accidentalis non eſt actus ſecundarius ipſius relate ad operationem, ſed primarius.

20. *SED Contrà*. Tam enim antecedens obiectionis, quàm vtraque illius probatio, falſum aſſumit, dum ſuadere nititur: quod operatio ſit actus ſecundarius potentiæ operantis, inexiſtentia verò primarius. Cuius oppoſitum ſic oſtendo. Aliqua enim potentia eſt in rerum natura, quæ primario reſpiciat operationem, & exiſtentiam ſui ipſius ſolùm ſecundario & ex fine eiuſdem operationis. At eiuſmodi potētia nulla aptior eſſe poteſt, quam accidentalis. Ergo hæc primariò reſpicit operationem, & ſecundariò exiſtentiam, ſive inexiſtentiam ſui ipſius. Minor cum conſequentia patet. Maiorem autem probo: tum, quia, vt ſuperiùs oſtenſum eſt, natura per ſe quærit ac primario operationem, qua maximè perficitur; ideoque debet eſſe potentia aliqua in rerum naturà primario ac per ſe operationem reſpiciens, ſive, quod perinde eſt, medium aliquod primarià inclinatione tēdens ad conſequendum eum finem primò à natura inſpectum. Tum etiam; quia aliqua potentia eſt in rerum natura, quæ primario reſpiciat exiſtentiam ſui ipſius, & ſecundario operationem; vt patet in potentiā ſubſtantiæ, quia omnino abſoluta eſt. Ergo è contrà & aliqua potētia eſſe debet

in

in rerum naturâ, quæ non prorſus abſoluta ſit, modo ſuperius explicato, ideoque primariò non reſpiciat exiſtentiam ſui ipſius, ſed ſolùm operationem, etiam tranſeuntē, qua aliud perficiat. Tam enim actus operationis, quàm exiſtentiæ, in propria cuiuſque lineâ, dignus eſt per ſe attendi & præponi, vbi ſpecialis ratio potentiæ tranſcēdentaliter relativæ ad aliud prædicamentum id exigit.

21 *Quapropter*, negato antecedente obiectionis, ad primam probationem dico, veram eſſe de re illa, quæ prorſus abſoluta eſt ab ordine eſſentiali ad perficiendum aliud prædicamentum; falſam verò de re eſſentialiter ad perfectionem alterius prædicamenti ordinatâ; qualis eſt omnis potentia accidentalis proximè operativa. Hæc enim ex primariâ ratione tendit ad perficiendam ſubſtantiam, & non vt ſit (quod iam per ſe ac ſimpliciter præhabet) ſed vt operetur, ſive intra, ſive extra ſeipſam. Ad ſecundam probationem dico, actū ſecundarium poſſe ſemper ac per ſe loquēdo antecedere primarium in executione, & ſubſequi in intentione, quoties actus ſecundarius eſt conditio ad poſitionem primarij: vt in omnibus ferè habitibus, ipſorumque actibus cernere eſt, qui ſæpè ſunt priores ordine intentionis per ſe loquendo, & poſteriores ſolâ executione. Inexiſtentia autem eſt conditio vt accidentalis potentia operetur; ideoque in executione præcedere poteſt ſemper ac debet, vt potentia ipſa eliciat operationem, quam ſolam primariò quærit, & cuius intuitu per ſe a naturâ inſtituta eſt.

22 *RESPONDEBIS II.* Negando maiorem primi ſyllogiſmi: & ad probationē dices, potentiam per ſe reſpicientem ac primariò actum eſſendi, poſſe ac debere etiam reſpicere primariò actum operationis, tamquam ſpecificativum; idque adhuc in noſtrâ opinione, iuxta quam potentia ſubſtantiæ ſolum radicaliter operativa aſſeritur. Etenim iuxta Ariſtot: *hoc lib. cap.* 1. natura ſubſtantialis definitur in ordine ad motum, ſive operationem; & quidem definitione eſſentiali. Ergo quia eſſentialiter & primariò reſpicit operationem, ab eaque ſpecificatur. Nulla enim potentia definitur eſſentialiter, niſi in ordine ad ſuum actum primarium ac ſpecificativum. Rurſus & potentia paſſiva materiæ primæ, quatenus habentis rationem naturæ, definitur per rationem principij paſſivi motus, ſive generationis, quam immediatè in ſe recipit pro priori naturæ ad formam. Nihil ergo abſurdi eſt in eo, quòd potentia eadem ſubſtantialis, quæ primariò reſpicit actum exiſtendi, reſpiciat etiam primario actum operationis, & proinde ab eâ ſpecificetur.

23 *SED Contrà I.* Niſi enim ſuſdeque vertatur omnis Metaphyſica & Philoſophia, nequit eadem potentia reſpicere immediatè plures actus primarios & ſpecificativos adæquatè diſtinctos, ſive, quod idē eſt, conſtituentes duas lineas adæquatè diſtinctas, quales ſunt actus eſſendi per ſe & operandi: quia ſic eiuſmodi potentia eſſet in duplici ſpecie adæquatè diverſa, altera ſubſtantiali, & accidentali alterâ. quod impoſsibile eſt. Cùm igitur ſubſtantia ſit potentia immediatè reſpiciens actum exiſtētiæ tanquam primarium & ſpecificativum, vt *num.* 13. præmiſſum eſt; nequit eadem primariò reſpicere operationem, aut per ordinem ad illam deſumere ſpeciem. *Secundò:* Quia quòd natura ſubſtantialis definiatur in ordine ad operationem, minimè probat ab eâ ſpecificari; ſed tantùm quod natura per modum principij radicalis activi nequeat exprimi, niſi connotatâ operatione, cuius principium radicale eſt. Sic licèt nec Omnipotentia divina exprimi poſsit, niſi in ordine ad creaturas poſsibiles, nec ſciētia libera formaliter, niſi in ordine ad exiſtentes, à neutris ſpeciem accipiūt, quoniā abſolutæ omnino ſunt, ſolumque vtraſque reſpiciunt vt terminū, vel effectum. Cùm igitur ſubſtantialis natura creata etiam in ſuo ordine ſit prorſus abſoluta, & incapax ſpecificationis ab extrinſeco prædicamento, nullam ſpeciem ab operatione capit, quamvis ſub munere naturæ nequeat exprimi, niſi ſub connotatione, ſive ordine ad operationem. *Tertiò*, & à priori. Nulla potentia ſpecificatur ab actu, quē ſolùm remotè reſpicit, & mediante virtute interiectâ: quia primaria ratio & immediata cuiuslibet potentiæ eſt ſpecies ipſius; ac proinde debet accipi per ordinem ad actū primum & immediatum. At potentia naturæ ſubſtantialis iuxta noſtram opinionē ſolùm remotè reſpicit actum operationis, & mediâ virtute accidentali interiectâ. Ergo iuxta opinionem noſtram nullus locus eſt, vt potentia naturæ ſubſtantialis ſpecificetur ab actu operationis. Quòd ſi verò natura, ſeu potentia paſsiva materiæ, reſpicit immediatè motum generationis, quem in ſe recipit ſub ratione paſsionis prædicamētalis, ſive ſub ratione mutationis; non ideo ab eo ſpecificatur. quippe quem ſolùm inſpicit vt viam & tendentiam puram ad

actum primum formalem, qui eſt ſubſtantialis forma, à qua ſpeciem ſortitur.

24 *DICES*: Saltem natura ſubſtantialis completa ex materia & forma, eſt potentia paſsiva immediatè recipiens accidentia, tanquam actus in ipſa permanẽtes, iuxta ſententiam Ariſt. & D. Thomæ. Sed potentia immediatè recipiẽs actum in ipſa permanentem, ab eo ſpecificatur, nõ minus quàm potentia immediate activa ab operatione. Ergo natura ſubſtantialis completa ex materia & forma ſpecificatur ab accidentibus. Ergo & ſpecificari poterit ab operatione. *SED Contrà*. Quàvis enim maior vera ſit, minor falſa eſt quoties potentia paſsiva ſolùm ex conſequenti reſpicit actum, & ex fine alterius actus præcedentis, à quo ſpeciem deſumit. qualiter contingit in natura ſubſtantiali completa, quæ præſupponitur ſpecificata ab actu propriæ exiſtentiæ per ſe; & quælibet accidentia, atque ipſorum operationes ſolùm reſpicit ex conſequenti, atque ex fine exiſtentiæ ſui ipſius; ſive prout individuo, ſi ſint operationes immanentes; ſive in ſpecie, vt conſervetur per propagationem, ſi ſint actus tranſeuntes.

25 *CONFIRMATVR* Ratio præcipua ab abſurdo. Si enim non obſtãti quod ſubſtantia ſpecificetur ab exiſtentia vt actu primario, adhuc eadem poteſt immediate operari, ſeu eſſe ratio proxima operandi; nullum erit opus ponendi qualitates, ſeu virtutes activas, aut potentias de genere qualitatis, ſubſtantiali formæ realiter ſuperadditas: quia fruſtra adderetur ſubſtantiæ nova entitas ad faciendum id, quod ſe ipſa præſtare poteſt. Inde autem corruat neceſſe eſt quidquid à priſcis ſœculis Philoſophi tradiderunt circa qualitates primas, ſecundaſque ſubſtantiæ rerum ſuperadditas; ac prærerea circa potentias activas earundem, quaſi aliquid reipſa diverſum ſint à formis elementorum & mixtorum. Vnde & ignis erit realiter calor, & terra ſiccitas, & aer humiditas, & aqua frigiditas; & quælibet ſubſtantialis forma erit activa qualitas; & tandem omnes potentiæ vitales erunt indiſtinctæ realiter à ſubſtantia animæ, etiam rationalis. Quæ omnia ſtatim abſurda apparent, & præterea reijcienda ſunt in libris de Animà. Mitto rationes alias, quæ apud Authores allegatos videri poſſunt, & præcedentis quaſi appendices ſunt.

SECTIO TERTIA.

Sententia adverſa, eiuſque argumenta præcipua ſoluta. Vbi & obiter expediuntur nonnulla dubia.

26 OPINIONEM Adverſam tuetur Scotus *in 1. diſtinct. 37. q. vnic.* vbi docet ſubſtantiam ſolam attingere immediatè productionem alterius ſubſtantiæ, eamque nullatenus attingi ab accidentibus. Quod omnes eius diſcipuli tuentur, teſtante ac ſequente Pontio *diſ. 9. q. 2.* Idem tradit Durãdus *in 2. diſt. 1. q. 4.* Valles *contr. 3.* Arriaga *diſp. 11. ſect. 2. ſubſect. 4.* Conimbricenſes *in præſenti lib. art. 2. & 6.* Hurtadus *diſp. 9. ſect. 6.* Oviedo *contr. 9. punct. 4.* Lynce *lib. 4. Phyſic. tract. 7.* & ex parte Eximius Suarez *diſp. 18. Metaph. ſect. 2.* ac Cõpton *diſp. 25. ſect. 4.* plureſque Recentiores, quatenus concedunt ſubſtantiæ vires immediatè activas alterius ſubſtantiæ, licet fateantur etiam illas reſidere in accidentali virtute, in cuius conſortio ſubſtãtia immediate operatur. Præcipua ipſorum argumẽta proponam, quatenus tendunt ad probandum ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operativam, quod eſt præcipuum noſtræ controverſiæ caput.

27 *ARGVVNT I.* Repugnat id, quod imperfectius eſt, producere adæquate vt cauſam proximam id, quod ſimpliciter eſt perfectius. Sed virtus accidentalis eſt quid imperfectius ſimpliciter ſubſtantiali effectu. Ergo repugnat quòd illum producat adæquatè vt cauſa proxima. Ergo aut neceſſum eſt ſolam ſubſtantiam eſſe cauſam ipſius immediatè effectivam, accidẽte ſolùm diſpoſitivè concurrente, vt vult Scotus; aut ſaltem eſſe cauſam immediatè effectivam in conſortio virtutis accidentalis, vt contendit Suarez. Vtraque conſequentia & minor ſeipſis conſtãt. Maior ſuadetur. Omne id quod producit aliud vt cauſa proxima adæquata, debet illud continere in virtute propria; quia nemo dat quod in ſe non habet. At repugnat id, quod imperfectius eſt, continere in virtute propria id, quod ſimpliciter eſt perfectius. Ergo & repugnat id, quod imperfectius eſt, producere adæquatè vt cauſam proximam id, quod ſimpliciter eſt perfectius.

28 *RESP.* Negando maiorẽ: cuius falſitas apparet in ferro cãdẽte, ſi potis careat, quoties calor intenſus, & ſeparatus à ſubſtantia ignis producit ignem; & in accidentibus Euchariſticis vini, quæ ſeparata ab omni ſubiecto ſunt cauſa proxima

adæquatè activa converſionis aquæ modicæ in vinum; & in ſemine humano, quod ſemel deciſum à generante, iam abſente, aut mortuo, attingit proximè adæquatè generationem hominis; quanquam omnes prædictæ virtutes ſint accidentales, & ſimpliciter imperfectiores effectu producto. Huc etiam ſpectat, quod ſæpè experimur, ex attritis chalybe & ſilice ignem elici; exhalationes ardentes per aëra diſcurrere; mures, ranas, bufones, & plura inſectorum ac reptilium genera, ex ſola terræ putrefactione generari: vbi concedi debet aliqua particularis virtus immediatè & adæquatè talium effectuum operativa; quæ ſane non, niſi accidentalis, eſſe poteſt. Ad probationem concedo maiorem de cauſa principali; nego autem de inſtrumentali, qualis eſt virtus accidentalis relatè ad ſubſtantialem effectum; quem non ſui ipſius nomine, aut virtute propria efficit, ſed nomine ſubſtantiæ & virtute illius.

29 *INSTAT* Scotus, & cum eo alij Recentiores. Quando dicitur accidens non producere effectum ſubſtantialem virtute propria, ſed virtute ſubſtantiæ; aut ſenſus eſt, ipſum producere per virtutē ſuperadditam à ſubſtantia ſibi communicatam; aut per hoc quòd ipſummet ſit virtus ſubſtantiæ. Si dicatur primum, videtur carere fundamento; & adhuc permiſſum non ſatisfacit. Vel enim illud ſuperadditum accidenti eſt ſubſtantia, vel accidens. Si ſubſtātia; iā hæc erit tota ratio immediata agendi. Si autem accidens; virtus accidētis manebit impotens ſicut antea ad continēdam & producendam ſubſtantiam. Reſtat ergo vt dicatur ſecundum: ſcilicet, accidens cauſare immediatè effectum ſubſtantialem in virtute ſubſtantiæ, quia ipſummet eſt virtus ſubſtantiæ. At neque hoc eſſe poteſt, idque ex multiplici capite. *Primò*: quoniam accidens ſeipſo eſſe virtutē ſubſtantiæ, non ſufficit vt adæquet perfectione ſubſtantiam aliquam. Ergo neque ſufficit vt adæquatè & immediatè illam producat. *Secundò*: quia ſi accidens operatur ſubſtantiam quatenus ſeipſo eſt virtus ſubſtantiæ; cùm hoc habeat ab intrinſeco & ex natura ſua; ex eadē quoque & ab intrinſeco producet ſubſtātiam. Ergo non inſtrumentaliter, ſed veluti principalis cauſa; cuius oppoſitum in ſolutione aſſeritur, & ſectione prima ſtabilitum eſt. Cauſa enim, quæ ab intrinſeco & ex naturâ ſua producit immediatè aliquem effectū non eſt inſtrumentalis, ſed principalis. *Tertiò*. Per hoc quod calor ſeipſo aſſeratur virtus ſubſtantiæ, non habet magis activitatis, aut perfectionis, quàm ſi virtus ſubſtantiæ non eſſet, & tamen calor in eodem gradu eſſet. At in hoc poſteriori eventu non produceret ſubſtantiā vt virtus proxima adæquata. Ergo neque in caſu priori. *Quartò*. Propterea ſolùm calor ſeipſo dici poteſt virtus ſubſtantiæ ad producendum ignē, quia ignis non producit alium ignem, niſi medio calore. At neque ignis producit calorem in ligno, niſi medio calore. Ergo & calor ſeipſo erit etiam virtus igni ad calorē alium producendum. Ergo ſicuti ob hanc rationem calor eſt ſolùm virtus inſtrumentalis ad producendum ignem, ſic & ad producendum alium calorem.

30 *RESP.* omiſſa aliorum ſolutione, eſſe duplex inſtrumentum: aliud ſtrictè dictum, carēs intrinſecà activitate in effectū, ideoque indigens motione aut virtute elevante, ſuperaddita à principali agente; aliud latè dictum, & intrinſeca activitate in effectum pollens, quatenus ſeipſo eſt virtus data principali agenti ex inſtituto naturæ, vt media ipſa producat effectus ſibi ſimiles in ſpecie & ſubſtantia, abſque ope alicuius motionis, elevationiſve ſuperadditæ. Quare ad obiectionem concedo poſteriorem partem dilemmatis, ſcilicèt, accidens ſeipſo eſſe virtutem ſubſtantiæ. *Ad primam* impugnationem conceſſo antecedente nego conſequentiam: quia cauſa inſtrumentalis, ſive ſtrictè, ſive latè dicta, nō indiget æqualitate perfectionis cū effectu vt ipſum immediatè attingat & producat; vt patet tum in motione ſeu virtute ſupernaturali inſtrumentorum ad cauſandam gratiam & patranda miracula, quæ eſt inſtrumentum connaturale & latè dictum; ac licèt perfectione inferius, producit tamen immediatè gratiam: tum & in quibuslibet inſtrumentis artis, quæ ſunt ſtrictè dicta; & tamen prout elevata per motionem entitativè inferiorem producunt inſtrumentaliter effectus perfectione ſuperiores. *Ad ſecundam* conceſſo antecedenti, nego conſequentiam: quia ad rationem cauſæ principalis non ſufficit producere effectum virtute cōnaturali & intrinſeca, niſi præterea addatur in cauſa æqualitas, aut exceſſus perfectionis relatè ad effectū; quorū neutrū invenitur in virtute accidentali relatè ad effectus ſubſtantiales & ſuperiores; ſed ſolùm in ordine ad alios accidentales inferiores, aut etiam æquales. *Ad tertiam* dico eſſe implicantiam in adiecto. Calor enim, quicumque eſt in gradu ſufficiente ad producendā immediatè ſubſtantiā ignis, ex intrinſeca natura & ratione importat ordinem

ad

ad ignem vt virtus inſtrumĕtaria ipſius ad ſuam ſpeciem perficiendam & propagandam: atque adeo ſi non eſſet virtus ſubſtantiæ, neque eſſet calor, neque produceret immediatè ignem. *Ad quartam.* Calor non ideo præciſè aſſeritur virtus inſtrumentaria ſubſtantiæ ad producĕdum ignem, quia ignis non producit ignem, niſi medio calore; ſed præterea, quia eſt virtus ad producĕdum aliquid perfectius ipſo calore. quod tamen non verificatur reſpectu caloris alterius. Ideoque manet virtus inſtrumentaria ad producendum ignem; principalis vero ad calorem alium. Et quidem, niſi Scotus & aſſeclæ concedant accidentibus virtutem aliquam activam, tum ad producĕdam, tum & ad corrumpendam immediatè ſubſtantiam, nō apparet quomodo tam ſæpe forma ſubſtantialis inferior expellat à ſubiecto aliam perfectiorem præexiſtentem, ipſique prævaleat. Hoc enim eſſe non poteſt naturaliter, niſi accidentia quæ diſponunt ad introductionem inferioris formæ ſuperent activitate accidentia conſervantia in ſubiecto formam præexiſtentem & ſuperiorem.

31 *ARGVIT II.* Suarez ex Ariſt. *2. de Gener. textu 54. & 55.* vbi reprehendit eos, qui actionem propriam accidenti concedunt, & illam negant ſubſtantiæ, cui, vt principali cauſæ, ea ſtrictiùs debetur. Quare inter alia inquit: *ὥστε καὶ οὗτοι διὰ τοῦτο λέγουσιν οὐκ ὀρθῶς· καὶ ὃ παραλείπουσι τὴν κυριωτέραν αἰτίαν.* *Quare & iſti ob id non rectè loquuntur, & quia potiorem omittunt cauſam.* Et S. Thomas non ſolùm loco illo allegato *ſuprà num. 7.* ſed vlterius *3. p. q. 77. art. 3.* ait: *Ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ ſubſtantialis, ſicut eſſe accidentis dependet ab eſſe ſubſtantiæ: & ita ſicut divinà virtute datur ſpeciebus ſacramentalibus, vt poſſint eſſe ſine ſubſtantia, ita datur eis quòd poſſint agere ſine formà ſubſtantiali, virtute Dei, à quo, ſicut à primo agente, dependet omnis actio formæ, & ſubſtantialis, & accidentalis.* Igitur tam ex mente Ariſtotel. quàm D. Thomæ, forma ſubſtantialis habet actionem diſtinctam ab actione formæ accidentalis: ac proinde vt condiſtinctā ab ea operatur per ſe ipſam immediatè.

32 *RESP.* Subſtantiam habere quidem actionem propriam, quæ eſt generatio ſubſtantialis, diſtinctam realiter ab actione propria accidentium, quæ eſt alteratio, vt ex profeſſo oſtendam *diſputat. 2. de Generat.* Quare authoritas Philoſophi nobis contraria non eſt, neque Div. Thomæ; cùm vltro fateamur quod vterque aſſerit. Inde autem non convincitur actionem illam propriam ſubſtantiæ immediatè ab ea dimanare. Quippe ipſi mediata eſt, & per virtutem accidentalem interiectam; quæ præter actionem productivam alterius accidentis, quam elicit vt principalis cauſa, elicit quoque aliam productivam ſubſtantiæ vt inſtrumĕtaria virtus ſubſtantiæ principalis agentis. Quam doctrinam quicumque impugnant ex Thomiſtis, volentes eandem eſſe actionem realiter generationem & alterationem, neſcio quomodo in præſenti ſalvent doctrinam D. Thomæ aſſerentis actionem accidentis dependere ab actione ſubſtantiæ, ſicut accidens dependet à ſubſtantia. quod ſine reali diſtinctione inter actiones vtriuſque eſſe nequit.

33 *INSTABIS:* Ariſtoteles exigit actionem propriam formæ ſubſtantialis, vt illa ſit verè & propriè cauſa effectus ſubſtantialis. At ſi actio illa ſolùm eſt ipſi mediata, per virtutem accidentalem interiectam, forma ſubſtantialis non erit verè & propriè cauſa ſubſtantialis effectus. Ergo actio propria quam habet, non eſt ipſi mediata, ſeu per virtutem accidentalem interiectam. Probatur minor: tum quia cauſa quæ ſolùm influit mediatè in effectum, non eſt vera & propria cauſa principalis illius: tum etiam, quia ideo Theologi probant contra Durandum, Deum habere cōcurſum immediatum in omnes effectus, quia aliter ipſorum vera & propria cauſa non eſſet. *RESP.* Negando minorem. Ad primam probationem dico, cauſam quæ ſolùm influit in effectum mediatè mediatione ſuppoſiti, non eſſe ſtrictam & propriam, vt contingit in avo relatè ad nepotem; ſecus verò cauſam quæ ſolùm influit mediatè, mediatione virtutis inſtrumĕtariæ, qualiter forma ſubſtātialis, & homo in generationem alterius hominis; quia in ordine ad illam eſt principium *quod* ſtrictè operans, & præſtans exiſtentiam effectui, abſque interpoſitione alterius principij *quod.* Ex quo patet ad ſecundam probationem: quia in ſententia Durandi Deus operaretur mediatè, mediatione ſuppoſiti creati, tamquam principij *quod*; atque adeò non eſſet cauſa ſtrictè & propriè effectus ſecuti; ſed impropriè & latè ſolùm; qualiter avus relatè ad nepotem. De quo vide plura *diſp. ſequenti num. 31. & 32.*

34 *DICES:* Ergo ſaltem Deus eſſet ſtricta cauſa eorum effectuū, ad quos concurrit media virtute inſtrumĕtali ipſius

quamquam non influeret immediatè in eius operationem, ſed ſolum mediatè, mediatione virtutis interiectæ. *RESP.* Deum in ea hypotheſi fore ſtrictam cauſam, eâ ratione quâ cauſa ſtricta generatim accipitur, prout præſtat verum influxum in effectum; & eo ſenſu, quo ſubſtantia creata operans mediante virtute accidentali; non tamen eo genere cauſalitatis, qui proprius eſt primæ cauſæ, ac primo enti; à quo immediatè pendere debet quicquid immediatè & eſſentialiter includit rationem entis, ac proinde omnis operatio creata, ſive efficiatur medio inſtrumento, ſive non. De quibus vide plura *loco nuper indicato.*

35 *ARGVVNT III.* Non enim videtur poſſe negari actio immediata ſubſtantiæ in quoſdam effectus. *Primò* in ſuas proprietates, quarum cauſa activa immediata eſt. Quod maximè vrgetur exemplo illo trito aquæ prius ferventis in lebete, & poſtea extractæ, ac reducentis ſe immediatè paulatimque ad ſuam frigiditatem. quod ſine ſtricta actione aquæ, & immediata, in eandem frigiditatem, eſſe nequit. *Secundò.* ſubſtantia Angeli gerens rationem ſpeciei impreſſæ in ordine ad cognitionem ſui ipſius, iuxta opinionem Sanct. Thomæ, debet habere concurſum activum immediatum in eandem cognitionem; quoniam & illum habent omnes aliæ ſpecies impreſſæ, vt frequenter Philoſophi, & ipſi Thomiſtæ docent in libris de Anima.

36 *RESP.* Negando antecedens, ſive aſſumptum. Ad primam probationem, prætermiſſis aliorum ſolutionibus planè improbabilibus, frequens reſponſio, & veritati proximior eſt, eſſentiam ſubſtantialem relatè ad potentias proprietateſque non habere aliquam ſtrictā actionem, ſed ſolum ſimplicem emanationem, ſive reſultantiam; qualiter etiam ſe habet intellectus relatè ad voluntatem, & quælibet proprietas prima in ordine ad ſecundam. Quæ doctrina videtur conformis S. Thomæ 1. *part. quæſt.* 77. *art.* 6. *& artic.* 7. *ſequenti, corpore,* vbi hæc habet. *Sicut potentiæ animæ ab eſſentia fluunt; non per tranſmutationem, ſed per naturalem quandam reſultantiam: ita eſt etiam de vna potentia reſpectu alterius.* Ratio autem eius doctrinæ eſt: quia proprietates producuntur ſecundario & conſequenter à generante, quod dat formam, & conſequentia eandem formam, ratione connexionis vtrorumque. Poſita autem actione generantis, ſuperflua eſt alia actio in eſſentia producta, ſufficitque ſimplex emanatio, per modum ſolius connexionis; quam aliqui *grammaticalem actionem* vocant, quod nomine tenus actio ſit. Vide Conimbr. 2. *de Anima cap.* 3. *quæſt.* 3. *art.* 3. *ad* 1. Fonſecam 5. *Metaph. cap.* 2. *quæſt.* 6. *ſect.* 5. & præſertim Complutenſes *diſp.* 10. *quæſt.* 5. vbi doctrinam hanc optimè explicant, & à pluribus obiectionibus in contrarium expediunt. Vnde ad experimentum illud aquæ recuperantis priſtinam frigiditatem dicendum, id fieri abſque nova actione, ſolum vi actionis à generante primò poſitæ, quæ ſicuti à principio produxit ſimul cum aqua frigiditatem, tamquam eius proprietatem; ſic etiam virtualiter permanet in eadem aqua; vt quoties amiſerit gradum debitum frigiditatis (neque enim illam ex toto amittere poteſt, niſi corrumpatur) poſtea, ablatis impedimentis, ipſam abſque nova actione recuperet.

37 *INSTABIS* Multipliciter. *Primò:* Quia abſoluta cauſalitate præcipui agentis nequit dari novus effectus, niſi ponatur nova actio: ſiquidem effectus non prodit ab aliquo agente creato, niſi media actione. At quando aqua recuperat frigiditatem amiſſam, quæ eſt novus quidam effectus, iam eſt abſoluta cauſalitas, præcipui agentis. quippe quæ longe antea præceſsit. Ergo tunc debet poni nova actio. *Secundò.* In eo eventu intervenit verus motus; cùm aqua tranſeat ab vno contrario in aliud; nempe, à calore in frigus. Atqui prima productio aquæ non fuit verus motus, ſed mutatio ſimplex, vtpotè per ſe terminata ad ſubſtantiam, ad quam tamen non datur verus motus per ſe. Ergo in eo eventu intervenit motus diſtinctus à prima productione aquæ; atque adeò diſtincta actio, ſine qua diſtinctus motus eſſe non poteſt. *Tertiò.* Tunc etenim datur diſtincta actio ex parte Dei; ſiquidem datur novus effectus actu à Deo dependens *in fieri* & eſſe. At non actio Dei tantum à creatura operantis, ſed in illius concurſu: quia alienum à Philoſophia videtur aſſerere, ſolum Deum habere actionem productivam eius frigiditatis, abſque vlla operatione cauſæ ſecundæ. Ergo & tunc datur diſtincta actio ex parte creaturæ; ac propterea ipſius aquæ in propriam frigiditatem. *Quartò.* Nequit enim vnica actione produci duplex frigiditas, ſicut nec duplex accidens ſolo numero diſtinctum. At frigiditas primò producta & poſtea recuperata eſt duplex accidens ſolo numero diſtinctum. Ergo nequit vtraque provenire

eadem

eàdem numero actione. Proindeque actio illa, qua recuperatur ab aqua, eſt diſtincta ab actione tranſacta præcipui agentis. *Quint.* Si aqua abſque interventu novæ actionis cauſaret de novo frigiditatem, cauſaret vtique illam immediatè per ſe ipſam in exercitio. quod repugnat omni cauſæ ſecundæ, propriumque eſt actus puri, identificantis ſuam operationem.

38 *RESP. AD I.* diſtinguendo maiorem: Abſoluta actione præcipui agentis, tam formaliter, quam virtualiter; concedo: formaliter tantum, nego maiorem; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam: quia quamvis actio præcipui agentis præterierit formaliter, & iam in ſe ipſa non ſit, adhuc manet virtualiter in termino primario producto; nimirum in eſſentia aquæ, eo ipſo potente ſe extendere ad paſsiones, tamquam ad terminum ſecundarium, vbi primum impedimenta ablata fuerint. Ad præcipuum enim agens ſpectat conferre eſſentiæ paſſiones, tum à principio, tum & poſtea, ſi fortè ob aliquod impedimentum deſierint eſſe in eo gradu, qui per ſe exigitur, ſive connaturaliter, ab eſſentia. Sic etiam in moralibus plura fieri ſolent & noviter produci, vi ſolius primæ actionis, prout perſeverantis ſolùm virtualiter in aliquo effectu. *AD II.* Eſto interveniat ibi novus motus, non propterea debet intervenire nova actio formaliter; quia ſolum eſt motus ad recuperandum terminum ſecũdarium debitum à generante: ſicut ob eandem rationem, licet quoties lapis cadit in centrum interveniat novus motus, non tamen actio aliqua formalis; vtpote, cùm nullum eliciat lapis vbi movetur in centrum ſibi à generante debitũ. Neque oportet, vt ſicut omnis actio creata eſt idem cum motu inſtantaneo aut ſucceſsivo, aut ſimul cum ipſo; ita etiam omnis motus ſit idem cũ actione, aut ſimul cum illa formaliter & in ſe ipſa, vt patet exemplo lapidis. *AD III.* negatur maior. Quemadmodum enim de actione præcipui agentis creati dictum eſt, non exigere vt ſit formaliter in ſe ipſa, ſed ſolùm virtualiter in termino primario; ita etiam de concurſu divino, ſive actione Dei. Præterquamquod propriè loquendo actio Dei ad extra eſt indiſtincta realiter ab ipſo Deo, & proinde ſemper manens quo ad intrinſeca, ſolumque deſinens eſſe ex parte termini. Non ergo ad recuperationem frigiditatis exigitur nova Dei actio novitate actionis, ſed ſolius termini, ſive effectus. *AD IV.* poteſt primò negari maior: quoniam duplex frigiditas ſolo numero diſtincta poteſt ſucceſsive, ſeu in diverſis inſtantibus produci per eandem numero actionem, quia eſt debita termino primario eidem: ſicut ob ſimilem cauſam poteſt duplex numero vbicatio, duplexque motus circa centrum in diverſis inſtantibus produci per eandem numero actionem productivam lapidis. Deinde, prætermiſſa maiore, negatur minor: quia frigiditas non corrumpitur ex toto quandiu non corrumpitur aqua, cùm ſit proprietas illius; ſed ſolùm remittitur, & tantò magis, quantò aqua magis calida eſt. Vnde poſtea recuperante aqua ſuam priſtinam frigiditatem, nõ producitur alia numero frigiditas, ſed eadem, quæ remiſſa præexiſtebat, intenditur. *AD V.* negatur ſequela: quia aqua non cauſat gradum illum frigiditatis in exercitio per ſe ipſam immediatè, loquendo de cauſalitate activa ſtrictè dicta; id enim ſolùm competit actioni generantis iam præteritæ formaliter, & ſolùm virtute in aqua ipſa manenti. Quare ſolùm ſequitur aquam immediatè per ſe ipſam exhibere cauſalitatem activam impropriam, &, vt aiunt, grammaticalem, in gradum illum, quatenus per modum radicis exigit illum, tamquam ſibi debitum a generante.

39 *HVCVSQVE* locuti ſumus iuxta doctrinam & ſolutionem communem Authorum noſtræ ſententiæ. Adhuc tamẽ vrgenter inſtari poteſt, quia ex illa videtur ſequi, ſubſtantiam aquæ in dicta hypotheſi eſſe operationẽ ſtrictam in exercitio per ſe ipſam. quod ſolius actus puri proprium eſt, vt in quinta inſtantia præcedenti aſſumebatur. Sequela ſuadetur: Quia nequit produci illa frigiditas quæ recuperatur, niſi per aliquam ſtrictam actionem præcipui efficientis, quæ ipſam immediatè attingat, & ponat ſub exiſtentia: cùm nullus effectus ponatur in rerum natura vi cauſarum ſecundarum abſque operatione cauſæ efficiẽtis, per quam fiat. Atqui iuxta ſolutionem datam ſubſtantia aquæ ſola per ſe ipſam poteſt eſſe eiuſmodi ſtricta operatio, ſive actio. Ergo &c. Probatur minor. Iuxta ſolutionem datam eiuſmodi actio ſtricta, eſt ipſa actio præcipui efficientis, non formaliter & in ſe, ſed virtualiter & prout in termino primario, qui eſt ſubſtantia aquæ. Atqui actio præcipui efficientis ſub hac cõſideratione eſt ipſe terminus primarius, ſive ſubſtantia aquæ in ſe ipſa: actio enim prout virtualiter manens in aliquo termino,

proveniens ab aliquo principio conſtituēte formaliter ipſum ſuppoſitum per modum naturæ. At principium conſtituens formaliter ſuppoſitum per modum naturæ eſt forma ſubſtantialis. Igitur actus communicandi ſubſtantialem naturam alteri, provenit à forma ſubſtantiali.

8 *CONFIRMATVR* vniverſim loquendo, etiā in ordine ad actus accidētales, & nullius effectus ſubſtantialis productivos, ex definitione animæ tradita ab Ariſt. *lib. 2. de Animâ textu* 24. vbi aſſeritur eſſe id, *quo vivimus, ſentimus, loco movemur, & intelligimus primò.* Igitur anima; quæ planè forma ſubſtantialis eſt, habet rationem principij *quo* prædictorum actuum: ac proinde multo magis actionum earum, quibus ſubſtantialiter propagatur natura operantis. *Præterea.* Sicut vnumquodque recipit ſecundùm quòd eſt in potentia, ita & agit ſecundùm quòd eſt in actu. Ergo quemadmodum materia quia eſt prima potentia, eſt præcipua ratio, quà ſuppoſitū recipit; ita etiam, quia forma eſt actus primus, erit præcipua ratio, quà ſuppoſitum agit, ſive operatur.

9 *OPPOSITAM* Doctrinam tuentur nonnulli Antiquiorum, quos refert Soncinas 7. *Metaph. quæſt.* 7. pluresque Recentiores poſt Benedictum Pererium *lib. 8. Rerum Natur. cap.* 11. 12. *&* 13. Aiunt enim totam activitatem circa effectus quoslibet, etiam ſubſtantiales, reſidere in ſolà formà accidentali; nullo autem modò in ſubſtantiali. *PROBANT I.* ex Philoſopho *lib. de Senſu & ſenſibili, cap. 4. de Sapore*: vbi docet ignem non agere vt ignem; ſed vt calidum. Ergo quia tota activitas reſidet penes ſolam accidentalem caloris formam. Atqui teſtimonium hoc ſolùm probat ignem non agere proximè vt ignem. quod vltro fatemur, & firmabimus progreſſu diſputationis. *Probant II.* Quia ſæpè ſubſtantia generatur ſolùm ab aliquo accidente: vt patet in ferro cādēti, cuius calor deſtitutus omni conſortio ſubſtantiæ ignis, producit ignem; & in accidentibus Euchariſticis vini, quæ in vinum convertunt ſubſtantialiter aquam. *Reſpondetur*, aut in ferro candenti eſſe poros aliquos, intra quos reſideat vera ſubſtantia ignis, quæ operetur combuſtionem, ſeu productionem illam; aut certè calorem ibi ſeorſim ab igne inhærentem operari inſtrumentaliter & virtute ignis à quo proceſſit: quemadmodum & ſemen deciſum à generante iam abſente, aut mortuo, producit virtute ipſius aliud vivens ſubſtantiale. Idemque eſt de accidentibus conſecratis vini. In ijs enim omnibus, vt virtutibus inſtrumētarijs, permanet virtualiter activitas ſubſtantiæ abſentis, aut nō exiſtentis iam in ſeipsa, tamquam in effectu, gerente vices ipſius: de quo plura poſtea.

10 *INSTABIS*: Cauſa inſtrumentalis non habet intrinſecam activitatē in effectum ratione ſuæ nudæ entitatis, ſed ſolùm vi alicuius ſibi ſuperadditi. Sed accidentia in relatis caſibus habent activitatem intrinſecam producendi ſubſtantiam ratione ſuæ nudæ entitatis, & non vi alicuius ſibi ſuperadditi. Ergo talia accidentia non ſunt cauſa inſtrumentalis ad producendum ſubſtantiam; atque adeò erunt principalis cauſa. Conſequentia patet quò ad vtramque partem. Maior videtur aperta: quia cauſa inſtrumentalis; vt diſtincta à principali, non operatur effectum in virtute propria, ſed alterius. Ergo cùm nihil ſit alicui magis proprium, quàm intrinſeca activitas ratione ſuæ nudæ entitatis; cauſa inſtrumentalis non habet intrinſecam activitatem ratione ſuæ nudæ entitatis. Minor autem præcipua apparet æquè certa: quia accidētia in prædictis caſibus non accipiunt aliquid ſuperadditum à ſubſtantià illa, à qua proceſſerunt; vtpotè iam non exiſtente, aut longè abſente. Ergo in ijs habent activitatem intrinſecam producendi ſubſtantiam ratione ſuæ nudæ entitatis, & non vi alicuius ſibi ſuperadditi. *Confirmatur* probatio eiuſdem minoris: Quia accidens proprium ignis, nimirum, calor in ferro candente exiſtens, de quo nuper loquebamur, habet activitatem intrinſecam ratione ſuæ entitatis ad producendum alium calorem in ſtuppà, tamquam vltimam diſpoſitionē ad formam ignis: & ſimiliter accidentia vini conſecrati habent eandem activitatē ad producendam in aquà immixta diſpoſitionem vltimam ad formam ſubſtantialem vini. Atqui intrinſeca activitas ad producendum vltimam diſpoſitionem nequit non eſſe pariter & extendi ad producendā formam ſubſtantialem, aut ſaltem compoſitum cum tali diſpoſitione connexum, vt patet ab inductione. Ergo tam calor ferri candentis, quàm accidentia vini conſecrati, habent intrinſecam activitatem ad producendum formam ſubſtantialem, ſive compoſitum, ignis, & vini. Sunt ergo cauſæ illius activæ principales, non autem inſtrumentales.

11 *RESP.* iuxta dicenda *infrà num.* 30.

cau-

cauſam inſtrumentalem ſtrictè dictam nõ habere intrinſecam, ſeu congenitam activitatem in effectum; ſed ſolùm adventitiam, & mutuatam a principali agente, ſibique ſuperadditam; ratione cuius conſtituitur proximè potens in effectum ſuperiorem ſe. Accidentia autem in relatis caſibus non ſunt cauſa inſtrumentalis ſtrictè dicta, ſed latè: ſcilicet, ſunt virtutes quædam inſtrumentariæ, ſeu miniſteriales ex propriâ natura ſubordinatæ agenti principali, vt eius nomine, etiam quando fuerit abſens, aut in ſeipſo non exiſtens, operentur effectum ſubſtantialem: atque adeo nõ indigent virtute alia ſibi ſuperadditâ: ſicut neque illâ eget qualitas, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, quâ elevantur inſtrumenta ad producendum effectum nobiliorẽ, quia & illa non eſt cauſa inſtrumentalis ſtricta, ſed latè dicta, vtpotè virtus ab intrinſeco ſubordinata principali agenti, & proximè activa, in ordine ad eoſdem effectus. *AD Confirmationem* patet ex eâdem doctrina, quomodo in relatis caſibus accidentia habeant virtutem intrinſecam ad producendum ſubſtantiales effectus; non tamẽ principalem, defectu æqualitatis exactæ vt minimùm à principali cauſâ; ſed inſtrumentalem late dictam, vt nuper explicatum eſt. Itaque idem calor vt octo v.g. exercet cauſalitatem principalem reſpectu alterius caloris vt octo vltimò diſponentis ad formam ignis, quia cum illo habet æqualitatem; reſpectu verò eiuſdem ignis ſolùm exercet cauſalitatem inſtrumentalem, defectu neceſſariæ æqualitatis.

SECTIO SECVNDA.

Subſtantiam creatam non eſſe rationem proximam & immediatam agendi quidquam; ſed ſolùm radicalem, & medio accidenti, vt virtute proximâ.

12 SIT II. *Aſſertio*. Quanquam ſola ſubſtantia ſit cauſa principalis productiva alterius ſubſtantiæ, vt ſuprà probatum eſt; non ideo eſt ratio proxima & immediata agendi, ſeu producendi, ſive alteram ſubſtantiam, ſive quidquam aliud; ſed ſolùm radicalis, & medio accidente, vt virtute connaturali & proximâ.

HANC Aſſertionem & ſententiam expreſſe videtur tradere Ariſtot. *lib. 2. de Senſu & ſenſibili, cap. 4. de Sapore, circa medium*: vbi non ſolùm de igne, & aquâ, ſed de quacumque ſubſtantiâ, docet, nihil ipſorum natum eſſe agere, niſi quatenus cõtrarietatem ſubit; ſive, quod perinde eſt, quatenus conſtituitur per qualitatem activam alteri qualitati contrariam. Quare inter alia inquit: ἴδιον τοῦ πυρὸς τὸ θερμὸν εἶναι, &c. *Proprium igni calidum eſt, ſiccum terræ, vt in commentatione de elementis diximus. Nihil itaque quatenus ignis ſit, aut aqua, aut quippiam aliud, agere aut pati natum eſt: ſed omnia quatenus contrarietatem ſubeunt, eatenus agunt, patiunturque.* Patiuntur, ſcilicet, agendo, vti quælibet agentia repatiuntur dum agunt, ita vt ipſa qualitas media qua agunt, ſit etiam mediâ quâ patiuntur à qualitate contraria. Idem tuetur & exponit S. Thomas eo ipſo loco *lect.* 10. & præterea *in 4. diſt.* 12. *q.* 1. & 1. *p. q.* 54. *art.* 1. & ibidem Caietanus ac Bañez & Zumel; Ferrara 4. *contra Gent. cap.* 66. omneſque Thomiſtæ in Curſibus Philoſophicis, vt propterea opus non ſit indicare ſingulos; Averſa *q.* 77. *ſect.* 5. & ex Schola Societatis Toletus *in præſenti cap.* 3. *q.* 2. *concl.* 5. Fonſeca 5. *Metaph. cap.* 2. *q.* 6. *ſect.* 3. Rubius *tract. de Cauſâ efficiente*, *q.* 6. *num.* 58. in Commentarijs excuſis Compluti anno 1613. Pereira *de Rebus Nat. lib.* 8. *à cap.* 11. Vazquez 1. *p. diſp.* 195. *cap.* 1. *num.* 10. Verùm pro huius ſententiæ probatione nonnulla præmittere oportet, quæ illam elucident, & præoccupent varia argumenta, quibus oppugnari ſolet.

13 *PRIMVM* eſt: Subſtantiam immediatè ſpeciem deſumere ab actu exiſtẽtiæ per ſe, ſive ille ſit realiter diſtinctus ab actu ſubſiſtentiæ, ſive non; à quo nunc abſtrahendum. Id enim non ſolum docet S. Thomas *loco allegato* 1. *p. art.* 3. & *q.* 79. *art.* 2. ſed & ratione conſtat: quia ſubſtantia eo ipſo quòd ſit ens per ſe, eſt quid omnino abſolutum; ac proinde impotens ſpecificari ab aliquo extrinſeco, ſive exiſtente extra prædicamentum ipſius. Cuius oppoſitum convenit accidẽtibus, etiam ijs quæ abſoluta appellantur: nam omnia illa, cùm ſint entis entia, ſive in alio, ex communi, ac tranſcendenti conceptu ordinantur ad ſubſtantiam, ab eaque ſpecificantur; & præterea ex ſpeciali cuiuſque ratione, ab illo, quod immediatè reſpiciunt ſecundùm propriam cuiuſque naturam. Præterea, cũ potentiæ omnium perfectiſsimæ proprium ſit ſpecificari à perfectiſsimo actu, & illa conveniat ſubſtantiæ, hic verò ſit exiſtentia, vt *diſp.* 10. oſtenſum eſt; ſupereſt vt ſubſtantia ſpeciem mutuet ab actu exiſtentiæ. Denique, cùm actus ipſe exiſtendi ſit per ſe intentus à natura in productione

cu-

cuiuslibet ſubſtantiæ, mirum eſſet quòd nulla potentia per ſe inſtituta fuiſſet, vt ab eo ſpecificaretur; ſiquidem & actibus longe minoris notæ hoc ipſum paſsim conceditur. Si autem aliqua potentia eiuſmodi aſsignanda eſt, certè nulla aprior, quàm ipſa ſubſtantia, quæ vltimò intra proprium genus per eandem exiſtentiam perficitur & completur, vt eo loco fuse probavimus.

14 *SECVNDVM*: Potentiam immediatè activam ſpecificari adæquatè & proximè ab actu operationis. Omne enim quod eſſentialiter reſpectivum eſt, ſive prædicamentaliter, ſive tranſcendentaliter, ſpeciem adæquatè deſumit ab eo quod primo ac per ſe reſpicit, tamquam terminum proximum & adæquatum: vt inductione facta in omnibus potentijs, habitibus, & operationibus exploratum eſt. At potentia immediatè operativa reſpicit primò ac per ſe actum operationis, tamquam terminum proximum & adæquatum; vtpote cuius ſolius gratià inſtituta fuit, & quo eius tendentia adæquatè perficitur & completur. Omnis ergo potentia immediatè operativa ſpecificatur adæquatè & proximè ab actu operationis. Prætetea, vt nuper argumentabamur circa exiſtentiã, omnis actus per ſe & ratione perfectionis propriæ inſpectus proximè à naturà, exigit potentiam aliquam per ſe primò inſtitutam & ordinatam ad ipſum, veluti ſpecificativum illius. Cùm ergo operatio generatim ſumpta ſit eiuſmodi, vtpote qua maximè perficitur Vniverſum, quod ſine illà trũcum & otioſum exiſteret, aſſerenda eſt potentia in eam ordinata per ſe primo, tamquam in ſpecificativum proximum & adæquatum. Denique, compertum eſt potentias proximè operativas adæquatè inter ſe diſtingui per ordinem ad actus operationum immediatarum: vt patet in ſenſibus externis & internis, potentijſque animæ, & primis ac ſecundis qualitatibus, cæteriſque virtutibus quorumcumque mixtorum. Ergo & ab eiſdem operationibus adæquatè ſpecificantur: quia iuxta commune ac verum proloquiũ, ſpecificativum & diſtinctivum cuiuslibet rei idem omnino eſt.

15 *IAM* Ergo probatur Aſſertio ratione deſumptà ex D. Thoma locis præindicatis: Nulla potentia reſpiciens per ſe & immediatè actum exiſtendi, reſpicit per ſe & immediatè actum operationis. At ſubſtantia eſt potentia per ſe immediatè reſpiciens actum exiſtendi. Ergo ſubſtantia nõ reſpicit per ſe immediatè actum operationis. Ergo neque eſt ratio proxima & immediata operandi. Syllogiſmus eſt in modo ac figurà perfecta: Maior aperte conſtat *ex num. praeced.* quia potentiæ ſpecificantur & diſtinguuntur realiter per ordinẽ ad actus adæquatè diſtinctos, quos per ſe & immediatè reſpiciunt; quales ſunt exiſtentia & operatio, vt nuper oſtenſum eſt. Minor etiã conſtat *ex num.* 13. vbi probata manet. Pergo ad ſecundam conſequentiam, in qua eſt diſsidium, eamque probo: Quia omnis potentia per ſe immediatè reſpiciens actum operationis, eſt ratio proxima & immediata operandi. Sed ſubſtantia non eſt potentia per ſe immediatè reſpiciens actum operationis. Ergo neque eſt ratio proxima & immediata operandi. Qui etiam ſyllogiſmus eſt in modo ac figura perfectà; cuius minor eadem, ac ſyllogiſmi præcedentis; maior verò, adeò evidens, vt probatione non egeat.

16 *RESPONDEBIS I.* iuxta mentem Adverſariorum, potentiam reſpicientem per ſe & immediatè actum exiſtendi, poſſe reſpicere etiam per ſe & immediatè actum operationis; quamquã aliter & aliter: priorẽ quidem, vt actum primariũ & ſpecificativum; poſteriorem verò, vt ſecundarium & non ſpecificativum. id enim nullam cõtradictionem involvere. Quod patet, non ſolùm in pluribus habitibus immediatè & per ſe reſpicientibus plures actus adæquatè diſtinctos ordine primarij & ſecundarij; ſed in ipsà potentià accidentali, quæ immediatè & per ſe reſpicit operationem & exiſtẽtiam; illam vt actum ſpecificativum & primarium; hanc verò vt ſecundarium. Quare & eadem ſubſtantia poterit immediatè ac per ſe reſpicere exiſtentiam vt actum primarium, à quo ſpeciem mutuet; operationem verò vt actum ſecundarium, & nullatenus ſpecificantem.

17 *SED Contrà I.* Vt enim probatum eſt *num.* 14. omnis potentia per ſe immediatè reſpiciens actum operationis, ab eo ſpecificatur, & per ordinem ad illum diſtinguitur ab omni alio. At nulla potentia ſpecificatur ab actu ſecundario, nec per ordinem ad illum diſtinguitur ab omni alio, ſed ante ipſum præſupponitur adæquatè ſpecificata ab actu primario, ac proinde diſtincta. Ergo ſi ſubſtantia eſt potentia per ſe immediatè reſpiciens actum operationis, hæc non erit actus ſecundarius, ſed ſpecificativus & primarius. quod aperte repugnat. *Contrà II.* Quoties vna aliqua potentia per ſe & immediatè reſpicit plures actus ordine primarij & ſecundarij, poſteriorem

non reſpicit, niſi ſub eàdem formali ratione prioris: vt patet in habitu charitatis relate ad dilectionem Dei & proximi; in Dialecticà per ordinem ad actus doctrinæ & vſus; in pœnitentiæ habitu per ordinem ad dolorem de peccatis & propoſitum nõ peccandi. Atqui potentia per ſe immediatè reſpiciens operationem, nequit illam reſpicere ſub eàdem formali ratione actus exiſtentiæ. Ergo nequit reſpicere operationẽ, vt actum ſecundarium. Probatur minor. Operatio enim ex genere ſuo, & ratione formali, eſt actus primo & per ſe inſpectus à naturà, ratione propriæ perfectionis, quà maximè eluceſcit pulchritudo Vniverſi, & completur ac perficitur in ſe ipsa. Ergo potentia per ſe immediatè reſpiciens operationem, nequit illam reſpicere ſub eàdem ratione formali actus exiſtentiæ, ſed primario & propter ſeipſam: ac proinde, ſi ſemel ſubſtantia per ſe & immediatè reſpicit actum operationis, non debet eſſe ſub eadem ratione formali, quà reſpicit exiſtentiam; ſed ſub propria ac primaria ratione operationis.

18 *NEQVE* Obſtat inſtantia, quæ adducitur in ſolutione. Potentia enim accidentalis proximè operativa, ſolùm reſpicit per ſe primo operationem, vt actum ſpecificantem, cuius ſolius gratià à naturà inſtituta eſt; inexiſtentiam verò ſecundario ſolùm & ratione ipſius operationis. Naturà enim nullam aliam exiſtentiam, quàm ſolius ſubſtantiæ, per ſe ac primario quærit; cùm ſola illa ſit exiſtentia ſimpliciter ac per ſe: exiſtentiam autem accidentium tantùm quærit ſecundariò, & ex fine operationis; cùm ſit exiſtentia ſecundùm quid, & veluti additamentum quoddam ſubſtantialis exiſtentiæ. Quare potentia accidentalis ſolùm inexiſtit, vt operetur ſubſtantia, mediante ipsa. Ergo pariter ſi ſubſtantia eſſet potentia immediatè operativa, primariò ac per ſe tenderet in operationem, eſſetque à naturà inſtituta propter ipſam. Vnde iam non eſſet ſubſtantia, nec primariò tendens in actum exiſtendi per ſe: quia nulla entitas, nulla potentia, nec accidentalis, nec ſubſtantialis, poteſt primariò tendere in duos actus adæquatos & ſpecificativos, quales ſunt exiſtentiæ per ſe & operationis; ſed, ſi ſit ſubſtantialis, in actum exiſtendi per ſe; ſi autem accidentalis, in actum operationis.

19 *DICES*: Inexiſtentia nequit eſſe actus ſecundarius potentiæ accidentalis operativæ, ſed primarius. Ergo operatio immediatè ab ea procedẽs, ſolum eſt actus ſecundarius: ac proinde potentia ſubſtantialis multò meliùs poterit reſpicere immediatè operationem vt actum ſecundarium, & ſolam exiſtentiam primariò. Cõſequentia patet, tum ab everſione doctrinæ traditæ, tum à pari vtriuſque potentiæ, tum denique a fortiori, quia in potentià ſubſtantiali vrgentior ratio eſt, ne ab operatione accidentarià, ſed ab exiſtentia ſubſtantiali ſpecificetur. Antecedens vero probatur dupliciter. *Primò*: quia quælibet res magis appetit, ac proinde prius reſpicit actum quo perficitur in ſe, quàm quo perficit aliud. At potentia accidentalis per actum inexiſtentiæ perficitur in ſe, per operationem verò, & maximè tranſeuntem, ſolùm perficit aliud, ſcilicet, effectum quẽ producit. Ergo potentia accidentalis priùs reſpicit actum inexiſtentiæ, quàm operationis; ideoq; inexiſtentia nequit eſſe actus ſecundarius ipſius, ſed primarius. *Secundò*: quoniam nullus actus ſecundarius antecedit ſemper & per ſe loquendo primarium, ſed è contrà. At exiſtentia potentiæ accidentalis ſemper & per ſe loquendo præcedit actum operationis, quia per ſe loquendo prius eſt eſſe, ſeu exiſtere vtcumque, quam operari. Ergo inexiſtentia potentiæ accidentalis non eſt actus ſecundarius ipſius relate ad operationem, ſed primarius.

20 *SED Contrà*. Tam enim antecedens obiectionis, quàm vtraque illius probatio, falſum aſſumit, dum ſuadere nititur: quod operatio ſit actus ſecundarius potentiæ operantis, inexiſtentia verò primarius. Cuius oppoſitum ſic oſtendo. Aliqua enim potentia eſt in rerum natura, quæ primario reſpiciat operationem, & exiſtentiam ſui ipſius ſolùm ſecundario & ex fine eiuſdem operationis. At eiuſmodi potẽtia nulla aptior eſſe poteſt, quam accidentalis. Ergo hæc primariò reſpicit operationem, & ſecundariò exiſtentiam, ſive inexiſtentiam ſui ipſius. Minor cum conſequentia patet. Maiorem autem probo: tum, quia, vt ſuperiùs oſtenſum eſt, natura per ſe quærit ac primario operationem, qua maximè perficitur; ideoque debet eſſe potentia aliqua in rerum naturà primario ac per ſe operationem reſpiciens; ſive, quod perinde eſt, medium aliquod primarià inclinatione tẽdens ad conſequendum eum finem primò à natura inſpectum. Tum etiam; quia aliqua potentia eſt in rerum natura, quæ primario reſpiciat exiſtentiam ſui ipſius, & ſecundario operationem; vt patet in potentia ſubſtantiæ, quia omnino abſoluta eſt. Ergo è contrà & aliqua potẽtia eſſe debet

in

In rerum natura, quæ non prorſus abſoluta ſit, modo ſuperiùs explicato, ideoque primariò non reſpiciat exiſtentiam ſui ipſius, ſed ſolùm operationem, etiam tranſeuntē, qua aliud perficiat. Tam enim actus operationis, quàm exiſtentiæ, in propria cuiuſque lineà, dignus eſt per ſe attendi & præponi, vbi ſpecialis ratio potentiæ tranſcēdentaliter relativæ ad aliud prædicamentum id exigit.

21 *Quapropter*, negato antecedente obiectionis, ad primam probationem dico, veram eſſe de re illa, quæ prorſus abſoluta eſt ab ordine eſſentiali ad perficiendum aliud prædicamentum; falſam verò de re eſſentialiter ad perfectionem alterius prædicamenti ordinatà; qualis eſt omnis potentia accidentalis proximè operativa. Hæc enim ex primarià ratione tendit ad perficiendam ſubſtantiam; & non vt ſit (quod iam per ſe ac ſimpliciter præhabet): ſed vt operetur, ſive intra, ſive extra ſeipſam. Ad ſecundam probationem dico, actū ſecundarium poſſe ſemper ac per ſe loquēdo antecedere primarium in executione, & ſubſequi in intentione, quoties actus ſecundarius eſt conditio ad poſitionem primarij: vt in omnibus ferè habitibus, ipſorumque actibus cernere eſt, qui ſæpè ſunt priores ordine intentionis per ſe loquendo, & poſteriores ſolà executione. Inexiſtentia autem eſt conditio vt accidentalis potentia operetur; ideoque in executione præcedere poteſt ſemper ac debet, vt potentia ipſa eliciat operationem, quam ſolam primariò quærit, & cuius intuitu per ſe à naturà inſtituta eſt.

12 *RESPONDEBIS II.* Negando maiorem primi ſyllogiſmi: & ad probationē dices, potentiam per ſe reſpicientem ac primariò actum eſſendi, poſſe ac debere etiam reſpicere primariò actum operationis, tamquam ſpecificativum; idque adhuc in noſtrà opinione, iuxta quam potentia ſubſtantiæ ſolum radicaliter operativa aſſeritur. Etenim iuxta Ariſtot: *hoc lib.cap.*1. natura ſubſtantialis definitur in ordine ad motum, ſive operationem; & quidem definitione eſſentiali. *Ergo* quia eſſentialiter & primariò reſpicit operationem, ab eaque ſpecificatur. Nulla enim potentia definitur eſſentialiter, niſi in ordine ad ſuum actum primarium ac ſpecificativum. Rurſus & potentia paſſiva materiæ primæ, quatenus habentis rationem naturæ, definitur per rationem principij paſſivi motus, ſive generationis, quam immediatè in ſe recipit pro priori naturæ ad formam. Nihil ergo abſurdi eſt in eo, quòd potentia eadem ſubſtantialis, quæ primariò reſpicit actum exiſtendi, reſpiciat etiam primario actum operationis, & proinde ab eà ſpecificetur.

23 *SED Contrà I.* Niſi enim ſuſdeque vertatur omnis Metaphyſica & Philoſophia, nequit eadem potentia reſpicere immediatè plures actus primarios & ſpecificativos adæquatè diſtinctos, ſive, quod idē eſt, conſtituentes duas lineas adæquatè diſtinctas, quales ſunt actus eſſendi per ſe & operandi: quia ſic eiuſmodi potentia eſſet in duplici ſpecie adæquatè diverſa, altera ſubſtantiali, & accidentali alterà, quod impoſſibile eſt. Cùm igitur ſubſtantia ſit potentia immediatè reſpiciens actum exiſtētiæ tanquam primarium & ſpecificativum, vt *num.*13. præmiſſum eſt; nequit eadem primariò reſpicere operationem, aut per ordinem ad illam deſumere ſpeciem. *Secundò*: Quia quòd natura ſubſtantialis definiatur in ordine ad operationem, minimè probat ab eà ſpecificari; ſed tantùm quod natura per modum principij radicalis activi nequeat exprimi, niſi connotatà operatione, cuius principium radicale eſt. Sic licèt nec Omnipotentia divina exprimi poſſit, niſi in ordine ad creaturas poſſibiles, nec ſciētia libera formaliter, niſi in ordine ad exiſtentes, à neutris ſpeciem accipiūt, quoniā abſolutæ omnino ſunt, ſolumque vtraſque reſpiciunt vt terminū, vel effectum. Cùm igitur ſubſtantialis natura creata etiam in ſuo ordine ſit prorſus abſoluta, & incapax ſpecificationis ab extrinſeco prædicamento, nullam ſpeciem ab operatione capit, quamvis ſub munere naturæ nequeat exprimi, niſi ſub connotatione, ſive ordine ad operationem. *Tertiò*, & à priori. Nulla potentia ſpecificatur ab actu, quē ſolùm remotè reſpicit, & mediante virtute interiectà: quia primaria ratio & immediata cuiuslibet potentiæ eſt ſpecies ipſius; ac proinde debet accipi per ordinem ad actū primum & immediatum. At potentia naturæ ſubſtantialis iuxta noſtram opinionē ſolùm remotè reſpicit actum operationis, & medià virtute accidentali interiectà. Ergo iuxta opinionem noſtram nullus locus eſt, vt potentia naturæ ſubſtantialis ſpecificetur ab actu operationis. Quòd ſi verò natura, ſeu potentia paſſiva materiæ, reſpicit immediatè motum generationis, quem in ſe recipit ſub ratione paſſionis prædicamētalis, ſive ſub ratione mutationis; non ideo ab eo ſpecificatur. quippe quem ſolùm inſpicit vt viam & tendentiam puram ad

actum primum formalem, qui eſt ſubſtantialis forma, à qua ſpeciem ſortitur.

24 *DICES*: Saltem natura ſubſtantialis completa ex materia & forma, eſt potentia paſsiva immediatè recipiens accidentia, tanquam actus in ipſa permanẽtes, iuxta ſententiam Ariſt. & D. Thomæ. Sed potentia immediatè recipiẽs actum in ipſa permanentem, ab eo ſpecificatur, nõ minus quàm potentia immediatè activa ab operatione. Ergo natura ſubſtantialis completa ex materia & forma, ſpecificatur ab accidentibus. Ergo & ſpecificari poterit ab operatione. *SED Contrà*. Quãvis enim maior vera ſit, minor falſa eſt quoties potentia paſsiva ſolùm ex conſequenti reſpicit actum, & ex fine alterius actus præcedentis, à quo ſpeciem deſumit. qualiter contingit in natura ſubſtantiali completa, quæ præſupponitur ſpecificata ab actu propriæ exiſtentiæ per ſe; & quælibet accidentia, atque ipſorum operationes ſolùm reſpicit ex conſequenti, atque ex fine exiſtentiæ ſui ipſius; ſive prout individuo, ſi ſint operationes immanentes; ſive in ſpecie, vt conſervetur per propagationem, ſi ſint actus tranſeuntes.

25 *CONFIRMATVR* Ratio præcipua ab abſurdo. Si enim non obſtãti quod ſubſtantia ſpecificetur ab exiſtentia vt actu primario, adhuc eadem poteſt immediatè operari, ſeu eſſe ratio proxima operandi; nullum erit opus ponendi qualitates, ſeu virtutes activas, aut potentias de genere qualitatis, ſubſtantiali formæ realiter ſuperadditas: quia fruſtra adderetur ſubſtantiæ nova entitas ad faciendum id, quod ſe ipſa præſtare poteſt. Inde autem corruat neceſſe eſt quidquid à priſcis ſæculis Philoſophi tradiderunt circa qualitates primas, ſecundaſque ſubſtantiæ rerum ſuperadditas; ac præterea circa potentias activas earundem, quaſi aliquid reipſa diverſum ſint à formis elementorum & mixtorum. Vnde & ignis erit realiter calor, & terra ſiccitas, & aer humiditas, & aqua frigiditas; & quælibet ſubſtantialis forma erit activa qualitas; & tandem omnes potentiæ vitales erunt indiſtinctæ realiter à ſubſtantia animæ, etiam rationalis. Quæ omnia ſtatim abſurda apparent, & præterea reijcienda ſunt in libris de Animà. Mitto rationes alias, quæ apud Authores allegatos videri poſſunt, & præcedentis quaſi appendices ſunt.

SECTIO TERTIA.

Sententia adverſa, eiuſque argumenta præcipua ſoluta. Vbi & obiter expediuntur nonnulla dubia.

26 OPINIONEM Adverſam tuetur Scotus *in* 1. *diſtinct.* 37. *q. vnic.* vbi docet ſubſtantiam ſolam attingere immediatè productionem alterius ſubſtantiæ, eamque nullatenus attingi ab accidentibus. Quod omnes eius diſcipuli tuentur, teſtante ac ſequente Pontio *diſ.* 9. *q.* 2. Idem tradit Durãdus *in* 2. *diſt.* 1. *q.* 4. Valles *contr.* 3. Arriaga *diſp.* 11. *ſect.* 2. *ſubſect.* 4. Conimbricenſes *in præſenti lib. art.* 2. & 6. Hurtadus *diſp.* 9. *ſect.* 6. Oviedo *contr.* 9. *punct.* 4. Lynce *lib.* 4. *Phyſic. tract.* 7. & ex parte Eximius Suarez *diſp.* 18. *Metaph. ſect.* 2. ac Cõpton *diſp.* 25. *ſect.* 4. pluresque Recentiores, quatenus concedunt ſubſtantiæ vires immediatè activas alterius ſubſtantiæ, licet fateantur etiam illas reſidere in accidentali virtute, in cuius conſortio ſubſtãtia immediatè operatur. Præcipua ipſorum argumẽta proponam, quatenus tendunt ad probandum ſubſtantiam creatam eſſe immediatè operativam, quod eſt præcipuum noſtræ controverſiæ caput.

27 *ARGVVNT I.* Repugnat id, quod imperfectius eſt, producere adæquatè vt cauſam proximam id, quod ſimpliciter eſt perfectius. Sed virtus accidentalis eſt quid imperfectius ſimpliciter ſubſtantiali effectu. Ergo repugnat quòd illum producat adæquatè vt cauſa proxima. Ergo aut neceſſum eſt ſolam ſubſtantiam eſſe cauſam ipſius immediatè effectivam, accidẽte ſolùm diſpoſitivè concurrente, vt vult Scotus; aut ſaltem eſſe cauſam immediatè effectivam in conſortio virtutis accidentalis, vt contendit Suarez. Vtraque conſequentia & minor ſeipſis conſtãt. Maior ſua detur. Omne id quod producit aliud vt cauſa proxima adæquata, debet illud continere in virtute propria; quia nemo dat quod in ſe non habet. At repugnat id, quod imperfectius eſt, continere in virtute propria id, quod ſimpliciter eſt perfectius. Ergo & repugnat id, quod imperfectius eſt, producere adæquatè vt cauſam proximam id, quod ſimpliciter eſt perfectius.

28 *RESP.* Negando maiorẽ: cuius falſitas apparet in ferro cãdẽte, ſi poris careat; quoties calor intenſus, & ſeparatus à ſubſtantia ignis producit ignem; & in accidentibus Euchariſticis vini, quæ ſeparata ab omni ſubiecto ſunt cauſa proxima adæ-

adæquatè activa converſionis aquæ modicæ in vinum; & in ſemine humano, quod ſemel deciſum à generante, iam abſente, aut mortuo, attingit proximè adæquatè generationem hominis; quanquam omnes prædictæ virtutes ſint accidentales, & ſimpliciter imperfectiores effectu producto. Huc etiam ſpectat, quod ſæpè experimur, ex attritis chalybe & ſilice ignem elici; exhalationes ardentes per aëra diſcurrere; mures, ranas, bufones, & plura inſectorum ac reptilium genera, ex ſola terræ putrefactione generari: vbi concedi debet aliqua particularis virtus immediatè & adæquatè talium effectuum operativa; quæ ſane non, niſi accidentalis, eſſe poteſt. Ad probationem concedo majorem de cauſa principali; nego autem de inſtrumentali, qualis eſt virtus accidentalis relatè ad ſubſtantialem effectum; quem non ſui ipſius nomine, aut virtute propria efficit, ſed nomine ſubſtantiæ & virtute illius.

29 *INSTAT* Scotus, & cum eo alij Recentiores. Quando dicitur accidens non producere effectum ſubſtantialem virtute propria, ſed virtute ſubſtantiæ; aut ſenſus eſt, ipſum producere per virtutē ſuperadditam à ſubſtantia ſibi communicatam; aut per hoc quòd ipſummet ſit virtus ſubſtantiæ. Si dicatur primum, videtur carere fundamento; & adhuc permiſſum non ſatisfacit. Vel enim illud ſuperadditum accidenti eſt ſubſtantia, vel accidens. Si ſubſtātia; iā hæc erit tota ratio immediata agendi. Si autem accidens; virtus accidētis manebit impotens ſicut antea ad continēdam & producendam ſubſtantiam. Reſtat ergo vt dicatur ſecundum: ſcilicet, accidens cauſare immediatè effectum ſubſtantialem in virtute ſubſtantiæ, quia ipſummet eſt virtus ſubſtantiæ. At neque hoc eſſe poteſt, idque ex multiplici capite. *Primò*: quoniam accidens ſeipſo eſſe virtutē ſubſtantiæ, non ſufficit vt adæquet perfectione ſubſtantiam aliquam. Ergo neque ſufficit vt adæquatè & immediatè illam producat. *Secundò*: quia ſi accidens operatur ſubſtantiam quatenus ſeipſo eſt virtus ſubſtantiæ; cùm hoc habeat ab intrinſeco & ex natura ſua; ex eadē quoque & ab intrinſeco producet ſubſtātiam. Ergo non inſtrumentaliter, ſed veluti principalis cauſa; cuius oppoſitum in ſolutione aſſeritur, & ſectione primà ſtabilitum eſt. Cauſa enim, quæ ab intrinſeco & ex naturà ſua producit immediatè aliquem effectū non eſt inſtrumentalis, ſed principalis. *Tertiò*. Per hoc quod calor ſeipſo aſſeratur virtus ſubſtantiæ, non habet magis activitatis, aut perfectionis, quàm ſi virtus ſubſtantiæ non eſſet, & tamen calor in eodem gradu eſſet. At in hoc poſteriori eventu non produceret ſubſtantiā vt virtus proxima adæquata. Ergo neque in caſu priori. *Quartò*. Propterea ſolùm calor ſeipſo dici poteſt virtus ſubſtantiæ ad producendum ignē, quia ignis non producit alium ignem, niſi medio calore. At neque ignis producit calorem in ligno, niſi medio calore. Ergo & calor ſeipſo erit etiam virtus igni ad calorē alium producendum. Ergo ſicuti ob hanc rationem calor eſt ſolùm virtus inſtrumentalis ad producendum ignem, ſic & ad producendum alium calorem.

30 *RESP.* omiſſa aliorum ſolutione, eſſe duplex inſtrumentum: aliud ſtrictè dictum, carēs intrinſecà activitate in effectū, ideoque indigens motione aut virtute elevante, ſuperaddita à principali agente; aliud latè dictum, & intrinſeca activitate in effectum pollens, quatenus ſeipſo eſt virtus data principali agenti ex inſtituto naturæ, vt media ipſa producat effectus ſibi ſimiles in ſpecie & ſubſtantia, abſque ope alicuius motionis, elevationiſvè ſuperadditæ. Quare ad obiectionem concedo poſteriorem partem dilemmatis, ſcilicèt, accidens ſeipſo eſſe virtutem ſubſtantiæ. *Ad primam* impugnationem concesso antecedente nego conſequentiam: quia cauſa inſtrumentalis, ſive ſtrictè, ſive latè dicta, nō indiget æqualitate perfectionis cū effectu vt ipſum immediatè attingat & producat; vt patet tum in motione ſeu virtute ſupernaturali inſtrumentorum ad cauſandam gratiam & patranda miracula, quæ eſt inſtrumentum connaturale & latè dictum; ac licèt perfectione inferius, producit tamen immediatè gratiam: tum & in quibuslibet inſtrumentis artis, quæ ſunt ſtrictè dicta; & tamen prout elevata per motionem entitativè inferiorem producunt inſtrumentaliter effectus perfectione ſuperiores. *Ad ſecundam* conceſſo antecedenti, nego conſequentiam; quia ad rationem cauſæ principalis non ſufficit producere effectum virtute cōnaturali & intrinſeca, niſi præterea addatur in cauſa æqualitas, aut exceſſus perfectionis relatè ad effectū; quorū neutrū invenitur in virtute accidentali relatè ad effectus ſubſtantiales & ſuperiores; ſed ſolùm in ordine ad alios accidentales inferiores, aut etiam æquales. *Ad tertiam* dico eſſe implicantiam in adiecto. Calor enim, qui cumque eſt in gradu ſufficiente ad producendā immediatè ſubſtantiā ignis, ex intrinſeca natura & ratione importat ordinem

ad

ad ignem vt virtus inſtrumẽtaria ipſius ad ſuam ſpeciem perficiendam & propagandam: atque adeo ſi non eſſet virtus ſubſtantiæ, neque eſſet calor, neque produceret immediatè ignem. *Ad quartam.* Calor non ideo præcisè aſſeritur virtus inſtrumentaria ſubſtantiæ ad producẽdum ignem, quia ignis non producit ignem, niſi medio calore; ſed præterea, quia eſt virtus ad producẽdum aliquid perfectius ipſo calore. quod tamen non verificatur reſpectu caloris alterius. Ideoque manet virtus inſtrumentaria ad producendum ignem; principalis verò ad calorem alium. Et quidem, niſi Scotus & aſſeclæ concedant accidentibus virtutem aliquam activam, tum ad producẽdam, tum & ad corrumpendam immediatè ſubſtantiam, nõ apparet quomodo tam ſæpe forma ſubſtantialis inferior expellat à ſubiecto aliam perfectiorem præexiſtentem, ipſique prævaleat. Hoc enim eſſe non poteſt naturaliter, niſi accidentia quæ diſponunt ad introductionem inferioris formæ ſuperent activitate accidentia conſervantia in ſubiecto formam præexiſtentem & ſuperiorem.

31 *ARGVIT II.* Suarez ex Ariſt. *2. de Gener. textu 54. & 55.* vbi reprehendit eos, qui actionem propriam accidenti concedunt, & illam negant ſubſtantiæ, cui, vt principali cauſæ, ea ſtrictiùs debetur. Quare inter alia inquit: *ὥστε καὶ οὗτοι διὰ τοῦτο λέγουσιν οὐκ ὀρθῶς· καὶ ὅτι παραλείπουσι τὴν κυριωτέραν αἰτίαν.* *Quare & iſti ob id non rectè loquuntur, & quia potiorem omittunt cauſam.* Et S. Thomas non ſolùm loco illo allegato *ſuprà num. 7.* ſed vlterius *3. p. q. 77. art. 3.* ait: *Ita actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ ſubſtantialis, ſicut eſſe accidentis dependet ab eſſe ſubſtantiæ: & ita ſicut divinâ virtute datur ſpeciebus ſacramentalibus, vt poſſint eſſe ſine ſubſtantia, ita datur eis quòd poſſint agere ſine formâ ſubſtantiali, virtute Dei à quo, ſicut à primo agente, dependet omnis actio formæ, & ſubſtantialis, & accidentalis.* Igitur tam ex mente Ariſtotel. quàm D. Thomæ, forma ſubſtantialis habet actionem diſtinctam ab actione formæ accidentalis: ac proinde vt condiſtincta ab ea operatur per ſe ipſam immediatè.

32 *RESP.* Subſtantiam habere quidem actionem propriam, quæ eſt generatio ſubſtantialis, diſtincta realiter ab actione propria accidentium, quæ eſt alteratio, vt ex profeſſo oſtendam *diſputat. 2. de Generat.* Quare authoritas Philoſophi nobis contraria non eſt, neque Div. Thomæ; cùm vltro fateamur quod vterque aſſerit. Inde autem non convincitur actionem illam propriam ſubſtantiæ immediatè ab ea dimanare. Quippe ipſi mediata eſt, & per virtutem accidentalem interiectam; quæ præter actionem productivam alterius accidentis, quam elicit vt principalis cauſa, elicit quoque aliam productivam ſubſtantię vt inſtrumẽtaria virtus ſubſtantiæ principalis agentis. Quam doctrinam quicumque impugnant ex Thomiſtis, volentes eandem eſſe actionem realiter generationem & alterationem, neſcio quomodo in præſenti ſalvent doctrinam D. Thomæ aſſerentis actionem accidentis dependere ab actione ſubſtantiæ, ſicut accidens dependet à ſubſtantia. quod ſine reali diſtinctione inter actiones vtriuſque eſſe nequit.

33 *INSTABIS:* Ariſtoteles exigit actionem propriam formæ ſubſtantialis, vt illa ſit verè & propriè cauſa effectus ſubſtantialis. At ſi actio illa ſolùm eſt ipſi mediata, per virtutem accidentalem interiectam, forma ſubſtantialis non erit verè & propriè cauſa ſubſtantialis effectus. Ergo actio propria quam habet, non eſt ipſi mediata, ſeu per virtutem accidentalem interiectam. Probatur minor: tum quia cauſa quæ ſolùm influit mediatè in effectum, non eſt vera & propria cauſa principalis illius: tum etiam, quia ideo Theologi probant contra Durandum, Deum habere cõcurſum immediatum in omnes effectus, quia aliter ipſorum vera & propria cauſa non eſſet. *RESP.* Negando minorem. Ad primam probationem dico, cauſam quæ ſolùm influit in effectum mediatè mediatione ſuppoſiti, non eſſe ſtrictam & propriam, vt contingit in avo relatè ad nepotem; ſecus verò cauſam quæ ſolùm influit mediatè, mediatione virtutis inſtrumẽtariæ, qualiter forma ſubſtãtialis, & homo in generationem alterius hominis; quia in ordine ad illam eſt principium *quod* ſtrictè operans, & præſtans exiſtentiam effectui, abſque interpoſitione alterius principij *quod.* Ex quo patet ad ſecundam probationem. quia in ſententia Durandi Deus operaretur mediatè, mediatione ſuppoſiti creati, tamquam principij *quod*; atque adeò non eſſet cauſa ſtrictè & propriè effectus ſecuti; ſed impropriè & latè ſolùm; qualiter avus relatè ad nepotem. De quo vide plura *diſp. ſequenti num. 31. & 32.*

34 *DICES:* Ergo ſaltem Deus eſſet ſtricta cauſa eorum effectuũ, ad quos concurrit media virtute inſtrumẽtali ipſius

eàdem numero actione. Proindeque actio illa, qua recuperatur ab aqua, eſt diſtincta ab actione tranſacta præcipui agentis. *Quinto.* Si aqua abſque interventu novæ actionis cauſaret de novo frigiditatem, cauſaret vtique illam immediatè per ſe ipſam in exercitio. quod repugnat omni cauſæ ſecundæ, propriumque eſt actus puri, identificantis ſuam operationem.

38 *RESP. AD I.* diſtinguendo maiorem: Abſoluta actione præcipui agentis, tam formaliter, quam virtualiter; concedo: formaliter tantum, nego maiorem; & ſub eadem diſtinctione minoris nego conſequentiam: quia quamvis actio præcipui agentis præterierit formaliter, & iam in ſe ipſa non ſit, adhuc manet virtualiter in termino primario producto; nimirum in eſſentia aquæ, eo ipſo potente ſe extendere ad paſsiones, tamquam ad terminum ſecundarium, vbi primum impedimenta ablata fuerint. Ad præcipuum enim agens ſpectat conferre eſſentiæ paſſiones, tum à principio, tum & poſtea, ſi fortè ob aliquod impedimentum deſierint eſſe in eo gradu, qui per ſe exigitur, ſive connaturaliter, ab eſſentia. Sic etiam in moralibus plura fieri ſolent & noviter produci, vi ſolius primæ actionis, prout perſeverantis ſolùm virtualiter in aliquo effectu. *AD II.* Eſto interveniat ibi novus motus, non propterea debet intervenire nova actio formaliter; quia ſolum eſt motus ad recuperandum terminum ſecũdarium debitum à generante: ſicut ob eandem rationem, licet quoties lapis cadit in centrum interveniat novus motus, non tamen actio aliqua formalis; vtpote, cùm nullum eliciat lapis vbi movetur in centrum ſibi a generante debitũ. Neque oportet, vt ſicut omnis actio creata eſt idem cum motu inſtantaneo aut ſucceſsivo, aut ſimul cum ipſo; ita etiam omnis motus ſit idem cũ actione, aut ſimul cum illa formaliter & in ſe ipſa, vt patet exemplo lapidis. *AD III.* negatur maior. Quemadmodum enim de actione præcipui agentis creati dictum eſt, non exigere vt ſit formaliter in ſe ipſa, ſed ſolùm virtualiter in termino primario; ita etiam de concurſu divino, ſive actione Dei. Prætérquamquod propriè loquendo actio Dei ad extra eſt indiſtincta realiter ab ipſo Deo, & proinde ſemper manens quo ad intrinſeca, ſolumque deſinens eſſe ex parte termini. Non ergo ad recuperationem frigiditatis exigitur nova Dei actio novitate actionis, ſed ſolius termini, ſive effectus. *AD IV.* poteſt primo negari maior: quoniam duplex frigiditas ſolo numero diſtincta poteſt ſucceſsive, ſeu in diverſis inſtantibus produci per eandem numero actionem, quia eſt debita termino primario eidem: ſicut ob ſimilem cauſam poteſt duplex numero vbicatio, duplexque motus circa centrum in diverſis inſtantibus produci per eandem numero actionem productivam lapidis. Deinde, prætermiſſa maiore, negatur minor: quia frigiditas non corrumpitur ex toto quandiu non corrumpitur aqua, cùm ſit proprietas illius; ſed ſolùm remittitur, & tantò magis, quantò aqua magis calida eſt. Vnde poſtea recuperante aqua ſuam priſtinam frigiditatem, nõn producitur alia numero frigiditas, ſed eadem, quæ remiſſa præexiſtebat, intenditur. *AD V.* negatur ſequela: quia aqua non cauſat gradum illum frigiditatis in exercitio per ſeipſam immediatè, loquendo de cauſalitate activa ſtrictè dicta: id enim ſolùm competit actioni generantis iam præteritæ formaliter, & ſolùm virtute in aqua ipſa manenti. Quare ſolùm ſequitur aquam immediate per ſe ipſam exhibere cauſalitatem activam impropriam, &, vt aiunt, grammaticalem, in gradum illum, quatenus per modum radicis exigit illum, tamquam ſibi debitum a generante.

39 *HVCVSQVÈ* locuti ſumus iuxta doctrinam & ſolutionem communem Authorum noſtræ ſententiæ. Adhuc tamẽ vrgenter inſtari poteſt, quia ex illa videtur ſequi, ſubſtantiam aquæ in dicta hypotheſi eſſe operationẽ ſtrictam in exercitio per ſe ipſam. quod ſolius actus puri proprium eſt, vt in quinta inſtantia præcedenti aſſumebatur. Sequela ſuadetur: Quia nequit produci illa frigiditas quæ recuperatur, niſi per aliquam ſtrictam actionem præcipui efficientis, quæ ipſam immediatè attingat, & ponat ſub exiſtentia: cùm nullus effectus ponatur in rerum natura vi cauſarum ſecundarum abſque operatione cauſæ efficiẽtis, per quam fiat. Atqui iuxta ſolutionem datam ſubſtantia aquæ ſola per ſeipſam poteſt eſſe eiuſmodi ſtricta operatio, ſive actio. Ergo &c. Probatur minor. Iuxta ſolutionem datam eiuſmodi actio ſtricta, eſt ipſa actio præcipui efficientis, non formaliter & in ſe, ſed virtualiter & prout in termino primario, qui eſt ſubſtantia aquæ. Atqui actio præcipui efficientis ſub hac cõſideratione eſt ipſe terminus primarius, ſive ſubſtantia aquæ in ſeipſa: actio enim prout virtualiter manens in aliquo termi-

no, ſive effectu, non eſt aliud realiter ab ipſo termino, ſive effectu. Ergo iuxta ſolutionem datam ſubſtātia aquæ per ſeipſam ſola poteſt eſſe eiuſmodi ſtricta operatio, ſive actio. *Confirmatur.* Quando generans principale abſens, aut iam non exiſtens, dicitur cauſare effectum media virtute à ſe relicta, in qua virtualiter permanet, tanquam in effectu; illa permanentia virtualis agentis non eſt aliud realiter ab ipſo effectu. Ergo ſimiliter virtualis permanentia actionis præcipui generantis in ſubſtantia aquæ, non eſt aliud realiter ab ipſa ſubſtantia aquæ. Ergo ſi virtualis permanentia actionis præcipui agentis eſt operatio immediate producens frigiditatem; ſubſtantia aquæ per ſeipſam eſt operatio immediata operativa frigiditatis.

40 *VLTERIVS* Sequi enim videtur ſubſtantiam aquæ in eadem hypotheſi eſſe immediatè operativam ſtrictè loquendo. quo planè prædicti Authores ſuam & noſtram præcipuam opinionem evertunt. Sequelam probo multipliciter. *Primò*: Quia id, medio quo præcipuū agens cauſat aliquem effectum, nequit non eſſe virtus ſtrictè immediate activa, vt patet, tum ex terminis, tum ab inductione. Atqui iuxta ſolutionem datam ſubſtantia aquæ eſt id, medio quo præcipuum agens cauſat aliquem effectum, ſcilicet, frigiditatem. Ergo ſubſtantia aquæ nequit non eſſe virtus ſtricte & immediatè activa. *Secundò* ſuadetur eadem ſequela. Id enim, in quo permanet virtualiter præcipuum agens, debet eſſe virtus immediatè operans. Ideoque ſemen deciſum à generante, & accidentia vini conſecrati ſunt virtus immediatè operans ſubſtantiam, quoniam in ijs manet virtualiter præcipuum ac ſubſtantiale agens, vt ſuperiùs contra Scotum cæteri ferè omnes ſtatuebamus. Atqui etiam agens præcipuum, iuxta prædictos Authores, dicitur permanere virtualiter in ipſa ſubſtantia aquæ in ordine ad producendam frigiditatem. Ergo ipſa ſubſtantia aquæ eſt virtus immediatè operans. *Tertiò.* Quoties vnus actus voluntatis permanet virtualiter in alio ad cauſandum aliquem effectum, hic non efficitur immediatè a priori actu, vtpote iam non manente in ſeipſo; ſed a poſteriore, qui ſolus in ſeipſo exiſtit: lumine enim naturæ conſtat id, quod immediatè non exiſtit, non poſſe immediatè cauſare, vel agere. At iuxta datam ſolutionem, præcipuum agens, quod ſupponimus iam non exiſtens in ſeipſo, permanet virtualiter in ſubſtantia aquæ exiſtente immediatè, ad cauſandam frigiditatem. Ergo hæc non efficitur immediatè a præcipuo agente, eiuſve virtute iam non manente, ſed ſolum ab ipſa ſubſtantia aquæ. Hæc ergo erit virtus ſtrictè & immediatè activa. quod angue & cane peius arbitrantur prædicti Authores.

41 *QVARE* Reſpondendum videtur in caſu illo aquæ reducentis ſe in priſtinam frigiditatem (ex quo procedit obiectio *à num.* 35.) intervenire quidem ſtrictam actionem; non tamen ortam à ſubſtantia aquæ, neque à principali agente, quod aquam à principio produxit, & nullam reliquit virtutem inſtrumentariā ſtrictè atque immediatè activam paſsionum eiuſdem aquæ. Illa ergo actio procedit à Deo, ſimul & ab alijs cauſis ſecundis. Pro cuius intellectu moneo (quod inter reſpōdendum obiter dictū eſt) numquam aquā amittere ex toto frigiditatē, quia hæc eſt ipſius proprietas, & nulla res, ſive eſſentia, amittere poteſt proprietates naturaliter, niſi per ſui deſtructionem. Vnde quandiu aqua exiſtit, etiamſi ferveat in lebete, tendatque celeriter in corruptionem, adhuc retinet aliquem ſaltem, vel aliquos frigiditatis gradus. Quapropter vbi poſtea extrahitur ab igne ſibi contrario, frigiditas illa, quæ antea erat valde remiſſa, paulatim intenditur per actionem aliorum agentium circunſtantium, qualia ſunt terra & aër. Terra enim prope ſummum frigida eſt, & aër ex conſortio, aut vicinitate, aut vaporibus ipſius, etiam frigidus redditur. Lebes etiam, ſive ferreus, ſive cupreus, ſicut & olla, & quævis terrea vaſa, plus frigoris, quàm caloris admiſtum habent. Ideòque per omnium illorum novam actionem intenditur paulatim frigiditas aquæ, & hæc primò ex fervente fit tepida, ex tepida trāſit in abſolutè frigidam, & ſæpe ex frigida in gelidam; idque ad exigentiam connaturalē ipſius aquæ. Vnde nec ſequitur operationem præcipui agentis iam trāſactam aliquid hic & nunc operari, nec ſubſtantiā ipſam aquæ eſſe ſtrictè & immediatè activam, nec qualitatem aliquam produci aut intendi ſine actuali & ſtricta actione, nec demum aquam identificare ſibi operationem aliquam; quæ ſunt abſurda illata contra ſolutionem communem, & videntur nimiùm vrgere. Plura quæ contra hanc reſponſionem obijci poſſunt, omitto, quoniam levia videntur, & facilia ſolutu.

42 *AD* Vlteriorem inſtantiam *ex eodem num.* 35. de ſubſtantia Angeli per modum ſpeciei concurrente immediatè ad

cog-

cognitionem ſe ipſius, dicendum, exinde ſolùm colligi eſſe immediatè operativam in ordine intelligibili; quod non repugnat ſubſtantiæ ſpirituali creatæ in ordine ad ſuiipſius cognitionem. Inde enim ſolùm colligitur ſubſtantiam creatā ſeipſa poſſe exercere munus ſpeciei impreſſæ, quæ ex conceptu ſuo formali, etiam quatenus creata eſt, abſtrahit ab eo quòd ſecundum entitatem ſit ſubſtantia, vel accidens; & per cōſequens ab eo, vt ſpecificetur, vel non ſpecificetur ab operatione. Quare vbi fuerit ſpecies quò ad entitatem ſubſtantia, nō ſpecificabitur ab operatione, licèt illam immediatè producat tamquam forma intelligibilis; quia ſicut in ſubſtātia ſpirituali eſt quid ſecundarium quòd ipſa exerceat rationē intelligibilis formæ, quamvis immediatè per ſeipſam; ita etiam ſecundariū eſt quòd in ratione formæ intelligibilis concurrat ad intellectionem, quamvis immediatè per ſeipſam. Non ergo propterea ſpecificatur ſubſtātia Angeli ab operatione, vtpotè actu ſecundario, & conveniente ſibi penes ſecūdariam ſpeciei intelligibilis formalitatem. At verò ſi ſubſtantia in ordine entitativo eſſet ſimpliciter principium immediatum operandi; eſſet quoque potentia de genere qualitatis, ſpecificareturque ab operatione: quia in creatis principium immediatū operandi ſimpliciter conſtituit ſecundam qualitatis ſpeciem, quæ eſt potentia, importans primariam habitudinem ad operationem, veluti ad ſuum ſpecificativum.

43 *DICES*: Ratio ſpeciei intelligibilis creatæ abſtrahit ab eo quòd in entitate ſit ſubſtantia vel accidens; ac proinde ab eo quòd ſpecificetur vel non ſpecificetur ab operatione, quamvis illam immediatè reſpiciat in genere cauſæ efficientis. Ergo & ratio potentiæ operativæ creatæ abſtrahit ab eo quòd ſit ſubſtantia, vel accidens; ac proinde ab eo quòd ſpecificetur vel nō ſpecificetur ab operatione, quāvis illam immediatè reſpiciat in genere cauſæ efficientis. *RESP.* Negando conſequētiam: quia ſpecies intelligibilis creata ex ex terminis non conſtituit ſpeciē aliquam qualitatis, neq; inter eas annumeratur; ſed ſolùm adſcribitur ſecundæ illarum, quoties vel adquiritur per proprios actus ſubiecti cognoſcentis, vel ipſi iam præſuppoſito pro priori aliquo temporis, aut naturæ, infunditur ab agente extrinſeco, tanquam aliquid additum. quorum neutro modo ſe habet ſpecies, quà Angelus cognoſcit ſeipſum, iuxta opinionem D. Thomæ, in obiectione ſuppoſitam. At verò potentia creata proximè operativa ex terminis conſtituit ſpeciem ſecundam qualitatis; ideoque neceſſariò debet eſſe accidens. quod repugnat ſubſtantiæ.

44 *INSTABIS*: Omnis actus per ſe primò inſpectus à naturà ratione perfectionis propriæ, exigit principium aliquod proximum ex primaria ſui ratione ordinatū ad ipſum efficiendum, vt *ſuprà num.* 14. arguebamus. At operatio, quà Angelus cognoſcit ſeipſum, eſt actus per ſe primò inſpectus à naturà ratione propriæ perfectionis, etiam prout in ordine intelligibili. Ergo etiam prout in ordine intelligibili exigit principium aliquod proximum per ſe ordinatum ex primaria ratione ad ipſum efficiendum. Euiuſmodi autem principium, nequit eſſe aliud, quam ſpecies impreſſa, quæ eſt vnica & tota ratio agendi intellectui, prout in ordine intelligibili, vtpotè ſe habēti inſtar tabulæ raſæ, aut potētiæ paſſivæ, vt loquuntur Ariſt. & D. Thomas. Ergo ſpecies impreſſa eſt principium proximum ex primaria ſui ratione ordinatum ad cognitionem prout in eſſe intelligibili. *RESP.* omnem actum per ſe primò inſpectum à naturà ratione perfectionis propriæ exigere principium aliquod proximum per modum potentiæ ex primarià ſui ratione ordinatum ad ipſum efficiendum, vel recipiendum; quia potentia & actus ſibi correſpondent primario intra quolibet genus. Quà ratione cognitio, tam in ordine naturali, quàm intelligibili, exigit potentiā aliquā primariò ordinatam ad ipſum efficiendū, quæ in Angelis eſt ſolus intellectus, omnino diſtinctus a qualibet ipſorum ſpecie intelligibili, ſive in ordine ad cognitionem ſui ipſorum, ſive aliorum à ſe. Qui licèt appelletur & ſit tabula raſa, ſeu potentia paſſiva in ordine ad ſpecies, à quibus informatur; in ordine tamē ad cognitionem, etiā prout intelligibilē, eſt potentia activa immediata, quamquam indigens conſortio ſpeciei intelligibilis, vt partialis comprincipij, & æquè immediati. Non eſt neceſſum autem, quòd cognitio exigat principium intentionale primariò ordinatum ad ipſam efficiendam; ſed abſtrahit ab eo quòd ſit primariò vel ſecundariò ordinatum; ſicut & abſtrahit ab eo quòd illud penes entitatem ſit ſubſtantia, vel qualitas.

(?)

no, ſive effectu, non eſt aliud realiter ab ipſo termino, ſive effectu. Ergo iuxta ſolutionem datam ſubſtãtia aquæ per ſeipſam ſola poteſt eſſe eiuſmodi ſtricta operatio, ſive actio. *Confirmatur.* Quando generans principale abſens, aut iam non exiſtens, dicitur cauſare effectum media virtute à ſe relicta, in qua virtualiter permanet, tanquam in effectu; illa permanentia virtualis agentis non eſt aliud realiter ab ipſo effectu. Ergo ſimiliter virtualis permanentia actionis præcipui generantis in ſubſtantia aquæ, non eſt aliud realiter ab ipſa ſubſtantia aquæ. Ergo ſi virtualis permanentia actionis præcipui agentis eſt operatio immediate producens frigiditatem; ſubſtantia aquæ per ſeipſam eſt operatio immediata operativa frigiditatis.

40 *VLTERIVS* Sequi enim videtur ſubſtantiam aquæ in eadem hypotheſi eſſe immediatè operativam ſtrictè loquendo. quo planè prædicti Authores ſuam & noſtram præcipuam opinionem evertunt. Sequelam probo multipliciter. *Primò*: Quia id, medio quo præcipuũ agens cauſat aliquem effectum, nequit non eſſe virtus ſtrictè immediatè activa, vt patet, tum ex terminis, tum ab inductione. Atqui iuxta ſolutionem datam ſubſtantia aquæ eſt id, medio quo præcipuum agens cauſat aliquem effectum, ſcilicet, frigiditatem. Ergo ſubſtantia aquæ nequit non eſſe virtus ſtricte & immediatè activa. *Secundò* ſuadetur eadem ſequela. Id enim, in quo permanet virtualiter præcipuum agens, debet eſſe virtus immediatè operans. Ideoque ſemen deciſum à generante, & accidentia vini conſecrati ſunt virtus immediatè operans ſubſtantiam, quoniam in ijs manet virtualiter præcipuum ac ſubſtantiale agens, vt ſuperiùs contra Scotum cæteri ferè omnes ſtatuebamus. Atqui etiam agens præcipuum, iuxta prædictos Authores, dicitur permanere virtualiter in ipſa ſubſtantia aquæ in ordine ad producendam frigiditatem. Ergo ipſa ſubſtantia aquæ eſt virtus immediatè operans. *Tertiò.* Quoties vnus actus voluntatis permanet virtualiter in alio ad cauſandum aliquem effectum; hic non efficitur immediatè a priori actu, vtpote iam non manente in ſeipſo; ſed a poſteriore, qui ſolus in ſeipſo exiſtit: lumine enim naturæ conſtat id, quod immediatè non exiſtit, non poſſe immediatè cauſare, vel agere. At iuxta datam ſolutionem, præcipuum agens, quod ſupponimus iam non exiſtens in ſeipſo, permanet virtualiter in ſubſtantia aquæ exiſtente immediatè, ad cauſandam frigiditatem. Ergo hæc non efficitur immediate a præcipuo agente, eiuſve virtute iam non manente, ſed ſolum ab ipſa ſubſtantia aquæ. Hæc ergo erit virtus ſtrictè & immediatè activa. quod angue & cane peius arbitrantur prædicti Authores.

41 *QVARE* Reſpondendum videtur in caſu illo aquę reducentis ſe in priſtinam frigiditatem (ex quo procedit obiectio *à num.* 35.) intervenire quidem ſtrictam actionem; non tamen ortam à ſubſtantia aquæ, neque à principali agente, quod aquam à principio produxit, & nullam reliquit virtutem inſtrumentariã ſtrictè atque immediatè activam paſsionum eiuſdem aquæ. Illa ergo actio procedit à Deo, ſimul & ab alijs cauſis ſecundis. Pro cuius intellectu moneo (quod inter reſpõdendum obiter dictũ eſt) nunquam aquã amittere ex toto frigiditatẽm, quia hæc eſt ipſius proprietas, & nulla res, ſive eſſentia, amittere poteſt proprietates naturaliter, niſi per ſui deſtructionem. Vnde quandiu aqua exiſtit, etiamſi ferveat in lebete, tendatque celeriter in corruptionem, adhuc retinet aliquem ſaltem, vel aliquos frigiditatis gradus. Quapropter vbi poſtea extrahitur ab igne ſibi contrario, frigiditas illa, quæ antea erat valde remiſſa, paulatim intenditur per actionem aliorum agentium circunſtantium, qualia ſunt terra & aer. Terra enim prope ſummum frigida eſt, & aër ex conſortio, aut vicinitate, aut vaporibus ipſius, etiam frigidus redditur. Lebes etiam, ſive ferreus, ſive cupreus, ſicut & olla, & quævis terrea vaſa, plus frigoris, quàm caloris admiſtum habent. Ideòque per omnium illorum novam actionem intenditur paulatim frigiditas aquæ, & hæc primò ex fervente fit tepida, ex tepida trãſit in abſolutè frigidam, & ſæpe ex frigidà in gelidam, idque ad exigentiam connaturalẽ ipſius aquæ. Vnde nec ſequitur operationem præcipui agentis iam tranſactam aliquid hic & nunc operari, nec ſubſtantiã ipſam aquæ eſſe ſtrictè & immediatè activam, nec qualitatem aliquam produci aut intendi ſine actuali & ſtricta actione, nec demum aquam identificare ſibi operationem aliquam; quæ ſunt abſurda illata contra ſolutionem communem, & videntur nimiùm vrgere. Plura quæ contra hanc reſponſionem obijci poſſunt, omitto, quoniam levia videntur, & facilia ſolutu.

42 *AD* Vlteriorem inſtantiam *ex eodem num.* 35. de ſubſtantia Angeli per modum ſpeciei concurrente immediatè ad cog-

cognitionem ſe ipſius, dicendum, exinde ſolùm colligi eſſe immediatè operativam in ordine intelligibili; quod non repugnat ſubſtantiæ ſpirituali creatæ in ordine ad ſui ipſius cognitionem. Inde enim ſolùm colligitur ſubſtantiam creatã ſeipſa poſſe exercere munus ſpeciei impreſſæ, quæ ex conceptu ſuo formali, etiam quatenus creata eſt, abſtrahit ab eo quòd ſecundum entitatem ſit ſubſtantia, vel accidens; & per cõſequens ab eo, vt ſpecificetur, vel non ſpecificetur ab operatione. Quare vbi fuerit ſpecies quò ad entitatem ſubſtantia, nõ ſpecificabitur ab operatione, licèt illam immediatè producat tamquam forma intelligibilis; quia ſicut in ſubſtantia ſpirituali eſt quid ſecundarium quòd ipſa exerceat rationẽ intelligibilis formæ, quamvis immediatè per ſeipſam: ita etiam ſecundariũ eſt quòd in ratione formæ intelligibilis concurrat ad intellectionem, quamvis immediatè per ſeipſam. Non ergo propterea ſpecificatur ſubſtantia Angeli ab operatione, vtpotè actu ſecundario, & conveniente ſibi penes ſecũdariam ſpeciei intelligibilis formalitatem. At verò ſi ſubſtantia in ordine entitativo eſſet ſimpliciter principium immediatum operandi; eſſet quoque potentia de genere qualitatis, ſpecificareturque ab operatione: quia in creatis principium immediatũ operandi ſimpliciter conſtituit ſecundam qualitatis ſpeciem, quæ eſt potentia, importans primariam habitudinem ad operationem, veluti ad ſuum ſpecificativum.

43 *DICES*: Ratio ſpeciei intelligibilis creatæ abſtrahit ab eo quòd in entitate ſit ſubſtantia vel accidens; ac proinde ab eo quòd ſpecificetur vel non ſpecificetur ab operatione, quamvis illam immediatè reſpiciat in genere cauſæ efficientis: Ergo & ratio potentiæ operativæ creatæ abſtrahit ab eo quòd ſit ſubſtantia, vel accidens; ac proinde ab eo quòd ſpecificetur vel nõ ſpecificetur ab operatione, quãvis illam immediatè reſpiciat in genere cauſæ efficientis. *RESP*. Negando conſequẽtiam: quia ſpecies intelligibilis creata ex ex terminis non conſtituit ſpeciẽ aliquam qualitatis, neq; inter eas annumeratur; ſed ſolùm adſcribitur ſecundæ illarum, quoties vel adquiritur per proprios actus ſubiecti cognoſcentis, vel ipſi iam præſuppoſito pro priori aliquo temporis, aut naturæ, infunditur ab agente extrinſeco, tanquam aliquid additum. quorum neutro modo ſe habet ſpecies, quà Angelus cognoſcit ſeipſum, iuxta opinionem D. Thomæ, in obiectione ſuppoſitam. At verò potentia creata proximè operativa ex terminis conſtituit ſpeciem ſecundam qualitatis; ideoque neceſſariò debet eſſe accidens. quod repugnat ſubſtantiæ.

44 *INSTABIS*: Omnis actus per ſe primo inſpectus à naturâ ratione perfectionis propriæ, exigit principium aliquod proximum ex primaria ſui ratione ordinatũ ad ipſum efficiendum, vt *ſuprà num*. 14. arguebamus. At operatio, quà Angelus cognoſcit ſeipſum, eſt actus per ſe primò inſpectus a naturâ ratione propriæ perfectionis, etiam prout in ordine intelligibili. Ergo etiam prout in ordine intelligibili exigit principium aliquod proximum per ſe ordinatum ex primaria ratione ad ipſum efficiendum. Huiuſmodi autem principium, nequit eſſe aliud, quam ſpecies impreſſa, quæ eſt vnica & tota ratio agendi intellectui, prout in ordine intelligibili, vtpotè ſe habẽti inſtar tabulæ raſæ, aut potẽtiæ paſsivæ, vt loquuntur Ariſt. & D. Thomas. Ergo ſpecies impreſſa eſt principium proximum ex primaria ſui ratione ordinatum ad cognitionem prout in eſſe intelligibili. *RESP*. omnem actum per ſe primo inſpectum à naturâ ratione perfectionis propriæ exigere principium aliquod proximum per modum potentiæ ex primariâ ſui ratione ordinatum ad ipſum efficiendum, vel recipiendum; quia potentia & actus ſibi correſpondent primario intra quolibet genus. Quà ratione cognitio, tam in ordine naturali, quàm intelligibili, exigit potentiã aliquã primariò ordinatam ad ipſum efficiendũ, quæ in Angelis eſt ſolus intellectus, omnino diſtinctus a qualibet ipſorum ſpecie intelligibili, ſive in ordine ad cognitionem ſui ipſorum, ſive aliorum à ſe. Qui licèt appelletur & ſit tabula raſa, ſeu potentia paſsiva in ordine ad ſpecies, à quibus informatur; in ordine tamẽ ad cognitionem, etiã prout intelligibilẽ, eſt potentia activa immediata, quamquam indigens conſortio ſpeciei intelligibilis, vt partialis comprincipij, & æquè immediati. Non eſt neceſſum autem, quòd cognitio exigat principium intentionale primariò ordinatum ad ipſam efficiendam; ſed abſtrahit ab eo quòd ſit primariò vel ſecundariò ordinatum, ſicut & abſtrahit ab eo quòd illud penes entitatem ſit ſubſtantia, vel qualitas.

(✝)

DISPVT. DECIMASEXTA:

DE CAVSA SECVNDA.

Vtrùm ad operationes omnes cauſæ ſecundæ concurrat immediatè cauſa prima?

Num. 1. *HÆC Controuerſia celebris fuit ante aliquot ſæcula, præſertim tempore Nominalium, Magiſtri, D. Thomæ, Aureoli, ac Durandi. Sed poſtquam ſopita erat, & penè extincta, à quibuſdam Recentioribus facta eſt rediviva, & iterum in Scholas invecta. Habet verò locum* 1. p. q. 103. & 105. & 1. 2. q. 109. & in 2. Sent. diſtinct. 1. ac diſtinct. 37. & apud Ariſtotelem lib. 2. Phyſic. cap. 3. & 4. textu 43. & 44. & lib. 8. cap. 4. 5. *& alibi ſæpè, vbi demonſtrat exiſtentiam vnius primi motoris, probatque omnem motum, ſive operationem, per ſe ab illo pendere, & non fieri ſine ipſius concurſu.*

SECTIO PRIMA.

Refertur ſententia negans, eiuſque argumenta multipliciter roborantur.

2 PRIMA Sententia negat Deum concurrere immediatè cum cauſis ſecundis ad illarum operationes. Hanc immeritò plures Authorum in præſenti Durando tribuunt, veluti primo Authori. nam licèt ipſe *in 2. diſtinct. 1. q. 5. & diſtinct. 37. q. 1.* illam tueatur, à pluribus tamen, & longè antiquioribus, aut etiam æqualibus ipſius tradita eſt. Argentina enim teſtatur illam tempore Magiſtri Sentētiarum, id eſt, circa annum Chriſti MCXL. & proinde duobus ſæculis ante ipſum Durandum, ſolemnem fuiſſe inter Doctores. Præpoſitivus, quem S. Thomas inſignem Clericum appellat, eiuſdem ſententiæ fuit, & Aureolus *in 2. diſt. 14. q. 2. art. 3.* teſtatur Varonem idem ſenſiſſe. Ochamus *Quolibet. 2. q. 1.* inquit non poſſe probari ratione naturali, Deum eſſe cauſam efficientem immediatam omnium. Ariminenſis inquit rem eſſe dubiam, licèt affirmanti ſententiæ tāquam probabiliori ſubſcribat. Denique cū iam per aliquot ſæcula omnes fere adverſus illam inveherētur, & erroris, nec ſolùm temeritatis, notà inurerent; præter Aquilam, hoc ipſo tempore Ludovicus Dola Ordinis Capuccinorum noviter illam illuſtrare conatus eſt *in diſp. Quadripartità* de hac re, vbi eam mordicus defendit, & ab obiectionibus contrarijs, cenſuriſque Doctorum vindicare conatur quò ad actus liberos ordinis naturalis à creaturà elicitos; licèt quò ad neceſſarios, & ad omnia alia entia naturalia ſtatuat concurſum Dei immediatum. At nulla facta diſtinctione inter effectus operationeſque liberas & neceſſarias, modo intra naturæ ordinem ſint, & omnino ad mentē Durandi atque Aureoli, recenter eandem opinionem tuetur Lalemandet *diſp. 4. Phyſicæ, part. 4. in deciſione*, negans concurſum Dei immediatum cum creaturà. Catholicè autem illum fatetur circa ſupernaturales actus, cùm id in Concilijs Arauſicano, Millevitano, alijſque pluribus, ac tandem in Tridentino *ſeſſ. 6.* definitum ſit. A Durando non longè it Arriaga *diſput. 10. Phyſicæ ſect. 1. ſubſectione 2.*

3 *PROBATVR I.* Quia nullum eſt inconveniens in eo, quòd cauſæ ſecundæ operentur abſque immediato cōcurſu Dei. Ergo citra neceſſitatem ſtatuitur talis concurſus. Probatur antecedens: Tum ex D. Auguſtino *7. de Trinitate* aſſerente, Deum ita adminiſtrare res, quas condidit, vt eas proprios motus agere ſinat. Non ſineret autem eas agere proprios motus, ſi vltra virtutem activam egerent concurſu immediato Dei, ipſiúſque ſuperaddito. Tum etiam, quia nulla implicātia eſt in eo quòd Deus tribuat cauſis ſecundis virtutem operandi abſque ipſius cōcurſu immediato; ſed id apparet abſolutè poſſibile. Ergo exiſtimandum eſt ita contingere de facto. Quāvis enim à potentia ad actum non valeat conſequentia ex terminis, tamen in præſenti materià valet. Etenim ſtatutà poſſibilitate, vt cauſæ ſecundæ operentur abſq; concurſu immediato Dei, magis reſplendebit eius Omnipotentia in eo, quòd talem potentiam & virtutem liberaliter communicaverit cauſis ſecundis, quàm ſi illam negaverit. At omne id, in quo magis reſplen-

det liberalitas & Omnipotentia Dei, ſi ſeſus eſt ... poſsibile, concedendum eſt de facto. Ergo quod cauſæ ſecundæ operentur abſque concurſu immediato Dei, ſi ſemel eſt poſsibile concedendum eſt de facto.

4 *RESPONDEBIS* Huic ſecundæ probationi ex doctrina quorundam Recentiorum, a quibus non longè eunt Hurtadus *disp.*10.*à ỹ.*23 & Arriaga *disp. item* 10.*n.*32 nullum eſſe inconveniens in eo quod Deus abſolutè poſsit communicare cauſis ſecundis virtutem operandi abſque ipſius immediato concurſu; licèt de facto illam non communicaverit, vt colligitur ex varijs Scripturæ, Patrumque teſtimonijs, pro ſententia oppoſita & communi allegari ſolitis.

5 *SED Contrà I.* In oppoſitum enim vrget ratio prælacta: Quia omne quod eſt abſolutè poſsibile, ſi cedit in maiorem Dei gloriam, & manifeſtationem ſuæ liberalitatis, atque Omnipotentiæ, putandum eſt de facto ab ipſo ſtatutum; & ſi quæ Scripturæ, aut Patrum teſtimonia oppoſitum indicare videntur, explicari debent in ſenſu minimè contradicente eiuſmodi excellentiæ Dei: qui ſeipſum ſummo amore proſequitur, & nihil omittit eorum, quæ in maiorē ipſius gloriam conferunt. Si ergo abſolutè poſsibile eſt, cauſis ſecundis communicari a Deo virtutem operandi integram, plenā; & independentē ab ipſius immediato concurſu; nulla eſt ratio, nullaque authoritas, quæ perſuadeat ita non contigiſſe de facto. *CONTRA II.* Semel enim poſito eiuſmodi communicationem eſſe abſolutè poſsibilem, nulla ſupererit ratio ad probandum non contingere ita ſecundùm præſentem providentiam. Neque enim id probari poterit ex Omnipotentia Dei, neque ex dependentia omnis entitatis creatæ ab ipſo: quæ ſunt potiſsima duo fulcra rationum, quibus innititur oppoſita & communis ſententia. Non quidem ex Omnipotentia Dei: Quia Deus in quacumque hypotheſi abſolute poſsibili cogitandus eſt omnipotens plene ac perfectè; cum hanc ſummam, neceſſariamque perfectionem amittere, vel exuere nequeat. Non etiam ex parte depēdentiæ cuiuſlibet entitatis creatæ ab ipſo; quæ ſicut in omni eventu, & ſuppoſitione abſolutè poſsibili, ſtatuenda eſt ens per participationem; ita etiam ſummè dependens à Deo tam in eſſe, quam in operari. Ergo ex neutro capite, ſive Omnipotentiæ Dei, ſive dependentiæ creaturarum probari poterit efficaciter, Deum concurrere de facto, atque immediatè, ad omnes operationes cauſæ ſecundæ. *CONTRA III.* Vel cauſæ ſecundæ, quibus delegaret Deus vices ſuas ad operandum in ſolidum, & abſque concurſu ipſius immediato, haberent id ex propria natura, aut ex aliquo dono ſuperaddito? Si primum? Ergo modo de facto, cauſæ ſecundæ in rerum natura exiſtētes, eadem virtute pollent: neque enim ignis nunc exiſtens, & homo, & equus, & ſic de reliquis, diverſæ naturæ ſunt quoad omnia intrinſeca & neceſſaria, ac ignis & homo & equus poſsibiles. Si ſecundum? Videtur implicatio in adiecto. Repugnat enim Deum ratione alicuius doni collati ſubtrahere proprium concurſum ad operationes eiuſdem doni: quia quanto donum maius eſt, tanto magis coniungit creaturā Deo, vt vltimo fini & primæ cauſæ, ac proinde tanto magis dependentem reddit ab ipſius influxu & operatione. Ergo repugnat Deum ratione doni ſuperadditi ſubtrahere concurſum immediatum, quem habet cum cauſis ſecundis. Aut igitur aſſerendum eſt Deum non exhibere de facto talem concurſum, aut negandum eſſe poſsibile. Sed de hoc ipſo vberior ſermo redibit progreſſu controverſiæ: vbi contra prædictos Recentiores multis oſtendam repugnare delegationem Omnipotentiæ divinæ, vt cauſa ſecunda, ſive exiſtens, ſive poſsibilis, abſque illius influxu immediato operetur.

6 *PROBATVR II.* Si Deus concurreret immediatè cum operatione cauſæ ſecundæ productiva omnium effectuum, aut præſtaret ipſis eſſe totaliter, aut partialiter. Primum eſt falſum: Quia ſic cauſæ ſecundæ nihil efficerēt, vt exiſtimabant Sarraceni, quos eam ob cauſam irridet Commentator 12.*Metaph.* Si autem dicatur ſecundum; aliqua pars effectus producetur à cauſa ſecunda, in quam non influat immediatè Deus. Inde enim vero ſequuntur æqualia abſurda, ac ex ſententiā Durandi, ſi quæquam ex hac ab Authoribus oppoſitis iure ac merito colliguntur. Illa enim pars effectus etiam eſt ens per participationem, idque eſſentialiter. Ergo æqualiter pendere debet a Deo in eſſe & fieri, ac totus effectus. Ergo ſi abſurdum eſt, totum effectum in fieri, evadere immediatè independentē a Deo; quia totus effectus eſſentialiter eſt ens per participationem; etiam abſurdum erit, partem effectus non procedere immediatè a concurſu Dei.

7 *RESPONDEBIS.* Deum concurrere ſimul cum cauſa ſecundā veluti cauſam

to-

totalem diverſi ordinis, & ſub diverſa ratione formali ab ea ſub quà cauſa ſecunda operatur. Vnde totus effectus procedit a Deo, & a cauſa ſecundâ ſimul. a Deo quidem ſub ratione vniverſaliſsima entis; à cœlo autem ſub ratione corporis; à cauſa particulari autem ſ. ſub ratione ſpecifica. Vnde nihil in effectu eſt, quod ſubterfugiat immediatam cauſalitatem & dependentiam a Deo, ſed totus ille immediate à primà causà dependet, quanquam non ſub omni ratione formali. Et retorqueri poteſt obiectio in Durandum, & cæteros Adverſarios, veluti nimium probans. Si quidquam enim probat, evincit ſanè, etiam reſpectu actuum ſupernaturalium Deum non exhibere immediatum concurſum. quod tamen eſt contra Concilia allegata. Aſſumptum ſuadetur, inſtituendo idem argumentum. Vel enim Deus in ſupernaturales actus concurrit totaliter, vel partialiter cum cauſa ſecunda. Si totaliter, nihil relinquet efficiendum a cauſa ſecundà in ſupernaturali actu; atque adeo homo, & liberum arbitrium in actibus ſalutaribus mere paſsivè ſe habebit. quod anathemate confixum eſt loco illo Tridentini. Si partialiter; aliqua pars effectus intrinſecè ſupernaturalis procedet ſolū a cauſa ſecunda. quod æqualis abſurdi eſt; cùm in illa parte effectus aſsignari debeat eſſentialis & immediata dependentia à Deo vt Authore gratiæ.

8 *SED Contrà.* inſtari poteſt: Nam quando dicitur, totum effectum præſtari à Deo immediatè ſub ratione vniverſaliſsimà, & a cœlo ſub alià minus vniverſali, & à cauſa particulari ſub ratione ſpecifica; nō vitatur difficultas argumenti. Etenim ratio ſub quà corporis v.g. & hominis, eſſentialiter eſt ens per participationē; & nulla in ijs formalitas, aut expreſsio eſt, quæ rationem entis per participationem exſtat obiectivè aut formaliter. Ergo adhuc ſub ratione corporis, & hominis, debet homo immediatè procedere a Deo, ſi ſemel opinio cōtraria aliquid probet de omni ente creato ſub ratione tali. At poſito Deum producere hominem ſub ratione entis, corporis, & hominis, nullus ſupereſt locus, vt idem homo ſub aliquà ratione formali producatur ab alio homine; idemque eſt in alijs quibuslibet, vt conſideranti patebit. Aut ergo dicendum eſt Deum ſibi vendicare totam cauſalitatem effectuum, nihil operantibus cauſis ſecundis, quod eſt error Saracenorum, in Philoſophia multis; aut negandum concurrere Deum immediatè ad effecta ipſarum. *CONTRA II.* Inſtari poteſt. Dum enim aſſeritur Deum concurrere ad totum effectum creaturæ ſub diverſa ratione formali; aut ſermo eſt de actione Dei eàdem cum actione creaturæ, aut de diverſa. At vtrumque abſurdum eſt. Ergo. Probatur minor quoad primam partem: Quia nequit eadem numero actio procedere à duobus agentibus totalibus, qualia eſſent Deus & creaturæ: idemque eſt ex parte effectus, qui ab ijs ſimul procedere nequit. Deinde quia eadem indiviſibilis generatio hominis v.g. nequit eſſe actio niſi ſolius generantis. At Deus nequit habere rationem generantis reſpectu hominis, cū non ſit ſimilis in naturà ſpecificà homini. Ergo nequit Deus cum cauſa ſecunda concurrere eàdem actione. Sed neque diverſa, quæ eſt altera minoris pars: Nam poſita ex parte hominis generatione in alterum hominem terminatà, ſuperfluit omnis actio diſtincta, & Dei propria. per illam enim procedit vnus homo ab alio, vt à principio vivente ſimili in natura: quod ſolùm ad veram generationem requiritur. idemque eſt de calefactione reſpectu caloris; idem de combuſtione relatè ad ignem; idem denique de omnibus operationibus in ſpecie conſideratis. Ergo de primo ad vltimum Deus non concurrit immediatè cum cauſa ſecunda ad ipſius operationes, effectuſque nec eàdem, nec diverſa actione.

9 *PROBATVR III.* Si aliqua ratione omnis operatio cauſæ ſecundæ deberet immediate procedere a Deo, maxime quia eſt ens per participationem, ſive ab alio. Sed ſtat optimè eſſe ens per participationem, ſive ab alio, quin procedat immediatè à Deo. Ergo deficit præcipua ratio, quà probatur omnem operationem cauſæ ſecundæ procedere immediatè à Deo. Probatur minor multipliciter. *Primò* à pari cauſalitatis materialis & formalis, quæ ſunt entitates per participationem, & ab alio; quin propterea immediatè procedant à Deo. non enim Deus capax eſt recipiendi aut informandi. Ergo ſtat optimè aliquid eſſe ens per participationem, ſeu ab alio, & tamen non procedere immediatè à Deo. *DICES*, illam ipſam receptionem & informationem procedere immediatè à Deo, non tanquam recipiente, vel informante, ſed tamquam à primo efficiente. *SED Contrà.* Vt enim informatio illa & receptio procedat immediatè à Deo, tamquam ab efficiente, debet aſsignari actio Dei immediatè terminata ad talem informationem & receptionem.

non

non enim aſsignari poteſt actio aliqua Dei, ſaltem habens rationem concurſus ſimultanei, quæ non ſit realiter identificata cum actione cauſæ ſecundæ. Contingit autem nullà exiſtente actione cauſæ ſecundæ perſiſtere in rerum natura informationem & receptionem, vt in facto eſſe compoſiti, vbi nulla iam cauſæ ſecundæ, ſeu producẽtis actio eſt. Ergo non eſt aſsignabilis actio Dei immediatè terminata ad receptionem & informationem in facto eſſe. *Secundò* probatur eadem minor principalis. Per hoc præcisè quòd aliquid ſit mediatè a Deo, repugnat ipſi eſſe primam cauſam, quia prima cauſa nequit eſſe ab alio mediatè. Ergo ſtat optimè aliquid eſſe ens per participationem, ſive ab alio, & tamen non procedere immediatè a Deo. *Tertiò* probatur eadem minor. Stat enim optimè aliquid non procedere immediatè à Deo, & tamen pendere ab ipſo vt a propria & vera cauſa. Sed omne quod pendet a Deo vt à propria & vera cauſa, eſt ens per participationem, ſive ab alio. Ergo ſtat optimè aliquid non procedere immediatè a Deo, & tamen eſſe ens per participationem, ſive ab alio. Minor cum conſequentia eſt evidens. Maior ſuadetur: Tum, quia cauſa remota eſt vera & propria cauſa, cùm ab illà verè & propriè dependeat effectus, & nequeat primò exiſtere ſine illius influxu: Tum etiã, quia in ſententia Thomiſtarum ſubſtantia generantis eſt vera & propria cauſa reſpectu ſubſtantiæ geniti, licèt non ſit immediatè operativa illius, ſed mediatè, & remotè ſolùm. neque enim poteſt negari hominẽ verè propriéq; eſſe cauſam alteri⁹ hominis ab ipſo geniti; equum alterius equi, &c. *Quartò* probatur eadem minor, dato per impoſsibile circulo cauſarum omnium invicem ac mediatè ſe producentiũ, abſque interventu alicuius primæ cauſæ. In eà namque hypotheſi quælibet res exiſtens eſſet ens per participationem ſive ab alio, non minùs quam modò; ſiquidem nulla res exiſteret, quæ non participaret ſuum eſſe ab alià. Et tamen nulla res in eà hypotheſi procederet immediatè à *Deo*. Ergo ſtat optimè aliquid eſſe ens per participationẽ, quin inde colligatur debere procedere immediatè à Deo.

10 *PROBATVR IV.* & præcipuè. Plures enim ſunt operationes cauſarum ſecundarum, quæ non poſſunt immediatè procedere à *Deo*. Ergo ſaltem reſpectu illarum non concurrit *Deus* immediatè cum cauſa ſecunda. Probatur aſſumptum dupliciter. *Primò* in operationibus vitalibus cauſæ ſecundæ, quæ eſſentialiter exigunt oriri à principio intrinſeco ſe movente. Ergo nequeunt immediatè procedere à *Deo*: quia *Deus* nequit eſſe principium intrinſecum alicuius operationis creatæ, ſed purè extrinſecum; nec ſe movere per illam, cùm ſit primum movens omnino immobile. *DICES*, actionem vitalem ſolùm reſpicere principium immanenter elicitivum ſui, tanquam intrinſecum & ſe movens per illam; Deum autem vt principium extrinſecum, & non ſe movens, ſed immotum. Quemadmodum enim eadem actio vitalis indiviſibiliter procedit a potentià, vt principio intrinſeco ſe movente, & à ſpecie impreſsà, vt principio extrinſeco & activo, gerente vices obiecti; ſic etiam eadem indiviſibilis actio vitalis poteſt procedere à cauſa ſecunda vt principio intrinſeco ſe movente, & ſimul à cauſa prima, vt a principio extrinſeco, & immediatè activo. Idq; manifeſtè inſtatur in actibus vitæ ſupernaturalis, quos nemo ex Catholicis dubitat procedere immediatè à Deo; cùm tamen exploratum ſit illos à potentia ſolà provenire vt à principio intrinſeco ſe movente, à Deo autem vt à principio extrinſeco tantùm. *SED Contrà* argui poteſt. Quidquid enim ſit de doctrina inſtantiæ in actibus ſupernaturalibus; loquendo de actibus vitæ naturalis, videtur eſſe apertè repugnantia in eo quod procedant ab aliquo agente extrinſeco. Implicat enim contradictionem, aliquid habere prædicatum oppoſitum ſuo conſtitutivo eſſentiali, vt ex terminis notum eſt. Sed provenire à principio extrinſeco eſt aliquid oppoſitum huic prædicato eſſentiali actus vitæ, quod eſt provenire à principio intrinſeco: nam intrinſecum & extrinſecum ex terminis opponuntur. Ergo repugnat actum vitæ provenire à principio extrinſeco. *Confirmatur I.* hæc impugnatio. Repugnat actum vitę procedere, niſi ab eo principio, quod denominat vivẽs; cùm hic ſit effectus formalis & eſſentialis actus vitæ. Sed ſolum principium intrinſecum denominatur vivens ab actu vitæ, nõ autem extrinſecum, alioqui Deus viveret per actum creaturæ in ſententia oppoſità. Ergo repugnat actum vitę procedere a principio extrinſeco. *Confirmatur II.* Repugnat eundem actum vitæ eſſe naturalem & ſupernaturalem, ſcientiæ & erroris, viſionis & cognitionis obſcuræ; eo quòd prædicata hæc oppoſitionem eſſentialem involvunt. Atqui non minorem involvit, provenire ſimul à principio intrinſeco & extrinſeco, cùm vnum afferat ex terminis excluſionẽ al-

alterius. Ergo repugnat actum vitæ provenientem a cauſa ſecunda vt ab intrinſeco principio, provenire immediatè à Deo vt à principio extrinſeco. *Secundò* probatur aſſumptum præcipuum in actu voluntario, qui in quantùm voluntarius eſt, exigit oriri à principio intrinſeco, cum cognitione finis: ac proinde nequit à Deo vt principio extrinſeco immediatè procedere. *Tertiò* in actu libero, qui ſub ratione talis debet procedere ſolùm à principio ſe determinante prohibito in vtramvis partem; ac proinde excludente omnem determinationem agentis extrinſeci. In hoc enim differt cauſa neceſſaria a libera, quòd illa determinetur ab agente, tam quo ad ſpeciem, quàm quò ad individuationem operationis; libera autem determinet ſeipſam pro arbitrio. Non determinaret autem ſeipſam pro ratione arbitrij, ſi vltra virtutem agendi, quâ intrinſecè prædita eſt, egeret concurſu immediato Dei.

11 *CONFIRMATVR* Argumentum difficili illâ obiectione Durandi, quæ tandiu doctorum hominum ingenia in varias ſolutiones diviſit. Lumine enim naturalis Theologiæ cuilibet innoteſcit, Deû eſſe inſontem, ſeu expertem culuſcumque culpæ, aut defectus moralis. neque enim in id probandum opus eſt ad ſacra confugere, aut evolvere Scripturæ oracula, vel Pattum aut Conciliorum decreta. quamvis eò pervenerit Calviniſtarum & Lutheranorum ſtupiditas, oppoſitum effutientium, vt opus fuerit turpiſsimum vtrorumque errorem apertè in Tridentino proſcribere. Quare independenter à principijs Theologiæ ſacræ ac revelatæ, quam miſſam facimus in præſenti, colligit Durandus, Deum non exhibere concurſum immediatum in actum pravum, præſertim ab intrinſeco malum, vt in odium ipſius Dei; quia ſic eſſet cauſa peccati. Sequelam probat. Implicat enim Deum eſſe cauſam immediatam alicuius entitatis, quin ſimul cauſa immediata ſit omnium illorum, quæ cum tali entitate identificantur, aut intrinſecè connectuntur. Sed entitas odij Dei, aut identificatur cum malitiâ peccati, aut ſaltem intrinſecè cum eà connectitur. Ergo implicat Deum eſſe cauſam immediatam entitatis odij Dei, quin etiam ſit cauſa immediata malitiæ illius, ac proinde cauſa peccati.

(?)

SECTIO SECVNDA.

Eligitur ſententia affirmans, & ſuadetur efficaciter, tum ex S. Scripturâ, tum ſingulari argumento ex PP. tum ex Philoſopho, tum & ratione à priori ex Dionyſio. Vbi variæ evaſiones, & modi dicendi Adverſariorum multipliciter refutantur.

12 DICENDVM EST, Deum immediatè concurrere ad omnes operationes cauſæ ſecundæ, & effecta ipſarum. In hac aſſertione conveniunt omnes Philoſophi ac Theologi exceptis ſuprà relatis pro ſententia adverſa: quam aliqui vt erroneam in fide notant; alij vt proximam errori; alij denique vt temerariam, & improbabilem. Quidquid verò ſit de cenſurâ ipſius, aſſertio noſtra,

13 *PROBATVR I.* Varijs Scripturæ teſtimonijs, quibus indicitur concurſus immediatus Dei ad omnia opera & effectus cauſarum ſecundarum. Pauca è multis ſeligam. Pſalm. 145. *Qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.* Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* Ioan. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Actuum Apoſt. 4. *Tu Domine qui feciſti cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt.* Sunt & pleraque alia paſsim, quibus & generatim, & in ſpecie, atque individuo, Deus dicitur producere, cauſare, & facere omnia quæ ſunt: idque de concurſu immediato debere intelligi, non autem de mediato ſolùm, ſatis apertè videntur docere quamplurimi ex Theologis Veteribus, atque Eccleſiæ Patribus, quos ad longum refert, & expendit præ alijs noviter Theophilus Raynaudus *in Examine nova Theologiæ* contra Sequanum Theologum, id eſt, contra Ludovicum Dolam ſuprà allegatum. Vbi & congerit plurima loca Philoſophorum Gentilium, variaque ad eruditionem ſpectantia, quæ tamen omnia prætermittere in præſenti viſum, ne cenſeamur Philoſophiæ Scholaſticæ, ac ſeverioris, metas excedere. Scio Adverſarios prædicta Scripturæ teſtimonia, pluraque alia prævidiſſe, eaque multipliciter explicare conatos; & quoſdam quidem de omni operatione cauſarum ſecundarum, modo intra naturæ ordinem ſit; alios verò ſolùm de operationibus neceſſarijs, vt prædictum Dolam. Vtrique autem refelluntur: Quia minùs propriè, & ſolùm largo quodam explicatu Scripturæ teſtimonia exponunt. Cauſalitas enim, quæ tantùm remota eſt, & qua dicitur cauſam cauſæ eſſe

cauſam cauſati, eſt minùs propria. At Scripturæ teſtimonia intelligi debent de cauſalitate Dei omnino propria, neque vllum eſt fundamentum cur de ea non intelligantur. Ergo cauſalitas Dei in omnes operationes & effecta creata, non eſt remota, ſed proxima. *Præterea:* Verba illa Ioann. 5. *Pater meus vſque modò operatur, & ego operor*, & Act. 17. *In ipſo enim viuimus, movemur, & ſumus;* ſatis apertè indicant, non ſolùm à principio conditionis Vniuerſi Deum præſtitiſſe cauſis ſecundis virtutem activam; ſed etiam actu cum ipſis operari, quoties illæ operantur, vivunt, & moventur. Ergo non ſufficit concurſus remotus, quem ſententia oppoſita aſsignat, ad explicanda Scripturæ teſtimonia.

14 *ADDENDVM* Speciatim dictæ probationi, quòd Sancti Patres tum in Concilio Nicæno, tũ & alias ſæpe, multipliciter argumentati ſunt, non modo cõtra errorem Platonis, aliorumque Gentilium, ſed etiam contra Arium, vt oſtenderent, non iuſſu tantùm Dei, ſed manu etiã, id eſt, efficientia, productas eſſe res omnes quantumvis exiguas, & nullius ferè pretij. Arius enim Filium ſolum *ἀμέσως*, ſcilicet, nullo interpoſito medio aiebat procreatũ à Patre; creaturas vero cœteras, iuſſu Patris à Filio factas fuiſſe. Quem errorem plures Patrum, & maximè Cyrillus, ex relatis Scripturæ teſtimonijs, alijſve ſimilibus reijciunt, quibus aſſeritur Deũ omnia creaſſe, & de ſingulis providentiam habere. Atque inter alia inquit *lib. 15. Theſauri, pagin. mihi 150.* ἀλλ' ὅτοι τύφον οὐκ εἰδότες προσάπτουσι τῷ θεῷ, λέγοντες αὐτὸν οὐκ ἀξιοῦν τῶν ἐλαχίστων εἶναι ποιητὴν, &c. *At iſti impudenter, arrogantiam adſcribunt Deo, dicentes ipſum dedignari minimorum eſſe factorẽ. Si ergo creator eſt omnium, & ad minima vſque pertingit propter benignitatem, & ab omnibus capitur; inanis eſt hæreticorum ſpecies aientium, propter minores creaturas productum eſſe Filium.* Vbi reijcit planè exiſtimationẽ illam Arij, tribuentis Deo ſolùm mediatam creaturarum productionem, ac probat exinde nullum fore diſcrimen inter Filium & res cœteras, ſi Filius ſemel creatura aſſeratur, vti aſſerebatur ab Ario. Id quippe commune eſſe omni creaturæ, vt *ἀμέσως*, ſive, abſque interpoſito medio, à Creatore procedat, ſicut & ab ipſius Providentia immediatè gubernatur. Idemque repetit *lib. 31. eiuſdem Theſauri:* ac libro ſecundo contra Iulianum reijcit eundẽ errorem, quo aſſerebatur rerum caducarum ac fluentium non eſſe immediatã Providentiam cauſalitatemque, *quaſi illas, velut ludicrum quiddã dijs alicuis fabricandas mandaverit.* Hinc autẽ efficaciter, niſi fallor, inſtauratur argumentũ præiactum in ſententiã oppoſitam. Quia enim ex teſtimonijs Scripturæ conſtat Deum feciſſe omnia quæ ſunt, & omnium itidẽ curam habere, SS. Patres colligunt adverſus Arium, nullũ fore diſcrimẽ inter Verbum & res cœteras quò ad ſui productionẽ immediatam, ſi ſemel Verbum creatura aſſeratur: quia & omnis alia creatura immediatè a Deo eſt. Supponunt igitur Deũ habere immediatum concurſum in omnem creaturam, alioqui prædictum argumentum nullius eſſet roboris contra Arium, ſtatuente illo immediatam Dei productione in Verbum, mediatam vero in quæcũque alia; ac proindè aſsignãte ſufficiẽs diſcrimẽ.

15 *CONFIRMATVR I.* teſtimonio S. Auguſtini *tom. 3. lib. 5. de Geneſi ad litteram cap. 20.* vbi prædicta verba ex Evangelio Ioannis expendit cõtra illos, qui aiebant, Deum quidem ab initio condidiſſe creaturas, eiſque permiſiſſe generationes, ceſſante iam omni cõcurſu immediato ipſius: qui planè eſt ipſiſsimus ſenſus adverſæ opinionis. Sic vero Magnus Auguſtinus in eum dicendi modum invehitur: *Cõtra quos profertur illa ſententia Domini: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Deinde, quia non ſolùm magna & præcipua, verùm etiam iſta terrena & infima ipſe operatur, vt dicit Apoſtolus. Et Sapientiæ 12. Quomodo poteſt aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quomodo quod à te vocatũ non eſſet, conſervaretur?* Vides Auguſtinum reijcientem in terminis proprijs, vt aiunt, opinionẽ adverſã.

VNDE Corruit evaſio, qua P. Arriaga *diſp. 10. Phyſicæ ſect. 1. ſubſect. 2. num. 8.* facilè ſolvi putat præcipuum argumentum, aſſerendo, ſufficere dependentiam creaturarum à permiſsione Dei, vt operentur abſque vllo eius influxu immediato; ſicuti, vt dicatur ignis pendere ab approximatione, ſufficit illam eſſe cõditionem neceſſariam ad comburendum, quamquam in combuſtionem nõ influat immediatè. Corruit, inquam, & facilè præcluditur evaſio hæc; tum, argumento deſumpto ex Patribus adverſus Arium; tum & teſtimonio Auguſtini, impugnãtis ex verbis relatis Chriſti, docentes, Deũ permiſiſſe cauſis ſecũdis operationes, nec præſtare concurſum aliquem immediatum; quaſi modus dicendi ipſorũ contrarius ſit verbis Chriſti. Nam reverà idem eſt quod Arriaga reſpondet, & quod aſſerebant ij, quos Auguſtinus impugnat. Sed de hoc poſtea.

16 *PROBATVR II.* ex Ariſtotele ſtatuente concurſum Dei proprium, ac proinde immediatum, in omnes operationes & effecta creata. Nam hoc *lib. 2. Phyſic. cap. 3. textu 38* inquit: δεῖ δ' ἀεὶ τὸ αἴτιον ἑκάστου τὸ ἀκρότατον ζητεῖν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. *Oportet autem ſemper cauſam quærere ſummam, quemadmodum & in cæteris.* Et *cap. 4.* immediatè ſequenti *textu 43. & 44.* miratur quod aliqui omnium cauſam in caſum referant, atque pulcherrimum hunc Vniverſi ordinem caſui tribuant: quaſi proximum & in aperto non ſit, totum id ab vna & ſumma omnium cauſa deſcendere. Et *lib. 7. cap. 1.* circa medium, cum ſtabiliſſet, omne quod movetur ab alio moveri; ex abſurdo proceſſus in infinitum colligit, exiſtere vnum aliquem primum motorem rerum omnibus, illis verbis: οὐ γὰρ εἰς ἄπειρον πρόεισιν, ἀλλὰ στήσεταί που καὶ ἔσται τι ὃ πρῶτον αἴτιον ἔσται τοῦ κινεῖσθαι. *At enim in infinitum hoc proficiſcitur: ſed ſtabit tandem alicubi; atque erit quidpiam quod primò cauſa erit, vt omnia moveantur.* Idemque ſæpe eodem libro, atque octavo ſequenti repetit. Indidem verò manifeſtè colligitur Deum, ſive primam cauſam, ex mente Ariſtotelis, exhibere immediatum concurſum in omnem operationem & effectum cauſæ ſecundæ. Si enim ſolum mediatè concurreret, quatenus virtutem agendi ab æterno contulit in ſententia Philoſophi, quæ virtus poſtea exierit in operationes & effecta varia, ſibi invicem ſuccedentia; non vitaretur proceſſus in infinitum, quem Ariſtoteles pro abſurdo reputat, & colligit ex carentia primæ cauſæ. Vtcumque enim illa exiſtat, & ab æterno virtutem cauſis ſecundis dederit, quibus ſe moveant & operentur; ſi tamen immediatè non concurrit ad illarum operationes ac motus, in qualibet operatione ac motu dabitur proceſſus in infinitum. non enim devenietur immediatè ad vnam primam cauſam motricem & productricem omnium, nec mediatè quidem, niſi ſolum poſt infinitas circulationes, & ſucceſſiones cauſarum. Poſito autem concurſu immediato Dei, tollitur de medio proceſſus in infinitum in cauſis ſubordinatis, & ſtatim deprehenditur vna omnium cauſa ſimpliciter prima, a qua incipiat omnis operatio & motus. Ex quibus non ſolum habemus authoritatem Philoſophi pro vera & communi ſententia, ſed etiam invictum argumentum ex ratione: quod tamen à nullo obſervatum deprehendimus.

17 *CONFIRMATVR* Ratio Philoſophi. Poſito enim iuxta ipſius mentem, quod ſeries generationum fuiſſet ab æterno, nulla eſſet implicantia in opinione Durandi per hoc, quod Deus ab æterno producens aliquem hominem v. g. cæterorum parentem, abſtinuiſſet de cætero ab omni operatione immediata. Eadem namque ratio eſt de vnica operatione & effectu cauſæ ſecundæ, ac de omnibus per durationem æternam à parte antè. Ergo tunc daretur proceſſus in infinitum per ordinem ad omnes cauſas priores & priores; neque haberet intellectus aliquam primam & immediatam generationis hodiernæ, in qua demum quieſceret. nam licèt agnoſceret hominem vnum vt genitorem immediatum alterius hominis, non tamen vt cauſam primam. Ergo vt hanc deprehenderet, oporteret in infinitum procedere, & retrogredi in ſeriem infinitam præcedentium generationum: quæ cùm innumerabiles ſint, & impervia biles ab intellectu creato, nequaquam manuducere ipſum poſſent in notitiã vnius primæ cauſæ.

18 *DICES*, idem inconveniens colligi in opinione Ariſtotelis ponentis ſeriem generationum ab æterno. Sive enim Deus concurrat immediatè cum cauſis ſecundis, ſive non, adhuc intellectus procedet in infinitum ad quærendum primũ generans intra ſpeciem humanam v. g. nec habebit aliquod primum generans in quo tandem quieſcat, ſed ſemper opus erit magis ac magis regredi per totam æternitatem a parte antè. Ergo non minus dabitur proceſſus in infinitum iuxta ſententiam Ariſtotelis, quàm iuxta opinionem Durandi. *SED Contrà.* Quidquid enim ſit de poſſibilitate, aut impoſſibilitate ſeriei æternæ generationum ſtatutæ à Philoſopho, nullum abſurdum eſt dari proceſſum in infinitum in cauſis non ſubordinatis per ſe, quales ſunt, parens, avus, abavus, atavus, tritavus, &c. quia prædictæ cauſæ per ſe non requiruntur, neque debent confluere ad productionem effectus. Poteſt enim quis abſolutè exiſtere & operari, quãvis neque exiſtat, neque operetur, imò quamvis neque extiterit vnquam ipſius parens, aut avus, aut proavus: quia potuit immediatè produci a Deo, ac proinde exiſtere & operari independenter ab ijs progenitoribus, quos de facto habuit. Manifeſtum eſt ergo hac ex parte nõ requiri confluxũ infinitarum cauſarum, ac proinde ex proceſſu in infinitum nihil abſurdi inferri in cauſis ſubordinatis per accidens, quales poſuit Philoſophus,

ſophus, ſtatuens ſeriem generationum ab æterno. At verò in cauſis per ſe ſubordinatis, quales ſunt ſecunda & prima, repugnat proceſſus in infinitum, vt demoſtrat idem Philoſoph. 2. *Metaph. c.* 2. quia inde tolleretur omnis cauſalitas. Nõ enim influeret prima cauſa per ſe loquendo; ſed tantùm per accidens, & media interpoſitione cauſarum plurium & plurium, non requiſitarum per ſe ad exiſtentiam effectus.

19 *PROBATVR III.* Ratione præcipua deſumpta ex S. Dionyſio *c.* 4. *de Cæleſt. Hierarchia*, initio: vbi probat omnia & ſingula, quotquot in rerum natura exiſtunt, ſingillatim ab eius virtute productiva emanare, ac per veram cauſalitatem procedere, tanquam entia per participationem à primo ente, & cauſa prima rerum omniũ. Inquit enim, inter alia: πάντα μὲν ὂν τὰ ὄντα μετέχει προνοίας ἐκ τῆς ὑπερουσίου, καὶ παναιτίου θεότητος ἐκβλυζομένης. οὐ γὰρ ἂν ἦν τι, μὴ τῆς τῶν ὄντων οὐσίας, καὶ ἀρχῆς μεταλάβοι. *Omnia quæ ſunt providẽtia fruuntur, quæ manat ex ſupereſſentiali & cauſa omnium divinitate. Nõ enim eſſent, niſi entium eſſentiæ, & principij res illæ participes forent.* Et ex D. Greg. Nazianzẽno, cognomẽto Theologo, *Orat.* 2. *de Theologia*, vbi & productionem & cõſervationem rerũ omnium ex actuali Dei influxu & operatione deducit, tanquam ex cauſalitate, ſine quâ nec primò eſſent, nec vnquam in rerum natura perſiſterent. Ait enim: πῶς ἂν συνέστη ταῦτα αὐτῇ, &c. *Quomodo ergo vniverſa hæc rerum moles vel producta vnquam eſſet, vel cõſiſteret, niſi Deus hæc omnia in rerum natura protuliſſet, atque conſervaret.* Ex his duobus Dionyſij ac Nazianzeni teſtimonijs, tanquã ex puriſſimis doctrinæ fontibus, elicio illam ipſam rationẽ quæ communiter ab alijs ſolet afferri, eamque pluribus obſervationibus illuſtrare pergo. Omne quod in rerum natura exiſtit, dependet immediatè in ſuo eſſe & operari ab influxu & operatione primæ cauſæ. Sed tã cauſa ſecunda, quàm eius operatio & effectus, in rerum natura exiſtunt. Ergo tam cauſa ſecunda, quàm eius operatio, & effectus, pendent immediatè ab influxu & operatione primæ cauſæ. Conſequentia eſt in modo & figura perfecta; ac minor ex terminis nota. Maior, quæ ſola ab Adverſarijs negatur, à priori ſuadetur ſic. Omne quod in rerum natura exiſtit, eſt ens per participationem à prima cauſa: in hoc enim conſiſtit eius eſſentia. Sed omne ens per participationem à prima cauſa, dependet immediatè ab illa in eſſe & operari. Ergo omne quod in rerum natura exiſtit, dependet immediatè in ſuo eſſe & operari ab influxu & operatione primæ cauſæ. Vrgetur ampliùs. Omne quod in rerum natura exiſtit, immediatè & per ſuã entitatem, eſt ens per participationem; cùm hæc ſit illius eſſentia, & eſſentia cuiuſcumq; rei conveniat ipſi immediatè, & nõ mediante alio. Ergo omne quod in rerũ natura exiſtit dependet immediatè ab influxu & operatione primæ cauſæ. Patet conſequentia: Quia nullus effectus poteſt dependere immediatè ab aliqua cauſa efficiẽte, qualis eſt Deus, niſi per influxũ, & ipſius operationem immediatã.

20 *RESPONDEBIS I.* Vt omnis creatura ſit ens per participationẽ, dependeatque eſſentialiter à prima cauſa, ſufficere dependẽtiã remotam, ſeu mediatam, mediãte, ſeu interiacente alia cauſa ſecũda, quæ immediatè à prima cauſa proceſſerit. Quæ doctrina & ſolutio ſatis apparenter fulciri poteſt ex doctrina Thomiſtarũ aſſerentiũ ſubſtantiam non eſſe immediatè operativam, & actus vitales ab anima ſolùm mediatè procedere, ſcilicet, mediantibus potentijs; cùm tamen operatio vitalis eſſentialiter dependeat ab anima. Ergo quẽadmodum in operatione vitali cõponitur dependẽtia eſſentialis ab anima cũ influxu illius ſolùm mediato ac remoto; ſic etiã cohærere poterit ſimul, omne quod in rerum natura exiſtit, eſsẽtialiter eſſe ens per participationẽ, & tamen à Deo immediatè non procedere, ſed ſolùm remotè & mediatè.

21 *SED Contrà I.* & retorquetur inſtantia. Operatio enim vitalis eſſentialiter pendet ab anima vt à radice vitali, & à potentia, vt à virtute proxima ſe movente: atque adeò dependentia operationis vitalis ab anima vt radice, immediata eſt etiam in Thomiſtarum ſententia, quia non mediat alia radix; ſicut & dependentia illius à potentia vitali, vt virtute proxima ſe movente, immediata eſt, quia non mediat alia virtus proxima ſe movens. Ergo veriſſimum eſt, adhuc in ipſa operatione vitali, non eſſe dependentiam eſſentialem, niſi ab illo principio, à quo immediatè procedit, ſive immediatione radicis, ſive potentiæ, aut virtutis operativæ. Ergo pariter in omni eo, quod in rerum natura exiſtit, non ſalvatur eſſentialis dependentia à Deo; niſi ſit immediata; atque adeò per influxũ ipſius immediatum. *Contrà II.* Dependentia eſſentialis à Deo eorum, quæ in rerum naturâ exiſtunt, nequit ſalvari ratione alicuius prædicati accidentalis eiſdem rebus, ſed tantùm ratione prædicati eſſentialis, & imbibiti in quidditate ipſarum.

Sed dependentia mediata plerumque ſaltem eſt accidentalis rebus de facto exiſtentibus. Ergò dependentia eſſentialis rerum de facto exiſtentium a Deo, ſaltem plerumque, non eſt mediata, ſed immediata. Maior eſt evidens. Minor autem probatur. Igni enim v.g. & equo, & ligno, & innumeris rebus eiuſmodi, quid accidentale eſt, quod de facto proceſſerint ab alijs cauſis ſecundis, & mediante extrinſeco agente ſuæ ſpeciei; cùm potuerint immediate produci à Deo, vt in prima rerum creatione. Ergo dependentia mediata a Deo, plerumque ſaltem, accidentalis eſt rebus de facto exiſtentibus. Dixi *plerumque*: quia actiones vitales ad diſtinctionem aliorum effectuũ, eſſentialiter ducunt originem à cauſa ſecunda vitali; ac proinde non vrget in ijs æqualiter hæc impugnatio. *Contra III.* Ea ratione quà aliquid eſt ens per participationem dependet ab ente imparticipato, vt primà cauſa. Sed omnis creatura exiſtẽs eſt ens per participationem ſeipſa immediatè, & non mediante alio; cùm ratio entis participati immediatè imbibatur, vel in vltimis differentijs cuiuſcumque creaturæ. Ergo omnis creatura exiſtens dependet ſeipſa immediatè, & non mediante alio, ab ente imparticipato, vt prima cauſa. Sed quod immediatè pendet ab aliqua cauſa terminat cauſalitatem, ſeu influxum eius immediatum. Ergo omnis creatura exiſtẽs terminat cauſalitatem influxumvè primæ cauſæ immediatum. *Contrà IV.* Si aliqua creatura exiſtens ſolùm duceret à Deo originem remotam, & mediantibus alijs cauſis interiectis; omnia quæ de facto exiſtunt (ſaltem exceptis entibus ſpiritualib⁹, vt Angelo & anima rationali) potuiſſent abſolutè produci abſque concurſu immediato Dei, præter illum, quo in prima rerum cõditione produxit elementa & mixta, ex quibus cœtera per generationem procedunt. Eadem enim vnius creaturæ, atque omnium ratio eſt.

22. Hinc autẽ plura & gravia abſurda ſequerentur. *Primũ*: Dependentiã rerũ quã plurium de facto exiſtentium à Deo, ſolum eſſe remotiſsimã, & improprijſsimã; vtpotè ductã per interiectas generationũ ſeries viq; ad primam Vniverſi conditionẽ. Vnde quemadmodũ dependẽtia hominis hodie exiſtentis ab Adamo ſolùm eſt remotiſsima & impropriſsima eam ob cauſam; ſic etia eſſet dependentia equi, ligni, arboris, & innumerarũ rerũ hodie exiſtentiũ à Deo. *Secundam*: Eiuſmodi dependentiã non eſſe prædicatũ, per quod eſſentialiter definiri debeant creaturæ prædictæ in ratione taliũ: quia nulla res definiri debet eſſentialiter per ordinẽ ad principiũ remotiſsimũ, quale eſſet *Deus* reſpectu eiuſmodi creaturarũ hodie exiſtentiũ, ſi non concurreret cum ijs, aut influeret immediatè in ipſarũ productionẽ. *Tertium*: Plures creaturas magis dependere ab alijs, & ſtrictiùs, quam ab ipſo *Deo*: quia pluresq; creaturæ dependẽt ab alijs immediatè, & nonnullæ eſſentialiter, vt actus vitales. Ergo ſi illæ a *Deo* ſolũ mediate & remotiſsimè depẽdẽt, minor erit dependentia ab ipſo, quã ab alijs creaturis: quia facta cõparatione inter depẽdentias, immediata maior eſt ſimpliciter, quã quæ ſolùm mediata & remotiſsima eſt. *Deniq;* vt præcludatur tacita obiectio, longè alia ratio eſt in cauſa remota operãte per modũ radicis, ac eſſet in *Deo* iuxta opinionem *Durandi*. nã cauſa remota radicaliter operans, ſolum agit media virtute, ſeu potẽtia, veluti inſtrumento cõnaturali ad operationẽ: vnde hæc tribuitur per ſe loquendo, nõ ſolùm virtuti, ſed etiã ſubſtantiæ media illa operãti. At vero cauſalitas remota *Dei* iuxta opinionẽ *Durandi*, & in dicta hypotheſi, non eſſet mediante cauſa ſecunda vt potẽtia proxima, aut virtute inſtrumẽtaria primæ cauſæ; ſed mediante ipſa vt principio *quod*; & quidẽ non vno, ſed multiplici, iuxta numerũ generationũ præcedentiũ à cõditione Vniverſi. Vnde generatio hodierna equi per accidẽs ſolũ tribueretur *Deo*, quẽadmodum & primo equo tribuitur: eo ipſoque hodiernus equi non importaret habitudinem eſſentialem ad primam cauſam, ſicut illam non importat ad primũ equum.

23 *RESPONDEBIS II.* ex Hurtado *diſp.* 10. ſ. 33. vbi docet de facto quidẽ omnes operationes & effecta pendere à concurſu immediato *Dei*, quia id evincunt Scripturæ teſtimonia, & Sanctorũ Patrũ. at exinde non probari, nec præiacta ratione convinci, aut vlla alia, id neceſſarium eſſe ſimpliciter. Quare poſſet *Deus* cõcurſum immediatũ permittere cauſis ſecundis, non concurrendo immediatè ad ipſarum operationes. In quã doctrinam & ſolutionẽ inclinat etiã Arriaga vbi ſup. *ſubſect.* 9 pluresq; Recentiorũ ſuppreſſo nomine ab eo relati. Vnde iuxta illos omnes, poſſet occurri argumento præiacto, aſſerendo, creaturas omnes de facto exiſtentes pendere quidẽ a concurſu immediato *Dei*; fieri autem potuiſſe, vt ab eo minimè dependerẽt, delegante prima cauſa ſuas vices cauſis ſecundis, & permittente, vt ſeorſum abſq; illius concurſu operarentur.

24 *SED Contrà I.* Id quod repugnat cõceptui eſſentiali creaturæ, in nulla hypotheſi abſolutè poſsibili, valet ab ea ſeparari; quia eſſentiæ rerum omnino invariabiles ſunt. Sed conceptui eſſentiali creaturæ exiſtentis repugnat independentia a concurſu immediato Dei quò ad eſſe & operari. Ergo in nulla hypotheſi abſolutè poſsibili poteſt ſeparari a creatura exiſtente dependentia a concurſu immediato Dei quo ad eſſe & operari: ac proinde repugnat Deum ſuas vices delegare alicui cauſæ ſecũdæ, vt abſque influxu ipſius immediato operetur. Conſequentia & maior ſunt manifeſtæ. Minor, in qua poteſt eſſe diſsidium, ſuadetur: Quia conceptui eſſentiali creaturæ exiſtentis repugnat ſeparari a ratione entis per participationem, immediatè clauſa, & eſſentialiter imbibita in vltimis differentijs ipſius. Ergo etiam repugnat ipſi ſeparari à dependentia ab influxu immediato Dei quò ad eſſe & operari. Patet conſequentia: Quia dependentia à concurſu immediato Dei oritur ex ratione entis per participationem immediatè & eſſentialiter imbibita in vltimis differentijs creaturæ exiſtentis, vt iam probatum eſt. Ergo quemadmodum repugnat in quacunque hypotheſi ſeparari a creatura exiſtente rationem entis per participationem; ſic etiam repugnat ſeparari dependentiam à concurſu immediato Dei. *Contrà II.* Quia enim voluntas Dei & ſcientia ſunt perfectiſsimæ, & infinitæ ſimpliciter in ſuo genere, repugnat Deum alicui creaturæ delegare ſuas vices vt decernat, & cognoſcat immediatè aliquid, Deo ipſo ſolùm mediatè decernente & cognoſcente. Ergo pariter quia Omnipotentia, ſeu virtus productiva Dei eſt perfectiſsima & infinita ſimpliciter, repugnat quod deleget ſuas vices ad agendum cauſæ ſecundæ, Deo ipſo ſolùm mediatè operante & producente. *Contra III.* Quia virtus locativa Dei, ſeu immenſitas, eſt infinita ſimpliciter in propria linea, repugnat Deum ſuas vices delegare alicui creaturæ, vt nomine ipſius Dei ſit in aliquo loco, cui Deus immediatè præſens non ſit. Ergo pariter quia virtus activa Dei infinita ſimpliciter eſt in propria linea, repugnat delegari alicui virtuti creatæ vices ipſius ad operandum quidquam, quod Deus immediatè non operetur. *Contrà IV.* Quia Deus eſt vbique per eſſentiam, repugnat aliquam creaturam exiſtere, cui Deus immediate per eſſentiam præſens non ſit. Sed etiam eſt vbique per potentiam. Ergo repugnat exiſtere creaturam aliquam, cui Deus immediatè per potentiam præſens non ſit. Sed eſſe præſens per potentiam immediatè, nihil aliud eſt, quam eſſe præſens per immediatam operationem, vt patet. Ergo repugnat exiſtere creaturam aliquam, cui *Deus* præſens non ſit per immediatam operationem.

25 *DICES*: Concurſus Dei per modum obiecti ad viſionem beatificam, non minùs proprius eſt ipſius Dei, quam concurſus eiuſdem ſub ratione primæ cauſæ. At iuxta pleroſque Theologos, poteſt delegari, & de facto delegatur concurſus *Dei* vt obiecti alicui creaturæ, vt ſpeciei impreſſæ abſolutè poſsibili, aut iuxta alios lumini gloriæ de facto exiſtenti. Ergo pariter concurſus *Dei* vt primæ cauſæ delegari poteſt alicui virtuti ſeu creaturæ abſolutè poſsibili, aut de facto exiſtẽti. *SED Contrà I.* In ſentẽtia enim S.Th. *1.p.q.12.ar.2.* quã veriſsimã cẽſeo, repugnat ſpecies creata quidditativè repræſentãs Deũ, ac proinde cui *Deus* ipſe vices ſuas deleget in ratione obiecti, ad repreſentandũ ipſum immediatè. Ergo ex doctrina non vera colligit obiectio poſsibilem eſſe virtutem creatã, cui *Deus* deleget ſuas vices producendi immediatè. *Contrà II.* Suppoſita enim opinione aſſerente poſsibilem eſſe ſpeciem creatam quidditativè repræſentãtem Deũ, conſequenter aſſeri debet, concurſum divinitatis per modum ſpeciei non eſſe proprium *Dei*, ſed poſſe ab intrinſeco cõvenire alicui qualitati creatæ. E cõtrà autem, in omni opinione cõcurſus primæ cauſæ proprius eſt *Dei* incommunicabiliter, quia ſicuti propriũ eſt *Dei* eſſe primũ in eſſendo, ita etiã in cauſando. Ergo quãvis in aliquorũ opinione poſsit aliqua ſpecies creata gerere *Dei* vices in õrdine ad ipſum repræſentandũ, in nulla tamen opinione poteſt aliqua virtus creata gerere *Dei* vices ad cauſandũ. Alioqui, ſi ex eo quòd poſsibilis ſit qualitas gerens *Dei* vices in ordine ad viſionẽ, colligitur eſſe poſsibilẽ virtutẽ creatã, cui *Deus* deleget vices ſuas operãdi immediatè; dicant Adverſarij, cur nõ ſit poſsibilis creatura, cui *Deus* pariter vices ſuas cõmittat in cognoſcendo, in decernendo, & creando? Par enim omniũ ratio eſt, vt nuper oſtendimus; neque quiſquã iure ac meritò aſſerere poteſt minùs proprium eſſe *Deo* notionẽ primæ cauſæ, ac proinde minùs indelegabilẽ, quàm notionem primi ſcientis, volentis, creantis. Idemque eſt de incapacitate gerendi vices immenſitatis divinæ, vt nuper arguebam. *Contrà III.* Hoc enim, quod eſt gerere vices obiecti

in repræſentando, eſt communiſsimum omni ſpeciei creatæ: vt patet in ſpeciebus obiectorũ quorumlibet. hoc autem quod eſt genere vides cauſæ immediatæ, ac per ſe concurrentis in aliquem effectum, quid ſpecialiſsimũ eſt. ac proinde ex primo perperam colligitur ſecundum, quia a diverſis non fit illatio.

26 *RESPONDEBIS III.* ex Arriaga vbi ſupra *ſect.* 2. argumento prætacto ſolùm probari impoſsibile eſſe, cauſam ſecunda operari ſine permiſsione Dei. quod ſanè haberet, quamvis ipſe non præſtaret poſitivum & immediatum concurſum: quia permiſsio non conſtitueret Deum in ratione cauſæ actualis, ſed tantùm eſſet conditio ad cauſandum; ſicut approximatio non eſt cauſa, ſed conditio tantùm ad combuſtionem. Poſita autem dependentia cauſæ ſecundæ a permiſsione Dei ad operandum, iam in ea eſſet quidquid requiritur ad rationem virtutis creatæ & participatæ à primo ente. Ergo nihil cogit ad aſſignandum præterea concurſum Dei immediatum. Quam ipſam doctrinam iam antea tradiderat Hurtadus, a pari appetitus imperantis actiones externas abſque influxu phyſico in illas, per hoc ſolùm quòd velit eas permittere: nam id ſufficit vt externæ actiones ſimpliciter dependeant ab appetitu interno. Ergo pariter quod cauſa ſecunda nequeat operari ſine voluntate permiſsiva Dei, ſufficit vt in operando ſimpliciter dependeat a *Deo*.

27 *SED Contrà I.* Semper enim vrget præcipua ratio Aſſerti: Quia omne, quod eſſentialiter importat ordinem ad aliud tanquam ad cauſam, pendet neceſſario ab influxu poſitivo ipſius. Quare ſi combuſtio importaret ordinem eſſentialiter ad approximationem tanquam ad cauſam, approximatio nòn eſſet pura conditio, ſed quid poſitivè influens in combuſtionem. Idemque eſt de appetitu interno, ſi externæ actiones ad illum vt ad cauſam intrinſecè referantur. Cauſa enim vera & realis, vt à conditione diſtinguitur, importat verum ac poſitivum influxum in omni Philoſophia. Sed omnis operatio creata importat eſſentialiter ordinem ad Deum, vt ad veram & primam cauſam; cùm ſit eſſentialiter ens creatum, & omne ens creatum in quantùm tale referatur ad Creatorem, vt veram & primam cauſam. Ergo omnis operatio creata pendet neceſſario ab influxu poſitivo Dei. Ergo ad ſalvandam depẽdentiam eſſentialem omnis operationis creatæ à prima cauſa, non ſufficit eius voluntas permiſsiva, vt mera conditio; ſed præterea requiritur influxus Dei poſitivus. *Contrà II.* Si ad hoc vt omnis operatio creata pendeat à Deo vt a vera & prima cauſa, ſufficeret voluntas ipſius purè permittens, & non influens; *Deus* etiam eſſet vera & prima cauſa peccati vt peccatum eſt: quia etiam peccatum, vt exiſtat, neceſſario pendet a voluntate *Dei* purè permittente, quamvis non influente. Conſequens autem abſurdiſsimum & erroneum eſt, vt patet. Ergo & abſurdũ eſt dicere, vt omnis operatio creata dependeat à *Deo* tanquam vera & prima cauſa, ſufficere voluntatem *Dei* purè permittentem, & non influentẽ. *Contrà III.* Vel voluntas illa, quã in *Deo* aſsignas, vt cauſa ſecunda ſeorſim ab ipſius influxu operetur, eſt efficax; vel nõ: neque enim eſt aſsignabile mediũ inter vtrũque. Si eſt efficax; iam eo ipſo habet efficaciã; ac proinde effectivum influxum in operationem cauſæ ſecundæ, pro quo extorquẽdo decretamus. Si autem inefficax ſit; repugnabit planè ſimul cum ea cõponi exiſtentiam operationis: quia in omni ſententia, & ex terminis repugnat, voluntatem inefficacem *Dei* componi, ſeu eſſe ſimul in ſenſu compoſito, cum effectu illo, quem ſolùm in efficaciter amat. Alioqui cum auxilio inefficaci vt inefficaci ad conſenſum poſſet ſimul cohærere idem conſenſus; & cùm voluntate purè inefficaci ſalvandi omnes homines, ſtare poſſet in ſenſu compoſito ſalus omnium hominum. quod manifeſtè repugnat. Ergo repugnat exiſtere in rerum natura operationem cauſæ ſecundæ, ſi ſolùm ſit à *Deo* inefficaciter volita: ac proinde oportet aſsignare in *Deo* volũtatem efficacem, ideoque poſitivè influentem in omnem operationem, quæ in rerum natura exiſtit, aut in qualibet hypotheſi extitura ſupponatur. *Contrà IV.* ratione à priori deſumpta ex *D.* Thom. 1. *p. q.* 20. *art.* 2. vbi ſtatuit illud apertiſsimum diſcrimen inter voluntatem, ſeu amorem creatum & increatum, quòd amor noſter non eſt cauſa bonitatis; amor autem *Dei* eſt ſimul creans & infundens bonitatem: ideoque ſæpe nos quamvis plura amemus, ſive deſideremus, obtinere non poſſumus; *Deus* autem cuius voluntas omnipotentiſsima eſt, amando aliquid, facit ipſum quod amat. Hinc autem efficaciter præcluditur evaſio prætacta. Omnis operatio cauſæ ſecundæ exiſtens in quacumque hypotheſi, amatur à *Deo*; cùm ſit intrinſecè & actualiter bona, & voluntas divina neceſſario amet omne id, quod intrinſecè & actualiter

ter bonum eſt. Sed amor Dei eſt cauſa bonitatis, quam amat. Ergo omnis operatio cauſæ ſecundæ exiſtens in quacumque hypotheſi cauſatur a Deo. *Rurſus*. Implicat aliquid creatum ex ſe & ab intrinſeco eſſe bonum actualiter, ſed ſolùm ex libera Dei voluntate, ſive amore, quo velit ipſi efficaciter bonitatem, ſicut & exiſtentiam tribuere. At eo ipſo quod Deus liberà voluntate, ſive amore, velit ipſi efficaciter bonitatem, ſicut & exiſtentiam tribuere, iam illud vere & poſitivè cauſat. Ergo implicat aliquid creatum ex ſe & ab intrinſeco eſſe bonum actualiter, niſi quatenus Deus illud verè & poſitivè cauſat. Cùm ergo omnis operatio exiſtens de facto, & in quacumque alià hypotheſi, ſit intrinſece & actualiter bona, ſicuti & exiſtens; debet à Deo vt cauſa procedère per verum & poſitivum influxum; non autem per puram permiſsionem. Plura alia omittimus, ne extra Philoſophiæ orbitam divagari videamur.

SECTIO TERTIA.

Ratione alià ex Nazianzeno deſumptà ſuadetur vera & communis ſententia.

28 SECVNDA Ratio, quam breviùs proponere oportet, deſumitur ex Nazianzeno vbi ſupra allegat. ſtatuente totam hanc Vniverſi molem, & quidquid in eà eſt, neceſſario pendere ab influxu Dei, tum primò producentis, tum & ſingula conſervantis; alioqui ſtatim peritura. Hinc autem validiſsimum argumentum conſurgit, Deus conſervat immediatè omnem entitatem in rerum natura exiſtentem. Ergo & producit illam immediatè. Ergo concurrit immediatè cum cauſa ſecunda ad omnem illam operationem, quà producit aliquem effectum. Secunda conſequentia manifeſtè ſequitur ex prima: Quia implicat in terminis Deum producere immediatè illũ ipſum effectum, quem cauſa ſecunda producit, niſi concurrat immediatè & ſimul cum eàdem cauſa ſecunda. Prima autem conſequentia apertè deducitur ex antecedenti: Quia conſervatio eſt continuata productio; ac proinde ſi Deus conſervat immediatè omnem entitatem in rerum naturà exiſtentem, etiam illam producit immediatè. Tum etiam, quia ratio adæquata, & à priori, cur Deus omnem creaturam in rerum naturà exiſtentem immediatè conſervet, eſt quod nulla creatura ex ſeipſa & per eſſentiam habeat permanentiam in exiſtendo; ſed tantum a prima causà. Atqui nulla etiam creatura ex ſe ipſa, & per eſſentiam habet primum eſſe, ſeu exiſtentiam, ſub qua producitur. Ergo pariter & ob eandem rationem nulla entitas primò in rerũ naturà exiſtit, quæ a primà cauſa immediate non producatur. Iam vero antecedens præcipuum, quod fortè in dubium vocari poſſet, vltro conceditur ab ipſo Durando, & præterea ſuadetur eàdem ratione à priori: Quia omnis entitas in rerum natura exiſtens non habet permanentiam à ſe cum ſit ens ſolùm per participationem permanens. Ergo tantum habet permanentiam ex participatione Dei immediatà. Ergo ex influxu Dei immediato, ac proinde immediatè conſervante. Patet hæc conſequentia; Quia repugnat in terminis participatio alicuius perfectionis, aut prædicati realis à Deo, abſque illius influxu; ac proinde participatio immediata permanentiæ in exiſtendo abſque influxu Dei immediato.

29 *Confirmatur*. Quamlibet entitatem in rerum natura exiſtentem ita conſervat Deus, vt liberè poſsit ceſſare ab eius conſervatione, illamque immediatè redigere in nihilum. quod non ſolum Scripturæ teſtimonia paſsim indicant, ſed etiam evincit aperte ſupremum Dei dominium, de cuius ratione eſt vt omnia ſurſumque invertere poſsit ad libitum, invariatis rerum eſſentijs. At non poſſet Deus ceſſare à conſervatione entitatis in rerum naturà exiſtentis, ac proinde nec annihilare illam immediatè, niſi ſupponatur habere concurſum immediatum in eius conſervationem. Ergo Deus conſervat omnem entitatẽ in rerum natura exiſtentem concurſu immediato. Probatur minor, in quà ſolùm eſt difficultas. Tripliciter enim ſolùm cogitari poteſt, Deum ceſſare à conſervatione alicuius entitatis in rerum natura exiſtentis, & illam annihilare immediatè: primo, per actionem terminatam directè ad non eſſe ipſius: ſecundò, per inductionem formæ oppoſitæ, & incompoſsibilis cum ipsà: tertiò denique, per ſubtractionem immediati concurſus, quo rem illam conſervabat. Atqui Deus non poteſt ceſſare à conſervatione entitatis in rerum natura exiſtentis, ipſamvè immediatè annihilare per actionem immediatè terminatam ad non eſſe illius, & directè, quia repugnat actio directè terminata ad non ens: neque etiam ſufficit inductio formæ oppoſitæ, quia plura entia ſunt, quæ nullam formam oppoſitam habent, vt ſubſtantia Angeli & anima

ra-

rationalis. Ergo ſaltem in his nullus alius modus ſupereſt, quo Deus poſsit ceſſare a conſervatione; & illas annihilare immediatè; niſi per ſubtractionem immediati concurſus, quo illas conſervabat in inſtanti immediate præcedenti. Ergo de primo ad vltimum neceſſium eſt, vt in inſtanti præcedenti Deus illas conſervaret per influxum immediatum. alioqui nullus eſſet locus immediatæ ſubſtractioni concurſus. Plures evaſiones Recentiorum quorundam non refero, quia ſimiles ſunt ijs, quas ſectione præcedenti exſcripſi & refutavi. Quare ſupereſt aliam referre & impugnare, quæ ſolemnior eſt.

30 *RESPONDEBIS*, Non eſſe neceſſarium, vt Deus immediatè conſervet, aut annihilare poſsit omnia illa, quæ in rerum natura perſiſtunt: ſed ſat eſſe vt omnia illa à Deo mediate conſerventur, quatenus perſiſtunt ſub exiſtentia, quam ſemel a Deo receperunt, quanquam illa ſemel habità nequeant à Deo annihilari immediatè. imo nec mediatè in ſententia Arriagæ, & aliorum, docentium poſsibilem eſſe creaturã, quæ per ſuammet eſſentiam duret aliquo tempore, ita vt intra illud a Deo annihilari non poſsit. Quod adhuc latiùs alij tuentur dum aiunt, viſionem beatificam eſſe eſſentialiter annihilabilem, poſtquam ſemel à Deo producta fuit, quia ab intrinſeco habet intueri ſuam æternam durationem, ſaltem in quantum viſio beata eſt. Ita Amicus *diſput.19. de Incarn. ſect.2.n.28.* & alij ex Recentioribus.

31 *SED Contrà I.* In oppoſitum enim eſt, non modò Nazianzenus, diſtinguens dependentiam creaturæ à Deo vt primò producente, & vt conſervante; ſed etiam Auguſtinus ſuprà relatus, & (quod caput eſt) authoritas Sapient. 12. v. 26. quà ipſe vtitur: *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?* Ergo non modò prima exiſtentia creaturarum omnium pendet à liberà Dei voluntate, ſed etiam permanentia ipſius; ac proinde poteſt illam annihilare pro libito. Cumque nequeat *D*eus annihilare aliquid per actionem directè terminatam ad non ens, neque omnia per inductionẽ formæ oppoſitæ, vt ſuprà oſtenſum eſt; tandem ſupereſt, vt omnia poſsit in nihilum redigere per ſubtractionem concurſus immediati. *CONTRA II.* Quia enim primum eſſe rei cadit ſub dominio *D*ei ſummè libero ac perfectiſsimo, nulla res accipere poteſt primum eſſe independenter à libera *D*ei voluntate. Sed etiam permanentia cuiuslibet rei cadit ſub eodem dominio ſummè libero & perfectiſſimo. Ergo nulla res permanere poteſt in ſuo eſſe independenter a liberà *D*ei voluntate. igitur quemadmodũ eam ob cauſam, antequam res exiſtat, nullum eſt inſtans, in quo *D*eus non poſsit liberè rem producere, aut non producere; ita etiam poſtquam exiſtit, nullum eſt inſtans in quo non poſsit quamlibet rem conſervare aut non conſervare. *D*e ratione enim dominij perfectiſsimi eſt facultas vtendi re pro libito, tam producendo, quã conſervando, & deſtruendo. *CONTRA III.* Impoſsibilis eſt creatura exigens eſſentialiter productionem ſui, ſive exiſtentiam pro omni inſtanti præcedẽti inſtans A. alioqui poſsibilis eſſet creatura eſſentialiter exigens productionem ſui ab æterno. Ergo & impoſsibilis eſt creatura eſſentialiter exigens permanentiam ſui pro omni inſtanti ſubſequẽti inſtans A. ac proinde ex prædicatis eſſentialibus exigens permanere in æternum. Eadem enim vtriuſque ratio eſt. *CONTRA IV.* Viſio enim beata ex conceptu ſuo eſſentiali nõ habet permanere in æternum: tum quia ſeclusà liberà promiſsione, aut decreto *D*ei, poſſent abſolute hodiè annihilari omnes Beati, quotquot in cœlo exiſtunt, ac proinde & deſinere ipſa viſio per corruptionẽ ſubiecti: Tum etiam; quia, adhuc ſuppoſita æternà felicitate Beatorum, poſſet viſio numericè variari, vt rectè Aldrete *diſp. 63. de Incarnatione, num. 17.* Tum denique, quia eſto viſio hodierna, quà *D.* Petrus intuetur *D*eum, perpetuò extitura ſit, illam perpetuitatem non habet ex prædicatis eſſentialibus, ſed tantùm ex decreto libero *D*ei, quo non exiſtente poſſet deficere ipſa viſio, ſuccedente alià numero in eius locum. Quibus addendum, non eſſe de ratione viſionis, etiã beatificæ, vt intueatur durationem ſui æternam, adhuc data hypotheſi, quòd invariata numero æternùm mãſura ſit. quippe ad felicitatem ſummam Beatorum ſat eſt, quod per alium actum reflexũ intueantur durationem æternam ſuæ viſionis beatæ. Sed de ijs latius egimus tractatu de Sciẽtia Chriſti. Patet igitur, penſatis omnibus, nullam creaturam exiſtere, aut poſſibilem eſſe, cui ex prædicatis eſſentialibus, & ſecluſa libera promiſsione ac decreto *D*ei, repugnet annihilari ab ipſo *D*eo. At nihil poteſt annihilari à *D*eo, niſi illud, in quòd ipſe exhibet concurſum immediatum. *D*eus igitur in omnem creaturam exiſtentem de facto, & in quacumque poſsibili hypotheſi, exhibet concurſum immediatum.

SECTIO QVARTA.

Occurritur argumentis initio propoſitis.

32 AD I. *ex num.* 3. negatur anteceDens. Ad primam probationẽ ex Auguſtino, dicendum eſt, *Deum* quidem ita cauſis ſecundis concedere proprios motus, vt ſimul ipſe veluti cauſa prima cum iis omnibus immediatè concurrat. Quod idem met Auguſtinus diſertè docuit loco allegato ſuperiùs *num.* 15. Ad ſecundã probationem patet ex dictis ſæpè progreſſu diſputationis, repugnare omnino creaturã exemptam ab immediato & libero *Dei* concurſu, tam in eſſe, quàm in operari; cùm de conceptu eſſentiali cuiuslibet creaturæ ſit ratio entis per participationem, & omnino dependentis à primo ente.

33 *AD II. ex num.* 6. ſolutio interiecta ibidem optima eſt. Neque vrget prima impugnatio: Quia licet *Deus* cauſet totum effectum, & quidquid habet rationem entis; non tamen ſub omni ratione formali, ſed ſolùm ſub vniverſaliſsima. Itaque aliud eſt totum effectum cauſari à *Deo*, tanquam rationem *quæ*; aliud vero cauſari ab ipſo ſecundum omnem rationem *ſub quâ*. Primum eſt verum: ſecundum autem falſum. idque adhuc in ſententia Adverſariorum. Fateantur enim neceſſe eſt, ſupernaturales actus immediatè cauſari à *Deo* quoad totam entitatem & rationem *quæ*; cum tamen exploratum ſit, non poſſe ab ipſo procedere penes vitalitatem vt rationem *ſub quâ*. quippe ſecundùm hanc conſiderationem immediatè à ſolo principio intrinſeco, & ſe movente ortum ducunt. Ad ſecundam impugnationem facilis ſolutio eſt iuxta communem ferè ſententiam, aſſerendo concurſum ſimultaneum *Dei* eſſe eandem actionem cauſæ ſecundæ, prout immediatè ab ipſo *Deo* dependentem. quæ quidem actio, ſicut & effectus per ipſam productus, quam optime poteſt pendere, ac procedere à duplici cauſa totali, modo diverſi ordinis ſit, & vna alteri ſubordinata; qualis eſt cauſa ſecunda relatè ad primam. Neque oportet actionem generativam à ſolo generante procedere. nam licèt id verum ſit de ipsâ, prout formaliter generatio eſt; adhuc reſtat locus, vt in quantum actio creata & operatio cauſæ ſecundæ immediatè oriatur à prima cauſa; non tanquam à generante; ſed tanquam à purè & extrinſecè efficiente.

34 *AD III. ex num.* 9. negatur minor. Ad primam probationem illius, rectè ibi. Ad impugnationem dicendum, informationem & receptionem formæ ac materiæ accipere primum eſſe per actum generantis; quæ prout dependens à Deo, eſt ipſe concurſus ſimultaneus Dei, vt nuper dicebamus; & prout dependens à ſuperioribus cauſis intra primam, vt cœlis & aſtris, eſt influxus earundem cauſarum. Cùm verò actio illa generantis ceſſet ac deſinat exiſtere in ſeipſa poſt inſtans generationis, ſolumque virtute maneat, ſeu in effectu per ipſam producto; difficile eſt aſsignare actionem ſeu concurſum conſervativum Dei formalem *in facto eſſe*. quem tamen neceſſariò aſsignare debemus contra Durandũ. Etenim cum à principio huius ſectionis ſtatutum ſit, Deum poſſe immediatè deſtruere rem *in facto eſſe* exiſtentem per ſubtractionem immediati concurſus; oportet aſſignare formalem concurſum ipſius, qui *in facto eſſe* ſubtrahi immediatè poſsit. Si autem concurſus conſervativus ſit indiſtinctus ab actione præterita generantis; iam non exiſtet formaliter in ſeipſo, nec ſubtrahi immediatè poterit; quia *Deus* nequit facere, vt id quod iam extitit deſinat extitiſſe. Quare ſolùm poterit facere ne exiſtat virtualiter; ſeu, quod perinde eſt, ne exiſtat vlterius ac formaliter res illa, quæ primò producta fuit. Inde autem non probatur actualis *Dei* concurſus conſervativus, ac formalis; ſed ſolùm virtualis: qui certè non negatur à *Durando*, nec ſufficit ad ſtabiliendam vim illius rationis. Debemus ergo aſsignare *in facto eſſe* concurſum *Dei* conſervativum, formaliter diſtinctum ab actione generantis iam non exiſtente in ſeipſa; & proinde diſtinctum à concurſu ſimultaneo cum ea identificato. qui tamen difficulter aſsignari poteſt, vt in argumento contenditur.

35 *QVARE* Dicendum eſt, rem in facto eſſe conſervari à *Deo* per actualem & formalem influxum, diſtinctum realiter ab influxu illo, quo res primo producta fuit; quanquam virtualiter ab ipſo indiſtinctum. Ratio prioris partis eſt, quam nuper aſsignavimus: quia, ſcilicet, actio *Dei* primo productiva in conſortio cauſæ ſecundæ, eſt indiſtincta ab actione eiuſdem cauſæ, iam non exiſtente realiter ac formaliter quando res conſervatur. Ergo influxus conſervativus *Dei* diſtinguitur actu & realiter ab influxu, quo primo rem produxit in conſortio cauſæ ſecundæ, vtpote res exiſtens à præterita & iam non exiſtente in ſeipſa. Ratio poſterioris partis eſt, quia *fieri* cuiuslibet rei manet virtualiter *in facto*

eſſe

rationalis. Ergo ſaltem in his nullus alius modus ſupereſt, quo Deus poſsit ceſſare a conſervatione; & illas annihilare immediatè; niſi per ſubtractionem immediati concurſus, quo illas conſervabat in inſtanti immediatè præcedenti. Ergo de primo ad vltimum neceſſum eſt, vt in inſtanti præcedenti Deus illas conſervaret per influxum immediatum. alioqui nullus eſſet locus immediatæ ſubtractioni concurſus. Plures evaſiones Recentiorum quorundam non refero, quia ſimiles ſunt ijs, quas lectione præcedenti exſcripſi & refutavi. Quare ſupereſt aliam referre & impugnare, quæ ſolemnior eſt.

30 *RESPONDEBIS*, Non eſſe neceſſarium, vt Deus immediatè conſervet, aut annihilare poſsit omnia illa, quæ in rerum natura perſiſtunt: ſed ſat eſſe vt omnia illa à Deo mediatè conſerventur, quatenus perſiſtunt ſub exiſtentia, quam ſemel a Deo receperunt, quanquam illa ſemel habitâ nequeant à Deo annihilari immediatè. imo nec mediatè in ſententia Arriagæ, & aliorum, docentium poſsibilem eſſe creaturã, quæ per ſuammet eſſentiam duret aliquo tempore, ita vt intra illud à Deo annihilari non poſsit. Quod adhuc latiùs alij tuentur dum aiunt, viſionem beatificam eſſe eſſentialiter annihilabilem, poſtquam ſemel à Deo producta fuit, quia ab intrinſeco habet intueri ſuam æternam durationem, ſaltem in quantum viſio beata eſt. Ita Amicus *diſput.* 19. *de Incarn. ſect.* 2 *n.* 28. & alij ex Recentioribus.

31 *SED Contrà I.* In oppoſitum enim eſt, non modò Nazianzenus, diſtinguens dependentiam creaturæ à Deo vt primò producente, & vt conſervante; ſed etiam Auguſtinus ſuprà relatus, & (quod caput eſt) authoritas Sapient. 12. v. 26. quà ipſe vtitur: *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes?* Ergo non modò prima exiſtentia creaturarum omnium pendet à liberà Dei voluntate, ſed etiam permanentia ipſius; ac proinde poteſt illam annihilare pro libito. Cumque nequeat *D*eus annihilare aliquid per actionem directè terminatam ad non ens, neque omnia per inductionẽ formæ oppoſitæ, vt ſuprà oſtenſum eſt; tandem ſupereſt, vt omnia poſsit in nihilum redigere per ſubtractionem concurſus immediati. *CONTRA II.* Quia enim primum eſſe rei cadit ſub dominio *Dei* ſummè libero ac perfectiſsimo, nulla res accipere poteſt primum eſſe independenter à libera *Dei* voluntate. Sed etiam permanentia cuiuslibet rei cadit ſub eodem dominio ſummè libero & perfectiſſimo. Ergo nulla res permanere poteſt in ſuo eſſe independenter a liberà *D*ei voluntate. Igitur quemadmodũ eam ob cauſam, antequam res exiſtat, nullum eſt inſtans, in quo *D*eus non poſsit liberè rem producere, aut non producere; Ita etiam poſtquam exiſtit, nullum eſt inſtans in quo non poſsit quamlibet rem conſervare aut non conſervare. *D*e ratione enim dominij perfectiſsimi eſt facultas vtendi re pro libito, tam producendo, quã conſervando, & deſtruendo. *CONTRA III.* Impoſsibilis eſt creatura exigens eſſentialiter productionem ſui, ſive exiſtentiam pro omni inſtanti præcedẽti inſtans A. alioqui poſsibilis, eſſet creatura eſſentialiter exigens productionem ſui ab æterno. Ergo & impoſsibilis eſt creatura eſſentialiter exigens permanentiam ſui pro omni inſtanti ſubſequẽti inſtans A. ac proinde ex prædicatis eſſentialibus exigens permanere in æternum. Eadem enim vtriuſque ratio eſt. *CONTRA IV.* Viſio enim beata ex conceptu ſuo eſſentiali nõ habet permanere in æternum: tum quia ſeclusâ liberà promiſsione, aut decreto *D*ei, poſſent abſolutè hodiè annihilari omnes Beati, quotquot in cœlo exiſtunt, ac proinde & deſinere ipſa viſio per corruptionẽ ſubiecti: Tum etiam; quia, adhuc ſuppoſita æternà felicitate Beatorum, poſſet viſio numericè variari, vt rectè Aldrete *diſp.* 63. *de Incarnatione, num.* 17. Tum denique, quia eſto viſio hodierna, quà *D.* Petrus intuetur *D*eum, perpetuò extitura ſit, illam perpetuitatem non habet ex prædicatis eſſentialibus, ſed tantùm ex decreto libero *Dei*, quo non exiſtente poſſet deficere ipſa viſio, ſuccedente alia numero in eius locum. Quibus addendum, non eſſe de ratione viſionis, etiã beatificæ, vt intueatur durationem ſui æternam, adhuc datà hypotheſi, quòd invariata numero æternùm mãſura ſit. quippe ad felicitatem ſummam Beatorum ſat eſt, quod per alium actum reflexũ intueantur durationem æternam ſuæ viſionis beatæ. Sed de ijs latius egimus tractatu de Sciẽtia Chriſti. Patet igitur, penſatis omnibus, nullam creaturam exiſtere, aut poſſibilem eſſe, cui ex prædicatis eſſentialibus, & ſeclusa libera promiſsione ac decreto *Dei*, repugnet annihilari ab ipſo *D*eo. At nihil poteſt annihilari à *Deo*, niſi illud, in quòd ipſe exhibet concurſum immediatum. *D*eus igitur in omnem creaturam exiſtentem de facto, & in quacumque poſsibili hypotheſi, exhibet concurſum immediatum.

SE-

SECTIO QVARTA.

Occurritur argumentis initio propoſitis.

32 AD *I. ex num.* 3. negatur antecedens. Ad primam probationē ex Auguſtino, dicendum eſt, Deum quidem ita cauſis ſecundis concedere proprios motus, vt ſimul ipſe veluti cauſa prima cum iis omnibus immediatè concurrat. Quod idemmet Auguſtinus diſertè docuit loco allegato ſuperiùs *num.* 15. Ad ſecundā probationem patet ex dictis ſæpè progreſſu diſputationis, repugnare omnino creaturā exemptam ab immediato & libero Dei concurſu, tam in eſſe, quàm in operari; cum de conceptu eſſentiali cuiuslibet creaturæ ſit ratio entis per participationem, & omnino dependentis à primo ente.

33 *AD II. ex num.* 6. ſolutio interſecta ibidem optima eſt. Neque vrget prima impugnatio: Quia licet Deus cauſet totum effectum, & quidquid habet rationem entis; non tamen ſub omni ratione formali, ſed ſolùm ſub vniverſaliſsima. Itaque aliud eſt totum effectum cauſari à Deo, tanquam rationem *quæ*; aliud vero cauſari ab ipſo ſecundum omnem rationem *ſub qua*. Primum eſt verum: ſecundum autem falſum. Idque adhuc in ſententia Adverſariorum. Fateantur enim neceſſe eſt, ſupernaturales actus immediatè cauſari à Deo quoad totam entitatem & rationem *quæ*; cum tamen exploratum ſit, non poſſe ab ipſo procedere penes vitalitatem vt rationem *ſub qua*. quippe ſecundùm hanc conſiderationem immediatè à ſolo principio intrinſeco, & ſe movente ortum ducunt. Ad ſecundam impugnationem facilis ſolutio eſt iuxta communem fere ſententiam, aſſerendo concurſum ſimultaneum Dei eſſe eandem actionem cauſæ ſecundæ, prout immediatè ab ipſo Deo dependentem: quæ quidem actio, ſicut & effectus per ipſam productus, quàm optimè poteſt pendere, ac procedere a duplici cauſa totali, modo diverſi ordinis ſit, & vna alteri ſubordinata; qualis eſt cauſa ſecunda relatè ad primam. Neque oportet actionem generativam à ſolo generante procedere. nam licèt id verum ſit de ipſâ, prout formaliter generatio eſt; adhuc reſtat locus, vt in quantum actio creata & operatio cauſæ ſecundæ immediatè oriatur a prima cauſa; non tanquam à generante; ſed tanquam a pure & extrinſecè efficiente.

34 *AD III. ex num.* 9. negatur minor. Ad primam probationem illius, rectè ibi. Ad impugnationem dicendum, informationem & receptionem formæ ac materiæ accipere primum eſſe peractionem generantis; quæ prout dependens à Deo, eſt ipſe concurſus ſimultaneus Dei, vt nuper dicebamus; & prout dependens a ſuperioribus cauſis intra primam, vt cœlis & aſtris, eſt influxus earundem cauſarum. Cùm vero actio illa generantis ceſſet ac deſinat exiſtere in ſeipſa poſt inſtans generationis, ſolùmque virtute maneat, ſeu in effectu per ipſam producto; difficile eſt aſſignare actionem ſeu concurſum conſervativum Dei formalem *in facto eſſe*. quem tamen neceſſariò aſſignare debemus contra Durandū. Etenim cum à principio huius ſectionis ſtatutum ſit, Deum poſſe immediatè deſtruere rem *in facto eſſe* exiſtentem per ſubtractionem immediati concurſus; oportet aſſignare formalem concurſum ipſius, qui *in facto eſſe* ſubtrahi immediatè poſſit. Si autem concurſus conſervativus ſit indiſtinctus ab actione præterita generantis; iam non exiſtet formaliter in ſeipſo, nec ſubtrahi immediatè poterit; quia Deus nequit facere, vt id quod iam extitit deſinat extitiſſe. Quare ſolùm poterit facere ne exiſtat virtualiter; ſeu, quod perinde eſt, ne exiſtat vlterius ac formaliter res illa, quæ primò producta fuit. Inde autem non probatur actualis Dei concurſus conſervativus, ac formalis; ſed ſolùm virtualis: qui certe non negatur à Durando, nec ſufficit ad debilitandam vim illius rationis. Debemus ergo aſſignare *in facto eſſe* concurſum Dei conſervativum, formaliter diſtinctum ab actione generantis iam non exiſtente in ſe ipſa; & proinde diſtinctum à concurſu ſimultaneo cum ea identificato. qui tamen difficulter aſſignari poteſt, vt in argumento contenditur.

35 *QVARE* Dicendum eſt, rem in facto eſſe conſervari à Deo per actualem & formalem influxum, diſtinctum realiter ab influxu illo, quo res primo producta fuit; quanquam virtualiter ab ipſo indiſtinctum. Ratio prioris partis eſt, quam nuper aſſignavimus: quia, ſcilicet, actio Dei primo productiva in conſortio cauſæ ſecundæ, eſt indiſtincta ab actione eiuſdem cauſæ, iam non exiſtente realiter ac formaliter quando res conſervatur. Ergo influxus conſervativus Dei diſtinguitur actu & realiter ab influxu, quo primò rem producit in conſortio cauſæ ſecundæ, vtpote res exiſtens à præterita & iam non exiſtente in ſeipſa. Ratio poſterioris partis eſt, quia *fieri* cuiuslibet rei manet virtualiter *in facto*

eſſe.

eſſe ipſius, ſive in effectu producto, quandiù ille permanet. Ergo actio primo productiva permanet virtualiter in effectu producto, quandiù ille perſiſtit in rerum natura; ac propterea virtualiter cenſetur eadem actio cum conſervatione, quatenus eandē terminum ponit, & illam infert, in rebus ſaltem natura ſua permanentibus. Ex quo facilè enodabis difficultatem illam, quæ inquiritur, vtrùm actio primo productiva diſtinguatur realiter ab actione conſervativa: in quâ alij ſat olei ac laboris inſumunt. Quare ad obiectionem præcipuam reſpondendum eſt, informationem ac receptionem, quæ permanent *in facto eſſe*, & eſt cauſalitas intrinſeca formæ ac materię, eſſe ſimul actionem conſervativam Dei, ſive influxum activum ipſius *in facto eſſe*. Itaque vnio illa materiæ ad formam, & formæ ad materiam, quæ eſt cauſalitas materialis vnius, & formalis alterius, per ſuam entitatem (quam ſuppono ab extremis diſtinctam realiter) eſt cōcurſus actualis conſervativus Dei, & cauſalitas ipſius in genere cauſæ efficientis. Similiter dicendū eſt de nexu humanitatis Chriſti cum Verbo vtrique realiter ſuperaddito; qui, prout pendet à Deo, eſt influxus activus ac ſupernaturalis, quo Deus actu & in facto eſſe Chriſtum conſervat. Neque obeſt, quod tam ille nexus, quam vnio materiæ & formæ, appelletur & ſit modus afficiens vtrumque extremum. Hoc enim ſolum probat, vniones prædictas relatè ad materiam, ſive ad extremum, quod intrinſecè afficiunt, habere rationem modi; quatenus ſunt adiacentes rei determinationes. Inde verò non tollitur, quòd entitas earūdem vnionum, vt pendens immediatè à Deo, ſit influxus activus ipſius, & conſervativus rei, ſive ille dicendus ſit actio ſtrictè de prædicamento actionis, ſive actio virtualis & minùs propria.

36 Similiter loquendo de conſervatione ſubſtantiarum purè ſpiritualium, vt Angelorum, & animæ ſeparatæ dicendum eſt, vnionem ſubſtantiæ cum ſubſiſtentiâ, & exiſtentiâ propriâ, ac duratione, prout pendentem à Deo *in facto eſſe*, habere rationem influxus conſervativi, iuxta ſententiam aſſerentium, omnes actiones Dei ad extra eſſe tranſeuntes formaliter, ſive quid entitativè creatum. non enim aſsignari poteſt actio conſervativa, & creata in eâ opinione, quæ formaliter ſit *in facto eſſe* ſubſtantiarum ſpiritualium, quamque Deus immediatè ſubtrahere poſsit, niſi illa ſit identificata cum aliquo prædicato intrinſeco ſubſtantiæ ſpiritualis: quod certè nullum aliud aptius excogitari poteſt, quam prædicta vnio, quatenus pendens immediatè à Deo. Statutâ autem opinione D. Thomæ longè veriori, quâ aſſeritur, actionem creativam eſſe actum formaliter immanentem, indiſtinctumque à divina ſubſtantiâ; conſequenter dicendum eſt, conſervationem earundem ſubſtantiarum ſpiritualium eſſe eundem actum creativum, & immanentem in ipſo Deo, quatenus proſequitur id quod inceperat, retinetque ſub exiſtentia & duratione eandem ſubſtantiam iam antè productam. Vnde non ſolum verificatur, Deum habere influxum immediatum in ſubſtantiam ſpiritualem creatam, tam in *fieri*, quam in *facto eſſe*, quamvis indiſtinctum ab ipſo Deo; ſed etiā, poſſe in quocumque inſtanti Deum illam annihilare immediatè per meram ſubtractionem eiuſdem influxus. In præſenti autem quæſtione non loquimur de influxu Dei quomodolibet, ſed ſimultaneo; qui cōcurſus appellatur, & eſt, propter conſortium cauſæ ſecundæ in agendo; & propriè non eſt actio Dei, ſed terminus actionis divinæ & increatæ, & concurſus ad productionem effectus, qui ſimul à creaturâ procedit. quod Angelo & animæ rationali repugnat.

37 *Ad ſecundam* probationem minoris, ex numero eodem. Per hoc præcisè quòd res aliqua fiat mediatè à Deo, pendeatvè, nec ſalvatur eſſe creaturam in ſe ipſa, nec Deum; ſed vtrumque ſimul, veluti chimæra illata ex opinione contraria. Non ſalvatur eſſe creaturam: quia de ratione creaturæ eſt quòd immediatè & ſe ipſa ſit ens per participationem à primâ cauſa, ac proinde immediatè ab ipſâ dependens. Non verificatur eſſe Deum: quia Deo repugnat omnis dependentia ab alio, etiā mediata. Aliunde verò vtrumque ſequitur: & quòd ſit creatura, quia aſſeritur mediatè pendere ab alio; & quòd ſit Deus, quia dicitur immediatè à primâ cauſa independens. *Ad tertiam* probationem patet ex dictis *à num.* 21. dependentiam remotam, & mediatam non ſufficere in creatura relatè ad Deum; neque id evinci à pari ſubſtantiæ creatæ ſolùm mediatè & radicaliter operantis in ſententiâ D. Thomæ; cum tamen illa propriè cauſa ſit. Reſpondetur enim, cauſam operantem mediatè ſolâ mediatione virtutis, qualiter operatur ſubſtantia creata, eſſe veram & propriam cauſam; non tamen illam, quæ mediatè operatur mediatione ſuppoſiti, qualiter avus relatè ad

ad nepotem, & Deus in opinione contraria modis cauſis ſecundis, in ſolidum, vt ita dicam, operantibus, ac virtute ſibi connaturali, abſque interventu Dei, à quo ſuppoſitaliter diſtinguuntur. Nullū quippe agens creatum eſt virtus Dei in ordine ad operandum, ſicut qualitas eſt virtus ſubſtantiæ creatæ.

38 *AD IV. ex num. 10.* rectè ibidem. Ad impugnationem vlteriorem negatur minor. Nam provenire ab vno principio intrinſeco, & ab alio extrinſeco, nullam repugnantiam importat in actu vitæ, ſeu potius ſummam conſenſionem: quam optimè enim cohæret, & neceſſarium eſt, actum vitæ creatæ provenire à principio intrinſeco ſe movente, non tanquam à prima cauſa, ſed ſecunda, eaque eſſentialiter ſubordinatâ primæ: quod fieri nequit, niſi cauſa prima in omnem vitalem operationem ſecundæ concurrat immediatè. Ille autem principium intrinſecum & extrinſecum ſimul idem principium, repugnat quidem, vt in obiectione aſſumitur; non tamē quod vnum ex principijs intrinſecum ſit, & extrinſecum aliud. quin imo ita evenire neceſſum eſt, tam actui vitali, quam cuilibet enti naturali, quod pendet à principijs intrinſecis, qualia ſunt materiale & formale; ſimulque ab extrinſecis, qualia cenſentur efficiens & finis. *AD I. Confirm.* eiuſdem impugnationis, negatur maior. Actus enim vitæ non omne principium activum ſui denominat viuens; vt patet in ſpecie impreſſa, quam neutiquam denominat vivētem, quanquam ab ea iuxta pleroſque Philoſophos efficienter procedant ſenſatio & intellectio: ſed tantum illud principiū denominatur ac redditur vivens in actu ſecundo, quod elicitivè ſe movet & intrinſecè recipit proprium motum. quod extrinſeco efficienti repugnat; vtpotè non moventi ſe, ſed aliud; nec recipienti operationem alieni ſuppoſiti, ad quam concurrit. *AD II. Confirm.* conceſſa maiore, negò minorem: quia provenire ſimul à duplici principio, altero intrinſeco, altero extrinſeco, nullam repugnantiam involvit, ſed potius neceſſarium eſt; vt nuper dicebamus: nec variat rei eſſentiam; cum eadem entitas poſſit importare habitudinem ad diverſa principia, tam intrinſeca, vt potentiam proximam & radicalem; quam extrinſeca, vt efficiens & finem. At verò eſſe naturalē, & ſupernaturalem actum viſionis & fidei, ſcientiæ & erroris, eſt prædicatum abſolutè & intrinſecè conveniens operationi in ſuâ entitate, & non ſolùm ex parte agentis. Cumque ſingula duo membra invicem collata eſſentialem incompoſſibilitatē importent; nihil mirum quod in vnico actu nequeāt adunari. *AD Probationes II. & III.* eiuſdem præcipuæ minoris, patet ex dictis circa actum vitalem. Quemadmodū enim hic poteſt procedere efficiēter à primo agē te (quod eſt Deus) quanquam illud non denominet vivens; ita & actus voluntarius & liber poteſt efficienter ab ipſo procedere, quin volens, aut liberum formaliter denominet: hæ quippe denominationes propriæ ſunt principij intrinſeci, tam volentis, quam determinantis ſe liberè & elicitivè ad operationem. Actus autem liberi & voluntarij creaturæ non ſunt determinationes liberæ *Dei*, cùm ille nequeat conſtitui formaliter liber per actum creatum; nec proveniunt ab illo vt principio intrinſeco, ſed extrinſeco; nec elicitivè, cùm hoc ſit proprium operationum creatarum in ordine ad ſuppoſitum proprium.

39 *AD Confirmationem* præcipuam argumenti *ex num. 11.* oporteret nimium ſim morari, & præter Philoſophiæ naturalis leges, ſi ex profeſſo ſolvenda eſſet. Quare plenam eius difficultatis diſcuſſionem remittimus ad tractatum de peccatis in Curſu Theologico, quem luci publicæ committendum paramus. Interim ac breviter dicendum eſt, Deum quidem concurrere ad actum pravum, quatenus entitas vera & poſitiva eſt; qua ratione nihil deformitatis importat, & ſolùm perfectionem creatam exprimit: non verò ad actum eundem vt pravus eſt, ſive malus moraliter; quia ſub hac conſideratione nihil poſitivum importat, ſed privationem ſolam rectitudinis debitæ in eſſe actui; quæ ſicut nullam entitatem includit, ſic & nullam dependentiam à Deo poſitivè influente, ſeu ſolùm permittente. Plura quæ huic obiectioni non leviter contradicere videntur in dictum locum remittimus: ſicut &, an negato concurſu Dei immediato ad actus liberos creaturæ intra ordinem naturalem, ſedari poſſit implacabile Scholarum diſſidium circa concordiam prædeſtinationis & efficaciæ divinæ gratiæ cum libero arbitrio. quod Ludovicum Dolam ac Lalemandetum in Durandi opinionem traxit. Res, inquam, hæc moleſtiſsima & importuna eſt Philoſophis. Ideóque malui illam intactam relinquere, quam minùs dignè, aut præter Operis inſtitutum, tractare in præſenti.

(·:·)

DIS-

DISP. DECIMASEPTIMA:

DE CASV, ET FORTVNA.

An ſit aliquid caſuale, ac fortuitum, præſertim reſpectu cœli?

Num. 1. D*ISPVTANT Philoſophi de Caſu & Fortunâ cum Ariſtotele* lib. 2. Phyſicorum cap. 4. 5. & 6. *an ſint, & quid ſint, quamquam breviter, & ſemnè vt plurimùm: vt propterea nobis neceſſum fuerit, pluribus hinc inde petitis, atque in methodum & vſum Scholarum digeſtis, plenam inſtituere controverſiam.*

SECTIO PRIMA.

Proponitur opinio negans eſſe aliquid à caſu, aut fortuitum, ſive per accidens reſpectu cœli; eiuſque probationes quantùm ad naturalia effecta.

2 C*ASVM*, Fortunamque negarunt quidam Veterum Philoſophorũ, qui effectus omnes Vniverſi ex fatali quadam neceſsitate provenire cenſebant. Ita de Stoicis refert Cicero *lib. 1. de Divin. ſub finem*, Gellius *lib. 4.* Diogenes Laërtius *lib. 7. de Vitis Philoſophorum*, vbi de Zenone agit. Ducebantur præcipuè ex aſtro.um influxu, aſpectu, & diſpoſitione, ac cœlorum motibus; tamquam ea omnia rebus huius mundi inferioris fatalem quandam neceſſitatem imprimerent, præcludentem omnino aditum cuilibet caſui, aut fortuito eventui. Vnde & Fatum definiebant, *Cauſarum colligationem, ex aſtrorum motibus & vi efficaciam trahentem.* Ita enim refert Albertus Magnus *lib. 2. Phyſic. tract. 2. cap. 19.* ex Apuleio, aliiſque.

3 EX Oppoſito alij, totam fati neceſsitatem, non tam in aſtrorum influxu, ac cœlorum motu, quàm in Dei propoſito immutabili conſtituentes, omnem eventum fortuitum & caſualem è medio tollere videbantur. Quod indicat Seneca *lib. 2. Natur. QQ. cap. 35.* illis verbis: *Fata æqualiter ius ſuum peragunt, nec vllâ commoventur prece: non miſericordiâ flectuntur, non gratiâ. Servant curſum irrevocabilem. Ex deſtinato fluunt. Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in ſe non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superveniens præcipitat: ſic ORDINEM RERVM FATI ÆTERNA SERIES ROTAT; cuius hæc prima lex, STARE DECRETO.* Et cap. 36. ſequenti ſubdit: *Quid enim intelligis FATVM? Exiſtimo neceſſitatem rerum omnium, actionumque, quam nulla vis rumpat. Hanc ſi ſacrificijs, & capite niveæ agnæ, exorari iudicas; divina non noſti. Sapientis quoque viri ſententiam negatis poſſe mutari. Quanto magis Dei? cùm ſapiens quid ſit optimum, in præſentiâ ſciat; illiuſque divinitati omne præſens ſit.* Quibus verbis omnem effectum caſualem, & fortuitum negare, imo & omnem contingentiam, ac libertatem actionum humanarum excludere videtur. Sed de hoc ſecundo alibi diſceptandum eſt, & nonnihil *ſect. 5.* Nunc enim non agimus de contingentia illarum rerum, quæ ab electione liberà, ſeu arbitrio hominum pendent; ſed tantùm de rebus ad naturam ſpectantibus; an in ijs verè & propriè ſit Caſus ac Fortuna, & in quo vtrumque illorum conſiſtat.

4 *DEMVM* Alij, licèt reſpectu huius, aut illius cauſæ particularis, aliquid fortuitum & caſuale admittant; non tamen reſpectu cœli. Quam opinionem his verbis exprimere ſolent: *In ijs quæ omnino naturaliter fiunt, non poteſt aliquid fieri caſu ſimpliciter reſpectu cœli.* Eamque ſic quo ad ſingulas partes explicant. *In ijs, quæ fiunt naturaliter*: vt excludant effectus actioneſque à libertate humana pendentes, quæ cœlo nullatenus ſubiacent, vt fide ſanctum eſt. Cœlum enim eſt agens corporeum per alterationem, quæ eſt tranſmutatio materiæ. Ergo nequit per ſe agere, niſi in res corporeas. At voluntas humana non eſt res corporea, ſed ſpiritualis. Ergo cœlum nequit per ſe agere in voluntatem humanam: proindeque illa minime ſubiacet cœlo. Quamvis enim ex influxu cœli poſsit fieri immutatio aliqua in potentijs, ſenſibuſque corporeis animæ, vt in phantaſia & appetitu ſenſitivo, a quibus voluntas inclinetur ad agendum contra rationem, obſequendo paſsionibus inordinatis; adhuc integrum eſt voluntati eam inclinationem vincere, & animum perurgere, atque inducere ad oppoſitam affectionẽ: quod ſanè eveniet à caſu, & præter inten-

tionẽ cœleſtis influxus. Addunt, *omnino naturaliter*: quià vel ab homine, vel a dæmone applicante activa paſsivis, verè poſſunt produci quidam effectus naturales, nunquã extituri, nec potentes exiſtere vi ſolius influxus cœli, & exiſtẽtes de facto præter ipſius intentionem. Demùm addunt, *reſpectu cœli ſimpliciter*: quoniã licèt reſpectu huius, illiuſve particularis conſtellationis, poſsit aliquid evenire à caſu & per accidens; non tamen reſpectu totius cœli. Exẽpli cauſa. Si aliqua ſit conſtellatio cœli favens generationi hominis, & tamen de facto non generetur homo, ſed monſtrum aliquod, vt quandoque accidit; talis fœtus erit per accidens, & à caſu reſpectu illius particularis conſtellationis, quæ inclinabat ad oppoſitum: cœterum reſpectu alterius conſtellationis, quæ ex ſe corrupit materiam illam, ex qua aliàs homo generandus fuerat, non erit fœtus monſtroſus per accidẽs, & à caſu; ſed neceſſario & per ſe. Aut, quod perinde eſt, aiunt, poſſe effectum aliquem omnino naturalem eſſe per accidens & a caſu reſpectu vnius ſideris, vel conſtellationis; non tamen reſpectu omnium collectivè. Vt v.g. Mars per ſe habet exſiccare herbã prati, Iupiter generare fulmina in nubibus. Si autem accidat vtrumque ſimùl, & exſiccetur herba prati a fulmine, ille effectus eſt à caſu reſpectu vtriuſque Planetæ ſeorſim conſiderati, per ſe vero & neceſſarius relatè ad vtrumque Planetam ſimul. Hanc opinionem poſt Ptolemæum, alioſque Aſtronomiæ Proceres, tuentur plures Recentiores in eà diſciplina inſignes, vt Franciſcus Iuntinus, Leovicius, innumerique alij, inferentes, nullum naturalem effectum eſſe, qui neceſſarius & per ſe connexus non ſit cum toto influxu cœli; ac proinde cognoſcibilis veluti certò & evidenter futurus ab eo, qui perfectè vim totam influxus cœleſtis exploraverit: ſive ille ſit ſolus Angelus, ſive etiam homo in eà facultate perfectus. Cui ſententiæ magna ex parte ſubſcribunt ex Theologis Bañez 1. *part. quæſt.* 57 *art.* 3. *dub. vnico* §. *Nobis tamen, & quæſt.* 115. *art.* 6. §. *Hactenus ex Caietano*, Molina *eadem* 1. *part. q.* 57 *art.* 3. Vazquez *ibid. diſp.* 207. *cap.* 2. & 3. Fonſeca *lib.* 9. *Metaphyſic. quæſt.* 1. *ſect.* 2. & *quæſt.* 3. *ſect.* 1. vbi docet effecta eius generis poſſe terminare cognitionem certam, ac demonſtrativam: proindeque nullum ex ijs eſſe, qui non habeat cauſam per ſe, ac neceſſariam in cœlo, ſaltem adæquatè conſiderato ſecundum totum influxum, quem hiſce rebus inferioribus præſtat.

5 *PROBARI Poteſt I.* hæc ſententia ratione deſumpta ex D. Thoma 1. *part. quæſt.* 19. *art.* 6. vbi docet, nullum effectum omnino naturalem, & naturaliter exiſtentem eſſe, qui non habeat cauſam neceſſariam ac per ſe in vniverſali virtute cœli; quanquã reſpectu cauſæ huius vel illius particularis poſsit à caſu evenire, aut impediri ex obice alterius particularis cauſæ. Ergo ſaltem reſpectu totius cęli nullus in reb⁹ naturalib⁹ relinquitur loc⁹ Caſui, & Fortunę.

6 *CONFIRM. I.* Nam idem Ang. Doct. 6. *Metaph. lect.* 3. docet, cõcurſus duarum cauſarum proximarũ habere cauſam per ſe in cœlo, vt floritiones duarũ plantarum: & 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. aſſerit, ſicut omnes motus corporales reducuntur in motum cœleſtis corporis, tamquam in primũ movens corporale; ita omnes motus, tam corporales, quàm ſpirituales, reduci in primũ movens ſimpliciter, quod eſt Deus. At quia omnes motus corporei & ſpirituales reducuntur in Deũ, vt in primum movens ſimpliciter, nullus eorum eſt a caſu, aut fortuitò reſpectu Dei. Ergo pariter quia motus omnes corporei reducũtur in motum cœleſtis corporis, vt in primum movens corporale, nullus illorum eſt à caſu, aut fortuito reſpectu motus cœleſtis.

7 *CONFIRM. II.* Argument. præcipuum. Ideo nullus effectus creatus eſt per accidens reſpectu Dei, quia in omni effectu creato imbibitur ratio entis, quã per ſe reſpicit cõcurſus divinus. Sed in omni effectu per materialem actionem producto, etiam caſuali, fortuito, aut monſtroſo, imbibitur etiam ratio corporis, quam per ſe reſpicit concurſus cœleſtis. Ergo nullus effectus per materialẽ actionem product⁹, etiam caſualis, fortuitus, aut monſtroſus eſt, qui ſit per accidens reſpectu celi. Maior & minor per ſe patent. Conſequentia autem rectè infertur a paritate rationis.

8 *CONFIRM. III.* Licèt enim generatio mõſtroſa ſit per accidens & præter intentionem illius concurſus, quo Deus per ſe loquendo concurrit ad generationẽ naturalem; non tamen eſt per accidens, aut a caſu reſpectu illius concurſus, quo De⁹ per ſe concurrit ad generationem monſtri ſub ratione communiſsima entis. Alias aliquis effectus creatus eſſet omnino à caſu, ſeu præter intentionem reſpectu Dei. Ergo pariter licèt generatio monſtroſa ſit per accidens & præter intentionem illius concurſus, quo cœlum per ſe loquendo cõcurrit ad generationem naturalem; non tamẽ eſt per accidens, aut a caſu reſpectu illius

concurſus, quo cœlum per ſe concurrit ad generationem monſtri ſub ratione cõmuni corporis. Ergo de primo ad vltimũ evincitur, poſſe dari effectum naturalem corporeumque per accidens & à caſu reſpectu influxus cœli inadæquatè ſolum conſiderati; nullum tamen qui per ſe à cœlo nõ procedat, ſi cõſideretur adæquatus eius influxus.

9 *PROBATVR* Secundò eadẽ ſententia. Sicut effectus ſimplex habet cauſam per ſe ſimplicẽ, ad quam ſequatur, ita concurſus duarum cauſarum proximè influentium habet duplicem cauſam per ſe, ad quã ſequatur neceſſario. Exẽpli cauſa: quod fulmen cadat ex parte ſuperiori in terram, habet pro cauſa per ſe, ac neceſſaria, ſidus Iovis; quòd vero herba exſiccetur in inferiori parte, habet pro cauſa per ſe, ac neceſſaria, ſidus Mercurij. Ergo quod fulmen cadens è ſuperiori in inferiorem partem, cõburat herbam ſiccam, habet in complexo duplicem cauſam per ſe, ac neceſſariã. Poterit ergo combuſtio herbæ ſiccæ a fulmine præſtita, eſſe effectus à caſu & per accidens reſpectu Iovis ſeorſim à Marte conſiderati, aut reſpectu Martis ſeorſim à Iove: non tamen reſpectu vtriuſque ſimul, & in complexo. Igitur licèt ille effectus ſit à caſu & per accidens reſpectu cœli inadæquatè conſiderati, & prout continet ſolum Iovem, aut ſolum Martem; non tamen reſpectu cœli quatenus ſimul Iovẽ ac Martem amplectitur.

10 *CONFIRM.* Argum. præcipuũ. Effectus agentis ex neceſsitate ſequitur in materia, quando virtus agentis tanta fuerit, vt poſsit ſibi ſubijcere totam materiã. Sed tota materia inferiorum corporum ſubijcitur virtuti cœleſtium corporum, tanquam excellentiori. Ergo effectus cœleſtiũ corporum ex neceſsitate ſequitur in materia corporum inferiorum. Atque adeo licet reſpectu vnius, vel alterius Planetæ ſeorſim & diviſivè conſiderati, poſsit ſequi aliquis effectus in materia inferiori per accidens, & a caſu; reſpectu tamen integræ conſtellationis, aut ſaltem totius cœli, ſequitur ex neceſsitate & per ſe.

11 *TERTIVM* Argum. eſſe poteſt ex altera parte eiuſdem opinionis, qua omnis contingẽtia, caſus, & fortuna de medio tollitur, non tam ex influxu cœlorum ac ſiderum, quam ex voluntate Dei, omnia & ſingula prædiffinientis, tamquam inevitabiliter futura, ac proinde ex quadã neceſsitate fatali. Porro argumẽtum ſic extrui poteſt iuxta diſcurſum Senecæ ſuperius exſcriptum. Deus omnia futura ab æterno præfinivit immutabili ſuæ voluntatis decreto, eaque prænovit certo & infallibiliter, ac ſi iam præſentia eſſent. Ergo præcluſit aditũ omni contingentiæ, caſui, ac fortunę circa exiſtentiam, vel non exiſtentiam quorumlibet futurorum. Probatur conſequentia: Quia ſi in rebus, ſive cauſis ſecũdis, reſtaret aditus contingentiæ, caſui, aut fortunæ, vt exiſterent, aut non exiſterent effectus ipſarum, prædiffiniti ac præviſi à Deo; fieri poſſet, vt vel decretum voluntatis divinæ maneret irritum, vel ſcientia ipſius redderetur falſa. quorum vtrumque impoſsibile eſt.

12 *CONFIRM. I.* Vbi enim duæ cauſæ concurrunt ad eundem effectũ præſtandum, quæ potentior eſt, dominatur alteri in cauſando; & ſi in vi atque efficacia excedat illam incomparabiliter, abſorbet rapitque totam eius influentiam, ac ſi ſolùm cauſa ſuperior influeret. At volũtas divina concurrens cum cauſa ſecunda ad omnes effectus, non modò potentior eſt, ſed infinitè illam excedit in efficacia, vt patet. Ergo voluntas divina non modò dominatur cauſæ ſecundæ in cauſando, ſed etiã abſorbet, rapitque totam ipſius influentiam, ac ſi per ſe ſolam influeret. Ergo abſorbet rapitque omnem contingentiam, caſum, ac fortunam excogitabilem in ordine ad cauſam ſecundam.

13 *CONFIRM. II.* Idem effectus nequit eſſe caſualis ac fortuitus in ordine ad vnam cauſam, & neceſſarius atque inevitabilis in ordine ad aliam: ſicut neque ſpontaneus & violentus, naturalis & ſupernaturalis in ordine ad cauſas diverſas. At omnis effectus creatus in ordine ad primã cauſam eſt neceſſarius & inevitabilis: cùm voluntas & ſciẽtia Dei, quibus præfinitus ac prævisus eſt, fruſtrari aut falſificari nequeãt. Ergo nullus effectus creatus poteſt eſſe caſualis aut fortuitus in ordine ad cauſam ſecundam.

14 *CONFIRM. III.* Deo nihil caſuale aut fortuitum eſt, vt paſsim Sancti Patres, & Theologi, ac Philoſophi ingeminant, infraque ſtatuemus. Ergo neque relatè ad creaturam eſt aliquid caſuale aut fortuitum. Probatur conſequentia: quia ſi relatè ad creaturam eſſet aliquid caſuale aut fortuitum, ſub eà ratione eſſet aliquid reale, ac proinde a Deo. Ergo quemadmodum eſſet reale reſpectu Dei, ſic etiam caſuale ac fortuitum in ordine ad ipſum: cuius oppoſitum ex communi doctrina præmittitur in obiectione.

SECTIO SECVNDA.

Præmiſsis pluribus ex Naturali Philoſophia certis circa notionem Caſus, & Fortunæ, probatur in rebus eſſe plures effectus caſuales fortuitoſque.

15 PRO Reſolutione difficultatis, præmittendum I. Non omnia, quæ de Fortuna ab alijs coacervantur, ſed pauca ſolum, in præſenti locum habere. Aliter namque de Caſu & Fortuna agit Rhetor, aliter Logicus, aliter Ethicus, aliter Theologus, aliter Metaphyſicus & Philoſophus. Agit Rhetor, prout in laudando & vituperando, ſuadendo & diſſuadendo, accuſando & defendendo, in vtramvis partē multum ponderis affert Fortuna. Plurimùm enim refert, an quid fortuito, aut caſu ſolū contigerit; an potius data opera dictum factumve fuerit. vt legere eſt apud Ariſt. *lib.* 1. *Rethoricorum ad Theodectem c.* 5. *&* 10. Agit Logicus, vt doceat enunciationes de futuro contingenti, in quibus maximè locum habet Caſus & Fortuna, non continere certam determinatamque veritatem, neque eſſe poſſe obiectum alicuius ſcientiæ, vt docet idem Ariſtot. *lib.* 1. *Perihern. fine, &* 1. *Poſter. text.* 43. Agit Ethicus, ſeu Philoſophus Moralis, vt explicet an Fortuna ſit cauſa felicitatis humanæ, & quanti bona, quæ Fortunæ appellantur, æſtimanda ſint, ac quomodo res, ſive actiones fortuitæ, mercantur pœnam, aut præmium. De quo idem Ariſt. *lib.* 1. *Moral. ad Nicomachum c.* 9. *& lib.* 2. *Magnorum Moral. c.* 9. *& lib.* 7. *Moral. ad Eudemum cap.* 17. *&* 18. Agit Theologus, probans efficaciam & certitudinem divinæ Providētiæ non obſtare, quominus in rebus creatis, & relatè ad cauſas ſecundas, ſit in quibuſdam rebus Fortuna & Caſus, quamquam in ordine ad divinam Providentiam nihil fortuitum, aut caſuale ſit. De quo Scholaſtici cum Magiſtro *in* 1. *diſtinct.* 39. Agit Metaphyſicus, quatenus ad ipſum ſpectat diſtinguere omnes gradus entium & cauſarum, quibus cenſentur entia fortuita, & cauſæ per accidens, & ſimiliter demōſtrare non omnia fieri ex neceſſitate. Quod præſtat Ariſt. 6. *Met. ſub text.* 5. Agit denique Phyſicus, ſive Philoſophus Naturalis, vt falſitatis convincat illorum Philoſophorum errores, qui vel exiſtimabāt omnes res naturales fortuitò, ſeu a caſu contingere, vt Democritus & Leucippus putabant; vel e contra opinabantur omnes effectus naturales, imo & actiones hominū, ex inevitabili fato ortum ducere; ſive illud conſtituerent in influxu aſpectuq; cœlorum ac ſiderum; ſive potius in immutabili divinæ voluntatis decreto, omnem contingentiam fortuitam & caſualem tollente. Cum verò in præſenti nec Rhetorem agam, nec Logicum, nec Ethicum, nec Theologum, nec propriè Methaphyſicū, ſed Phyſicum; ad ſolius Phyſicæ præſcriptū ferè totam diſputationem digerere oportet, quanquam obiter nōnulla ex alijs diſciplinis mutuare ſit neceſſarium. Vt omittam, me plura ſpectantia ad rem hanc ex Sacræ Scripturæ teſtimonijs, Pontificū ac Veterū Patrū decretis, rationibus Theologicis, & Aſtronomicis, obſervationibuſque priſcis ac recentibus, fuſo calamo pertractaſſe, *to.* 1. *Theolog. Floruietæ Lud.* 6. *per tot.*

16 PRÆMITTO II. Ex conſenſu Philoſophorum, tam Chriſtianorum, quam Gentilium, cauſam per accidens, vt diſtinguitur à cauſa per ſe, poſſe in quatuor cauſarum generibus deſignari: quia licèt exēpla ab Ariſt. adducta ſolùm ſpectent ad genus cauſæ efficientis, vbi clarius inſpicitur, nihilominus in quolibet alio genere exhiberi poſſunt. Etenim cauſa materialis per ſe albedinis eſt corpus: cū ſoli corpori conveniat eſſe coloratū. Cæterū quod corpus ſit magnū, vel parvū, ſolùm eſt albedinis cauſa materialis per accidens: quia ad rationē albedinis per accidens ſe habet quod recipiatur in corpore magno, vel parvo. Similiter rationalis animus eſt cauſa formalis per ſe hominis: aliæ verò formæ, vt pulchritudo, color albus, aut niger, ſolùm per accidens informant illū. Finis etiam dicitur per ſe, & appellatur *operis*; ac per accidens, & dicitur *operātis*: eodemq; ſpectat in ſcētijs diviſio finiū, in finē *ſcientiæ*, & finē *ſcientis*: quorū prior per ſe inſpicitur a ſciētia; vt à Theologia aſſecutio veritatū divinarum, à Iuriſprudentia reddere vnicuique quod ſuū eſt, & ſic de alijs: poſterior vero ſolum per accidens ad ipſam ſpectat; vt ſi Theologus aut Iuriſconſultus præcipue propter honorē, aut lucrum, ſacram, Cæſareāve diſciplinam profiteātur. Denique de cauſa efficiente manifeſtius eſt, & ab Ariſt. hoc *lib.* 2. *Phyſic. c.* 5. traditur tum vniversè, tum ſingillatim, dum ait: ὥσπερ γὰρ καὶ ὄν ἐστι τὸ μὲν καθ' αὑτό, τὸ δὲ κατὰ συμβεβηκός, &c. *Nā vt ens aliud per ſe, aliud per accidēs; ita & cauſa eſſe poteſt. Vt domus per ſe quidē cauſa eſt ædificativum, per accidens verò album, vel muſicū.*

17 PRÆMITTO III. cauſam per accidens, prout ad ſolam efficientem reſtringitur, dividi ab Ariſtotele in Caſum,

& Fortunam. Porrò ut ipſe monet *lib. alleg. cap.* 6. Caſus latius patet, quam Fortuna: cum quidquid a Fortuna eſt, a Caſu etiam fit; non vero è contra. Fortuna enim, & quidquid per eam fit, ſolum in iis locū habet, quæ fortunata eſſe poſſunt; quales ſunt creaturæ rationales, ſeu *quibus actio compe-tit*, vt ipſe loquitur; non vero irrationales, vt belluæ, & plantæ, & lapides; quibus ſicut nulla felicitas, ita & nulla fortuna eſt, niſi fortè ſecundum quandam metaphoram: quemadmodum *Protarchus dixit* apud eum dē Ariſt. *fortunatos eos lapides, è quibus extructæ ſunt aræ, quia honorātur.* Iuxta quam doctrinam *cap.* 5. præcedent. dixerat, *Fortunam cauſam eſſe per accidens in hiſce, quæ per electionem alicuius gratia fiunt.* quod certè ſolis ratione vtentibus covenit. *Caſus* vero nomine plerunque accipitur de rebus ratione carentibus: quanquam ſtrictè loquendo etiam ad rationalia extendatur. Alias non omnis Fortuna eſſet Caſus, ſi quemadmodum prior ſolum rebus libero arbitrio præditis convenit, ſic poſterior ſolum cōveniret ratione carentibus. Loquemur tamen de illo iuxta communem acceptionem.

18 *QVOD* Vt penitiùs intelligatur, adverte, nomē *CASVS* proprie loquēdo potius ſignificare effectum, quam cauſam, dicique de quolibet inopinato, iuxta Boetium *lib.* 1. *de Conſolat. proſa* 1. cæterum communem vſum loquendi obtinuiſſe, vt etiā cauſam ſignificet. qua ratione de illo loquitur Ariſt. locis indicatis, & cæteri Philoſophi. Dicitur itaque effectus caſualis ille, qui per accidens, rarò, & præter opinionē, vel intentionē, coniungitur effectui per ſe alicuius cauſæ: vt ſiquis fodiens terrā, inopinato inveniat theſaurum. Duo igitur videntur eſſe de ratione caſus, ſeu effectus caſualis: vnum vt rarò eveniat, quod animadvertit Philoſophus *eodem lib. c.* 7. aliiq; communiter. alterum, vt præter intentionē cauſæ agentis accidat. Si enim tranſeunte Petro lapis decidat, dicitur caſus fortuitus, quia fuit præter intentionē, tum ipſius hominis trāſeuntis, tum & lapidis cadētis, tum denique & agentis ſeu generantis lapidem, & in centrum moventis. Sic etiam caſualis effectus dicitur, quando agentia inanimata, ſive etiam animata, ſed ratione carentia, operantur raro aliquos effectus per accidens: hoc eſt, præter inclinationē & proportionē naturalem ipſorum, quæ nullam habeat cum effectu connexionē. vt ſi tegula ruens è tecto in ſcloperum pilis plumbeis gravidum, excitet illud, & militari tormento interficiat hominem tranſeuntem; aut ſi equus generet alium equum, vno oculo, pede, aut manu carente, vel omnino monſtroſum. Tales inquam effectus dicuntur *caſuales.*

19 *FORTVITI* verò effectus, licèt formaliter loquēdo ſint eiuſdem rationis cum caſualibus, quatenus ſolùm per accidens eveniunt, id eſt, præter exigentiam cauſæ, & quidem raro, aut ſaltem non frequenter; addunt tamen reſpectum ad creaturam rationalē; quæ ſola, vt ſupra dicebamus, eſt capax Fortunę proprie loquendo: idque ſive homo data opera velit obtinere effectum fortuitū, ſive non. Vt ſiquis animo ſolùm exercendi terram, ac legendi ex ea fructus, fodiat in prædio, & inopinatò reperiat theſaurum latentem. aut ſi ludat aleis animo lucrandi, & lucretur; vtrobique res fortuita eſt: quoniam primum felicitatis genus rarò accidit, ſecundum non frequenter; & neutrum habet connexionem neceſſariam cū foſsione terræ, vel actu ludendi, etiā vbi quis ex fine lucri cōmittit ſe ſorti. Fortuitum vero in vtranque partem, bonam & malam, accipitur reſpectu diverſorum: vt ſiquis abſcondat theſaurum, & ab alio inveniatur, reſpectu invenientis dicitur bona fortuna; mala autē reſpectu abſcondentis. Sunt nanque iſtæ denominationes deſumptæ, nō à diverſitate aliqua cauſarum per ſe, ſed ab effectibus relatè proſperis, vel adverſis. Cæterum aliunde negari non poteſt, eo magis fortuitum dici aliquid reſpectu hominis, quo minus ab eo præviſum eſt: vt ex communi loquendi ſtilo conſtat. In eoque ſenſu rectè intelligitur quod Ariſtoteles locis allegatis docet, viros ingenio præſtantes, parum aut nihil fortunæ habere, & vbi maximū ingenij, ibi minimū fortunæ. Cuius naturalis ratio eſt, quia vbi excellens ingeniū fuerit, ibi plura, aut etiam omnia prævidentur, quæ accidere poſſunt, ſive adverſa, ſeu proſpera. At vbi plura, aut omnia prævidentur, quæ accidere poſſunt, minor vel nullus relinquitur fortunæ locus; quæ proprie loquendo de improviſis & inexpectatis eſt. Ergo vbi excellens ingenium fuerit, minor, aut nullus fortunæ locus eſt. Videte quanta one[illegible]is compenſatione natura exequaverit ingenioſos viros ſtolidis, quibus minimum mentis, & maximum fortunæ eſt, vt paſsim experimur. Iuxta quæ omnia, Caſus ſic definiri poteſt, attento communi modo loquendi, *Cauſa per accidens in agentibus ſine electione.* Fortunà vero: *Cauſa per accidens in agentibus ex electione.* Vnde

vero

verò oriatur, vel in quo conſiſtat bona & mala fortuna, interiùs explanabimus.

20 *HIS* præſuppoſitis, Indubium apparet in rerum natura exiſtere plura caſualia & fortuita: quidquid aliqui ex Stoicis ſupra relatis, imo & Catholici, quos ſocios ipſos appellat Albertus Magnus *in præſenti capit.* 10. negaverint. Probaturque multipliciter. *Primò* ex communi omnium ſenſu, quo experimur plurima caſu ac fortuito accidere præter exigentiã cauſarum naturalem, & præter omnem humanæ mentis expectationem, prævisionẽque. Nemo enim mortalium adeò providus, & perſpicax eſt omnium, quæ ſibi accidere poſſunt, vt aliquoties non experiatur aliquid, de quo ne cogitaverat quidem, ſive proſperum, ſive adverſum. Inter irrationalia quoque, frequẽter nihil adeò perfectum invenitur, vt quandoque præter exigentiam cauſæ, & ratione impedimenti alicuius naturalis, non ſequatur imperfectio aliqua extraordinaria in effectu producto: vt patet in monſtris. At per illud prius intelligimus effectus fortuitos, per poſterius verò cauſales. Ergo verè in rerum natura exiſtunt aliqui effectus fortuiti & caſuales. *Secundò.* Aut inter creaturas exiſtunt de facto aliquæ, quæ per accidens agant, aganturve: aut non exiſtunt. Si ſecundum dicas, ſequitur mundum non eſſe perfectum quò ad omnia genera entium quæ habere poteſt: quia deficient ipſi cauſæ & effectus per accidens, quorum abſolutè & in genere capax eſt. Si primum aſſeras, iam concedis planè Caſum, & Fortunam, & vtriuſque effectus: quia illorum omnium nomine ſolum accipimus cauſam & effectum per accidens. *Tertiò* probatur: Quia non omnia quæ fiunt, ex neceſſitate eveniunt, ſed poſſent aliter evenire. Quòd enim tegula tranſeuntem equum vel hominem è tecto cadens occidat de facto, ex nulla exigentia cauſarum oritur, ac proinde abſolutè potuiſſet non evenire. Nam licèt ex ſuppoſitione caſus tegula habeat lædere quidquid intra illam fuerit; quod tamen de facto potius cadat ſupra equum, vel hominem, & non quemcumque, ſed hunc numero, non oritur ex naturali exigentia tegulæ, neque ex innata propenſione vergendi in centrum, ſed ex accidentali confluxu, ſeu concurſu circumſtãtiarum, quæ potuiſſent abſolutè non confluere. Manifeſtum igitur eſt, & ad ſenſum patens, plura quandoque exiſtere non neceſſario & per ſe, ſed ſolùm per accidens à Caſu & Fortuna; quæ propterea dicitur cauſa indeterminata, prout diſtinguitur ab ea, quæ neceſſaria eſt, & determinata ad vnum.

21 *OBIICIES.* Omnis effectus in rerum natura exiſtens, maximè ſi ſubſtãtia ſit, vt theſaurus inventus, & monſtrum productum, eſt ens per ſe, ac determinatũ; quod probatione non eget. At omne ens per ſe ac determinatum exigit cauſam per ſe ac determinatam: ſicut omnis effectus in genere exigit cauſam. Omnis ergo effectus in rerum natura exiſtens, maximè ſi ſubſtantia ſit, vt theſaurus & monſtrum, exigit cauſam per ſe ac determinatam. Nõ ergo provenit à cauſa per accidens, quam Caſum & Fortunam appellamus. *CONFIRMATVR I.* Omnis actio creaturæ, tam rationalis, quàm irrationalis, fit ob aliquem finem, ſive à natura præſcriptum, ſive ab electione operantis. Sed nulla actio fortuita aut caſualis fit propter finem à natura præſcriptum, aut ab electione operantis. Ergo nulla actio creaturæ irrationalis, aut rationalis, eſt caſualis aut fortuita. Eſt igitur actio per ſe inſpecta, ac proinde ſolùm præſtans effectum per ſe. *CONFIRM. II.* Nam eſto aliquid fiat præter intentionẽ, non ſufficit ut cenſeri debeat ens per accidens in ſeipſo, & non per ſe. Pone enim Petrum vbi ingreditur templum obviam ſibi habere Ioannem. Certè occurſus ille vtriuſq; verus erit & realis, ſive Petrus ingreſſus ſit ex fine occurrendi Ioanni, ſive non. Ergo ſicut realitas & veritas illius occurſus non pendet ab intentione, ſic neque entitas per ſe alicuius eff:ctus.

22 *RESP.* Verum eſſe omnem effectũ exigere cauſam aliquam; & quæ ſit per ſe talis, ſi ſit etiam ens per ſe: quia ex nihilo, nihil fit. At non omnis effectus in rerũ natura exiſtens, eſt per ſe ens, ſed aliquando ens per accidens. Theſaurus, ſcilicet, prout inventus, habet rationẽ entis per accidẽs; licèt ſecundùm ſe, & prout abſtrahit ab inventione ſit ens per ſe. Quòd enim fodiens terram, inveniat theſaurum, neque oritur ex natura foſſionis, neque ex conditione theſauri, quorum vtrumque ſeorſim, & nõ coniunctim, eſſe poteſt, ac ſolet communiter. Quare ſicut accidentaria fuit coniunctio theſauri, & foſſionis, ſic & inventio accidentaria eſt; ac proinde nullam habens cauſam per ſe. Similiter licèt monſtrum conſideratum ex parte naturæ ſpecificæ ſeorſim à deformitate ſit per ſe ens, & cauſam per ſe exigens: non tamen prout monſtrum, ſeu prout deforme: quia ſub eâ

conſideratione eſt præter inclinationem, & vim innatam naturalis agentis ad producendum ſimile. *AD I. Confirm.* Eſt duplex finis; alter intentus per ſe à natura, vel agẽte; & hic in omni actione invenitur conſiderata primò & per ſe: alter non intentus à natura, neque ab agente; & hic datur in foſsione terræ; ac generatione monſtri, cõſideratis, non primò & per ſe, ſed ſecundariò & per accidens. *AD II. Confirm.* Nego maiorem: Quia quod omnino fit præter intentionem tam agentis, quam naturæ, per ſe non fit ab agente, neque à natura: ac proinde neque cenſeri debet effectus, aut ens per ſe, ſed per accidens ex contingenti cauſarum confluxu. Idemque dicendum de occurſu Ioannis & Petri, qui prout occurſus eſt, ſive prout importat adventum vtriuſq; præter intentionem in eundem locum, nõ eſt quid vnum aut ens per ſe, ſed plura entia ſimpliciter ac per accidens.

23 *INSTABIS*: Sicut omne ens per accidens reducitur in aliquid ens per ſe, ſic omnis cauſa per accidens in aliquam cauſam per ſe. Ergo nullus effectus per accidens eſt in inventione theſauri, aut generatione monſtri, qui ab aliqua cauſa per ſe non procedat. *RESP.* negando conſequentiam. Omnis enim effectus per accidens ſolum dicitur reduci in aliquam cauſam per ſe, quâtenus partes, ſeu membra, ex quorum accidentali coniunctione reſultat, ſeorſim & ſecundùm ſe cõſiderata habent aliquam cauſam per ſe: v. g. tam aurum abſconditum, quàm actus foſsionis, ſunt à natura, vt cauſa per ſe. Cœterum quòd coniungantur foſsio & aurum abſcõditum, non habet cauſam determinatam, & per ſe vnam, ſed plures accidentaliter confluentes, quæ ſunt, partim qui theſaurum abſcondit, partim qui fodit in illo loco.

HÆC Sufficiunt ad oſtendendum inter effecta naturalia eſſe aliqua caſualia & fortuita, ſaltem reſpectu agentium particularium. quod vt minimum Ariſtot. in præſenti docet. Nunc reſtat decernere, an etiam circa cœlum, quod eſt vniverſalis cauſa corporum inferiorum, ſit aliquid per accidens, & à caſu.

(.)

(§)

SECTIO TERTIA.

Etiam eſſe effectus omnino naturales à caſu & per accidens reſpectu cœli. Vbi quid ſit bona & mala fortuna.

24 ITA Ægidius Romanus, S. Thomæ diſcipulus, & auditor, *Quodlib.* 4. Caietanus 1. *p. q.* 115. *art.* 6. Flandria 3. *contra Gent. cap.* 86. Raphael de la Torre *tom. 2. de Relig. q.* 95 *in annot. art.* 5. Araujo *lib. 6. Metaph. q.* 2 *art.* 2. Complutenſes *diſp.* 13. *q.* 1. pluresque alij ex omnibus Scholis, quanquam obiter. *PROBATVR Primò*: Tum ex Philoſopho locis allegatis *hoc 2. Phyſic. & 6. Metaph.* abſolutè docente non omnes effectus naturales ex neceſsitate evenire; & *lib. de Divin. c.* 2. ea quorum ſunt in cœlo ſigna, vt pluvias & ventos, interdum non evenire, ob vehementioris cauſæ impedimentum: Tum authoritate & ratione D. Thomæ 1. *p. q.* 115 *art.* 6. vbi inquirit vtrũ corpora cœleſtia imponant neceſsitatem iis, quæ eorum actioni ſubduntur: ſcilicet, rebus omnino naturalibus, & naturaliter evenientibus, de quibus ſolùm in præſenti agimus; & reſpondet negativè, tum in argumento *Sed contrà*, ex authoritate Philoſophi *lib. de Divinatione per ſomnium cap.* 2. tum in corpore articuli: idque probat hac ratione: *Omne quod eſt per ſe, habet cauſam: quod autem eſt per accidens, non habet cauſam: quia non eſt verè ens, cùm non ſit verè vnum. Album enim cauſam habet: ſimiliter & muſicum. Sed album muſicum non habet cauſam, quia non eſt verè ens, neque verè vnum. Manifeſtum eſt autem quòd cauſa impediens actionem alicuius cauſæ ordinatæ ad ſuum effectum, vt in pluribus, concurrit interdum per accidens. Vnde talis concurſus non habet cauſam in quantum eſt per accidens. Et propter hoc, id, quod ex tali concurſu ſequitur, non reducitur in aliquam cauſam præexiſtentem, ex qua ex neceſsitate ſequatur. Sicut quòd aliquod corpus terreſtre ignitũ in ſuperiori parte aëris generetur, & deorſum cadat, habet cauſam aliquam virtutem cœleſtem. Et ſimiliter etiam quòd in ſuperficie terræ ſit aliqua materia combuſtibilis, poteſt reduci in aliquod cœleſte principium. Sed quòd ignis cadens huic materiæ occurrat, & comburat eam, non habet cauſam aliquod cœleſte corpus, ſed eſt per accidens. Et ſic patet quod non omnes effectus cœleſtium corporum ſunt ex neceſsitate.* Hæc D. Tho. quibus non modò negat effectus per accidens habere cauſam per ſe ac neceſſariam in cœlo; ſed etiam id probat, quia ef-

fectus

fectus per accidens in quantum talis, ſicut non habet vnitatem per ſe, ſic neque entitatem: ac proinde neque in cœlo, *neque in aliquo cœleſti corpore*, habet cauſam per ſe. Quod & exemplo iam a nobis ſuperius adducto explicat.

SI autem cum Authoribus ſententiæ adverſæ reſpondeas, impedimentum cauſæ naturalis & inferioris ad operandum ſuum propriũ effectum, non poni, ſine concurſu cœli; ac proinde cęlũ eſſe cauſam per ſe reſpectu talis impedimenti, vnde oritur effectus per accidens reſpectu prioris cauſæ: ſi, inquam hoc reſpondeas; præoccupat evaſionem hanc, tum ratio S. Doctoris præiacta, tum & verba ipſius *ſolut. ad 3.* vbi inquit: *Licet cauſa impediens effectum alterius cauſæ reducatur in aliquod cœleſte corpus, ſicut in cauſam; tamen concurſus duarum cauſarum, cùm ſit per accidens, non reducitur in cauſam cœleſtem, vt dictum eſt.* Manifeſtè igitur conſtat S. Doctorem negaſſe effectus caſuales, & fortuitos, ſive per accidens, habere cauſam per ſe ac neceſſariam in cœlo. Idemque tradit 2. 2. q. 95. art. 5. & 6. *Metaph.* in illa digreſsione *de Fato & Providentià.*

25 *DICES*: Quòd ignis in ſuperiore aëris parte generatus huic materiæ occurrat, & comburat eam, non eſt quid fictum & rationis, ſed aliquid verum & reale, vt ad ſenſum patet. Ergo eſt verè ens, ac proinde vnum: conſequenterque habet cauſam. Quæ conſequentia ex diametro contradicit diſcurſui præiacto, & prioribus verbis S. Thomæ. *Præterea.* Si id non eſt verè ens, neque habet cauſam; igitur nec Deus cauſa eſt illius effectus per accidens: quia Deus nihil cauſat niſi quod habet rationem entis. Aliunde verò abſurdiſsimum videtur dicere, aliquid in rerum naturà exiſtens abſque fictione intellectus, non habere cauſam in Deo. Si autem dicas illum effectum ſolùm eſſe ens per accidens, atque ideo ſolùm per accidens habere cauſam in Deo; ſequitur eſſe à caſu reſpectu Dei, non minus, quam reſpectu cœli. Quod tamẽ æquè abſurdum eſt, cùm nihil Deo caſuale ſit, aut fortuitum.

26 *RESP.* Quòd ignis in ſuperiori aëris parte productus huic materiæ occurrat, eamque potiùs, quam aliam abſumat, non eſſe quid fictum, & rationis, ſed aliquid verum & reale ens, & vnum; non tamen per ſe, ſed per accidens: ac proinde ſufficere, vt cauſam per accidens habeat; non verò requirere cauſam per ſe. Quo enim manifeſte loquitur S. Thomas abſque vllà contradictione. Vnde & patet, effectũ illum habere cauſam in Deo: non tamen per accidens, vel à caſu, qualiter in cœlo: quia Deus omnes & ſingulas operationes cauſarum naturalium, ſeu operantium per ſe, ſeu per accidens, prævidet diſtinctè ac ſeorſim prædiffinit immutabili ſuæ voluntatis propoſito, ſicut & illarum confluxum; ſimiliterque omnipotenti virtute ſuà, a nullo alio impedibili, exequitur immediatè eaſdem operationes. Quare nihil eſt à caſu reſpectu Dei, ſicut relatè ad corpora cœleſtia; vtpotè quibus omnia oppoſito modo eveniunt. Neque enim prædiffiniunt operationes agentium inferiorum, neque ipſarum effecta operantur immediatè, neque tandem prædita ſunt virtute omnipotenti, cui reſiſti non poſsit. Patet ergo poſſe aliquos effectus eſſe caſuales reſpectu cœli; non tamen relatè ad Deum.

27 *SECVNDO* Probatur ratione eiuſdem Angelici Doctoris 3. contra Gent. cap. 86. vbi eandem doctrinam tradit, & confirmat hoc diſcurſu: *Si nihil in rebus naturalibus eveniret à caſu & per accidens reſpectu cœli; ergo reſpectu cœli omnis effectus naturalis ex neceſsitate eveniret. Sed hoc eſt falſum. Ergo, &c.* Minorem, in qua ſolùm eſt difficultas, & circa quam præcipuè contendimus, probat, tum ratione, tum & teſtimoniis. Summa autem rationis in eo conſiſtit, quia licèt cœlum ſit movens & agens neceſſarium, producit per ſe immediatè & proximè effectus ſublunares, ſed per agentia inferiora, quæ ſunt contingentia, & defectibilia. Neque agit ex nihilo, cùm ſit virtutis finitæ: ideoque vt in inferioribus agat, requirit materiam determinatam, atque diſpoſitam. Poteſt ergo evenire, vt defectu agentium inferiorum & particularium, vel defectu materiæ, non ſemper cœlum conſequatur effectũ illum, quem per ſe intendit, ſed alium per accidens: ac proinde falſum eſt, omnes effectus naturales reſpectu cœli per ſe & ex neceſsitate evenire; cum aliquoties relatè ad ipſum evenire poſsint per accidens, & à caſu.

28 *CONFIRM. I.* Exemplo, quo idem vtitur loco ſuperiùs allegato ex 1. p. q. 115. *art. 6. ſolut. ad 1. & 2.* vbi poſtquam repetit doctrinam nuper ex ipſo relatam ex 3. contra Gent. addit: *Sicut diverſitas loci impedit effectum corporis cœleſtis (non enim Sol eundem caloris effectum habet in Daciâ, quem habet in Æthiopiâ) ita & groſsities materiæ, vel frigiditas, aut caliditas, aut alia huiuſmodi diſpoſitio, impedire poteſt effectum corporis cœ-*

cœleſtis. Non ergo tanta eſt ſubordinatio corporum inferiorum ad cœlum, vt quaſi ad eius nutum omnia ſublunaria gerantur: ſed quandoquè ex indiſpoſitione materiæ, aut diſpoſitione contrariâ, poterunt aliqua reſpectu cœli à caſu, & per accidens evenire. idque planè agnovit Ptolomæus Princeps Aſtronomicæ artis, qui *in Opere Quadripartito* docet, effectus, qui ex ſuperioribus corporibus procedunt, non evenire inevitabiliter. Scilicet, qualitercumque impedimentum ſit, vel ex parte ſolius materiæ indiſpoſitæ, vitari poterunt aliquando ſaltem, licet communiter evitari nequeant. Si autem, vel ſemel, evitentur, illa nõ exiſtentia effectus in cuius poſitionem inclinabat naturaliter cœlum, erit per accidens & a caſu reſpectu illius; ſicut exiſtentia alterius effectus impoſsibilis cum illo priori, & per ſe intento.

29 *TERTIO* Suadetur ratione, quà potiſsimùm convincor, partim deſumptà ex D. Thom. loco allegat. *ex 3. contr. Gent.* partim ex D. Auguſtino *lib. 5. de Civit. c. 7.* in hanc formam redactà. Si nullus effectus naturalis eſſet a caſu reſpectu cœli, ſed omnes relatè ad illud procederent neceſſariò, ac per ſe, nulla inferior cauſa eſſet, quæ circa ſuos effectus naturales non ſequeretur conditionem ipſius cœli. Ergo ſicut ex parte cœli omnia vniformiter & neceſſariò ſe habent, ſic ex parte cauſarum inferiorum omnia vniformiter & neceſſario provenirent, neque aliter, quam iuxta inclinationem cœli. Non ergo ex parte cauſarum inferiorum eſſet difformitas aliqua inter effectus, neque vnus eſſet naturalis, & alter monſtroſus; vnus per ſe, & alius per accidens; vnus neceſſarius, & alter fortuitus: ſed omnes eſſent eiuſdem rationis & vniformes, ſicut influxus cœli ſemper vniformis eſt.

30 *CONFIRMATVR I.* Si enim nullus effectus naturalis eſſet à caſu reſpectu cœli, ſed omnes neceſſarij ac per ſe, quæcumque ſimul generantur ſub eadem cœli parte, & ſub eorundem aſtrorum aſpectu, vniformia eſſent in omnibus, æqualiter durarent, & ſimul interirent, vtpote habentia eandem cauſam neceſſariam & per ſe circa omnes naturales effectus. At conſequens experimento quotidiano falſum deprehenditur. Ergo, &c. Probatur minor exemplo ſegetum, de quibus Auguſtinus loco allegato inquit: *Electio ad ſeminandum agrum die, tam multa grana in terram ſimul veniunt, ſimul germinant; exortà ſegete ſimul herbeſcunt, flaveſcunt. Et tamen inde ſpicas cæteris coævas, atque (vt ita dixerimus) congerminales, alias rubigo interimit, alias depopulātur aves, alias homines evellunt. Quomodo iſti, ſcilicet Iudiciarij, alias conſtellationes feciſſe dicturi ſunt, quas tam diverſos exitus habere conſpiciunt?* Hæc Auguſtinus, & rectè quidem ab exemplo ſegetum manifeſto; quoties grana ſimul mittuntur in terram. Quis enim de infinitis propemodum granis, eodem prorſus tempore iactis in terram, eàdem cœli pluvia irrigatis, neget innumeras ſimul ſegetes naſci, quarum tamen diverſa duratio, & diſsimilis deſitio eſt? È contrà autem, ſi diverſis momentis; & ſub diſtincta cœli parte, ortæ ſunt, quomodo plurimæ illarum eandem durationem & finem habuerunt? Omnes ſimul ab incendiario abſumptæ, vel à grandine, aut frigore, vel meſſoris falce. Et tamen ſi influxus cœli omnibus naturalibus effectis neceſsitatem imponit, nec congerminales ſegetes diſsimilem exitum haberent, nec ſimilem quæ ſub diverſa conſtellatione, & diſtincto tẽpore ortæ ſunt. Cùm ergo oppoſitum cõſtet quotidiano experimento, aſſerendum eſt, cœlum non omnibus effectis naturę inferioris neceſsitatem imponere.

31 *CONFIRM. II.* Experimento bicipitis monſtri, ac duplici animà conſtantis; quod vnico momento conceptum, eodem inſtanti natum, & ſub indiviſa cœli conſtellatione editum, ſæpe diverſitatem habet in affectionibus omnino naturalibus, & duratione vitæ. Cuius rei, veritatiſque indubiæ teſtimonium mutuare volui ex integerrimo viro, inſignique Sacræ Scripturæ Interprete Nicolao de Lyra, in Commentario Geneſeos: vbi aſſerit, antequam eum librum explanandum ſuſciperet, natam fuiſſe in Galliâ puellam duo capita habentem, & quatuor brachia; ita, vt à pectore ad partem ſuperiorem eſſet duplex corpus, ad partem verò inferiorem vnicum. Nutrita eſt puella monſtroſa multo tempore: quodlibet caput cibum ſumebat: vno dormiente, aliud vigilabat. Tandem vnum mortuū eſt, & aliud ſupervixit. Sed tantus fœtor ex capite priùs mortuo proceſsit, vt aliud ſupervivens, teterrimo afflatu, & contigua corruptione vitam finierit. Vnde palam eſt vtrumque caput propriam ac diſtinctam animam habuiſſe. Simile aliud portentum Pariſijs viſum refert Lalemander tempore ipſo, quo ſcribebat Curſum Philoſophicum *diſp. 4. part. 10. fine, pag. 418.* nimirum circa annum 1643. Exinde autem planè deducitur, eandem cœli conſtellationem & influxum, ex conditione ſubiecti, ſive ma-

te-

teriæ recipientis, habuiſſe diſsimiles ac difformes effectus: ac proinde vtrumque ſimul non proceſsiſſe per ſe ac neceſſario à cœlo, cuius influxus & vis activa vniformis eſt.

32 *CONFIRM. III.* Ideo enim nunquam variatur curſus naturalis ac ſtabilis dierum & noctium iuxta ſitum vniuſcuiuſque regionis, neque ſeries ecclypſium, aut augmenti & decrementi Lunæ, & coniunctionis atque oppoſitionis cum Sole, quia totum id procedit ab vniformi cœli motu, neceſſario ac per ſe. At curſus rerum naturalium intra cœlum aliquando variatur, & ſeriem mutat in effectis quibuſdam præternaturalibus, monſtroſis, fortuitis, & à caſu, vt experimento liquet. Ergo curſus rerũ naturalium intra cœlum, non procedit ab vniformi cœlorum motu influxuque, neceſſariò & per ſe.

33 *CONFIRM. IV.* à poſteriori. Ideo enim, vel mediocres Aſtronomi, certo & evidenter prædicunt futuram coniunctionem, atque oppoſitionem Solis ac Lunæ, ecclypſimque alterutrius in determinata cœli, ac temporis parte; quia totum id neceſſario ac per ſe connectitur cum regulari cœlorum motu. E contra vero circa annonæ ac frugum copiam, vel penuriam, pluvias ac ſerenitatem, in quovis loco ac tempore determinato, nemo eſt Aſtronomorum, etiam peritiſsimus, qui aliquid certo futurum prædicat, & ſæpiſsimè non fallatur. Quare annua prognoſtica, ſeu ephemerides, quæ paſsim eduntur, communiter errant circa hoc ſecundum futurorum genus, vt experimẽto deprehendimus. Vnuſque Ioannes Picus Mirandula in lectiſsimo illo Opere ſuo adverſus Aſtrologos, obſervavit, ſe ex centum annuis tabulis ephemeridum non inveniſſe vnam aliquam, quæ circa futura hæc non erraret toto cœlo. Ideo ergo eſt, quia ſublunares effectus, licèt naturales ſint, non connectuntur neceſſariò ac per ſe cum influxu & motu cœli. Si enim connecterentur, poſſent certo prædici, ſaltem à præſtantioribus Aſtronomis, quẽadmodum à mediocribus prædicuntur ecclypſes, aliaque, neceſſario ac per ſe cum cœli motu connexa.

34 *ROGABIS*, Quid ſit bona fortuna, & vnde procedat quod aliqui ſint bene fortunati, alij non item, ſi fortuna bona & mala non habent in cœlo cauſam per ſe? *RESP.* Ariſtotelem *lib. de bona Fortunâ* ſic eam definire: Bona fortuna continua & divina non eſt aliud, quàm ſine ratione natura inclinans hominem ad ſequendum divinos impulſus, quibus agitur ad proſecutionem boni, & fugam mali. Porro bona fortuna dicitur *continua*, quia vt bona ſit debet eſſe permanens, & non interrupta, niſi raro; nam quod ſemel, aut iterum ſolùm accidit, quanquam cenſeatur ex fortuna accidere, non tamen bona. Vnde & bona fortuna, cum invariatum & ordinarium curſum ſervet, quodammodo cenſetur cauſa per ſe; quæ autem ſolùm fortuna, ſive ſemel aut iterum contingens, exiſtimatur cauſa per accidens. Dicitur etiam *divina, & ſine ratione*, quia vi ipſius accidunt bona alicui ex quodam arcano impulſu, prorſus homini ignoto, & plerunque præter ipſius expectationem, vt propterea exiſtimet totum id ſpecialiter provenire à Deo. Vnde homines bene fortunati ſi interrogentur, cur bonam fortunam experiantur, neſciunt reddere rationem eorum quæ faciunt, ſolumque reſpòndent, ſe impulſos fuiſſe interiùs ad ea agenda.

35 *CONSENTIT D.* Thomas 3. *contr. Gent. c.* 92. vbi docet, hominem dici benè fortunatum, quando ſtabiliter inclinatur ad quaſdam electiones ſibi vtiles, etiã abſque cognitione vtilitatis illarum. Addit vero, quia homo quò ad voluntatem patitur à Deo, quò ad intellectum ab Angelis, & quo ad corpus à corporibus cœleſtibus, inde eſſe, vt inclinetur ad vtiles electiones, etiam abſque cognitione vtilitatis illarum, quo ad voluntatem a Deo, quo ad intellectum ab Angelis, & quo ad corpus ab impreſsione cœleſtium corporum. Ratione primæ inclinationis dicitur bene gubernatus: ratione ſecundæ benè cuſtoditus: ratione tertiæ bene gubernatus. Semper tamen notandum, inclinationem illã, ſive ab Angelis, ſive ab impreſsione cœleſtium corporum provenientem, nullam homini neceſsitatem imponere, ſed ſolùm diſponere, tum intellectum, tum & corpus ad ea agènda, quæ felicitatem ſubiecto afferunt; cum tamen poſsit homo pro libito deſiſtere ab ijs omnibus, quæ ipſius voluntati ſubduntur. Sed de hoc latius egi loco allegato *ſuprà num.* 15. vbi plura varia & lectu iucunda exhibui. Lege etiam Lalemandetum *diſp.* 4. *part.* 10. *à num.* 34.

(.)

(ϑ)

SE-

SECTIO QVARTA.

Enervantur argumenta ſententiæ adverſæ.

36 **B***REVITER* Diſſolvenda ſunt argumenta ſententiæ oppoſitæ, quæ propoſuimus ſect. 1. *AD I.* ex authoritate D. Thomæ deſumptum, dicendum eſt, Sanctum Doctorem eo teſtimonio nō loqui de effectibus fortuitis, & caſualibus, in quantum tales ſunt, ſive in complexo fortunæ & caſus; ſed tantùm de cauſis per ſe, & effectibus ipſarum, diviſivè acceptis; qui quemadmodum ſub hac conſideratione ſunt entia per ſe, ita etiam habent cauſam per ſe in cœlo. Vnde quando quis fodiens agrum inopinatò deprehendit theſaurum, inventio illa in quantum talis non habet cauſam in cœlo per ſe; licèt tam foſſio terræ, quam exiſtentia auri reducatur in primum movens corporale, vt patet ex teſtimonijs expreſsis ipſius Sancti Doctoris, quæ dedimus *ſect.* 3. Idemque dicendū de floritione duarum plantarum, quatenus poteſt habere rationem effectus caſualis. nam alioqui, & communiter loquēdo, floritiones, non modò duarum, ſed & innumerabilium plantarum, videntur per ſe cauſam in cœlo habere: cuius ſignum eſt quod in vnaquaque regione & climate ſolent ſtatis & eiſdem temporibus florere ac frondere arbores, cæteræque plantæ, quia influxus cœli tunc maximè conducit ad talem effectum. Subordinatio autem effectuū caſualium & fortuitorum ad primum movens ſpirituale, quod eſt *Deus*, multo maior eſt, quia ex ipſius nutu, ac decreto, & prævilione procedit. Per quod patet ad primam confirmationem.

37 *AD II.* Confirmationem *ex n.* 7. reſpondetur; effectum caſualem ac fortuitum in quantùm talem non habere rationem entis per ſe, ſicut neque vnius per ſe, nec corporis, nec quantitatis, nec qualitatis, &c. ac proinde non exigere aliquam cauſam per ſe in cœlo, quod ſolum habet directè influere in effecta, quæ ſunt corporea per ſe, ac proinde entia & vnum per ſe. Cæterum concurſus divinus, cùm ſit cauſa vniverſaliſsima, & primæ ſimpliciter, extenditur ad omne illud, quod habet rationē entis, ſive per ſe, ſive per accidens: quia *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Sed de hoc poſtea redibit ſermo in ſolutione ad vltimum argumentum. Indidem etiam patet ad tertiam cōfirmationem. Monſtrum enim in quantum tale, ſicut non eſt ens per ſe, Ita etiam neque corpus per ſe, quod directè a cœlo dependeat; ſed tantum per accidens ex inordinato confluxu membrorum, quem natura, & influxus cœli per ſe non intendit, ſed abhorret. Cum hoc tamen ſtat, quod monſtrum per ſe intendatur à Deo ſive propter pulchritudinem Vniverſi, quæ ex tanta rerum varietate reſplendet, ſive ob alios fines, quos ipſe novit. Vnde monſtrum in Deo per ſe cauſam habet, in cœlo non habet.

38 *AD II.* Argumentum. Verum quidem eſt tam exſiccationem herbæ, quam illius combuſtionem, ſeorſim conſideratas, habere cauſam per ſe, atque incomplexam in cœlo. nam & exſiccationis ſeorſim eſt cauſa per ſe Mars, & combuſtionis Iupiter. At verò confluxus ille combuſtionis & exſiccationis in herbam, eſt ens per accidens, & nullam vnitatem per ſe habens; atque adeo irrevocabilis ad aliquam cauſam per ſe. Sic iuxta Philoſophum in præſenti difficultate, licèt album & muſicū ſeorſim conſiderata vnitatem per ſe habeat, & proinde cauſas per ſe requirant; tamen complexum albi & muſici eſt ens per accidens, & nullam habens cauſam per ſe infra Deum. Quamvis enim intra multitudinem creaturarum Vniverſi contineatur, & muſica, quæ eſt cauſa muſici, & alteratio diſgregativa, quæ eſt cauſa per ſe albi; confluxus tamen & muſicæ, & alterationis diſgregativæ in idem ſubiectum, eſt caſualis, & præter intentionem naturæ creatæ. Idemque cernere eſt in quamplurimis alijs exemplis, quæ brevitatis cauſa omittimus. Pariter ergo licèt cœlum complectatur Iovem & Martem, ſicut & alios Planetas, confluxus duorum aut plurium diſparato modo, vt in caſu argumenti eſt per accidens, & præter cœli intentionem. Dico *intentionem*, non quaſi cœlum arbitrio conſtet, quo manifeſtè caret: ſed iuxta communem phraſim, qua propenſio naturarum inſenſibilium ad operationes & effecta earundem propria, dicitur eſſe ex *intentione* naturæ, ſeu inclinatione, ab Authore impreſsâ.

39 *AD* Confirmationem propoſitam *num.* 10. patet ex dictis *à num.* 7. virtutem cœli in hæc inferiora finitam eſſe, & multipliciter impedibilem propter diverſam diſpoſitionem materiæ, ſive ſubiecti, in quod agit; eundemque Solem numero in Dania, Norvegia, & alijs regionibus Aquilonaribus, longè minus calefacere, quàm in Auſtralibus; & in his homines vt plurimum

aui

atri coloris eſſe, in illis vero candidi, ac rubri, ex diverſa terræ poſitione, ac temperamento climatis. Non ergo ſubduntur inferiora hæc quaſi ad cœli nutum; ſed eius influxus modificatur, ac temperatur multipliciter iuxta variam conditionem materiæ.

40 *AD III.* & vltimum Argumentũ. Si ſermo ſit de actibus pendentibus à libera voluntate creaturæ, præter inſtitutum huius controverſiæ procedit obiectio: nam, vt ſuprà monui, nunc ſolum agimus de cauſis & effectibus naturalibus, ac neceſſarijs. Breviter tamen de vtriuſque dicendum, quamvis decernantur a *Deo* immutabili ſuæ voluntatis propoſito, non propterea tolli de medio effectuum libertatem, contingentiam, & caſualitatem. Ratio eſt, quam vniverſim aſsignat D. Thom. *1. p. q. 19. ar. 22. art. 4.* & S. P. Anſelmus *lib. de Concordia* ſæpe, ac fere paſsim: Quia nimirum Deus ita præfinit, ſeu ſtatuit operationes & effectus creatos atque exercitia cauſarum ſecundarum, prout congruit cuique naturæ; atque adeò operationibus & effectibus neceſſarijs adaptat cauſas neceſſarias, liberis indifferentes ad vtramvis partem, & caſualibus ac fortuitis, caſuales fortuitaſque. Quod dico abſtrahendo nunc ab ea controverſiâ Scholis celeberrima, circa efficaciam divini decreti in actus noſtros liberos, & qualitercumque inter Catholicos exponatur. Vnde tam procul eſt a decreto divino, quod libertatem, contingentiam, & caſualitatem effectuum tollat, vt potius illam infallibiliter inferat, quia omne, quod efficaciter decretum eſt a *Deo*, reipſa executioni mandabitur, & eo modo, quo ab ipſo ſtatutum eſt; ſi tanquam liberum, liberè; ſi tanquam neceſſarium, neceſſario; ſi veluti contingens & caſuale, ac fortuitum, contingenter, & à caſu, fortunavè.

AD I. Confirmationem *ex num. 12.* Deus ita dominatur cauſis ſecundis, vt ſimul velit illas concurrere ad propria effecta, & operationes, iuxta ipſarum naturam & effectuum exigentiam. Proinde vult cauſas liberas liberè operari; neceſſarias, neceſſariò; caſuales & fortuitas, a caſu, & omnino per accidens. In hoc enim plus reſplendet Omnipotentia ipſius, & efficacia ſumma, vt omnia ad ipſius nutum fiant, & executioni mandentur, non quomodocumque, ſed eo modo quo ipſe vult, aut permittit. Vult autem omnes cauſas ſecundas conferre aliquid in ſua effecta & operationes iuxta cuiuſque indolem atque exigẽtiam.

41 *AD II.* Confirmationem negatur maior: Quia ſtat optimè effectum aliquem eſſe caſualem, ac fortuitum relatè ad inferiorem cauſam, & tamen per ſe inſpectum à cauſa ſuperiori. Cui doctrinæ explicandæ prodeſt exemplum illud D. Thomæ, quo cæteri communiter vtuntur, de domino mittente duos ſervos per diverſa itinera, eo fine, vt concurrant in eodem loco, inſcio vtroque futuri eventus. Tunc enim occurſus ſervorum in loco præfinito, ijſdem à caſu & præter intentionem eſt; quanquã per ſe inſpiciatur a domino. Aliud quoque exemplum huic affine eſt, ſi Deus mittat Angelum ad deſtruendum civitatem aliquam, quæ eſt cauſa diſcordiæ Principum, eo fine, vt vrbe in cineres redacta, Principes in pacem, amicitiamque redeant; Angelo interim neſcio finis mediatè à Deo intenti. In hoc enim caſu pax ſequuta inter Principes, relatè ad Angelum eſt effectus caſualis; relatè verò ad *Deum* eſt effectus intentus per ſe.

42 *AD III.* Confirmationem patet ex eadem doctrinâ, poſſe eſſe plures effectus à caſu & fortuitos reſpectu agẽtium particularium, qui tamen neque ſunt a caſu, neque fortuiti reſpectu *Dei*. Ratio eſt, quia *Deus* præ omni creatura eſt infinitè potens, ac ſapiens: proindeque ipſius potentia ad omne poſsibile extenditur, ſicut & ſcientia ad omne cognoſcibile. Inde eſt, vt nihil à caſu & fortuito reſpectu illius accidat, cũ omnia prævideat, omnemque entitatem in rerum natura exiſtentem decernat immutabili ſuæ voluntatis propoſitò. Quo alluſit S. Paulinus ad Iovium *epiſt. 38.* dum accinit,

Cuncta Deum regere, & nihil ut ſine mente putemus
Principis eſſe Dei; atentis, non arbore frondem,
Aère non volucrem ſine iuſſu decidere, & cùm
Omnipotens verbo ſternit mare, vel pede calcat.

Et, quod mirabilius eſt, Plato 10. de Legibus omnem caſum, atque eventum improviſum Deo negat, dum ait, *Deum noſſe, & intueri, audireque omnia, neque etiam latere rem ullam earum, quæ ſenſu ac ſcientiâ percipiuntur.* Ac denique, prætermiſsis aliis, Orpheus ille Poëta vetus eandem ſententiam exprimit illis verſibus:

Ὄμμα μέγα τρομέομεν, &c.

Quæ ſic ferè ad verbum reddidimus:

Magnum oculum metuamus, qui tum viſcera terræ

Reſ-

Reſpicit, atque profunda maris; tum quidquid obumbrat
Mens hominum: neque quidquam abſcondit tempus: at adſunt
Cuncta Deo.

43 *DENIQVE* Addendum doctrinæ præiactæ, diſpoſitionem materiæ non debere reduci ſolùm in virtutem cœleſtium corporum. Elementa enim, quæ ſunt materia, ex qua cœleſtia corpora operantur, pertinent ad ſubſtantialem integritatem Vniverſi iuxta Ariſtotelem 2. *de Cœlo textu* 17. Cumque elementa fuerint creata à principio cum ſuis qualitatibus, habuerunt conſequenter diſpoſitionem, non productam in ijs virtute cœleſtium corporum. Ergo non oportet totam effectuum reſolutionem fieri in ſolam virtutem cœleſtium corporum, ſed etiam in elementa, & variam ipſorum diſpoſitionẽ. Ergo poteſt aliquid a caſu contingere reſpectu cœli, poteritque aliquod agens particulare ex privatâ diſpoſitione nimiùm debili aliquando deficere, & non præſtare effectum, in quem cœlum inclinat, ſed alium debiliorem ac diverſum. In Deo autem eſt diſpar ratio, cùm ſemper proportionatas vires ſubminiſtret in omne opus quod vult executioni mandari. Legendus hac de re Apuleius, quanquam Ethnicus 1. lib. de Philoſophiâ non ita longè a fine.

SECTIO QVINTA.

De Fato, an ſit, & quid ſit?

44 CVM Fatum videatur opponi ex diametro caſui & fortunæ, ſolet in præſenti de illo agi obiter: quanquam de eo vberrime ſcripſerint Alexander Aprodiſæus ad Severum & Antoninum Imperatores, Plutarchus & Plotinus plenis Opuſculis *de Fato*, ſicut & S. Gregorius Nyſſæ Antiſtes, ac D. Thomas. Diſſerit quoque de illo S. Auguſtinus *lib.* 5. *de Civit. à cap.* 1. *vſque ad* 11. Ioannes Picus Comes Mirandulæ *lib.* 4. *adverſus Aſtrologos*, & plurimi alij, ac politiſſimè omnium Iuſtus Lipſius *lib.* 1. *de Conſtantiâ à cap.* 17. *vſque ad* 22. niſi quod *cap.* 20. aliquanto poſt medium videatur impropriè ac ſiniſtrè locutus circa neceſſitatem peccati futuri, quamvis id lenire aut moderari velit. Vnde & S. Inquiſitionis iuſſu eæ lineæ abolitæ ſunt, præmonitis omnibus vt cautè legant, quæ de Fato diſſerit Lipſius, neque vlla leviori nota vlteriùs addita Viro eruditiſsimo, ſimul & Catholico, atque eximie pio.

45 *PORRO Fati* etymon iuxta Auguſtinum vbi nuper *cap.* 9. *& lib.* 2. *contra Fauſtum cap.* 5. deſumptum eſt a *fando*, ſeu loquendo: vt ea ſub fatum cadere intelligantur, quæ aliquis futura prædixit, ſeu prælocutus eſt. Licèt autem S. P. N. Gregorius *in Homiliâ ſuprà Evangelium Epiphaniæ*, videatur Catholicis prohibere appellationẽ, ſeu vocem *Fati*; intelligendus eſt illam ſolùm proſcripſiſſe eo ſenſu, quo ab hæreticis vſurpabatur. Nimirum, vt ipſe eodem loco perhibet, Priſcillianiſtæ Fatum hominis in influxu ſiderum & cœleſtium corporũ collocabant: ſcilicet, in ſerie cauſarum, & diſpoſitione aſtrorum, ſub quibus aliquis editus fuit, prorſus inevitabili, & nequaquam impedibili ab homine, ne effectum ſortiatur. Quod ipſum & hæretici Bardeſanes affirmabant, vt teſtatur Caſtro *contra Hæreſes v. Fatum*, & iam ante tradiderant ex Gentilibus Ptolomæus, Apuleius, ac paſsim Poëtæ Græci & Latini, adhuc poſt Chaldæos & Babylonios, quos inter id receptiſſimum. Imo & Mercurius ille, qui ob incomparabilem ſapientiam Triſmegiſti nomen adeptus eſt, id ipſum docuerat dicens, inter alia: εἱμαρμένῃ ὑπηρετοῦσιν οἱ ἀστέρες, *Fato ſubſerviunt ſtellæ. Nam nec Fati vim effugere quiſquam poteſt; nec cavere ſibi à vi & potentia ſtellarum. Hæc enim tela & arma Fati: cuius arbitrio cuncta efficiunt & perficiunt naturæ ipſi, atque hominibus.* Atque vtinam ſoli hęretici ac Gentiles in eo errore. Plerique enim ex ijs ipſis, qui Catholici audiunt, præſertim nativitatum revolutores & iudiciarij, eundem innovârunt, & ſcripto etiam tradiderunt: vt fusè adnotavimus dicto *tom.* 1. *Theologiæ Florulentæ Ludo* 6. per totum: vbi & idem error ex profeſſo impugnatus fuit, præcipuè quia Deũ, ac cęlum facit authorem ſcelerum noſtrorum, omnemque humanam libertatem aufert. Eo igitur ſenſu docet Magnus Gregorius nullum eſſe Fatum. Alioqui enim, id eſt, eo nomine accepto vti decet ac cõgruit, tum Providentiæ divinæ, tum & libertati humanæ, nihil abſurdi eſt in Fato admittendo: vt admittitur ab ipſis Eccleſiæ Patribus, Theologis Scholaſticis, & Philoſophis Catholicis.

46 *PRO* Quo obſerva ex S. Thomà 1. *p. q.* 116, *art.* 2. Deum exequi res, quæ in mundo accidunt, per cauſas intermedias earundem: quarum ſeries & ordinatio ex parte Dei appellatur *Providentia*; ex parte autem ipſarum cauſarum, quatenus diſpoſitæ ſunt & determinatæ ad effectus præſtãdos, dicitur *Fatum*. Vtramque partem vide-

detur complexus Seneca *lib. 4. de Beneficijs cap. 7.* quanquam alioqui erraverit circa hanc materiam. Ait enim: *Cùm Fatum nihil aliud ſit, quàm ſeries implexa cauſarum; illa eſt prima omnium cauſa, ex quâ cæteræ pendent.* Et Ariſtoteles *libr. de Mundo ab Alex.* οἶμαι δὲ, καὶ τὴν ἀναγκην οὐκ ἄλλο τι λέγεσθαι, πλὴν τοῦτον, &c. *Exiſtimo autem & neceſſitatem nõ aliud dici debere, quàm ipſum* (Deũ) *tanquam ſtabilem naturam: & Fatum item ipſum, quòd connectat omnia, & progrediatur liberè ac ſine impedimento.*

47 *VNDE* Duo exiguntur ad rationem Fati; vnum, quaſi materiale, quod eſt entitas cauſarum ſecundarum: alterum, quaſi formale, quod eſt ipſa ſeries & coordinatio cauſarum determinata ad cauſandum eundem effectum. Quod planè tradit S. Thomas *loco alleg. ad 3.* dum ait: *Fatum dicitur diſpoſitio, non quæ eſt in genere qualitatis: ſed ſecundùm quòd diſpoſitio deſignat ordinem, qui non eſt ſubſtantia, ſed relatio.* Quo item ſenſu accipiendus Ariſtoteles, ſcilicet, formali, dũ ait: εἱμαρμένην δὲ αἰτίαν μὲν τρόπον δέ τινα αἰτίας συμβεβηκότα πῶς τοῖς ἐξ ἀνάγκης τεταγμένοις: *Fatum non eſſe cauſam, ſed modum quemdam cauſæ accidentem ijs, quæ à neceſſitate ſunt ordinata.* Nimirum, non tam eſt ipſa cauſarum entitas, quam earundem coordinatio in finem præſcriptum à Providentia divina: quam Chryſippus apud Agellium *lib. 6. Fatum* appellat, definitq; δύναμιν πνευματικὴν τάξει τοῦ παντὸς διοικητικήν: *vim ſpiritualẽ, ordine Univerſum hoc gubernantem.* Fertur & idem Chryſippus definiſſe *Fatum*, λόγον ἀΐδιον τῆς προνοίας: *Providentiæ æternam rationem.* Quod tamen ita accipiendum, vt Providentia ipſa Dei ſolùm ſit Fatum cauſaliter: quatenus cauſat ordinem ipſum cauſarum ſecundarum relatè ad quemlibet effectum; ſervata tamen creaturis rationalibus libertate, & contingentia effectuum caſualium, ac fortuitorum, vt progreſſu diſputationis ſæpe traditum eſt. Quo alexipharmaco adhibito nihil periculi in admittendo Fato: Quoniam eo nomine nihil aliud accipimus, quàm connexionem ordinemque cauſarũ ſecundarum ad producendum aliquem effectum ex ordinatione divinæ Providentiæ. Quod totum cùm de facto inveniatur, nulli dubium eſſe poteſt, quin & Fatum exiſtat eo modo acceptum.

48 *EX* Prædictis nonnulla colligere licet. *Primum* eſt, Fatum eſſe vnicum per ordinem ad primam cauſam, ſive Providentiam divinam, quoniam hæc vnica & indiviſa eſt: multiplex verò relatè ad cauſas intermedias, & ipſarum effectus. Quo ſenſu *Fata* pluraliter dici ſolẽt, ac poſſunt. *Secundum*, non omnia ſubiacere Fato: quia plura à ſolo Deo fiunt abſque interventu & ordine cauſarum ſecundarum, in quo formaliter Fatum conſiſtit. Deinde & illa ipſa, quæ interventu cauſarum ſecundarum à Deo fiunt, ſi ſint effectus liberi, vt actus voluntatis pleno arbitrio præditæ, nullatenus ſubduntur Fato. Quamvis enim inclinatio hominis ex influxu cauſarum naturalium, & diſpoſitione humorum, poſt peccatum originale, ſit in aliquid turpe, aut rationi repugnans; poteſt homo reſiſtere, & prævalere inclinationi. Quare Fatum ſolùm habet locum circa effectus omnino naturales, ſeu neceſſarios: v.g. circa pluvias ventos, ecclypſes, ſterilitatem, abundantiamve fructuum, longitudinem aut brevitatem vitæ. In quibus tamen aliter, quàm fiunt, & exiguntur a cauſis ſecundis, poteſt evenire, Deo diverſimodè ſtatuẽte & operante, qui eidem Fato quaſi Fatum eſt longè ſuperius, vt loquitur Gregorius loco allegato. Imò & R. Abenhezra, alibi à me expenſus, aſſerit ordinem cauſarum cæleſtiũ impediri poſſe, *vel quia materia non ſit idonea influxui ſuſcipiendo; vel quia humana ab arbitrio noſtro plurimùm dependent; vel quod Fatum particulare FATI VNIVERSALIORIS poteſtate ſuperetur; vel quòd Fato omnipotentior, & cælo maior DIVINA PROVIDENTIA, aliter fieri ordinet.* Quid illuſtrius? Concludo diſputationem aureis verbis D. Thomæ 2.2. *quæſt. 95 art. 5. Subtrahuntur cauſalitati cæleſtium corporum* (in qua maximè conſiſtit Fatum ritè explicatum) *actus liberi arbitrij, quod eſt facultas voluntatis & rationis. Intellectus enim, ſive ratio, non eſt corporeus, nec actus organi corporei: & per conſequens nec voluntas, quæ eſt in ratione.* Quo fundamento, ſeu potiùs gladio, vanas Genethliacorum obſervationes & prædictiones circa futura libera & contingentia ex horoſcopo, iugulavit.

(∴)

(§)

DISP. DECIMAOCTAVA

DE CAVSIS INSTRVMENTALI ET FINALI.

Num. 1. HANC Diſputationem curſim per varia dubia diſtribuam, quod præcedentibus nimium immoratus ſim. neque enim omnia, quæ ad Phyſicam attinent, adeò plenè & ex profeſſo, vnico volumine comprehendi poſſunt. Agam primò de inſtrumentis, poſt a de fine. De eo differit Ariſtoteles hoc lib. 2. cap. 8.

SECTIO PRIMA.

Statutâ multiplici ratione inſtrumenti, variæ difficultates circa illud breviter expediuntur. Vbi de potentia obedientiali.

2 INSTRVMENTVM Multipliciter accipi ſolet: nam, vt inquit Ariſtoteles *lib. 2. de Republica cap. 4.* τῶν ὀργάνων, τὰ μὲν ἄψυχα, τὰ δ᾽ ἔμψυχα: *inſtrumentorum alia ſunt inanima, alia verò animata.* Additque ſtatim exemplum: *navis enim gubernatori clavus quidem inſtrumentum eſt inanimum; proræ verò præfectus, animatum.* Rurſus inſtrumentum aliud eſt naturale, videlicet, quod aſſumitur ad attingendum effectum præſtantiorem intra naturæ ordinem: aliud ſupernaturale, ſcilicet, quo vtitur Deus ad producendum aliquid ſupra totius naturæ vires; vt Sacramenta novæ legis relatè ad gratiam: aliud denique artificiale, quo ars exequitur ſua opera; vt ſerra. Modo præcipuè de naturalibus inſtrumentis agendum, quamquam & de cæteris aliquid obiter dicendum ſit.

3 *QVÆRES I. An inſtrumentum egeat motione præſtita ab agente principali?* RESPOND. Affirmatiuè cum D. Thoma *1. part. quæſt. 63. art. 4. corpore*, dicente: *Inſtrumentum non operatur, niſi in quantum eſt motum à principali agente.* Idemque habet de Veritate, *quæſt. 27. art. 4.* inquiens: *Eſt ratio inſtrumenti, in quantum eſt inſtrumentum, vt moveat motum. Vnde ſicut ſe habet forma completa ad per ſe agentem; ita ſe habet motus, quo movetur à principali agente, ad inſtrumentum; ſicut ſerra operatur ad ſcamnum.* Quod ſatis frequenter Philoſophi amplexantur. Ratio huius doctrinæ eſt: Quia cum inſtrumentum non ſit præditum ſufficiente vi ad producendum effectum, indiget elevatione præſtita à principali agente, in cuius virtute operatur. Alioqui enim, & nulla elevatione intrinſecè ſuperaddita, æquè impotens, ſeu inſufficiens erit, ſicut antea. Eo autem ipſo quòd elevetur a principali agente, debet agere quatenus motum ab illo, ſive quatenus recipiens motionem virtuoſam ab illo, quâ elevetur & confortetur.

4 Neque enim ſat eſt recurrere in ſubordinationem & coniunctionem inſtrumenti ſtrictè dicti ad cauſam principalem, abſque intrinſeca ſuperadditione virtutis elevantis. Nam licet hoc locum habeat in Inſtrumentis natura ſua inſtitutis ad producendum ſubſtantiam, quæque ſolum ſunt inſtrumenta latè dicta, ſeu potiùs virtutes inſtrumentariæ, vt dictum eſt *diſput. 13. ſect. 3. præſertim num. 30.* attamen in ſtrictis inſtrumentis eſſe nequit. Hæc quippe natura ſua non ordinantur ad producendum effectum, neque prædita ſunt virtute ſufficiente in actu primo, quâ illum vtcumque contineant, vel efficere poſſint. Ergo oportet vt eleventur per virtutem ab agente principali intrinſecè ſuperadditam, qua & contineant vtcumque effectum in actu primo, & producant. Sine hac enim ſuperadditione æquè inepta ad vtrumque erunt, ac prius. Nec præterea ſufficit dicere, inſtrumenta non elevari ad eſſe, ſed ſolùm ad operandum; ideoque non egere virtute agentis principalis, quæ det eſſe; ſed ſolum operatione pendente a præcipuo agente. Contrà enim eſt: Quia eo ipſo, quod inſtrumentum elevetur ad efficiendum, ſeu operandum verè, elevatur etiam ad præcontinendam rem quodammodo, pro priori naturæ ad operationem. Ergo & pro eodem priori debet accipere ab agente principali virtutem aliqualem per modum actus primi, qua conſtituatur potens ad effectum operandum, & ad ipſam operationem, adhuc prout pendentem, a cauſa principali. Etenim id, ad quod inſtrumenti elevatio requiritur & ordinatur, nequit eſſe ipſa elevatio. Cumque requiratur elevatio inſtrumenti ad operationem, adhuc prout pendentem a principali agente, ad illamque ordinetur; nequit elevatio eſſe ipſa ope-

operatio, ſed quid præſuppoſitum ad illam pro priori naturæ.

5 *VNDE* Obiter reijcitur ſententia Eximij Suarez *diſp.17.Metaph.ſect.2.& tom.1.in 3.part.diſp.31.ſect.5.* non modò negantis, de ratione inſtrumenti generatim eſſe quòd recipiat motionem à principali agente, verùm & id extendentis ad inſtrumenta divinæ Omnipotentiæ in ordine ad effectus ſupernaturales; tanquam cuilibet creaturæ inſit potentia obedientialis activa proxime, qua cooperetur Deo circa ea omnia, quæ nullam repugnantiã involvunt. Reijcitur, inquam, etiam ab ipſis Authoribus Societatis: tũ, quia potentia obedientialis, de qua ipſe loquitur, antequam intrinſece elevetur, nequit vllo pacto continere per modum actus primi effectus ſuperexcedentes non vitales, & ſupernaturales; ac proinde neque illos producere: Tum etiam, quia teſte D. Thoma 2.2.*quæſt.*178. *art.1.ad* 1.*& quæſt.6.de Verit.art.*4. creatura nequit elevari ad attingẽdã omnia obiecta ſupernaturalia per aliquid habituale & permanens; atque adeò nec per nudam potentiam obedientialem, quæ aliquid permanens & habituale eſt: Tum præterea, quia quò perfectior eſt effectus, eo etiam perfectior eſt virtus activa cauſæ, ſive principalis, ſive inſtrumentalis, in qua continetur. Cumque perfectio effectuum ſupernaturalium abſolutè poſsibilium ſit maior ac maior qualibet aſsignata, & infinita ſyncathegorematicè, etiam potentia obedientialis activa cuiuslibet entitatulæ, vt formicæ & pulviſculi, abſque vlla ſui intrinſeca elevatione, eſſet infinita in ratione virtutis activæ; & non quomodocumque, ſed cathegorematicè, vtpotè in actu primo & proximo continens infinitos effectus ſupernaturales. Tum denique, quia in ipſa opinione videtur eſſe aperta contradictio, dum aſſerit cuilibet creaturæ ineſſe potẽtiam obedientialem activam proximè, & independenter ab elevatione intrinſeca, ad quælibet opera ſupernaturalia. Hoc enim ipſo, quòd illa virtus activa ſit proxima, & nulla egens elevatione, iam erit ſibi connaturale omnino quælibet effecta abſolutè poſsibilia producere, debebiturq; ipſi concurſus divinus ad ea efficienda, ſicuti debetur cuilibet cauſæ in actu primo ſufficienter conſtitutæ. Ergo effecta ipſa non erunt ſupernaturalia potentiæ obedientiali activæ, ſed prorſus naturalia: cuius contrarium ſupponit Suarez. Pro eius ſententia vide Hurtadum *in præſenti diſputat.9. ſection.* 14. Arriagam *diſputat.*11.*ſect.*4. Arrubalem 1.*part.diſput.*181.*cap.*3. nonnulloſque alios ex Ieſuitis ac Thomiſtis apud Ripaldam *diſput.*40.*&* 41. *de Ente ſupernaturali*, vbi fusè rem examinat. Pro noſtra ac veriore adi P. Vazquez 1.*part.diſput.*176.*cap.* 3.*&* 3.*p.diſput.*57.*cap.*5.*& diſput.* 132.*à cap.*3. Coninch. 3.*part.quæſt.*62.*art.*4.*dub. vnico*, Gaſparem Hurtadum *tom. de Incarnat. diſput.*9.*differ.*4. Alarcon *tract.*6.*de Angelis diſput.*9.*cap.*9. quibus ex parte, & loquendo de facto, adhæret Oviedo *in præſenti controv.*9.*punct.*7. Aldrete *tom.*2.*de Incarn.diſput.*50.*ſect.*1.*num.*13. & clariùs *diſput.*51.*ſect.*6.*num.*2. Ex Thomiſtis rem illuſtrant Complutenſes *diſput.*12.*Phyſica quæſt.*1. Nazarius 1.*part. quæſt.*45.*art.*5. præter eos, quos allegat Ripalda contra ſeipſum.

6 *QVÆRES II.* An ſit de ratione inſtrumenti, vt habeat virtutem ſibi propriam, & actionem præviam? *RESP.* Affirmative cum D. Thomà 3.*part.quæſt.* 62.*art.*1.*ad* 2. dicente: *Inſtrumentum habet duas actiones: vnam inſtrumentalem, ſecundùm quam operatur, non in virtute propriâ, ſed in virtute principalis agentis: aliam autem habet actionem propriam, quæ competit ſibi ſecundùm propriam formam. Non autem perficit inſtrumentalem actionem, niſi exercendo actionem propriam: ſicut ſecuris ſcindendo facit lectum.* Et 2.*contra Gent.cap.*21.*Omne agens inſtrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam & naturalem ſibi.* Idemque docet 1.*part.quæſt.*45.*art.*5.*& de Verit.quæſt.*27.*art.*4. & cum ipſo plerique Philoſophorum ac Theologorum contra Scotum *in* 4.*diſt.*1.*quæſt.*1. ac Durandum *in* 2.*diſtinct.*1.*quæſt.*4. & Suarium dictâ *diſputat.*31.*in* 3.*part. ſect.*8. quos alij ex Recentioribus imitantur.

7 *PRO* Aſſerti intellectu, & brevi probatione, quædam adnotanda ſunt. *Primum* eſt inſtrumentum eſſe duplex: vnum *quod*, & aliud *quo*. Illud eſt quod ab agente principali elevatur ad attingendum aliquid excedens proprias vires, vt ſemen ad producendum vivens; & ſerra ad efficiendam cathedram: hoc verò eſt virtus ab eadem cauſa principali derivata in inſtrumentum, quod per eam conſtituitur potens in actu primo proximo ad producendum effectum excedentem, vt vis generatrix in ſemine, & impulſus artificis in ſerra. Difficultas præſens non eſt de inſtrumento *quo*, ſeu virtute elevante, quæ plane nulla alia ſibi ſuper-

addita eget ; ſed de inſtrumento *quòd*, ſive re ipſa , quæ elevatur. *Secundum* eſt, inſtrumentum aliud eſſe ſtrictè activum ; vt in relatis exemplis : aliud verò non activum , ſed ſolùm delativum virtutis, quâ agens agit; vt aerem reſpectu ſpecierum ſenſibilium , quas defert ab obiecto ad ſenſum , quin propterea agat, ſed ſolùm ſit vehiculum virtutis,qua obiectum intentionaliter agit. *Tertium*, nomine *virtutis propriæ*,non debere accipi innatam,ſive quæ ſit idem realiter cum entitate inſtrumenti(hoc enim ſolùm convenit inſtrumentis latè dictis , ſeu virtutibus inſtrumentarijs, de quibus ſuprà *numer.*4.dictum eſt) ſive quæ ab ea profluat vt proprietas: ſed ſolùm virtutem inſtrumento ipſi intrinſecam,vndecumque provenerit, dummodo diſtincta ſit ab actuali motione inſtrumenti , eidemque præſuppoſita. *Quartum* deniquè, nomine *actionis præviæ* inſtrumenti non ſignificari neceſſariò actionem realiter diſtinctam ab illa,ad quam exhibendam elevatur inſtrumentum;ſed ſolùm actionem qualitercumque ab ea diverſam,ſaltem virtualiter, & quoddammodo præſuppoſitam. His ſtatutis,

8 RATIO Aſſerti præcipua & communis eſt: Quia ſi inſtrumenta non haberent propriam virtutem,& actionem præviam,qua diſponerent ad effectũ agentis principalis,fruſtra agentia naturalia vterentur inſtrumentis ad ſua opera. Etenim virtus activa perfectè reſidet in agẽte principali : ac proinde ſine omni inſtrumento agere poterit,ſi inſtrumentum ex ſe neque haber virtutem , neque præviam aliquam actionem. Et dato quòd omnino fruſtraneum non eſſet,adhuc poſſet agens principale æquè bene vti vno inſtrumẽto, ac alio ad quemlibet effectum præſtandum. Poſſet v.g. æquè bene quis vti ferrà , aut malleolo ad ſcribendum, ac calamo, aut penicillo. Cùm ergo vtrumque conſequens ſit abſurdum,& pateat,neque vſum inſtrumentorum eſſe fruſtraneum principali agẽti,neque hoc poſſe vel indifferenter quolibet inſtrumento ad quemvis effectum ; palam eſt in eo exigi virtutem propriam, & præviam actionem , qua diſponat ad effectum principalis agentis.

9 HÆC autem ratio rectè expẽſa , etiam probat de inſtrumentis divinæ virtutis in ordine ad ſupernaturales effectus. Nam licèt Deus ſeorſim ab omni inſtrumento poſſit quemlibet effectum præſtare (in quo differt ab agente creato) adhuc tamen nequit ſalvari vera inſtrumenti ratio etiam in ordine ad ipſius Omnipotẽtiam,niſi ex ſe aliquam virtutem & actionem præviam habeat , qua vtcumque poſſit Deo cooperari, & diſponere , ſaltem remotè,ad principalem effectum.Ideo enim nequit eſſe vera inſtrumẽti ratio in ordine ad agens creatum ſine eiuſmodi virtute & actione,quia iis ſecluſis nulla activa cauſalitas inſtrumentis competit,ſed ſolùm paſſiva & ſuſtentativa virtutis inſtrumẽtariæ, ſeu motionis,quà inſtrumẽntum elevatur. Atqui eadem ratio eſt de inſtrumentis relatè ad Omnipotentiam divinàm : ſecluſa enim virtute propria & actione prævia, nullam habebunt cauſalitatem activam, ſed purè paſſivam & ſuſtentativam virtutis inſtrumentariæ,ſeu motionis ſupernaturalis,qua elevantur.Ergo neque erit vera aliqua inſtrumenti ratio in ordine ad Omnipotentiam divinã. Plura alia de hoc vide apud Complut. alleg. *diſp.* 12.*q.*2.*per tot.*

SECTIO SECVNDA.

Finis definitio,ac diviſio , & realis cauſalitas. Quanam ratio formalis illum conſtituat ;an bonitas,an apprehenſio, an vtraque ſimul?

10 FINIS, vt colligitur ex Ariſtotele *hoc lib.*2.*cap.*3 .definiri ſolet, *id,cuius gratia aliquid fit.* Ait quippe de illo *text.* 29. τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ οὗ ἕνεκα: *hoc verò eſt , propter quod*,ſive *cuius gratia*. Quod & vberiùs tradit *cap.*8 .ferè per totum. Nullum enim eſt agens,neque neceſſarium , neque liberum,quod propter aliquem finẽ non agat, vel à natura præſcriptũ,vel ab arbitrij electione.Diſtinguunt autẽ Philoſophi duplicem finẽ : & alterum appellant *cuius gratia*;alterum verò *cui*. Prior conſiſtit in illo bono,quod appetimus, & ob cuius cõſecutionẽ media eligimus: vt ſanitas relatè ad infirmum,eſt cuius adipiſcẽdæ gratia ſumit potionem amaram,& cætera medicamẽta.Poſterior eſt illud ſuppoſitum,ſive ſubiectũ,cui bonum aliquod exoptamus, ſive diſtinctum ſit,ſive indiſtinctũ à nobis. Porrò ex priori & poſteriori non conſurgit duplex finis adæquatè diverſus; ſed conflatur idem totalis & adæquatus:quia neutra ratio ſeorſim ſumpta movet efficaciter appetitum, ſed ſolùm in conſortio alterius; eſto inefficaciter movere poſſit. Rurſus in fine diſtingui ſolet duplex ratio:nimirum , *obiectiva*, & *formalis*. Prior appellatur finis *qui* , & ſignificat rem ipſam

ſam ſive bonum quód amatur & quæritur: poſterior finis *quo*, & eſt aſſecutio & poſſeſsio eius boni. Quare D. Thomas 1.2. *quæſt.*1.*art.*8.& cum eo Theologi, Deum appellant finem noſtrum *qui*, *& obiectivum*; viſionem vero, ſeu poſſeſsionem eiuſdem Dei, finem *quo & formalem*. Præterea finium alter eſt vltimus, ſcilicet, qui non ordinatur ad alium vlteriorem: alter vero non vltimus, ſive proximus, qui è converſo. Mitto aliam diſtinctionem in finem *operis*, & finem *operantis* cuilibet notam, & pergo ad dirimendas breviter nonnullas quæſtiones circa cauſam finalem.

11 *ROGABIS I.* An finis ſit cauſa realis? *RESP.* Affirmativè. Ita Ariſtoteles ſupponere videtur allegatis *cap.* 2. *&* 8. huius libri, dum illum accenſet numero cauſarum realium. Quod & S. Thomas docet *Opuſcul.* 31. & frequenter cæteri Philoſophi. Ratio eſt: quia omne id, ad quod ſequitur aliquid per realem dependentiam, nequit non eſſe cauſa vera & realis: vt patet ex definitione cauſæ, & dictis *diſputat.* 13. *ſect.* 1. Atqui plura per realem dependentiam ſequuntur ad finem: vt patet in iis omnibus, quæ finis cuiuslibet gratia fiunt, nec aliter ab agente producuntur, quàm ex motione finis. Ergo finis nequit non eſſe vera & realis cauſa. Ideo etiam cauſat deſiderium ſui dum abſens eſt, gaudium verò dum præſens: qui plane ſunt effectus reales. Neque contradicit huic doctrinæ Ariſtotel. 1. *de Generat. text.* 55. vbi docet cauſalitatem finis eſſe motionem metaphoricam. Id enim non prohibet veram ac realem cauſalitatem eſſe: ſed ſolum evincit non eſſe motum phyſicum, qualis competit cauſæ efficienti. Finis enim non efficit aliquid phyſicè, ſed intentionaliter, vt mos loquendi eſt, aut intelligibiliter tantùm. Verùm licèt phyſicam motionem non præſtet, adhuc exhibet realem cauſalitatem: vt patet ab inſtantia cauſarum materialis & formalis, quæ, licèt phyſicè non moveant, adhuc realiter cauſant. Differt tamen ab vtraque, quatenus ambæ ad cauſandum debent exiſtere phyſicè, ſive extra animam: cauſa autem finalis non exigit neceſſariò phyſicam ſui exiſtentiã, ſed ſolùm intentionalem, & in apprehenſione appetentis: quæ quidem exiſtentia realis eſt, & ſufficiens ad cauſam realem intentionalem. Idque verum eſt, adhuc quando quis videtur appetere aliquid fictum, vt montem aureum. Non enim movetur à ficta bonitate complexi, ſed à vera auri, quamquam ſiniſtrè applicata figuræ & magnitudini montis.

12 *ROGABIS II.* Quænam ſit ratio formalis conſtituens finem in actu primo vt cauſet? *RESP.* Eſſe aliquam bonitatem: quia malum vt malum nequit allicere voluntatem per modum finis. Ita Ariſtotel. non quidem hoc ipſo *lib.* 2. *cap.* 2. *textu* 29. vbi præter rem allegari ſolet: ſed 5. *Metaph. cap.* 2. *textu* 3. vbi enumeratis tribus generibus cauſarum, materialis, formalis, & efficientis, ait reliqua ſpectantia ad aliud genus cauſandi debere eſſe bona, aut vera, aut apparentia. Id enim ſignificat dum ait: *Cætera verò, tanquam finis, & bonum aliorum. quod enim cuius cauſa, optimum, & finis aliorum vult eſſe. Nihil autem differt, bonum id, an apparens dicatur.* Et *libr.* 2. *Ethic.* ad Eudemum *capit.* 10. τὸ δὲ τέλος ἐστὶ φύσει μὲν ἀεὶ ἀγαθόν: *finis autem ſemper naturâ bonus eſt.* Ac denique, vt plura alia loca omittam, *libr.* 1. *de Part. Animal. cap. vltim.* inquit: *Finis autem, cuius gratiâ quidquam vel conſtat, vel conditum eſt, boni, honeſtique obtinet rationem.* Idem tradit Sanct. Dionyſius *cap.* 4. *de Divin. nomin.* S. Auguſtinus *lib.* 2. *Confeſſ. cap.* 6. *&* 8. D. Thomas 1.2. *quæſt.* 1. *art.* 1. *&* 3. *contra Gent. cap.* 2. *&* 3. & cõmuniter Scholaſtici *in* 2. *diſtinct.* 46. ac Philoſophi Recentiores.

13 *RATIO* Reſolutionis traditæ eſt: Quia illa eſt ratio conſtituens formaliter finem, quâ ipſe finis conſtituitur potens allicere voluntatem ad ſui amorem & proſecutionem. At eiuſmodi ratio ſolùm poteſt eſſe aliquod bonum, aut verum, aut ſaltem apparens: malum enim in quantùm tale nequit conſtituere aliquid potens allicere voluntatem ad ſui amorem & proſecutionem; ſed potiùs eſt cauſa vt voluntas avertatur, & odio habeat illud. Ergo ratio conſtituens formaliter finem, eſt bonum aliquod verum aut apparens; nõ autem malum quâ malum eſt. *Præterea:* Quidquid habens rationem mali attingitur à voluntate, aut amatur ab illa, aut odio habetur. Si amatur, iam attingitur vt conveniens eidem voluntati, ac proinde vt habens rationem boni apparenter ſaltem. Si autem odio habetur, ideo eſt quia contrariatur bono quod voluntas amat. Vnde omnis actus voluntatis, ſive amor ſit, ſive odiũ, ſemper habet pro obiecto aliquod bonũ, aut verũ, aut ſaltẽ apparens. Nonnulla quæ in contrarium opponunt Nominales, facilem ſolutionẽ habẽt,

& videri poſſunt apud Rubium in præſenti *tract.* 5. *q.* 2. & Complutenſes *diſp.* 14. *q.* 2.

14 *EX* Doctrina ſtatuta colligitur, rationem formalem conſtitutivam finis eſſe ſolam bonitatem, non vero apprehenſionem. Ita D. Thomas 1. *part. quæſt.* 80. *art.* 1. *ad* 2. *&* 1. *contra Gent. c.* 75. *& quæſt.* 25. *de Verit. art.* 1. *ad* 6. quem communiter Philoſophi ſequuntur. Ratio eſt eadem ferè, ac præcedens: Quia finis in ratione talis conſtituitur formaliter per id, quod ex parte rei volitæ eſt ratio alliciẽdi voluntatem. Non eſt autẽ ratio alliciendi eam ex parte rei volitæ apprehenſio, ſed bonitas apprehenſa tantum. Neque enim ægrotus deſiderat ſalutis apprehenſionem, vtpotè iam habitam, ſed ſalutem, quam ex parte rei volitæ apprehendit convenientem ſibi. Non ergo finis in ratione talis conſtituitur formaliter per apprehenſionem, ſed per bonitatem apprehenſam. Inquam, apprehenſam: quia teſte Ariſt. 3. *de Anima cap.* 10. apprehenſio eſt conditio neceſſaria vt finis alliciat ſeu moveat appetitum elicitum: cùm nihil volitum ſit, quin priùs cognitũ. Deinde, vt monet S. Thomas vltimo loco ex nuper indicatis, *diverſitas apprehenſionũ per accidens ſe haberet ad appetitivas vires diſtinguendas, niſi diverſitati apprehenſionis diverſitas apprehenſorũ coniungeretur.* Quare vt diverſi actus cauſentur à fine in voluntate, non ſufficit diverſitas apprehenſionũ, niſi & diverſitas ſit in bono apprehenſo. V. g. non poſſet homo habere tum deſiderium, tum & gaudium circa ſalutem, niſi in hac eſſet diverſa ratio formaliter penes futuram, qua reſpicitur à deſiderio, & penes præſentem, quà movet ad gaudium. Ideoq; habitus charitatis iuxta doctrinam Apoſtoli 1. *Cor.* 13. aientis *illam numquam excidere*, aſſeritur à Theologis idem in via, atque in Patria: quia nimirum, licet apprehenſiones viæ & Patriæ ſint diverſæ, imò & incompoſsibiles; bonitas divina ſecundùm ſe inſpecta ab habitu charitatis, eadem omnino eſt. Si autem apprehenſio eſſet ratio formalis conſtitutiva finis, proculdubio charitas viæ eſſet habitus diverſus à charitate Patriæ; quia apprehenſiones, quibus regulatur in vtroque ſtatu, ſunt omnino diverſæ; vtpotè altera cognitionis ænigmaticæ & obſcuræ, altera viſionis claræ & perfectæ.

15 *CONFIRMATVR.* Affectio communis omni obiecto voluntati propoſito, ſive ſit finis, ſive medium, ſive materia fugæ, nequit eſſe ratio formalis conſtitutiva finis, vt finis: quia hæc debet diſtinguere finem ab omni alio, quod finis non eſt. Atqui apprehenſio eſt affectio cõmunis omni obiecto voluntati propoſito; ſive ſit finis, ſive purum medium, ſive materia ſolius fugæ & receſſus. Omnia enim hæc apprehendi debent ab intellectu, vt à voluntate amentur, aut reſpuantur: cùm nihil ipſa velle poſsit aut nolle, niſi præcognitum. Ergo apprehenſio nequit eſſe ratio formalis conſtitutiva finis, vt finis. Quæ ratio, ſi rectè expendatur, non ſolùm probat contra Medinam 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. & alios antiquiores Thomiſtas, apprehenſionem non eſſe formalem rationem conſtitutivã finis; verùm etiam contra Vazquez *eadem* 1. 2. *diſp.* 2. *cap.* 2. *&* 3. ne quidem rationem obiectivam finis, quatenus cogniti, ſive apprehenſi ab intellectu, aut habentis eſſe intelligibile in illo, eſſe formam conſtitutivam finis: quia habere eſſe obiectivum, cognitum, apprehenſum, ſeu intelligibile, eſt quid commune fini, medio, & obiecto fugæ, ſive averſionis. Itaque apprehenſio ſolùm eſt conditio requiſita ad finem, qua parte finis habet rationẽ obiecti. Et quemadmodum cauſa efficiens exigit duplicem conditionem, alteram exiſtentiæ in ſe ipſa, alteram applicationis in ordine ad paſſum: ita ſimiliter, apprehenſio exequitur duplici titulo rationem conditionis neceſſariæ vt finis cauſet: altero, quatenus eſt applicatio obiecti appetibilis, ſive finis obiectivi, ad appetitum; altero, quatenus habet rationem exiſtentiæ eiuſdem finis in potentia cognoſcitiva, vt appetitũ moveat metaphoricè & intentionaliter.

16 *CONFIRM. II.* etiam contra alios, qui ex bonitate & apprehenſionẽ formalem rationem finis, quaſi ex duplici conceptu partiali, conſtituunt. Vt enim ita eſſet, bonitas & apprehenſio deberent ſpectare ad eandem lineam, ſeu rationem formalem in genere appetibilium: ſicut lux & color ſunt in eadem linea, ſeu ratione formali viſibilitatis, vt ex iis conſletur obiectũ viſus. At bonitas & apprehenſio non ſic ſe habent: ſed bonitas directè ſpectat ad lineã ſeu rationem formalem appetibilium: apprehenſio autem, imò & ipſum eſſe obiectivum, ſeu apprehenſum bonitatis, quatenus apprehenſum, non ſpectat ad lineam appetibilium, ſed ad aliam prorſus diverſam intelligibilium, ſeu cognoſcibilium. Igitur bonitas & apprehenſio non conſtituunt partialiter formalem rationem finis. *Præterea.* Qui deſiderat ſalutem, nõ appetit, quæritve conflatum aliquod ex ſalute & apprehenſione, neq; ex ſalute ſecundũ in eſſe reale & obiectivum ſimul; ſed ſalutem in

In

in ſeipſa, & prout ſibi convenientem: quà ratione maximè appetibilitatem præ ſe fert, eamque præſuppoſitam omni apprehenſioni, atque eſſe obiectivo. Apprehenſio enim non reddit ſalutem in ſeipſa appetibilem: ſed tota appetibilitate præſuppoſita, eam repræſentat appetitui, & reddit intentionaliter exiſtentem. Igitur tota appetibilitas finis præſupponitur ad apprehẽſionem, imo & ad ipſum eſſe apprehenſum, ſeu obiectivum; ac proinde tota ratio formalis movendi. Eget tamen, vt in exercitio moveat, actu apprehenſionis, qualiter paulo antè ſtatuimus. *Deniquè*, vt alia pleraque omittam, voluntas differt ab intellectu, quatenus illa fertur ad bonum exiſtens, vt exiſtens reipſa; hic verò ad res ſecundùm eſſe intelligibile, aut ſaltem præciſum à conditionibus individuantibus, & non prout immerſæ ſunt ſingulari materiæ. Vnde oritur, motivam rationem voluntatis ex parte finis, eſſe ſolam bonitatẽ, adiunctâ conditione apprehenſionis; obiectum verò intellectus eſſe veritatem ipſam obiecti, non prout a parte rei immerſa eſt ſingulari materiæ, ſed prout ab eâ abſtrahit, & exprimit rationem communem obiective, ſeu intentionaliter præciſam & repræſentatam.

17 *NONNVLLÆ* Obiectiones levis momenti contra noſtram ſententiam quò ad hanc vltimam partem proponi ſolent, quas inter probandum Aſſertum iam ſatis ſuperque præoccupavimus. Adeat Lector Scholaſticos *in* 2.*diſt*.46. & Recentiores Interpretes D. Thomæ 1.*p.q*.1.*art*.1. ac Philoſophos, Metaphyſicoſque, quos inter rem præ alijs elucidant Suarez *diſp*. 33. *Metaph.ſect*. 8. Fonſeca, Pereira, & alij, quos citat Ægidius *lib*.1. *de Fine q*.6. *art*.4. Ioannes a S. Thoma *q*.13. *Phyſica art*.1. & Complutenſes *diſput*. 14. *quæſt*. 3. Reſtat modò breviter proponere & enervare, quæ militant contra priorem Aſſerti partem.

18 *VIDETVR* Enim non modò bonum, ſed etiam malum, poſſe habere rationem finis, vt Nominales volunt. *Primò* enim, quoties odio habemus aliquod obiectum, non attingimus illud ſub ratione boni, ſed mali. Ergo motivum eius affectus, ac proinde & finis ipſius, eſt malum quà malum eſt. *Secundò*. Qui ex deſperationis motivo ſeſe interimunt, item & damnati, appetunt non eſſe ſui ipſorum: quod purè malum eſt, vtpotè carentia totius bonitatis, ſicut & entitatis. *Tertiò*, idem videtur eſſe in ijs, qui ex pura malitià & libidine nocendi peccant, vt dæmones; quibus malum placet, quia malum & exoſum Deo, maximè vbi deſiderant Deum ipſum, ſi fieri poſſet, deſtrui, & in nihilum abire.

19 *RESP*. Negando aſſumptum. *AD I.Prob*. conceſſo antecedente, negatur conſequentia: Quia licèt proximum obiectum affectus odij eius, ſit malum, quod averſatur; at motivum, ſive finis, eſt bonum oppoſitum, ex cuius amore voluntas malum contrarium fugit. Sic *tract. de Pœnitentiâ virtute diſp*.1. obſervavimus ex D. Thoma 1.2. *q*.60. *art*.4. virtutes per eandem rationem, quà declinant à vitio ſibi oppoſito, tendere in proprium bonum, quod directè quærunt. *AD II. Prob*. Damnati & dæmones, appetunt *non eſſe* ſui ipſorum; nõ quidem vt eſt purum nihil, ſeu carentia totius boni; ita enim acceptum, inappetibile eſt: ſed quatenus eſt quoddammodo bonũ, ſeu impeditivum æternorum cruciatuum. Quà ratione Chriſtus D. de Iuda proditore dixit Math.27. *Melius erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille*. Similiter & interimentes ſe ipſos ex motivo deſperationis, non appetunt deſtructionem ſui ipſorum, quà mala eſt; ſeu quatenus impeditivam malorum temporalium, quibus eripi exoptant; quà ratione bona eſt ſaltèm apparenter, ſeu in apprehenſione ipſorum. *AD III*. Etiam qui ex purà malitià peccant, vt dæmones, moventur à bono aliquo, ſaltèm delectabili. *Lætantur enim cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis*, vt Scriptura ait. Gaudent etiam ſocios habere in eadem malitiâ, & tormentis, atque in omni eo, quod vident extrinſecæ Dei gloriæ adverſari. Et ſi fortè dæmones poſſunt habere deſiderium illud conditionatum deſtructionis, ſeu *non eſſe* Dei, illud ipſum deſiderant ſub ratione boni negativi; ſcilicet, quatenus auferendo exiſtentiam *Dei*, auferret quoque ipſius iuſtitiam, & proinde intolerabiles cruciatus, quibus æternùm torquentur.

(∴)

(§)

SE

SECTIO TERTIA.

In quo conſiſtat cauſalitas finis?

20 RESP. Non conſiſtere in motione aliqua præcedente omnem voluntatis actum: ſed in actu voluntatis, qui eſt amor, quatenus pendente ab ipſo fine, & elicito propter ipſum. Ita D. Thomas *1. contra Gent. cap. 75.* vbi inquit: *Cauſalitas autem finis in hoc conſiſtit, quòd propter ipſum alia deſiderantur.* At non deſiderantur per aliquid præcedens omnem actum voluntatis, ſed per actum amoris eiuſdem finis. Idem docent Avicenna, Scotus, & cõmuniter Philoſophi, quorum longum cenſum habes apud Suarez *diſput. 23. Metaph. ſect. 4.* Arriagam *diſput. 8. ſect. 7.* Maſium *in præſenti cap. 3. ſect. 4. q. 2.* Araujo *8. Metaph. q. 9. art. 2.* Rubium *tract. 5. quæſt. 13.* & Complutenſes *diſput. 14. ſect. 4.* in quibus omnibus quæſtio hæc pleniùs examinata invenietur.

21 * *RATIO* Eſt: Quia per id finis movet voluntatem in actu ſecundo, per quod allicit illam ad ſe: ſiquidem motio finis nihil aliud eſt, quàm hæc allectio, ſive atractio. At non allicit ad ſe voluntatem per aliquid præcedens omnem eius actum, cum nihil tale in rerum naturà ſit, neque aſsignari valeat, quod in voluntate ab ipſo fine cauſetur; ſed per ipſum amorem à voluntate procedentem, quæ medio illo trahitur à fine. Igitur finis non movet voluntatem in actu ſecundo per aliquid præcedens omnem ipſius actum; ſed per ipſum actum amoris à voluntate procedentem, quatenus medio illo trahitur a fine. Sic Magnus ille Auguſtinus, nõ minùs in Scholà amoris, quam ſapientiæ, verſatus, dixit: *Amor meus, pondus meum: illo feror quocumquè feror.* Quippe amore ipſo fertur, allicitur, rapitur voluntas a fine. Explicatur hoc ipſum à pari: Quia ſicuti intellectus nõ trahitur, ſed trahit res ad ſe, ita & voluntas ex oppoſito, non trahit, ſed trahitur à fine, quem amat; cùm non ſit potentia apprehenſiva. At intellectus non trahit res, ſive obiecta, ad ſe per aliquid præcedens omnẽ actum ipſius, ſed per actum intellectionis, pendentem ab eodem obiecto. Ergo neque voluntas trahitur à fine per aliquid præcedens omnem ſuum actum, ſed per ipſum actum amoris, prout ab eodem fine pendentem. Quippe in eodem indiviſo actu amoris eſt duplex formalitas, ſive expreſſio: altera motionis attractivæ, & prior; altera actus vitalis eliciti a voluntate, ab eaque proinde pendentis, & poſterior: quemadmodum ſuprà *diſp. 16.* dicebamus, concurſum ſimultaneum Dei eſſe ipſam cauſæ ſecundæ operationem, quatenus à Deo pendentem pro aliquo priori rationis, quam intelligatur eggredi à cauſa ſecunda.

22 *OPPOSITAM* Sententiam tuẽntur Conimbricenſes *hoc ipſo libro 2. cap. 7. q. 21.* Pontius *diſp. 10. q. 5.* aliique Recentiores. Quorum potiſsimum fundamentũ eſt, quia cauſalitas cuiuslibet cauſæ debet eſſe prior naturà quolibet effectu; vtpotè ab ipſa pendente; & proinde diſtingui realiter ab illo. Atqui amor procedens à voluntate eſt effectus finis, quia eſt propter finem, & in ipſum ordinatur. Igitur cauſalitas finis debet eſſe prior natura, quàm amor à voluntate procedens, & diſtincta ab eo realiter. Et certè ſine eiuſmodi prioritate non videtur poſſe exponi, quomodo finis moveat cauſam efficientem ad agendum: quia movere non poteſt per ipſam actionem efficientis, ſed per aliquid ipſi præſuppoſitum; quod videtur non eſſe aliud, quam ipſa determinatio obiectiva finis propoſita ab intellectu, & invitans atque alliciens ſeipsà voluntatem.

23 *RESP.* Negandó maiorem: quia nulla ratio eſt quæ probet omnem effectũ cauſæ dependere realiter ab ipſius cauſalitate, nec poſſe cum eà realiter coincidere; vt conſtat ab inſtantia nuper aſsignatà concurſus ſimultanei, qui ſecundum eandem entitatem, penes diverſa munia, eſt ſimul cauſalitas & effectus Dei; & ſub poſteriori ratione non dependet realiter, ſed ſolùm penes intellectus conſiderationem, ab illà priori. Idque adhuc faciliùs deprehenditur iuxta ſententiam valde receptam, quà ſenſus externi nullum terminum diſtinctum producũt, ſed ſolos actus ſenſionis. Hi enim ſimul ſunt effectus procedentes a ſenſibus, & ipſorum cauſalitas; cùm nulla alia aſsignari poſsit, vt iidem cauſentur à ſenſibus. Idemque eſt de viſione beatificà in opinione, quæ docet non producere verbum aliquod. Imò & in omni ſententia idem eſt de omni cauſalitate cauſæ efficientis: quæcũque enim illa ſit, eſt effectus eiuſdem cauſæ. Quare licèt amor ſit effectus finis, poteſt ſimul, & pro priori aliquo, non quidem cauſalitatis, ſed rationis, eſſe ſimul cauſalitas eiuſdem. Cœterùm in ordine ad alios actus ſubſequentes idem amor prioritatem cauſalitatis habet: vt relatè ad electionem, imperium, vſum, executionemque. Quòd verò finis moveat efficientem ad agendum,

ve-

verificatur ſatis; ſi actus ſimplicis amoris, ſive complacentiæ, quâ primum voluntas allicitur a fine, intelligatur pro aliquo priori procedere à fine, antequam à voluntate. Ipſe enim finis media apprehenſione intellectus factus præſens voluntati, illam trahit per amorem, prout ipſius gratia elicitum; ideoque ſufficienter dicitur illam movere. Quod tamen in opinione contraria non apparet quomodo exponi valeat: quia quam optimè ſtare poſſunt ſimul præſentatio finis facta ab intellectu, & carentia motionis: v.g. ſi voluntas nolit amare finem ſibi propoſitum, ne quidem ſimplici aliqua complacentia, vt reverà pro libito poteſt. Ergo quòd actu & in exercitio moveatur voluntas, eſt quid diſtinctum & ſeparabile ab ipſo fine, vt propoſito voluntati, & ipſam alliciente in actu primo. Ergo de primo ad vltimum motio, ſeu cauſalitas finis ſolùm poteſt conſiſtere in exercitio aliquo voluntatis iuxta ſenſum explicatum; vtpote quo poſito, repugnat voluntatem in exercitio non eſſe motam à fine. Plura alia legeſis apud AA. allegatos.

SECTIO QVARTA.

Quot effectus habeat finis?

24 RESP. Finem habere varios effectus, tam ordine intentionis, quàm executionis. Dicimus ordinem intentionis illam ſeriem actuum, qui reſpiciunt finem & media vt volita: executionis autem, confluxum eorum, qui tendunt ad media vt exequibilia. Primus ordo cõmuniter cenſetur comprehẽdere ſex actus: ſcilicet, ſimplicem amorem finis, quem diximus eſſe ipſius cauſalitatem, primumque effectum; deinde delectationem ſubſequentem de ipſo in mente apprehenſo; poſtea intentionem, quæ eſt volitio finis, quatenus aſſequibilis per media; rurſus, conſilium de medijs eligendis; mox iudicium de ipſorum convenientia; ac denique illorum electionem, in quâ totus intentionis ordo terminatur. Secundo ordini adſcribuntur quinque actus: ſcilicet, imperium, vſus, executio mediorum, aſſecutio finis, fruitio ac delectatio de ipſo iam obtento. De quibus omnibus legendus D. Thomas 1. 2. *à q.* 8. *vſque ad.* 17. & ipſius interpretes eo loci. Omnes itaque prædicti actus ſunt effectus finis, quoniam ipſius gratià fiunt, & primus omnium, quem cæteri ſuo ordine ſequuntur, eſt ſimplex amor finis, quia ante illum nullum alium effectum habere deprehenditur.

25 OPPONIT I. Vazquez 1. 2. *diſp.* 4. *art.* 2. non poſſe amorem finis eſſe illius effectum. Omnis enim effectus finis debet eſſe talis, vt fiat gratià finis, ſive propter amorem ipſius finis, vt ex Ariminenſi obſervat. Atqui amor non fit, ſeu non elicitur gratià finis, ſive propter ipſius amorem. alioqui aut fieret propter ſeipſum, quod impoſsibile eſt; aut fieret propter alium amorem diſtinctum, de quo, & alio, & alio vſque in infinitum eadem ſuccederet quæſtio. Ergo amor finis nequit eſſe effectus ipſius. *Præterea.* Si amor eſſet effectus finis, amare bonitatem obiectivam finis propter ſe, eſſet operari propter finem; ac proinde belluæ propter finem operarentur, quia bonũ delectabile amant & appetunt propter ſe. Cùm ergo hoc ſit abſurdum, dicendum eſt, amorem finis non eſſe effectum finis, ſive propter ipſum: ſed hoc ſolùm convenire electioni mediorum, quæ propria eſt rationalium, quatenus diſtinctorum à belluis.

26 VERVM, Quidquid in oppoſitum aſſerat Vazquez, non poteſt negari amorem finis procedentem ab appetitu rationali (de hoc enim loquimur) eſſe propter finem, & effectum ipſius. Regula enim eſt D. Thomæ 1. 2. *q.* 1. *art.* 1. *corp.* à Theologis communiter admiſſa, quod *obiectum voluntatis eſt finis & bonum. Vnde oportet quòd omnes actiones humanæ propter finem ſint.* Amor autem finis procedens ab appetitu rationali eſt actio humana; vtpote voluntaria, & repugnans creaturis irrationalibus. Ergo eſt propter finem, atque adeò effectus ipſius. Deinde, omne illud quod propter ſe amatur, habet rationem finis actu cauſantis. At bonitas ſalutis v. g. ſeorſim ab electione mediorum, & pro priori ad illam, propter ſe amatur. Ergo bonitas ſalutis ſeorſim ab electione mediorum, & pro priori ad illam, habet rationem finis actu cauſantis. Cumque in illo priori non intelligatur, imò & communiter nondum exiſtat electio mediorum, neque quiſquam alius actus voluntatis quàm amor; neceſſum eſt, vt ille, ſicut eſt cauſalitas, ita etiam ſit effectus finis.

27 DEINDE Reſp. omnem quidem effectum finis debere eſſe gratia ipſius, ſive ob eius bonitatem cognitam; idque ſufficere, quin exigatur vt fiat propter ipſius amorem. Cùm enim id quod voluntas appetit, ſeu amat, non ſit amor, ſed res amata, ipſa, ſcilicet, bonitas rei ſibi convenientis, ſufficit vt propter ipſam omnes ſuos

actus

actus eliciat, quin præterea amet propter amorem. Ad inſtantiam vlteriorem conſtabit ex dicentis ſectione ventura.

28 *OPPONVNT II.* aliqui ſuppreſſis nominibus allegati ab Arriaga *diſput.* 8. *ſect.* 7. ſaltem electionem mediorum non eſſe propter finem, atque adeo neque ipſius effectum. Solùm enim eſt propter finē & ipſius effectus, id quod amatur propter finem, velut vtile ad illius conſecutionem. At electio mediorum non amatur propter finem, ſed propter media: quippe electio eſt amor mediorum. Ergo electio mediorum non eſt propter finem, neque ipſius effectus.

29 *COETERVM* Et hic dicendi modus procul à vero eſt. Quidquid enim ex intentione finis cauſatur, nequit non eſſe propter finem, & ipſius effectus. At electio mediorum ex intentione finis cauſatur; cùm ideo quis eligat media, vt finem aſſequatur, alioqui minimè electurus. Igitur electio mediorum eſt propter finem, & effectus ipſius. Quare ad obiectionem nego minorem: quia licèt electio mediorū ſit amor eorundem, non tamen eorundem ſiſtendo in iis, ſed tranſeundo ad ipſum finem, cuius gratiâ eliguntur media. Sic etiam ſumptio amaræ potionis, ipſiuſque electio, licèt immediatè ſolùm reſpiciat potionem amaram, non tamen ſiſtendo in eâ, ſed tranſeundo ad finem deſideratæ ſanitatis, cuius amore infirmus medicamenta ſibi præſcripta recipit & aſſumit.

30 *OPPONVNT III.* alii executionem ipſius finis, non poſſe eſſe ipſius effectum, neque propter ipſum. Quia finis, iuxta Ariſtotelem, eſt, cuius gratia cœtera fiunt. At finis inter cœtera, id eſt, inter alia a ſe, cenſeri nequit; cùm nihil poſſit eſſe aliud à ſeipſo. Ergo finis, ſicut non eſt finis ſui ipſius, ita neque fit gratiâ ſui, ſive propter ſeipſum. Igitur neque executio finis. nam ſi hæc propter finem eſſet, etiam finis prout executioni mandatus eſſet propter ſe ipſum; atque adeò eſſet cauſa finalis ſui ipſius, quod repugnat. *Præterea.* Si executio finis eſſet effectus finis, & hic cauſa ſui ipſius, etiam cauſa efficiens poſſet eſſe cauſa ſui ipſius: quod non modò impoſsibile eſt, ſed præcludit aditum ad probandum cōtra atheos exiſtentiā vnius primæ cauſæ omnium cœterorum.

31 *CONTRA* Tamen. Quiſquis enim finem executioni mandat, alicuius gratiâ id præſtat, ſive ex aliquo fine; cùm ſit actio humana, & communiter deliberata. Ergo executio finis eſt propter finem. At non propter finem alium ab eo, qui executioni mandatur. Hic enim ſicut a principio movit ad ſui amorem, deinde ad electionem, executionemque mediorum; ita & poſtremò allicit ad executionem ſui; vtpote ſine quâ obtineri nequit. Ergo executio finis eſt propter ipſum finem, ac proinde effectus illius. Neque vrget obiectio contraria: tum quia Ariſt. non dixit finem eſſe *id, cuius gratiâ cœtera fiunt*, vt conſtat ex ipſius verbis ac definitione, exſcriptis *num.* 10. ſed tantùm, *id, propter quod*; ſive, *cuius gratiâ*: tum etiam quia licet illud primum dixiſſet, adhuc verum eſſet quòd executio fiat gratiâ finis; quia executio finis, non eſt idē realiter cum ipſo, ſed quid omnino diſtinctum, vtpote cauſalitas productiva ipſius finis. Quare ad obiectionem, conceſsâ maiore & minore, nego conſequentiam: quia licèt finis non ſit propter ſeipſum, neque ſit finis, aut cauſa ſui ipſius, eſt tamen finis & cauſa actionis, ſive executionis quâ fit: quoniam nihil abſurdi eſt, ſed potiùs vrgētiſsima ratio, vt detur mutua cauſalitas inter cauſam efficientem & finalem; cùm omne agens agat propter finem. Ergo & eadem mutua cauſalitas eſſe poteſt ac debet inter cauſalitatem activam cauſæ efficientis & ipſum finem. Vide quæ diximus *diſp.* 13. circa mutuam cauſalitatem. Hinc ad vlteriorem inſtantiam dicimus, finem prout in intentione tantùm eſſe cauſam executionis, quâ fit; & quoddammodo, ac mediatè ſolùm, finem prout in intentione eſſe cauſam ſui ipſius prout in executione: quia prout in intentione habet exiſtentiam realiter diſtinctam ab eâ, quam in executione habet; illam, ſcilicet, in apprehenſione, & hanc in ſeipſo. Vnde poteſt ſecundùm illam priorem eſſe cauſa finalis huius poſterioris, mediatè ſaltem, quatenus immediatè movet ad actionem productivam ipſius. Cauſa autem efficiens non habet duplicem exiſtentiā diverſi ordinis, ſed vnicam, quam præhabere debet vt cauſet: ac proinde locus non eſt vt à ſeipſa recipiat exiſtentiam, vel illam in ſe producat; cùm exiſtentia præſupponatur ad omnem cauſalitatem & actionem productivam.

SECTIO QVINTA.

Quænam agentia operentur propter finem?

32 DE Angelis & hominibus certum eſt operari propter finem, quia quoties aliquid deliberatè operantur, ſi rogentur cur ita faciant, reſpondebunt ſe ope-

rari propter hunc, vel illum finem. De Deo quoque ſacræ litteræ perhibent id ipſum: quia Proverbiorum 16. dicitur: *Vniverſa propter ſemetipſum operatus eſt Deus.* Quibus ſatis oſtenditur, Deum in omnibus ſuis operibus habere ſeipſum pro fine. Id tamē intelligendum non eſt de ipſis operationibus immanentibus intellectus, voluntatiſque divinæ, ſive quibus Deus cognoſcit & decernit, ſive quibus ad extra operatur iuxta ſententiam D. Thom. rum, quia illæ ſunt increatæ, ac proinde non factæ; & per conſequens non fiunt gratia alicujus, vt fiunt quæcumque ſunt propter finē: tum & maxime, quia cum finis ſit vera cauſa eorum omnium, quæ ſunt propter ipſum, vt *num.* 11. ſtatutum eſt, ſi actus immanentes Dei haberent ipſum pro fine, Deus eſſet vera eorundem actuum cauſa. Quo nihil abſurdius, aut repugnantius ſummæ perfectioni, & actualitati puræ Dei in intelligendo & volendo; ſiquidē eiuſmodi actus deberent realiter diſtingui a Deo, vt effectus a cauſa. Quare dicendum eſt nullam operationem immanentem, nullum denique prædicatū divinum, in ſeipſo conſideratum, habere finem aliquem, ſaltèm ſtrictè loquendo; ſicut nullam habet cauſam efficientem ſui. Solùm itaq; reſtat vt Deus habeat ſeipſum pro fine ex parte operum, quæ producit ad extra, & ex parte operationū creatarum, qualitercumque ab eo procedant. Omnia enim hæc exhibet ac ponit in rerum natura ex fine gloriæ ſuæ, ſive propter ſeipſum, tanquam propter vnicum finem vltimum, qui proinde eſt cauſa omnium eorum.

33 *DE* Agentibus vero naturalibus inſenſibilibus dicendū eſt, non operari propter finem, qui reſpectu eorum finis ſit, ſive ad quem ipſa ſe moveant, aut determinēt. Nullum enim agens operatur hoc modo propter finem, niſi eum cognoſcat & intēdat. Ideoque vel creaturæ rationales vbi aliquid operantur, quod invincibiliter neſciunt conducere ad finem certum, non dicuntur operari, nec vere operantur propter eum finem, defectu cognitionis: vt ſiquis ſagitta transfigat hominem, quem invincibiliter indicat eſſe feram. Atqui naturalia & inſenſibilia agentia omni prorſus ratione & cognitione carent. Ergo neutiquā operantur propter finem, qui reſpectu illorum ſit finis. Solum itaque operantur propter finem intentum à primo agente, ſcilicet, Deo, qui per intellectum ac voluntatem ea movet & determinat. Quod indicatur ſatis illo axiomate: *Opus naturæ eſt opus intelligentiæ.* Eodemque ſpectat illud Ariſtotelis *lib.* 4. *de Gener. Animalium non cap.* 4. vt malè ab alijs allegatur, ſed *cap.* 2. aientis: *πάντα γὰρ τὰ γινόμενα κατὰ τέχνην ἢ φύσιν, λόγῳ τινὶ ἔστι. Omnia enim, quæ vel naturâ, vel arte efficiuntur, ratione aliquâ ſunt.*

34 *DE* Brutis denique dicendum cum communi ferè Philoſophorum ſententia, propriè non operari propter finem, qui reſpectu illorum finis ſit. Quidquid enim eo modo operatur, rationem aliquam habet eius quod operatur, ſeu reddere poteſt rationem cur ita operetur, aut ex quo motivo id faciat. Hoc autem repugnat brutis, vtpotè ratione omni carentibus, vt rectè obſervat S.P.N. Bernardus *ſerm.* 81. *in Cant.* dicens de ijs: *Non iudicantur, quia iudicant. quanam quippe ratione ab ijs exigatur ratio, quam non acceperunt?* Igitur bruta non operantur propriè propter finem, qui reſpectu eorum finis ſit. *Præterea.* Si bruta ſic poſſent operari, poſſent quoque amare, ſeu appetere vnum propter aliud: cùm id ſit de ratione operantis propriè propter finem. At nequeunt amare, ſeu appetere vnum propter aliud. Ergo. Probatur minor: quia in quolibet animali vis cognitiva & appetitiva proportionantur. At bruta nequeunt cognoſcere vnum propter aliud, quippe hoc diſcurrentium eſt proprium, cognoſcere vnum propter aliud prius cognitum. Ergo neque appetere poſſunt vnū propter aliud. Vnde reijcitur error Veterum quorundam Philoſophorum tribuentium brutis vſum rationis: vt Plutarchi in dialogo, cui epigrapha, *Quòd brutis ratio inſit*; & Pythagoræ atque Anaxagoræ apud eundem *lib.* 5. *de Placitis Phil. c.* 2. & Porphyrij *lib.* 3. *de Abſtinentiâ.* Plura alia pro hac ipſa communi ſententiâ lege apud Lynceum, *lib.* 4. *Phyſ. tract.* 10. *cap.* 5. vbi ſubtiliter & vberius illam tuetur, ac vindicat ab obiectionibus Arriagæ *diſp.* 8. *ſect.* 6. qui certè dignus lectu eſt, quoniam opinionem contrariam ingenio è ſatis ac veroſimiliter propugnat. Nobis, ne in immenſum divagemur, neceſſum eſt in præſenti, ſicut & ſæpe alias, vela diſputationis contrahere.

IN LIBRVM TERTIVM PHYSICORVM.

AGIT Philoſophus tribus primis capitibus huius libri de Motu, qui potiſsimum ſpectat ad ens mobile, in quo obiectum Phyſicæ conſiſtit. Tertio autem illorum diſſerit an Motus ſit in mobili, vel in movente? an etiam actio & paſsio ſint in eodem ſubiecto? Deinde quinque ſubſequentibus capitibus diſputat de infinito. In quæ omnia opportunas diſputationes excitabimus.

DISPVT. DECIMANONA,

DE MOTV, ACTIONE, ET PASSIONE.

Num. 1. *PLACET, Sicut diſputatione præcedenti, ita & modò excurrere per plura dubia, ſub titulo huius controverſiæ agitari ſolita, vt poſtea latiùs liceat exſpatiari circa infinitum, cuius difficultas incomparabiliter maior, dignior que attentâ reſolutione eſt.*

SECTIO PRIMA.

Definitio motus, eiuſque definitum, exponuntur.

2 MOTVM In rerum naturà exiſtere, ad ſenſum patet, quamvis id negaverit Zeno Eleates ab Ariſtotele impugnatus *infrà lib.* 6. Qui hoc 3. *lib. c.* 1. *textu* 6. cenſetur motum definire illis verbis: ἡ τοῦ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια, ᾗ τοιοῦτον κίνησίς ἐστιν: *Actus eius, quod eſt potentia, vt eſt tale, motus eſt.* A qua definitione in nullo differt, quæ communiter circunfertur, ſcilicet, *actus entis in potentiâ, ſecundùm quòd in potentiâ.* Illamque accipiunt Philoſophi communiter cum Div. Thomà *in præſenti, lect.* 1. & 2. vbi obſervat, rem ſubiectam mutationi poſſe conſiderari in triplici ſtatu. Primò in potentiâ tantùm; id eſt, quando nondum movetur, ſed eſt in potentiâ ad motum, & ad terminum motus. Secundò in actu vltimo, ſive perfecto; ſcilicet, quando iam non movetur, ſed mota fuit; quia adquiſito termino, ceſſat motus. Tertiò in ſtatu quodam medio inter puram potentiam, & actum vltimum; ſcilicet, quando actu movetur, & eſt quaſi in vià ad terminum adquirendum. Hoc poſtremo ſenſu accipienda eſt definitio præiacta: quia motus eſt quidam actus mobilis imperfectus, quo potentia paſſiva ipſius tendit ad terminum, ſive actum vltimum adquirendum. Actus ponitur loco generis, in quo convenit cum omnibus actibus, etiam perfectis. Cætera adduntur loco differentiæ: quia ſolus actus imperfectus, qualis eſt motus, relinquit ſubiectum in via, ſeu tendentia ad terminum: actus verò perfecti, vt Intellectio, & volitio, nõ relinquunt ſubiectum in via ad alium terminum, ſed vltimò perficiunt & complent illud: idque adhuc, licèt intellectio producat verbum diſtinctum, & volitio impulſum: quia vterque terminus non propter ſe quæritur, ſed propter ipſam intellectionem & volitionem, quibus vltimò ac per ſe natura rationalis perficitur.

FOR-

3 *PORRO* Ariſtotelem hac definitione non comprehendiſſe prædictos motus perfectos, ſed imperfectos tantùm, probabilius longè videtur, quam oppoſitum. Etenim hoc ipſo *cap. 1. text. 2.* ait: *Δοκεῖ δ' ἡ κίνησις εἶναι τῶν συνεχῶν. Motus autem de genere continuorum eſſe videtur.* Atqui manifeſtum eſt motus continuos eſſe imperfectos, vtpote ſucceſsivos, & relinquentes ſubiectum in potentia ad terminum nondum realiter obtentum. Inſuper *infrà lib. 4. cap. 14. t. 130. Tempus verò ac motus, ſimul potentia ſunt, atque actu.* Eſſe autem ſimul potentia & actu, nequit convenire motui perfecto. Præterea *& lib. 3. de Anima cap. 7. textu 28.* hæc habet: *Quapropter alia quædam eſt hæc ſpecies motus: nam motus, actus eſt imperfecti: at actus ſimpliciter, qui quidem eſt rei perfectæ, alius eſt omnino, diverſuſque ab illo.* Statimque in exemplum motus perfecti adhibet ſenſationem, & intellectionem. Vbi D. Th. inquit: *Manifeſtum eſt, quòd ſentire, ſi dicatur motus, eſt alia ſpecies ab ea, de qua determinatum eſt in libris Phyſicorum. ille enim motus eſt actus exiſtentis in potentia: ſed iſte motus eſt actus perfecti.* Quod ipſum docet *1. p. q. 9. ar. 1. ad 1. & q. 18. a. 1.* Vnde hæc ſententia ſatis frequens eſt inter Philoſ.

4 *RATIONE* Probatur: Quia eſſe actum entis in potentià, ſolùm convenit illi motui, qui relinquit ſubiectum imperfectum, & in via ad vlteriorem actum. At nec intellectio, nec volitio, nec vniverſe loquendo, ſenſatio relinquit ſubiectũ imperfectum, & in via ad vlteriorẽ actum. Ergo nec intellectio, nec volitio, nec ſenſatio, ſunt actus entis in potentia, prout in potentia. igitur neque coprehenduntur dicta definitione. Vtraque cõſequentia conſtat, & maior ſimiliter. Minorem probo: Quia intellectus vltimò perficitur per intellectionem, volũtas per volitionẽ, ſenſus per ſenſationem, ita vt non habeant vlteriorem actum. Et, vt ſuprà indicavi, termini prædictarum operationum, non propter ſe quæruntur a natura, ſed propter eaſdem operationes, in quibus potentiæ animalium propriæ ſuam perfectionem aſſequuntur. Non ergo relinquunt ſubiectum imperfectum, & in via ad vlteriorem actum. *Præterea.* Motus relata definitione explicatus ab Ariſtotele, tum ex ipſius mente, tum etiam per ſe loquendo, exigit vt ſubiectum præextiterit ſub illius privatione, ſeu in pura potẽtia ad ipſum. At nec intellectio, nec volitio nec ſenſatio, id exigunt per ſe loquendo: quia homo immediatè à ſolo Deo productus in ſtatu perfecto, vt Protoparentes, in primo inſtanti poſſet naturaliter intelligere, velle, & ſentire; ac per conſequens non eſſe ſub privatione dictorum actuum.

5 *OBIICIES*: Iuxta ea, quæ diximus *di. p. 12. ſect. 3.* anima rationalis prout intellectiva & volitiva, habet ſtrictam rationẽm naturæ; ac proinde intellectio & volitio animæ ſunt motus phyſici. Atqui Philoſophus dicta definitione comprehendere voluit omnem motum phyſicum; omnem, ſcilicet, motum, cuius principium eſt natura. Ergo & comprehendere voluit omnem intellectionem ac volitionem animæ. *RESP.* negando minorem: quia Philoſophus non comprehendit dicta definitione omnem motum phyſicum, vt phyſicum, ſive quatenus a natura procedentem: ſed omnem motum imperfectum, quicumque ille ſit; ſive procedat à natura vt principio; ſive ſit præter náturã; vt motus artificialis, in quo ipſe exemplum adhibet; ſive denique contra naturam ſit; vt motus violentus. Quodcumque enim principium habeat, ſi relinquat mobile in potentia, & imperfectum, erit motus hac definitione comprehenſus. quod patet non convenire intellectioni, & volitioni, propter rationem nuper aſsignatam, quamvis ſint motus phyſici, & ab anima vt natura procedant.

5 *EX* Dictis colligitur, generationem ſubſtantialem, & quaslibet mutationes inſtantaneas, quæ fuerint actus imperfecti, comprehendi hac ipſa definitione. Id conſtat ex Ariſt. qui ſtatim poſt illam traditam adhibuit exemplum in generatione & corruptione, non minùs, quam in motu locali, illis verbis: *Generatio, atque corruptio, & eius, quod fertur, latio.* Vbi & D. Th. *lect. 1. Accipit hic*, inquit, *motum communiter pro mutatione: non autem ſtrictè ſecundùm quòd dividitur contra generationem, & corruptionem.* Deinde ſuadetur ratione: Quia, vt exponit idem S. Doctor, motus dicitur actus entis in potẽtia, vt per rationẽ *actus* denotetur ordo ipſius ad præcedentem potentiã & per rationẽ *actus entis in potentia*, ſignificetur habitudo eius ad vlteriorem actum. Atqui generatio ſubſtantialis (idẽque proportionaliter eſt de alijs mutationibus inſtantaneis eiuſmodi) dicit habitudinem ad præcedentẽ potentiã, nimirũ, ad materiã primã, in qua recipitur; & ſimul ad vlteriorem actum, qui eſt forma ſubſtantialis. Ergo ratio actus entis in potentia quam exprimit definitio motus, convenit generationi ſubſtantiali. Conſtat præterea generationem pro illo priori naturæ; quo re-

cipitur in materia relinquere illam in via & tendentia ad formam, pro alio poſteriori naturæ ſuccedētem. Ergo generatio per ſe loquendo, & pro illo priori, quo informat materiam, eſt actus entis in potentia, vt in potentia.

7 *OBIICIES* Pro Soto *in præſenti q.* 1. & Benedicto Pererio *lib.* 13. *cap.* 5. aliiſque contrariæ ſententiæ aſſertoribus. *Primò*, Generatio ſubſtantialis in primo & vnico inſtanti ſuo habet formam ſibi aſſociatam intra ſubiectum, ſiue materiam. Ergo non relinquit illam in potētia ad formam: quia ſubiectum exiſtens in potentia ad formam, habet illius privationem; & nequit eſſe ſub privatione formæ ſubiectum, quod habet formam in eodem inſtanti reali. *Secundò*. Motus in præſenti definitus debet eſſe continuus, vt ſupra *num.* 2. ex Ariſtot. obſervavimus: ac proinde debet habere cō poſitionē ex pluribus partibus, penes quarum aliquas actuet ſubiectum, & aliquas nondum actuet, ſed relinquat in potentia. Atqui generatio ſubſtantialis, non eſt motus continuus, vtpote ſucceſsione carens; nec conſtat pluribus partibus, cùm ſit indiviſibilis: idemque eſt de omni mutatione inſtantanea. Ergo nec generatio ſubſtantialis, nec aliqua mutatio inſtātanea, eſt motus in præſenti definitus. *Tertiò*: Quia alioqui etiam creatio, quamvis inſtantanea, comprehēderetur eadem definitione. Atqui tam certum eſt illam ex mente Ariſtotelis non fuiſſe comprehenſam, vt neque vnquā ille creationis meminerit, aut eam cogitaverit eſſe poſsibilem.

8 *AD I.* Omiſsâ ac reiectâ ſolutione Conimbricenſium, aliorumque, aſſerentium, ſufficere prioritatē m naturæ, vt in ea ſubiectum cenſeatur privatum forma pro alio poſteriori naturæ adveniente (quam latè impugnavimus *diſp.* 2. *ſect.* 2. *à n.* 11.) Reſpondeo concedendo antecedēs, & negando conſequentiam; ac diſtinguendo illius probationem, ſubiectum exiſtens in potentia ad formam, habet illius privationem, aut realiter, aut præciſivè & quātùm ex parte ſtatus; concedo: realiter ſolū; nego. Itaque, vt generatio, & quævis mutatio inſtantanea, relinquat ſubiectū in potentia ad formam, ſufficit quòd natura ſua ordinetur ad illam, tanquam actus imperfectus ad perfectum; ac proinde quòd quātùm in ſe eſt non tollat privationem antea exiſtentem, ſed relinquat præciſivè, auferendam in alio poſteriori naturæ à forma. Sic contritio perfecta in primo ſuo inſtanti afferens gratiam habitualem infallibiliter annexam, pro illo priori naturæ, quo illam præcedit, non tollit privationem gratiæ, quæ antea erat, ſed quantum in ſe eſt, & præciſivè loquendo illam relinquit, auferendam pro alio poſteriori naturæ a gratia habituali, intra idem inſtans reale. *AD II.* Motus in præſenti definitus, debet eſſe continuus, & proinde conſtans ſucceſsione partium, aut in ſeipſo, vt omnes motus ſtrictè dicti, qui per ſe terminantur ad quā-titatem, qualitatem, & *vbi*; aut ſaltem in aliquo præſuppoſito ab ipſo motu per ſe loquendo. Et ita contingit in præſenti: quia generatio licèt in ſeipſa non ſit continua, nec habeat ſucceſsionem partium, præſupponit per ſe loquendo motum alterationis, qui continuus & ſucceſsivus eſt. Id autem ſufficere ex mente Ariſtotelis, vt aliqua mutatio ſub hac definitione comprehendatur, patet; cùm ipſe exemplum adhibeat in generatione, quam conſtat ſolùm poſteriori modo continuam & ſucceſsivam eſſe. *AD III.* Negatur ſequela: tum, quia creatio non eſt actus imperfecti, ſed perfecti; imò & actio immanens Dei, & indiſtincta ſecundùm entitatem ab ipſo, iuxta veriorem ſententiam; ac proinde incapax ſubiecti, quod relinquat in potentiā: tum etiā quia eſto ſit actio creata & habens ſubiectum, hoc non eſt commune vtrique termino, *à quo*, & *ad quem*; ſcilicet, privationi & formæ, prout requirebatur ad omnem veram mutationem, proindeque ad rationem motus: ſed ſolùm receptivum actionis creativæ, ac ſubinde relationis prædicamentalis dependentiæ, quā creatura recens producta refertur ad Deum. Lege S. Th. *q.* 3. *de Potentiâ, art.* 7.

SECTIO SECVNDA.

An motus diſtinguatur à termino, & recipiatur in mobili.

9 QVO Ad priorem dubij partem, dicendum eſt, motum diſtingui realiter a termino, in quem tēdit. Et frequens Philoſophorum ſententia, & pluribus breviter ſuadetur. *Primò*, & à priori: Quia omne quod eſt prius naturâ aliquo, diſtinguitur realiter ab illo: cùm nihil poſsit eſſe priùs natura ſeipſo. At motus eſt prior natura termino, in quem tendit, vtpote via ad adquirendū ipſum, quæ naturaliter prior eſt termino, ad quem procedit. Ergo motus diſtinguitur realiter a termino. *Secundò*. Repugnat eandem rem eſſe ſimul permanentē & ſucceſsivā: cū hæ ſint dif-

differentiæ eſſentiales. At motus eſt ſucceſſivus, terminus verò permanens. Ergo repugnat motum eſſe eandem rem cum termino. *Confirm.* hæc probatio. Eadem res nequit ſimul perire & manere. At terminus manet, motus autem perit, ſeu ceſſat adquiſito termino. Ergo motus nequit eſſe eadem res cum termino. *Tertiò* denique probatur ab abſurdo. Si enim motus actionis, generativæ hominis v.g. eſſet idẽ cum termino ſuo, etiam motus actionis ſuſcitativæ eiuſdem eſſet idem cum ſuo termino. Ergo cum terminus vtriuſque motus ſit idem numero homo, etiam actio generativa & ſuſcitativa eſſet idem numero motus: quia quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt idem inter ſe. Conſequens autem abſurdum eſſe patet: tum quia motus actionis generativæ eſt iuxta vires naturæ; ſuſcitationis autem, ſupra: tum etiam, quia fiunt diverſis temporibus, quod nequit cõuenire eidem actioni aut motui. Nonnulla, quæ huic doctrinæ obeſſe poſſunt, vide apud Complut. *diſp.* 16. *q.* 3.

10 QVO Ad poſteriorem partem aſſerendum eſt motum recipi in mobili. Ita Ariſt. expreſsè in præſenti *cap.* 3. vbi inquirit, *vtrùm motus ſit in movente, an in mobili?* Et in ipſo limine reſpondet: φανερὸν ὅτι κίνησις ἐν τῷ κινητῷ ἐστίν. *Patet motum in ipſo mobili eſſe.* Quod non ſolùm docet, ſed probat S. Thomas *in præſenti lect.* 4. dum ait: *Quia motus eſt actus exiſtentis in potentia, in quantùm huiuſmodi; exiſtens autem in potentia, in quantùm huiuſmodi, eſt mobile; ſequitur quòd motus eſt actus mobilis in quantùm huiuſmodi.* Ac præterea. *Manifeſtum eſt quòd actus cuiuslibet eſt in eo, cuius eſt actus: & ſic manifeſtum eſt quòd motus eſt in mobili, cùm ſit actus mobilis.* Et inſuper ratione ſuadetur: Quia motus, ſicut & quilibet actus, recipitur in eo ſubiecto, cui præſtat ſuum effectum formalem. At motus ſuum effectum formalem præſtat mobili: ſcilicet, eſſe motum, ſeu moveri. hoc enim nulli alij, quàm ipſi mobili, convenit. Ergo motus recipitur in mobili. Quæ rationes non ſolùm probant de motu alterationis, & augmentationis, ſed etiam de motu locali, vt expendenti conſtabit. Et vlteriùs de hoc ipſo evincitur: Quia motus localis in eo ſubiecto debet recipi, in quo recipitur ipſius terminus primarius, ſcilicet, *vbi*, ſeu præſentia vel habitudo locati ad locum. Hæc autem manifeſtè recipitur in mobili, ſeu corpore locato. Ergo & motus localis in ipſo recipitur. Ex quibus reijcitur opinio Soncinatis 5. *Metaph. q.* 40. & Fonſecæ *ibid. cap.* 15. *quæſt.* 10. *ſect.* 5. exiſtimantium oppoſitum de motu locali. Argumenta illorum levia ſunt, & apud allegatos Complutenſes videri poſſunt *vbi ſuprà q.* 4.

SECTIO TERTIA.

Quomodo comparentur motus actio & paſsio inter ſe?

11 PRÆMITTO, Actionem prædicamentalem (de qua diſſerimus) conſiſtere in reſpectu tranſcendentali ad agens, à quo oritur, & ad effectum, quem producit in paſſo. Cum enim eſſentialiter ſit cauſalitas agentis, ſeu producentis, ex propria quidditate importare debet habitudinem ad principium activum, & ad effectum, cuius origo eſt. Paſsio autem prædicamentalis conſiſtit in reſpectu trãſcendentali ſubiectionis, quo mobile ſubordinatur agenti, ab eoque ſuperatur & trahitur, vt recipiat in ſe formam, ſive effectum productum. Neque enim aliter poteſt ipſius quidditas exponi, aut ſignificari oppoſitio illa, quam paſsio concipitur habere cum actione, niſi dicatur, quemadmodum actio conſiſtit in habitudine agentis ad paſſum, & ad effectum in eo productum; ſic etiam paſsionem conſiſtere in habitudine paſsi ſeu mobilis ad agens, cui ſubijcitur, & à quo recipit talem effectum. Motum vero eſſe quendam actum imperfectum & vialem medio quo mobile tranſit à termino *à quo* ad terminum *ad quem*, conſtat ex dictis *ſect.* 1. Quibus ſtatutis,

12 SIT I. *Aſſertio.* Motus non eſt gradus aliquis eſſentialiter ſuperior ad actionem & paſsionem. Ita D. Thom. *in præſenti, & communiter Philoſophi.* Probant aliqui ex Ariſtotele in præſenti *cap.* 3. *textu* 22. Sed nihil ibi invenio, nec in toto capite, quod ad rem ſit. Id vnum ex eo huc advocare licet, quòd actio & paſsio, iuxta ipſum eodem capite, & præcedenti, ſint vnus numero motus. Vnde infertur per mediatam conſequentiam, motum non eſſe gradum eſſentialiter ſuperiorem actioni & paſsioni, quia ſic deberet in ijs multiplicari: ſicut quia ratio hominis eſt gradus eſſentialiter ſuperior Petro & Paulo, multiplicatur in ijs ſecundùm numerum. Deinde & ratione probatur: Quia genera prædicamentalia ſuprema non habent gradum aliquem eſſentialiter ſuperiorem, ſed tantùm rationes analogas & communiſsimas entis realis & acciden-

tis. Actio autem & paſsio ſunt genera prædicamentalia & ſuprema. Ergo non habent gradum aliquem eſſentialiter ſuperiorem, ſed tantum rationes analogas, & communiſsimas entis, atque accidentis. Quinque motus ab ijs toto cœlo differat, nequit eſſe gradus eſſentialiter ſuperior actioni & paſsioni.

13 *OBIICIES* Cum Soto in præſenti *quæſt.* 2. *concluſ.* 3. Ratio actus entis in potentia, quæ eſt definitio motus, convenit eſſentialiter actioni & paſsioni. quia vnaquæque illarum eſt fluxus quidam, & *fieri* effectus, ac proinde conſtituit ſubiectum partim in actu & partim in potentia. Ergo ratio, ſive definitio propria motus eſt quid eſſentialiter commune, ac proinde ſuperius actione & paſsione. *Confirmat. I.* Omne illud quo res ſe habet aliter ac antea, eſt eſſentialiter mutatio, ſive motus. Atqui agens media actione, & mobile media paſsione, ſe habet aliter ac antea; ignis enim v.g. media actione tranſit de calefactivo in calefacientem; lignum verò media paſsione, de calefactibili in calefactum. Ergo actio & paſsio eſſentialiter ſunt mutatio, ſive motus. *Confirm. II.* Motus enim prædicatur de actione & paſsione. Quare Ariſtotel. & D. Thom. ſæpe aiunt actionem eſſe motum prout ab agente; paſsionem verò motum prout in paſſo. Ergo quia motus eſt ratio aliqua vtrique communis & ſuperior.

14 *RESP.* Negando maiorem. Ad probationem dico licet actio & paſsio, ſicut & motus, recipiantur in eodem mobili, & conveniant in eo quod eſt non actuare illud vltimo; aliunde differre in eo, quòd actio & paſsio non reſpiciunt ſubiectum formaliter quatenus mobile eſt, ſive quatenus eſt in potentia ad vlteriorem terminum. Nec reſpiciunt eundem terminum, ſive effectum, quatenus formaliter complentem ipſum mobile vt mobile; ſed quatenus egredientem ab agente, & receptum in paſſo, præſcindendo ab eo vt compleat, aut non compleat potentiam paſsivam mobilis. Motus autem ex oppoſito reſpicit ſubiectum mobile vt mobile, & ex propria ratione formali conſtituit illud in via, ſeu tendentia ad terminum. *AD I. Confirm.* patet in ea nimium probari, ſcilicet, quamlibet formam permanentem, etiam ſubſtantialem, qua ſubiectum ſe habeat aliter ac antea, habere rationem motus. Deinde dico, actionem & paſsionem eam ob cauſam ſummum habere poſſe rationem mutationis metaphyſicæ, non verò motus phyſici, ſive actus imperfecti, de cuius ratione eſt vt ex ſe conſtituat mobile, quatenus mobile, in via & tendentia ad actum perfectum. *AD II. Confirm.* Illæ prædicationes nō ſunt formales, ſed materiales, quatenus motus inſeparabiliter mutuò aſſociatur actioni & paſsioni, eſtque ſubjectum vtriuſque formalitatis. Quare actio & paſsio non per identitatem ſunt motus, ſed ſubiectivè tantùm, ſeu quatenus inſeparabiliter ipſi adhærent, tanquam ſubiecto.

15 *SIT II. Aſſertio.* Motus habet rationem ſubiecti *quo* relatè ad actionē & paſsionem, quæ non aliter inhærent ſubſtantiæ, quam mediante motu, vt ratione proxima recipiendi; ſicuti accidentia externa non inhærent immediatè ſubſtantiæ, ſed media quantitate, vt ſubiecto *quo*, & ratione recipiendi immediatâ. Ita colligitur ex Ariſt. *in præſenti c.3 text.* 22. ſuperius relato illis verbis: ὅλως δ' εἰπεῖν, οὐδ' ἡ δίδαξις τῇ μαθήσει, &c. *Omnino autem neque doctio idem eſt propriè, quod diſciplina, neque actio idem, quod paſsio: ſed motus, cui hæc inſunt.* At nequeunt actio & paſsio ineſſe motui, niſi hic habeat rationem ſubiecti. Cumque nō poſſit eſſe ſubiectum *quod* (quippe id ſubſtantiæ proprium eſt) reſtat vt ſit ſubiectū *quo*. Quare eandem ſententiam communiter ſequuntur Philoſophi, & D. Tho. in præſenti *lect.* 4. ex quo deſumitur ratio: Quia cùm motus ex ſua ratione formali præſcindat ab ordine ad agens, conſtituente actionem, & ab ordine ad paſſum, conſtituente paſſionem, ſolùmque importet viam quandā mobilis ad vlteriorem actum; ſequitur vtrūque reſpectum accidere motui; ſicut naturæ ſecundùm ſe conſideratæ accidit eſſe in intellectu, & eſſe à parte rei. Ergo quēadmodum eam ob cauſam natura eſt ſubiectum vtriuſque exiſtentiæ, tum intentionalis, tum & phyſicæ; ita etiā motus eſt ſubiectū actionis & paſsionis. Denique, cùm actio & paſſio inſeparabiliter comitentur motum, & hic non ſit ratio cōmunis vtriuſque per identitatem, vt *concl.* 1. probatum eſt, reſtat vt ſit vtrique communis per ſubiectionem.

16 *SIT III. Aſſertio.* Motus diſtinguitur realiter ab actione & paſsione: actio tamen & paſſio ſunt eadem entitas realis, diſtincta per rationem, ſeu penes diverſas formalitates. Prior pars conſtat ex aſſertione præcedenti, quâ ſtatutum eſt motum comparari vt ſubiectum, atque adeò vt cauſam materialem ad actionem & paſ-

& paſsionem: quod ſine diſtinctione reali ab ijs eſſe nequit. Poſterior autem, quæ ſatis communis eſt, & a nobis probanda vberiùs in Metaphyſica, videtur expreſſa Ariſtotel. eodem *capit.* 3. iam toties allegato, *textu* 21. vbi ait: τὸ πάσχειν καὶ τὸ ποιεῖν τὸ αὐτό ἐστι, &c. *Pati atque agere idem eſt. Non vt ea tamen, quæ rationis eiuſdem ſunt, vt veſtimentum & tunica: ſed vt via, quà ex Thebis Athenæ, & ex Athenis Thebæ petuntur.* Quid expreſsius pro noſtra opinione? ibidemque D. Thomas eandem doctrinam luculenter confirmat. Ait enim *lect.* 5. in eundem textum: *Idem eſt actus ſecundùm rem, & duorum ſecundùm diverſam rationem: agentis quidem ſecundùm quòd eſt ab eo: patientis autem, ſecundùm quòd eſt in ipſo.* Vide præterea quæ ex eodem S. Doctore obſervavimus ſupra *diſput.* 14. *ſect.* 1. & miraberis cùm legas apud quoſdam ex Thomiſtis opinionem contrariam eſſe expreſſam Angelici Præceptoris. Qui & poſt exſcripta verba, paucis interiectis, ſubdit. *Etſi agere & pati ſint idem; tamen dicamus, quòd non ſunt idem ſicut ea quorum ratio eſt vna: ſed ſicut ea quæ ſunt idem ſubiecto, & diverſa ſecundùm rationem; vt via à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas.* An tibi videtur allegandus confidenter D. Thomas pro reali diſtinctione actionis a paſsione? Quod enim pro ſe afferunt ex eodem *quæſt.* 8. *de Potentia art.* 2. *ad* 1. vbi probat nullam ſubſtantiam, quæ eſt in genere, id eſt, creatam, poſſe eſſe relationem, quia eſt definita ad vnum genus, & per conſequens excluditur ab alio genere; id, inquam, a longè eſt, & ſolum probat de genere determinato ſubſtantiæ, cui ſpeciatim repugnat eſſe accidens: non verò vniverſim de omni genere prædicamentali comparato cum alio intra lineam accidentis: quia diviſio accidentis in ea novem genera abſtrahit à reali & rationis, vt fusè probabimus dicto loco, etiã ab inſtantijs, quæ negari non poſſunt ab Adverſarijs. Deſideramus autem teſtimonium aliquod S. Doctoris, quo loquens de actione & paſsione ſpeciatim, aut de omnibus novem prædicamentis accidentium generatim, aſſerat debere realiter illa inter ſe diſtingui. Quod nondum exhibuerunt Authores relati, credo, nec facilè invenient. Illorum fundamenta ex dictis ſolvi poſſunt, & dicto loco pleniùs obijcientur ac diſſolventur.

***

SECTIO QVARTA.

Vtrùm actio tranſiens recipiatur in agente, vel in paſſo?

17 INQVAM, Tranſiens nam de immanente formaliter, qualis eſt intellectio, volitio, & quælibet ſenſio, certum eſt recipi in ipſo agente & vivente, à quo oritur, tamquam à principio intrinſeco ſe movente per illam. Idque generatim dicendum de omni actu vitali. Quare totum diſsidium eſt de actione formaliter tranſeunte, qualis eſt calefactio, & infrigidatio, ab igne & aqua procedentes, an in ijs reſideant, vt in ſubiecto, an potius in paſſo calefacto aut infrigidato. In qua difficultate, qui alias docent actionem & paſſionem realiter diſtingui, poſſunt abſque in conſequentiæ nævo tueri actionem & paſsionem recipi in diverſis ſubiectis; illam in agente & hanc in paſſo. Nos vero qui nuper oppoſitum ſtatuimus, idem in vtrique ſubiectum conſignare debemus.

18 IDEO Dicendum, actionem tranſeuntem formaliter recipi in paſſo. Ita planè colligitur ex Ariſtotele *dict. cap.* 3. huius libri: vbi probat eundem eſſe actum, ſeu motum, agentis & mobilis, ſive paſsi, ſolà ratione diverſum. Cumque de eo ipſo motu ex profeſſo ibidem probet recipi in mobili, ſive paſſo, & manifeſtum ſit non poſſe eundem numero motum recipi in diverſis ſubiectis; infertur planè actionem tranſeuntem recipi in eodem mobili, ſive paſſo. Adhuc tamen expreſſiùs, & omni interpretatione præcluſa id habet *lib.* 3. *de Anima cap.* 2. *textu* 139. vbi poſt plura alia, quæ cauſa brevitatis omitto, ait: *Agentis namque moventiſque operatio, in ipſo patiente ſuſcipitur, atque inſit.* Vbi & Div. Thom. *lect.* 2. *littera* G. ita loquitur: *Probat quod ſuppoſuerat: ſcilicet; quòd vnus & idem actus ſit ſenſibilis & ſentiens; ſed ratione differant, ex ijs quæ ſunt oſtenſa in 3. Phyſic. Ibi enim oſtenſum eſt quòd tam motus, quàm actio vel paſſio, ſunt in eo quod agitur, ſcilicet, in mobili & patiente.* Quare eandem opinionem tuentur priſci Interpretes Ariſtotel. & frequenter Thomiſtæ, ac DD. Societatis. Speciatim lege Complutenſ. *diſputat.* 17. *quæſt.* 3. Suarez *diſp.* 48. *ſect.* 4. & præterea Averſam *q.* 26. *ſect.* 4.

19 RATIO Autem communis & ſolida deſumitur ex natura actionis tranſeuntis, quæ prout diſtincta ab immanente formaliter, debet egredi ab agente, &

tranſire in paſſum. Non enim diſtinguitur ab ea penes hoc, quod eſt ponere vel producere effectum aliquem extra ipſum agens: quia etiam actio formaliter immanens hoc præſtare poteſt, vt patet in actibus intellectus, voluntatiſque divinæ. Neque per hoc quod eſt virtualiter tranſeuntem eſſe: quia hoc nihil aliud eſt, quam effectum eius tranſire, ſeu poni extra ipſum agens: quod etiã convenit actionibus formaliter immanentibus in divinis, de quibus nuper, & in ijs, quibus Angeli movent localiter cælos, & quælibet corpora. Neq; vlterius in eo quod actio immanens primario ordinetur ad perficiendum agens, è contrà verò tranſiens ad perficiendum aliquid ad extra. Contra enim eſt, quòd ſi actio tranſiens recipitur in agente, priùs debet reſpicere perfectionem ipſius, quam alterius; quia omnis actus ex primaria ratione perficit ſubiectum, in quo eſt. Nec denique in eo, quod terminus productus per actionem tranſeuntem maneat poſtquam illa tranſijt; terminus verò immanentis actionis è converſo, quia cum ea naſcitur & finitur. Etenim dari poteſt actio formaliter immanens, cuius effectus perſeveret poſt illam: vt ſi Angelus immanenti actione ſuæ potentiæ locomotivæ iaciat lapidem, tranſacta illa perſeverabit motus. Inſuper & nonnullæ actiones tranſeuntes ſunt, quarum effectus non permanet: vt patet in citharizatione, & pulſatione cymbali. Quibus impugnationibus breviter præcluſæ manent evaſiones Adverſariorum, quotquot legere potuimus. Vt igitur actio tranſiens diſtinguatur ſufficienti modò ab immanente, opus eſt, vt in agente non recipiatur, ſed tranſeat in paſſum.

20 *CONTRARIAM* Opinionem, ſcilicet, actionem tranſeuntem manere in ipſo agente, defendunt Scotus *in* 4. *diſt*. 13. *q*. 1. cuiuſque Diſcipuli, & ex Thomiſtis Caietanus, ac Nazarius; ex AA. Societatis Torres 1. *p. quæſt*. 27. *dub*. 4. Quiros *diſp*. 61. *ſect*. 5. *n*. 30. Fundamentum præcipuum illorum eſt: Quia omnis actus, & forma, recipitur in eo ſubiecto, cui realem & intrinſecam perfectionem communicat. Actio autem tranſiens non communicat intrinſecam & realem perfectionem paſſo, ſed agenti. Ergo non recipitur in paſſo, ſed in agente. Probatur minor: Quia intrinſeca & realis perfectio communicabilis ab actione, eſt quod aliquid ab ea conſtituatur agens. Hoc autem ſoli agenti convenit, nõ autem paſſo. *Præterea*. Omnis perfectio debet eſſe in eo, cuius perfectio eſt. Actio autem tranſiens eſt perfectio agentis, cùm reducat illud de potentia in actum. Ergo actio tranſiens debet eſſe in agente.

21 *RESP*. negando minorem, & illius probationem: quia realis & intrinſeca perfectio communicabilis ab actione tranſeunte, non eſt quod aliquid ab ea conſtituatur agens; ſed quòd aliquid ea mediante, & in ſe recepta, perficiatur intrinſecè ab effectu ipſius. quod ſolùm convenit mobili, ſive paſſo. Vnde actio tranſiens nullum effectum intrinſecum communicat agenti, quia agens vt agens non mutatur: ſed ſolum ex illius eggreſſu reſultat in agente intrinſeca relatio prædicamentalis ad effectum, qua vtcumque perficitur. Ad vlteriorem inſtantiam reſp. ex D. Thom. 2. *contra Gent. cap*. 1. actionem tranſeuntem non eſſe perfectionem intrinſecam agentis, licèt compleat eius potẽtiam activam: quia talis potentia ſolùm eſt ad perficiendum alia ab ipſo agente; non verò vt illud intrinſecè per actionem perficiatur: è contrà verò potentia immanenter operativa. Quare idem S. Doctor 1. *p. q*. 18. *art*. 3. *ad* 1. inquit: *Sicut dicitur 9. Metaph. duplex eſt actio: vna quæ tranſit in exteriorem materiam, vt calefacere, & ſecare: alia quæ manet in agente, vt intelligere, ſentire, ac velle. Quarum hæc eſt differentia: quia prima actio non eſt perfectio agentis, quod movet, ſed ipſius moti: ſecunda autem actio eſt perfectio agentis.*

(.)

DISPV-

DISPVTATIO VIGESIMA.

DE INFINITO IN GENERE.

Quænam ſit formalis ratio infiniti, ſive in potentiâ, ſive in actu?

Num. 1. *INTER Naturales nullâ tractatio abſtruſior, & nodis propemodum inſolubilibus implicatior eſt hac unâ, quam aggredimur de infinito. Ideo ad eius enodationem infinito ferè ingenio opus eſſet. Nec licebit omnia quæ de hoc ſcripta ſunt in medium proferre, cùm penè numerum excedant. Selectiora ſolùm, & obſervatu digna exhibebo, præcipuè circa naturam & poſsibilitatem, impoſsibilitatemvè infiniti in actu, ſive quò ad multitudinem, ſive quò ad magnitudinem, ſive denique quò ad intenſionem. Oportet verò priùs examinare, quid intelligatur per infinitum, ne diſputatio vocalis ſit & de ſolo nomine, vt nonnulli illam inſtituunt. Habet locum apud Ariſt. hoc* lib. 3. cap. 6. *& ſatis opportunè excitari poteſt* in cap. 4.

SECTIO PRIMA.

Quænam ſit formalis ratio, infiniti, tam in potentiâ, quàm in actu? Vbi prætermiſsis modis dicendi aliorum, ſpeciatim Ariſtotelis ſententia proponitur, fulcitur, & ab obiectionibus vindicatur.

2 DVPLICEM Infiniti definitionem tradit Ariſtoteles *lib. 3. Phyſic. text. 62. & 63.* Primam quorundam Antiquorum, qui infinitum definiebant, *id, cuius nihil eſt extrà.* Scilicet, quod continet quidquid eſt poſsibile in ſuo genere: vt infinitum in actu Angelorum eſſet numerus continens omnes Angelos poſsibiles, ita vt extra illam multitudinem, non poſſet aliquis Angelus inveniri. Hanc definitionem infiniti admittunt quidam ex Veteribus Scholaſticis, vt Bachonius *in 1. diſt. 44. q. 1. art. 2.* Durandus *ibid. diſt. 43. q. 2. & in 2. diſt. 2. q. 3.* Aureolus *in 1. diſt. 44. q. unicâ, art. 1. p. 1. §. Et ſi quæratur.* Eandemque amplexantur nonnulli è Recentioribus, qui negant poſsibile eſſe infinitum.

3 *VERVM* illam reijcit Ariſtoteles allegato, *text. 62. & 63.* ac meritò: quoniã ſi per *id, cuius nihil extrà*, intelligatur quid pertinens ad rationẽ infiniti, ſeu illius rei, quæ infinita dicitur; quodlibet totum perfectum in ſuo eſſe infinitum erit: nam quodlibet totũ perfectum etiam eſt, cuius nihil extrà eſt; vtpotè quia nihil ad illud pertinens inveniri poteſt extra illud. At nõ omne totum perfectum in ſuo eſſe eſt infinitum, vt de ſe patet. Ergo infinitum non eſt id, cuius nihil eſt extra, ſi intelligatur de pertinentibus ad id, quod infinitum dicitur. Si verò accipiatur definitio de eo quod eſt extra ipſam rem, quæ infinita dicitur, & ſpectat ad rem aliam; nihilò magis recta eſt definitio. Dato enim quod per poſsibile aut impoſsibile ponatur in rerum naturâ infinita multitudo Angelorum, cõſtaret illa ex innumeris multitudinibus Angelorum infinitis, quarum vna poſſet omnino ſeparari, aut manere infinita in rerum naturâ, deficiente alia, aut etiam poſitâ in alio mundo poſsibili, vt palam oſtendemus progreſſu diſputationis. Et tamen extra quamlibet multitudinem infinitam eſſet aliquid eiuſdem generis ad aliã multitudinem infinitam ſpectans. Ergo nõ eſt de ratione infiniti; vt nihil ſit extra ipſum, ſi intelligatur de ſpectantibus ad aliquid diſtinctum ab ipſo infinito. *Confirmatur I.* Poſitâ vna lineâ infinita ſecundùm longitudinem rectâ via ab Oriente in Occaſum per ſpatia vera, & imaginaria, adhuc manifeſtum eſt poſſe dari lineam aliam itidem infinitam ſecundùm longitudinem ab Aquilone ad Auſtrum rectâ via per ſpatia imaginaria & vera. At tunc extra quãlibet lineam infinitam eſſet aliquid eiuſdem generis in aliâ lineâ infinitâ. Ergo non eſt de ratione infiniti, vt non ſit aliquid extra illud in aliâ re eiuſdem generis. *Confirmatur II.* in vtroque caſu infinitudinis Angelorum & linearum, quamvis auferretur vnus Angelus, aut palmus vnus lineæ, adhuc multitudo & longitudo maneret infinita, quia infinitum non deſinit eſſe tale per ablationem alicuius finiti. Poteſt ergo extra infinitum aſsignari aliquid diſtinctum intra idem genus.

SE-

4 *SECVNDO* Refellitur aſsignata definitio; quia convenit rei finitæ, non ſolùm ſecundùm eſſentiam, vt ſuprà vidimus, ſed etiam ſecundùm multitudinem. Ponamus namque omnes Angelos poſsibiles eſſe finitos, quidquid ſit de alijs rebus. Hoc enim ad veſtigandam rationem formalem infiniti, ſupponi debet etiam ab ijs, qui docent poſsibile eſſe infinitum in actu ſecundum numerum; ſicut plura alia importantia infinitatem actualem ſupponuntur ab Authoribus negantibus illam poſsibilem eſſe, vt ipſius eſſentiam rimentur. Alias negato ſuppoſito infiniti in actu, dirimeretur quæſtio abſque oleo, & operà quibus huculque Philoſophis ſtetit. Poſito autem, omnes Angelos poſsibiles eſſe finitos ſecundùm numerum; nihil extra illos eſſet, quod ſpectaret ad genus naturæ Angelicæ. Et tamen non eſſent infiniti, ſed finiti numero, vt conſtat ex ſuppoſitione. Ergo eſſe id, extra quod nihil eſt in aliquo genere, convenit rei finitæ ſecundùm multitudinem, ſive numerum: atque adeo non eſt propria notio, ſive eſſentia infiniti. *Confirmatur* contra Durandum, alioſque Philoſophos Catholicos ſuprà allegatos. Sequitur enim Perſonas divinas, quamvis ſolùm tres ſint, eſſe infinitas ſecundùm numerũ: quia extra illas nihil eſt poſsibile in genere Perſonæ divinæ ſecundùm numerũ. Item attributa Dei, quamvis determinata ſint ſecundùm multitudinem, & à Theologis numerentur; infinita numero erunt: quia extra illa non eſt aliud Dei attributum: idemque eſt de quatuor Dei relationibus, quia extra illas nihil aliud eſt in genere relationis divinæ. Conſequens autem, quàm abſurdum ſit, probatione opus non eſt. Ergo abſurdè definitur infinitum vt ſit, extra quod nihil eſt.

5 *QVARE* Philoſophus meritò aliã definitionem aſsignat *text.* 62. allegato, relicta præcedente, his verbis: *οὐ γὰρ οὗ μηδὲν ἔξω, ἀλλ' οὗ ἀεί τι ἔξω ἐστί, τοῦτο ἄπειρόν ἐστι. Non enim id eſt infinitum, cuius nihil eſt extrà: ſed id, cuius aliquid ſemper eſt extrà!* Itaque infinitum ſecundùm multitudinem erit illud, cuius numero quolibet, & quantùmvis maximo accepto, ſemper reſtat alius & alius ſine fine numerus accipiendus. Infinitum ſecundùm magnitudinem erit illud, cui licèt detrahas, ſive addas quãlibet partem quantitatis molis, adhuc poſsit auferri vel adijci alia & alia, ſeu maior ſive minor abſque termino. Denique Infinitum in intenſione illud erit, in quo ablatis, ſive in re, ſive per intellectum, quibuſcumque gradibus intenſionis, adhuc ſuperſint alij & alij auferendi. Vnde in proverbium abijt, infinitum nec poſſe comprehendi, nec numerari, nec menſurari, nec exhauriri.

6 *SED* Statim occurrit, admiſsà definitione hac, gravis difficultas contra omnes Authores qui illam cum Ariſtotele ſtatuunt, & aliunde nolunt infinitum eſſe poſſibile. In ſententia veſtra non eſt poſsibile infinitum. Ergo definitio infiniti, quam tuemini cum Ariſtotele, non eſt alicuius rei poſsibilis, ſed impoſsibilis & chimericæ. Ergo fruſtra reijcitur prior illa definitio, quia implicatoria, & accipitur hæc poſterior, quia legitima: nam ad explicandã rationem formalem alicuius rei impoſsibilis & chimæricæ, melior eſt illa definitio, quæ repugnantijs plena eſt, quàm quæ illã eſſe poſsibilem indicat. Nec dici poteſt, illà definitione infiniti explicari conceptũ aliquem finitum; cùm ſit formalis definitio infiniti, vt infinitum eſt. Nec præterea, eſſe definitionem rei poſsibilis ſecundùm ſe: quia in hac ſententia infinitum in ſe impoſsibile eſt, & importat repugnantiam ex terminis. Ergo poſità repugnantià infiniti, non eſt ratio, cur potiùs admittatur hæc poſterior definitio, quàm illa prior.

7 *CONFIRMATVR* Difficili ſanè argumento. Si omnia poſsibilia ſimul & collectivè reducerentur in actum, eſſent planè infinita ſecundùm numerum: vtpote adæquatus terminus Omnipotentiæ Dei actu infinitæ. Aliàs modò infinita non eſſent in potentià, ſi adhuc reducta ſimul in exercicium exiſtendi, non forent infinita in actu: quia quod poſitum in actu adæquato infinitum non eſt, antequam poneretur numquam fuit infinitum in potentià, cùm potentia ſit in ordine ad actum. Fateri ergo neceſſe eſt, caſu quo poſsibilia omnia ſimul & collectivè in actu ponerentur, futuram illorum multitudinem actu infinitam. At illi non conveniret definitio hæc poſterior, ſed ſolùm illa prior. Probatur minor. De illà multitudine poſsibilium omnium verificaretur, nihil eſſe extra illam, quia extra omnia poſsibilia nihil eſt. Non poſſet autem de ipsà verificari aliquid eſſe extra illam, quia extra omnia poſsibilia non eſt aliquid accipiendum. Ergo illi multitudini actu infinitæ non conveniret hæc poſterior definitio infiniti, *cuius aliquid eſt extrà.*

8 *HOC* Argumentum mihi inſuperabile eſt, eoque convincor ad aſſerendum,

definitionem poſteriorem ab Ariſtotele traditam no fuiſſe de infinito in actu, quod impoſsibile omnino cenſuit; ſed ſolum de infinito in potentia, quod ſæpe ac varijs locis admiſsit. Neque enim putandum, adeo accuratè, ſolerterque inquiſiviſſe naturam definitionemque illius infiniti, quod ex profeſſo oſtendit impoſsibile eſſe ac chimericum; ſed illius tantùm, quod cenſuit verè in rerum natura exiſtere, aut ſaltem nullam contradictionem involvere. Alioqui, ſi de infinito repugnante & chimærico definitio tradebatur, non erat cur reijceret priorem illam, quia implicationibus plenam, & aliam poſteriorē aſsignaret: nam, vt rectè in obiectione aſſumitur, ad purum figmentum, ſeu chimæram explicandam, aptior eſt definitio importans repugnantiam, quam connexionem terminorum eſſentialium. Deinde hoc ipſum colligitur ex eodem Philoſopho, qui paulo poſt traditam definitionem infiniti ſubdit, probatque, illud eſſe potentia totum; non verò actu. At ſi loqueretur de infinito in actu, illud actu eſſet totum, & non potentia tantùm. Alioqui quælibet quantitas, vel qualitas, & numerus modo exiſtens, eſſet nunc quid infinitum in actu; quia licet actu non ſit totum quod eſſe poteſt in ſuo genere, eſt in potentia, vt ſit per additionem, quidquid cadit ſub ipſius genere. Ergo Ariſtoteles definiens infinitum non loquitur de infinito in actu. Deinde id ipſum manifeſtè probatur ex verbis illius immediatè ſequentibus textu 66. ὥστε φανερόν, ὅτι μᾶλλον ἐν μορίου λόγῳ τὸ ἄπειρον, ἢ τὸ ὅλον. *Quare patet partis magis inſtitutum, quàm totius rationem ſubire.* At infinitum in actu magis ſubiret rationem totius, quàm partis. Ergo Philoſophus vbi explicat naturam, ſeu tradit definitionem infiniti, non loquitur de infinito in actu. Probatur minor inſtaurando hypotheſim adductam in confirmatione argumenti, vt omnia poſsibilia collectivè reducerentur ſimul in actum exiſtentiæ. Tunc certè tota illa poſsibilium collectio eſſet actu infinita: & tamen non haberet rationem partis, ſed totius: vtpotè cui nihil deeſſet, neque addi poſſet. Ergo infinitum in actu magis ſubiret rationem totius, quàm partis. Ergo cum Philoſophus loquatur è converſo de illo infinito, quod magis ſubit rationem partis, quam totius, non loquitur de infinito in actu, ſed ſolùm de infinito in potentia, quod verè partis potius, quam totius rationem habet: quia illius ſolum accipitur aliqua, ſive per diviſionem, vt in continuo; ſive per numerationem, vt in quantitate diſcreta: ex quà ſi accipias numerum quenque, illumque deſignes in qualibet multitudine, ſemper habebit rationem partis; quia adhuc reſtabit maior & maior multitudo aſſumptibilis, ſeu in potentià. *Denique*, ſi quantitas, quæ iuxta Philoſophum eſt infinita in potentia ad additionem ſui, quia terminum augmēti præfixum non habet, per poſsibile, aut impoſsibile ponatur recipere actu omne augmentum, cuius eſt capax, verè erit infinita in actu. Quantitas enim quæ repleret omne ſpatium, tam verum, quam imaginarium ſimul, eſſet proculdubio immenſa, ac proinde actu infinita ſecundum extenſionem. At tunc non haberet rationem partis, ſed totius; vtpotè iam conſummati & non valentis creſcere in genere extenſionis, ſeu magnitudinis. Ergo infinitum in actu ſi daretur, non haberet rationem partis, ſed totius. Ergo de primo ad vltimum Philoſophus, vbi definit infinitum habens magis rationem partis, quàm totius, non loquitur de infinito in actu.

9 *IDEO* Argumentum præiactum, eiuſque confirmatio, inſuperabilem videtur difficultatem obijcere aſſerentibus ex vno capite rectam eſſe poſteriorem definitionem acceptam de infinito in actu; & aliunde negantibus id eſſe poſsibile abſolutè; ſaltem ſi fateantur caſu quo ponerentur ſimul in actu poſsibilia omnia, multitudinem ipſorum fore actu infinitam. Nobis tamen, qui aſſerimus definitionem hanc ab Ariſtotele ſolum traditam eſſe de infinito in potentia, eoque ſenſu intellectam eſſe legitimam, alias vero repugnantem; facilis ſolutio eſt; concedendo poſsibile eſſe definitum huius definitionis, nempe infinitum in potentia, ac proinde aſsignando definitionem rectam, quæ nullam repugnantiam involvat.

10 *AD Confirmationem*, concedo, caſu quo poſsibilia omnia collectivè in actu ponerentur; multitudinem illorum fore actu infinitam, & taliter infinitam, vt extra illam non eſſet aliquid accipiendum. Vnde ſolùm ſequitur illi multitudini actu infinitæ non convenire hanc definitionem poſteriorem, quæ tantùm de infinito in potentia traditur. Neque enim neceſſarium eſt vt definitio conveniat rei, quæ per illā non definitur. Cum verò additur, priorem definitionem ab Ariſtotele reiectam convenire multitudini poſsibilium caſu quo tota ſimul exiſteret, eſſetque infinita in actu; reſponderi poteſt ad mentē Ariſtotelis illam, vel ex hoc ipſo capite, malā eſſe

quia

quia cùm Philoſophi Veteres vellent definire infinitum in potentia, tradiderunt definitionem convenientem infinito in actu, caſu quo illud exiſteret. Definitio autem quæ traditur ita circa aliquod definitum, vt alteri, quàm definito proprio, conveniat, mala eſt. Ergo prior illa definitio infiniti in potentià, hoc ipſo quod conveniat alicui infinito in actu, mala eſt. Deinde meritò reijcitur, quia conveniret cuilibet toti ſubſtantiali: vt omittam plures alias contradictiones ſuprà adductas, ſive illa accipiatur de infinito in potentia, ſive in actu.

11 *DICES I.* Illa prior definitio cõveniret infinito in actu reſultanti ex tota collectione poſsibilium omnium. Ergo intellecta ſaltem de infinito in actu, vt accipitur a pleriſque Recentiorum, recta & legitima eſt: quia convenit ſuo definito.

12 *SED Contrà I.* Nam licet illa definitio, ſcilicèt, *cuius nihil eſt extrà*, conveniret alicui infinito in actu, non tamen omni. Quamvis enim conveniret toti collectioni poſsibilium nullo dempto, quia extra illam nihil eſſet; tamen adaptari non poſſet eidem collectioni poſsibiliũ, dempto vno, vel alio. Et tamen collectio poſsibilium, dempto vno, vel alio, adhuc eſſet actu infinita. Ergo licèt definitio illa conveniret alicui infinito, non tamen omni. Probatur minor: Quia ſi collectio tota poſſibilium, nullo dempto, infinita in actu eſt; per ablationem vnius tantum, vel alterius, non deſinet eſſe actu infinita. Vt enim omnes tradunt, & ratione evidenti infrà demonſtrabitur, infinitum in actu non deſinit eſſe tale per ablationem alicuius finiti; ſicut neque finitum per additionem alterius finiti redditur infinitum. Ergo collectio poſsibilium, quæ nullo dempto aſſeritur infinita, adhuc dempto vno, aliove, eſſet infinita in actu. Et tamen extra illam eſſet aliquid, nempe illud poſsibile ablatum. Ergo ſtat aliquid eſſe actu infinitum, & tamẽ extra ipſum aliquid eſſe. *Contrà II.* Definitio illa non conveniret medietati illius collectionis. Sed medietas illius collectionis infinitæ in actu, vt ſupponimus, etiam eſſet actu infinita. Ergo definitio illa non convenit omni infinito in actu. Maior eſt evidẽs; quia extra medietatem illius collectionis eſſet aliquid, nimirum altera medietas. Ergo definitio illa infiniti, qua aſſeritur, nihil eſſe extra ipſum, non conveniret medietati poſsibilium. Minor probatur: Quoniam tota collectio poſsibilium adæquatè reſultans ex illa duplici dicta medietate, aſſeritur, aut ſupponitur actu infinita. Ergo vtraque illius pars, ſeu quælibet medietas ſeorſim, actu quoque infinita eſt. Patet conſequentia: quia totum aliquod actu infinitum nequit reſultare adæquatè ex duplici parte actu finità: cùm totum nihil habeat, quod non recipiat a ſuis partibus, & hæ infinitatem præſtare non poſsint, niſi illam in ſe habeant. Aut ergo negandũ eſt totam collectionem fore infinitam in actu, cuius contrarium ſupponimus, & ſuprà probatum eſt; aut aſſerendum, quamlibet medietatem illius collectionis fore actu infinitam. Et tamen neutri illarum medietatum conveniret prior illa definitio, ſed ſoli integræ collectioni. Ergo licet conveniat vni definito, non tamen omni.

13 *DICES II.* Poſterior definitio ab Ariſtotele tradita, ſi intelligatur de infinito ſolum in potentià, vt nos aſſerimus, recta eſſe non poteſt; quia etiam convenit infinito in actu, caſu quo ipſum exiſtat. Ergo perinde, aut æquali ratione reijci debet, ac prior definitio. Probatur aſſumptum eodem exemplo collectionis poſsibilium poſitæ in actu, & itidem diviſæ in duas medietates. Quælibet enim illarum ſeorſim eſſet infinita in actu, vt modo argumentabamur. Sed cuilibet illarum conveniret eſſe id, *cuius aliquid ſemper eſt extra*; quæ eſt definitio Ariſtotelis. Ergo hæc etiam convenit infinito in actu. Probatur minor: Quia extra quamlibet illarum medietatum ſeorſim eſſet accipere ſemper plura & plura poſsibilia, ita vt per diutinam aſſumptionẽ ex altera medietate nunquam exhaurirentur poſsibilia omnia. Ergo cuilibet illarum medietatum conveniret eſſe id, *cuius aliquid ſemper eſt extrà*; quæ eſt definitio Ariſtotelis. *Confirm. I.* Poſita qualibet multitudine infinita in actu, deberet illa conſurgere ex innumeris multitudinibus actu infinitis, vt inferunt negantes, & concedunt neceſſariò aſſerentes infinitum in actu. Aſſumendo igitur vnã quamlibet multitudinem actu infinitam ex toto illo cumulo infinitarum multitudinum, certum eſt extra illam aliquid ſemper eſſe in cæteris multitudinibus, quæ aſſumptæ non ſunt, & nunquam exhauriri poſſunt. Ergo eſſe id, cuius aliquid ſemper eſt extra, non modo convenit infinito in potẽtia, ſed etiam in actu. *Confirm. II.* In hac ipſa acceptione vnius multitudinis actu infinitæ, relictis alijs, illa eſſet in potentia, vt additionem ſubiret ab alijs in infinitum; haberetque potius rationem partis, quam totius per comparationẽ

ad cumulum ex omnibus iis multitudinibus conſurgentem: quia duo ſigna attulimus *num.* 8. ad probandum illam definitionem fuiſſe traditam ab Ariſtotele ſolum de infinito in potentia. Ergo nec definitio illa, nec eſſe in potentia ad additionem, neque habere potius rationem partis, quã totius, eſt quid proprium infiniti in potentiã; cum etiam conveniat illi multitudini ab aliis ſegregatæ, & infinitæ in actu.

14 *SED contrà*. In qualibet enim medietate collectionis poſsibilium, & in quavis multitudine infinita, quæ ſegregetur a cumulo aliarum pariter infinitarum in actu, poteſt conſiderari id quod actu habet intra ſe, & id quod extra ſe habere poteſt. Sub priori ratione erit infinita in actu. Sub poſteriori vero ſolum infinita in potentia. Erit quidem ſub priori ratione infinita in actu: quia actu habebit intra ſe tantam ac talem collectionem poſsibilium, ſive vnitatum, vt nulla numeratione, nulla acceptione, nullà immutatione ſui exhauriri poſſit ſucceſsivè per totam æternitatem, nec ſi quavis hora, aut quadrante horæ, imò & minuto, aſſumatur maior numerus, quam ſit omnium rerum de facto exiſtentium. quod vltro admittunt quicunque ſtatuunt poſsibile infinitum in actu, & neceſſario concedere debent. Erit autem ſub poſteriori ratione infinita multitudo in potentia, quia poterit ſubire additionem ſui magis ac magis in infinitum, & ſine termino, ex aliâ medietate, ſeu multitudine, pariter actu infinita. Ergo quævis medietas, ſeu multitudo illarum erit ſimul infinita actu & potentia ſub diverſis rationibus; infinita actu, ſecundùm poſsibilia, vel vnitates, quas actu claudit in ſe; infinita vero in potentia, ſecundùm poſsibilia, vel vnitates, quæ ſunt extra illam, & à quibus maiorem & maiorem additionem ſemper capere poteſt.

15 *HINC* Colligitur rectam eſſe definitionem aſsignatam, quia formaliter loquendò non convenit infinito in actu, ſed ſoli infinito in potentia: definitio autem debet accipi in ſenſu formali. Aſſumptum probo. Quia illi medietati poſsibilium, aut multitudini ab aliis ſegregatæ, vt formaliter eſt in ſe actu infinita, non convenit eſſe id, *cuius aliquid ſemper eſt extrà*. Sub ea namque ratione formali, qua actu infinita eſt, non conſideratur in ordine ad extra, ſive ad alia, ad quæ eſt in potentiâ per additionem ſui; ſed tantùm attenditur penes id, quod actu intra ſe habet, quodque nulla numeratione, aut aſſumptione exhauriri poteſt. Ergo ſub eà ratione quà actu infinita eſt illa medietas, vel multitudo, non convenit ipſi definitio ab Ariſtotele tradita. Aliunde evidens eſt convenire ipſi formaliter, vt infinita conſideratur in potentia; quia prout ſic extra illam ſemper eſt aliquid accipere in eodem genere: nimirum ex altera medietate, ſeu multitudine actu infinita, a qua magis ac magis augeri poteſt. Ergo definitio Ariſtotelis in ſenſu formali non convenit infinito in actu, ſed ſolùm infinito in potentia; licèt materialiter loquendo poſsit convenire infinito in actu: ſicut definitio dulcis poteſt convenire albo, non vt album, ſed quatenus dulce eſt. Vnde & conſequenter infertur, infinitum in actu formaliter loquẽdo habere rationem totius, non autem partis; & nullatenus conſiderari in potentia, ſed in actu: è contra vero infinitum in potentia. Quo vltimo ſenſu accipiendus Ariſtoteles *num.* 8. & ſic corruit argumentum quo ad omnes partes.

16 *DICES III.* Ergo nulla ex præiactis definitionibus explicat eſſentiam infiniti in actu, quatenus tale eſt. Non prima, quæ a nobis reiicitur cùm Ariſtotele. Non ſecunda, quæ formaliter accipitur de ſolo infinito in potentia, quatenus tale eſt. Neutra ergo ex præiactis definitionibus explicat propriam eſſentiã infiniti in actu, quatenus tale eſt. Ergo fruſtra demum inquiritur, an ſit poſsibile infinitum in actu. Nam non præſuppoſita illius definitione fixa ac certa, vnuſquiſque propriam ſibi finget pro libito; & ſi aſſerat infinitum poſſibile eſſe, ſtatuet definitionem talem, vt infinitum non repugnet: ſi vero negot, eiuſmodi definitionem tradet, vt facili negõtio exturbetur poſsibilitas infiniti. Atqui abſurdum eſt in hac diſputatione a priſcis ſæculis inſtitutà nullam infiniti in actu fixam definitionem traditam eſſe, vnde eius poſsibilitas, aut impoſsibilitas colligatur. Aliqua ergo prædictarum definitionum de infinito in actu tradita eſt, ac fixa eſſe debet. Cùm ergo poſterior non ſit recta definitio infiniti in actu, admitti debet veluti germana & legitima illa prior.

17 *RESPONDEO* Verè nullam ex præiactis definitionibus convenire infinito in actu formaliter loquendo, ſive prout requiritur ad rectam definitionem. Non primam illarum, quia non convenit omni infinito in actu. Non ſecundam: quia ſaltem non conveniret alicui infinito in actu; ſcilicet collectioni omnium poſsibilium, cuius non eſſet aliquid extra, quamquam actu in-

infinita foret. Nego tamen ideo fruſtrà inquiri, an ſit poſsibile infinitum in actu: quia qualiſcumque demum ipſius definitio tradatur, aut licet nulla ſtabilis & fixa ſit, adhuc locus diſputationi eſt, vtrùm id quod dicitur infinitum in potentiâ, ſive ſecundũ multitudinem, ſive ſecundùm magnitudinem, ſive ſecundum intenſionem, poſsit reduci infinitè in actum. Potentia enim per ordinem ad actum dicitur, & repugnante illo tam ſucceſsivè, quàm collectivè, repugnat. Cum ergo communiter ſtatuatur infinitum in potentia, tum quò ad multitudinem, tum quo ad magnitudinem, tum denique quò ad intenſionem; rectè inquiritur, vtrum infinitum in potentia valeat reduci collectivè in actum, ita vt numquam exhauriri poſsit ſecundùm ea, quæ actu habet; ac per conſequens ſit infinitum in actu. Vel etiam, vtrùm poſsit à Deo produci tanta multitudo vnitatum, aut magnitudo quantitatis, ſive quò ad longitudinem, ſive quò ad latitudinem, ſive quo ad profunditatem, aut tot gradus intenſionis, ſimul & collectivè exiſtẽtes, vt nullâ ſumptione, diviſione, aut imminutione, etiam magna, & per totam æternitatem ſucceſſivè durante, vnquam exhaurirẽtur. Quod ſanè liberum diſputationi aditum præſtat, & pertinet ad quæſtionem *an ſit*, independenter a poſteriori diſputatione, *quid ſit*? Et quotidie quidem plurium rerum veſtigamus poſsibilitatem, cùm tamen fixa & ſtabilis ipſorum definitio nulla ſit, aut varia, & ſub opinionibus poſita.

2. SECTIO SECVNDA.

Infinitum in actu differre ab infinito in potentiâ, & qualiter. Vnde plura ſpecialia, ac difficilia enodantur.

18 EX Doctrinâ traditâ ſectione præcedenti plura inferuntur circa rationem formalem infiniti in actu, tam prout convenit cum infinito in potentia, quàm prout ab illo differt: quæ pro aſſertione ſtatuenda ſunt.

DICO I. Infinitum in actu, quod cathegorematicum appellari ſolet, differre ab infinito in potentiâ, quod ſyncathegorematicum dicitur, penes hoc, quòd primum importat infinitas partes actu exiſtentes, quibus actu conſtituitur ſecundùm ſe totum: ſecundũ verò importat permixtionem partium finitarum exiſtentium, cum alijs infinitis poſsibilibus, quarum additione augeri poteſt. Itaque infinitum in actu ſecundùm multitudinem, importat collectionem tot vnitatum actu exiſtentium, vt quacumque numeratione ſucceſſiva per totam æternitatem exhauriri non poſsit. Infinitum in actu ſecundum magnitudinem, importat adeo ingentem molẽ, vt quamvis per ſingula horarum minuta in æternum ab illo detrahatur tanta pars materiæ, quanta in toto mundo, & ſub cœlo Empyreo eſt, adhuc infinitum mole perſiſtat. Infinitum denique in actu ſecundùm intenſionem illud erit, cuius tot gradus, vel ita intẽſa radicatio actu in ſubiecto ſit, vt ſi ex qualitate illa remitteretur qualibet hora tantundem intenſionis, ac ſit collectivè in gratiâ Beatiſsimæ Virginis, & omnium iuſtorum, idque per totam æternitatem ſucceſsivè, adhuc infinitè intenſum perſiſteret. Ratio primæ partis, ac doctrinæ eſt, quia ſicut finitum additum finito non facit infinitum; ita infinitum per quamcumque ablationem finiti non deſinit eſſe infinitum. Sed tota illa ablatio, ſive vnitatum, ſive partium quantitatis, ſive graduum intenſionis, quantumvis magna, & frequens, ac diutina ſit, ſolùm detrahit aliquid finitum. Ergo per talem ablationem infinitum actu ſecundùm multitudinem, magnitudinem, vel intenſionem, non deſinit eſſe actu infinitum. Ratio ſecundæ partis eſt: quia infinitum in potentiâ, vt ſuperiùs ſtatuimus ex Philoſopho, definitur, *cuius aliquid ſemper eſt extrà*. Ergo debet habere aliquid intra, id eſt, exiſtens intra ſe; & aliquid nondum exiſtens, ſed ſolùm poſsibile extra ſe, per cuius additionem creſcere poſsit ſemper. At quidquid habet intra ſe eſt actu finitum, quia de facto ſaltem ſupponimus non dari infinitum in actu: & quod poteſt ſemper habere extra ſe, eſt infinitum, quia per additionem partium poſsibilium magis ac magis per totam æternitatem creſcere poteſt. Ergo infinitum in potentiâ importat permixtionem partium finitatum actu exiſtentium cum alijs poſsibilibus infinitis, quarum additione creſcere poteſt. Vnde nunquam eò deveniet infinitum in potentia, facta quacumque acceſsione, quantumvis frequenti & magnâ, vt ſecundùm ea quæ actu habet, careat termino: quia tota acceſsio eſt finitarum partium, quarum incremento nequit de finito & terminato tranſire ad interminum & infinitum.

19 *DICES*: Si infinitum in potentiâ importat permixtionem partium finitarũ actu exiſtentium, & infinitarum purè poſsibilium, importabit planè aggregatum ex en-

ente & non ente, ex finito & infinito. Sed aggregatum ex ente & non ente, ex finito & infinito, definiri nequit vnica definitione. Ergo ſi infinitum in potentia importat permixtionē partium finitarū actu exiſtentium, & infinitarum pure poſsibilium, nequit definiri vnica definitione. Ergo perperam ſtatuimus lectione præcedenti definitionem vnicam infiniti in potentia, tamquam legitimam, & ex mente Philoſophi. Vtraque conſequētia eſt perſpicua. Sequela ex noſtro aſſerto videtur manifeſta: quia partes actu exiſtētes ſunt finitę, & vera entia; partes vero poſsibiles ſunt infinitæ, & non entia, cum nondum exiſtāt. Ergo ſi infinitum in potentia importat permixtionē partium finitarū actu exiſtentium, & infinitarum pure poſsibilium, importabit planè aggregatum ex ente & non ente, ex finito & infinito. Iā verò minor illa præcipua probatur. Nequit enim vnica definitione explicari, niſi quod habet vnicam eſſentiam, vt ex ſe patet. Sed aggregatū ex ente & nō ente, ex finito & infinito, non habet vnicā eſſentiam; quia potius ens importat eſſentiā, & non ens negationem eſſentiæ; infinitum quoque negatione finiti. Ergo aggregatum ex ente & non ente, ex finito & infinito, nequit explicari vnica definitione.

20 *HVIC* Argumento, quod ſingulare, ac difficile eſt, reſpondeo concedendo ſequelam, & negando minorē. Ad probationem diſtinguo minorem: Aggregatū ex ente & non ente, tam in potentia, quam in actu, non habet vnicam eſſentiā, concedo: quia id conflatur ex vno membro exiſtente, & altero repugnāte, quibus vnica eſſentia eſſe non poteſt. Aggregatum ex ente, & non ente in actu, quod tamen ſit potentia ens, nego minorem. Sicut enim homo tam exiſtens, quam poſsibilis, cenſetur vnicam eſſentiam habere, & vnica definitione explicari; quia eſſentia & definitio rei abſtrahunt a ſtatu exiſtentiæ & poſsibilitatis, ſive ab eo quod res definita ſit aut non ſit ens in actu; ita etiam partes actu exiſtentes & partes ſolùm poſsibiles infiniti in potentia habere poſſunt eſſentiam vnicam, v. g. numeri, quantitatis continuæ, aut qualitatis, & vnica definitione explicari, quamvis priores ſint entia in actu, poſteriores vero ſolùm in potentia. Similiter & nego ſecundam minoris partem, in quā alluditur, aggregatum ex finito & infinito non poſſe habere vnicam eſſentiam & definitionem; quia finitum & infinitum non ſunt differētiæ eſſentiales, neque quantitatis diſcretæ, neque continuæ, neque virtutis; ſed tantùm modi accidentales. Vnde ſi daretur numerus infinitus in ſua ratione importaret genericam rationem eadem cum alijs numeris, quæ conſiſtit in collectione vnitatum, quæcunque demum ea ſit, ſive finita, ſive infinita; & quo ad eſſentialia ſolùm diſtingueretur ſpecie ab alijs numeris, ſicut binarius a ternario. Si etiam daretur quantitas infinitè extenſa, conſiſteret quò ad eſſentialia in extenſione partium in ordine ad ſe, ſicut quævis alia quantitas finita; ſolumque adderet modum infinitatis, ſeu carentiam termini. Si denique daretur qualitas, gratia v. g. infinitè intenſa, eſſet ex ſua ratione formali ſolùm participatio divinæ naturæ, ſicut quævis alia gratia finita; ſolumque adderet modum infinitæ intenſionis, ſeu radicationis in ſubiecto.

21 *INSTABIS* Acriter. Eſto poſſit aggregatum ex partibus exiſtentibus & non exiſtentibus conſtituere vnicam eſſentiam, non tamen aggregatum ex partibus exiſtentibus finitis, & partibus poſsibilibus infinitis. Sed infinitum in potentia juxta noſtram doctrinam eſt aggregatum ex partibus exiſtentibus finitis, & partibus poſsibilibus infinitis. Ergo infinitum in potentia nequit vnicam eſſentiam importare: atque adeo nec vnica Ariſtotelis definitione comprehendi. Probatur maior. Omne aggregatum, ſive compoſitum, quod habet vnicam eſſentiam, debet conſtare partibus eſſentialibus certis, quarum vna ablata, tota eſſentia diſſolvatur. Sed aggregatum ex partibus exiſtentibus finitis, & ex partibus poſsibilibus infinitis, nequit conſtare partibus eſſentialibus certis, quarum vna ablata, tota eius eſſentia diſſolvatur. Ergo aggregatum conſtans ex partibus exiſtentibus finitis, & partibus poſsibilibus infinitis, nequit habere vnā eſſentiā. Conſequētia eſt legitima in quarto modo ſecundæ figuræ, & major ex terminis manifeſta. Minor probatur: quia eſto partes exiſtentes & finitæ, ſint determinatæ ac certæ; partes tamen poſsibiles infinitæ, ſunt incertæ & indeterminatæ, vtpote quarū numerus certus determinari non poteſt. Rurſus ex partibus poſsibilibus infinitis ablatā qualibet multitudine certa ac determinata, permanebit aggregatū illud quo ad eſſentialia conſtans ex partibus finitis exiſtentibus ſicut antea, & ex partibus poſsibilibus infinitis, quæ reſtant, & nondum ablatæ ſunt. Ergo aggregatum ex partibus exiſtentibus finitis, & ex partibus poſsibilibus infinitis, nequit conſtare ex partibus eſſentialibus cer-

certis, quarum vnâ ablatâ eſſentiâ diſſolvatur.

22 *RESPONDEO* Negando maiorem. Ad probationem conceſſa maiore, nego minorem. Ad primam partem probationis, diſtinguo illam: Partes poſsibiles infinitæ ſunt incertæ & indeterminatæ, in individuo, concedo: quia in individuo deſignari nequit certus numerus ac determinatus ipſarum. Sunt incertæ & indeterminatæ quò ad ſpeciem, nego: quia omnes illæ conveniunt in ratione formali multitudinis, magnitudinis, vel intenſionis infinitæ. Ad ſecundam probationis partem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Aggregatum enim illud formaliter loquẽdo prout infinitum in potentia eſt, ſolùm conſtat duplici parte; altera exiſtenti finita, cuiuſcunque multitudinis, magnitudinis, aut intenſionis determinatæ ea ſit; altera poſsibili infinita, ſeu inexhauribili per ſucceſsivam acceptionem. Quorum vtroque ſimul, qualitercumque verificetur, ſalvabitur eſſentia, ſeu formalis ratio infiniti in potẽtia. Quare parùm intereſt, quòd pars finita exiſtens diminuatur, vel creſcat; & ſimiliter quòd pars poſsibilis infinita diminuatur per ablationem alicujus multitudinis. Nã dummodo permaneat portio vna finita exiſtens, & portio altera infinita poſſibilis, cuius acceſsione prior illa ſemper, id eſt, magis ac magis ſine fine augeri valeat, ſemper manebit formalis ratio & eſſentia infiniti in potentia. Explicatur ſolutio, & ſuadetur ab inſtantia quantitatis continuæ quæ in frequẽti opinione, à Philoſopho tradita, eſt infinita in potentia ſecundum diviſionem; quia ſemper & magis ac magis eſt diviſibilis in plura & plura diviſibilia. Auferat ergo quis à quantitate bicubita partem aliquam, v.g. palmum. Nunquid manebit infinita in potentia ſecundùm diviſionem, ſicut antea? Manebit quidẽ quò ad formalẽ rationem infiniti in potentia penes diviſionẽ, quod ſolùm exigit actu conſtare partibus in infinitũ diviſibilibus, quãcumque demum menſurã conſtituant, ſive vlnæ, ſive cubiti, ſive palmi. id enim de materiali eſt. Ita etiam dicendum de infinito in potẽtia ſecundùm additionẽ. Dum enim maneat pars finita exiſtens cuiuſcũque multitudinis, magnitudinis, vel intenſionis, & altera pars, ſive extremum poſsibile infinitum, cuius additione pars exiſtẽs in infinitum augeri poſsit; manebit tota ratio eſſentialis infiniti in potẽtia, quamvis ab vtroque extremo ſeorſim aliquid, aut etiam plurimũ auferatur. Id enim de materiali eſt.

23 *VRGEBIS*, Imò & retorquebis inſtantiam. Quantitas continua, vt infinita in potentia ſecundum diviſionem, non conſtituitur ex partibus actu exiſtẽtibus, & ex alijs, ſeu partibus, ſeu diviſionibus poſsibilibus, tanquam ex duplici extremo eſſentialiter importato; ſed ſolùm & adæquatè conſiſtit in partibus realiter exiſtentibus in ipſa, connotãtibus plures ac plures diviſiones in infinitum poſsibiles. Ergo ſimiliter quantitas, ſive cõtinua, ſive diſcreta, prout infinita in potẽtia ſecundùm additionem, adæquatè & in recto ſolùm conſtituetur vnico extremo partis actu exiſtentis ac finitæ; non vero altero partium infinitarum poſsibiliũ, niſi de connotato. Et ratio à priori vtriuſque videtur ea eſſe: quia omne totũ importans vnicam eſſentiam & rationem formalem, debet in recto cõſtare partibus vnitis inter ſe, ex quibus tantum conſurgere poteſt tertium capax veræ definitionis. At diviſiones, ſive additiones, ſive partes purè poſsibiles, & partes actu exiſtentes, nõ ſunt vnitæ inter ſe; quia vnio exigit coëxiſtentiam realem extremorum. Ergo ſi infinitum in potentia, ſive ſecundum diviſionem, ſive ſecundum additionem, eſt totũ aliquod importans vnicam eſſentiã & rationẽ formalem; nequit in recto cõſurgere ex partibus exiſtentibus, & ex diviſionibus additionibus, partibuſvè poſsibilibus; ſed ſolum ex partibus exiſtentibus in recto, cõnotatis poſsibilibus in obliquo.

24 *SED Contrà*, & eſt manifeſta diſparitas. Infinitum enim in potentia ſecundum diviſionem, ſive ablationem, debet habere intra ſe exiſtentes omnes partes, quibus in recto componitur: quia nihil dividi poteſt, vel auferri realiter ab illo toto, in quo realiter non eſt. Quare quantitas continua, vt infinita in potentia ſecundum diviſionem præciſè, conſtituitur in recto & intrinſecè per continuum diviſibile actu exiſtens, connotatis in obliquo diviſionibus pluribus & pluribus in potentia infinitis. At enimverò infinitum in potentia, prout infinitum in potentia ſecũdum additionem, ſive quò ad multitudinem, ſive quò ad magnitudinem, ſive quò ad intenſionem, nequit adæquatè & in recto conſtare ſolum extremo actu exiſtente, connotato in obliquo extremo alio poſsibili. Cuius ratio eſt duplex. *Prima*: quia nulla res infinita, ſive in potentia, ſive in actu, poteſt adæquatè in recto conſtitui per aliquid omnino finitum. At extremum illud actu exiſtens, eſt omnino finitum: v.g. collectio decẽ vnitatũ; magnitudo palmaris;

calor

calor vt quatuor. Ergo nulla res infinita, ſive in potentia, ſive in actu conſtitui poteſt adæquatè in recto per illud extremum actu exiſtens. *Secundo*. Infinitum in potentia ſecundùm additionem, eſt ſimul finitum in actu, ita vt adæquata illius ratio in recto conſurgat ex finito; & infinito. Ergo conſtituitur in recto per vnam partem finitam, & per alteram infinitam. Sed pars actu exiſtens eſt finita, pars autem poſsibilis infinita. Ergo infinitum in potentia adæquatè & in recto conſtituitur per partem vnam exiſtentem, & alteram poſsibilem. Partem appello vnumquodque è duobus extremis: quamvis finitū claudat in ſe plures finitas, & poſsibile infinitas. Neque obſtat ratio à priori adducta in contrarium: quia totum importans vnicam eſſentiam & rationem formalem, ſolùm debet importare partes vnitas ea ratione, qua totū eſt. Infinitū vero in potentia ſecundum additionē non eſt totum aliquod actu, ſed potentia tantùm, vtpote cuius formalis pars purè poſsibilis eſt. Ergo ſufficit ſi importet vnionem in potentia inter partes exiſtentes ac poſsibiles, quæ reducatur poſtea in actum facta additione ad quantitatè diſcretam, cōtinuam, aut virtutis, præexiſtentē; & reſultante vno toto in actu ex parte præſuppoſita ac de novo adiecta. Vt omittam, numerum non eſſe quantitatem continuā, ſed diſcretam, ac proinde nō exibere vnionem ſtrictam.

25 *INSISTES* Adhuc: Ergo infinitum in potentia ſecundùm additionē, plures partes importat, quàm infinitum in actu: quod videtur abſurdum, quia infinitū in actu excedit incomparabiliter infinitum in potentia ſecundùm multitudinem, magnitudinem, & intenſionem. Probatur præcipua conſequentia. Infinitum in potentia ſecundùm additionem in recto importat partes iam exiſtentes, & ſimul omnes partes poſsibiles; ac proinde plures partes, quā ſolas poſsibiles importat. At infinitum in actu non importat plures partes, quàm omnes poſsibiles, ſed totidem, aut etiam pauciores. Ergo infinitū in potentia ſecundùm additionem, plures partes importat, quàm infinitū in actu. Probatur minor. Si omnes partes poſsibiles, quæ ſuperſunt vltra exiſtētes, reducerentur in actum collectivè, conſtituerent infinitum in actu. Imò detracta ab ijs ingenti portione, & reducta ad exiſtentiam, cæteræ omnes partes poſsibiles, quæ ſuperſunt, ſimul in actu poſitæ conſtituerent infinitum in actu. Ergo infinitum in actu non importat plures partes, quàm omnes poſsibiles, ſed totidem, aut etiam pauciores.

26 P. Albertinus *tom. 2. de præd. cam. Quātitatis diſp. 4. q. 2. n.* 11. docet infinitum ſyncathegorematicum, ſeu in potētia, differre à cathegorematico, ſive in actu, quò ad numerum partium: quia infinitū in potentia non importat partes infinitas, neque includit intrinſecè infinitatem, ſed tendit in illam: pro eoque dicendi modo appellat *ibid. n.* 2. Durandum, & Gabrielē. Vnde negaret conſequēter illationem in qua obiectio nititur. Verùm neque Durandum, neque Gabrielē fuiſſe in ea opinione, ſed potiùs in oppoſita, ſicut & D. Thom. oſtendit P. Faſſolus *tom. 1. in 1. p. q. 7. art. 2. dub. 2. à n.* 12. relatis ipſorum verbis. Nec videntur reipſa negare, ſed potiùs communiter cōvenire Recentiores cuiuslibet Scholæ in eo, quòd infinitum in potentia includat totidem partes, ac infinitum in actu, excepto ſtatu vtrarumque: nam partes infinitæ, quibus conſtat infinitum in potētia ſecundum additionem, ſunt merè poſsibiles: partes verò infinitæ quibus conſtaret infinitum in actu, eſſent actu exiſtentes.

27 *DEINDE* Refellitur ſolutio & doctrina Albertini multipliciter. Nam ſi omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia ſecundum additionem, ponerentur in actu, eſſent plane actu infinitæ. Ergo infinitum in potentia ex eo capite quo addi poteſt, importat vt minimū totidem partes, ac infinitum in actu. Cumque præterea importet partes finitas actu exiſtentes, ſecundum illas ſaltem excedet multitudinem partium infiniti in actu. Cōſequētia præcipua, & ſubillatio inde deducta, perſpicuæ ſunt. Antecedēs probo. Si omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia ſecundū additionem, ponerentur in actu, iam Deus non poſſet, ne poteſtate quidem abſolutà, ponere in actu partem aliam: cum iam omnes in exiſtentiam reductæ eſſent. Ergo exhauriretur Omnipotentià Dei quò ad productionē pluriū. Sed implicat virtutē productivā ſimpliciter infinitā, qualis eſt Omnipotentia Dei, exhauri per aliquid actu finitū. Ergo ſi omnes partes poſsibiles, quas importat infinitū in potentia ſecundum additionē, ponerentur in actu, nō eſsēt actu finitæ, ſed infinitę. Quod planè docet S. Th. 1. *p. q.* 14. *ar.* 12. omneſq; Thomiſtæ, & ex PP. Societatis Molina ac Valentia & Vazquez *ibid.* quibus ſubſcripſere Faſſolus *loco alleg.* Hurtadus & Arriaga *diſput.* 13. vtriuſque *in libr. 3. Phyſic.* & tandem mira ingenij claritate, qua pollet,

P. Oviedo *Controv.* 14. *puncto* 3.

28 *CONFIRMATVR* Impugnatio hæc argumento Doctoris Subtilis *in* 1. *diſt.* 3. *q.* 2. §. *Oſtenſo propoſito*, vbi hanc aſſertionem ſtatuit: *Quæcumque ſunt infinita in potentia, ita, quòd accipiendo alterum, nullum poſsint habere finem; illa omnia, ſi actu & ſimul ſunt, ſunt infinita in actu.* Illamque efficaciter probat ſic: *Quia omnia talia acceptibilia, quando ſunt ſimul exiſtentia, aut ſunt actu finita, aut actu infinita. Ergo accipiendo alterum poſt alterum, tandem poſſunt omnia eſſe actu accepta. Ergo ſi non poſſunt omnia eſſe actu accepta, ſi actu ſimul ſunt, ſunt actu infinita.* Nunc ego. Partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia ſecundùm additionem, tot ſunt, vt accipiendo alteram poſt alteram ſucceſsivè, nullum poſsint habere finem. Ergo ſi illæ omnes ſimul actu exiſterent, eſſent infinitæ in actu. Nam ſi exiſtentes ſimul, infinitæ actu non eſſent, deberent eſſe actu finitæ. Ergo accipiendo alteram poſt alteram, poſſent habere finē aliquando. Cùm ergo partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia ſecundùm additionem, nullum poſsint habere finem accipiendo alteram poſt alteram ſucceſsivè, infertur planè, caſu quo ſimul exiſterent, fore infinitas in actu. Igitur infinitum in potentia, vltra partes finitas actu exiſtentes, importat vt minimum totidem poſsibiles, ac infinitum in actu.

29 *CONFIRM. II.* Si omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia, reductæ in actum exiſtentiæ, non eſſent infinitæ in actu; deſtrueretur ratio infiniti in potentia ſecundùm additionem, quam omnes ſupponimus, & idem Albertinus ſtatuit loco allegato. Probo ſequelam. Si omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia, reductæ in actum exiſtentiæ, non eſſent infinitæ in actu, ſed finitæ, poſſet aſsignari numerus finitus omnium illarum partium: quia omnis multitudo finita numerabilis eſt numero aliquo finito. Ergo hoc ipſo non daretur infinitum in potētia penes additionem in ordine ad omnes illas partes poſsibiles. Patet conſequentia: Quia nequit dari infinitum in potentia ſecundùm additionem, penes ordinem ad terminum omnino finitum. Alias poſito ſolùm eſſe poſsibiles mille partes v. g. ſubiectum capax additionis eſſet infinitum in potentia per ordinem ad illas: quia poſito ſemel infinitum in potentia non importare multitudinem infinitam partium poſsibilium, æqualem partibus infiniti in actu, ſed finitam, eadem erit ratio de mille partibus, ac de alia quavis multitudine quantumvis magna, dummodo finita ſit, vt per ordinem ad illam conſtituatur, aut non conſtituatur aliquid in potentia infinitum.

30 *CONFIRM. III.* Si omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia, reductæ in actum exiſtentiæ, nō eſſent infinitæ in actu, ſed finitæ, iam eſſent tot, & non plures: ac proinde Deus, qui iuxta Pſalmiſtam *numerat multitudinem ſtellarum*, cognoſceret planè numerum dictarū partium determinatum, ac finitum, qui iam maior eſſe non poſſet. Ergo hoc ipſo deſtrueretur conceptus infiniti in potentia ſecundùm numerum: Quia infinitum in potentia ſecundùm numerum, debet importare non tot, quin plura, & plura, ac longè maiorem, & maiorem quovis numero determinato ac finito. Neque eluditur vis huius argumenti negando ſuppoſitum, nempe quod omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia, poſsint ſimul reduci in actum. Nam nos minimè aſſerimus eſſe poſsibile: ſed probamus admiſſa ea ſuppoſitione impoſsibili, partes eius fore infinitas in actu, non autem finitas. Alioquì enim neque vlla erit ratio, cur ipſa ſuppoſitio repugnet, ſaltem in rebus permanentibus. Si enim omnes partes permanētes quantitatis continuæ ac diſcretæ, graduſque qualitatis poſsibiles, reducti in actū non eſſent quid actu infinitum; ergo nulla implicantia eſt in eo quòd actu & ſimul ponantur, adhuc admiſſa opinione negante poſsibile eſſe infinitum in actu. Præterea: Ergo nulla implicantia eſt in eo quòd per aſsiduam ſumptionem finirentur: quia quod reductum in actu, infinitum non eſſet, ſed finitum, per ſucceſsivas, ac diuturnas ſumptiones denique exhauriri poſſet. Conſequens autem evertit rationem formalem infiniti in potentia, quam omnes ſupponimus. Ergo neceſſum eſt fateri infinitum in potentia, vltra partes finitas quibus conſtat, importare infinitas poſsibiles, quæ in actu poſitæ vt minimùm adæquarent infinitum in actu.

29 *QVARE* Ad obiectionem ex *num.* 23. cuius occaſione immorati ſumus, concedo libenter conſequentiam, aſſeroq; infinitum in potentia ſecundùm additionē, importare plures partes, quàm ſint neceſſariæ ad infinitum in actu intra idē genus. Nam vltra partes poſsibiles, quæ reductæ in actum collectivè, eſſent actu infinitæ, importat partes actu exiſtentes, quibus vt minimùm excedit aliud infinitum

æqua-

æquale collectioni infinitę in actu. Deinde, & prætermiſſo exceſſu partium finitarum actu exiſtentium, ſolæ partes omnes poſsibiles in vno genere per quas infinitū in potentia addi poteſt, ſunt incōparabiliter plures, quàm ſint in quolibet infinito in actu: quod vberiùs ſtatuendum eſt *ſect. ſequenti.*

SECTIO TERTIA.

Infinitum in potentiâ, ex parte vnius extremi, ſcilicet, poſſibilium, per quæ addi poteſt, importare plura, quàm eſſent in quolibet infinito in actu. Vbi de exceſſu vnius infiniti ſupra aliud.

31 DICO II. Infinitū in potentia ſecundùm additionē, adhuc ſolùm conſideratum ex parte vnius extremi, ſcilicet, partium poſsibiliū, quarum additione creſcere poteſt, importare plura quàm eſſent in quolibet infinito in actu, caſu quo illud exiſteret.

PROBATVR. Infinitum in potentia ſecundum additionem ex parte extremi poſsibilis importat omnes partes poſsibiles, quarum acceſsione creſcere poteſt, ſive in multitudine, ſive in magnitudine, ſive intenſione, vt hactenus oſtenſum eſt. Ergo ex parte extremi poſsibilis importat omnem multitudinem, magnitudinem, & intenſionem, quam Omnipotentia divina producere poteſt ſupra extremum exiſtens. Sed in omni multitudine, magnitudine, & intenſione, quam Omnipotentia divina producere poteſt vltra extremum iam exiſtens, plura ſunt, quàm eſſent in quolibet infinito in actu, caſu quo illud exiſteret. Ergo infinitum in potentia ſecundùm additionem ex parte extremi poſsibilis importat plura, quàm eſſent in quolibet infinito in actu. Probatur minor ſubſumpta, in qua ſolùm poteſt eſſe diſsidium. Nam poſito quocumque infinito in actu ſecundùm multitudinem, magnitudinem & intenſionem, vltra extremum iam exiſtens, adhuc divina Omnipotentia poſſet plura & plura infinita producere, ſemper ſecundùm multitudinem, magnitudinem, & intenſionem. Ergo in omni illa multitudine, magnitudine, & intenſione, quam divina Omnipotentia poteſt producere, ſive addere ſupra extremum iam exiſtens, plura ſunt, quàm eſſent in quolibet infinito in actu, ſi illud exiſteret. Conſequentia eſt manifeſta: quia in omni illa multitudine, magnitudine, & intenſione, quam Omnipotentia divina poteſt producere ſupra extremum iam exiſtens, continebatur illud ipſum infinitum in actu, quod ſupponimus iam productum, & præterea plura ac plura producibilia ſemper & ſine termino. Ergo plura, quàm ſint in illo infinito in actu. Antecedens verò probatur multipliciter. *Primò:* Quia poſito quocumque infinito in actu ſecundùm multitudinem, magnitudinem, & intenſionem vltra extremum iam exiſtens, nulla eſſet ratio cur Omnipotentia divina non poſſet adhuc plura producere infinita in actu ſecundùm multitudinem, magnitudinem, & intenſionem; imo neceſſariò id aſſerendum eſt, vt demonſtratur hoc argumento. Hoc enim ipſo quòd poneretur infinitum in actu ſecundum multitudinem (& idem dico de infinitis aliorum generum) deberet illud actu conſtare non ſolum ex multitudinibus finitis: quia finitum præcisè additum finito non facit infinitum. Ergo conſtare deberet ex pluribus multitudinibus actu infinitis, ſcilicèt, ſaltem ex vna medietate actu infinita, & ex altera æquè infinita actu. Rurſus quælibet illarum medietatum vt actu infinita eſſet, deberet conſtare non ſolùm ex finitis multitudinibus, ne finitum additum finito faciat infinitum; ſed etiam ex duabus vt minimùm multitudinibus infinitis actu. Deinde in qualibet harum multitudinum facta diviſione, & ſubdiviſione vltra & vltra ſemper inveniretur ſaltem duplex multitudo infinita ob eandem rationem, quæ vbique vrget: atque adeo poſita multitudine qualibet actu infinita, manifeſtè demōſtratur debere in illa exiſtere innumeras multitudines, quarum quælibet ſeorſim ſit infinita in actu. Ergo de primo ad vltimū ſuppoſito ſemel quolibet infinito in actu ſecundùm multitudinem (atque adeò & ſecundum magnitudinem, & intēſionem) vltra extremum finitum iam exiſtens, adhuc divina Omnipotentia poſſet facere plura & plura infinita in actu. Si enim quodlibet infinitum in actu poſitum, neceſſario claudit innumeras multitudines actu infinitas, & à divina Omnipotentia productas; evidenter deprehenditur, per productionem vnius infiniti in actu, non exhauriri Omnipotentiam, ſed imò vero neceſsitari ad producendum ſimul innumeras multitudines infinitas in actu: ac proinde æqualiter poſſe plures & plures multitudines producere ſine termino, quarum quælibet conſtet innumeris partibus, ſeu multitudinibus infinitis in actu. *Secundò* probatur idem antecedens ex ratio-

tione formali, ſive definitione infiniti in potentia, *cuius aliquid ſemper eſt extra*, ſeu, vt omnes loquuntur, cuius non tot poſſint eſſe partes, quin plures & plures in infinitum. Ergo adhuc facta acceſſione per multitudinem actu infinitam, quæ ſupponatur producta, nunquàm habebit tot partes, quin plures & plures habere poſsit, neque tot multitudines infinitas partium, quin ab Omnipotentia divina plures & plures multitudines actu infinitas accipere valeat.

32 *DICES I.* In ea hypotheſi, quà extremo finito actu exiſtenti adderetur multitudo actu infinita, iam deſineret eſſe infinitũ in potentia, quia ex finito præcedenti, & infinito ſubſequenti ſibi addito, conſurgeret infinitum in actu. Ergo iam non eſſet opus vt poſſet habere plures partes, & plures, quia hoc proprium infiniti in potentia eſt.

33 *SED Contrà.* Vt enim ſuprà *num.* 14. oſtẽſum eſt, eadem multitudo quæ ſupponitur infinita in actu per ordinem ad partes quas actu includit, eſt infinita in potentia per ordinem ad alias poſsibiles, quibus add. poteſt. Quod etiam manifeſtè deprehenditur exemplo nuper adducto. Quælibet enim multitudo actu infinita, continet innumeras multitudines actu infinitas, veluti partes, quibus componitur actu, & vt minimùm duas medietates actu infinitas. Aſſumamus ergo ſeorſim vtranquamque illarum medietatum diviſam ab alia. Certè illa poterit fieri maior ac maior in infinitum per additionem ſucceſsivam multitudinũ finitarum ab altera medietate actu infinita. Ergo per ordinem ad illam erit infinita in potentia, quanquam per ordinem ad multitudines quibus actu in ſe componitur, ſit infinita in actu. Ergo pariter tota collectio ex duplici illa medietate conſurgens, quanquam per ordinem ad vtramque ſit infinita in actu, adhuc per ordinem ad aliam collectionem poſsibilem, æqualemque, aut inæqualem, dummodo infinitam, erit infinita in potentia. Ergo extremum finitum actu exiſtens in infinito in potentia, adhuc facta acceſsione multitudinis actu infinitæ, manebit nihilominus infinitum in potentia per ordinem ad alias acceſsiones poſsibiles vltra & vltra. Ergo quamvis additione multitudinis actu infinitæ tranſeat in rationem infiniti in actu, nunquam habebit tot multitudines, quin plures & plures ab Omnipotentia divina accipere poſsit, eaſque ſive actu finitas, ſive etiam infinitas, vt probatum eſt.

34 *DICES II.* Acceſsio, cuius capax eſt infinitum in potentia per additionem multitudinis actu infinitæ, conſtituit illud infinitum in actu, & non ampliùs quantumcunque multiplicetur alia & alia acceſsio ſimilis, vel æqualis. Ergo non conſtituit in eo maiorem multitudinem, quam ſit in qualibet alia, quæ alibi ſupponatur exiſtere actu infinita: quia vna multitudo actu infinita, nec eſt, nec poteſt eſſe maior quam altera infinita in actu; cùm quælibet illarum debeat conſtare innumeris multitudinibus actu infinitis. Ergo nunquam probatur infinitum in potẽtia ex parte extremi poſsibilis importare plura, quam ſint in quolibet infinito in actu exiſtente: quia implicant plura in vno, quàm in alio infinito in actu.

35 *SED Contrà:* Poteſt enim vna multitudo in actu infinita eſſe, tum æqualis, tum minor, tum & maior altera multitudine actu infinita. Ergo infinitum in potentia ex parte extremi poſsibilis, quod importat, ſi accipiat exceſſum actu infinitum, poterit eſſe minus, ſimiliterque poterit eſſe æquale, ac denique maius quovis infinito multitudinis actu exiſtentis. Cumque præterea poſsit plura & plura infinita multitudinis in actu recipere, ſi ſemel eſt capax vnius infinitæ acceſsionis, manifeſtè concluditur ex parte extremi poſsibilis importare plura in potentia, quã eſſent in quovis infinito in actu: quæ eſt ipſiſsima noſtra aſſertio. Antecedens præcipuum, ex quo cœtera illatione pervia deducuntur, probatur I. quò ad omnes partes ab exemplo cuiuslibet multitudinis actu infinitæ, huc uſque expẽſo. Quælibet enim medietas illius collectionis eſſet actu infinita, & ſubdivideretur in duas partes etiã infinitas in actu, vt ſuprà demõſtratum eſt. Ergo daretur vna multitudo actu infinita, quæ ſimul eſſet minor, æqualis, & maior alijs multitudinibus actu infinitis in illa collectione. Patet conſequentia: Quia vna medietas totius collectionis eſſet maior vnaquaque duarum medietatum, in quas ſubdivideretur; cùm evidens ſit totum eſſe maius ſua parte: aliunde vna medietas totius collectionis eſſet æqualis alteri medietati; quia de ratione duplicis medietatis eſt, vt æquales ſint, & æqualiter partiantur vnum aliquod totum. Denique vna medietas eſſet minor eodem toto, vt lumine naturæ patet. Ergo vel hoc vno exemplo deprehenditur poſſe ac debere vnam medietatem, ſive multitudinem actu infinitam eſſe tum æqualem, tum minorem, tum &

ma-

maiorem alijs multitudinibus infinitis in actu.

36 Probatur idem antecedens ſeorſim quò ad ſingulas partes. Quo ad æqualitatem quidem, ſupponendo Deum producere infinitum in actu hominum, & vnumquenque illorũ ſupra vnum equum: Tunc quidem ad ſenſum ferè patet totidem homines futuros, ac equos. Ergo æquale infinitum in actu equorum ac hominum reſultaret: quia æqualitas multitudinum in hoc ſolùm conſiſtit, quod non plures, neque pauciores, ſed totidem vnitates, in vna & in alia ſint. Quo ad maioritatem vero & minoritatem demonſtratur ſimul vnico exemplo, ſatis trito, hominum infinitorum in actu. Infinitum namque oculorum eſſet duplo maius, quàm hominum; & infinitum capillorum longè maius quam oculorum; quia vnicuique homini reſpondent duo oculi, & vnicuique oculo plures capilli. Niſi fortè dicas omnes homines illius multitudinis infinitæ fore ſimul cæcos, & calvos: quod certè ſpecioſum eſſet, & aptiſsimum ſpectaculum commovendo riſui. At ſi oculos & capillos auferes, tolle etiam pedes, manus, & brachia, in quibus eadem ratio eſt. Tolle dentes, & mandibulas, & oſſa, & nervos: alias enim redibit argumentum præiactum. Denique tantùm auferre debes ab illa multitudine hominum actu infinitâ, vt iam non modo cæci, calvi, ſurdi, manci, apedes, & omnibus membris mutili reddantur; verùm neque homines ſint. Cùm ergo hæc omnia riſu excipi debeant, fateri cogeris, vnam multitudinem actu infinitam poſſe eſſe minorem, æqualem, & maiorem altera multitudine infinità in actu.

37 *III*. Probatur idem antecedens quò ad infinitum in extenſione. Producat enim Deus infinitum in actu montium, quorum quilibet æqualis ſit Alpibus v. g. & in quolibet illorum ſtatuat formicam. Deinde deſtruat omnes montes, & ſolas formicas relinquat. Occupabunt certè formicæ ſpatiũ infinitum: quia infinitæ in actu ſunt. Et tamen occupabunt minus ſpatium, quàm totidem montes deſtructi, in quibus antea erant, vt ex ſe patet. Ergo ſtat optimè vnam extenſionem ſpatij actu infinitam, eſſe minorem alia, alteram verò maiorem. Idemque eſt ſi de magnitudine, ſive quantitate molis, fiat argumentum in eodem exemplo.

38 *IV*. Denique in infinito intenſionis demonſtratur idem antecedens. Producat Deus homines actu infinitos, vnumquenque illorum cum vnico gradu gratię; ac totidem Angelos, vnumquenque cum duobus gradibus gratiæ. Deinde tantam gratiam, ſeu tot gratiæ gradus; quot ſunt in infinitis hominibus ponat in vno homine; tot autem quot ſunt in infinitis Angelis ponat in vno Angelo; & ſtatuamus inſuper intenſionem qualitatis fieri per gradus homogeneos. In hoc eventu certè gratia tam hominis, quàm Angeli, erit infinitè intenſa: quia conſtabit gradibus actu infinitis. Et tamen gratia Angeli erit duplò magis intenſa, quam gratia hominis, quia ex duplicatis gradibus coaleſcet. Stat igitur optimè e duobus actu infinitis vnum eſſe inæquale, ſive æquale, maius, aut minus altero, tam ſecundùm multitudinem, quam magnitudinem, & intenſionem. Et ratio a priori omnium eſt: quia comparatio eſt propria paſsio quantitatis, ſive continuæ, ſive diſcretæ, ſeu molis, ſeu virtutis, ac proinde ſive finita ſit; ſive infinita, reperietur inter duo extrema, quorum alterum, aut excedat; aut excedatur, aut nec excedat; nec excedatur ab alio. Stat igitur infinitum in potentia ex parte extremi poſsibilis importare multitudinem, quæ ſi reducatur ad actum ſit fortè minor multitudine alia infinità in actu, vel æqualis, vel etiam maior. Ac denique ſi extremum illud poſsibile adæquatè conſideretur, poterit infinities infinita importare, quàm ſint in quolibet alio infinito in actu.

(?)

DISP. VIGESIMAPRIMA.

DE INFINITO MAGNITVDINIS.

An repugnet, etiam ſecundùm potentiam Dei abſolutam?

Num. 1. *SVPPOSITA Diſtinctione infiniti in actu ab infinito in potẽtiâ, iuxta doctrinã diſputationis præcedẽtis, quærimus modò an ſit abſolutè poſsibilis creatura infinita in actu, ſiue quò ad magnitudinẽ, extẽſionemuè; ſiue quò ad multitudinem; ſiue quò ad intenſionem. Res planè difficillima eſt, quam aggredimur exagitandam; & propemodum infinito ingenio opus eſſet ad eam plenè ac perfectè diſcutiendam. Studebimus quantùm fieri poſsit breuitati & claritati, prius agentes de infinito ſecundùm magnitudinem. Oportet verò ſimul & ſemel referre Authorum ſententias pro decidendis in hac, & ſequentibus diſputationibus. Habet locum diſputatio apud Ariſt. hoc* lib. 3. cap. 4. *vſque in finem libri.*

SECTIO PRIMA.

Referuntur variæ Authorum opiniones, & præmittuntur quædam notatu digna.

2 PRIMA Sentẽtia abſolutè docet, omnino repugnare infinitum in actu, ſiue quo ad magnitudinem & extenſionem, ſiue quò ad numerum, ſiue quò ad intenſionem. Hæc eſt conformior Ariſtoteli hoc *lib. 3. cap. 5. & 6.* neganti quodcunque infinitum in actu ſecundum triplicem conſiderationem aſsignatam, licèt ſolùm de facto, & naturaliter loquendo, idque varijs rationibus probanti. Illam abſolutè, & in ordine ad potentiam Dei ſupremam tuetur D. Thomas *1. p. q. 7. art. 3. & 4. Quodlib. 9. art. 1. & Quodlib. 12. art. 2.* quem ſequuntur communiter Diſcipuli, tam Veteres, quàm Recentiores, & inter hos, PP. Complutenſes *diſput. 18.* Ioannes à S. Thoma *q. 15.* Ex PP. Societatis Eximius Suarez *diſput. 30. Metaph. ſect. 17. n. 16.* Albertinus *de Prædicam. Quantitatis diſput. 4. q. 4.* Lugo *diſput. 16. de Incarn.* Rubius in præſenti *tract. 2. q. 3. num. 85.* Quiros *diſput. 63. ſect. 3. & ſeqq.* Tellez *diſput. 31. ſect. 1.* Pallavicinus *in Aſſert. lib. 3. num. 256.* Izquierdo *tom. 1. Theolog. tract. 6. diſput. 13.* Ex alijs, Averſa *q. 24. ſect. 5.* Spinula *diſput. 9.* Moneda, & communiter Noſtri Doctores: illamque probabiliorem oppoſita cenſet Lalemandet *diſput. 6. p. 1.*

3 *SECVNDA* Ex diametro omne infinitum in actu, ſiue ſecundùm magnitudinem, ſiue ſecundùm multitudinem, ſiue penes intenſionem, abſolutè poſsibile cenſet. Ita Avicenna, Algazel, aliique Veteres *in præſenti*, & ex Scholaſticis Gregorius *in 1. diſt. 43. q. 4.* Baſſolis *q. unicâ, art. 2.* Gabriel *in 2. diſt. 1. q. 3.* Mayron *ibidem diſt. 9. q. 1.* Argentina *diſt. 1. q. 2. art. 2.* Almainus *in 3. diſt. 10. q. 1.* Maior *in 1. diſt. 44. q. 3.* Ex Recentioribus eandem ſententiam tutè tuentur & illuſtrant Faſſolus *1. p. q. 7. art. 4.* Hurtadus *diſput. 13. ſect. 2.* Arriaga *diſp. 13. ſect. 4.* Compton *diſp. 46. ſect. 4.* Richardus Lynce *lib. 7. Phyſic. tract. 3. cap. 4. & tract. 4. cap. 2.*

4 *TERTIA* Tuetur infinitum in actu, ſaltem in aliquo ex tribus generibus aſsignatis, eſſe abſolutè poſsibile. De infinito ſecundùm multitudinem affirmant Conimbricenſes *hoc lib. 3. cap. 8.* Vazquez *1. p. diſp. 26.* Bartholomæus Amicus *tract. 18. q. 6.* Merinerus *lib. 3. Phyſic. q. 4. num. 18.* Conſentiunt quoque in eo Oviedo *contr. 17. punct. 5.* & Pontius *diſput. 14. q. 1.* niſi quòd prior præterea negat poſsibile corpus infinitæ extenſionis & concedit infinitam intenſionem qualitatis; poſterior verò ex oppoſito concedit poſſe fieri corpus infinitè extenſum, negat autem poſsibilem intenſionem qualitatis infinitam, vti & alij ex Scotiſtis communiter negant cũ Doctore Subtili *in 3. diſt. 4.* Cæterùm, ſicut Oviedo, ita & nonnulli Recentiorum, nullum ſequi abſurdum exiſtimant in qualitatis infinita intenſione, eamque de facto aſſerunt in gratia habituali Chriſti Domini: vt Ioannes Maldonatus *Lucæ 2. v. 40.* Petrus Hurtado *diſput. 48. ſect. 2. §. 15.* Bernal *diſput. 30. de Incarn. ſect. 3.* & problematicè Mæratius *diſput. 23. ſect. 4.* contra communem aliorum ferè omnium ſentẽtiam, id negantium, non modò de facto, verùm etiam de poſsibili.

5 *PRÆMITTO I.* Rem hanc adeò difficilem eſſe pro vtraque parte, adeòque inexploratam, vt quanquam tot felicia homi-

minum ingenia circa eius diſquiſitionem vires ſuas exercuerint vſque ad tempus D. Thomæ, nullam demonſtrationem inuenerint ad probandum repugnantiam infiniti in actu: vt ipſe teſtatur ingenuè *Opuſc.* 27. Idemque eſt de ijs omnibus, qui antea & poſtea ſcripſere pro alterutra opinionū, vt patebit illorum argumenta accuratiùs expendenti. Quamquam enim pleraque difficillima ſint, nullum illorum deprehenditur attigiſſe metas demonſtrationis. Quare ſupereſt, vt neutra earum certa omnino cenſeri poſsit, ſed illa ſolùm probabilior, quæ ſolidioribus fundamentis nitatur.

6 *PRÆMITTO II.* Nullam repugnantiam eſſe in infinito ſyncathegorematico, ſiue in potentia, ſaltem ſecundùm additionem. Id patet vt minimùm in numero cogitationum futurarum in hominibus Angeliſque ſucceſsiuè per totam æternitatē. Nullus enim numerus adeò magnus illarum aſsignari poteſt intra finitos, vt maiorem & maiorem ſupergreſſuræ nō ſint progreſſu ſæculorum. Alioqui tandem aliquando finiendæ eſſent: cùm de ratione finiti ſit, vt poſsit tandem exhauriri. Numerus ergo illarum cognitionum, qui vtiq; modo fuit & eſt proculdubio finitus in actu, per ordinem ad alias & alias additiones futuras eſt infinitus in potentia. Idem patet in quantitate molis, ſeu cœli, ſeu cuiuſque alterius rei, quæ actu finita eſt. Quia tamen capacitatem habet vt ſibi à Deo fiat maior & maior quantitatis additio, dicitur in potentia ſeu ſyncathegorematicè infinita penes additionem. Imò & ſecundùm diuiſionem, poſita communi ferè ſententia Philoſophorum ac Patrum, cum Ariſtotele *lib. 6. huius Operis*, aſſerente continuum conſtare partibus abſque fine diuiduis; quā eo loco fuſè tuebimur. Eo namque ipſo quòd quantitas ſecundùm ea quę habet, poſſit ſucceſsiuè diuidi in partes minores ac minores, planè ſequitur illam eſſe ſucceſsiuè capacem infinitarum diuiſionum, quod eſt eſſe infinitam in potentia penes diuiſionem ſui. Idem denique de qualitate dicendum, quæ etiam intenſibilis eſt magis, & magis ſine termino, ita vt ſupra quamlibet intenſiſsimam poſsit Deus addere nouum gradum, vel aliam & aliam maiorē radicationem in ſubiecto: tum quia id non repugnat; tum quia cùm homo viator poſſit magis ac magis peccare ſine termino, debet eſſe in Deo poteſtas ad intendendū magis ac magis pœnam ardoris, ſeu paſsionis ab igne tartareo; tum denique, quia vna ex proprietatibus qualitatis eſt, vt ſuſcipere poſsit magis & minus.

7 *PRÆMITTO III.* Infinitum in actu non eſſe id, quod clauditur terminis finitè diſtantibus. Id enim importat vt minimùm ratio infiniti in actu, vt careat terminis, quibus actu finiatur; quales proculdubio ſunt termini diſtantes ſolùm finitè. Alioqui liceret aſſerere cœlum Empyreum eſſe infinitum ſecundum magnitudinem, quanquam duobus terminis finite diſtantibus concludatur penes longitudinem, & duobus penes latitudinem. Imo de qualibet ſphæra cęleſti, & de ſingulis elementis, & de quouis continuo, etiam exiguo, infinitas in actu penes magnitudinem affirmari poſſet, ſi non obſtaret incluſio ſub duobus terminis finitè diſtantibus.

8 *PRÆMITTO IV.* Eo ipſo quòd aliquid ſit infinitum in actu, debere conſtare ex pluribus, imò & innumerabilibus actu infinitis. Pone etenim numerum hominum actu infinitum. Certe ille à Deo poterit diuidi in duas medietates: quia in hoc nulla, vel apparens, contradictionis ratio eſt. Tunc verò neutra medietas erit actu finita; quia ex vtraque ſimul coaleſcebat numerus actu infinitus; & ex duobus multitudinibus finitis, nequit conſurgere collectio ſimpliciter infinita. Alioqui dicere poſſes, collectionem omnium creaturarum de facto exiſtentium, imò & ſolam Angelorum, aut hominum, eſſe actu infinitam modò de facto, quanquam quælibet illarum reſultet ex duplici medietate finitâ. Vnde in commune axioma Philoſophorum abijt, *finitum finito adauctum, non facere infinitum*. Rurſus quælibet illarum medietatum eſt diuiſibilis in duas ſui medietates, quarum ſingulæ pariter debent eſſe actu infinitæ, vt prior illa medietas, ex vtraque conſurgens, ſit actu & ſimpliciter infinita: vt pariter extorquet argumentum præactum. Cumque de qualibet medietate cuiuſuis medietatis eadem ratio fieri poſſit, & de aliâ, atque aliâ; conſequens eſt, vt quælibet multitudo infinita reſultare debeat non ſolùm ex pluribus, ſed ex infinitis multitudinibus, quarum quælibet infinita ſit.

9 *VNDE* Quemadmodum aſſertores partium continui abſque fine diuiduarū communiter docent, eſſe in eis tot medietates medietatum, vt poſsint à Deo diuidi ſucceſsiuè per totam æternitatem, abſque eo quòd continuum exhauriatur, vel ad puta indiuiſibilia redigatur; ita etiam aſſertores infiniti in actu, conſequenter dicere de-

debent, in eo fore medietates medietatum infinities actu infinitas, nunquamque redigendas in aliquid actu finitum, quanquam Deus ſingulis momentis per totam æternitatem illas per medium divideret, ſeu abiungeret. Idem vero de infinito ſecundùm extenſionem eſſe dicendum, patet applicanti diſcurſum præiactum; & ſimiliter de infinito ſecundùm intenſionem, ſi ſupponatur reſultans ex gradibus homogeneis. Imò etiã ſi ex heterogeneis. Adhuc enim evidenter colligitur, poſito calore v.g. infinitè intenſo, poſſe illum à Deo remitti vſque ad medietatem intenſionis, & hanc fore infinitam: quia finitum additum finito non facit infinitum. Idemque eſt de qualibet medietate cuiuſvis medietatis, & de alia & alia vſque in infinitum. Quod, ex ſe ſatis manifeſtum, quia non adnotarunt nonnulli ex Authoribus allegatis, plura accumulant præter inſtitutum præſentis cõtroverſiæ, quæ ſive ab affirmantibus, ſive negantibus infinitum in actu, palam reijciuntur & improbantur.

11 *PRÆMITTO* Denique iuxta dicta *diſput. præced. à num.* 35. poſſe vnum infinitum in actu, ſi daretur, eſſe maius alio, ſaltem materialiter loquendo, & exceſſu non ſpectante ad rationem formalem infiniti. Id modo breviter probare licet exemplo illo infiniti in actu hominum: in quibus neceſſariò eſſent duplò plures oculi, & incomparabiliter plures capilli. Neque id eſſet contra rationem formalem infiniti. Dummodo enim in collectione illã tot homines actu eſſent, quot (ſive ſeorſim, ſive per medietates ſingulas, aſſumpti à Deo per totam æternitatem) nunquam exhaurirentur, vel ad multitudinem actu finitam redigerentur; verè ea collectio eſſet actu infinita. Patet id præterea exemplo infiniti in potentiã ſecundùm diviſionem, admiſſo communiter ab ijs qui negant poſſibile eſſe infinitum in actu. Etenim quantitas bipalmaris materialiter ſaltem plures partes habet, maiorque eſt, quàm medietas ipſius: cùm evidens ſit, totum eſſe maius ſuã parte. Et tamen in eã opinione exploratum eſt neutram eſſe maiorem altera, quò ad rationem formalem infiniti in potentiã; cùm vtraque ſit capax infinitarum diviſionum & additionum; in quã capacitate conſiſtit formaliter infinitudo in potentiã. His poſitis iam ad rem ipſam accedamus.

***

SECTIO SECVNDA.

Oſtenditur repugnantia corporis actu infiniti, ratione apud Recentiores ſolemni; ſed ſpectatum roboratã, ad mentem Ariſtotelis, & Tertulliani, ac D. Thomæ.

12 SIT I. *Aſſertio*: Repugnat omnino corpus infinitum ſecundùm extenſionem. Eſt iuxta mentem Authorum primæ & communis ſententiæ. Verùm probationes illorum expẽdere oportet, ne, quod aiunt, iuſtæ cauſæ iniquum ſit patrocinium.

13 *PROBANT I.* Recentiores. Ponamus virgam infinitam verſus longitudinem ab Oriente vſque ad Occaſum. Certè quælibet illius medietas diviſa realiter ab altera eſſet actu infinita, vt ſupra præmiſſo quarto demonſtratum eſt. Modò ſic. Illã medietatem lineæ, quæ eſt à parte Orientis, retrotrahat Deus vnico palmo ad partẽ Occidentis. Certè tunc occupabit vnum palmum ampliùs à parte Occidentis, & vnum minus à parte Orientis; ac proinde ſimul ab vtrãque parte habebit terminum: ab Occidente quidem in puncto illo palmi retrotracti; ab Oriente verò, in puncto palmi derelicti. Ergo eo ipſo, eſſet infinita, vt ſupponitur; & non eſſet infinita, quia clauſa inter duos terminos vnius & alterius palmi. quod eſt planè contradictorium. Nec dici poteſt, lineam vnico palmo retrotractam ad Occidentem, non derelicturam palmum vnum à parte Orientis: Quia ſupponimus illam lineam eſſe rectam, & totam trahi à Deo motu recto & continuo ad Occidentem, nullã ipſi additione aut rarefactione præſtitã; ac proinde non creviſſe penes longitudinem. Impoſſibile autem eſt, vt recta linea motu recto & continuo retrotracta abſque ſui additione, aut rarefactione, non deſerat tantundem ſpatij ex vnã parte, quantùm adquirit ex alterã. Ergo linea illa desereret vnum palmum ſpatij à parte Orientis, eo ipſo quòd alium adquireret à parte Occidentis. Ergo eſſet concluſa duobus terminis ab vtraque parte ſecundùm longitudinem, ac proinde actu finita. Aliunde eſſet longitudinis actu infinitæ, vt probatum eſt. Ergo ſimul eſſet finita & infinita penes longitudinem.

14 *HÆC* Probatio ferè non diſtinguitur ab alia quorundam inferentium, ſi daretur corpus infinitè extenſum, poſſe à centro illius duci duas lineas verſus circunferentiam infinitas, & produci vſque adeò,

vt vna linea ab alterà infinitè diſtaret. Aliũde infinitè diſtare non poſſent: quia tota illa diſtantia duplici termino concluderetur, nimirum eadem duplici linea vtrimq; terminante eandem diſtantiam. *Denique*, eodem ſpectat, quod plerique Recentiorũ aſſumunt, in illa linea infinita verſus Oriẽtem & Occidentem, non ſolùm fore actu infinitam vnamquanque ex duobus medietatibus, in quas primo divideretur; ſed etiam ſingulas dimidietates immediatas cuiuſque medietatis: quia medietas actu infinita nequit conſurgere ex duabus medietatibus finitis, iuxta doctrinam *num.* 8. ſtabilitam. Modò ſic. Illa lineæ Orientalis medietas, quà parte divideretur ab Occidentali haberet terminum ratione diviſionis, vt evidens eſt. Aliunde, ſi ipſa divideretur in duas dimidietates, haberet terminum alium in ea parte ſui qua fieret ſubdiviſio. Ergo illa dimidietas vtrinque haberet terminum, ac proinde eſſet longitudinis finitæ. Aliàs etiam eſſet longitudinis actu infinitæ, vt neceſſariò infertur. Simul ergo eſſet & non eſſet infinita.

15 *VERUM* Diſcurſus præiactus, quocumque ex tribus modis relatis proponatur, niſi aliunde roboretur, non gravat nimium Adverſarios. Dicunt enim, lineã, quamvis retrotrahatur, manere actu infinitam; & ſimiliter quamlibet eius medietatem, & dimidietatem, quanquam maneat duobus terminis clauſa: Quia infinito in actu non contradicit incluſio in duobus terminis, dummodo hi infinitè diſtent; qualiter diſtarent in hypotheſi argumenti. Sic res producta ab æterno, & annihilata hodie, infinitè duraſſet: quia licet concluderetur eius duratio duobus terminis, nimirum, creatione à parte antè, & annihilatione a parte poſt, cùm hi termini infinitè diſtarent penes durationem, etiam duratio creaturæ vtrumque interiacens infinita eſſet. Debet ergo aliunde probari repugnantia infinitæ diſtantiæ inter illos duos terminos, vt exinde habeatur, lineam vtrũque interpoſitam nõ eſſe longitudinis actu infinitæ. quod tamen non faciunt prædicti Authores.

16 *NOS* Certè eam repugnantiam longitudinis actu infinitæ, duobus terminis clauſæ, ſic probamus. Si ea nanque poſſibilis foret, proculdubiò poſſet Deus condere triangulum, à cuius puncto pyramidali ad baſim eſſet infinita diſtantia. Nihil enim prohiberet eius trianguli diſtantiam infinitam à ſummo ad infimum, ſi id non prohibet concluſio intra duos terminos. …itè p… eiuſmodi triangulum in rerum …tura, & in eo duc lineam vnius palmi à puncto pyramidali ad baſim, & poſtea immediatè aliam lineam bipalmarem, & poſtea aliam tripalmarem, & quartam quadripalmarem, & ſic in infinitum, vſque ad lineam baſis oppoſitam pyramidi, ita vt nulla linea alteri ſuccedens excedat eam, niſi vnico palmo. Modo ſic arguo. Baſis eius trianguli eſt actu infinita penes longitudinem, vt Adverſarij ſupponunt. Ergo & linea quaſi penultima & proxima baſi infinita eſt, quia ſuperatur ab illa in vnico palmo, & quidquid exceditur ab infinito penes finitum aliquid ſolum, debet eſſe infinitum. Eadem ratione linea antepenultima debet eſſe actu finita, quia vnico palmo diſtat à penultima, quæ actu infinita ſupponitur: idemque erit de alijs & alijs ſuccedentibus ordine ſuo in infinitum à baſi ad pyramidem. Igitur cùm aliunde probatum ſit lineas continuatas à pyramide ad baſim eſſe finitas, vtpote vnico palmo ſe excedentes, neceſſariò in ipſo triangulo erit immediatè tranſitus ab vna linea finita ex parte pyramidis ad aliam lineam infinitam ex parte baſis, quæ tamen illam excedat vnico palmo. Hoc autem impoſſibile eſſe patet: quia ſic linea illa finita per ſolam vnius palmi additionem eſſet actu infinita, ſicuti & quæ illam ſequitur a parte baſis. Ergo de primo ad vltimum impoſſibile eſt triangulum actu infinitum, ac proinde & quantitas actu infinita, quæ ſit duobus terminis clauſa.

17 *CONFIRMATUR*, & præcluditur evaſio, quæ excogitari poſſet ab Adverſarijs à pari infiniti ſyncathegorematici, quod nos admittimus in ipſo triangulo. Etenim lineæ omnes illæ trianguli infiniti, de quibus procedit argumentum noſtrũ, non eſſent longitudinis proportionalis & indeterminatæ; ſed potiùs determinatæ & aliquotæ; vtpote ſe excedentes vnico palmo gradatim, & non ſe mutuò includentes. Ergo lineæ finitæ ductæ à pyramide, & maiores ac maiores vnico palmo, tandem in aliqua parte certà ac determinatà trianguli concurrerent immediatè cum lineis infinitis ductis a baſi, & minoribus ac minoribus vnico palmo verſus pyramidẽ. Ergo in aliqua parte certà ac determinata trianguli fieret occurſus duarum linearum, vnius finitæ & alterius infinitæ, cùm tamen exceſſus vnius ſupra alteram vnius tantùm palmi eſſet: quod eſt manifeſtum abſurdum.

18 *CONFIRMATUR II.* A pari alio-

certis, quarum vnà ablatà eſſentià diſſolvatur.

22 *RESPONDEO* Negando maiorem. Ad probationem conceſſa maiore, nego minorem. Ad primam partem probationis, diſtinguo illam: Partes poſsibiles infinitæ ſunt incertæ & indeterminatæ, in indiuiduo, concedo; quia in indiuiduo deſignari nequit certus numerus ac determinatus ipſarum. Sunt incertæ & indeterminatæ quò ad ſpeciem, nego: quia omnes illæ conueniunt in ratione formali multitudinis, magnitudinis, vel intentionis infinitæ. Ad ſecundam probationis partem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Aggregatum enim illud formaliter loquēdo prout infinitum in potentia eſt, ſolum conſtat duplici parte; altera exiſtenti finita, cuiuſcunque multitudinis, magnitudinis, aut intenſionis determinatæ ea ſit; altera poſsibili infinita, ſeu inexhauribili per ſucceſsiuam acceptionem. Quorum vtroque ſimul, qualitercumque verificetur; ſaluabitur eſſentia, ſeu formalis ratio infiniti in potētia. Quare parùm intereſt, quòd pars finita exiſtens diminuatur, vel creſcat; & ſimiliter quòd pars poſsibilis infinita diminuatur per ablationem alicuius multitudinis. Nā dummodo permaneat portio vna finita exiſtens, & portio altera infinita poſſibilis, cuius acceſsione prior illa ſemper, id eſt, magis ac magis ſine fine augeri valeat, ſemper manebit formalis ratio & eſſentia infiniti in potentia. Explicatur ſolutio, & ſuadetur ab inſtántia quantitatis continuæ quæ in frequēti opinione, a Philoſopho tradita, eſt infinita in potentia ſecundum diuiſionem; quia ſemper & magis ac magis eſt diuiſibilis in plura & plura diuiſibilia. Auferat ergo quis à quantitate bicubita partem aliquam, v.g. palmum. Nunquid manebit infinita in potentiá ſecundùm diuiſionem, ſicut antea? Manebit quidē quò ad formalē rationem infiniti in potentia penes diuiſionē, quod ſolùm exigit actu conſtare partibus in infinitū diuiſibilibus, quācumque demum menſurā conſtituant, ſiue vlnæ, ſiue cubiti, ſiue palmi. id enim de materiali eſt. Ita etiam dicendum de infinito in potētia ſecundùm additionē. Dum enim maneat pars finita exiſtens cuiuſcūque multitudinis, magnitudinis, vel intenſionis, & altera pars, ſiue extremum poſsibile infinitum, cuius additione pars exiſtēs in infinitum augeri poſsit; manebit tota ratio eſſentialis infiniti in potētia, quamvis ab vtroque extremo ſeorſim aliquid, aut etiam plurimū auferatur. Id enim de materiali eſt.

23 *VRGEBIS*, Imò & retorquebis inſtantiam. Quantitas continua, vt infinita in potentia ſecundum diuiſionem, non conſtituitur ex partibus actu exiſtētibus, & ex alijs, ſeu partibus, ſeu diuiſionibus poſsibilibus, tanquam ex duplici extremo eſſentialiter importato; ſed ſolùm & adæquatè conſiſtit in partibus realiter exiſtentibus in ipſa, connotātibus plures ac plures diuiſiones in infinitum poſsibiles. Ergo ſimiliter quantitas, ſiue cōtinua, ſiue diſcreta, prout infinita in potētia ſecundùm additionem, adæquatè & in recto ſolùm conſtituetur vnico extremo partis actu exiſtentis ac finitæ; non vero altero partium infinitarum poſsibiliū, niſi de connotato. Et ratiò a priori vtriuſque videtur ea eſſe: quia omne totū importans vnicam eſſentiam & rationem formalem, debet in recto cōſtare partibus vnitis inter ſe, ex quibus tantum conſurgere poteſt tertium capax veræ definitionis. At diuiſiones, ſiue additiones, ſiue partes purè poſsibiles, & partes actu exiſtentes, nō ſunt vnitæ inter ſe; quia vnio exigit coëxiſtentiam realem extremorum. Ergo ſi infinitum in potentia, ſiue ſecundum diuiſionem, ſiue ſecundum additionem, eſt totū aliquod importans vnicam eſſentiā & rationē formalem; nequit in recto cōſurgere ex partibus exiſtentibus, & ex diuiſionibus additionibus, partibuſvè poſsibilibus; ſed ſolum ex partibus exiſtentibus in recto, cōnotatis poſsibilibus in obliquo.

24 *SED Contrà*, & eſt manifeſta diſparitas. Infinitum enim in potentia ſecundum diuiſionem, ſiue ablationem, debet habere intra ſe exiſtentes omnes partes, quibus in recto componitur: quia nihil diuidi poteſt, vel auferri realiter ab illo toto, in quo realiter non eſt. Quare quantitas continua, vt infinita in potentia ſecundum diuiſionem præcisè, conſtituitur in recto & intrinſecè per continuum diuiſibile actu exiſtens, connotatis in obliquo diuiſionibus pluribus & pluribus in potentia infinitis. At enimverò infinitum in potentia, prout infinitum in potentia ſecūdum additionem, ſiue quò ad multitudinem, ſiue quò ad magnitudinem, ſiue quò ad intenſionem, nequit adæquatè & in recto conſtare ſolum extremo actu exiſtente, connotato in obliquo extremo alio poſsibili. Cuius ratio eſt duplex. *Prima*: quia nulla res infinita, ſiue in potentia, ſiue in actu, poteſt adæquatè in recto conſtitui per aliquid omnino finitum. At extremum illud actu exiſtens, eſt omnino finitum: v.g. collectio decē vnitatū; magnitudo palmaris,

calor

calor vt quatuor. Ergo nulla res infinita, ſive in potentia, ſive in actu conſtitui poteſt adæquatè in recto per illud extremum actu exiſtens. *Secunda*. Infinitum in potentia ſecundùm additionem, eſt ſimul finitum in actu, ita vt adæquata illius ratio in recto conſurgat ex finito; & infinito. Ergo conſtituitur in recto per vnam partem finitam, & per alteram infinitam. Sed pars actu exiſtens eſt finita, pars autem poſsibilis infinita. Ergo infinitum in potentia adæquatè & in recto conſtituitur per partem vnam exiſtentem, & alteram poſsibilem. Partem appello vnumquodque è duobus extremis: quamvis finitũ claudat in ſe plures finitas, & poſsibile infinitas. Neque obſtat ratio à priori adducta in contrarium: quia totum importans vnicam eſſentiam & rationem formalem, ſolùm debet importare partes vnitas ea ratione, qua totũ eſt. Infinitũ verò in potentia ſecundum additionẽ non eſt totum aliquod actu, ſed potentia tantùm, vtpote cuius formalis pars purè poſsibilis eſt. Ergo ſufficit ſi importet vnionem in potentia inter partes exiſtentes ac poſsibiles, quæ reducatur poſtea in actum facta additione ad quantitatẽ diſcretam, cõtinuam, aut virtutis, præexiſtentẽ; & reſultante vno toto in actu ex parte præſuppoſita ac de novo adiecta. Vt omittam, numerum non eſſe quantitatem continuã, ſed diſcretam, ac proinde nõ exibere vnionem ſtrictam.

25 *INSISTES* Adhuc: Ergo infinitum in potentia ſecundùm additionẽ, plures partes importat, quàm infinitum in actu: quod videtur abſurdum, quia infinitũ in actu excedit incomparabiliter infinitum in potentia ſecundùm multitudinem, magnitudinem, & intenſionem. Probatur præcipua conſequentia. Infinitum in potentia ſecundùm additionem in recto importat partes iam exiſtentes, & ſimul omnes partes poſsibiles; ac proinde plures partes, quã ſolas poſsibiles importat. At infinitum in actu non importat plures partes, quàm omnes poſsibiles, ſed totidem, aut etiam pauciores. Ergo infinitũ in potentia ſecundùm additionem, plures partes importat; quàm infinitũ in actu. Probatur minor. Si omnes partes poſsibiles, quæ ſuperſunt vltra exiſtẽtes, reducerentur in actum collectivè, conſtituerent infinitum in actu. Imò detracta ab iis ingenti portione, & reducta ad exiſtentiam, cæteræ omnes partes poſsibiles, quæ ſuperſunt, ſimul in actu poſitæ conſtituerent infinitum in actu. Ergo infinitum in actu non importat plures partes, quàm omnes poſsibiles, ſed totidem, aut etiam pauciores.

26 P. Albertinus *tom. 2. de prædicam. Quãtitatis diſp. 4. q. 2. n.* 11. docet infinitum ſyncathegorematicum, ſeu in potẽtia, differre à cathegorematico, ſive in actu, quò ad numerum partium: quia infinitũ in potentia non importat partes infinitas, neque includit intrinſecè infinitatem, ſed tendit in illam: pro eoque dicendi modo appellat *ibid. n.* 2. Durandum, & Gabrielẽ. Vnde negaret conſequẽter illationem in qua obiectio nititur. Verùm neque Durandum, neque Gabrielẽ fuiſſe in ea opinione, ſed potiùs in oppoſita, ſicut & D. Thom. oſtendit P. Faſſolus *tom. 1. in 1. p. q. 7. art. 2. dub. 2. à n.* 12. relatis ipſorum verbis. Nec videntur reipſa negare, ſed potiùs communiter cõvenire Recentiores cuiuslibet Scholæ in eo, quòd infinitum in potentia includat totidem partes, ac infinitum in actu, excepto ſtatu vtratumque: nam partes infinitæ, quibus conſtat infinitum in potẽtia ſecundum additionem, ſunt merè poſsibiles: partes verò infinitæ quibus conſtaret infinitum in actu, eſſent actu exiſtentes.

27 *DEINDE* Refellitur ſolutio & doctrina Albertini multipliciter. Nam ſi omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia ſecundum additionem, ponerentur in actu, eſſent plane actu infinitæ. Ergo infinitum in potentia ex eo capite quo addi poteſt, importat vt minimũ totidem partes, ac infinitum in actu. Cumque præterea importet partes finitas actu exiſtentes, ſecundum illas ſaltem excedet multitudinem partium infiniti in actu. Cõſequẽtia præcipua, & ſubillatio inde deducta, perſpicuæ ſunt. Antecedẽs probo. Si omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia ſecundũ additionem, ponerentur in actu, iam Deus non poſſet, ne poteſtate quidem abſolutà, ponere in actu partem aliam: cum iam omnes in exiſtentiam reductæ eſſent. Ergo exhauriretur Omnipotentia Dei quò ad productionẽ pluriũ. Sed implicat virtutẽ productivã ſimpliciter infinitã, qualis eſt Omnipotentia Dei, exhauri per aliquid actu finitũ. Ergo ſi omnes partes poſsibiles, quas importat infinitũ in potentia ſecundum additionẽ, ponerentur in actu, nõ eſſẽt actu finitæ, ſed infinitę. Quod planè docet S. Th. 1. *p. q.* 14. *ar.* 12. omnesq; Thomiſtæ, & ex PP. Societatis Molina ac Valentia & Vazquez *ibid.* quibus ſubſcripſere Faſſolus *loco alleg.* Hurtadus & Arriaga *diſput.* 13. vtriuſque *in libr. 3. Phyſic.* & tandem mira ingenij claritate, qua pollet,

P. Oviedo *Controv. 14. puncto 3.*

28 *CONFIRMATVR* Impugnatio hæc argumento Doctoris Subtilis *in 1. diſt. 3. q. 2. §. Oſtenſo propoſito*, vbi hanc aſſertionem ſtatuit: *Quæcumque ſunt infinita in potentia, ita, quòd accipiendo alterum, nullum poſſunt habere finem; illa omnia, ſi actu & ſimul ſunt, ſunt infinita in actu.* Illamque efficaciter probat ſic: *Quia omnia talia acceptibilia, quando ſunt ſimul exiſtentia, aut ſunt actu finita, aut actu infinita. Ergo accipiendo alterum poſt alterum, tandem poſſunt omnia eſſe actu accepta. Ergo ſi non poſſunt omnia eſſe actu accepta, ſi actu ſimul ſunt, ſunt actu infinita.* Nunc ego. Partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia ſecundum additionem, tot ſunt, vt accipiendo alteram poſt alteram ſucceſsive, nullum poſsint habere finem. Ergo ſi illæ omnes ſimul actu exiſterent, eſſent infinitæ in actu. Nam ſi exiſtentes ſimul, infinitæ actu non eſſent, deberent eſſe actu finitæ. Ergo accipiendo alteram poſt alteram, poſſent habere finē aliquando. Cùm ergo partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia ſecundùm additionem, nullum poſsint habere finem accipiendo alteram poſt alteram ſucceſsivè, infertur planè, caſuquo ſimul exiſterent, fore infinitas in actu. Igitur infinitum in potentia, vltra partes finitas actu exiſtentes, importat vt minimum totidem poſsibiles, ac infinitum in actu.

29 *CONFIRM. II.* Si omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia, reductæ in actum exiſtentiæ, non eſſent infinitæ in actu; deſtrueretur ratio infiniti in potentia ſecundùm additionem, quam omnes ſupponimus, & idem Albertinus ſtatuit loco allegato. Probo ſequelam. Si omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia, reductæ in actum exiſtentiæ, non eſſent infinitæ in actu, ſed finitæ, poſſet aſsignari numerus finitus omnium illarum partium: quia omnis multitudo finita numerabilis eſt numero aliquo finito. Ergo hoc ipſo non daretur infinitum in potētia penes additionem in ordine ad omnes illas partes poſsibiles. Patet conſequentia: Quia nequit dari infinitum in potentia ſecundùm additionem, penes ordinem ad terminum omnino finitum. Aliàs poſito ſolùm eſſe poſsibiles mille partes v. g. ſubiectum capax additionis eſſet infinitum in potentia per ordinem ad illas: quia poſito ſemel infinitum in potentia non importare multitudinem infinitam partium poſsibilium, æqualem partibus infiniti in actu, ſed finitam, eadem erit ratio de mille partibus, ac de alia quavis multitudine quantumvis magna, dummodo finita ſit, vt per ordinem ad illam conſtituatur, aut non conſtituatur aliquid in potentia infinitum.

30 *CONFIRM. III.* Si omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia, reductæ in actum exiſtentiæ, nō eſſent finitæ in actu, ſed finitæ, iam eſſent tot, & non plures: ac proinde Deus, qui iuxta Pſalmiſtam *numerat multitudinem ſtellarum*, cognoſceret planè numerum dictarū partium determinatum, ac finitum, qui iam maior eſſe non poſſet. Ergo hoc ipſo deſtrueretur conceptus infiniti in potentia ſecundùm numerum: Quia infinitum in potentia ſecundùm numerum, debet importare non tot, quin plura, & plura, ac longè maiorem, & maiorem quovis numero determinato ac finito. Neque eluditur vis huius argumenti negando ſuppoſitum, nempe quod omnes partes poſsibiles, quas importat infinitum in potentia, poſsint ſimul reduci in actum. Nam nos minimè aſſerimus eſſe poſsibile: ſed probamus admiſſa ea ſuppoſitione impoſsibili, partes eius fore infinitas in actu, non autem finitas. Alioqui enim neque vlla erit ratio, cur ipſa ſuppoſitio repugnet, ſaltem in rebus permanentibus. Si enim omnes partes permanētes quantitatis continuæ ac diſcretæ, graduſque qualitatis poſsibiles, reducti in actū non eſſent quid actu infinitum; ergo nulla implicantia eſt in eo quòd actu & ſimul ponantur, adhuc admiſſa opinione negante poſsibile eſſe infinitum in actu. Præterea: Ergo nulla implicantia eſt in eo quòd per aſsiduam ſumptionem finirentur: quia quod reductum in actu, infinitum non eſſet, ſed finitum, per ſucceſsivas, ac diuturnas ſumptiones denique exhauriri poſſet. Conſequens autem evertit rationem formalem infiniti in potentia, quam omnes ſupponimus. Ergo neceſſum eſt fateri infinitum in potentia, vltra partes finitas quibus conſtat, importare infinitas poſsibiles, quæ in actu poſitæ vt minimùm adæquarent infinitum in actu.

29 *QVARE* Ad obiectionem ex *num. 23.* cuius occaſione immorati ſumus, concedo libenter conſequentiam, aſſeroq; infinitum in potentia ſecundùm additionē, importare plures partes, quàm ſint neceſſariæ ad infinitum in actu intra idē genus. Nam vltra partes poſsibiles, quæ reductæ in actum collectivè, eſſent actu infinitæ, importat partes actu exiſtentes, quibus vt minimùm excedit aliud infinitum

æqua-

æquale collectioni infinitę in actu. Deinde, & prætermiſſo exceſſu partium finitarum actu exiſtentium, ſolæ partes omnes poſsibiles in vno genere per quas infinitũ in potentia addi poteſt, ſunt incōparabiliter plures, quàm ſint in quolibet infinito in actu: quod vberiùs ſtatuendum eſt *ſect. ſequenti.*

SECTIO TERTIA.

Infinitum in potentiâ, ex parte vnius extremi, ſcilicet, poſsibilium, per quæ addi poteſt, importare plura, quàm eſſent in quolibet infinito in actu. Vbi de exceſſu vnius infiniti ſupra aliud.

31 DICO II. Infinitũ in potentia ſecundùm additionē, adhuc ſolùm conſideratum ex parte vnius extremi, ſcilicet, partium poſsibiliũ, quarum additione creſcere poteſt, importare plura quàm eſſent in quolibet infinito in actu, caſu quo illud exiſteret.

PROBATVR. Infinitum in potentia ſecundum additionem ex parte extremi poſsibilis importat omnes partes poſsibiles, quarum acceſsione creſcere poteſt, ſive in multitudine, ſive in magnitudine, ſive intenſione, vt hactenus oſtenſum eſt. Ergo ex parte extremi poſsibilis importat omnem multitudinem, magnitudinem, & intenſionem, quam Omnipotentia divina producere poteſt ſupra extremum exiſtens. Sed in omni multitudine, magnitudine, & intenſione, quam Omnipotentia divina producere poteſt vltra extremum iam exiſtens, plura ſunt, quàm eſſent in quolibet infinito in actu, caſu quo illud exiſteret. Ergo infinitum in potentia ſecundùm additionem ex parte extremi poſsibilis importat plura, quàm eſſent in quolibet infinito in actu. Probatur minor ſubſumpta, in qua ſolùm poteſt eſſe diſsidium. Nam poſito quocumque infinito in actu ſecundùm multitudinem, magnitudinem & intenſionem, vltra extremum iam exiſtens, adhuc divina Omnipotentia poſſet plura & plura infinita producere, ſemper ſecundùm multitudinem, magnitudinem, & intenſionem. Ergo in omni illa multitudine, magnitudine, & intenſione, quam divina Omnipotentia poteſt producere, ſive addere ſupra extremum iam exiſtens, plura ſunt, quàm eſſent in quolibet infinito in actu, ſi illud exiſteret. Conſequentia eſt manifeſta: quia in omni illa multitudine, magnitudine, & intenſione, quam Omnipotentia divina poteſt producere ſupra extremum iam exiſtens, continebatur illud ipſum infinitum in actu, quod ſupponimus iam productum, & præterea plura ac plura producibilia ſemper & ſine termino. Ergo plura, quàm ſint in illo infinito in actu. Antecedens verò probatur multipliciter. *Primò:* Quia poſito quocumque infinito in actu ſecundùm multitudinem, magnitudinem, & intenſionem vltra extremum iam exiſtens, nulla eſſet ratio cur Omnipotentia diuina non poſſet adhuc plura producere infinita in actu ſecundùm multitudinem, magnitudinem, & intenſionem; imò neceſſariò id aſſerendum eſt, vt demonſtratur hoc argumento. Hoc enim ipſo quòd poneretur infinitum in actu ſecundum multitudinem (& idem dico de infinitis aliorum generum) deberet illud actu conſtare non ſolum ex multitudinibus finitis: quia finitum præcisè additum finito non facit infinitum. Ergo conſtare deberet ex pluribus multitudinibus actu infinitis, ſcilicèt, ſaltem ex vna medietate actu infinita, & ex altera æquè infinita actu. Ruſus quælibet illarum medietatum vt actu infinita eſſet, deberet conſtare non ſolùm ex finitis multitudinibus, ne finitum additum finito faciat infinitum, ſed etiam ex duabus vt minimùm multitudinibus infinitis actu. Deinde in qualibet harum multitudinum facta diviſione, & ſubdiviſione vltra & vltra ſemper inveniretur ſaltem duplex multitudo infinita ob eandem rationem, quæ vbique vrget: atque adeo poſita multitudine qualibet actu infinita, manifeſtè demōſtratur debere in illa exiſtere innumeras multitudines, quarum quælibet ſeorſim ſit infinita in actu. Ergo de primo ad vltimũ ſuppoſito ſemel quolibet infinito in actu ſecundùm multitudinem (atque adeò & ſecundum magnitudinem, & intēſionem) vltra extremum finitum iam exiſtens, adhuc divina Omnipotentia poſſet facere plura & plura infinita in actu. Si enim quodlibet infinitum in actu poſitum, neceſſariò claudit innumeras multitudines actu infinitas, & à divina Omnipotentia productas; evidenter deprehenditur, per productionem vnius infiniti in actu, non exhauriri Omnipotentiam, ſed imò verò neceſsitari ad producendum ſimul innumeras multitudines infinitas in actu: ac proinde æqualiter poſſe plures & plures multitudines producere ſine termino, quarum quælibet conſtet innumeris partibus, ſeu multitudinibus infinitis in actu. *Secundò* probatur idem antecedens ex ratio-

tione formali, ſive definitione infiniti in potentia, *cuius aliquid ſemper eſt extra*, ſeu, vt omnes loquuntur, cuius non tot poſſunt eſſe partes, quin plures & plures in infinitum. Ergo adhuc facta acceſſione per multitudinem actu infinitam, quæ ſupponatur producta, nunquam habebit tot partes, quin plures & plures habere poſsit, neque tot multitudines infinitas partium, quin ab Omnipotentia divina plures & plures multitudines actu infinitas accipere valeat.

32 *DICES I.* In ea hypotheſi, quà extremo finito actu exiſtenti adderetur multitudo actu infinita, iam deſineret eſſe infinitũ in potentia, quia ex finito præcedenti, & infinito ſubſequenti ſibi addito, conſurgeret infinitum in actu. Ergo iam non eſſet opus vt poſſet habere plures partes, & plures, quia hoc proprium infiniti in potentia eſt.

33 *SED Contrà.* Vt enim ſuprà *num.* 14. oſtẽſum eſt, eadem multitudo quæ ſupponitur infinita in actu per ordinem ad partes quas actu includit, eſt infinita in potentia per ordinem ad alias poſsibiles, quibus add. poteſt. Quod etiam manifeſtè deprehenditur exemplo nuper adducto. Quælibet enim multitudo actu infinita, continet innumeras multitudines actu infinitas, vel ſuas partes, quibus componitur actu, & vt minimum duas medietates actu infinitas. Aſſumamus ergo ſeorſim vnanquamque illarum medietatum diviſam ab alia. Certè illa poterit fieri maior ac maior in infinitum per additionem ſucceſsivam multitudinũ finitarum ab altera medietate actu infinita. Ergo per ordinem ad illam erit infinita in potentia, quanquam per ordinem ad multitudines quibus actu in ſe componitur, ſit infinita in actu. Ergo pariter tota collectio ex duplici illa medietate conſurgens, quanquam per ordinem ad vtramque ſit infinita in actu, adhuc per ordinem ad aliam collectionem poſsibilem, æqualemque, aut inæqualem, dummodo infinitam, erit infinita in potentia. Ergo extremum finitum actu exiſtens in infinito in potentia, adhuc facta acceſsione multitudinis actu infinitæ, manebit nihilominus infinitum in potentia per ordinem ad alias acceſsiones poſsibiles vltra & vltra. Ergo quamvis additione multitudinis actu infinitæ tranſeat in rationem infiniti in actu, nunquam habebit tot multitudines, quin plures & plures ab Omnipotentia divina accipere poſsit, eaſque ſive actu finitas, ſive etiam infinitas, vt probatum eſt.

34 *DICES II.* Acceſsio, cuius capax eſt infinitum in potentia per additionem multitudinis actu infinitæ, conſtituit illud infinitum in actu, & non ampliùs quantumcunque multiplicetur alia & alia acceſsio ſimilis, vel æqualis. Ergo non conſtituit in eo maiorem multitudinem, quam ſit in qualibet alia, quæ alibi ſupponatur exiſtere actu infinita: quia vna multitudo actu infinita, nec eſt, nec poteſt eſſe maior quam altera infinita in actu; cùm quælibet illarum debeat conſtare innumeris multitudinibus actu infinitis. Ergo nunquam probatur infinitum in potẽtia ex parte extremi poſsibilis importare plura, quam ſint in quolibet infinito in actu exiſtente: quia implicant plura in vno, quàm in alio infinito in actu.

35 *SED Contrà*: Poteſt enim vna multitudo in actu infinita eſſe, tum æqualis, tum minor, tum & maior altera multitudine actu infinita. Ergo infinitum in potentia ex parte extremi poſsibilis, quod importat, ſi accipiat exceſſum actu infinitum, poterit eſſe minus, ſimiliterque poterit eſſe æquale, ac denique maius quovis infinito multitudinis actu exiſtentis. Cumque præterea poſsit plura & plura infinita multitudinis in actu recipere, ſi ſemel eſt capax vnius infinitæ acceſsionis, manifeſtè concluditur ex parte extremi poſsibilis importare plura in potentia, quã eſſent in quovis infinito in actu: quæ eſt ipſiſsima noſtra aſſertio. Antecedens præcipuum, ex quo cætera illatione pervia deducuntur, probatur I. quò ad omnes partes ab exemplo cuiuslibet multitudinis actu infinitæ, hucuſque expẽſo. Quælibet enim medietas illius collectionis eſſet actu infinita, & ſubdivideretur in duas partes etiã infinitas in actu, vt ſuprà demõſtratum eſt. Ergo daretur vna multitudo actu infinita, quæ ſimul eſſet minor, æqualis, & maior alijs multitudinibus actu infinitis in illa collectione. Patet conſequentia: Quia vna medietas totius collectionis eſſet maior vnaquaque duarum medietatum, in quas ſubdivideretur; cùm evidens ſit totum eſſe maius ſua parte: aliunde vna medietas totius collectionis eſſet æqualis alteri medietati; quia de ratione duplicis medietatis eſt, vt æquales ſint, & æqualiter partiantur vnum aliquod totum. Denique vna medietas eſſet minor eodem toto, vt lumine naturæ patet. Ergo vel hoc vno exemplo deprehenditur poſſe ac debere vnam medietatem, ſive multitudinem actu infinitam eſſe tum æqualem, tum minorem, tum &

ma-

maiorem alijs multitudinibus infinitis in actu.

36 Probatur idem antecedens ſeorſim quò ad ſingulas partes. Quò ad æqualitatem quidem, ſupponendo Deum producere infinitum in actu hominum, & vnumquenque illorũ ſupra vnum equum. Tunc quidem ad ſenſum ferè patet totidem homines futuros, ac equos. Ergo æquale infinitum in actu equorum ac hominum reſultaret: quia æqualitas multitudinum in hoc ſolùm conſiſtit, quod non plures, neque pauciores, ſed totidem vnitates, in vna & in alia ſint. Quo ad maioritatem vero & minoritatem demonſtratur ſimul vnico exemplo, ſatis trito, hominum infinitorum in actu. Infinitum namque oculorum eſſet duplo maius, quàm hominum; & infinitum capillorum longè maius quàm oculorum; quia vnicuique homini reſpondent duo oculi, & vnicuique oculo plures capilli. Niſi fortè dicas omnes homines illius multitudinis infinitæ fore ſimul cæcos, & calvos: quod certè ſpecioſum eſſet, & aptiſsimum ſpectaculum commovendo riſui. At ſi oculos & capillos auferś, tolle etiam pedes, manus, & brachia, in quibus eadem ratio eſt. Tolle dentes, & mandibulas, & oſſa, & nervos: alias enim redibit argumentum præiactum. Denique tantùm auferre debes ab illa multitudine hominum actu infinità, vt iam non modo cæci, calvi, ſurdi, manci, apodes, & omnibus membris mutili reddantur; verùm neque homines ſint. Cùm ergo hæc omnia riſu excipi debeant, fateri cogeris, vnam multitudinem actu infinitam poſſe eſſe minorem, æqualem, & maiorem altera multitudine infinità in actu.

37 *III.* Probatur idem antecedens quò ad infinitum in extenſione. Producat enim Deus infinitum in actu montium, quorum quilibet æqualis ſit Alpibus v. g. & in quolibet illorum ſtatuat formicam. Deinde deſtruat omnes montes, & ſolas formicas relinquat. Occupabunt certè formicæ ſpatiũ infinitum: quia infinitæ in actu ſunt. Et tamen occupabunt minus ſpatium, quàm totidem montes deſtructi, in quibus antea erant, vt ex ſe patet. Ergo ſtat optimè vnam extenſionem ſpatij actu infinitam, eſſe minorem alia, alteram verò maiorem. Idemque eſt ſi de magnitudine, ſive quantitate molis, fiat argumentum in eodem exemplo.

38 *IV.* Denique in infinito intenſionis demonſtratur idem antecedens. Producat Deus homines actu infinitos, vnumquenque illorum cum vnico gradu gratię; ac totidem Angelos, vnumquemque cum duobus gradibus gratiæ. Deinde tantam gratiam, ſeu tot gratiæ gradus, quot ſunt in infinitis hominibus ponat in vno homine; tot autem quot ſunt in infinitis Angelis ponat in vno Angelo; & ſtatuamus inſuper intenſionem qualitatis fieri per gradus homogeneos. In hoc eventu certè gratia tam hominis, quam Angeli, erit infinitè intenſa: quia conſtabit gradibus actu infinitis. Et tamen gratia Angeli erit duplò magis intenſa, quam gratia hominis, quia ex duplicatis gradibus coaleſcet. Stat igitur optimè è duobus actu infinitis vnum eſſe inæquale, ſive æquale, maius, aut minus altero, tam ſecundùm multitudinem, quam magnitudinem, & intenſionem. Et ratio a priori omnium eſt: quia comparatio eſt propria paſsio quantitatis, ſive continuæ, ſive diſcretæ, ſeu molis, ſeu virtutis, ac proinde ſive finita ſit; ſive infinita, reperietur inter duo extrema, quorum alterum, aut excedat; aut excedatur, aut nec excedat; nec excedatur ab alio. Stat igitur infinitum in potentia ex parte extremi poſsibilis importare multitudinem, quæ ſi reducatur ad actum ſit fortè minor multitudine alia infinità in actu, vel æqualis, vel etiam maior. Ac denique ſi extremum illud poſsibile adæquatè conſideretur, poterit infinities infinita importare, quàm ſint in quolibet alio infinito in actu.

(:)

DISP. VIGESIMAPRIMA.

DE INFINITO MAGNITVDINIS.

An repugnet, etiam ſecundùm potentiam Dei abſolutam?

Num. 1. *SVPPOSITA Diſtinctione infiniti in actu ab infinito in potētiâ, iuxta doctrinā diſputationis præcedētis, quærimus modò an ſit abſolutè poſsibilis creatura infinita in actu, ſive quò ad magnitudinē, extēſionemvè; ſive quò ad multitudinem; ſive quò ad intenſionem. Res planè difficillima eſt, quam aggredimur exagitandam; & propemodum infinito ingenio opus eſſet ad eam plenè ac perfectè diſcutiendam. Studebimus quantùm fieri poſsit brevitati & claritati, priùs agentes de infinito ſecundùm magnitudinem. Oportet verò ſimul & ſemel referre Authorum ſententias pro decendis in hac, & ſequentibus diſputationibus. Habet locum diſputatio apud Ariſt. hoc* lib. 3. cap. 4. *vſque in finem libri.*

SECTIO PRIMA.

Referuntur variæ Authorum opiniones, & præmittuntur quædam notatu digna.

2 PRIMA Sentētia abſolutè docet, omnino repugnare infinitum in actu, ſive quo ad magnitudinum & extenſionem, ſive quò ad numerum, ſive quò ad intenſionem. Hæc eſt conformior Ariſtoteli hoc *lib. 3. cap. 5. & 6.* negantl quodcunque infinitum in actu ſecundum triplicem conſiderationem aſsignatam, licèt ſolùm de facto, & naturaliter loquendo, idque varijs rationibus probanti. Illam abſolutè, & in ordine ad potentiam Dei ſupremam tuetur D. Thomas *1. p. q. 7. art. 3. & 4. Quodlib. 9. art. 1. & Quodlib. 12. art. 2.* quem ſequuntur communiter Diſcipuli, tam Veteres, quàm Recentiores, & inter hos, PP. Complutenſes *diſput. 18.* Ioannes à S. Thoma *q. 15.* Ex PP. Societatis Eximius Suarez *diſput. 30. Metaph. ſect. 17. n. 16.* Albertinus *de Prædicam. Quantitatis diſput. 4. q. 4.* Lugo *diſput. 16. de Incarn.* Rubius in præſenti *tract. 2. q. 3. num. 85.* Quiros *diſput. 63. ſect. 3. & ſeqq.* Tellez *diſput. 31. ſect. 1.* Pallavicinus *in Aſſert. lib. 3. num. 256.* Izquierdo *tom. 1. Theolog. tract. 6. diſput. 13.* Ex alijs, Averſa *q. 24. ſect. 5.* Spinula *diſput. 9.* Moneda, & communiter Noſtri Doctores: illamque probabiliorem oppoſita cenſet Lalemandet *diſput. 6. p. 1.*

3 *SECVNDA* Ex diametro omne infinitum in actu, ſive ſecundùm magnitudinem, ſive ſecundùm multitudinem, ſive penes intenſionem, abſolutè poſsibile cenſet. Ita Avicenna, Algazel, aliique Veteres *in præſenti*, & ex Scholaſticis Gregorius *in 1. diſt. 43. q. 4.* Baſſolis *q. unicâ, art. 2.* Gabriel *in 2. diſt. 1. q. 3.* Mayronis *ibidem diſt. 9. q. 1.* Argentina *diſt. 1. q. 2. art. 2.* Almainus *in 3. diſt. 10. q. 1.* Maior *in 1. diſt. 44. q. 3.* Ex Recentioribus eandem ſententiam fusè tuentur & illuſtrant Faſſolus *1. p. q. 7. art. 4.* Hurtadus *diſput. 13. ſect. 2.* Arriaga *diſp. 13. ſect. 4.* Compton *diſp. 46. ſect. 4.* Richardus Lynce *lib. 7. Phyſic. tract. 3. cap. 4. & tract. 4. cap. 2.*

4 *TERTIA* Tuetur infinitum in actu, ſaltem in aliquo ex tribus generibus aſsignatis, eſſe abſolutè poſsibile. De infinito ſecundùm multitudinem affirmant Conimbricenſes *hoc lib. 3. cap. 8.* Vazquez *1. p. diſp. 26.* Bartholomæus Amicus *tract. 18. q. 6.* Merinerus *lib. 3. Phyſic. q. 4. num. 18.* Conſentiunt quoque in eo Oviedo *contr. 17. punct. 5.* & Pontius *diſput. 14. q. 1.* niſi quod prior prætereà negat poſsibile corpus infinitæ extenſionis & concedit infinitam intenſionem qualitatis; poſterior verò ex oppoſito concedit poſſe fieri corpus infinitè extenſum, negat autem poſsibilem intenſionem qualitatis infinitam, vt & alij ex Scotiſtis communiter negant cū Doctore Subtili *in 3. diſt. 4.* Cœterùm, ſicut Oviedo; ita & nonnulli Recentiorum, nullum ſequi abſurdum exiſtimant in qualitatis infinita intenſione, eamque de facto aſſerunt in gratia habituali Chriſti Domini: vt Ioannes Maldonatus *Lucæ 2. v. 40.* Petrus Hurtado *diſput. 48. ſect. 2. §. 15.* Bernal *diſput. 30. de Incarn. ſect. 3.* & problematicè Mæratius *diſput. 23. ſect. 4.* contra communem aliorum ferè omnium ſentētiam, id negantium, non modò de facto, verùm etiam de poſsibili.

5 *PRÆMITTO I.* Rem hanc adeò difficilem eſſe pro vtraque parte, adeòque inexploratam, vt quanquam tot felīcia homi-

minum ingenia circa eius diſquiſitionem vires ſuas exercuerint vſque ad tempus D. Thomæ, nullam demonſtrationem invenerint ad probandum repugnantiam infiniti in actu: vt ipſe teſtatur ingenuè *Opuſc.* 27. Idemque eſt de ijs omnibus, qui antea & poſtea ſcripſere pro alterutra opinionū, vt patebit illorum argumenta accuratius expendenti. Quamquam enim pleraque difficillima ſint, nullum illorum deprehenditur attigiſſe metas demonſtrationis. Quare ſupereſt, vt neutra earum certa omnino cenſeri poſsit, ſed illa ſolùm probabilior, quæ ſolidioribus fundamentis nitatur.

6 *PRÆMITTO II.* Nullam repugnantiam eſſe in infinito ſyncathegorematico, ſive in potentiâ, ſaltem ſecundum additionem. Id patet vt minimùm in numero cogitationum futurarum in hominibus Angeliſque ſucceſsivè per totam æternitatē. Nullus enim numerus adeò magnus illarum aſsignari poteſt intra finitos, vt maiorem & maiorem ſupergreſſuræ nō ſint progreſſu ſæculorum. Alioqui tandem aliquando finiendæ eſſent: cùm de ratione finiti ſit, vt poſsit tandem exhauriri. Numerus ergo illarum cognitionum, qui vſq; modo fuit & eſt proculdubio finitus in actu, per ordinem ad alias & alias additiones futuras eſt infinitus in potentiâ. Idem patet in quantitate molis, ſeu cœli, ſeu cuiuſque alterius rei, quæ actu finita eſt. Quia tamen capacitatem habet vt ſibi à Deo fiat maior & maior quantitatis additio, dicitur in potentiâ ſeu ſyncathegorematicè infinita penes additionem. Imo & ſecundùm diviſionem, poſita communi ferè ſententia Philoſophorum ac Patrum, cum Ariſtotele *lib. 6. huius Operis*, aſſerente continuum conſtare partibus abſque fine dividuis; quā eo loco tuſe tuebimur. Eo namque ipſo quòd quantitas ſecundùm ea quę habet, poſſit ſucceſsivè dividi in partes minores ac minores, planè ſequitur illam eſſe ſucceſsivè capacem infinitarum diviſionum, quod eſt eſſe infinitam in potentiâ penes diviſionem ſui. Idem denique de qualitate dicendum, quæ etiam intenſibilis eſt magis, & magis ſine termino, ita vt ſupra quanlibet intenſiſsimam poſsit Deus addere novum gradum, vel aliam & aliam maiorē radicationem in ſubiecto: tum quia id non repugnat; tum quia cùm homo viator poſſit magis ac magis peccare ſine termino, debet eſſe in Deo poteſtas ad intendendū magis ac magis pœnam ardoris, ſeu paſsionis ab igne tartareo; tum denique, quia vna ex proprietatibus qualitatis eſt, vt ſuſcipere poſsit magis & minus.

7 *PRÆMITTO III.* Infinitum in actu non eſſe id, quod clauditur terminis finitè diſtantibus. Ita enim importat vt minimùm ratio infiniti in actu, vt careat terminis, quibus actu finiatur; quales proculdubiò ſunt termini diſtantes ſolum finitè. Alioqui liceret aſſerere cœlum Empyreum eſſe infinitum ſecundum magnitudinem, quanquam duobus terminis finitè diſtantibus concludatur penes longitudinem, & duobus penes latitudinem. Imo de qualibet ſphæra cęleſti, & de ſingulis elementis, & de quovis continuo, etiam exiguo, infinitas in actu penes magnitudinem affirmari poſſet, ſi non obſtaret incluſio ſub duobus terminis finitè diſtantibus.

8 *PRÆMITTO IV.* Eo ipſo quòd aliquid ſit infinitum in actu, debere conſtare ex pluribus, imò & innumerabilibus actu infinitis. Pone etenim numerum hominum actu infinitum. Certe ille à Deo poterit dividi in duas medietates: quia in hoc nulla, vel apparens, contradictionis ratio eſt. Tunc verò neutra medietas erit actu finita; quia ex vtraque ſimul coaleſcebat numerus actu infinitus; & ex duobus multitudinibus finitis, nequit conſurgere collectio ſimpliciter infinita. Alioqui dicere poſſes, collectionem omnium creaturarum de facto exiſtentium, imò & ſolam Angelorum, aut hominum, eſſe actu infinitam modò de facto, quanquam quælibet illarum reſultet ex duplici medietate finitâ. Vnde in commune axioma Philoſophorum abijt, *finitum finito additum, non facere infinitum.* Rurſus quælibet illarum medietatum eſt diviſibilis in duas ſui medietates, quarum ſingulæ pariter debent eſſe actu infinitæ, vt prior illa medietas, ex vtraque conſurgens, ſit actu & ſimpliciter infinita: vt pariter extorquet argumentum prætactum. Cumque de qualibet medietate cuiuſvis medietatis eadem ratio fieri poſſit, & de aliâ, atque aliâ; conſequens eſt, vt quælibet multitudo infinita reſultare debeat non ſolùm ex pluribus, ſed ex infinitis multitudinibus, quarum quælibet infinita ſit.

9 *VNDE* Quemadmodum aſſertores partium continui abſque fine dividuarū communiter docent, eſſe in eis tot medietates medietatum, vt poſsint à Deo dividi ſucceſsivè per totam æternitatem, abſque eo quòd continuum exhauriatur, vel ad pura indiviſibilia redigatur; ita etiam aſſertores infiniti in actu, conſequenter dicere de-

debent, in eo fore medietates medietatum Infinities actu infinitas, nunquamque redigendas in aliquid actu finitum, quanquam Deus ſingulis momentis per totam æternitatem illas per medium divideret, ſeu abiungeret. Idem vero de infinito ſecundùm extenſionem eſſe dicendum, patet applicanti diſcurſum præiactum; & ſimiliter de infinito ſecundùm intenſionem, ſi ſupponatur reſultans ex gradibus homogeneis. Imò etiã ſi ex heterogeneis. Adhuc enim evidenter colligitur, poſito calore v.g. infinitè intenſo, poſſe illum a Deo remitti vſque ad medietatem intenſionis, & hanc fore infinitam: quia finitum additum finito non facit infinitum. Idemque eſt de qualibet medietate cuiuſvis medietatis, & de alia & alia vſque in infinitum. Quod, ex ſe ſatis manifeſtum, quia non adnotarunt nonnulli ex Authoribus allegatis, plura accumulant præter inſtitutum præſentis cõtroverſiæ, quæ ſive ab affirmantibus, ſive negantibus infinitum in actu, palam reijciuntur & improbantur.

11 *PRÆMITTO* Denique iuxta dicta *diſput. pæced. à num.* 35. poſſe vnum infinitum in actu, ſi daretur, eſſe maius alio, ſaltem materialiter loquendo, & exceſſu non ſpectante ad rationem formalem Infiniti. Id modo breviter probare licet exemplo illo infiniti in actu hominum: in quibus neceſſariò eſſent duplo plures oculi, & incomparabiliter plures capilli. Neque id eſſet contra rationem formalem infiniti. Dummodo enim in collectione illà tot homines actu eſſent, quot (ſive ſeorſim, ſive per medietates ſingulas, aſſumpti à Deo per totam æternitatem) nunquam exhaurirentur, vel ad multitudinem actu finitam redigerentur; verè ea collectio eſſet actu infinita. Patet id præterea exemplo infiniti in potentià ſecundùm diviſionem, admiſſo communiter ab ijs qui negant poſſibile eſſe infinitum in actu. Etenim quantitas bipalmaris materialiter ſaltem plures partes habet, maiorque eſt, quàm medietas ipſius: cùm evidens ſit, totum eſſe maius ſuà parte. Et tamen in eà opinione exploratum eſt neutram eſſe maiorem altera, quò ad rationem formalem infiniti in potentià; cùm vtraque ſit capax infinitarum diviſionum & additionum; in quà capacitate conſiſtit formaliter Infinitudo in potentià. His poſitis iam ad rem ipſam accedamus.

***

SECTIO SECVNDA.

Oſtenditur repugnantia corporis actu infiniti, ratione apud Recentiores ſolemni; ſed ſpeciatim roboratà, ad mentem Ariſtotelis, & Tertulliani, ac D. Thomæ.

12 SIT I. *Aſſertio*: Repugnat omnino corpus infinitum ſecundùm extenſionem. Eſt iuxta mentem Authorum primæ & communis ſententiæ. Verùm probationes illorum expẽdere oportet, ne, quod aiunt, iuſtæ cauſæ iniquum ſit patrocinium.

13 *PROBANT I.* Recentiores. Ponamus virgam infinitam verſus longitudinem ab Oriente vſque ad Occaſum. Certè quælibet illius medietas diviſa realiter ab altera eſſet actu infinita, vt ſupra præmiſſo quarto demonſtratum eſt. Modò ſic. Illã medietatem lineæ, quæ eſt à parte Orientis, retrotrahat Deus vnico palmo ad partẽ Occidentis. Certè tunc occupabit vnum palmum ampliùs à parte Occidentis, & vnum minùs à parte Orientis; ac proinde ſimul ab vtraque parte habebit terminum: ab Occidente quidem in puncto illo palmi retrotracti; ab Oriente verò, in puncto palmi derelicti. Ergo eo ipſo, eſſet infinita, vt ſupponitur; & non eſſet infinita, quia clauſa inter duos terminos vnius & alterius palmi. quod eſt planè contradictorium. Nec dici poteſt, lineam vnico palmo retrotractam ad Occidentem, non derelicturam palmum vnum à parte Orientis: Quia ſupponimus illam lineam eſſe rectam, & totam trahi à Deo motu recto & continuo ad Occidentem, nullà ipſi additione aut rarefactione præſtità; ac proinde non creviſſe penes longitudinem. Impoſſibile autem eſt, vt recta linea motu recto & continuo retrotracta abſque ſui additione, aut rarefactione, non deſerat tantundem ſpatij ex vnà parte, quantùm adquirit ex alterà. Ergo linea illa deſereret vnum palmum ſpatij à parte Orientis, eo ipſo quòd alium adquireret à parte Occidentis. Ergo eſſet concluſa duobus terminis ab vtraque parte ſecundùm longitudinem, ac proinde actu finita. Aliunde eſſet longitudinis actu infinitæ, vt probatum eſt. Ergo ſimul eſſet finita & infinita penes longitudinem.

14 *HÆC* Probatio ferè non diſtinguitur ab alià quorundam inferentium, ſi daretur corpus infinitè extenſum, poſſe à centro illius duci duas lineas verſus circunferentiam infinitas, & produci vſque adeò,

vt vna linea ab alterá infinitè diſtaret. Aliũde infinitè diſtare non poſſent: quia tota illa diſtantia duplici termino concluderetur, nimirum eadem duplici linea vtrimq; terminante eandem diſtantiam. *Denique*, eodèm ſpectat, quod plerique Recentiorũ aſſumunt, in illa linea infinita verſus Oriẽtem & Occidentem, non ſolùm fore actu infinitam vnamquanque ex duobus medietatibus, in quas primo divideretur; ſed etiam ſingulas dimidietates immediatas cuiuſque medietatis: quia medietas actu infinita nequit conſurgere ex duabus medietatibus finitis, iuxta doctrinam *num.* 8. ſtabilitam. Modò ſic. Illa lineæ Orientalis medietas, quà parte divideretur ab Occidentali haberet terminum ratione diviſionis, vt evidens eſt. Aliunde, ſi ipſa divideretur in duas dimidietates, haberet terminum alium in ea parte ſui qua fieret ſubdiviſio. Ergo illa dimidietas vtrinque haberet terminum, ac proinde eſſet longitudinis finitæ. Aliàs etiam eſſet longitudinis actu infinitæ, vt neceſſariò infertur. Simul ergo eſſet & non eſſet infinita.

15 *VERVM* Diſcurſus præiactus, quocumque ex tribus modis relatis proponatur, niſi aliunde roboretur, non gravat nimium Adverſarios. Dicunt enim, lineã, quamvis retrotrahatur, manere actu infinitam; & ſimiliter quamlibet eius medietatem, & dimidietatem, quanquam maneat duobus terminis clauſa: Quia infinito in actu non contradicit incluſio in duobus terminis, dummodo hi infinitè diſtent; qualiter diſtarent in hypotheſi argumenti. Sic res producta ab æterno, & annihilata hodie, infinitè duraſſet: quia licet concluderetur eius duratio duobus terminis, nimirum, creatione à parte antè, & annihilatione a parte poſt, cùm hi termini infinitè diſtarent penes durationem, etiam duratio creaturæ vtrumque interiacens infinita eſſet. Debet ergo aliunde probari repugnantia infinitæ diſtantiæ inter illos duos terminos, vt exinde habeatur, lineam vtrũque interpoſitam no eſſe longitudinis actu infinitæ. quod tamen non faciunt prædicti Authores.

16 *NOS* Certè eam repugnantiam longitudinis actu infinitæ, duobus terminis clauſæ, ſic probamus. Si ea nanque poſſibilis foret, proculdubiò poſſet Deus condere triangulum, à cuius puncto pyramidali ad baſim eſſet infinita diſtantia. Nihil enim prohiberet eius trianguli diſtantiam infinitam à ſummo ad infimum, ſi id non prohibet concluſio intra duos terminos. Pone igitur eiuſmodi triangulum in rerum natura, & in eo duc lineam vnius palmi à puncto pyramidali ad baſim, & poſtea immediatè aliam lineam bipalmarem, & poſtea aliam tripalmarem, & quartam quadripalmarem, & ſic in infinitum, vſque ad lineam baſis oppoſitam pyramidi, ita vt nulla linea alteri ſuccedens excedat eam, niſi vnico palmo. Modo ſic arguo. Baſis eius trianguli eſt actu infinita penes longitudinem, vt Adverſarij ſupponunt. Ergo & linea quaſi penultima & proxima baſi infinita eſt, quia ſuperatur ab illa in vnico palmo, & quidquid exceditur ab infinito penes finitum aliquid ſolum, debet eſſe infinitum. Eadem ratione linea antepenultima debet eſſe actu finita, quia vnico palmo diſtat a penultima, quæ actu infinita ſupponitur: idemquè erit de alijs & alijs ſuccedentibus ordine ſuo in infinitum à baſi ad pyramidem. Igitur cùm aliunde probatum ſit lineas continuatas à pyramide ad baſim eſſe finitas, vtpotè vnico palmo ſe excedentes, neceſſariò in ipſo triangulo erit immediatè tranſitus ab vna linea finita ex parte pyramidis ad aliam lineam infinitam ex parte baſis, quæ tamen illam excedat vnico palmo. Hoc autem impoſſibile eſſe patet: quia ſic linea illa finita per ſolam vnius palmi additionem eſſet actu infinita, ſicuti & quæ illam ſequitur a parte baſis. Ergo de primo ad vltimum impoſsibile eſt triangulum actu infinitum, ac proinde & quantitas actu infinita, quæ ſit duobus terminis clauſa.

17 *CONFIRMATVR*, & præcluditur evaſio, quæ excogitari poſſet ab Adverſarijs à pari infiniti ſyncathegorematici, quod nos admittimus in ipſo triangulo. Etenim lineæ omnes illæ trianguli infiniti, de quibus procedit argumentum noſtrũ, non eſſent longitudinis proportionalis & indeterminatæ; ſed potiùs determinatæ & aliquotæ; vtpote ſe excedentes vnico palmo gradatim, & non ſe mutuò includentes. Ergo lineæ finitæ ductæ à pyramide, & maiores ac maiores vnico palmo, tandem in aliqua parte certà ac determinatà trianguli concurrerent immediatè cum lineis infinitis ductis a baſi, & minoribus ac minoribus vnico palmo verſus pyramidẽ. Ergo in aliqua parte certà ac determinata trianguli fieret occurſus duarum linearum, vnius finitæ & alterius infinitæ, cùm tamen exceſſus vnius ſupra alteram vnius tantùm palmi eſſet. quod eſt manifeſtum abſurdum.

18 *CONFIRMATVR II.* A pari aliorum

aliorum infinitorũ, quibus repugnat duobus terminis claudi intra lineam illam, ſeu genus, in quo infinita aſſeruntur. *Primò* enim repugnat quantitas ſucceſsiva duobus terminis clauſa: vt duratio infinita tẽporis poſiti inter inſtans primum & vltimum. Alioqui liceret aſſerere durationem aliquam non æternam, neque à parte antè, neque à parte poſt, & cuius initium ac finis certus eſt, adhuc eſſe actu infinitam. Liceret quoque dicere, licèt pœnæ damnatorum habuerint initium in aliquo tempore determinato, adhuc habere terminũ præfixum vltra quem non tranſibunt; & nihilominus eam pœnarum durationem eſſe actu infinitam; quia infinito in actu nõ repugnat duobus terminis coërceri. Vnde & colligitur, aliquem cruciatum damnatorum fore vltimum, quin ſuccedat aliquod reale inſtans tormenti vltra illum. quod æternæ combuſtioni damnatorum in ſacris litteris expreſſæ contrarium eſt. *Secundò* conſtat in numero infinito, qui nequit cõcludi intra primam & vltimam vnitatem. Alioqui liceret dicere, numerum Angelorum de facto exiſtentium, aut ſaltem creaturarum omnium, eſſe actu infinitum, licèt in eo poſsit Deus aſsignare primam & vltimam vnitatem. Similiterque de cœlo Empyreo poſſet aſſeri eſſe actu infinitum in magnitudine & extenſione, quanquam cõcludatur ſuperficie convexa & cõcava a quatuor mundi partibus. *Denique*, difficulter redargueretur qui aſſereret gratiam habitualem Deiparæ, imò & quorundam Angelorum atque hominum, eſſe infinitè intenſam, quamvis claudatur intra primum & vltimum intenſionis gradum. Nec enim ad negandum illationes præiactas in numero Angelorum, in magnitudine Empyrei, & intenſione gratiæ vſque ad infinitatem, cogeretur triro illo teſtimonio Sapientiæ, in quo dicitur, Deum omnia feciſſe, ſeu diſpoſuiſſe in numero, pondere, & menſurà. Reſponderet enim, feciſſe quidem omnia in numero, pondere, ac menſurà, finitis aut infinitis, iuxta cuiuſque rei rationem, ac gradum. Maximè cùm in ipſis ſacris litteris videatur tribui Angelorũ numero infinitas, & expreſsè aſsignetur numero ſtultorum, ſeu reproborum; & electorum turba à Ioanne in cœlo dicatur, *quam dinumerare nemo poterat*; & tandem, vt alia omittam, Deus Sapientiæ 12. v. 23. aſſeratur dediſſe impijs *ſumma tormenta*. quod infinitam acerbitatem ſonat. Cùm ergo nemo Adverſariorum in ijs agnoſcat infinitatem aliquam actu & ſimpliciter, eò quòd duobus terminis coerceantur; conſequens eſt, vt nulla quantitas duobus terminis comprehenſa ſit actu infinita. Neque vrget id, quod in ſolutione dicitur de creatione rei ab æterno & annihilatione in tempore. Duratio enim illa non haberet terminum, ſive initium à parte antè, quà ſolùm ratione infinita eſſet: nam creatio non eſt initium, neque dat initium durationi, ſi hæc ab æterno ſit. Alioqui & proceſsio Verbi Divini, quanquam æterna ſit, initium à Patre habuiſſe diceretur. quod nefas eſt. Sicut ergo Filius à Patre principium, ſive originem habet, initium tamen non habet, quia initium eſt oppoſitum æternitati; ſic & creatura illa diceretur originem habuiſſe à Deo vt principio creante; non tamen initium, ſi æterna fuiſſet.

19 *NEQVE* Enervant diſcurſum propoſitum, inſtantiæ aliæ, quibus Arriaga, & nonnulli Recentiores ſe muniunt. Prima eſt in ſpecie hominis & lapidis, quæ habent rationem termini intra genus ſubſtantiæ corporeæ circa infinitas ſpecies imperfectiores homine, & perfectiores lapide. Ergo iam inter duos terminos eſſe poteſt numerus infinitus ſpecierum. *Secunda*, in continuo Ariſtotelico vnius vlnæ v.g. Etenim quilibet palmus interior coërcetur duplici alio palmo vtrinque, & tamen conſtat infinitis partibus, ſaltem proportionalibus. *Tertia*: Quia ad infinitum propriè tale ſufficit vt ſucceſsivè finiri, aut pertranſiri nequeat: idque haberet ſpatium interiectum lineam & lineàm, atque inter primam vltimamque vnitatem numeri infiniti, & primum ac vltimum intenſionis gradum.

20 *NON*, inquam, enervant, aut quidpiam Adverſarijs proſunt. Nam contra primam inſtantiam eſt, quòd ſpecies humana & lapidea non ſunt termini immediati reſpectu alicuius ſpeciei intermediæ, & determinatæ, ſed mediati ſolùm. Quamcunque enim ſpeciem aſsignes viciniorem homini in perfectione, adhuc aliæ & aliæ viciniores & proximiores ſunt poſsibiles; idemque eſt de quavis ſpecie aſsignata relatè ad lapidem vià imperfectionis. Adhuc enim alia & alia vicinior, ſeu proximior poſsibilis eſt, inter ſpeciem illam, lapidemque. Similiter infinitæ collectioni creaturarum omnium poſsibilium non repugnat terminum mediatum vtrinque habere. Deus enim ex vna parte, & chimæra ex altera, ſunt termini mediati eius collectionis.

Et tamen ipſi repugnat terminus immediatus intrinſecuſque: cùm nò ſit intra eam poſsibilis creatura omnium perfectiſsima, & immediata Deo, nec omnium imperfectiſsima & proxima chimæræ, vt probabitur ex profeſſo *diſp.* 24. Quãdo ergo aſſerimus & probamus, infinito in actu repugnare clauſurã intra duos terminos, ſermo eſt de terminis intrinſecis & immediatis: quales ſine dubio haberet linea illa, & triãgulus infinitus, de quibus argumẽtũ procedit. Cùm enim diſtribuantur per partes determinatas & aliquotas, ſe invicem non includentes, & maiores ac minores gradatim vnico palmo, deberet in ijs aſsignari linea quælibet, vt immediatè vicina alteri, & omnes immediatè terminarentur per primam à parte pyramidis, & vltimam è parte baſis, intra ſpeciem propriam. quod repugnare omnino, rationes & inſtantiæ adductæ demonſtrant.

21 *CONTRA II.* inſtantiam eſt, quòd continuum Ariſtotelicũ nõ eſt actu infinitum, ſed potentia ſolum, & ſyncathegorematice; nec cõſtat infinitis partibus æqualibus vni certæ, aut aliquotis, vel ſe invicẽ excludentibus; ſed inæqualibus, proportionalibus, & ſe invicẽ includentibus: ac proinde poteſt cõtineri intra duos terminos, vltra quos nõ tranſeat: vt palmus intra lineas quib⁹ diſtinguitur à duobus alijs palmis vicinis immediatè ſibi ex vtroque latere intra vlnam continuam. Argumentum verò noſtrum procedit de infinito in actu ex partibus aliquotis & magnitudinis certæ conſtanti: cui proinde repugnat incluſio intra duos terminos.

22 *CONTRA III.* eſt, illud ipſum eſſe quod quærimus: quomodo, ſcilicet, ſpatiũ illud ſucceſsivè finiri aut ex integro pertrãſiri nequeat motu continuo per totã æternitatem, ſi verè continetur intra duos terminos immediatos, ac proinde principio & fine. Hoc enim non minùs repugnãs apparet, quam quod ſit duratio aliqua actu infinita, quæ tamẽ aſſeratur coërcita duobus terminis, initij, ac finis. Omne enim, quod initiũ ac finẽ habet, ab æternitate pertranſiri & ſuperexcedi poteſt, tandẽque aliquãdo a tergo relinquetur. quod tamẽ impoſſibile eſſet, ſi duratio eiuſmodi rei actu infinita aſſeratur. Neque hinc colligas, continuum Ariſtotelicum, hoc ipſo quod intra duos terminos ſit, exhauriendum iri aſsiduis diviſionibus factis decurſu æternitatis. Etenim, continuũm Ariſtotelicum ſolùm dicitur habere duos terminos immediatos vtrinque ſecundùm partes certæ magnitudinis & aliquotas; ſecundùm quas, ſucceſsivè finiri poteſt, quia neutiquam infinitum eſt: vt vlna, quæ exhauritur diviſione facta in quatuor palmos. Cæterum ſecundùm proportionalès partes, & communicantes invicem, non continetur duobus terminis immediatis, quia nulla pars aſsignari poteſt neque eſt adeò proxima & immediata pũctis ab vtroque latere terminantibus vlnã, vt inter illam & punctum non medient aliæ atque aliæ minores & minores in infinitum, vt *n.* 23. de ſpeciebus inter hominẽ & lapidem poſsibilibus dictum eſt.

23 *DENIQVE*, Ne argumenti huculque propoſiti Author ſuo honore fraudetur, ſciendum, id ex Tertulliano deſumptum, libro adverſus Hermogenẽ: vbi probat terram infinitã non eſſe, eo ipſo quod vtrinque lineis terminantibus contineatur. Verba, & argumenti nervum ex illo accipe, Hermogenem alloquente: *Subiacentem facis Deo materiam, & utique locum illi, quæ ſit infra Deum. In loco ergo materia. Si in loco: ergo intra locum. Si intra locum: ergo determinatur à loco, intra quem eſt. Si determinatur, habet lineam extremam, quam, quantùm propriè pictor, agnoſcit finem eſſe omnis rei, cuius linea extrema eſt. Non ergo erit infinita materia, quæ dum in loco eſt, à loco determinatur; & dum determinatur ab illo, extrema ea linea potitur.* Quid nervoſius? Verùm & ante Tertullianum ipſe Ariſtoteles hoc *lib.* 3. *cap.* 5. *text.* 43. prælactam rationem nobis ſuppeditavit illis verbis: σῶμα γάρ ἐστι τὸ πάντῃ ἔχον διάστασιν, ἄπειρον δὲ τὸ ἀπεράντως διεστηκός, ὥστε τὸ ἄπειρον σῶμα, πανταχῇ ἔσται διεστηκὸς εἰς ἄπειρον. *Corpus enim eſt, quod omnem in partem extenditur: quod autem eſt infinitũ, abſque vllo termino extenſum eſt. Quare corpus infinitum, omni parte in immenſum erit extenſum.* Ecce vbi ex mente Ariſtotelis repugnat corpori actu infinito coërceri aliquibus terminis: quæ eſt ratio huc uſque propoſita. Vide & D. Th. ibidem *lect.* 8. inquit: *De ratione corporis eſt quòd habeat dimẽſiones in omnẽ partem: non in longitudinẽ tantùm, vt linea; neque in longitudinem & latitudinem ſolùm, vt ſuperficies. De ratione autem infiniti eſt quòd habeat dimẽſiones infinitas. Ergo de ratione corporis infiniti eſt, quòd habeat dimenſiones infinitas in omnem partẽ.* Ergo & nulla ex parte duobus terminis clauſas. Eodem revocanda ratio eiuſdẽ S. Doctoris loco allegato *ex* 1. *p. q.* 7. *ar.* 3. probantis non poſſe corpus eſſe infinitum, quia omne corpus debet habere ſuperficieur, ac proinde terminari per ipſam; quod repugnat infinito, excludenti omnem terminum.

24 *EX* Dictis colliges, repugnare omnino magnitudinem corpoream infinitè ſimpliciter extenſam verſus locum: cuius oppoſitum docent nonnulli, alioqui convenientes in repugnantia infinitæ magnitudinis, duobus terminis clauſæ, inconſequēter tamen, niſi deſipio. Fac enim in rerum natura exiſtere magnitudinem infinitam ſimpliciter verſus locum. Illa certè in duas medietates dividi poterit a Deo, quarum quælibet etiam infinita ſit: quia finitum additum finito non facit infinitum. Eo autem poſito, quælibet medietatum, quà parte dividitur ab alia, habebit terminum. Fac vlterius eam ipſam medietatem dividi in duas dimidietates. Certè & quælibet illarum infinita erit ob eandem rationem. Aliunde infinita non erit, quia vltra primum terminum quem habebat ex priori diviſione, habebit alterum, qua parte dividitur ab altera dimidietate. Ergo illa dimidietas iam erit inter duos terminos. Sed quantitas poſita inter duos terminos nequit eſſe quoad magnitudinem locumve infinita, vt hucuſque demonſtratum eſt, & Authores relati non diffitentur. Ergo illa dimidietas erit ſimul actu finita, & aliunde infinita. quod apertam contradictionem involvit. Verùm & hoc ipſum amplius conſtabit ex dicendis ſtatim ſectione ſequenti.

SECTIO TERTIA.

Repugnat idem corpus, aut plura, citra penetrationem, habere extenſionem infinitam.

25 SIT *ASSERTIO II.* Repugnat idē corpus, & ſimiliter plura corpora non penetrata, habere molem repletivam infiniti loci.

PRIOR Aſſerti pars probatur ratione deducta ex Ariſtotele hoc *libro 3. cap. 5. text. 55.* illis præcipuè verbis: ἁπλῶς δὲ εἰ ἀδύνατον τόπον εἶναι ἄπειρον, ἐν τόπῳ δὲ πᾶν σῶμα, ἀδύνατον ἄπειρον εἶναί τι σῶμα· ἀλλὰ μὴν τό γε πού, ἐν τόπῳ· καὶ τὸ ἐν τόπῳ, πού. *Atque omnino ſi locus infinitus eſſe non poſſit, in loco autem ſit quodlibet corpus; fieri nequit vt corpus aliquod ſit infinitum. Atqui & quod alicubi eſt, in loco eſt; & quod in loco, alicubi.* Præmiſerat verò *textu* 49. ἀδύνατον γὰρ μὴ ἀπαρτίζειν τὸν τόπον, καὶ τὸ σῶμα. *Fieri enim non poteſt, quin corpus & locus ſint paria.* Quod ex ſe evidens eſt: quia corpus eſt vltima ſuperficies corporis continentis immediatè tangens vltimam locati ſuperficiem, eique commenſa: ac proinde ſi corpus ſit infinitum, etiam locus cui commēſuratur, abſque vlla ſuarum partium penetratione erit infinitus.

26 Modo ſic argumentor. Si idem numero corpus haberet molem repletivam infiniti loci, naturaliter occuparet infinitum locum. Sed impoſſibile eſt corpus naturaliter occupans infinitum locum. Ergo impoſſibile eſt corpus habens molem infiniti loci repletivam. Conſequentia patet, & maior ſimiliter: tum quia moles corporis repletiva loci & locus ipſe commenſurantur: tum quia omne corpus ratione molis quātitativæ naturaliter exigit eſſe in loco, atq; adeo ratione molis quantitativæ exigeret naturaliter occupare locū infinitum. Iam minor præcipua probatur, & ſimul impugnātur qui illā negant, cùm aliūde aſſerant infinito molis repugnare clauſuram intra duos terminos. Etenim omne corpus naturaliter occupans locū, neceſſario continetur intra duos terminos immediatos ſibi ex parte eiuſdē loci. Sed impoſſibile eſt corpus contentum intra duos loci terminos occupare locū infinitū. Ergo & impoſſibile eſt corpus idē naturaliter occupare locum infinitum. Maior patet ex definitione loci, conſiſtentis in vltima ſuperficie corporis continentis: ex quà neceſſariò ſequitur, vt corpus ſecundū omnē extremā ſuperficiē circumſcribatur, ac proinde terminetur a loco. Minor verò ſatis ſuperque probata eſt ſectione præcedēti, in qua oſtēdimus repugnare extenſionē corporis infinitā, ſi duobus vtrinque terminis contineatur. Ergo impoſſibile eſt corpus cōtentū intra duos loci terminos tantā extēſionē habere, vt occupet naturaliter locum infinitum.

27 *RESPONDEBIS* fortè, hoc ipſo quòd idem corpus infinitum eſſet repleturum omne ſpatium loci, tam reale, quàm imaginarium; omnino nullum præterea fore ſpatium loci à quo circumſcriberetur, & penes extimam ſuperficiē vndique terminaretur: ſicuti eo ipſo quòd aliquid eſſet ſimpliciter infinitum in duratione, ambiret omne tempus reale & imaginarium, ita vt non relinqueret locum vt vtrimque terminaretur a duplici inſtanti, altero præcedenti, & altero ſubſequenti, quia nullum eiuſmodi inſtans eſſet.

28 *SED Contrà.* Impoſſibile eſt corpus idem occupans omne ſpatium loci reale & imaginarium ſimul. Ergo impoſſibile eſt idem corpus nō terminatum vndique a ſpatio reali, vel imaginario. Conſequentia patet, tum ab everſione prælactæ

ſolu-

ſolutionis, tum ex argumento præcedenti. Antecedēs probo multipliciter. *Primò*: Quia impoſsibile eſt corpus omnino incapax additionis quantitativæ (loquor de corpore mathematico) cùm de ratione quantitatis ſit potētia paſsiva vt addatur, vel diminuatur; nullaque ſit veroſimilis repugnātia, vt poſita in rerum natura qualibet quantitate abſolutè poſsibili, nequeat illi Deus addere circunquaque vnicum palmū extenſionis, tam in ordine ad ſe, quā circa locum, nec ſi poteſtate abſoluta vti velit. At corpus idem replens omne ſpatiū loci reale & imaginariū, eſſet omnino incapax additionis vnius palmi in ordine ad ſe & circa locū, etiā in ordine ad potentiam abſolutā Dei; ſicut & ipſe Deus nequit eſſe præſens in ſpatio ampliori, quàm reali & imaginario ſimul. Ergo impoſsibile eſt idem corpus replere ſimul omne ſpatium reale & imaginarium. *Secundò* probatur idem antecedens ex cōmuni Patrum doctrina, negantium contra Vbiquiſtas hæreticos, poſſe aliquod corpus eſſe vbique, aſſerentiumque id Deo veluti propriam ipſius excellentiam, de quo aliquid libabimus *diſput*. 26. Corpus autem idem replens ſimul omne ſpatium reale & imaginarium, eſſet planè vbique. *Tertiò*. Quia impoſsibile eſt vnum aliquod corpus neceſsitans Deum ne poſsit naturaliter comproducere aliud corpus: ſicut impoſsibilis eſt creatura neceſsitans Deum ne poſſit naturaliter aliam creaturam cum ipſa ſimul producere. At corpus occupans ſe ſolo omne ſpatium loci reale & imaginarium, neceſsitaret Deum ne poſſet naturaliter comproducere aliud corpus: quia quodcumque aliud corpus producatur naturaliter, debet occupare locum non occupatum ab alio corpore, & non penetrari cum illo. At vbi corpus infinitum occupat omne ſpatium reale & imaginarium, non relinquit locum occupandum naturaliter ab alio corpore. Ergo neceſsitat Deum ne poſsit naturaliter producere aliud corpus.

29 *DICES*, Deum adhuc poſſe ſimul producere aliud corpus, illudque ponere in loco ipſo corporis infiniti rarefaciēdo illud & per conſequens faciendo in eo locum, quem naturaliter occupet aliud corpus. *SED Contrà I.* Pone corpus infinitum eſſe valde ſolidum, quodque vix patiatur rarefactionem, niſi ad ſummum levem, & ferè nullam. Certè Deus in eo eventu vix poterit naturaliter producere, niſi ad ſummum corpuſcula levia, quæ interiſciantur partes eius corporis tenuiter rarefactas. *CONTRA II.* & vrgētius. Omne corpus eo ipſo, quòd rareſiat, occupat maiorem locum: vt patet in oleo, aquâ, & alijs ſimilibus. Sed corpus ſe ſolò occupans omne ſpatium reale & imaginarium, non poſſet iam occupare maiorē locum, vt patet. Ergo neque poſſet rarefieri: ac proinde nec relinquere ſpatiū loci occupandum naturaliter ab alio corpore. *CONTRA III.* Si eiuſmodi corpus poſſet rarefieri, poſſet ſimiliter cōdenſari, ac proinde occupare minorem locū. Pone igitur corpus illud condenſatum occupare vndique ſpatium vno palmo minus quā antea. Tunc rogo, aut maneret infinitè extēſum in ordine ad locū, aut non? Si ſecundū; ergo ob defectū ſpatij vnico palmo maioris deſinit eſſe actu infinitum, & finitum in extenſione redditur: quod ex omnium cōſenſu repugnat, & ſuperiùs reiectum eſt. Si primū; ergo iam corpus circunſcriptum, & vndique terminatum à ſpatio imaginario vnius palmi eſſet infinitū. quod ex præiactis conſtat eſſe chimæricū, & pariter contra ſenſum omnium. Sive enim docti ſint, ſive indocti, nomine infiniti in actu ſolū accipiunt id, quod caret actu terminis coercentibus, ita vt nullis circunſcribatur contineaturvè in eo genere, in quo infinitū eſt.

30 *CONFIRM.* Argumentum præcipuū. Pone etenim corpus illud infinitè extenſum dilatari abſque vllo termino ſimul ad Orientem & Occidentem, Aquilonē & Auſtrum. Certè poterit Deus illud dividere in duas medietates, etiam infinitas; ac ſimiliter in quatuor fruſta ad modum crucis, pariter infinita, quarum ſingula ſolùm extendātur ſine fine verſus aliquam mundi partem. Hæc enim omnia neceſſaria ſunt ex hypotheſi, & ex cōmuni ſenſu probata manent *n*. 8. Modò ſic. Illud fruſtum, ſive quarta corporis pars infinita a parte Orientis, moveatur tota à Deo verſus Occidentem; & præterea omnino ſolida ſupponatur, & quæ ſine fractione aliqua, aut inflexione partium, ſimul moveatur, vt in rota ferrea contingit. Certè tunc quantūm finiti ſpatij adquiſierit à parte proxima Occidentis, circa quam movetur, tantundem ſpatij deleret a parte Orientis, à qua avellitur. Ergo iam eo ipſo terminabitur duplici loco, altero ex parte Orientis relicto; altero ex parte Occidentis adquiſito per motum: atque adeò erit ſimul & non erit in ordine ad locum infinita.

31 *POSTERIOR* Aſſerti pars ſuadetur, non ſolùm ratione hucuſque propoſita, quæ facilè adaptari poteſt; ſed inſuper alio diſcurſu. Nulla multitudo corporū

non penetratorum poteſt occupare ſimul omne ſpatium reale & imaginariũ: ſed neceſſario debet relinquere vndiq; aliquid ſpatij, ſaltem imaginarij, à quo terminetur & circumſcribatur. Sed omnis multitudo corporum vndique terminata & circumſcripta à ſpatio loci debet eſſe quoad locum finita, non vero infinita. Ergo nulla multitudo corporum non penetratorũ poteſt eſſe quoad locum infinita, ſed ſolum finita. Minor cũ conſequentia patet. Maior vero probatur. Ponamus multitudinẽ illam corporum non penetratorum, conſtare ſolum lapidibus vnius palmi. Certè potuiſſet Deus producere totidem lapides duplici palmo conſtantes eadẽ prorſus facilitate: ac proinde multitudo illorum non penetrata occuparet ſpatium duplo maius, quam ſit ſpatiũ repletum à multitudine infinita lapidum vnius palmi, vt ex ſe liquet. Ergo hæc multitudo non occupabat antea totum ſpatiũ reale & imaginarium ſimul. Si enim illud occuparet, non eſſet locus ampliori ſpatio totidem lapidum duplò maiorum. Ergo illud maius ſpatium erit circũferentia & terminus vndique circundans ſpatium minorum lapidum: ac proinde minores lapides, inter ſe non penetrati, neutiquam occupabant ſpatium infinitum, ſed finitum; vtpotè circumſcriptum à maiori ſpatio loci.

32. *CONFIRM.* Pone infinitos montes non penetratos, & in vnoquoque formicam vnam. Poſteà, deſtructis montibus, coniungat Deus formicas omnes in locum vnum. Certè ille infinitus erit, tum quia conſtabit partibus aliquotis ſpatij determinatæ magnitudinis, & non ſe includẽtibus invicem: tum etiam quia ſolùm finitè diſtabit à ſpatio montium, ſicut ſpatium cuiuſque proprij montis. Ergo iam ſpatium infinitarũ formicarum, ſi in vnum locum colligantur, ambietur & circũſcribetur à priori ſpatio montium, ac proinde non erit infinitũ, contra ſuppoſitionem; aut certè erit ſimul finitum & infinitum contra omnem veritatẽ. Neque enim ſine riſu excipiendũ, quod Maior ait *in 1. diſt. 4. quæſt. 3.* formicas omnes in vnum locum redactas, occupaturas tantundem ſpatij, ac omnes montes, in quibus antea erant: ſimiliterque omnes vngues infinitorum hominum repleturos tantùm ſpatij, ac homines ipſos. Hoc enim non eſt defendere poſsibilitatẽ infiniti rationabiliter, ſed illam ludibrio doctorum indoctorumque hominum exponere.

33 *CONFIRM. II.* ſeu vrgetur ampliùs eadem ratio. Productis iam infinitis formicis, vnaquaque intra proprium ſingularemque montem, penetret Deus quãtitatem formicarũ ex vna parte, & ex alia quantitatem eorundem montium. Certè quantitas omnium formicarum nequibit commenſurari adæquatè cum quantitate omnium montium, ita vt totidem partes aliquotæ ſint in priore, ac in poſteriori quãtitate: ſed neceſſum erit quantitatem montium excedere quantitatem formicarum, quantum quilibet mons vnamquamque formicam excedit. Ergo tunc tota formicarum quantitas erit actu finita, vtpotè alia maiori circumſcripta & comprehenſa. Eadem verò ratio eſt de eiſdem montibus: Quia ſi ſemel illi in numero infinito poſsibiles ſunt, etiam poſsibiles erunt alij infiniti montes incomparabiliter maiores, quorum quantitas penetrata cum illis prioribus eam comprehenderet & circumſcriberet intra ſe, ſicuti mons comprehendere poteſt formicam. Cumque de alijs montibus & alijs maioribus ac maioribus idem argumentum fieri poſsit, tandem deprehenditur omnimoda repugnantia infinitorum montium, quorum quantitas invicem penetrata ſit.

SECTIO QVARTA.

Impoſsibile eſſe vnicum corpus actu infinitum, conſtans partibus inter ſe penetratis; ſimiliter & infinita corpora penetrata.

34 Ex Dictis colliges contra nonnullos Recentiores, & præcipuè contra Oviedum, hucuſque nobis amicum, repugnare vnum corpus infinitum, cuius partes ſint penetratæ ita, vt finitum loci ſpatium occupent. *Primò*: Quia hoc ipſo quòd quantitas alicuius corporis ſit actu infinita exigit naturaliter occupare infinitum loci ſpatium, eſto illud per accidens & de facto non occupet ratione miraculi penetrationis. Ergo exigit naturaliter occupare tantùm ſpatij, vt à nullo alio maiori, neque reali, neque imaginario circumſcribi poſſit: nam ſpatium quod ab alio circumſcribi poteſt, nequit eſſe actu infinitum, vt hucuſque pluribus demonſtratum eſt. At ſimiliter oſtenſa manet repugnantia vnius quãtitatis exigentis naturaliter occupare ſpatium omne reale & imaginarium ſimul. Ergo & repugnat infinita alicuius corporis quantitas, quãquam illa ſit penetrata. *Secundò*. Repugnat cauſa formalis illativa alicuius effectus naturaliter loquendo, vbi talis effectus eſt omnino chimæricus & repugnans: idemque eſt de cauſa efficiente: tũ quia om-

omnis effectus inferibilis naturaliter ex aliqua cauſa, debet in eius virtute contineri, & nulla virtus realis cauſæ continet effectum omnino chimæricum ac repugnantem: tum etiam quia alioqui dicere poſſes hominē habere virtutem naturaliter productivam hippocentauri, quamquā hic repugnet; & capacem volandi, quamquā alarum incapax ſit. At extenſio infinita in ordine ad locū eſt non minùs repugnans, quā hippocētaurus, & quævis alia chimæra, vt nobiſcum ſtatuunt prædicti Authores. Ergo repugnat infinita quantitas, quæ vel in ratione principij formalis, vel efficientis, ſit illativa naturaliter infinitæ extenſionis in ordine ad locum. *Tertiò*: Quanquam dicamus cum aliquibus Omnipotentiam habere virtutem conditionatam ad producendam chimærā, ex hypotheſi non repugnantiæ ipſius; nòn tamen abſolutam: quia poteſtas abſoluta cauſę efficientis, tam increatæ, quàm creatæ, ſolùm eſt ad effectum abſolute poſsibilem, & nullo ex capite repugnantem. Atqui effectus infinitæ extenſionis in ordine ad locum non eſt abſolutè poſsibilis, ſed omnino repugnās, vt ſupponimus. Ergo nec poſsibilis eſt cauſa eius effectꝰ abſolute illativa, qualis ſine dubio eſſet quātitas actu infinita, quamvis miraculoſè penetrata infinitam extenſionē non inferret: ſicuti quantitas palmaris abſolute & naturaliter illativa eſt palmaris extenſionis circa locū, quanquam ratione penetrationis miraculoſæ ſuarum partium poſsit nullam aut minorem inferre extenſionem. Mitto alias impugnationes, quæ ex præcedentibus elici poſſunt.

35 *COLLIGES II.* & cohærenter, repugnare multitudinem infinitā corporū invicē penetratorū. Ideo enim nuper probata eſt repugnantia vnius corporis infiniti quanquam conſtantis partibus inter ſe penetratis, quia repugnat vna quantitas exigens naturaliter extenſionem loci impoſsibilem, qualis eſt infinita. Sed etiam infinita corpora inter ſe penetrata exigerent naturaliter extenſionem loci impoſsibilem; ſcilicet, infinitam. Ergo etiam repugnant infinita corpora inter ſe penetrata. Probatur minor: Quia poſitis infinitis corporibus, vnius palmi v.g. quilibet illorū naturaliter exigeret vnum palmum extenſionis localis, ac realiter adæquatè diſtinctæ ab extenſione palmari alterius; quanquam per accidens & miraculoſè illam ſibi propriam non vendicaret. Sed infinitæ extenſiones loci palmares, & adæquatè diſtinctæ conſtituerent extenſionem loci infinitam, vt patet, maximè ſi inter ſe cōtinuarentur, quemadmodum & ijdem palmi quantitatis inter ſe continuati efficerent quantitatem vnam actu infinitam. Ergo infinita corpora inter ſe penetrata exigerent naturaliter extenſionem loci impoſsibilem; ſcilicet, actu infinitam.

DENIQVE Doctrina hucuſque tradita toto diſputationis progreſſu, novum robur mutuabit ex dicendis circa infinitum multitudinis & intenſionis decurſu ſequentium diſputationum. Nunc ea tantùm argumenta proponam & diluam, quæ ſpeciatim tendunt ad probandam poſsibilitatem corporis infinitè extenſi.

SECTIO QVINTA.

Argumenta oppoſita obijciuntur & ſolvuntur.

36 POSSET Obijci contra doctrinam præcedentem difficultas illa, quæ oritur ex compoſitione continui Ariſtotelici, cuius partes eo ipſo quòd ſint abſque fine dividuæ, debent habere infinitam extenſionem. Sed negatur ſequela iuxta doctrinā diſputationis 34. præſertim à *n.* 21. vbi ex profeſſo probamus, eam illationem nullam eſſe. Poſſet vlterius opponi, data poſsibilitate mundi ab æterno quòad permanentia & ſucceſſiva ſimul, poſsibilem quoque eſſe quantitatem, quæ ſingulis diebus accepiſſet augmentū vnius palmi vſq; hodie; ac proinde, cùm præceſsiſſent dies infiniti, conſtaret quantitas hodie infinitis palmis, eſſetque per conſequens actu infinita. Sed de bonitate aut inefficacia huius illationis agendum eſt *libr. 8. inferius*. Interim poteris iure ac meritò negare opinionē illam, quæ docet potuiſſe tempus & motū eſſe ab æterno. Nam præter graviſsima fundamenta, quæ ſunt ad eam reijciēdam, vt ibidē conſtabit, vix, aut ne vix quidem liberari poteſt ab abſurdo infiniti in actu, quod extiturum colligitur ex argumento nunc indicato. Quare ſupereſt alia quædam obijcere ac diſſolvere.

37 *OPPONES I.* Quantitas eſt infinita in potentia penes additionem, ita vt poſsit in infinitū augeri. Ergo poterit eò devenire tandē, vt ſit infinita in actu: quia ex poſsibili poſito in actu nullū ſequitur abſurdū, & fruſtrà eſt potentia, quæ in actū reduci non poteſt. *RESP.* cōceſſo antecedente, negādo cōſequentiā: quia augmentū actu infinitū, ſicut nō eſt poſsibile, ſic repugnat poni reipſa & actu. Ex eo itaq; quod quantitas ſit infinita in potētia, ſolum infertur capacitas

ad actum tali potentiæ correſpondentem; qui eſt maius, ac maius augmentum ſine termino negativè, quatenus nullum poſsit aſsignari, quin reſtet aliud & aliud poſsibile maius ac maius: non vero augmentum aliquod ſummum, & quo nullum maius. Sic quælibet res permanens eſt infinita in potentia ſecundùm durationem a parte poſt, & tamen nunquam reduci poterit ad actũ adæquatum durationis infinitæ, ſed ad inadæquatum tantùm durationis finitæ maioris ac maioris. Vniverſimque infinito in potentia repugnat collectivè & adæquatè in actum reduci; quia ſolùm exigit capaxque eſt, vt ſucceſsivè reducatur in actum inadæquatum. Quod ſufficit ne potentia illa fruſtranea ſit: quia non eſt potentia ſimultatis, ſed ſimultas potentiæ, vt communiter dicitur. Cuius doctrinæ plura alia exẽpla, quia cuique obvia, prætermitto.

38 *DICES*: Poteſt quantitas eò devenire vt ſit maxima omniũ abſolutè poſſibilium. Sed quantitas maxima omnium abſolutè poſsibilium eſſet iam infinita in actu. Ergo poteſt quantitas eò devenire, vt ſit infinita in actu. Conſequentia patet, & minor ſimiliter: Quia quãtitas maxima omnium abſolutè poſsibilium, iam eſſet adæquatè in actum additionis reducta ſecundùm omnem ſui potentiam paſsivam infinitam. Ergo iam eſſet infinita in actu. Maior probatur: nam inter omnes quantitates abſolutè poſſibiles, & invicẽ inæquales, aliqua debet eſſe omniũ maxima, aliqua etiã omnium minima. *RESP*. Negando maiorem: quia nulla quãtitas inter abſolutè poſſibiles determinata aſsignari poteſt, quã maior alia & alia infinitum aſsignari & produci non poſsit intra totam illam vagam collectionem quantitatum abſolutè poſsibilium; cùm de ratione quantitatis cuiuslibet ſit potentia paſſiva ad additionem & diviſionem ſui. Vnde nec aliqua omnium poſsibilium minima aſsignabilis eſt. Quod etiam neceſſariò, admiſſa infinitate, dicere tenentur Adverſarij: quia & in ipſorũ opinione nequit aſsignari quantitas infinita omnium infinitarũ poſsibilium maxima, omniumque infinitarum poſsibilium minima. Non maxima: quoniam ſupra quamlibet actu infinitam adhuc locus eſt Omnipotentiæ Dei, vt aliam maiorẽ producat, vel illam ipſam magis ac magis augeat, incremento ſaltem materialiter ſe habente ad rationem infinitatis. Non minima: quia cum demonſtratum ſit à *n*.8. quodlibet infinitum debere conſtare ex infinities infinitis, numquam aſsignari poterit infinita quãtitas omnium infinitarum minima: ſed adhuc diviſibilis erit penes infinitas quantitates minores, & minores, vt partes ſui; quanquam per totam æternitatem dividatur ſingulis horis. Aliàs tandem aliquod infinitum omnium minimum conſtaret duplici medietate finita, & divideretur adæquatè in vtramque. quod apertè repugnat. Plura quæ huic ſolutioni obſtare poſſunt, obijciam à ſimili & diſſolvam *diſp*.24. *ſect*. 4. & 5. Sed præter illa,

39 *INSTABIS*: In illa collectione omnium quantitatum maiorum & maiorum abſolutè poſsibilium, nulla eſt æqualis alteri, vt patet; neque omnes illæ excedũtur ab alia maiore: quia extra collectionem omnium quantitatum poſsibiliũ maiorum & maiorum nulla alia maior eſt, ſicut extra totam collectionem creaturarũ nulla alia creatura eſt. Ergo in illa collectione omnium quantitatum poſſibilium maiorum & maiorum aliqua eſt, quæ non exceditur ab alia. Patet conſequentia ex ſecunda antecedentis parte: Quia iuxta regulam illam Sumularum, particula *non omnis* æquipollet huic, *aliquis non*: & rectè infertur ex eo quòd non omnis homo ſit albus, quòd aliquis homo ſit non albus, ſeu carẽs albedine. Ergo pariter ex eo quòd in tota collectione quantitatum abſolutè poſſibilium, maiorum ac maiorum, non omnes illæ excedantur ab alia maiore, rectè infertur aliquam eſſe in illa collectione, quæ nõ excedatur ab alia. Ergo aliqua eſt ſumma inter omnes abſolutè poſsibiles, ac proinde infinita.

40 *RESP*. conceſſo antecedente quò ad primam partem, diſtinguendo illud quò ad ſecundam. Non omnes quantitates intra illam collectionem exceduntur ab alia maiore, quæ ſit extra ipſam collectionem; concedo: quia extra totam illam collectionem, nulla alia quantitas maior eſt poſsibilis. Non omnes quantitates eius collectionis exceduntur ab alia maiore eiuſdem collectionis; ſubdiſtinguo: Si omnes collectivè ſumantur concedo: ſi ſeorſim & diviſivè ab alijs; nego. Et diſtinguo conſequens: In illa collectione omnium quantitatum poſsibilium maiorum & maiorum aliqua eſt quæ non excedatur ab aliâ; extra ipſam collectionem, concedo: intra ipſam, nego. Etenim licèt collectio illa contineat omnes quantitates poſsibiles maiores & maiores, vno palmo gradatim, v.g. ac proinde extra ipſam repugnet quantitas aliqua maior; adhuc ſingulæ quantitates in ea cõtentæ excedunt & excedũtur, quin aliqua

ſit

ſit purè excedens, aut tantùm exceſſa. Quātitas enim vnico palmo conſtans verſus infimum, licèt non excedat aliam palmarē, excedit ſemipalmarem. Et verſus maximum, quælibet quantitas aſsignetur, ita excedet vnam minorem, vt tamen excedatur ab alia maiori; idemque eſt de hac, & alia, & alia in infinitum verſus maximum intra totam eam collectionem. Sicuti in decurſu æternitatis à parte pòſt, licèt non omnis collectio durationum maiorum futurarum excedatur ab alia futura; adhuc quælibet duratio determinata ita excedit vnam minorem, vt reſtet intra ipſam collectionem alia maior duratio futura, à quà excedatur. Id quippe vni verſim eſt de ratione infiniti in potentia, tum collectim, tum & diviſim per membra conſiderati.

4 OPPONES II. Non eſt contra, ſed iuxta naturam quātitatis, quod ſit actu infinita. Ergo poteſt Deus quantitatem facere actu infinitam. Probatur antecedens: Tum quia finitas & infinitas ſunt proprietates quantitatis: Tum quia iuxta naturam lineæ curvæ eſt quod infinita ſit, quia cùm careat extremitatibus, ab eis nequit limitari. At quamlibet lineam curvam poteſt Deus facere, rectam. Ergo facere vt linea aliqua recta ſit infinita. *RESP.* Negando antecedens, quod, etiam opinione contrariorum, debet eſſe falſum: cùm aſſerant Deum ſecundùm potentiam ordinariam non poſſe facere quantitatem actu infinitā: cuius tamen oppoſitum foret dicendum, ſi infinitas in actu eſſet iuxta naturam quantitatis. Ad primam probationem dico proprietates quantitatis eſſe finitatem in actu, & infinitatem in potentia. Ad ſecundam nego lineam curvam eſſe propriè infinitā. Solum itaque dicitur infinita negativè, atque impropriè, quatenus non habet terminos certos, ſeu extrema poſitiva, vltra quæ tranſire non poſſit, licèt in re & de facto quælibet linea curva certis terminis finiatur, intra quos continetur actu.

PLVRA Alia argumenta peti poſſunt ex proponendis vtraq; diſputatione ſequenti, a paritate quantitatis diſcretæ & qualitatis. Sed ſolutio ibidem aſsignanda ad negandum infinitum in actu ſecundùm numerum & intenſionem, facili negotio adaptari poterit quantitati continuæ.

DISP. VIGESIMASECVNDA:

DE INFINITO IN ACTV PENES NVMERVM.

An repugnet, etiam ſecundùm poteſtatem Dei abſolutam?

Num. 1. *VIDIMVS Iam repugnantiā quæ eſt in infinito magnitudinis, ſive vnius, ſive plurium. Nunc de infinito ſecundùm numerum, ſeu multitudinem, idem veſtigandum eſt: ſive talis numerus ſit prædicamentalis, & ex pluribus quantitatibus continuis reſultans; ſive ſolùm tranſcendentalis, vt ex multitudine infinità Angelorum. Porrò numerum rerum actu infinitum repugnare tradit Ariſtoteles hoc* lib. 3. *pluribus locis, præſertim* cap. 5. textu 40. *verbis infrà expendendis. Sequuntur ipſum S. Thomas iiſdem locis, & Authores omnes quos allegavimus diſputatione præcedenti* num. 2. *Ex oppoſito autem relati ibidem* num. 3. & 4. *cenſent, abſolutè poſsibilem eſſe multitudinem, ſeu numerum rerum actu infinitum. Videantur eo loco allegationes vtrorumque, quas repetere nolumus, ne eadem exſcribere opus ſit. Recolenda etiam ſunt, & inſtio huius diſputationis adaptanda, quæ ibidem præmiſsimus à* num. 5. vſque ad 11. *Habet locum diſp. hoc* lib. 3. à c. 4. *vſque in finem libri.*

SECTIO PRIMA.

Repugnare omnino infinitum multitudinis rerum corporearum, qualitercumque ponantur.

2 SIT I. *Aſſertio.* Multitudo actu infinita rerum corporearum, omnino repugnat, ſive illæ ſint non penetratæ, ſive etiam penetratæ inter ſe.

PRIOR Aſſerti pars probatur breviter. Eo ipſo quod eſſet multitudo actu infinita corporum non penetratorum inter ſe, repleret infinitum locum, ſeu haberet extenſionem in ordine ad locum actu infini-

nitam. Sed repugnat omnino extenſio in ordine ad locum actu infinita. Ergo & omnino repugnat multitudo actu infinita corporum non penetratorum inter ſe. Maior eſt Manifeſta: Quia ſi eſſet multitudo actu infinita corporum non penetratorum, vnumquodque illorum repleret propriam ſui ſpatij portionem, deſignatam ſeorſim, & adæquate diſtinctam a portione ſpatij correſpondentis cuilibet alteri illorum corporum. Sed extenſio reſultans ex infinitis portionibus loci, deſignatis ſeu diſtinctis, neceſſariò debet eſſe actu infinita; præſertim ſi omnes illæ continuarentur, aut fierent contiguæ, vt reuera poſſent: quemadmodum ex infinitis partibus aquæ, deſignatis ſeorſim, & adæquate diſtinctis, ſi in vnum coirent, reſultaret magnitudo infinita aquæ. Ergo eo ipſo quod eſſet multitudo infinita corporum non penetratorum inter ſe, repleret ſpatium infinitum, ſeu haberet extenſionem in ordine ad locũ actu infinitam. Idque evidentiùs adhuc cernitur in infinitis palmis eiuſdem corporis, nõ penetratis inter ſe, quibus abſque dubio reſponderent infiniti palmi extẽſionis quò ad locum infinitæ. Iam minor præcipui ac primi ſyllogiſmi fuſè probata manet diſputatione præcedenti *num.* 31. 32. & 33. Relege ibidem. neque enim pœnitebit.

3 *POSTERIOR* Pars ſimiliter conſtat; ex dictis ibidem *num*: 41. & tribus ſequentibus: Quia repugnat, ſiue vnum corpus conſtans partibus penetratis, ſiue etiã plura inter ſe penetrata, quæ naturaliter exigant extenſionem infinitam actu in ordine ad locum, quanquam dicantur miraculosè & de facto illam non habere. Sed infinita corpora inter ſe penetrata, naturaliter exigerent infinitam actu extenſionẽ in ordine ad locum, quanquam dicantur miraculosè & de facto illam non habitura. Ergo repugnant infinita corpora inter ſe penetrata. Tota difficultas eſt in ſuadendà maiore, quam eo loco fusè probatam habes.

4 *DEINDE* Vniverſim probatur cõcluſio: Quia repugnat multitudo infinita palmorum quantitatis in eàdem longitudine, aut lineà; ſiue palmi dicantur penetrati inter ſe, ſiue non. Ergo & vniverſim repugnat multitudo infinita rerum corporearum, ſiue inter ſe aſſerantur penetratæ, ſiue non. Conſequentia patet, non tam à paritate, quàm ab identitate ſubiecti, & rationis formalis: quia palmi infiniti quantitatis ſunt infinitæ res corporeæ invicem ſeparabiles, & actu diſtinctæ. Antecedens verò probatur. Repugnat enim longitudo infinitis palmis conſtans verſus Orientem v. g. quorum vnus ſit albus, alter vero niger ordine ſuo, & gradatim per totam illam. Quod ſic ſuadetur. Si enim eiuſmodi longitudo non repugnaret, poſſet Deus ſecernere partes albas a nigris, & nigras continuare verſus Orientem, vt antea; albas vero verſus Occidentem, ita vt a prima nigrà incipiant albæ. Hoc autem repugnat: quia cùm quælibet longitudo illarum medietatũ deberet eſſe infinita, altera verſus Orientem, & verſus Occidentem altera (ex duabus enim medietatibus finitis longitudinis nequit reſultare longitudo actu infinita) fieret demum, eandem longitudinem ex palmis albis nigriſque coaleſcentem, quæ antea ſolùm erat infinita verſus Orientem, abſque aliquà ſui additione, vel rarefactione, reddi poſtea infinitam verſus Orientem & Occidentem ſimul. Scilicet, ratione medietatis ex partibus albis coaleſcentis redderetur infinita verſus Occidentem; ratione vero alterius medietatis ex partibus nigris, infinita maneret Orientem verſus, vt antea. Id autem apertè repugnare videtur. Ergò & quòd detur infinita multitudo partium palmarium in eadem longitudine, aut lineà.

5 *RESPONDET* Vazquez 1. *part. diſput.* 26. *cap.* 8. concedendo illam longitudinem protendendam iri ad Occidentem, & Orientem ſimul, citra vllum abſurdum. Non enim infertur, occupaturam modo ſpatium maius, modò minus: quia cùm ſpatium occupatum ſit infinitum in vtroq; caſu, in neutro poteſt dici lineam occupare maius ſpatium, quàm in altero; quoniam vnum infinitum altero propriè maius non eſt. *SED Contrà.* Iam enim *diſput. præced. num.* 11. *& diſput.* 20. *à num.* 35. multipliciter demonſtratum manet, poſſe ac debere vnum infinitum eſſe maius alio materialiter & quantitativè, licèt non in ratione formali infiniti. Evidentiſsimumque eſt, caſu quo exiſterent infiniti montes inter ſe continuati, & ſingulæ formicæ in vnoquoque monte, has non occupaturas tantundem ſpatij, ac montes ipſos quanquã & formicis correſponderet ſpatium infinitum. Similiterque evidens eſt, illos montes diminutos vſque ad medietatem ſui, ſolùm occupaturos dimidiam partem ſpatij, ac antea; quanquam ſemper infinitam; non autem æquale ſpatium; quia omne totùm eſt maius ſuà parte, & omne duplum occupat duplex ſpatium ac dimidium ſui. Ergo longitudo quæ ſolùm erat infinita ver-

verſus Orientem non poteſt abſque ſui additione, aut rarefactione, occupare tantundem ſpatij, ac ſi a principio fuiſſet duplo maior, & ſimul infinita verſus Orientem & Occidentem. Seu, aliter: Ergo repugnat dimidiam illius lineæ partem ex palmis nigris conſtantem, occupare poſtea totum illud ſpatium infinitum, quod antea occupabat integra linea, & duplò maior medietate ſui.

6 *RESPONDENT* Alij cum Lynce *lib. 7. tract. 4. cap. 2. num.* 20. inconveniens non eſſe, eandem longitudinem modò ſolùm protendi verſus Orientem in infinitum, modò verſus Orientem & Occidentem ſimul; quia exinde non infertur occupaturam duplum aut maius ſpatium quam antea, abſque additione aut rarefactione ſui: ſiquidem tota illa extenſio eſſet circa ſpatium imaginarium, quod propriè non occupatur, neque propriè ac verè ſpatium eſt.

7 *SED Contrà I.* Quia de ſpatio imaginario, ſive finito, ſive infinito, quanquam verum & reale non ſit, perinde & non aliter loquendum eſt in ordine ad menſurandum corpora locata, & circa extenſionē, magnitudinem, diſtantiam, atque indiſtantiam ipſorum, ac de ſpatio vero & reali. Sic enim Mathematici, ſic & Philoſophi frequenter loquuntur. Ergo quemadmodum repugnat vnicum palmum quantitatis abſque additione aut rarefactione extēdi ad duos palmos ſpatij realis, ſic etiam ad palmos duos imaginarij ſpatij. Ergo & pariter repugnat lineam palmorum innumerabilium quæ antea ſolùm erat infinita verſus Orientem, poſtea abſque additione aut rarefactione ſui extendi infinitè ac ſimul in Orientem & Occidentem. *Contrà II.* Quanquam ſpatium imaginarium propriè non dicatur comprehendi à corpore intra illud poſito, adhuc non poſſumus cum fundamento concipere, palmum quantitatis, qui modò in ſpatio imaginario Orientis habet ſolùm extenſionem localē vnius palmi; poſtea tranſlatum ad imaginarium ſpatium Occidentis habere localem extenſionem duorum palmorum, niſi ſubeat additionem rarefactionemve. Alioqui & liceret cogitare, palmum illum, ad novum ſpatium imaginarium vtcumque tranſlatum, repleturum triplò, quadruplò, imò & infinities maiorem ſpatij alterius imaginarij partem, quam antea; cùm omnium eadem ratio ſit. Ergo pariter neque cum fundamento concipi poteſt longitudinem ex infinitis palmis albis nigriſque conſtantem, quæ antea ſolùm replebat infinitum ſpatium imaginarium à parte Orientis, poſtea abſque additione aut rarefactione ſui replere ſimul infinitum ſpatium imaginarium à parte Occidentis. *CONTRA III.* Duratio rei creatæ, quæ ſolùm eſſet æterna a parte antè, & proinde reſpondens tēpori imaginario ſolùm à parte antè infinito; non poſſet abſque additione ſui extendi ad tempus imaginarium infinitum à parte pòſt, quanquam extenſio durationis creatæ propriè ſolùm ſit in ordine ad tempus reale, non verò ad imaginarium, quòd propriè tempus non eſt. Ergo ſimiliter, licèt ſpatium imaginarium non occupetur propriè, nec ſit aliquid reale, longitudo quæ ſolum eſſet infinita à parte Orientis, ac proinde reſpondens ſpatio imaginario ſolùm à parte Orientis infinito, non poſſet abſque ſui additione extendi ad ſpatium imaginarium infinitum a parte pòſt. Conſequentia patet à ſimili, & antecedens manifeſtum eſt. Fac enim rem creatam, hominem v.g. duraſſe ab æterno, vt potuit in opinione prædicti Authoris. Certè homo in eâ hypotheſi duratione ſuâ reſpondiſſet ſolùm tempori imaginario infinito à parte antè; non verò à parte pòſt. Hodie enim annihilari poſſet à Deo, & proinde durationem ſuam amittere. Quod tamen locū non haberet, ſi duratio hodierna hominis, quemadmodum reſponderat tempori imaginario infinito a parte antè, ſic etiam & indiviſim reſponderet imaginario tempori infinito à parte pòſt.

DICES: Nullum abſurdum eſt, ſed potiùs maximè cohærēs infinitati rerū, quod longitudo infinita, modò infinitum ſpatiū à parte Orientis, modò ſimul à parte Occidentis, modò maius, modò minus, noſtro concipiendi more, intelligatur occupare. Quod ſuppoſitis noſtræ fidei principijs, Adverſarij demonſtrare audent hoc diſcurſu. Collectio pœnarum Iudæ incipiens ab inſtanti D. commenſuratur toti æternitati à parte pòſt. Sumpta igitur totâ eâ pœnarum collectione infinita, & nullâ additâ, Inquirunt, an ſi illa inciperet ab inſtanti A. tribus momentis præcedente inſtans D. adæquaret omnia inſtantia æternitatis, an non? Si primum; ergo eadem infinita collectio pœnarum Iudæ, abſque additione, aut rarefactione, modò plura, modò pauciora inſtantia ſuperventuræ æternitatis adæquat: ac proinde eadem longitudo infinita poterit modò pauciores, modò plures partes imaginarij ſpatij etiam infiniti adæquare citra vllam additionem; quæ ta-

refactione ſui. Si ſecundum dicatur; ergo collectio illa pœnarum Iudæ ab inſtanti A. inchoata non omnibus inſtantibus ſuperventuræ æternitatis correſponderet, finireturque ante tria illa inſtantia exceſſus, quo ſuperatur ab æternitate. quod planè durationi infinitæ repugnat, & doctrinæ revelatæ circa pœnas impiorum nunquam finiendas.

8 *MIROR* Inefficaciam huius obiectionis non detectam ab ipſius Authore, & multò magis vilam metas demonſtrationis attingere; cùm & aſſumptum ſit falſum, & probatio eodem vitio laboret. Etenim id quod ex aliquo capite finitum eſt, ex eodem capite terminum habet, & augeri, aut imminui poteſt. Sic, poſito duos homines duraſſe ab æterno, qui moreretur hodie duraret minùs a parte poſt, quàm qui moreretur cras: quia duratio illa eſt finita à parte poſt, & ſolùm infinita à parte antè. Sic etiam è converſo, quanquam pœnæ impiorum futuræ ſint infinitæ in æternitate à parte poſt; à parte antè ſunt finitæ, & eò diuturniores, quò priùs incœperint. Vnde & diuturniores ſunt pœnæ Iudæ à parte antè, quàm Antichriſti; quanquam à die Iudicij æternùm & æqualiter coëxtiturę ſint. Quare tota collectio pœnarum Iudæ adæquatur cum æternitate, non quomodocunque; ſed vt correſpondente omnibus inſtantibus futuris ab illo inſtanti determinato, in quo cœpit ſubire cruciatus gehennæ. Si autem collectio illa incepiſſet tribus retrò inſtantibus, adæquaretur cum ipſa æternitate vt reſpondente tribus inſtantibus retrò: adderet tamen neceſſario cruciatum in ijs tribus, quo careret Iudas, ſi collectio omnium pœnarum Iudæ inciperet tribus inſtantibus poſtea. Neque enim intelligibile eſt, collectionem pœnarum Iudæ priùs incipere, & tamen Iudam in eà priori duratione non ſubire cruciatus, quos certè non ſubiret tunc, ſi collectio pœnarum eius inciperet poſtea.

9 *VNDE* Negato antecedente, ad interrogationem factam reſpondeo, totam collectionem pœnarum Iudæ, ſi inciperet ab inſtanti A. & non ab inſtanti D. vt ſupponimus, adæquaturam omnia inſtantia æternitatis computata ab eodem inſtanti A. addituram verò cruciatum per tria inſtantia ſupra ipſam collectionem ſi inciperet ab inſtanti D. Vnde nunquam infertur, eandem collectionem omnino, adæquare modò plura, modò pauciora inſtantia æternitatis; ſed colligitur potius, quò plura, aut pauciora æternitatis ſuperventuræ inſtantia adæquentur à collectione illà, eò plures cruciatus aut pauciores in eà clau di: nec poſſe collectionem ipſam æquivalere æternitati prout ambienti plura inſtãtia a parte antè, niſi & collectio ipſa à parte antè ſubeat pœnarum additionem. Ergo potiùs relato exemplo convincitur, lineam ſolùm à parte Orientis infinitam, nõ poſſe extendi vlteriùs ad Occidentem, retento in totum veteri ſpatio, niſi à parte Occidentis ſubeat partium aliquot additionem, quibus præterea reſpondeat ſpatio Occidentali.

SECTIO SECVNDA.

Argumento ex Ariſt. & D. Thomà deſumpto ſuadetur impoſſibilitas multitudinis quarumcumque rerum in actu infinitæ.

10 *SIT II. Aſſertio.* Etiam rerum incorporeatum, & quarumlibet vniverſum, repugnat multitudo actu infinita.

RATIO Præcipua deſumitur ex Ariſtotele hoc 3. lib. cap. 5. textu 40. illis verbis: ἀλλὰ μὴν οὐδ᾽ ἀριθμὸς οὕτως ὡς κεχωρισμένος καὶ ἄπειρος, &c. *At neque numerus ita, vt ſeparatus & infinitus. Etenim numerus, aut id quod numerum habet, numerari poteſt. Si igitur fieri poteſt vt res numerabilis numeretur, infinitum quoque poterit tranſiri.* Quod argumentum alijs verbis a D. Thoma pro hac ipſa doctrinà proponitur 1. p. q. 7. art. 4. quia ſi datetur infinita multitudo, non haberet vltimam vnitatem, ac proinde non eſſet in ſpecie aliqua numeri, quæ ſemper ab vltimà vnitate deſumitur.

11 *EX* His ſub hanc formam argumentum inſtituo, quo præoccupantur evaſiones Adverſariorum, vt proinde ſingulas referre & impugnare non ſit neceſſe. Omnis numerus rerum abſolutè poſſibilis, debet eſſe in aliqua ſpecie determinatà quantitatis diſcretæ. Sed nulla multitudo actu infinita debet, aut poteſt eſſe in aliquà ſpecie determinatà quantitatis diſcretæ. Ergo nulla multitudo actu infinita eſt abſolutè poſſibilis. Conſequentia eſt in ſecundo modo ſecundæ figuræ. Maior conſtat multipliciter. *Primò*, Quia omnis numerus rerum abſolutè poſſibilis debet habere eſſentiam determinatã intra ſuum genus propriũ, quod eſt quantitas diſcreta. Sed nequit habere determinatam eſſentiam niſi ſit in determinatà ſpecie.

cie. Ergo omnis numerus rerum abſolutè poſsibilis, debet eſſe in aliqua ſpecie determinata quantitatis diſcretæ. *Secundò* probatur ratione illa Philoſophi: Quoniam omnis numerus rerum abſolutè poſsibilis, eo ipſo quod numerus ſit, numerari poteſt: ſiquidem numerus definitur *multitudo numerata per vnum*. Nequit autem eſſe multitudo numerata per vnum, niſi ſit in ſpecie determinata quantitatis diſcretæ: ſiquidem eo ipſo quòd ſit multitudo numerata, aſsignantur in ea tot, & non plures, neque pauciores vnitates; quod eſt propriū determinatæ ſpeciei intra genus quantitatis diſcretæ. Ergo omnis numerus rerum abſolutè poſsibilis, debet eſſe in aliqua ſpecie determinatà quantitatis diſcretæ. *Tertiò* ſuadetur eadem maior à pari omnium & quarumcunque rerum abſolutè poſsibilium, quæ neceſſario debent eſſe in aliqua determinatà ſpecie intra proprium genus; eo quòd genus ſeorſim à ſpeciebus determinatis impoſsibile eſt; vtpote quibuſcum realem identitatem habet, & inſeparabilitatem ab vnaquaque, prout ad eam extenditur. Idem ergo dicendum de quolibet rerum numero abſolutè poſsibili.

12 *IAM* Minor illa primi ſyllogiſmi, in quà diſsidium præcipuum eſſe poteſt, ſuadetur etiam diverſimodè. *Primò*, diſcurſu illo S. Thom: Quia omne quod eſt in ſpecie determinata quantitatis diſcretæ debet habere vltimam vnitatem: ſiquidem vltima vnitas eſt forma complens ac determinans ſpeciem quantitatis diſcretæ, vt patet in binario, ternario, &c. At nulla multitudo actu infinita debet, aut poteſt habere vltimam vnitatem: quia nulla multitudo actu infinita poteſt eſſe clauſa inter duos terminos immediatos, vt demonſtratum eſt tota ferè diſputatione præcedenti; ac proinde neque claudi poteſt inter primam & vltimam vnitatem. Ergo nulla multitudo actu infinita poteſt eſſe in aliqua ſpecie determinatà quantitatis diſcretæ. *Secundò* probatur eadem minor ratione Ariſtotelis: Omne enim quod in ſpecie determinata quantitatis diſcretæ, ſeu numeri, eſt; numerando poteſt pertranſiri. Ideo enim numerus eſt, quia numerari poteſt. Sed nulla multitudo actu infinita, numerando pertranſiri poteſt. repugnat enim infinito pertranſiri, cùm nullum habeat finem. Ergo nulla multitudo actu infinita debet aut poteſt eſſe in aliquà determinatà ſpecie quātitatis diſcretæ. *Tertiò*. Omne quod eſt in ſpecie aliquà determinatà, habet eſſentiā determinatam, & certā, qua poſita illud ponatur, & quà ablatà auferatur. Sed nulla multitudo actu infinitā habet eſſentiam determinatam, & certam, quà poſita ponatur, & ablata auferatur. Ergo nulla multitudo actu infinita eſt in aliqua ſpecie determinata. Maior ipſa terminorum apprehenſione dignoſcitur evidens, & conſequentia formalis eſt. Minor vero probatur; Quia cōceptus obiectivus multitudinis actu infinitæ, quò ad ipſius eſſentiam, nihil aliud eſt, quàm omnes eius partes ſeu vnitates ſimul ſumptæ & vnitæ, vt in quolibet alio compoſito cernitur. At multitudo actu infinita, ſeu conceptus eius obiectivus, non includit certas partes, quibus poſitis ponatur, & ablatis auferatur. Ergo neque habet certam eſſentiam, quà poſità ponatur, & ablata auferatur. Minorem, in quà ſola eſt difficultas, probo. Aſsignentur enim partes certæ multitudinis actu infinitæ. Sanè quæcumque aſsignentur, tales erunt, vt ijs ablatis, non ideo auferatur eſſentia infiniti, ſed æquè bene maneat ac antea. Aut enim partes quibus eſſentialiter conſtaret eſſentia infiniti, eſſent omnes infinitæ; aut omnes finitæ, aut vna finita, & alia infinita. Inter hæc enim non eſt aſsignabile medium: Si partes eſſentiales multitudinis actu infinitæ, ſunt etiam infinitæ; ergo ablatà qualibet illarum, manebit in altera partium conceptus obiectivus & eſſentialis multitudinis actu infinitæ. Si autem aſſerantur omnes finitæ, eſt aperta contradictio: quia finitum additum finito, non facit, neque conſtituit infinitum. Sed nec dici poteſt vnam partem finitam & aliam infinitam conſtituere eſſentialiter infinitum: quia finitum vt finitum eſt prorſus ineptum, vt conſtituat eſſentiam infiniti. Verùm eo gratis admiſſo, vrget illatio, quā proſequimur: Quia illa pars finita talis debet eſſe, vt quāvis auferatur, non ideo deſinat, pereatvè eſſentialis & obiectivus conceptus multitudinis actu infinitæ. Alioqui, per ablationem, additionemve alicuius finiti, deſtrueretur, fieretvè aliquid actu infinitum. Ergo de primo ad vltimum, multitudo actu infinita, ſeu conceptus obiectivus & eſſentialis illius, non includit certas partes, quibus poſitis neceſſariò ponatur, & ablatis auferatur.

13 *OCCVRRES I.* huic vltimæ probationi, & dices, partes illas quæ auferuntur, non eſſe conſtitutivas eſſentialiter multitudinis vt infinitæ in actu & ſimpliciter; ſed tantùm in eſſe talis infiniti: ſicuti vnitas numerica non eſt de eſſentia hominis vt homo eſt, ſed ſolùm vt tale individuum eſt.

Qua-

Quare ſicut ablata vnitate numericâ hominis non ideo deſtruitur obiectivus eſſentialiſque conceptus illius, ſed ſolùm individualis; ita etiam ablatâ altera partium non deſtrueretur eſſentialis & obiectivus conceptus multitudinis infinitæ, vt infinitæ eſſentialiter, ſed ſolùm ratio talis infiniti. *SED Contrà*. Diſcurſus enim præiactus non procedit de partibus infiniti in individuo conſiderati, ſed in ſpecie eſſentiali, ſeu in ratione infiniti ſimpliciter: de eoque côtendit, non conſtare certis partibus, quarũ vnâ ablata auferatur, & poſitâ ponatur: quia ſi omnes ſint infinitæ, qualibet manente aut poſita conſiſtet illius eſſentia: ſi autem omnes aut aliquæ ſint finitæ, ineptæ erunt ad eſſentiam infiniti conſtituendam, & quavis recedente non deſinet eſſe infinitum. Semper ergo evincitur, infinitũ multitudinis non habiturum eſſentiam certam in ſpecie determinatâ; quia nunquam conſtare poteſt partibus certis & eſſentialibus, quarum vna ablatâ deſtruatur eius obiectivus eſſentialiſque conceptus.

14 *OCCVRRES II.* negando, infinitum in eſſe infiniti ſimpliciter debere conſtare partibus certis & determinatis; quia hoc eſt proprium infiniti prout certi & determinati in individuo. Quare infinitum ſub ratione infiniti ſimpliciter ſufficit habere partes indeterminatas, & incertas, quæ ſimul ſumptæ conſtituant obiectivum conceptum ſeu eſſentiam infiniti. *SED Contrà*. Argumentum enim noſtrum, dum aſſumit infinitum debere conſtare partibus certis & determinatis, non procedit de partibus in individuo determinatis, ſed in ſpecie. Imò & de partibus infiniti multitudinis prout in genere eodem modo procedit, inferendo nullas eſſe, quibus illud eſſentialiter conſtet: quia quæcunque generatim aſſignentur, ſeu infinitæ ſolùm, ſeu tantum finitæ, ſeu mixtæ ex finitis & infinitis, tales ſunt, vt vnâ ablata non ideo deſtruatur eſſentia infiniti ſimpliciter & in genere; cùm tamen omnis eſſentia compoſita per ablationem cuiuſcunque partis illico diſſolvatur: Quemadmodum ſiquis probaret poſſe conſiſtere rationem totam compoſiti ſubſtantialis abſque materiâ, vel abſque formâ ſubſtantiali; planè convinceret, compoſitum ſubſtantiale in genere nô conſtitui eſſentialiter ex materiâ & formâ; incumberetque adverſario onus aſsignandi partes certas & determinatas, ſaltem in genere, quibus ratio generica compoſiti ſubſtantialis eſſentialiter conſtet. At nullæ ſunt partes certæ ac determinatæ, adhuc in genere, quibus infinitum ſimpliciter in genere multitudinis eſſentialiter conſtet. Ergo infinitum ſimpliciter in genere multitudinis nullam certam eſſentiam habet, adhuc generatim loquendo. Ergo non importat eſſentiam aliquam veram & realem, ſed purè chimæricam & repugnantijs plenam.

15 *CONFIRMATVR I.* eadem probatio. Nequit enim eſſe aut intelligi eſſentia aliqua compoſita, conſtans partibus, quæ non ſint de ipſius quidditativo conceptu. Sed ſi poſsibilis foret multitudo actu infinita, dabilis intelligibiliſque eſſet aliqua eſſentia conſtans partibus, quæ non eſſent de ipſius quidditativo conceptu. Ergo nequit eſſe aut intelligi eſſentia multitudinis actu infinitæ. Maior ex terminis innoteſcit: quia partes cuiuslibet eſſentiæ compoſitæ, ſunt de conceptu ipſius quidditativo, vt patet ex notione propria partium eſſentialium, & ab inductione in omni eſſentiâ non ſimplici. Minorem probo. Si enim poſsibilis foret multitudo actu infinita, eius eſſentia deberet conſtare duplici vt minimùm parte, ſeu medietate, quarum quælibet eſſet actu infinita: quia medietas finita alteri medietati finitæ addita nequit conſtituere infinitum. Atqui eo ipſo neutra medietatum eſſet de ipſius eſſentiæ compoſitæ quidditativo conceptu. Ergo dabilis eſſet aliqua eſſentia compoſita ex partibus, quæ non eſſent de quidditativo ipſius conceptu. Probatur minor, in quâ ſolâ eſt difficultas: Quia ablata vnâ aut alterâ medietatum infinitarum, in eâ quæ ſupereſſet, ſalvaretur tota eſſentia compoſita multitudinis actu infinitæ penes quidditativum ſui conceptum: ſiquidẽ & illa infinita medietas conſtaret duplici dimidietate etiam actu infinitâ; idemque eſſet de quavis media parte ſingularum dimidietatum, & ſic in infinitum. Ergo ſi poſſibilis foret multitudo actu infinita, eius eſſentia conſtaret duplici parte, ſeu medietate, quarum neutra ſeorſim eſſet de ipſius quidditativo conceptu.

16 *RESPONDEBIS* fortaſsè, & ſatis ſubtiliter atque apparenter, negando minorem præcipuam. Ad illius probationẽ dices, eſſentiam infiniti ſimpliciter penes multitudinem non importare duas partes ſeu medietates infinitas determinatè; ſcilicet, has potiùs, quàm illas; neque vtranque collectivè, ſed ſolùm divitivè; hoc eſt,

vel

vel vnam, vel alteram. Caſu autem quo altera duarum medietatum ab infinito auferretur, adhuc maneret tota ipſius eſſentia in vna medietate: ſicuti licèt alterum è duobus extremis enuntiationis diſiunctivæ deſit, tota eius quidditas ſalvatur in altero. Non ergo colligitur abſolutè eſſentiā multitudinis infinitæ vt infinitæ manſuram deficiente aliqua parte eſſentiali, vt pars eſſentialis ipſius eſt; quia neutra medietas eſt pars eſſentialis determinatè aut collectivè, qua ratione deficeret; ſed indeterminatè aut diviſivè, qua conſideratione non deficeret.

17 *SED Contrà I.* & retorquetur inſtantia. Licèt enim enuntiatio diſiunctiva maneat quo ad ſuam eſſentiam, deficiente, aut non verificato altero è duobus extremis; non tamen propoſitio copulativa; quæ, vt eſſentialiter ſubſiſtat, eget vtroque ſimul extremo. Atqui eſſentia infiniti ſecundùm multitudinem potiùs eſt copulativa vtriuſque medietatis, quàm diſiunctiva. Ergo eget neceſſariò, vt ſubſiſtat, vtràque ſui parte, ſeu medietate. Aliùnde oſtenſum manet eſſentiam infiniti ſecundùm multitudinem non egere duplici ſui parte, ſeu medietate, ſed in altera illarū poſſe perſiſtere. Ergo eſſentia infiniti ſecùndùm multitudinem, vt ſubſiſtat, ſimul egebit & non egebit vtraque ſui parte, ſeu medietate: quod eſt aperta contradictio. Diſcurſus legitimus eſt, & ſola minor præcipua ſyllogiſmi probationem deſiderat, quam ſic inſtituo. Eſſentia enim infiniti ſecùndùm multitudinem non eſt ſimplex; ſed compoſita poſitivè ex infinitis vnitatibus & duplici medietate, vt præcipua ſui parte. Sed eſſentia compoſita poſitivè ex duplici medietate, vt parte præcipua ſui, potiùs eſt copulativa vtriuſque, quàm diſiunctiva, vt patet ab inductione in omni eſſentia poſitivè compoſita. Ergo eſſentia infiniti ſecùndùm multitudinem potiùs eſt copulativa vtriuſque partis, ſeu medietatis, quam diſiunctiva. *CONTRA II.* Quia palmus eſſentialiter poſitive componitur ex duplici ſemipalmo, ideo in altero eorum non ſalvatur obiectivus conceptus & eſſentialis palmi, niſi & alter ſemipalmus concurrat. Sed multitudo actu infinita eſſentialiter poſitivè componitur ex duplici medietate infinita: Ergo in altera illarum non ſalvatur conceptus obiectivus & eſſentialis multitudinis actu infinitæ, niſi & concurrat medietas altera. Hoc autem falſum eſſe iam probatum eſt, & patet: quia manente in rerum natura qualibet medietatum infinitarum, maneret conceptus eſſentialis & obiectivus multitudinis actu infinitæ. *CONTRA III.* Omne quod importatur in conceptu obiectivo & eſſentiali alicuius rei compoſitæ, eſt inauferibile ab ipſa, tam ſeorſim & diviſivè, quàm ſimul & collectivè: vt patet ab inductione cuiuslibet eſſentiæ compoſitæ, quæ diſſolvitur defectu, ſive omnium, ſive alicuius partis eſſentialis. Sed quælibet medietatum infinitarum ſeorſim & diviſivè eſt auferibilis à conceptu obiectivo & eſſentiali multitudinis actu infinitæ, quatenus infinitæ, vt probatum eſt. Ergo neutra medietatum infinitarum eſt de conceptu obiectivo & eſſentiali multitudinis infinitæ actu, quatenus infinitæ. Aliunde nec de conceptu illius obiectivo & eſſentiali eſt duplex medietas finita, vt patet; neque altera pars finita & altera infinita, vt oſtenſum manet: præterquam & de hac infinita ſeorſim accepta efformari poterit idem argumentum. Ergo de primo ad vltimum nullus eſt obiectivus & eſſentialis conceptus multitudinis actu infinitæ quatenus infinitæ, ſed ſolùm chimæricus: quippe qui deberet eſſe compoſitus ex duplici parte eſſentiali & omnino inauferibili, tam diviſivè & ſeorſim, quàm ſimul & collectivè: quod tamen ipſi repugnat.

18 *CONFIRMATVR II.* Aut enim infinita multitudo conſtat eſſentialiter partibus ab ipſa auferibilibus, aut inauferibilibus. Inter hæc enim non eſt aſſignabile medium. At neutrum dici poteſt. Ergo infinita multitudo non conſtat eſſentialiter partibus. Quod quàm abſurdum, & ab omni ſpecie veritatis alienum ſit, nemo non videt. Minor, in quà eſt difficultàs, quò ad priorem partem, evidens eſt: Quia repugnat totum aliquod conſtare eſſentialiter partibus ab ipſo auferibilibus, cùm incluſio actualis partium ſit de eſſentia totius. Quò ad poſteriorem partem æquè ferè conſtat: Quoniam ſi multitudo actu infinita conſtaret eſſentialiter partibus ab ipſa inauferibilibus, per ablationem cuiuslibet illarum diſſolveretur eſſentia infiniti: ac proinde, ſive per ablationem partis alicuius finitæ, ſive etiam medietatis infinitę deſineret eſſe actu infinita: quorum vtrumque ſatis præcedentibus improbatum eſt.

19 *SED* Obiicies, eandem omnino difficultatem militare in infinito ſyncathegorematico, ſeu in potentia; item in conceptu obiectivo numeri genericè & ſecundùm ſe conſiderati. Prior aſſumpti pars

pars ſuadetur: Quia infinitum in potentia & Ariſtotelicum, ſiue ſecundum diuiſionem, ſiue ſecundum additionem, etiam eſt compoſitum, & eſſentialiter conſtat partibus, quarum tamen deficiente vna ſaluatur tota ratio eſſentialis illius, quanquam auferatur pars, ſeu medietas alia. Exempli cauſa, palmaris quantitas, vt palmaris, eſt eſſentialiter infinita penes diuiſionem & additionem ſui, quamvis conſtet duplici ſemipalmo, quorum altero ablato, integra eſſentia infiniti maneat in altero ſemipalmo manente. Ergo ſtat optimè multitudinem actu infinitam conſtare eſſentialiter partibus, quarum tamen deficiẽte altera, adhuc in altera remanente ratio infiniti perſiſtat. Poſterior vero aſſumpti pars probatur: Quia numerus generatim loquẽdo importat eſſentialiter partes, quarum tamen aliqua ablata maneat eſſentialis ratio numeri. Quamvis enim medietatem auferas a quolibet magno numero, adhuc in altera medietate ratio numeri permanebit. Nihil ergo mirum, ſi & ratio eſſentialis numeri actu infiniti conſtet eſſentialiter ijs partibus, vt altera illarum ablata neceſſario perſiſtat in altera.

20 RESPONDEO Negando aſſumptum quò ad vtranque partem. Quò ad primam quidem: Quia infinitum in potentia penes diuiſionem ſolùm conſiſtit in eo quòd conſtet partibus minoribus & minoribus in infinitum, ſiue illud palmare ſit, ſiue vlnare, ſiue alterius cuiuslibet mẽſuræ. hoc enim de materiali & per accidẽs ſe habet ad rationem eſſentialem infiniti ſyncathegorematici. Similiter & infinitum in potentia penes additionem ſolùm conſiſtit in quantitate ipſa vt potente accipere augmentum maius ac maius, cuiuſcunque menſuræ & extenſionis illa ſit. Vtrunque enim infinitum eſt potentiale & confuſum; ideoque ſolùm exigit plures & plures partes, ſeu plures & plures additiones poſſibiles in confuſo, & potẽtiali quodam modo, qui nõ deſtruitur per hoc quòd dimidia, maior, aut minor pars ab ipſa quãtitate auferatur, dummodo alia remaneat, quantumvis exigua. At multitudo actu infinita, eſt totum quoddam infinitum & actuale, proindeque eſſentialiter conſtans duplici medietate actu infinita; cum tamen ablata ſeorſim qualibet illarum, adhuc maneat eſsẽtialis ratio infiniti in actu. Quod tamen eſt contra rationem propriam cuiuslibet totius actualis, cuius eſſentia deſtruitur, altera ex partibus eſſentialibus deficiente. Quò ad ſecundam vero partem negatur ſimiliter aſſumptum: Quia de ratione numeri generatim loquendo non eſt conſtare partibus, quarum quælibet ſit numerus, vt patet in binario, cuius nulla pars eſt numerus, & in ternario, cuius vna pars, nimirum, vnitas, numerus non eſt. De ratione autem multitudinis infinitæ in actu eſt conſtare duplici medietate actu infinita.

SECTIO TERTIA.

Vlterior eiuſdem Aſſerti probatio ex præcipuo Adverſariorum diſcurſu, multipliciter in ipſos converſo.

21 QVONIAM Adverſarij maxime nituntur in ſcientia Dei, qua videt infinitas creaturas poſsibiles abſque numero, vt exinde ſuadeant poſsibilem eſſe collectionem creaturarum actu infinitam; placet oſtendere eam illationem nullius efficaciæ eſſe, & roborare iterum noſtram ſententiam. Quare,

SECVNDA Ratio ſit. Stat optimè Deum cognoſcere ſe poſſe producere ſimul plures & plures creaturas in infinitum ſyncathegorematicè ex omnibus poſſibilibus, quas cognoſcit, quin propterea videat ſe poſſe producere ſimul creaturarum collectionem actu infinitam, aut totam illam collectionem poſsibilium, quam cognoſcit. Ergo ex cognitione Dei terminata ad collectionem infinitam omnium poſsibilium malè colligitur poſsibilitas multitudinis actu infinitæ. Conſequentia patet ab euerſione fundamenti contrarij, & antecedens ſuadetur multiplici exemplo. *Primum* eſt in ipſa ſcientia, qua cognoſcit Deus poſsibiles eſſe ſimul quantitates finitas maiores & maiores in infinitum. Et tamẽ non ideo cognoſcit ſe poſſe producere ſimul omnes quantitates finitas maiores & maiores in infinitum, quin reſtet alia quantitas finita maior abſolutè poſsibilis. Alioqui cognoſceret Deus quantitatem aliquam omnium finitarum poſſibilium maximam, quæque additione vnius palmi tantùm ſupra ſuam menſuram eſſet infinita. Ergo ſtat optimè Deum cognoſcere ſe poſſe ſimul producere ſimul plures & plures quantitates finitas in infinitum ſyncathegorematicè, ex omnibus, & tamen non poſſe producere ſimul totam collectionem quantitatum finitarum abſolutè poſsibilium. *Secundum* eſt in eadem ſcientia Dei termina-

ta ad infinitum numerum rerum, vt abſolutè poſsibilem ex mente Adverſariorum. Etenim data vltro poſsibilitate multitudinis actu infinitæ, videret planè Deus ſe poſſe producere infinitum ſecundùm numerum, minus ac minus in infinitum: quia, vt oſtenſum eſt *diſput. præced. à num.* 8. quælibet multitudo actu infinita deberet conſtare ex multitudinibus infinities infinitis. Et tamen non ideo videret Deus ſe poſſe, nec reverà poſſet producere omnia infinita minora ſecundùm numerũ deſtructo quolibet infinito maiori: quia quocumque infinito minori producto, adhuc poſſet deſignari exiſtereque infinitum minus. Alioqui deveniretur, ſeu cognitione, ſeu etiam productione, ad numerum rerum infinitum, omnium infinitorum minimum, quique ſola vnitatis cuiuslibet detractione deſineret eſſe infinitus, & eiuſdem additione fieret infinitus. quod abſurdiſsimum eſt. Ergo adhuc vltro permiſſa poſsibilitate numeri rerum actu infiniti, ſtat optimè Deum non poſſe ſeorſim ab illo producere omne infinitum minus poſsibile, quod videt in eo contentum.

22 *TERTIVM* exemplum, & cohærens præcedentibus, ſit in omnibus numeris finitis, quos videt Deus non attingere rationem numeri infiniti. Nequit enim omnes illos collectivè producere. Ergo quamvis agnoſcat infinitas creaturas poſsibiles, omneſque ſingillatim perſpectas habeat, non ideo aut infinitas numero, aut omnes collectivè producere poteſt. Conſequentia patet: Quia cauſa impotens ad producendam collectionem minorem, potiori iure impotens erit ad producendam collectionem maiorem, in qua illa minor continetur. Antecedẽs probo: Si enim *Deus* poſſet ſimul & collectivè producere omnẽ numerum finitum, quem videt, hominum v.g. non attingentem rationem numeri infiniti, facta eiuſmodi productione ille numerus hominum maximus inter omnes finitos poſsibiles, facta additione vnius hominis iam eſſet infinitus, & proinde finita vnitas finito numero addita conſtitueret illum actu infinitum. *Quartum*, & apertiſsimum in triangulo, & corpore quadrato, ac ſphærico: quorum plura & plura maiora ac maiora in infinitũ cognoſcit *Deus* ſe poſſe producere, quin aliquod illorum actu infinitum ſit, vtpotè duobus, imò pluribus vndique terminis comprehenſum. Et tamen non ideo triangulum videt finitorum omnium poſsibilium maximum, multoq; minùs illum producere poteſt, ſicut nec corpus ſphæricum aut quadratum ſummæ magnitudinis inter omnes finitas poſsibiles. Alioqui videret produceretve aliquod illorum, quod ſola vnius palmi additione infinitum evaderet. Similiter nec poteſt ſimul producere omnes triangulos finitos poſsibiles maiores ac maiores. Sic enim in ijs eſſet aliquis maximus inter omnes finitos poſsibiles, qui defectu additionis vnius palmi deſineret eſſe infinitus.

23 *CONFIRMATVR* Vltima hæc inſtantia diſcurſu mathematico. Si enim quia Deus cognoſcit plures & plures homines in infinitum eſſe poſsibiles, rectè colligeretur ipſum poſſe producere infinitos homines ſimul; pari ratione, quia cognoſcit ſe poſſe producere triangulum æquilaterum maius ac maius in infinitum, colligeretur ipſum poſſe producere triangulum æquilaterum actu infinitum. Conſequens autem abſurdum eſſe patet, non ſolum ex incluſione omnis trianguli æquilateri poſsibilis inter duos terminos, vt modò dicebamus; ſed etiam hac computatione, quæ planè evincit, triangulum infinitum non fore, aut ſimul fore finitum & infinitum: quod repugnat. Conſtituat enim Deus omnia ova, vnum extra aliud, in formam trianguli æquilateri, ita vt cuſpis conſtet vnico ovo, & linea cuſpidi immediata duobus ovis, & ſecunda linea tribus ovis, & tertia quinque, & ſic gradatim ita vt ſimul ac ſemel infinita ova ordine ſuo per totum triangulum æquilaterum diſtribuantur. Certè ſi aſſeritur triangulum æquilaterum fore actu infinitum, aſſeri etiam debet baſim illius fore infinitam, ac proinde ova per eam protenſa fore infinita numero. Hoc autem repugnat. Si enim ova totam baſim occupantia ſunt infinita, etiam ova immediatam lineam baſi proximam occupantia, infinita erunt; & ſimiliter quæ occupant ſecundam, & quæ tertiam, & quæ quartam, & ſic de alijs; vtpotè quarum inæqualitas ordine ſuo ſolùm eſt penes duo ova incipiendo à baſi verſus cuſpidem. Ergo quia aſcendendo a baſi vſque ad cuſpidem omnes & ſingulæ lineæ ſolùm inæquales ſunt penes duo ova, omnes tandem lineæ trianguli conſtabunt infinitis ovis: quia numerus ovorum inæqualis penes duo tantùm infinito numero, nequit non eſſe infinitus. Conſequens autem contra ſuppoſitionem eſt, quoniam præmittimus cuſpidem trianguli vnicum ovum habere, & primam lineam duo, & ſecundam tria, & tertiam quinque, &c.

Eſt etiam abſurdum & riſu dignum, vt ex ſe patet. Ergo ova diſpoſita per baſim non ſunt infinita, & a fortiori neque ova per ſingulas lineas diſtributa, quæ breviores ſunt; atque adeò nec baſis ipſa eſt infinita, neque vlla alia totius trianguli linea.

24 *DICES I.* Illarum linearum quaſdam conſtare finitis numero ovis, quaſdam infinitis; ac proinde numerum ex omnibus ovis coaleſcentem eſſe infinitum. *SED Contrà*. Si enim ex lineis gradatim diſpoſitis per totum triangulum quædam conſtant finitis, quædam infinitis ovis; videbit planè Deus, in quibus lineis ſint infinita ova, & in quibus finita. Videbit quoque incipiendo à cuſpide quouſque perveniant lineæ conſtantes finitis ovis, & vnde incipiant lineæ infinitis ovis conſtantes. Videbit ergo poſt lineam maximam finitarum conſtantem finitis ovis, ſequi immediatè lineam infinitam, & proinde conſtantem ovis infinitis. Atqui hoc ſpecioſum eſt, nec aliud profectò, quam dicere, ex duabus lineis immediatis, & inæqualibus penes duo ſolùm ova, alteram conſtare finitis ovis, alteram infinitis. Quod idem abſurdum facilè deduces, ſi diſcurſum vice verſa inſtituas incipiendo à baſi, & infinitis ovis in ea poſitis, ad lineam immediatam, & ſubinde ad ſequentes minores ordine ſuo pariter infinitas, donec ab vna illarum in cognitione Dei fiat immediatus tranſitus ad lineam finitam, & a numero ovorum infinito ad finitum.

25 *DICES II.* Baſim eius trianguli finitam fore, ac proinde conſtantem ovis finitis numero. *SED Contrà I.* Argumentum enim Adverſariorum deſumptum ex ſcientia Dei cognoſcentis poſsibilia plura & plura ova in infinitum, ſi probat infinita ſimul ova poſſe produci; etiam probat infinitam baſim alicuius trianguli æquilateri produci poſſe; ſiquidem Deus etiam cognoſcit poſsibilem eſſe maiorem & maiorem baſim alicuius trianguli in infinitum. Ergo probat pariter in ea baſi poſſe collocari infinita ova: cuius oppoſitum nuper demonſtratum eſt. *CONTRA II.* Si enim in baſi non ſunt infinita ova, ſed finita, a fortiori in ſingulis lineis vſque ad cuſpidem trianguli, quæ minùs longæ ſunt, finita ſolùm ova erunt. Ergo in toto triangulo æquilatero ſolùm erunt finita numero ova contra ſuppoſitionem. Probo hanc conſequentiam. Ex finitis numero multitudinibus ovorum, quarum quælibet finita ſolùm ova habet, nequit reſultare collectio ovorum ſimpliciter infinita. Sed in toto triangulo dicto multitudines lineares ovorum ſunt numero finitæ. Ergo ſi quælibet illarum finita ſolum ova habet, tota ovorum collectio nequit eſſe infinita. Maior patet: quia finita multitudo alteri finitæ addita, niſi infinities replicetur, nequit conſtituere collectionem ſimpliciter infinitã. Minorem probo. A cuſpide enim trianguli vſque ad baſim tot lineæ ovorum ſunt, & non plures, quot ſunt ova in baſi eiuſdem trianguli, vtpotè æquilateri, ac proinde habentis duo latera æqualia baſi, vt perſpicuum eſt. Sed in baſi multitudo ovorum aſſeritur eſſe numero finita. Ergo & multitudines lineares ovorum ſunt numero finitæ. Ergo omnes collectim in toto triangulo non pertingunt ovorum numerum infinitum, contra hypotheſim. Cùmque aliũde ſit oſtenſum, collectionem infinitam fore, ſimul evincitur fore finitam & infinitam.

26 *PRÆIACTO* Argumento affine eſt, quòd etiam Deus videns durationes futuras creaturarum maiores & maiores in infinitum, non ideo videt aliquam finitarum omnium maximam, vel quæ infinitè excedat durationem hodiernam à parte pòſt: quia quæcumque demum aſsignetur, adhuc habet poſt ſe durationem aliã & aliam superventuram, vtpotè ſuperandam ab æternitate Dei, quà exiſtente, aliquando tandem verificabitur illam durationem iam tranſijſſe. quo planè evincitur ipſam eſſe finitam: quia in genere durationis infinitum non eſt id, quod nõ adæquat æternitatem, ſaltem antè, aut pòſt. Ex quibus omnibus liquet ratio vniverſim oſtendens repugnantiam multitudinis actu infinitæ ſecundùm numerum, minime obſtanti cognitione Dei terminata ad plura & plura in infinitum.

SECTIO QVARTA.

Ex Omnipotentia, ſeu virtute infinita Dei, non inferri poſsibilitatem multitudinis ſeu collectionis actu infinitæ.

27 TERTIA Ratio denique exturbat argumentum aliud Adverſariorum, quo nituntur in Omnipotentia, ſeu virtute infinita Dei, vt inde colligant poſſe ab ea produci numerum rerum actu infinitum. Hic tamen diſcurſus debilis proculdubio eſt: Quia vt in Deo ſit Omnipotentia, ſufficit poteſtas ad faciendum quidquid non involvit contradictionem; quod pla-

plane ſalvatur quanquam nequeat producere numerum rerum actu infinitum;vtpote contradictionibus plenum. Similiter vt Omnipotentia ipſa in omni genere ſit infinita, ſufficit in omnibus & ſingulis generibus poſſe producere plura & plura numero,neque vnquam tot, quin plura, & plura adhuc, ſine fine verſus terminum extrinſecum;quãquam aſsignata qualibet multitudine producta , aut producibili a Deo, ſit illa intra terminos intrinſecos finiti numeri, ſcilicet, inter primam & vltimam vnitatem determinatam.Sic licèt in Deo ſit virtus infinita ad producendum triangulos plures & plures , maiores & maiores abſque termino, itemque corpora quadrata & rotunda ; non ideo poteſt producere triangulum , aut corpus infinitum figuræ quadratæ , ſeu rotundæ : ſed quemcunque producere ſupponatur, adhuc poteſt plura & plura maiora producere,quorum tamen omnia & ſingula poſitivè intra terminos cõprehẽdantur, & proinde finita ſint,tam numero, quam mole. Et ſanè ineluctabilem vim habet hic diſcurſus,neque apparet quomodo ab eo ſe poſſint expedire Adverſarij. Quemadmodum enim Deus infinitã virtutem habet ad producendam quantitatem diſcretã,ſic etiam ad producendam continuam. At quamvis virtute infinita præditus ſit ad producendam quantitatem continuam,nequit producere quantitatem continuam infinitam triangulam,quadratam, aut rotundam;nec finitam adeo magnã, vt non reſtet ponenda alia & alia quantitas continua maior, quin vnquam deveniatur ad quantitatem continuam infinitam.Ergo pariter licèt virtus Dei ſit infinita in ordine ad quantitatẽ diſcretam producendam , nunquam poteſt producere quantitatem diſcretam infinitam;nec finitam adeò magnam,vt non reſtet ponenda alia & alia quantitas diſcreta maior,quin vnquam deveniatur ad quantitatem diſcretam infinitam. Itaque omnis quantitas poſsibilis,ſive continua, ſive diſcreta,ſolùm eſt quantitas intra duos terminos immediatos concluſa : ac proinde ex eo quòd divina Omnipotentia valeat producere omnem quantitatem abſolutè poſſibilem, non infertur poſſe producere quãtitatem infinitam , ſive continuam, ſive diſcretam.

28 NEQVE Vllius efficaciæ eſt quod Adverſarij ingeminant circa collectionem omnium creaturarum poſsibilium aut omnium Angelorum,aut omnium hominum,quam totam aiunt à Deo cognoſci ſimul, & produci poſſe ipſius virtute infinita. *NAM Contra I.* Aſſumptum enim in volvit propoſitionem de ſubiecto,vt aiũt, non ſupponente:quia implicantia in adiecto eſt vbi aſſeritur Deum poſſe producere totã collectionem poſsibilium , aut omniumAngelorum,aut omnium hominum: ſicuti & contradictio involvitur in collectione omnis trianguli finiti,aut omnis numeri finiti, quem Deus poteſt producere: ſiquidem nullus triangulus eſt, nulluſque numerus finitus poſsibilis, vltra quem non poſsit Deus producere alium finitum maiorem:nulla etiam collectio tot triangulorum,numerorumve finitorum, vltra quã Deus non cognoſcat aliam & aliam ſine fine collectionem maiorum ſemper finitorum.Quare vbi Adverſarij,& inter eos Arriaga,aſſumunt, *Non omnis numerus rerum à Deo producibilium exceditur ab alio ; ergo poteſt producere numerum rerum adeò magnum, vt maior eſſe non poſsit, ac proinde infinitum*;vbi, inquam,ita aſſumunt & inferunt, implicantiam terminorum involvunt in antecedente:quia volunt in eo facere ſenſum copulativum,qui nullum habet locum quoties abitur in infinitum circa poſsibilia.Sic etiam intenditur copulativus ſenſus in hac propoſitione: *Non omnis numerus finitus exceditur ab alio numero finito* : quia in illa ſyncathegorema *omnis* non ſumitur diſtributivè,vt in hac propoſitione, *Omnis numerus eſt quantitas diſcreta* ; ſed collectivè, vt in hac:*Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*.Ridiculum autẽ eſt velle collectionem aliquam facere certam ſive omnium poſsibilium,ſive omnium Angelorum,aut hominũ:quãdoquidem ſupra & vltra quãcunque aſsignabilem adhuc reſtant plures & plures ſine termino collectiones abſolutè poſsibiles. Magiſque conſulitur infinitæ excellentiæ, virtutis divinę,ſi qualibet collectione entitatũ poſsibilium aſsignata , poſsit aliam & aliam producere ſine vllo termino , quàm ſi omnia poſsibilia ſimul aſſeratur poſſe producere , nullo iam relicto loco vt aliquid ampliùs valeat de novo facere.

29 CONFIRMATVR Multipliciter idem diſcurſus. *Primò*.Nam & ijdẽ Adverſarij tenentur fateri implicationem ſuppoſiti eſſe in hoc diſcurſu: *Non omne infinitum eſt maius alio infinito: ergo aliquod infinitum eſt minimum omnium infinitorum.* Tenentur negare ſuppoſitum antecedentis,in quo particula *omnis* facit ſenſum collectivum;& ſimiliter conſequentiam, quia iuxta prænotata *diſp. præced. à num.* 6.nullum infinitum in actu eſſe poteſt, quod nõ con-

ſtet ex infinities infinitis; nullum proinde quod infimum omnium infinitorum ſit, aut minimum. Alioqui deveniri poſſet tādem ad aliquod infinitum, quod detractione cuiuslibet partis exiguæ, vnitatiſvè, deſineret eſſe infinitum; aut ſaltem quod in duas medietates finitas dividi poſſet. Ita & nos de omni numerò finito collectivè ſumpto negamus ſuppoſitum. *Secundò*. Implicationem claudit hæc propoſitio: *Non exiſtunt tot, quin plures exiſtant*: quoniam evidens eſt non exiſtere plura ſimul, quàm reipſa ſimul exiſtant. At hæc vera eſt in quacumque hypotheſi abſolutè poſsibili: *Non exiſtunt tot, quin plura & plura exiſtere poſsint*. Certum enim eſt plura exiſtere poſſe partim diviſivè & partim collectivè, quam collectivè ſolùm. At poſita in rerum natura collectione infinita, ſive omnium poſsibilium, ſive Angelorum omnium, eſſet neceſſariò de illa dicendum, *Non exiſtunt tot, quin plura exiſtant*. Ergo neceſſario eſſet implicatio in adiecto. Probatur minor: Quia aliàs in ea collectione eſſet aliqua multitudo omnium infinitarum ſumma, vtpotè conſtans tot entitatibus exiſtētibus, & non pluribus. Quod non minùs apertam contradictionem involvit, quàm ponere multitudinem omnium infinitarum vltimam, ſive infimam, intra eam collectionem, vt conſideranti patebit. *Tertio* denique: Quoniam in iis, in quibus abitur in infinitum, nunquam eſt aſsignabilis collectio ita magna, vt præter eam nihil ſuperſit. Pone etenim collectionem omniū poſsibilium & impoſsibilium, ſeu chimærarum; & videbis aliquid vltra illam eſſe. Nam ſupra totam illam, rogo, eſt poſsibile aliud ens, an non? Si primum dicas; ergo vltra illam iam aſsignas aliud poſsibile. Si ſecundum; ergo vltra eandem iam ſuperaddis aliud impoſsibile, ſeu chimæram aliam. Quemadmodum itaque ſupra collectionem aſsignatam omnium impoſsibilium reſtat aliud & aliud impoſsibile, quanquam omnia illa cognoſcantur & nequeant produci à Deo; ita ſuprà tuam collectionem omnibus poſsibilibus conſtantem, notamque & producibilem à Deo, aſsignare debes aliud & aliud poſſibile.

(ſ)

SECTIO QVINTA.

Argumenta præcipua Adverſariorum ſoluta. Vbi an omnes creaturæ poſsibiles ſint infinitæ.

30 PRÆCIPVA Adverſariorum argumenta præoccupavimus decurſu diſputationis, ideoque nolumus modo ea ſubnectere. Nonnulla alia quæ reſtant, ſummatim ſolum propoſita, hæc ſunt, omiſsis aliis minoris notæ, ac difficultatis exiguæ. *PRIMVM* eſt. Statuta poſsibilitate temporis ab æterno, potuiſſet Deus ſingulis diebus producere ſingulos Angelos vſque modò. Ergo cùm præceſsiſſent infiniti dies, etiam Angeli eſſent infiniti. *CONFIRM. I.* Ideo poteſt producere duos Angelos ſimul, quia habet virtutem ad eos producēdos. Sed habet etiam virtutem ad producendos omnes & ſingulos Angelos abſolutè poſsibiles. Ergo poteſt producere omnes & ſingulos Angelos poſsibiles ſimul. Ii autem ſunt infiniti, & vt infiniti cognoſcuntur à Deo. Ergo poteſt Deus producere ſimul infinitos Angelos. *CONFIRM. II.* Nulla eſt collectio finita Angelorum, vltra quam Deus nequeat producere in quolibet inſtanti aliam collectionem Angelorum maiorem. Ergo aliqua collectio pluſquam finita Angelorum à Deo produci poteſt, ac proinde infinita.

31. *RESP.* Statuta poſsibilitate mundi ab æterno quò ad entia ſucceſsiva, vix vllum effugium eſſe ad negandum poſſibilitatem infiniti in actu, ſive quo ad multitudinem, ſive quò ad magnitudinem, vt obiter indicavi *diſp. præced. num.* 36. & vberiùs conſtabit infrà *lib.* 8. Nos certè, vel ob hanc vnam cauſam, negamus poſsibilitatē temporis ab æterno, quanquam & plures aliæ graviſsimæ ſint. *AD I. Confirm.* Non ideo præciſè poteſt Deus producere duos, aut mille, aut centum mille Angelos ſimul qua virtutem habet ad eos producendos; ſed præterea, quia in eorum coexiſtentia nulla eſt implicantia. Alioqui cùm etiam habeat Deus virtutem ad cauſandum diem hodiernum & craſtinum, poſſet ponere ſimul vtrumque. quod abſurdū eſt. In coexiſtentia autem omnium Angelorum eſt implicantia: quia quacumque collectione abſolutè poſsibili Angelorum in ſtatū exiſtentiæ reducta, adhuc manet Deo integra virtus & Omnipotentia ad producendum aliam & aliam collectionem abſque vllo extrinſeco termino: ſicut poſita in ſe collectione qualibet quantitatum continuarum

rum menſuræ finitæ, aut numerorum finitorum, adhuc poteſt Deus plures ac plures collectiones quantitatum numerorumque finitorum, maiores & minores abſque termino ponere; vt non ſemel decurſu diſputationis oſtenſum eſt. Præterea, vel opinio adverſa ſupponit numerum omnium Angelorum poſsibilium, ſi adæquatè & ſimul reducatur in actum, fore actu infinitū, vel non? Si ſecundum velit: ergo quanquā omnia illa ponantur in actu, non pertingent numerum actu infinitum, vt Adverſarij tentant. Si primum: fiet immediatè tranſitus in eadem collectione à numero finito ad infinitum, ſolà vnitatis alicuius additione, vt à ſimili demonſtratum eſt *à n.* 23. quod nemini non apparet abſurdum. *AD II. Confirm.* conceſſo antecedenti nego conſequentiam: quia nulla eſt, aſsignarive poteſt collectio finita entitatum, qua maiorem aliam nequeat Deus producere; finitam tamen: ſicut nulla eſt, neque aſsignari poteſt quantitas finitè extenſa, quà maiorem aliam nequeat producere Deus intra menſuram finitam. De quo vide quæ præmiſsimus *diſput. præcedent. num.* 40.

32 *INSTABIS* (& eſt alterum argumentum ſententiæ adverſæ, omniumque difficillimum.) Poſsibilia omnia ſecundùm conceptum obiectivum formaliter, & in ordine ad cognitionem divinam ſunt infinita numero. Alioqui finita eſſent, ac proinde certus aſsignari poſſet numerus poſsibilium, vltra quem nequiret Deus producere aliud quidquam: quod abſurdum eſt. Ergo cùm Dei virtus non ſit minùs perfecta aut infinita in operando, quā in cognoſcendo, poterit ea omnia in actum ſimul reducere. Neque obſtare videntur quæcunque argumenta in oppoſitum fieri ſolent, & à nobis præmiſſa ſunt. nam illa omnia patiuntur inſtantiam in ipſa infinitate obiectivà & intentionali poſsibilium omnium. Primum quidem a nobis propoſitum *à num.* 10. quia nec multitudo illa habebit eſſentiam determinatam infra genus quantitatis diſcretæ. Secundum ſimiliter *à num.* 21. quia & in illo numero intentionaliter infinito oportebit Deum cognoſcere multitudinem aliquam finitarum omnium maximam, quæ proinde cuiuſlibet vnitatis additione fiat infinita. Idēque ferè eſt de cœteris argumentis, vt cōſideranti patebit.

33 *RESPONDENT* Aliqui negādo antecedens. Exiſtimant enim poſsibilia omnia, qualitercunque accipiantur, finita numero eſſe, nunquamque pertingere ad infinitatem, adhuc obiectivam & in mente divina. Quo vtcunque ſtabilito faciliè occurrunt obiectioni propoſitæ, aſſerentes eadem inconvenientia eſſe in infinitate obiectiva, ac in reali multitudinis de facto productæ. Vnde & in eorum opinione quanquam per poſsibile aut impoſsibile divina Omnipotentia reduceretur in actum adæquatè, ſeu poneret ſimul & in re omnia quæ poteſt, adhuc non produceret numerum rerum infinitum.

34 *HANC* Solutionem & doctrinam impugnant aliqui ex Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 15. in quā aiunt damnari errorem illum Vvicleffi ac Ioannis de Hus aientiū: *Deus nihil poteſt annihilare, nec mundum mutare, nec minuere; ſed animas vſq; ad certū numerum creare, & non vltrà.* Licèt enim non extet in exemplaribus editis, neque *ſeſſ.* 15. inter propoſitiones damnatas Ioannis de Hus, neque *ſeſſ.* 8. inter XLV. articulos Vvicleffi ibidem confixos; illum errorem ac verba refert gravis & plus Author eius temporis Thomas Vvaldenſis, à quo cœteri id mutuarunt: Inde verò videtur colligi, poſsibilia omnia eſſe infinita, non autem finita. Si enim ſolùm finita ſint, dabitur certus creaturarum numerus, vltra quem Deus non poſsit vllam creaturam producere. Ergo & certus animarum numerus, vltra quem nequeat Deus aliam producere: quæ eſt ipſiſsima propoſitio Huſsij atque Vvicleffi à Concilio proſcripta.

35 *COETERVM* Difficile ac durum creditu eſt, eam propoſitionem fuiſſe damnatam a Concilio Conſtantienſi, cùm in actis eius non appareat, vt iam monui; neque in Bullà Martini V. qui decreta eius Synodi confirmavit ſpeciali diplomate, & plures propoſitiones ibidem damnatas inſeruit, ac iuſta cenſura notavit. Deinde, dato propoſitionem illam fuiſſe damnatam, ſive ab Eccleſia, ſive à FacultateTheologicà Academiæ Colonienſis, vt alij aſſerunt, propter plures errores, qui in ea ſparſim habentur, adhuc non colligitur certò damnatam fuiſſe vltimam eius partem, qua aſſeritur, Deum poſſe animas vſque ad certum numerum creare, & non vltrà. Alioqui, cùm inter canones Theologorum Colonienſium, à quibuſdam adſcriptos eidem Concilio, etiam inveniatur proſcripta opinio docens continuum conſtare ſolis indiviſibilibus, tanquam error in Philoſophia; deberet etiam illa cenſeri damnata ab Eccleſia. Quod tamen aſſerere duriſsimum eſt:

eſt: cū multi Catholici Authores, ingenio atq; eruditione præſtãtes, eam tueãtur hoc ipſo ſæculo, vt videbimus *lib.* 6. Quare ex Concilio Conſtantienſi non videtur deſumi efficax argumentum ad probandum creaturas poſsibiles eſſe infinitas.

36 *CIRCA* Hanc difficultatem plurima dicenda erant, quæ tamen brevitatis causà omittere placuit, remiſſo Lectore ad ea quæ ex vtraque parte diſcuſſerunt Recentiores aliqui, præſertim Faſſolus *tom.* 1. *in* 1. *part. q.* 7. *art.* 2. *dub.* 2. Hurtadus *diſput.* 13. *ſect.* 1. Arriaga *diſput.* 13. *ſect.* 2. Oviedo *contr.* 14. *punct.* 3. Aldrete *tom.* 2. *de Incarn. diſput.* 51. plurimique alij, ab ijs allegati ex Veteribus & Recentioribus: qui omnes, ſi attentè legantur, docent creaturas poſsibiles eſſe infinitas. Verum ſi ea infinitas creaturarum omnium poſsibilium ſit ſimpliciter talis ſecundùm eſſe obiectivum & notum Deo; eluduntur omnia argumenta quibus hucuſque probavimus repugnantiam infiniti in actu, & manifeſtã inſtantiam patiuntur, vt in obiectione prætenditur. Ideo dicendum eſt, mediá quadam inter relatos Authores & opiniones viá, cum Suarez 3. *part. diſput.* 26. *ſect. vltim.* Valentia 1. *p. diſput.* 1. *q.* 14. *part.* 6. Tannero *diſp.* 2. *q.* 2. *dub.* 4. *aſſert.* 6. alijſque pluribus, omnes creaturas poſsibiles ſolum eſſe infinitas ſyncathegorematicè, ſeu in potentia, adhuc ſecundùm eſſe obiectivū; non tamen actu: quia quæcumque illarum actualis multitudo aſsignetur ab intellectu divino, actu finita eſt, ſolumque infinita in potentià penes terminum extrinſecum, quatenus poteſt ſubire additionem maiorem ac maiorem ſine termino ex ampliori numero finito, & ampliori plurium aliorum poſsibilium, quæ Deus agnoſcit.

37 *PRO* cuius doctrinæ intellectu nota, rationem infiniti ſecundùm numerū conſiſtere in actu multitudinis finitæ permixto potentiæ in infinitum: vt colligitur ex definitione infiniti, *cuius ſemper eſt aliquid extrà accipere*, vt ait Ariſtoteles hoc *lib.* 3 *textu* 63. Ergo quamcunque multitudinem poſsibilium aſsignet Deus, illa erit actu finita, & conſtans primà atque vltimà vnitate ſecundùm ea quæ actu habet, vel habere concipitur; quanquam ſecundùm ea, penes quæ additionem ſubire poteſt, ex parte termini extrinſeci, accipere valeat novam additionem in infinitum, & proinde non habeat vltimam vnitatem. Notãdum præterea, omnia quidem & ſingula poſsibilia à Deo cognoſci diſtributivè, ita vt diſtinctè ſingulorum communem, & propriam rationem nòrit: non tamen collectivè, quia quælibet propoſitio, aut acceptio poſsibilium omnium abſolutè, aut in determinato genere, ſi ſit in ſenſu collectivo, eſt de ſubiecto non ſupponente, vt ſuprà *num.* 20. oſtenſum eſt. Quare vbi aſſumitur, poſsibilia omnia collectivè accepta eſſe infinita ſecundùm eſſe obiectivum; negamus ſuppoſitum: Quia de ratione cuiuslibet rei finitæ actu, ſed tamen infinitæ in potentia & verſus terminum extrinſecum, eſt, ne cum alijs partibus, quorum acceſsione creſcere aut multiplicari poteſt, collectionem adæquatam faciat: ſiquidem quacunque aſsignata, adhuc maior & maior eſſe poteſt, ſeu adhuc extrà incrementum accipere valet. Verum quidem eſt, Deum vnico actu ſimplicis intelligentiæ omnia & ſingula poſsibilia cognoſcere diſtributivè; non tamen collectivè, quia repugnat collectio vnica omnium ex parte obiecti. Poſſunt quidem aſsignari finitæ collectiones aliæ & aliæ maiores ac maiores, tam in ordine ad intellectum divinum, quàm in ordine ad potentiam factivam, ſive practicam: quæ nihil producit, niſi per notitiam ſingularem partium vnitatumve rei productæ, tam diſtributivam, quàm collectivam; ac proinde attingentem in eà primum & vltimum. Cæterum nequit aſſignari vnica collectio numerica omnium quæ Deus producere poteſt, adhuc in quolibet determinato genere, aut ſpecie: vt ſuprà evicimus exemplo numerorum finitorum maiorum ac maiorum: quorum vnica collectio repugnat, non ſolum in re, ſed etiam per ordinem ad intellectum divinū. Alioqui videret Deus in eà collectione numerum finitum, omnium finitorum maximum, quique vnitatis cuiuslibet additione evaderet infinitus; neceſſumque eſſet in eà multitudine fieri immediatè tranſitum à numero finito ad infinitum: quod repugnat. Idemque eſt de quantitate continuà finità maiore ac maiore, ſive eàdem, ſive multiplicatà, vt ſæpe inculcatum eſt. Idem denique, adhuc iuxta opinionem adverſam: iuxta quam licèt Deus cognoſcat & producere poſsit collectionem entitatum actu infinitam, non tamen omnium poſsibilium creaturarū abſolutè: tum quia qualibet collectione infinità ſuppoſita, aiunt Deum cognoſcere, ac poſſe producere collectionem aliam maiorem & maiorem: tum quia aliàs aſsignari poſſet collectio infinita omnium infinitarum maxima, proindeque & minima ipſi correſpondens, quæ

cu-

cuiuslibet vnitatis detractione redderetur finita. Quæ omnia ſatis ſuperque reiecta ſunt, & nemini non apparent abſurda.

38 *HINC* Obiectioni *num.*32. propoſitæ, & alioqui difficillimæ, atque inque inextricabili, occurritur, diſtinguendo antecenens: Poſsibilia omnia ſecundũ conceptum obiectivum formaliter, & in ordine ad cognitionem divinam, ſunt infinita numero; collectivè accepta; nego ſuppoſitum; diſtributivè accepta; ſubdiſtinguo: ſunt infinita numero in potentia, & negativè, quatenus carent termino ad extra, concedo: ſunt infinita in actu, & poſitivè per incluſionem actualem infinitarum vnitatum; nego antecedens, & conſequentiam: quia quemadmodum intellectus divinus nõ cognoſcit omnia poſsibilia per modum vnius collectionis, ſed plurium & plurium finitarum, quanquam eodem actu cognitionis; ſic etiam non poteſt producere omnia poſsibilia per modum vnius collectionis, ſed plurium & plurium finitarũ, quarum quælibet determinatam eſſentiam habeat in genere numeri, vtpotè conſtans primâ & vltimâ vnitate, nunquanque perveniens ad numerum finitum omnium finitorum maximum: quia nec in eſſe reali, nec in obiectivo, eſt in omnibus poſsibilibus vna aliqua omnium collectio, nec numerus finitorum omnium maximus. Ex quibus patet ad ſingula membra obiectionis.

39 *SED* Inſtabis multipliciter. *Primò.* Omnium eorum extra quæ non eſt aliud, fieri poteſt collectio, ac proinde hæc cognoſcibilis eſt vnico actu à Deo. Sed extra omnia poſsibilia non eſt aliud poſsibile, vt patet. Ergo omnium poſsibilium fieri poteſt collectio, quæ proinde vnico actu cognoſcatur à Deo. Hoc autem ſuppoſito redit obiectio, & inſtantia ac retorſio argumentorum omnium noſtræ ſententiæ. *Secundò.* Deus non minùs potens eſt in operando, quàm in cognoſcendo. Ergo quemadmodum vnico actu & ſimul cognoſcit omnia poſsibilia, quanquam non per modum vnius collectionis, ſed plurium finitarum maiorum & maiorum; ſic etiam vnico actu & ſimul poterit producere omnia poſsibilia, quanquã non per modum vnius collectionis, ſed plurium finitarum maiorum & maiorum. Eâ verò productione ſuppoſitâ, aut numerus ex omnibus creaturis reſultans eſſet actu infinitus, aut finitus. Si finitus; ergo datur certus ac finitus numerus creaturarum omnium poſsibilium, nedum animarũ, vltra quem Deus nihil poſſit producere: quod in Vvicleffo & Huſsio communiter notant Theologi, quidquid ſit de cenſurâ Concilij. Si infinitus; ergo iam Deus poteſt producere numerum rerum actu infinitum. *Tertiò.* Si Deus non cognoſcit omnia poſsibilia per modum vnius collectionis actu infinitæ, ſed plurium finitarum maiorum ac maiorum ex parte obiecti; tota multitudo obiectiva ex ijs collectionibus reſultans erit numericè finita: quia finitum additum finito non facit infinitum. Ergo cùm de ratione finiti ſit poſſe totum ſucceſsive percurri, poterit tota illa multitudo poſsibilium numerari à Deo, ſaltem ſucceſsivè, ita vt tandem deveniat ad numerum, vltra quem non reſtet aliqua vnitas accipienda. Ergo deveniet tandem ad numerum finitorum omnium maximum, quique proinde acceſsione cuiuslibet vnitatis, planè ac neceſſariò, eſſet infinitus: quod eſt ipſiſsimum argumentum noſtrum in Adverſarios. *Quartò.* Aut collectiones illæ omnes poſsibilium numero finitorum, ſunt infinitæ numero actu, qualiter ferè binarij in multitudine infinita binariorum eſſent numero infiniti; aut finitæ numero. Si primum dicatur; iam Deus cognoſcit collectiones poſsibilium ſecundùm numerum actu infinitas, in quibus obiectivè cognitis omnia noſtra argumenta pariter vrgent. Si ſecundùm; ergò Deus non habet virtutem ad producendum infinita in potentiâ; quia cognoſcit vltimum poſsibile, quod ab ipſo produci poteſt; & vbi aſsignari poteſt vltimus terminus additionis, ſive augmenti, nulla eſt infinitas in potentiâ.

40 *DIFFICILLIMA* Certè ſunt hæc, quibus ſolvendis vellem præiviſſe alium, cuius veſtigijs inſiſterem. Conabor tamen vtcunque reſpondere. *AD Primum,* diſtinguo maiorem: *Omnium* eorum, extra quæ non eſt aliud, poteſt fieri collectio; negativa, ita vt extra ea nihil ſit; cõcedo: poſitiva, ſubdiſtinguo: ſi ſint finita tam actu, quàm in potentiâ, concedo; & ita evenit in qualibet collectione, quæ ſemper habet primum & vltimum: ſi ſint infinita in potentiâ, qualiter poſsibilia omnia; nego maiorem; & conceſsâ minore, nego conſequentiam: quia in qualibet collectione vnitatum, ſive reali, ſive obiectivâ, eſt primũ & vltimum. In omnibus autem poſsibilibus, & in quolibet infinito in potentiâ, non eſt primum & vltimum: vtpotè, *cuius ſemper eſt aliquid extrà accipere.* Ergo neque omnium poſsibilium, neque alicuius multitudinis infinitæ in potentiâ fieri poteſt

vna

vna collectio. *AD Secundum*. Quanquam ſcientia & virtus factiva Dei quoad entia poſitiva formaliter (vt nihil dicam de peccato, quod cognoſcitur à Deo, & cauſari nequit ab illo) habeant æqualem perfectionem, non tamen æqualem extentionem. Id patet in entibus ſucceſsivis, quæ omnia ſimul à Deo cognoſcuntur & tamen non omnia ſimul ab eo fieri poſſunt, vt tempus craſtinum & hodiernum. Idem ergo eſt de infinito in potentia ſecundùm numerum, quoniam eſſentialiter exigit, vt ſemper reſtet aliquid extra accipiendum, aut ſuperaddendum: ac proinde nequit ſimul totum reduci in actum, neque vnius, neque plurium collectionum. Ratio verò a priori diſparitatis ſcientiæ a potentiâ penes extenſionem actualem in eo eſt, quia extenſio actualis ſcientiæ Dei ad poſsibilia omnia, eſt perfectio illius neceſſaria, ac proinde ſimul & ab æterno exiſtens: productio verò creaturarum non eſt perfectio neceſſaria Deo, ſed exercitium liberum, quod ad plura vel pauciora effecta extenditur pro ipſius libito, & rerum ipſarum capacitate; quæ nulla eſt in numero ſyncathegorematicè infinito, vt ſimul & adæquatè exiſtat. Vnde cætera in obiectione poſita corruunt. *AD Tertium*, nego ſuppoſitum maioris: quia ex ijs omnibus collectionibus poſsibilium, quas Deus cognoſcit, nequit reſultare tota aliqua multitudo, ſicut nec collectio, quæ involvit implicantiam in adiecto, vt ſuprà oſtenſum eſt. Et quando additur, de ratione finiti eſſe, vt poſsit totum ſucceſsivè percurri; reſpondeo concedendo id de finito omnibus modis; ſcilicet, tam in potentia, quam in actu; negando autem de finito in actu quatenus eſt infinitũ in potentia. Vnde & nego deveniri poſſe ad numerum finitorum omnium maximum, quia nullus eiuſmodi eſt, nec poteſt eſſe, adhuc in opinione adverſa, vt ſæpè oſtenſum eſt. *AD Quartum*. Omnes illæ collectiones ſunt infinitæ in potentiâ, ſeu non tot quin plures & plures: quanquam acceptis quibuslibet illarum determinatis ab intellectu divino, ſolùm ex ijs conſurgat multitudo, ſeu numerus collectionum actu finitus. Cæterum, cùm adhuc reſtent aliæ plures & plures aſſumendæ à Deo, maiores & maiores, abſque vllo termino ad extra, nec ſequitur Deum non poſſe producere infinita in potentia, nec colligitur poſſe ab eo aſsignari vltimum poſsibile; quia reverà nullum eſt vltimum, aut quo poſito non reſtet Deo aliud & aliud. Id opportunè explicari poteſt exemplo cognitionum futurarum per totam æternitatem in Angelis, & hominibus, quarum collectio integra repugnat; quia conſtituunt infinitum in potentia, in quo nunquam deveniri poteſt ad vltimum, quia nihil vltimum eſt: cæterum partiales collectiones fieri poſſunt, quarum ſingulæ conſtent finito cogitationum numero, & omnes actu acceptæ conſtituãt numerum collectionum actu finitum, qui infinitus in potentiâ ſit quatenus abſque termino ſubire poteſt additionem aliarum & aliarum collectionum.

41 *DICES* Denique. Si omnia poſsibilia quæ cognoſcuntur à Deo, exiſterent ſimul ac realiter, eſſent infinita actu ſecũdùm eſſe reale. At tunc non eſſent plura, quàm modò ſint in mente divinâ, ſive in eſſe obiectivo; ſed totidem, imò eadẽ. Ergo modò poſsibilia omnia in mente divinâ, ſive in eſſe obiectivo, ſunt infinita actu. Ideoque in ijs obiectivè conſideratis vrgebunt eadem argumẽta, quibus impugnavimus opinionem adverſam.

42 *RESP*. Si omnia poſsibilia quæ cognoſcuntur à Deo ſimul ex parte actus, exiſterent ſimul ac realiter ex parte termini, eſſent infinita in actu & non eſſent penes realitatem. Eſſent quidem infinita in actu, quia exhaurirent Omnipotentiã Dei, quæ per nihil finitum exhauriri poteſt. Nõ eſſent infinita in actu: quia in ijs practicè exiſtentibus reverà eſſet primum & vltimum, ac proinde duo termini immediati, qui repugnant infinito, in actu, vt ſæpè dictum eſt. Ex quibus patet ad maiorem ſyllogiſmi. Similiter ad minorem propoſitionem dicimus, tunc poſsibilia omnia actu exiſtentia fore & non fore plura, quàm modò ſint in mente divinâ. Forent plura, quia eſſent infinita in actu omnium infinitorum maximo, & ex infinities infinitis multitudinibus conſtanti; cùm tamen in mente divinâ ſolùm ſint infinita in potentiâ penes plures & plures multitudinis finitas. Non forent plura: quia ad omnia illa & ſingula extenditur Omnipotentia & ſcientia Dei. Vnde patet contradictio & impoſsibilitas vt omnia poſsibilia ſimul, & de facto producantur. Denique negatur conſequentia: quoniam modò in mente divinâ, ſeu in eſſe obiectivo, poſsibilia omnia non ſunt actu infinita, ſed in potentia ſolùm, & non tot, quin plura, ſeu non tot collectiones poſsibilium numero finitorum, quin plures, & plures. Nec mirum ſi actu infinita non ſint prout in eſſe obiectivo, & condiſtinctè ab actu ſcientiæ divinæ per modum ter-

mi-

mini : nam ſub hac conſideratione nullam actualitatem realem habent, ac proinde nullam infinitatem in actu realem: quod enim omni actualitate reali caret, multo magis alienum eſt ab omni actualitate infinita, quæ realis ſit. Quòd ſi verò chimæricam eſſe velis, non contendo ampliùs, quia ea vltrò permiſſà, habemus denique nullum eſſe poſſe infinitum numerũ in actu, niſi chimæricum.

DISP. VIGESIMATERTIA.

DE INFINITO PENES INTENSIONEM.

An omnino repugnet?

Num. 1. *HANC Controverſiam breviter expediemus, quoniam eius reſolutio maximè dependet ex doctrinà circa præcedentem diſputationem, quæ ferè tota huc transferri poteſt: quoniam ſi poſsibilis eſt qualitas infinitè intenſa, poſsibiles quoque erunt in eà infiniti numero gradus intenſionis, ſive homogenei, ſive heterogenei; ſeu realiter, ſeu modaliter, ſeu virtualiter ſaltem diſtincti, iuxta varias opiniones. Vnde quæcumque circa numerum rerum infinitum tradita ſunt, etiam infinitæ intenſioni adaptari poſſent; ideoque in præſenti repetenda non erunt, ſed aliquando & breviter indicanda. Quare illa ſolùm expediemus quæ ſpeciatim ad repugnantiam aut non repugnantiam infinitæ intenſionis ſpectant, præiactis tamen ijs, quæ adnotavimus* diſp. 21. a num. 5. vſque ad 11. *quæ hic opportunè inſeri poſſunt. Habet locũ hæc diſputatio, ſicut & duæ præcedentes, hoc* lib. 3. a cap. 4. vſque ad 8. *excitarique poteſt in Prædicam. cap. de Qualitate.*

SECTIO PRIMA.

Qualitatem infinitè intenſam, eſſe omnino impoſsibilem. Probatio aliquorum inefficax, ſpeciatim & multipliciter roboratur. Aliorum rationes reiectæ.

2 REPVGNAT Omnino qualitas infinitè extenſa. Ita Doctores omnes allegati ſuprà *diſput.* 21. *num.* 2. ac præterea Scotiſtæ omnes cũ Doctore Subtili *in* 3. *diſt.* 13. *q.* 4. quanquam oppoſitum docuerint, etiam de facto, Maior *in* 3. *diſt.* 3. & Almainus *ibid. q.* 1. aſſerens ſuo tempore fuiſſe receptiſsimum inter Doctores Pariſienſes. Quibus, in ordine ad poſsibilitatem qualitatis infinitè intenſæ, ſubſcribunt ex Recentioribus Oviedo *controverſ.* 14. *punct.* 5. alijque: & quo ad exiſtentiam actualem eiuſmodi qualitatis Maldonatus *Lucæ* 2. *v.* 40. Petrus Hurtado *diſp.* 48. *ſect.* 2. §. 15. Bernal *diſput.* 30. *de Incarn. ſect.* 3. Sancta-Crucius in Phyſica *à num.* 693. & problematicè Mæratius *diſput.* 23. *ſect.* 4. agentes ſpeciatim de gratia Chriſti Domini, quam actu infinitam cenſent. Verum longè præferenda eſt oppoſita & communis ſententia, quæ negat qualitatem infinitè intenſam, adhuc de poſsibili. Priùs vero, quàm ad illam ex mente proprià ſuadendam accedamus, quaſdam aliorum probationes examinare oportet.

3 *PROBANT I.* aliqui cum Valentia 1. *part. q.* 7. *art.* 3. §. *in hi verò.* Omnis qualitas intenſà eo ipſo quod exiſtat, habet primum & vltimum gradum intenſionis, ac proinde duos terminos immediatos, intra quos contineatur. At quidquid habet primum & vltimum, ſive duos terminos immediatos, intra quos contineatur, nequit, in eo genere eſſe infinitum; ſed neceſſario debet eſſe finitum. Ergo omnis qualitas intenſa eo ipſo quòd exiſtat, nequit eſſe infinita. Minor cum conſequentia patet. Maior quo ad priorem partem ſupponitur, quia primus gradus intenſionis eſt quaſi fundamentum cæterorum omnium qui ſequuntur, ſive ij finiti ſint, ſive infiniti: ac propterea qualitas intenſa eo ipſo quod exiſtat, debet habere primum gradum intenſionis. Quò ad poſteriorem verò partẽ, quà aſſeritur neceſſarius vltimus gradus, ſuadetur. Vltimum eſt illud, vltra quod, ſimul cum reliquis omnibus, non eſt aliud. Sed quælibet qualitas intenſa, eo ipſo quòd exiſtat, habet aliquem gradum, vltra quẽ, ſimul cum cæteris omnibus non eſt alius. Ergo quælibet qualitas intenſa, eo ipſo quòd exiſtat, habet aliquem gradum vltimum,

4 *VERVM* in hac ratione deſideratur ſolida illius maioris probatio quò ad ſecundam partem: qualis non eſt a Valentia adducta. Non enim eſt vltimum id, vltra quod ſimul cum cœteris omnibus, non reſtat aliud. Sic enim menſis Ianuarius poſſet dici vltimus anni, quia vltra illum, ſimul cum alijs omnibus, non reſtat alius menſis: & in qualitate valde intenſa, vt octo v. g. ſecundus gradus eſſet pariter vltimus; quia vltra illum ſimul cum alijs ſeptem nõ eſt alius gradus. Non ergo probatione hac ſuadetur propoſitio illa.

5 *ALIVNDE* igitur maior illa probari poſſet, reddique efficax argumentum præiactum. Vltimum eſt, quod exiſtens poſt omnes alias compares, illud præcedentes, non habet aliam poſteriorem ſe. Sed in qualibet qualitate intenſa, eo ipſo quòd exiſtat, debet eſſe aliquis gradus, qui exiſtens poſt omnes alios gradus ipſum præcedentes, non habeat alium poſteriorem ſe. Ergo in qualibet qualitate intenſa, eo ipſo, quod exiſtat, debet eſſe aliquis gradus vltimus. Maior ex ipſa terminorum apprehenſione innoteſcit. Minor, in quà poteſt eſſe totum diſsidium, probatur multipliciter. *Primò.* In qualibet qualitate intẽſa, eo ipſo quòd exiſtat, debet eſſe capacitas ad alium gradum intenſiorem & immediatum, quem Deus abſolutè poſsit addere, aut inducere; quomodocunque id fiat iuxta varias Philoſophorum ſententias circa intenſionem qualitatum. Etenim in additione, ſeu inductione gradus intenſionis maioris nulla repugnantia eſt; cùm qualitas ſit ex ſe intenſibilis magis ac magis in infinitum; ſicut & quantitas continua poteſt eſſe maior ac maior; & numerus poteſt accipere aliam atque aliam vnitatem, ſiue finitus ſit, ſiue infinitus ſupponatur, vt præcedentibus diſputationibus ſæpè demonſtratum eſt. Modò ſic. Ergo in qualibet qualitate intenſa, eo ipſo quod exiſtat, debet eſſe aliquis gradus, qui exiſtens poſt omnes alios gradus ipſum præcedentes, nõ habeat alium poſteriorem ſe. Probatur cõſequentia: Quia gradus ille immediatus gradui intenſionis ſuperaddito, antequam hic ſuperadderetur, ita erat poſt omnes alios gradus ipſum præcedentes, vt non haberet alium poſteriorem ſe. Quippe ſolùm poſtea per intenſionem novam habet gradum alium poſteriorem ſe & intenſiorem, quem antea nondum habebat. *Secundò* probatur eadem maior: Quia in prædicta hypotheſi, poſt additionem eius gradus ſupra quamlibet intenſiſsimam qualitatem in quovis gradu abſolutè poſsibili, verè diceretur de gradu illo ſuperaddito hic & nunc, exiſtere ita poſt omnes gradus præcedentes ipſum, vt iam non haberet alium poſteriorem ſe; quia nullus præterea gradus eſt ſuperadditus, niſi hic ſolus. Ergo & antequam hic adderetur, erat in ipſa qualitate gradus aliquis ipſi immediatus, qui ita eſſet poſt omnes alios ipſum præcedentes, vt tamen nondum haberet alium poſteriorem ſe. *Tertiò.* Cuicumque qualitati intenſæ, & in quovis gradu abſolute poſsibili, poteſt Deus auferre, ſeu remittere gradum illum, qui eſt immediatè vicinus alteri gradui nondum exiſtenti, & abſolutè poſſibili, vt modo loquebamur. In hoc enim nulla contradictio eſt. Ergo gradus ille vicinus gradui alteri abſolutè poſsibili, & nondum exiſtenti, ita exiſtit poſt omnes alios ipſum præcedentes, vt non habeat de facto alium poſteriorem ſe. Vnde perviâ illatione deducitur, gradum illum de facto eſſe vltimum omnium: ac proinde quamlibet qualitatem intenſam, eo ipſo quod exiſtat in quovis gradu intenſionis abſolutè poſsibili, debere contineri inter duos gradus, quorum alter ſit primus, alter vltimus; ſive, quod perinde eſt, inter duos terminos immediatos: quod planè repugnat infinito in actu.

6 *QVOD* Argumentum, prout à nobis propoſitum eſt, efficaciſsimum cenſeo, ſiue qualitas intendatur per gradus homogeneos, ſiue per heterogeneos. Vtravis enim opinione ſuppoſitâ, vrgeo ſic diſcurſum præiactum. Gradus vnicus noviter ſuperadditus, ſiue novitate entitatis, ſiue modi, ſiue ſolius radicationis maioris in ſubiecto, ſeu homogeneus aſſeratur, ſeu heterogeneus, ita exiſtet poſt omnes alios gradus præcedentes, vt non habeat alium poſteriorem ſe: quia nullus alius præterea ponitur ſuperadditus. Ergo gradus ille, qualitercunque explicetur, & iuxta quamvis opinionem, eo ipſo quòd exiſtat, eſt vltimus. Ergo quælibet qualitas abſolute poſſibilis, eo ipſo quòd exiſtat, & ipſi addatur vnicus gradus, iam habet vltimum aliquem gradum, & non ſolum primum, vt à principio habuit. Ergo & poſt additionem eius vltimi gradus eſt actu finita ſecundum intenſionem. Ergo potiori iure finita erat actu, priuſquam gradus ille ſuperadderetur.

7 *ADHVC* Tamen, reſponderi poteſt, iuxta doctrinam quorundam ex Adverſarijs, qualitatem illam fore actu infinitam, quamvis in eâ ſit primus & vltimus

gra-

gradus: Quia infinito in actu non repugnat contineri inter duos terminos intra proprium genus, dum tamen inter vtrumque tot ſint intermedij, vt nullis ſumptionibus, aut remiſsionibus finitis numero, & continuatis per totam æternitatem, vnquam exhauriri poſsint. Id verò habituram qualitatem, de qua diſputamus, quamvis inter duos extremos gradus, ſive terminos coërceretur.

8 *COETERVM* Evaſionem hanc in terminis æquivalentibus, qui facile inſtituto præſenti adaptari poſſunt, latiſsimè impugnavimus & reiecimus *diſput.* 21. *à num.* 16. *vſque ad* 24. vbi efficaciter probatum eſt, infinito in actu cuiuſcunque generis repugnare incluſionem intra duos terminos immediatos. Videantur ibidem dicta, ne eadem inculcentur: & conſtabit planè, quemadmodum infinito in actu ſecundùm magnitudinem, & multitudinem, ſic etiam infinito penes intenſionem omnino repugnās eſſe duobus terminis coërceri.

9 *PROBANT II.* alij. Si poteſt dari qualitas infinitè intenſa, poterit etiam dari gratia intenſa infinitè. Sed conſequens repugnat. Ergo & antecedens. Maiorem ſupponunt à paritate rationis. Minorem probant. Si enim poſſet dari gratia habitualis infinitè intenſa, poſſet homo viator conſtitui adeò ſanctus, vt iam nihil vltra mereretur. Etenim ſupra gratiam actu infinitam nullum aliud gratiæ augmentum cadere poſſet; cùm vnum infinitum nequeat eſſe maius alio. Abſurdum autem eſt hominem viatorem adeo ſanctum eſſe poſſe; vt iam nullum gratiæ augmentum mereri valeat.

10 *SED* Ratio hæc multipliciter debilis eſt. *Primò*: Quia nullum apparet abſurdum in eo quod vnum infinitum in actu ſive ſecundùm magnitudinem, ſive ſecundùm multitudinem, ſive ſecundùm intenſionem, ſit maius, vel minus, vel æquale alteri. Ergo homo exiſtens cum gratia infinitè intenſa, adhuc poſſet creſcere in ſanctitate, habereque illam intenſiorem & intenſiorem ex vi meritorum. Conſequentia patet, & antecedens late probatum fuit *diſp.* 20. *à num.* 35. pluribus, &, vt exiſtimo, efficacißimis rationibus. *Secundò* deficit: Quia eſto gratia illa aſſeratur impotēs creſcere, nihil mirum ſi negetur poſſe in ſubiecto illam habente dari meritum vlterioris gratiæ, Qua ratione Sapientiſsimus & Reverendiſsimus P. N. Magiſter Fr. Benedictus de la Serna, olim Salmantinæ Academiæ Decanus, & Generalis Noſter, *in Triumpho Deiparæ* docuit B. Virginem tam ingēti gratiæ habitualis cumulo præditam fuiſſe, vt iam nullum ipſius augmentum meruerit. Quod quanquam difficile ſit, non facilè reijcietur; cum plura & præcipua argumenta eidem doctrinæ adverſa ibidem propoſuerit ipſe; ac præterea in lacinia eiuſdem Operis; omniumque præſtiterit ſolutionem. *Tertiò* diſplicet: Quoniam ſtatutâ doctrinâ oppoſita circa Deiparam, & conceſſo ipſi merito vlterioris gratiæ iuxta communem Theologorum doctrinam; adhuc nulla eſt repugnantia in eo quod Deus poſsit alteri puræ creaturæ præbere gratiam abſolutè intenſiorem, imo & intenſiorem ea, quam dedit humanitati Chriſti. Ea vero ſuppoſita de poſsibili in homine puro, & nunquam extituro, difficilè probabitur in eo futurum meritum vlterioris gratiæ, ſi hæc aſſeratur infinita. Dicent enim Adverſarij, id eſſe omnino repugnās; non ex defectu meriti, ſed ex impoſsibilitate augmēti; quia gratia pervenit ad augmentum vltimum.

11 *PROBANT III.* aliqui ab abſurdis varijs eandem repugnantiam gratiæ infinitæ. Sequitur enim primò ex illa naturaliter proceſſurum ius ad viſionem Dei infinitè intenſam, atque adeò comprehenſivam divinitatis: quia viſio Dei infinitè intenſa deberet ipſum intueri infinitè, atque adeò quantùm viſibilis eſt. Hoc autem ſine ſtricta Dei comprehenſione fieri nequit. Sequitur ſecundo, merita eius creaturæ fore infinita ſecundùm intenſionem, præſertim ſi procederent ex toto conatu ipſius gratiæ: atque adeo habitura vim ad ſatisfaciendum pro peccatis generis humani, quanquam hæc ſupponantur moraliter infinita: quia meritum phyſicè ac moraliter infinitum excedit offenſam infinitam ſolùm moraliter. Vtrunque autem eſt manifeſtum abſurdum.

12 *NEVTRVM* tamen ex abſurdis illatis videtur ſequi. Non primum: Quia licet ex gratia infinitè intenſa ſequeretur ius ad viſionem Dei intenſam infinitè, & hæc de facto poneretur; adhuc non eſſet viſio Dei adæquata, ſive qua videretur Deus totaliter, aut quantùm viſibilis eſt: ac proinde nec comprehenſiva. Solum itaque eſſet viſio eſſentiæ atque Omnipotentiæ divinæ penetrans in ea infinita poſsibilia ex vi penetrationis cauſæ. Cæterum adhuc reſtarent infinities infinita poſsibilia penetranda in ipſa & ex

ipſa abſque termino: quemadmodum accepto infinito numero poſsibilium determinatæ ſpeciei, aut generis, eoque deſignato, adhuc intra ſinus Omnipotentiæ divinæ manent infinities infinita poſsibilia eiuſdem ſpeciei & generis. Comprehenſio autem ſtrictè dicta debet eſſe penetratio adæquata divinæ eſſentiæ & Omnipotentiæ, ita vt vi illius cognoſcatur omnia poſſibilia, ſive, quod perinde eſt, cognoſcatur ipſa quantùm cognoſcibilis eſt, quo ad omnia formalia & eminentialia. Nec ſecundũ ſequitur: Quoniam gravitas offenſæ ab aſſerentibus eſſe ſimpliciter infinitam in genere moris ponitur in longè altiori ordine, quam ſit ſatiſfactio & meritum cuiuſvis puræ creaturæ, quanquam hoc infinitè intenſum ſupponatur. Etenim maieſtas Dei offenſi, a qua formaliter deſumitur gravitas iniuriæ, infinitè atque incõparabiliter excedit dignitatem cuiuſvis gratiæ habitualis, etiam ſi hæc ſit intenſa infinitè. Neutrum ergo ex illatis abſurdis colligitur efficaciter, & vtrumque facilè negabunt Adverſarij iuxta ipſorum doctrinam.

QVARE ex tribus probationibus præiactis, ſola prima prout a nobis expenſa eſt, videtur efficax. Videamus ſi fortè aliæ ſuperſint gravioris momenti.

SECTIO SECVNDA.

Alia ratio probans repugnare in qualitate infinitos gradus diſsimiles, quoniam ex ijs præciuditur via ad probandum exiſtentiam vnius primæ cauſæ.

13 VT Aliter confirmem traditam & veriorẽ ſententiã, præmitto Adverſarios, quibuſcum diſputamus, nolle qualitates intendi per ſolã maiorem radicationem in ſubiecto, ſed per additionẽ graduũ; quorũ aliqui homogeneos eſſe aiunt, aliqui heterogeneos. Et quanquam argumentum ſtatim proponendum etiam polleat vrgeri variatis aliquantulum terminis contra intenſionem infinitam qualitatis per ſolam radicationẽ maiorẽ; ex profeſſo & ſpeciatim illud inſtituam cõtra aſſertores graduũ diſtinctorum, ſeu ſimilium, ſeu diſsimiliũ.

14 *ARGVMENTOR* Itaque. Repugnant in qualitate infiniti gradus. Ergo & repugnat qualitas infinite intenſa. Conſequentia patet ex doctrina Adverſariorum prænotata. Antecedens probo. Aut enim in qualitate eſſent infiniti gradus ſucceſsivè producti, vnus poſt alium; aut ſimul. At vtrunque repugnat. *Primum* quidem: nam ſucceſsione ſeu ſuperadditione finita, quantumcunque illa multiplicetur, nunquam deveniri poteſt ad numerũ graduum actu infinitum. Alioqui eſſet immediatus tranſitus a numero graduum maximo finitorum omnium ad numerum ipſorum actu infinitum, vt diſputat. præcedenti arguebamus; eſſetque aliquis graduum numerus, qui per vnius gradus additionem, detractionemvè, fieret, aut deſineret eſſe actu infinitus. quod abſurdiſſimum eſt. *Secundum* vero, ſcilicet, repugnare in qualitate infinitos gradus ſimul productos, ſic oſtendo ſpeciatim contra illos, qui volunt gradus intenſionis eſſe ſubordinatos, & inæquales in perfectione, ſeu heterogeneos. Si enim non repugnarent infiniti gradus eiuſmodi ſimul producti, ſive in eodem inſtanti reali; nõ repugnaret etiam quod in eodem inſtanti reali, & penes diverſas prioritates naturæ, vnuſquiſque eorum graduum produceret alium, primus ſecundum, ſecundus tertium, tertius quartum, & ſic de cæteris omnibus: ſiquidem nulla repugnãtia eſt, ſaltem ſecundùm poteſtatem Dei abſolutam, vt in eodem inſtanti reali, quo qualitas aliqua, vel quilibet ipſius gradus introducitur in ſubiecto, operetur ſecundùm totam ſuam vim, ac proinde intendat ſeipſum; ſive moraliter, vt contingit in habitibus ſupernaturalibus; ſive phyſice, vt in qualitatibus naturalibus, de quibus præcipue diſputo. Cumque hæc ratio æqualiter probet de omni gradu qualitatis ſimul producto; conſequens eſt, vt ſi nõn repugnãt infiniti gradus eiuſdem qualitatis ſimul producti, nec etiam repugnent infinitæ ipſorum cauſalitates ſimul, quarum quælibet ſit vnius in alium gradum ſibi immediatum, & perfectiorem, ſubordinatumque. Conſequens autem abſurdum eſſe, patet ex illo principio notiſſimo, quo aſſeritur, repugnare proceſſum in infinitum in cauſis ſubordinatis. Vnde Ariſtoteles, & communiter Philoſophi probant exiſtentiam vnius primæ cauſæ, ex repugnantia proceſſus eiuſmodi. Ergo repugnant ſimul infinitæ cauſalitates inter gradus ſubordinatos, ex quibus neceſſario infertur proceſſus in infinitum.

15 *CONFIRMATVR*, ſeu explicatur hæc ratio. Aſſumo gradum aliquẽ intenſionis præſupponẽtem infinitos alios minùs intenſos, & gradatim ſubordinatos. Certe hic, vt exiſtat, debet præſupponere alium immediatum à quo cauſetur, & ille alium, & ille alium, quin vnquam devenire poſ-

poſsit ad primum, nec ſi Angelus per ſingula inſtantia determinata æternitatis a parte poſt ſucceſsivè computet. Ergo cum omnes gradus eius qualitatis ſint ſubordinati, & vnus per ſe loquendo ſit cauſa alterius ſubſequentis, conſequens eſt, vt inter cauſas per ſe ſubordinatas detur proceſſus in infinitum.

16 *CONFIRMATVR II.* Permiſſa gratis poſsibilitate infiniti in actu ſecundùm numerum, adhuc tamen illud repugnat in cauſis per ſe ſubordinatis: quia nulla entitas creata exigere poteſt per ſe loquendo infinitam ſeriem cauſarũ. Quælibet enim creata entitas eo ipſo quòd exiſtat, determinatam habet naturã; ac proinde determinatã exigit cauſam, quæ huius vel illius naturæ ſit; ideoque nequit pendere à confuſa & infinita ſerie cauſarum. Sed gradus quilibet infinitę intenſionis deberet exigere per ſe loquendo infinitã ſeriẽ cauſarum; ſcilicet, infinitã ſeriem graduũ præcedentium, quorũ quilibet prior eſſet cauſa poſterioris. Ergo repugnat gradus infinitę intẽſionis, qui in rerũ natura exiſtat. Aut certè exiſtere poterit aliqua entitas creata, quæ determinatam naturam non habeat, quoniã exiget per ſe loquendo ſeriẽ cauſarum infinitã, confuſam, & indeterminatã.

17 *DICES* fortè, non obſtanti præſuppoſitione infinitorum graduum diſsimiliũ & ſubordinatorum per ſe loquendo ante quemvis gradum infinitè intenſum, adhuc in ea qualitate eſſe gradum aliquem primum omnium, & quaſi principium cœterorum omnium ſubſequentium; à quo inciperet intenſio. Hic verò gradus non præſupponit alium, ſed cauſam primam, a qua procedit: ac proinde non præcludit viam ad probandam vnius primæ cauſæ exiſtẽtiam. Data autem infinita ſerie cauſarum per ſe ſubordinatarum, vt ab atheis ponitur, nulla illarum eſt prima à qua cœteræ omnes incipiant; ſed quælibet per ſe præſupponit aliam & aliam, quin vnquam in ea ſerie, hominum v.g. extiterit vnus aliquis qui fuerit omninò primus, & origo cœterorum omnium. Ergo ſtat optimè proceſſum in infinitum, prout ab atheis ponitur, præcludere viam ad probandum exiſtentiam vnius primæ cauſæ, quin idem abſurdum ſequatur ex proceſſu in infinitum conceſſo inter gradus ſubordinatos qualitatis eiuſdem.

18 *SED Contrà I.* Argumentum enim propoſitum extorquet, non fore aliquem gradum primum omnium in qualitate infinitè intẽſa, ſed ante quemlibet deſignatum neceſſariò præſupponi debere alium & alium, per ſe loquendo. Ergo præcludit viam ad probandum exiſtentiã vnius primæ cauſæ pariter, ac proceſſus in infinitum confictus ab atheis. Conſequentia patet ab everſione ſolutionis adverſæ. Antecedens verò ſuadetur. Hoc ipſo quòd ab æterno fuiſſet ſeries generationum per ſe loquendo, nullum poſſet aſsignari generans primum omnium; ſed ante quodlibet deſignatũ neceſſariò præſuppoſitum fuiſſet aliud & aliud; quia ſeries illa à parte antè infinita fuiſſet, & infinitæ ſeriei à parte antè repugnat ortũ ducere ab aliquo principio intra ipſam primo. Ergo hoc ipſo quòd in qualitate intenſa ſit infinita ſeries graduum priorum & poſteriorum per ſe loquendo, repugnat aſsignari gradum aliquẽ omnium primum, & cœterorum principium; ſed ante quemlibet gradum deſignatum deberet præſupponi alius & alius. *CONTRA II.* Quia ſeries cogitationum futurarum eſt futura infinita per æternitatem à parte poſt, aſsignari nequit in illa cogitatio aliqua, quæ futura ſit vltima; neceſſariumque eſt, vt qualibet deſignata, reſtet alia vlterior & vlterior. Ergo pariter, ſi ſeries graduum in qualitate aliqua eſt infinita, nequit in ea aſsignari gradus primus; neceſſumque erit, vt quovis aſsignato præcedat alius prior & prior. Quòd ſi aliunde velint Adverſarij, in illa qualitate præſupponi debere gradum primum, veluti fundamentum cœterorum (prout & nos à principio argumẽti aſſumebamus) implicatoria docent, ſtatuentes ex vno capite gradum primum, & ex alio coacti ipſum negare ob ſeriem cauſarum infinitam. *CONTRA III.* Demonſtratum enim eſt *ſect. præced. n. 5.* in omni qualitate, eo ipſo quòd exiſtat, debere eſſe gradum aliquem omnium vltimũ; & præterea repugnare qualitatẽ infinitã, ſi aſſeratur habere duplicem vtrinque terminum, ſive gradum primum & vltimum. Supereſt igitur, vt qualitas infinitè intenſa ita haberet gradum aliquem vltimum, vt tamen careret primo gradu. Ergo ad cauſandum gradum vltimum neceſſariò daretur proceſſus in infinitum penes cauſas, ſive gradus per ſe ſubordinatos, quin vnquam deveniretur ad primum. Ergo quemadmodum ex infinita ſerie cauſarum per ſe ſubordinatarum, abſque vlla ipſarum prima omnium, enervatur præcipuum illud argumentũ, quo probari ſolet exiſtentia vnius primæ cauſæ contra atheos; ita etiã ex eo quòd in qualitate aliqua exiſtãt infiniti gradus intenſionis abſq; aliquo omniũ primo.

Verùm quantâ ſit huius argumenti efficacia, conſtabit ex dicendis tum *lib. 7.* tum & in Metaph. vbi propriam ſedem habet.

SECTIO TERTIA.

Iterum oſtenditur repugnantia infinitorum graduum diſsimilium eiuſdem qualitatis. Quomodo reijciendi ſint infiniti gradus ſimiles.

19 R*VRSVS* Efficaciter oſtenditur implicantia infinitorum graduum diſsimilium eiuſdem qualitatis, ſive ſubordinatorum ſub aliqua ſerie primi, ſecundi, ac tertij, &c. quoniam ſic neceſſum foret exiſtere infinitum gradũ aliquem determinatum, excedentem gradum finitũ immediatũ, exceſſu ſolùm finito, & non maiori, quàm ſit exceſſus gradus ſecundi ſupra primum. At conſequens abſurdum eſt. Ergo & doctrina ex qua infertur. Abſurditas conſequentis facile evincitur: Quoniam omne infinitum cuiuslibet generis infinitè diſtat a quolibet finito intra idem genus; gradus autem primus à ſecundo parùm, imò & minimùm diſtat. Sequelam probo: Etenim poſita qualitate infinitè intenſa ſecundùm gradus diſsimiles, non omnes eſſent penes intenſionem infiniti, vt patet; ſed aliqui finiti, & aliqui infiniti: ac proinde ſuccedente ſerie finitorum graduum in intẽſione, aliquis demum eſſet immediatè vicinus gradui infinitè intenſo; ac per conſequens finitè ſolùm ab eo diſtans, ſicut primus à ſecundo. *CONFIRMATVR I.* Series illa graduum finitè intenſorum ita decurreret à primo ad cæteros ſequentes, vt alicubi tandem deſineret; terminaretúrque immediatè vbi primùm inciperet ſeries graduum penes intenſionem infinitorum. Ergo deberent ſibi invicẽ atque immediatè occurrere, gradus finitus ex vna parte, & gradus infinitus ex alterà: ac proinde alter ab altero ſolùm finitè diſtaret, imò & minimùm, qualiter ſecundus gradus intenſionis à tertio. quod improbatum manet. *CONFIRM. II.* In illa collectione omnium graduum diſsimilium, & ſibi gradatim ſuccedentium, Deus clarè cognoſceret quinam eſſent finiti, quinam infiniti ſecundùm intenſionem: ac proinde videret quouſque pertingerent finiti, & vnde inciperent infiniti. Cũ enim eſſent gradus ſubordinati, & determinati, adæquatéque diſtincti, & in rerum natura exiſtẽtes; omnium & ſingulorum haberet Deus notitiam diſtinctam, atque intuitivam. Ergo videret planè Deus in termino finitorũ graduum & initio infinitorum, vicinos immediatè, ſibique invicem cohærentes gradus, quorum alter eſſet finitus, & alter infinitus. Ergo videret alterum ab altero ſolùm finitè diſtantem in intenſione: quod repugnat gradui finito relatè ad infinitum.

20 *ITEM*, perſiſtendo in eodem infinito, neceſſariò exiſteret gradus vnus finitorum omnium intenſiſsimus, & alter infinitorum omnium remiſsiſsimus, Nimirum, qui poſt cæteros omnes finitos eſſet vicinus immediatè gradui infinito, foret omnium finitorum intenſiſsimus: ille vero remiſsiſsimus omnium infinitorum, quoniam præ cæteris infinitis appropinquaret gradui finito. Modò ſic. Ergo exiſterent duo gradus immediatè vicini, quorum alter addito vnico gradu intenſionis infinitus eſſet; alter vero ablato vnico gradu deſineret eſſe infinitus. Sive, vt clariùs loquar, & propriùs, eadem qualitas acceſſu vni⁹ gradus infinita eſſet, & defectu alterius deſineret eſſe infinita. Quod planè repugnat non minùs, quam in quantitate, ſive continua, ſive diſcreta, magnitudo ac multitudo aliqua, quæ acceſſu aut defectu vnius particulæ vel vnitatis, ſit aut deſinat eſſe infinita: vt præcedentibus diſputationibus probatum eſt.

21 *PRÆTEREA*. Data illa intenſione infinita penes gradus inæquales, gradus exceſſi eſſent plures & non eſſent plures, quam excedentes. quod apertam contradictionem involvit. Prior ſequelæ pars conſtat: Quia nullus foret gradus excedens, qui non eſſet exceſſus, ſeu qui non haberet alium & alium intenſiorem ſe, ac proinde excedentem (alioqui eſſet gradus aliquis vltimus, quod negant, & negare tenentur Adverſarij) & aliunde eſſet aliquis gradus, qui non excederet alium, nempe primus. Ergo multitudo exceſſorum eſſet maior, ſaltem vnico gradu & primo, multitudine excedentium, eſſentque proinde plures gradus exceſsi, quàm excedentes. Poſterior verò eiuſdem ſequelæ pars ſuadetur. Non enim poſſet multitudo exceſſorum eſſe maior multitudine excedentium; quia ſingulis gradibus exceſsis correſponderent neceſſariò ſinguli excedentes. Ergo totidem eſſent gradus excedentes, ac exceſsi.

22 Explicatur ampliùs hæc ratio, quam demonſtrativam exiſtimo. In qualibet qualitate ſolùm finitè intenſa penes

gra-

gradus diſsimiles, neceſſarium eſt totidem gradus inveniri excedentes, quot fuerint exceſsi. Pone calorem octo gradibus diſsimilibus conſtantem. Neceſſariò invenies ſeptem excedentes, & ſeptem exceſſos, nec plures, nec pauciores. Quippe, cùm primus non excedat alium, nequit ingredi numerum excedentium: & ſimiliter octavus quia non habet alium intenſiorem ſe, ſive excedentem, nequit cõputari inter exceſſos. Vnde neceſſariò concluditur, quoties qualitas eſt intenſa finitè, ſecundùm quemcunque numerum graduum abſolute poſſibilem in individuo, totidem fore gradus excedentes, quot exceſſos: quia quælibet qualitas finitè intenſa, neceſſario conſtare debet gradu primo & vltimo diſsimilibus: & prim⁹ ſolus excludi debet à numero excedentium; vltimus vero, etiam ſolus, à numero exceſſorum. Ergo totidem neceſſariò erunt gradus diſsimiles exceſsi & excedentes, in qualibet qualitate intenſa finitè. Si autem infinitè intenſam aſſeras; neceſſario dicere debes (vt Adverſarij dicũt) eſſe quidem in ea graduum primũ, qui nullum alium excedat; non verò vltimum, qui à nullo alio excedatur. Quippe repugnat infinitum in actu habens in proprio genere primum & vltimum. Ergo neceſſario dicere debes non fore in ea qualitate plures gradus exceſſos, quàm excedentes; quia ſingulis gradibus exceſsis reſponderent ſinguli excedentes, & nullus ita excederet ſingulos præcedentes atque inferiores, vt non excederetur à ſubſequente alio ac perfectiori. Aliunde verò cogeris dicere, gradus exceſſos fore plures: quia numerum illorum ingreditur primus, ab omnibus alijs exceſſus, & nullum alium excedens. Ergo de primo ad vltimum teneris devorare apertam contradictionem, concedendo ſimul & negando, gradus exceſſos fore plures & non fore plures gradibus excedentibus.

23. *DICES*, ſi hoc argumentum quidquam probat, pariter oppugnare infinitum in potentia penes intenſionem communiter admiſſum: Quia cùm in eo ſit gradus primus, & repugnet vltimus, neceſſum erit in eo eſſe plures gradus exceſſos, quàm excedentes, & ſimul non eſſe plures: gradibus enim ſingulis exceſsis reſpondent ſinguli excedentes in potentia; & tamen aliquis gradus exceſſorum, nempe primus, non eſt excedens.

24 *SED Contrà I.* Infinitum enim in potentia ſecundùm ea omnia, quæ actu habet penes intenſionẽ, non ſubiacet prædicto abſurdo; quoniam in eo eſt actu primus & vltimus gradus; ac proinde totidem ſunt gradus excedentes, quot exceſsi, detracto ab illis primo, & ab his vltimo, vt nuper arguebamus. At verò ſi detur actu infinita intenſio penes gradus diſsimiles, ſolùm erit in ea gradus primus, non verò vltimus, ſecundùm Adverſarios. Quamquam enim nos ſuprà *ſect. 1 num. 5.* contẽderimus multipliciter, fore in ea qualitate gradum aliquem vltimum, illumque extorquere videantur rationes à nobis propoſitæ; Adverſarij tamen oppoſitum ſtatuunt neceſſaria doctrinæ illatione ad tuẽdum infinitũ, quod duobus terminis vtrinque coërceri nequit. Poſito autem in qualitate gradu primo, & negato vltimo ex actu exiſtentibus, neceſſario colligitur, numerum graduum exceſſorum fore ſimul & non fore maiorem numero excedentium graduum. *CONTRA II.* Infinitum enim in potentia ſi conſideretur ſecundùm ea quæ nondum habet actu, & penes quæ additionem ſuſcipere poteſt, ſive penes magnitudinem, ſive penes multitudinem, ſive intenſionem; talis naturæ eſt, vt non poſsimus loqui de illo collectivè adæquatè. Quippe ſolùm conſiſtit in hoc, quod neque exiſtere, neque cogitari poſsit collectio aliqua finita, vltrà quam non poſſit exiſtere & cogitari alia maior ac maior, etiam finita. Definitur enim id, *extra quod ſemper eſt aliquid accipere.* Vnde ſolùm licet accipere in eo collectiones finitas, quæ ſemper habent primum & vltimum: ac proinde non infertur fore in ipſo ſimul & non fore plures gradus, partes, vnitateſque exceſſas, quam excedẽtes; ſed potiùs totidem. Si vero inſtituas argumentum de toto illo collective ſumpto, & adhuc ſub hac ratione non habente vltimum; implicas planè in adiecto, vt oſtenſum eſt *diſput. præced. à num. 37.* Vide ibi.

25 *EST* inſuper manifeſta diſparitas inter infinitum ſyncathegorematicum diſsimilium graduum ex vna parte, & cathegorematicum ex alterà. *Primò* enim infinitum cathegorematicum ſecundùm ea quæ actu haberet, ſolùm haberet primum, non vero vltimum: ac proinde plures gradus exceſsi eſſent in illo, quam excedentes, & non eſſent, penes eadẽ ipſa, quibus actu conſtaret. Cõtra verò ſyncathegorematicũ, penes omnia illa quæ actu habet, ſive in re, ſive in intellectu, etiam divino, ſimul habet gradũ primũ & vltimũ. Vnde non ſequitur in illo contradictio eadẽ. *Secundò:* Hoc ipſo quòd daretur infinitum in

actu graduū diſsimiliū, ác proinde gradus infiniti excedentes; aliquis illorum determinate & poſitivè excederet infinitos, ſibi ſubordinatos & gradatim diſpoſitos ordine primi, ſecundi, tertij. &c. quod impoſsibile eſſe iam ſupra oſtenſum eſt. Neq; enim poteſt veroſimiliter negari, illo ordine deveniri ad infinitos gradus perfectiores & perfectiores actu exiſtentes, quin aliquis illorum determinatus, & aſsignabilis à Deo, excedat infinitos præcedentes, & minùs intenſos. Quemlibet enim illorum diſtinctè atque ex certa ſcientia cauſaret Deus, tanquam adæquatè diſtinctum ab omni alio, & per liberum ac ſingulare ſuæ voluntatis decretum. Ergo videret illum, veluti poſitivè ac determinatè excedentem infinitos gradus præcedentes. Cæterùm inconveniens hoc non vrget in infinito ſyncathegorematico, neque in ſcientia Dei cognoſcentis illud actu. Non enim in eo eſt poſsibilis, nec videtur a Deo gradus aliquis determinatus, aut indeterminatus, infinitè intenſus; neque aliquis præſupponens infinitos gradus inæquales: ſed omnes gradus poſsibiles, & a Deo viſi, continentur intra metas intenſionis finitæ maioris ac maioris, quin aliquis ita intenſus videatur, vt alius finitè intenſior non ſit poſsibilis, aut menti divinæ intelligibiliter præſens.

26 *RESTAT* excludere à qualitate infinitos gradus intenſionis omnino ſimiles, ſive homogeneos. Verùm ad hoc præſtandum efficaciter, deſervire poſſunt omnia argumenta, quæ latè propoſuimus diſputatione præcedenti contra infinitum multitudinis. Poſita enim qualitate infinitè intenſa penes gradus ſimiles, neceſſum eſt in ea eſſe multitudinem actu infinitam eorundem graduum, vt ex ſe patet. Igitur argumenta ibidem propoſita, dum exturbant poſsibilitatem multitudinis actu infinitæ, pariter improbant poſsibilitatem qualitatis infinitè intenſæ penes ſimiles gradus.

27 *POSSET* ſimiliter qualitas infinitè intenſa, qualitercumque intenſio fiat, impugnari ijs rationibus, quibus alij frequenter vtuntur, deductis ex limitatione formæ accidentalis per ſubiectū in quo recipitur. Sed quoniam id præſtitum eſt ſufficienter ab alijs, præſertim Thomiſtis, omittendum duximus modò. Sat ſit inſeruiſſe hic, quæ minùs obvia, & ab alijs prætermiſſa. Non deſinam tamen addere theologicum argumentum contra Adverſarios, quòd ſingularem vim habeat iuxta ipſorum doctrinam, qualitercumque explicetur intenſio.

SECTIO QVARTA.

Probatio theologica ex repugnantia gratiæ penes intenſionem infinitæ.

28 *VLTIMO* Argumentor in hunc modum. Si poſsibilis eſſet qualitas infinitè intenſa, idem eſſet dicendum de gratia habituali, quæ vera qualitas eſt. Si autem poſsibilis eſt gratia habitualis infinitè intenſa, nulla obſtat ratio, vt de facto in anima Chriſti nō fuerit. Imo apparet conſequens, vt humanitas ſemel à Verbo aſſumpta, & ab ipſo ſubſtantialiter ſanctificata, acceperit plenitudinem infinitæ gratiæ accidentalis, ſi ſemel hæc poſsibilis eſt. Nam, vt inquit Damaſcenus *lib. 3 Fidei, cap.* 22. & argumentatur a maiori ad minus, *ſi tunc caro Verbo Deo vnita fuit, & perſonalem cum eo identitatem habuit; quid tandem, quòd omnibus ſapientiæ, gratiæque dotibus affulſerit?* Ideoque communiter Theologi 3. *p. à quæſt.* 7. *vſque ad* 11. omnes perfectiones naturales & ſupernaturales humanæ naturæ poſsibiles, de facto in Chriſto collocant, quoties decent, & nullam oppoſitionem habent cum fine redemptionis. Atqui abſurdum eſt dicere, in Chriſto fuiſſe gratiam habitualem infinitè intenſam. Ergo illa non eſt poſsibilis. Probatur abſurditas conſequentis multipliciter. *Primò*: Si gratia habitualis Chriſti eſſet infinitè intēſa, etiam omnes habitus ſupernaturales ipſius fuiſſent infinitè intenſi; quoniam habitus per ſe infuſi habent eandem menſuram cum gratia habituali. Similiter & viſio beatifica, & omnes actus ſupernaturales Chriſti fuiſſent infinitæ intenſionis: quia Chriſtus Dominus ſemper operabatur iuxta intenſionem habituum, & neque in minimo deerat gratiæ divinæ. At repugnat actus ſupernaturales fuiſſe infinitæ intenſionis in Chriſto. Quælibet enim infinita intenſio operationis ratione infinitorum graduum exigit infinitos conatus ſimul, quos non poterat habere humanitas Chriſti, quamvis adiuvaretur a cauſa infinitè intenſa: quia cauſa finita, qualis eſt humanitas Chriſti, nequit ſimul elicere infinitos conatus: alioqui exhauriretur ante poſitionem ipſorum.

29 *CONFIRMATVR* eadem probatio. Si operationes ſupernaturales Chriſti fuiſſent infinitæ, poſsibiles etiam eſſent in ipſo, imo & exiſtentes operationes natura-

turales infinitæ intenſionis; ſaltem illæ, quæ ad ſcientiam & virtutem ſpectant; vtpotè dignæ Deo homine; cùm eadem omnium ratio ſit. Vnde colligeretur, poſsibilem eſſe creaturam exigentem naturaliter operationes omnes infinitæ intenſionis & perfectionis in ordine naturali: Quia de ratione cuiuslibet perfectionis naturalis eſt, vt debita ſit alicui naturæ creatæ, aut creabili: alioqui illa ſupernaturalis eſſet. Conſequens autem repugnat: cùm omnis natura creata & creabilis ſit eſſentialiter finita & limitata; ac proinde nequeat ab intrinſeco exigere operationem perfectionemvè actu infinitam.

30 *SECVNDO* probatur eadem conſequẽtis abſurditas. Si enim ex eo quod poſsibilis ſit gratia infinitè intenſa, colligitur eam fuiſſe in Chriſto de facto; quia etiã iuxta doctrinam Adverſariorum produci poteſt ſimul omnis gratia abſolutè poſsibilis, dicendum foret illam fuiſſe ſimul totã in Chriſto: quod vnò ex ipſis Mæratius concedit *diſput.* 23. *ſect.* 4. iam allegatâ. Vnde & infertur, eoſdem numero gradus gratiæ, qui ſunt diſperſi in omnibus hominibus, de facto exiſtere in humanitate Chriſti: quod idem Author vt probabilius concedit. At nihil magis a probabilitate alienum eſſe poſſe, convincit abſurdum inde ſecutum: nempe, animam Chriſti ſimul eſſe per totum mundum diſperſam, & realiter præſentem vbicumque iuſti ſunt in cœlo, & terrâ. quod ſanè proximum eſt Vbiquiſtarum errori. Sequela probatur. Poſitò enim altero extremorum in vno loco adæquato, etiam alterum extremum ipſi vnitum in eodem loco exiſtere neceſſum eſt. Sed iuxta doctrinam Adverſariorum eadẽ numero gratia, quæ eſt vnita animæ Chriſti, eſt etiam in pluribus locis adæquatis, in quibus ſunt omnes iuſti, tam in cœlo, quàm terrâ. Ergo & anima ipſa Chriſti erit ſimul in pluribus & innumeris locis adæquatis, in quibus ſunt omnes iuſti, tam in cœlo, quam in terrâ.

31 *CONFIRMATVR* Ratio præcipua. Iuxta Tridentinum *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus vini, & ſanguis ſub ſpeciebus panis, *vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini, qui iam à mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur.* Idemque de divinitate ipſius ſubditur, *propter admirabilem illam cùm corpore & anima hypoſtaticam vnionem.* Eamdemque ipſam doctrinam tradiderat D. Thomas 1. *p. q.* 76. *art.* 1. reddens rationem generatim loquendo: *Si enim aliqua duo ſunt realiter coniuncta, vbicumque eſt vnum realiter, oportet & aliud eſſe.* Quæ verba vſurpat Catechiſmus Romanus *de Sacrament. Euchar.* §. 34. Atqui anima Chriſti & ipſius gratia habitualis realiter coniunctæ ſunt. Ergo ſi gratia ipſa Chriſti eſt in pluribus locis adæquatis ac diſperſis per cœlum & terram, vbicũque exiſtunt iuſti; etiam anima Chriſti in eiſdem locis eſt, & diſperſa per cœlum & terram: imò non tam diſperſa, quàm quodammodo immenſa. Quod quam affine ſit errori Vbiquiſtarum, ab Eccleſia proſcripto, conſtabit ex dicendis *diſp.* 26. Interim accipe verba Hippolyti Portuenſis *in Collectaneâ Anaſtaſij Bibliothecarij*, probantis ex diverſitate naturarum divinæ & humanæ, priorem eſſe in Chriſto immenſam, poſteriorẽ vero certo loco definitam. Ait enim Chriſtum θεὸν ἄπειρον ὁμοῦ, καὶ περίγραπτον ἄνθρωπον ὄντα τε νοούμενον, τὴν οὐσίαν ἑκατέρου τελείαν τελείως ἔχοντα: *ſimul & immenſum eſſe, intelligique Deum, & circumſcriptum hominem, qui vtriuſque perfectam ſubſtantiam perfectè habeat.* Verùm hæc pauca ex Theologia, prætermiſsis alijs, libaſſe ſufficiat.

32 *ARGVMENTA* in oppoſitum, aut nulla, aut levia ſunt, & ſolùm probant infinitatem qualitatis in potentiâ, vt magis ac magis intendatur. Ideo ea omittere placuit; præcipuè, cùm præſtantiores Adverſariorum nullo poſitivo fundamento nitantur, ſed negativo & ſolius non repugnãtiæ. Quiſquis tamen ſingillatim ea, ipſorũque ſolutiones legere voluerit, conſulat Suarez *diſp.* 30. *Metaph.* Rubium *tract.* 2. *q.* 3. Averſam *q.* 24. *ſect.* 5. Lalemandetum *diſp.* 6. Izquierdo *tom.* 1. Theol. *tract.* 6. *diſput.* 13. Complutenſes *diſp.* 18. *q.* 6. Ioannẽ a S. Thoma *q.* 15. Nobis ſatis fuerit tota ferè diſputatione obſervaſſe, quæ minùs obvia, & ſingulari nota digna ſunt viſa; remiſſo Lectore ad eos Authores, in quibus cœtera inveniat.

***

DISP. VIGESIMA QVARTA.

DE LIMITATIONE CREATVRARVM.

An ſit poſsibilis creatura omnium perfectiſsima, aut imperfectiſsima?

Num. 1. STATVTA Diſputationibus praecedentibus impoſsibilitate infiniti ſecundùm magnitudinem, multitudinem, & intenſionem, reſtat inquirendum, poſsibiliſnè ſit creatura omnium perfectiſsima, ſeu quâ perfectiorem aliam Deus producere nequeat. Cumque oppoſitorum eadem ratio ſit, conſequenter inquirendum, an etiam ſit poſsibilis aliqua omnium imperfectiſsima, ſeu quâ imperfectiorem nullam creare valeat. Si autem prior illa ſupponatur non repugnans, examinandum erit, quanta deberet eſſe illius perfectio. Exercitari ſolet haec diſputatio ab AA. hoc lib. 3. c. 5. & 8. quia creatura omnium perfectiſsima deberet eſſe actu infinita in perfectione. quòd Philoſophus iis locis negat poſsibile.

SECTIO PRIMA.

Repugnantia creaturæ omnium perfectiſsimæ ſtatuitur & probatur ratione deſumptâ ex S. Dionyſio. Euaſiones Adverſariorum multipliciter præcluſæ.

2 SIT I. *Aſſertio.* Repugnat, ſeu impoſſibilis eſt creatura omnium perfectiſsima. Ita S. Thomas 1. *p. q.* 25. *art.* 6. & *q.* 1. *de Potentiâ art.* 2. & 2. *contra Gent. cap.* 26. & *in* 1. *diſt.* 44. *q.* 1. *art.* 1. alijſque locis poſtea exſcribendis: Bonaventura *in* 1. *diſt.* 44. *q.* 1. Ægidius *Quodlib.* 3. *q.* 5. Capreolus *in* 1. *diſt.* 43. *q. vlt. art.* 2. Richardus *Quodlib.* 2. *q.* 4. Soncinas 12. *Metaph. q.* 5. Argentina *in* 2. *diſt.* 1. *q.* 2. Caietanus & Zumel loco allegato *in* 1. *p.* Hervæus *Quodlib.* 7. *q.* 2. Maſius & Rubio *in præſenti*, Vazquez *tom.* 1. *in* 1. *p. diſput.* 106. *cap.* 1. Lalemandet *diſp.* 7. *part.* 4. *in deciſione num.* 16. Hurtado *in Phyſicâ diſp.* 13. *ſect.* 1. Conimbricenſes *lib.* 4. *Phyſic. cap.* 8. *q.* 3. *art.* 2. Complutenſes *diſp.* 18. *q.* 3. Oviedo *controverſ.* 14. *puncto* 7. Spinula *diſp.* 9. *ſect.* 7. Faſſolus 1. *part. diſp.* 11. *num.* 4. Compton *diſput.* 56. *ſect.* 8. eruditiſsimus ac doctiſsimus Richardus Lynceus *lib.* 7. *tract.* 3. *cap.* 2. Quiros *diſp.* 63. *ſect.* 2. Cavellus 2. *Metaph. q.* 6. *ſchol.* 2. Maſtrius *diſp.* 10. *art.* 2 plureſque alij communiter contra Durandum *in* 1. *diſt.* 44. *q.* 2. Bacchonem *ibidem q.* 1. *art.* 2. Henricum Gandavenſem *Quodlib.* 3. *q.* 3. quibus ſubſcripſit ex Recentioribus Arriaga *diſp.* 13. *ſect.* 3. & ex Scotiſtis Smiſingus, Vulpes, Fuentes, ac Pontius *diſput.* 14. *num.* 29. diſputantes contra alios circa mentẽ Subtilis Doctoris *in* 3. *diſt.* 13. *q.* 1. Quidquid ſit de hoc,

3 PROBATVR I. noſtra & communis ſententia illuſtri teſtimonio S. Dionyſij *cap.* 8. *de Divinis Nomin.* circa principiũ capitis, vbi ſic loquitur: *Dicamus Deum infinitâ vi ac potentiâ præditum, non ſolùm quòd vim omnem in lucem proferat; ſed etiam quòd omnem quoque vim ipſam multùm ſuperet: quodque poſsit etiam infinitè infinitas alias potentias, præter eas quæ ſunt, in lucem proferre; neque vnquam potentia infinita, & infinitè in lucem probata, effectionem potentiarum effectricis eius potentiæ, quæ omnem infinitatem ſuperat, obſcurare & obruere poſsint; ex eo quod ineffectibilis, & ignota, & incogitabilis eſt, cuncta egrediens ipſius virtus.* Quod teſtimonium dupliciter expendo. *Primò:* Quia ideo S. Dionyſius probat poſſe Deum producere infinita alia præter & ſuper ea omnia quæ ſunt, quia virtus eius incomparabiliter excedit omnia effecta creata, & à nullo illorum obrui aut obſcurari poteſt. At etiam virtus eius excedit incomparabiliter ſingulas creaturas poſsibiles, & à nulla ipſarum obrui, aut obſcurari poteſt, vt ex ſe patet. Ergo præter & ſuper ſingulas creaturas poſsibiles poteſt producere infinitas alias: proindeque nulla aſsignabilis eſt, ne à Deo quidem, quæ omnium poſsibilium ſuprema & perfectiſsima ſit. *Secundò.* Ideo iuxta Dionyſium poſſunt fieri à Deo infinita alia, præter ea quæ ſunt, quia omnia quæ ſunt, infinitè diſtant à Deo, & ab eius virtute productivâ. Sed quæcunque creatura poſsibilis aſsignetur, infinitè diſtat à Deo, & ab eius virtute productivâ, vt patet. Ergo quæcunque creatura poſsibilis

lis aſsignetur, infinitè diſtat à Deo, & ab eius virtute productiva, vt patet. Ergo quęcunque creatura poſsibilis aſsignetur, poſſunt infinitæ aliæ fieri a Deo. Ergo & aliæ quæ magis ac magis accedant ad imitandã eius perfectionem & virtutem productivam: quia quoties perfectio & virtus imitabilis eſt infinitè ſuperior, poſt quamvis participationem & imitationem finitam, poteſt dari maior acceſſus ad illam. Quæ eſt ipſiſsima ratio S. Thomæ *q. 20. de Veritate, art. 4.* illis verbis. *Super omnia quæ Deus fecit, adhuc poteſt alia diſsimilia facere, & novas ſpecies, & nova genera: quia numquam id, quod factum eſt, virtutem facientis adæquare poteſt.* Hæc autem probatio pariter evincit, poſita qualibet creatura poſsibili, quãtumvis perfecta, adhuc poſſe Deum producere perfectiorem aliam: nam alioqui, id quod factum eſt, adæquaret virtutem factoris. Coinciditque cum ratione communi, qua probari ſolet repugnantia ejuſmodi creaturæ ex infinito exceſſu a Deo; ratione cuius adhuc ſit poſsibilis creabiliſq; alia perfectior & magis ac magis accedens ad Deum.

4 *RESPONDET* Arriaga vbi ſupra *num. 15.* retorquendo argumentum ab inſtantià in collectione creaturarum omnium, quæ eſt finita in perfectione eſſentiali, & infinitè diſtans à Deo. At nihilominus ſupra collectionem illam non eſt poſsibilis creatura alia perfectior, ſeu media inter ipſam collectionem & Deum, vt patet. Ergo ex eo quòd quælibet ſingularis creatura diſtet infinitè a Deo, non benè probatur poſsibilem eſſe aliam perfectiorem, quæ mediet inter illam & Deum.

5 *SED Contrà I.* Quamvis enim ſpecie tenus retorqueatur argumentum præfactum, adhuc deſiderat ſolutionem, & vim infert tum ab authoritate Dionyſij, Theologorum Anteſignani, & D. Thomæ cum ipſo; tum prætereà à ratione vtriuſque. *CONTRA II.* Retorſio enim argumenti ſupponit, aut involvit implicationem manifeſtam in adiecto: cùm de ratione omniũ creaturarum poſsibilium, ſive infiniti in potentià penes numerum, ſit non poſſe ſumi in re, neque in mente divinà per modũ vnius collectionis, ſed plurium, & plurium finitarum; vt diſputationibus præcedentibus oſtenſum eſt. Vnde inſtantia argumenti facta in collectione creaturarum omniũ poſsibilium eſt chimærica, ſicut & collectio ipſa chimærica eſt. *CONTRA II.* Eſto namquè locus foret loquendi de collectione omnium creaturarum abſque contradictione aliquà; nihil mirum ſi aſſeratur infinitè diſtans a Deo; quia inter illam diviſivè ſumptam, ſeu inadæquatè conſideratam, & Deum ipſum, infinitæ creaturæ perfectiores ac perfectiores interponuntur; nullaque ſingularis creatura totius collectionis aſsignari poteſt; quà plures ac plures aliæ perfectiores ſine termino in eadẽ collectione non ſint. At enimverò inter creaturam omnium perfectiſsimam, & Deum, nulla alia creatura perfectior vlla ex parte interponi poteſt. Ergo eiuſmodi creatura nullo ex capite à Deo infinitè diſtare poteſt.

6 *CONFIRMATVR* hęc diſparitas. Collectio creaturarum omnium, eſto chimęrica nõ eſſet, omnes creaturas complectitur, nullà demptà, ſive perfectas, ſive imperfectas. Nihil ergo mirum, quanquam finita ſit, quòd extra, aut ſupra illam, nulla ſit creatura perfectior neque imperfectior: quia extra omnia nihil eſt. At creatura quęcunque perfecta, aut perfectiſsima aſsignetur, non complectitur in ſe omnes creaturas poſsibiles, vt patet. Ergo propter rationem oppoſitam, extra & ſupra illam, eſſe poteſt alia creatura perfectior & imperfectior.

7 *CONFIRMATVR II.* retorquendo eandem Arriagæ retorſionem alia paritate conſimili. Etiam extra & ſupra collectionem omnium quantitatum molis poſſibilium nulla eſt maior vel minor abſolutè poſsibilis: quia extra omnem quantitatem molis, nulla alia eſt. Et tamen non licet inferre inde, poſsibilem eſſe quantitatem aliquam molis omnium poſsibilium maximam, minimamvè: cum de eſſentia quãtitatis ſit poſſe augeri magis ac magis, & poſſe dividi in minùs & minùs abſque vllo termino extrinſeco. Ergo ex eo quòd extra & ſupra collectionem omnium creaturarum poſsibilium, nulla ſit perfectior, aut imperfectior, non licet colligere, poſsibile eſſe creaturam aliquam omnium perfectiſsimam, aut imperfectiſsimam. Quippe quemadmodũ nulla quantitas molis adæquat virtutem divinam, ideoque relinquit locum vt ab eà poſsit fieri alia maior ac maior in infinitum; ſic etiam, quia nulla quantitas virtutis, ſive perfectionis creatæ, adæquat Omnipotentiam Dei, relinquit locum vt ab eo fieri poſsit creatura alia perfectior, & perfectior in infinitum.

7 *CONFIRMATVR III.* efficaciùs adhuc. Etiam extra collectionem omnium trian-

triangulorum æquilaterorum poſsibilium, nullus reſtat triangulus æqualiter, vt patet. Et tamen inde nō colligitur, intra eandem collectionem eſſe poſsibilem aliquē triangulum æquilaterum omnium poſsibilium finitorum maximum. (Suppono iam demonſtratum ex *diſp.* 21. *ſect.* 2. *à num.* 16. omnem triangulum æquilaterum debere eſſe finitum, quia debet vndique terminis coërceri, quod repugnat infinito.) Ergo ex eo quòd extra collectionem omnium creaturarum poſsibilium & finitarum, repugnet alia; malè colligitur, poſſe intra illam eſſe creaturam omnium finitarum maximam, ſeu perfectiſsimam. Probatur minor, ſi fortè probatione indiget. Si enim intra collectionem omnium triangulorum poſſibilium & finitorum poſsibilis eſſet aliquis omnium maximus; ille certè per additionem, ſive realem, ſive mathematicam vnius digiti, ſupergrederetur omnes terminos finitatis, fieretque actu infinitus. quod certè eſſentialiter repugnat triangulo, & communi ac veriſsimo Philoſophorum axiomati, quo dicitur, finitum finito additum non poſſe facere infinitum. Vnde & obiter nota efficaciam rationis præiactæ. Quem admodum enim triangulus finitorum omnium maximus deberet per legitimam conſequentiam diſtare finitè & minimum, vnico digito v.g. ab alio triangulo maiori ſibi immediato, atque infinito, ſi hic poſsibilis eſſet; ita etiam creatura finitarum omnium ſecundùm eſſentiā perfectiſsima, deberet finitè & minimùm diſtare à Deo, qui ſolus eſt per eſſentiam infinitus. Abſurdiſsimum autem eſt, ſummæ Dei celſitudini repugnans, & lumini naturalis rationis contrarium (ne quid ampliùs dicam) aſſerere creaturam aliquam ſolùm finitè, ac minimùm à Deo ipſo diſtantem. Ergo & abſurdiſsimum cenſeri debet aſſerere, poſsibilem eſſe creaturam aliquam omnium ſecundùm eſſentiam finitarū perfectiſsimam.

9 *RESPONDENT II.* alij, diſtantiam Dei infinitam à creatura quavis deſignabili, non eſſe per modum medij interpoſiti, ſed per infinitatem alterius è duobus extremis: ideoque locum eſſe, vt creatura diſtet infinitè a Deo, quanquam inter illā, & Deum nihil ſit medium, aut conſtans perfectione maiori in aliâ creaturâ.

10 *SED Contrà I.* Etiam inter quantitatem vnam, bicubitam v. g. & aliam infinitam (ſi hæc ſupponatur ad vim argumēti) datur diſtantia infinita ſolùm ratione alterius è duobus extremis; ſcilicet, ratione quantitatis infinitæ. Et tamen colligitur, poſsibilem eſſe quantitatem aliam & aliam maiorem bicubita, atque interpoſitam, eo ipſo quòd diſtantia ſit infinita. Ergo licèt diſtantia Dei à creaturà qualibet ſit tantùm ex parte vnius extremi infinita, adhuc inter creaturam illam & Deum eſſe alia perfectior ac perfectior creatura interpoſita. *CONTRA II.* & vniverſalius. Quia omnes & ſingulæ quantitates finitæ diſtant infinitè ab infinita quantitate, diſtantiâ ab eius infinitate deſumptâ; repugnat quantitas finita omnium finitarum poſsibilium maxima (alioqui additione vnius digiti fieret infinita) neceſſumque eſt, vt qualibet aſsignata, interponi poſsit media alia quātitas finita maior ac maior. Ergo ſimiliter, quia omnes & ſingulæ creaturæ diſtant infinitè a Deo, diſtantiâ ab eius infinitate deſumptâ; repugnat creatura omnium poſſibilium perfectiſsima; neceſſumque eſt, vt qualibet aſsignata interponi poſsit media alia creatura perfectior & perfectior. *CONFIRMATVR* hæc impugnatio argumēto à fortiori, vt aiunt. Longè enim magis diſtat Deus glorioſus & infinitus ſimpliciter à qualibet creaturà poſsibili, quàm diſtaret quantitas infinita, ſi daretur, a quantitate qualibet finitâ, quantumvis magnâ. At ratione huius diſtantiæ, quanquam minoris, repugnat quantitas finitarum omnium maxima, & immediatè proxima quantitati infinitæ. Ergo ratione illius diſtantiæ maioris, multò magis repugnat creatura omnium perfectiſsima & immediatè proxima Deo, ſive excludens mediū inter ipſam & Deum.

11 *QVARE* Argumentum præiactum, omnino efficax perſiſtit, & breviter inſtauratur ſic, Perfectio cuiuslibet creaturæ conſiſtit in participatione divinarum perfectionum, quæ infinitæ ſunt per eſſentiam, & infinitis modis imitabiles, participabileſque. Ergo deſignari nequit creatura aliqua adeò perfectè participans perfectiones divinas, vt non ſuperſit alia poſsibilis perfectior, ſeu potens perfectiùs participare perfectiones eaſdem. Alioqui illæ non eſſent infinitis modis imitabiles, participabileſque, ſed certis ac finitis. Quod vberiùs poſtea reijcietur *ſect.* 3. Deinde, imitatio divinarum perfectionum nihil præſupponit ex parte creaturarum ipſarum: ſed quidquid in eis eſt imitationis provenit ex eminentia Dei, & imitabilitate; quæ, cùm infinita ſit in omni genere, nullamque in ſe ipsâ limitationem admittat, poterit infinitis modis participari ampliùs & ampliùs.

Cau-

Cauſa enim quæ in ſui imitabilitate & participabilitate omnem limitationem excludit, nunquam vſque adeo participatur ab aliquo effectu finito, vt non poſsit participari magis & magis ab alio.

SECTIO SECVNDA.

Ratio alia ex ipſo Dionyſio & Ariſtotele eruta, & retorſio præcipui argumenti Adverſariorum. Solutiones rectæ.

12 ALITER Probari poteſt noſtra ſententia diſcurſu petito ex eodem Dionyſio *cap.* 18. eiuſdem libri allegati, vbi docet omnes creaturas, omniumque illarum multitudinem ducere ortum à Deo, tanquam ab vno principio; ſicut omnes ſpecies numeri ortum ducunt ab vnitate, quæ eſt principium illarum: ideòque Deum appellat *omnium ingreſsibiliter cauſam, quia vnus eſt.* Subditque: *Et ſine vno quidem non erit multitudo: ſine multitudine verò erit vnum; ſicut & vnitas ante omnem numerum & multiplicationem.* Quod ibidem luculenter explicat & confirmat S. Thomas hoc ſyllogiſmo: *Illud, à quo non convertitur conſequentia eſſendi, eſt naturaliter prius, & quoddammodò principium. Sed vnum eſt huiuſmodi; quia ſine vno non invenitur aliqua multitudo; ſed invenitur aliquid vnum abſque omni multitudine. Vnum igitur eſt prius omni multitudine, & principium eius. Cuius ſignum apparet in numeris: quia vnitas eſt ante omnem numerum, qualitercunque multiplicetur.* His teſtimonijs adiunge illud notiſsimum Ariſtotelis 8. *Metaph. cap.* 3. *textu* 10. vbi ſpecies, ſive eſſentias rerum appellat indiviſibiles, ſicut numeros, probatque, quia ὥσπερ οὐδ᾽ ἀπ᾽ ἀριθμοῦ ἀφαιρεθέντος τινὸς ἢ προστεθέντος, &c. *Quemadmodum de numero, ablato, aut addito aliquo, ex quibus numerus eſt, non eſt amplius idem numerus, ſed diverſus, etiamſi minimum auferatur, vel addatur: ita nec definitio, nec ipſum quid erat eſſe, erit amplius, ablato aliquo, aut addito.* Hæc ille.

13 EX Quibus omnibus ſic diſputare licet in Adverſarios. Species omnes & ſingulæ creaturarum indiviſibiles & inæquales in perfectione eſſentiali inſtar numerorum, initium ducunt ab vno Deo, ſicuti ſpecies omnes & ſingulæ numerorum ortum habent ab vnitate, quæ eſt illarum principium. At ſpecies omnes & ſingulæ numerorum ita ortum habent ab vnitate, vt repugnet omnino ſpecies aliqua numeri finiti omnium maximi, ſive ſupremi inter omnes finitos poſsibiles. Ergo ita & ſpecies omnes ac ſingulæ creaturarum ortum ducunt ab vno Deo, vt repugnet omnino ſpecies aliqua finita omnium maxima, ſive ſuprema quoad eſſentiam. Conſequentia rectè infertur. Maior eſt Dionyſij & Ariſtotelis, adeoque evidens, vt nulla præterea probatione indigere videatur, & ſola terminorum apprehenſione innoteſcat. Minor verò multipliciter probatur. *Primò* ex S. Auguſtino *lib.* 12. *de Civit. cap.* 18. vbi expreſse docet, non eſſe aſsignabilem numerum finitum, cui nequeat ſuperaddi vnitas aliqua, ratione cuius reddatur maior. Ergo omnes & ſingulæ ſpecies aſsignabiles numerorum ita ortum ducunt ab vnitate, vt repugnet omnino ſpecies aliqua numeri finiti omnium maximi, ſive ſupremi. *Secundò* demonſtratur eadem minor diſcurſu in ſimili propoſito *ſect. præced.* & ſæpè alias. Si poſsibilis eſſet ſpecies aliqua numeri finiti omnium finitorum maximi, ſive ſupremi; poſsibilis quoque eſſet finita multitudo, quæ additione vnius ſimplicis vnitatis fieret actu infinita. Quidquid enim actu ſuperat omne id quod finitum eſt, nequit nō eſſe actu infinitum. Repugnat verò multitudo finita, quæ acceſſu ſimplicis vnitatis reddatur infinita: quoniam finitum finito additum non facit infinitum. *Tertiò.* Si poſsibilis eſſet ſpecies aliqua numeri finiti omnium finitorum maximi, illa diſtaret ſimul & non diſtaret infinitè a numero actu infinito: quæ eſt aperta contradictio. Diſtaret quidem infinitè; quoniam de ratione finiti in quocumque genere eſt, vt infinitè diſtet ab omni eo, quod actu infinitum eſt intra ſuum genus. Aliunde non diſtaret infinitè; quoniam probatione præcedenti convincitur, multitudinem illam ſolùm diſtaturam a numero actu infinito penes vnicam & ſimplicem vnitatem: quæ diſtantia finita, imò & omnium minima eſt in genere numeri. Ergo multitudo illa diſtaret ſimul & non diſtaret infinitè à numero actu infinito. *Quartò.* Sequeretur inde, multudinē illam acceſſu cuiuslibet vnitatis tranſire ab actu finita ad infinities infinitam; proindeque vnitatem ſuperadditam, vt condiſtinctam à multitudine præcedenti, & finitatum omnium maxima, tore infinities infinitam. Quod quàm dignum ſit riſu, nemo non videt. Sequelam probo. Vt enim demonſtratum eſt *diſput.* 21. *à num.* 5. neceſſum eſt in quavis multitudine actu infinita, eſſe duas medietates, & quatuor dimidietates actu infinitas; ſimiliter & quamlibet dimidie-

dietatem ſecari poſſe in duas partes etiam actu infinitas; ac tandem omnem multitudinem infinitam actu conſtare ex multitudinibus infinities infinitis. Quod planè fatentur quotquot rationabili ac veroſimili modo ſtatuunt poſsibilem eſſe numerum actu infinitum. Modo ſic. Sed multitudo illa finitarum omnium maxima per additionem ſimplicis vnitatis fieret actu infinita, vt probatum eſt. Ergo per additionē eiuſdem vnitatis ſimplicis fieret infinities infinita. quæ eſt prior ſequelæ præcipuæ pars. Ergo & vnitas illa ſuperaddita, vt cōdiſtincta a multitudine præcedenti, ac finitarum omnium maxima, eſſet infinities infinita. quæ eſt pars ſequelæ poſterior. Patet conſequentia: Quia multitudo illa in ratione infinities infinitæ deberet conſtitui per aliquam formam infinities infinitā. At non per aliam, quam per illam vltimā vnitatem: quia per vnitates præcedentes ſolum conſtituebatur in ratione multitudinis finitæ, & finitarum omnium maximæ. Ergo ſupereſt quod vltima illa & ſuperaddita vnitas eſſet infinities infinita.

14 *CONFIRMATVR* Argumentum præiactum, & retorquetur ſimul præcipua ratio, quam in nos vrgent Adverſarij. Deus videt omnes ſpecies numerorum poſsibilium eſſentialiter diſtinctas inter ſe, ita vt nulla earum ipſum lateat, nullaque ſuperſit cognoſcenda: cùm eius ſcientia ſit actu & eſſentialiter infinita, ac cuiuslibet acceſsionis incapax. Et tamen non ideò videt in iis omnibus ſpeciebus aliquā, quæ ſit omnium ſuprema & maxima; ſed poſt quamcumque ſignatam, adhuc videt aliam & aliam ſpeciem poſsibilem & conſtantē pluribus vnitatibus. Ergo ex eo quòd videat omnes ſpecies creaturarum poſsibiliū eſſentialiter diſtinctas inter ſe, ita vt nulla earum ipſum lateat, non ideo videt aliquā ipſarum, quæ ſit omnium ſuprema & perfectiſsima; ſed poſt quamcunque ſignatam, adhuc poſsibilem aliam & aliam perfectiorem. *VRGETVR* hæc ratio. Quemadmodum omnes ſpecies creaturarum poſſibilium ſunt inæquales in perfectione eſſentiali, ſic etiam omnes ſpecies poſsibiles numerorum ſunt eſſentialiter inæquales. At hoc non obſtanti, vltra quamlibet ſpeciem numeri poſsibilem & deſignatam, videt Deus poſsibilem aliam ſpeciem numeri maiorem, & maiorem in infinitum. Ergo & vltra quamlibet ſpeciem creaturæ poſsibilis deſignatam, videt Deus poſſibilem aliam & aliam in infinitum perfectiorem. *VRGETVR II.* Aut enim ex opinione Authorum, quibus cum diſputamus, ſupponimus poſsibile eſſe infinitum in actu penes multitudinem; aut ſententiam oppoſitam & negantem. Quodcumque vero ex iis dicatur, manifeſtè evincitur, Deum videntē omnes ſpecies poſsibiles & inæquales numerorum, non ideo videre aliquam ſummam & omnium maximā. Pone etenim poſsibilem eſſe ſpeciem numeri actu infiniti. Certè Deus nunquam videt numerum aliquem infinitorum omnium poſſibilium maximum, & cui nequeat ſuperaddi vnitas aliqua: ſicut neque videt numerum aliquem infinitorum omnium minimum, & cui nequeat detrahere aliquam vnitatem, ipſo in rerum natura infinito manente. Alioqui multitudo aliqua finita per additionem aut detractionem alicuius vnitatis fieret aut defineret eſſe actu infinita. Si autem ſupponas, repugnare numerum actu infinitum; iam eſt oſtenſum, Dei ſcientiam, omnes ſpecies poſsibiles finitorum numerorum attingentem, non ideo attingere ſpeciem aliquam omnium ſupremam & maximā. Perperam ergo ex ſcientia Dei cognoſcentis omnes ſpecies creaturarum poſsibilium eſſentialiter inæquales, deducunt Adverſarij, poſsibilem eſſe, aut videri ab ipſo, ſpeciem aliquam omniū ſupremam & perfectiſsimam.

15 *RESPONDEBIS* fortè ex doctrina Pontij *vbi ſuprà num. 34.* in omnibus illis ſpeciebus, quarum quælibet ex naturâ ſuâ intrinſeca dicit ordinem ad aliam ſpeciem vlteriorem, non poſſe dari ſtatum, ſeu terminum aliquem vltimum: ſed qualibet ſpecie deſignatâ, poſsibilem eſſe adhuc ſpeciem aliam perfectiorem, & aliam, in infinitum ſyncathegorematice: & ita contingere in ſpeciebus numerorum. In aliis verò ſpeciebus, quæ natura ſuâ non ordinantur ad alias vlteriores, poſſe ac debere dari ſtatum, vltra quem nulla ſpecies perfectior maneat.

16 *SED Contrà I.* Præterquam enim quòd præcipuum argumentum noſtrum, & retorſio in Adverſarios perſiſtit; ſolutio præiacta involvit terminorum implicantiam. Poſitâ enim diſtinctione eſſentiali inter ſpecies numeri, quælibet illarum eſt ſimpliciter completa & perfecta intra proprium genus. Ergo ex intrinſeca ſua natura non ordinatur ad aliam. id enim eſt de ratione cuiuslibet rei completæ, & perfectæ intra proprium genus, non ordinari ad aliud vlterius in eodem genere. Ergo inutilis eſt diſparitas aſsignata inter ſpe-

ſpecies quæ ordinantur, & ſpecies quæ nō ordinantur, vt in poſterioribus detur aliqua ſuprema, nō autem in prioribus. *CONTRA II.* Eo namque ſolùm ſenſu ſpecies quælibet numeri importat ordinem ad aliam ſuperiorem, quatenus licèt habeat in ſe quidquid exigit ſecundùm ſuam ſpeciem, adhuc tamen finita eſt, & poſt quamlibet ſpeciem finitam debet eſſe poſsibilis alia & alia perfectior, aut maior, in infinitum. Hæc autem ratio pariter vrget in qualibet ſpecie creaturarum poſsibilium. Licèt enim completa & perfecta ſit intra proprium genus; adhuc ſecundùm eſſentiā ſuam finita eſt. Ergo poſt illam & vltra illam debet eſſe poſsibilis alia & alia perfectior in infinitum.

17 *CONFIRMATVR* & explicatur hæc impugnatio. Inter duo extrema diſtantia debet eſſe ſpatium medium; & inter extrema infinitè diſtantia, ſiue per perfectione eſſentiali, ſiue tempore, ſiue loco, ſiue multitudine, debet eſſe infinita latitudo intermedia. Hinc ſi mundus fuiſſet conditus ab æterno quò ad entia ſucceſsiva, inter diem heſternum, & æternum à parte antè (ſi fas ita loqui in ea opinione) mediaſſent infiniti dies, nullúſque illorum ſingillatim eſſet immediatus æterno diei; quoniam quilibet dies temporalis deſignatus diſtaret infinitè ab illo; & inter extrema infinitè diſtantia debet eſſe infinita latitudo percurrenda. Similiter, dato quòd circulationes cœlorum eſſent perpetuo duraturæ, quilibet dierum deſignatus & temporalis haberet poſt ſe infinitos alios interiacentes vſque ad diem æternitatis à parte poſt, quoniam quilibet dies noſter infinitè diſtat ab illo. Eadem ratione, ſi ſupponatur aut concipiatur poſsibilis numerus actu infinitus, inter quamlibet ſpeciem numeri finitam, & ipſum, mediare deberent infinitæ ſpecies numerorum maiorum & maiorum, quoniam quæcunque ſpecies finita aſsignetur, adhuc diſtat infinitè à numero infinito. Cùm igitur quælibet ſpecies deſignata poſsibilium creaturarum infinitè diſtet à Deo, conſequens eſt vt inter ipſam & Deum medient aliæ & aliæ ſpecies perfectiores in infinitum. Quare nulla poteſt eſſe diſparitas idonea inter ſpecies numerorum ex vna parte, & ſpecies creaturarum poſsibilium ex alterâ. Quòd enim importetur qualiſcunque ordo ad ſpeciem perfectiorem & perfectiorem in infinitum, prouenit ex ipſa finitate cuiuslibet ſpeciei deſignatæ intra quodcunque genus, ſiue multitudinis, ſiue magnitudinis, ſiue durationis, ſiue perfectionis eſſentialis; quæ eo ipſo, quòd finita ſit, neceſſariò inuoluit ordinem ad ſpecies intermedias perfectiores, aut maiores, aut diuturniores in infinitum.

18 *RESPONDEBIS II.* ex doctrina aliorum cum Auerſa *quæſt.* 24. *ſect.* 8. & 9. argumento propoſito ſolùm euinci impoſsibilitatem ſpeciei finitæ omnium ſupremæ & perfectiſsimæ quò ad eſſentiam; non autem infinitæ. Quemadmodum enim licèt repugnet ſpecies numeri finiti finitorum omnium maximi, non ideo repugnat ſpecies infinita numeri præſtans omnibus finitis ſpeciebus numerorum; ſic etiam ex eo quod repugnet creatura finita quò ad ſpeciem, quæ ſit omnium finitarum ſuprema quò ad eſſentiam, non colligitur repugnare creaturam in eſſentia infinitam, quæ proinde ſit ſupra omnes finitas.

19 *SED Contrà I.* Abſurdiſsimum enim apparet dictu, poſsibilem eſſe aliquam creaturam infinitam ſecundùm eſſentiam, idque multipliciter. *Primò:* Quia omnis creatura completa & perfecta intra ſuam ſpeciem, qualis eſſet de qua loquimur, debet conſtare ex genere & differentia: nimirum, ex ratione communi ſubſtātiæ, aut alterius generis prædicamentalis, & ex ratione peculiari propriæ ſpeciei. Sed omne quod conſtat genere & differentia, eo ipſo in ſua eſſentia finitum & limitatū eſt. Ergo omnis creatura completa & perfecta intra ſuam ſpeciem debet eſſe finita & limitata ſecundùm ſuam eſſentiam. *Secundò.* Omnis creatura ſecundùm ſuam eſſentiam eſt ens participatum & dependens à Deo. At omne ens participatum & depēdens à Deo, quatenus huiuſmodi eſt finitum & limitatum. Ergo omnis creatura ſecundùm eſſentiam eſt finita & limitata. *Tertiò.* Si qua perfectio creata infinita ſecūdùm eſſentiam eſſet poſsibilis, maximè aut ſubſtantia, aut potentia actiua, aut iuſtitia, aut miſericordia, aliæve perfectiones eiuſmodi. At repugnat eas perfectiones eſſe creatas & ſimul infinitas ſecundùm eſſentiam. Ergo repugnat omnis creatura infinita ſecundùm eſſentiam. Probatur minor. Eiuſmodi namque perfectiones eo ipſo quòd creatæ ſint, exceduntur infinitè à perfectionibus Dei conſimilibus intra rationē formalem vniuſcuiuſque. Id enim eſt de ratione cuiuslibet diuinæ perfectionis intra propriam lineam, vt formaliter & infinitè excedat omnem perfectionem creabilem. At ſi eiuſmodi perfectiones eſſent creatæ & ſimul infinitæ, non excederentur a conſimi-

ſimilibus perfectionibus divinis intra rationem formalem vniuſcuiuſque, & multo minus excederetur infinitè: quia in duobus actu infinitis intra eandem lineam nullus eſt formalis exceſſus, & multo minùs exceſſus ſimpliciter infinitus. Ergo repugnat eas perfectiones eſſe creatas, & ſimul ſecundum eſſentiam infinitas. *Quartò*. Quia quælibet prædictarum perfectionum eſt ſecundum eſſentiam infinita in Deo, exigit identitatem cum alijs omnibus perfectionibus abſolutis in quolibet genere. At impoſsibilis eſt perfectio creata exigens identitatem cum omnibus perfectionibus abſolutis in quolibet genere, vt patet. Ergo impoſsibilis eſt perfectio aliqua prædictarum creata, quæ ſit infinita ſecundum eſſentiam.

20 *CONTRA II.* & retorquetur inſtantia. Quidquid enim ſit, an poſsit abſolutè dari ſpecies numeri actu infiniti (quod abundè *diſp.* 22. reiectum eſt) eo ipſo tamen quod repugnet ſpecies numeri finiti omnium poſsibilium finitorum ſupremi, repugnat etiam ſpecies numeri actu infiniti. Ergo admiſſo ſemel repugnare creaturam omnium finitarum poſsibilium ſupremam quoad eſſentiam, dicendum eſt repugnare etiam creaturam quò ad eſſentiam actu infinitam. Conſequentia patet, tum à paritate, tum ex retorſione inſtantiæ adverſæ. Antecedens vero probatur: Quia repugnat ſpecies numeri actu infiniti in qualibet multitudine exiſtente, niſi in eâ poſsit Deus diſtinctè & certò aſsignare, quouſque perveniat ratio multitudinis finitæ, & vnde incipiat eſſe multitudo infinita. Hæc enim nondum eſt in prima, ſecunda, milleſsima, aut centumilleſsima vnitate, vt ex ſe patet. Ergo in aliqua parte eius multitudinis, ſaltem deſignabili à Deo, incipit eſſe actu infinita. Modo ſic. Ergo antecedenter immediatè ad illam partem, multitudo ipſa eſt & videtur ab ipſo Deo, tanquam finitarum omnium poſsibilium maxima: quia multitudo quæ immediatè vicina eſt multitudini actu infinitæ, nequit non eſſe ſuprema inter omnes finitas. Igitur de primo ad vltimum, eo ipſo quòd repugnet ſpecies numeri finiti omnium finitorum poſsibilium ſupremi, repugnat etiã ſpecies numeri actu infinita. *CONFIRMATVR*. Poſita qualibet multitudine actu infinita, neceſſum eſt vt Deus, qui omniſcius & infinitè potens eſt, poſsit illam per medium dividere, ſeparando cogitatione ac reipſa alteram medietatem ab altera, & definiendo vnde incipiat vna medietas, & vnde alia. Ergo propter eandem omniſcientiam neceſſum eſt, vt definire poſsit vnde multitudo illa incipiat eſſe actu infinita, & quouſque perveniat multitudo finita. Ergo & neceſſum eſt, vt definire poſsit multitudinem aliquam finitarum omnium poſsibilium maximam, eo ipſo quod poſſet eſſe multitudo actu infinita. Si ergo primum repugnat, vt ſolutio tradita fatetur; etiam primum repugnantia plenum eſt. Ergo pariter ſi repugnat creatura finita omnium finitarum ſuprema, etiam repugnat creatura ſecundum eſſentiam infinita.

21 *CONTRA III.* & retorquetur difficilius inſtantia adverſa, probaturque ea vltro permiſſa non aſsignari creaturam omnium perfectiſsimam, quod è re Adverſariorum erat. Etenim permiſſa ſpecie numeri actu infiniti, nunquam aſſeritur, ne ab Adverſarijs quidem, numerus actu infinitus qui ſit omnium infinitorum poſsibiliũ maximus, ſicut nec minimus, vt ſæpe ſuperioribus oſtenſum eſt. Cuilibet enim numero infinito actu exiſtenti in quacunque hypotheſi abſolutè poſsibili, addere poteſt Deus, aut detrahere aliquot vnitates, ac per conſequẽs variare ſpeciem eius eſſentialem penes maiorem, aut minorem numerum, quamvis ſemper actu infinitum. Ergo permiſſa etiam poſsibilitate creaturæ infinitæ ſecundùm eſſentiam, adhuc non aſſeritur creatura omnium infinitarum ſecundùm eſſentiam perfectiſsima, ſicut nec imperfectiſsima: ſed poſt quamlibet illarum poterit Deus abſolutè producere aliam & aliam in infinitum perfectiorem, aut imperfectiorem. Quemadmodum enim catholicè loquendo neceſſum eſt dicere creaturam illam, licèt ſecundum eſſentiam eſſet infinita, adhuc diſtaturam infinitè à Deo in ſua ratione formali; ita etiam neceſſariò concedi debet poſita illa, adhuc poſsibilem fore creaturam aliam infinitam ſecundùm eſſentiam, quæ vel magis accederet, vel minùs ad infinitam perfectionem divinam.

(§)

SE

SECTIO TERTIA.

Sententia eadem ab abſurdo rejicitur, quoniam iuxta illam multitudo omnium creaturarum poſsibilium eſſet prorſus finita. Evaſiones variæ præluduntur.

22 TERTIO Probari poteſt eadem communis & vera doctrina: Quia ſi poſsibilis eſſet creatura omniũ perfectiſsima ſecundùm ſpeciem, poſsibilis quoque eſſet creatura omniũ imperfectiſsima quò ad ſpeciem ſuam. At conſequens repugnat. Ergo & antecedens. Maior, ſive ſequela communiter ab Adverſarijs conceditur, & præſertim ab Arriaga & Pontio locis allegatis: eadẽque videtur vtriuſque ratio. Minorem probo: Quoniam iuxta doctrinam communem ſpecies omnium creaturarum poſsibilium ſunt infinitæ, quo loquendi modo vtantur omnes. Ergo ſpecies omnes creaturarum non continentur intra duos terminos, alterum penes maximum, & alterum penes minimum: quia infinito repugnat coerceri duobus terminis. Alioqui poſſet quis dicere, ſpecies rerum actu exiſtentium infinitas eſſe, quamvis duobus terminis, maximo ac minimo, contineantur. At ſpecies perfectiſsima & imperfectiſsimá, ſunt duo termini penes maximum & minimum. Ergo repugnat, eſſe poſsibilem creaturam omnium perfectiſsimam, ſimul & imperfectiſsimam.

23 *RESPONDEBIS I.* negando minorem: Quia infinito non repugnat contineri intra duos terminos, dummodo inter vtrumque ſit infinita latitudo percurrenda ſeu in qua per finitas numerationes acceſſuſve temporaneos nequeat pertranſiri de extremo ad extremum. Sic etiam inter ſpeciem hominis & formicæ ſunt poſsibiles infinitæ ſpecies; licèt homo & formica ſint duo termini multitudinis interiectæ ipſarum ſpecierum.

24 *SED Contrà I.* vrgent omnes impugnationes a nobis propoſitæ contra ſimilem ſolutionem *diſput. 21. à n. 16. vſque ad 24.* vt relegẽti conſtabit. *CONTRA II.* Eſto enim non repugnet infinita multitudo poſita inter terminos mediatos, ſeu quibus nulla pars eiꝰ multitudinis immediatè proxima ſit, ſed mediatè ſolùm ac remotè; adhuc impoſsibilis eſt multitudo infinita, ſeu infinita latitudo percurrenda inter duos terminos immediatos, quibus partes vtrinque interiectæ ſint immediatæ ac proximæ. Quà ratione dari poteſt infinita multitudo omnium creaturarum poſsibilium, quanquam vtrinque habeat duos terminos mediatos; nimirum, Deum ex vna parte, & nihilum ex altera: quia, nimirum, adhuc nulla ſpecies creabilis verſus maximum eſt proxima Deo; nulla etiam penes minimũ eſt immediata nihilo. Cæterùm repugnat omnino multitudo; aut latitudo infinite percurrenda, vbi illa coercetur vtrinque immediatis terminis, ſeu habentibus vtrinque partem aliquam ſibi proximam & immediatam: quia inde cõvincitur omnes & ſingulas eius collectionis partes gradatim ſolum ac finito modo illam augere; & per additiones finitas gradatim fieri nequit multitudo aut latitudo infinita. Sed Adverſarij ponunt creaturam perfectiſsimam, & imperfectiſsimam, tanquam terminos immediatos omnium poſsibilium creaturarum, ad quos gradatim, & finitis additionibus aut detractionibus, aſcendatur aut deſcendatur per ſpecies, ſive partes proximas, atque immediatas. Ergo impoſsibile eſt omnes creaturas poſsibiles, ſecundùm ipſorum doctrinam, conſtituere multitudinem aut latitudinem infinitam. Et quidem non modo infinitam in actu, verùm nec in potentia: quia infinito in potentia repugnat coerceri duobus terminis immediatis, ſeu poſſe totum gradatim exhauriri, aut percurri, vt omnes docent, & ipſa notio infiniti in potentia oſtendit. Si autem poſsibilis eſt creatura omnium perfectiſsima, pariter & imperfectiſsima, vt Adverſarij volunt, coercebitur duobus terminis immediatis multitudo illa, & gradatim exhauriri, aut percurri poterit. Nõ ergo multitudo omnium creaturarum poſsibilium erit infinita, adhuc in potentia.

25 *RESPONDEBIS II.* cum alijs, diſtingui debere inter omnes illas ſpecies, quæ rectà linea aſcendunt à creatura omnium imperfectiſsima ad perfectiſsimã, cum exceſſu eſſentiali vnius ad aliam; & inter eas, quæ rectà linea non ducuntur, ſed tranſverſa aut obliqua, ſuntque perfectè æquales ſecundùm ſpeciem. Et quidem, licèt prioris generis ſpecies ſint finitæ, tam actu, quam potentia, vt probat argumentum noſtrum; poſteriores tamen infinitæ ſunt, & nullis detractionibus aut numerationibus exhauribiles. Id verò ſufficere, vt ſpecies omnes creaturarum infinitæ aſſerantur: quia ſub ijs omnibus continentur, nõ modò ſpecies eſſentialiter inæquales, & rectà aſcendentes ac deſcendentes a perfectiſsima ad imperfectiſsimam; ſed etiam æquales, & tranſverſæ.

26 *SED Contrà I.* Species enim omnes creaturarum ſunt eſſentialiter inæquales ſicut numeri, vt communiter aiunt, & deſumitur ex Ariſtotele loco ſuperiùs allegato *num.* 12. Ergo fruſtra ad ſalvandam infinitatem omnium ſpecierum poſſibilium recurritur ad ſpecies æquales, cum nullæ eiuſmodi ſint poſsibiles. Si autem omnes eſſentialiter inæquales ſunt, neceſſum eſt vt omnes rectâ via à ſpecie imperfectiſsima ad perfectiſsimam gradatim aſcendant per gradus vtrique proximos atque immediatos: vt videre licet in tubis organorum recta ſerie diſpoſitis à minimo ad maximum. Ergo & neceſſum erit, omnes ſpecies poſsibilium creaturarum conſtituere multitudinem, tam actu, quam potentia finitam. *CONTRA II.* Species enim creaturarum poſsibiles non cognoſcimus in ſeipſis, neque illarum notitiam venamur, niſi per eas, quæ de facto exiſtut. At omnes, quæ de facto exiſtunt, apparent eſſentialiter inæquales, ita vt de nulla copertum ſit eſſe prorſus æqualem alteri: & permiſſo gratis, aliquas eſſe eiuſmodi, innegabile eſt, vt plurimùm ſaltem & communiter inæquales eſſe. Ergo & de alijs omnibus poſsibilibus perinde diſcurrendum eſt, vt vel omnes ſint eſſentialiter inæquales, vel ſaltem longè plures. Modo ſic. De omnibus ſpeciebus inæqualibus creaturarũ poſſibilium gradatim & recta linea diſpoſitis inter perfectiſsimam & imperfectiſsimam, evincit argumentum præiactum, & Adverſarij fatentur, finitas eſſe penes multitudinem, tam actu, quàm potentia. Ergo & de æqualibus ac tranſverſis, quæ longe pauciores ſunt, etiam fateri debent, conſtituere multitudinem, tam actu, quam potentiâ finitam. Atqui ex duabus multitudinibus ſpecierum omnino finitis, nequit reſultare multitudo integra, quæ ſit vllo modo infinita, vt patet. Ergo integra multitudo ſpecierum in omnibus creaturis poſsibilibus nullo modo, aut ſenſu infinita erit. Neque accuſes modum arguendi in ſenſu collectivo; quoniam licet in noſtra ſententia involvat contradictionem, non tamen in opinione Adverſariorum. *CONTRA III.* Permitto gratis longè plures eſſe ſpecies creaturarum poſsibilium æquales & obliquè diſpoſitas inter perfectiſsimam & imperfectiſsimam; ac, ſi placet, millies plures quam inæquales & recto gradu ordinatas. Certè priores ſolum millies erũt plures poſterioribus, numero finitis. Sed quod ſolum millies excedit, imo & centies millies, ac penes myriades myriadum, multitudinem omnino finitam, ſive ſeorſim, ſive coniunctim cũ illa, ſemper manet ſecundum multitudinem finitu. Ergo omnes ſpecies æquales creaturarum poſsibilium, ſive ſeorſim ab inæqualibus, ſive coniunctim cum iis, ſemper manent ſecundùm multitudinẽ finitæ. *CONTRA IV.* Repugnat Deum poſſe producere infinitos numeros æquales binarios v.g. quin etiam inæquales producere valeat infinitos; quia binarij illi aliter & aliter, atque infinities combinari, & comparari poſſunt inter ſe. Ergo & repugnat poſſe Deũ producere infinitas ſpecies creaturarum æquales quò ad eſſentiam, quin etiam infinitas ſpecies inæquales. Quippe in prioribus conſiderari poſſunt diverſæ combinationes comparationeſque graduum, ſaltem in cõplexo ad alias plures, vt proinde, ſicut in numeris, reſultet infinita multitudo ſpecierum inæqualium.

27 *RESPONDEBIS III.* ex multorũ doctrina, nihil abſurdi eſſe in eo, quod omnes ſpecies poſsibiles creaturarum ſint prorſus finitæ ſecundùm multitudinem; neque inde imminui poteſtatem infinitam Dei, quæ adhuc producere valet infinita individua intra quamlibet ſpeciem, præſertim materialem. Vnde nihil obeſt, quod omnium ſpecierum poſsibilium multitudo intra duos terminos immediatos contineatur; imò potiùs id eſt iuxta conditionem propriam rei finitæ.

28 *VERUM* quænam obſtent huic ſolutioni, conſtat ex dictis *eadem diſp.* 22. *à num.* 34. Obſtat deinde exemplum allatum in numeris, quorum ſpecies poſsibiles ſunt infinitæ in potentia, ita, vt nulla ſpecies ſuprema & maxima aſsignari poſsit. Ergo idem dicendum de ſpeciebus creaturarum poſsibilium. Obſtat tertio Inſtantia actuum reflexorũ, qui omnes ſunt diſtincti ſpecie ab obiecto, ſive actu directo: *&* tamẽ infiniti actus reflexi ſunt poſsibiles; neque vllus fieri poteſt ab intellectu creato, ſupra quem converti non poſsit per alium actum reflexum. Obſtat quartò, ex individuis exiſtentibus, quæ cognoſcimus, omnia eſſe invicem inæqualia, aut ferè omnia: ac proinde idem cenſendũ de individuis poſsibilibus cuiuſque ſpeciei. Et dato totidẽ eſſe æqualia, ac inæqualia, imo & millies aut centies millies plura priora, quàm poſteriora (quod gratis permittimus) redit impugnatio ſecundæ ſolutionis, evinciturque ex principijs Adverſariorum, individua cuiuſque ſpeciei debere eſſe prorſus finita, vtpote duobus terminis immediatis contenta; ac proinde adhuc prout coniuncta

indi-

Individuis æqualibus centies millies pluribus, conſtituere multitudinem prorſus finitam: quia finitum finito additum ſemper manet finitum. Cùm vero idem argumentum inſtitui poſsit de individuis omnium & ſingularum ſpecierum, tam æqualibus, quàm inæqualibus, conſequens eſt vt Adverſarij teneantur dicere, omnem multitudinem creaturarum poſsibilium, tã quò ad ſpecies, quam quo ad individua, eſſe prorſus finitam, non actu modò, ſed & potentia. Quod an cum Omnipotentia Dei, & infinita illa extentione ſcientiæ ac potentiæ ipſius, toties in ſacris litteris expreſſa, & rationi naturali obvia, cohæreat; viderint Adverſarij. Lege dicta loco allegato à *num.* 34.

SECTIO QVARTA.

Difficile argumentum ſententiæ adverſæ paulò accuratiùs expenditur, & reiectis aliorum ſolutionibus enervatur.

29 OPPONES I. ſupponendo iuxta communem ſententiam, omnes ſpecies creaturarum eſſe inæquales eſſentialiter. Deus actu videt omnes ſpecies rerum, quas poteſt producere, quia eſt omniſcius, ſicut & omnipotẽs. Videt præterea omnes illas eſſe inæquales, propterea que gradatim vnam excedi ab alia. Ergo videt vnam aliquam quæ excedit cæteras omnes. Sed ſpecies illa creaturarum, quæ excedit cæteras omnes, eſt creatura omnium perfectiſsima. Ergo de primo ad vltimum videt Deus creaturam aliquam omnium perfectiſsimam; quæ ſanè non videretur, niſi revera eſſet poſsibilis.

30. *RESP*. conceſſo vtroque antecedente, negando conſequentiam, & quidquid inde colligitur. Quamvis enim omnes ſpecies poſsibiles creaturarum ſint eſſentialiter inæquales, & Deo notæ, adhuc tamen nulla illarum eſt omnium ſuprema & perfectiſsima, ſed quælibet habet aliã perfectiorem & imperfectiorem ſupra ſe, ſicut & imperfectiorem aliam. Ratio eſt: Quia omnes ſpecies poſsibiles creaturarum ſunt infinitæ in potentia, ſeu non tot, quin plures; & de ratione infiniti in potentia, ſeu habentis non tot quin plura, eſt vt in eo abeatur in infinitum, & non ſiſtatur in aliquo termino omnium perfectiſsimo, aut ſupremo, vel maximo, ſed ſemper ſit tranſitus in alium & alium maiorem & perfectiorem. Id, velint nolint Adverſarij, patet in ſpeciebus numerorum maioribus & maioribus in infinitum, quin vllus ſit, vel noſcatur a Deo finitorum omnium poſsibiliũ, aut infinitorum maximus; in actibus quoque reflexis; in quantitatibus molis maioribus ac maioribus abſque vllo termino intra finitatem; & tandem in cogitationibus atque affectionibus futuris per totam æternitatem; quæ omnes videntur à Deo, quin aliqua illarum videatur omnium vltima, quia vere nulla futura eſt vltima.

31 *SED* adverſus traditam ſolutionẽ inſtabis multipliciter. *Primò*: Si enim omnes ſpecies poſsibiles creaturarum, quãquam aſſerantur infinitæ in potentia, producerentur ſimul, & vnà exiſterent; *Deus* certò videret exiſtentem aliquam omniũ perfectiſsimam; cùm omnes ſupponantur inæquales eſſentialiter. Ergo modò videt Deus aliquam illarum in ſtatu poſsibilitatis, tanquam omnium perfectiſsimam: ſiquidem eaſdem modò ſpecies poſsibiles videt in ſtatu poſsibilitatis, quas tunc videret in ſtatu exiſtentiæ. *CONFIRMATVR* impugnatio hæc. Si producerentur, aut produci poſſent, infiniti homines, quorũ vnus ſolus eſſet albus, aut habens ſex digitos in dextra, *Deus* poſſet, tam in ſtatu exiſtentiæ quàm poſsibilitatis, deſignare ſpeciatim, quis illorum præ alijs eſſet albus, aut habẽs ſex digitos. At eiuſque rei non alia ratio eſt, quàm omniſcientia ex parte *Dei*, & ſpecialitas illa in vno homine præ alijs. Cùm ergo eadem omniſcientia ſit de facto ex parte Dei, & ex parte cuiuslibet ſpeciei creaturarum poſsibilium peculiaritas ipſius propria, poterit deſignare Deus, tã in ſtatu poſsibilitatis, quàm exiſtentiæ, quænam habeat perfectionem præ omnibus alijs, quãquam infinitæ aſſerantur. *Secundò* inſtabis. Implicat numerus ſpecierum diverſæ perfectionis eſſentialis infinitus: quia in tota illa collectione daretur infinitas eſſentialis perfectionis, ſive hæc poſſet aſsignari, ſive non poſſet: infinitas autem perfectionis eſſentialis, eſt ſolius Dei propria, & creaturæ impoſsibilis, vt à *n.* 19. probatum eſt. Ergò falsò in ſolutione aſſerimus ſpecies inæquales creaturarum poſsibilium eſſe infinitas, ſive non tot, quin plures. *Tertiò*. Si in ſpeciebus creaturarum poſsibilium abiretur in infinitum de imperfecta ad perfectiorem & perfectiorem ſpeciem abſque termino; daretur, aut dabilis eſſet aliqua ſpecies, quę haberet ſub ſe infinitas ſpecies inæquales perfectione eſſentiali. Inde autẽ ſequeretur, eiuſmodi ſpeciem fore infinitam ſecundũ eſſentiam: quia quod habet infra ſe infinita

alia gradatim diſpoſita ſecundū perfectionem, nequit non eſſe perfectione infinitū.

32 *RESP.* implicare apertam contradictionem, quod Deus ſimul in actum reducat omnes ſpecies poſsibiles creaturarum. Id enim impoſsibile eſſe oſtenſum eſt *diſp.* 22. *à num.* 40. Ex impoſsibili autem ſequitur quodlibet. Vnde data hypotheſi Deus certo videret & non videret ſpeciem vnam omnium perfectiſsimam, alteramque imperfectiſsimam. Videret illam: quia ex ſpeciebus exiſtentibus & inæqualibus, aliquam neceſſe eſt cæteris omnibus præeminere. Aliunde non videret: quia quæcumque ſpecies aſsignetur exiſtens, infinitè diſtat à Deo, ac proinde habet ſupra ſe aliam, atque aliam poſsibilem, quæ etiam in dicta hypotheſi ſupponatur exiſtēs. Deinde nego conſequentiam: & ad probationē dico, vt præmiſsi loco allegato *numer.* 42. tunc ſpecies exiſtentes fore eaſdem & diverſas, ſeu plures & non plures, ac modò ſunt in ſtatu poſsibilitatis, atque in mente divina. Forent eædem & non plures: quoniam ſupponuntur non aliæ futuræ, quam quæ modò à Deo cognoſcuntur poſsibiles. Aliunde forent diverſæ, ſive plures, quoniā in iis neceſſario deberet eſſe aliqua omnium ſuprema, quæ tamen modo nou eſt poſsibilis ob rationem infiniti in potentia; *cuius ſemper eſt aliquid extra accipere*, ac proinde non habere vltimum. Adde & omnes inſtantias *num.* 30. adductas, in quibus retorqueri poteſt hæc obiectio, vt expenderi conſtabit. *AD Confirmationem*, conceſſa maiore & minore, nego ſuppoſitum cōſequentis, quo ſupponitur aliquā omnium ſpecierū, ſeu in ſtatu poſsibilitatis, ſeu exiſtentiæ, habituram perfectionem præ omnibus aliis, ac proinde cognoſcendam à Deo. Specialitas enim habendi ſex digitos in dextra, aut albedinem præ aliis, nullam importat contradictionem, ſicut ſpecialitas præeminendi omnibus ſpeciebus poſsibilibus in perfectione, quę implicantiis plena eſt. *AD II. Inſtantiam*: Implicat numerus ſpecierum diverſæ perfectionis eſſentialis, qui ſit actu infinitus; non tamen qui ſolùm ſit infinitus in potentia. Vnde ſolùm infertur, in numero omnium poſsibilium ſpecierum dari perfectionem infinitam in potentiā; non tamen actu.

33 *AD III.* Inſtantiam, quæ difficilior eſt, Magiſter Lynce *vbi ſuprà cap.* 3 *num.* 19. non renuit concedere, aliquā ſpeciem poſsibilem, imò & quamlibet modò exiſtentem, eſſe infinitam cum addito, & intra ſuum genus, idque cum admiſſione plurium imperfectionum: per quæ omnia differt ſatis à Deo, qui infinitus eſt in omni genere, abſque vllo imperfectionis nævo, & formaliter aut eminenter omnes perfectiones continet. *SED Contrà.* Hoc enim iam eſt concedere de facto creaturam infinitam ſecundum eſſentiam eo modo, quo à paucis vix poſsibile admittitur. Nemo enim vnquam dixit, poſsibilem eſſe creaturam infinitam ſecundùm eſſentiam in omni genere, cùm id Dei proprium evidētiſsime ſit; ſed in determinato genere tantùm. Et hoc ipſum communiter à Theologis, Philoſophiſque reiicitur, etiam de poſsibili, & à nobis ſuprà improbatum eſt *à num.* 19. Quantò magis abſurdum exiſtimari debet de facto, & in quavis minutula ſpecie?

34 *ALII* Reſpondent, exceſſum vnius ſpeciei ſupra infinitas inferiores, non eſſe penes certam & determinatam quantitatem perfectionis eſſentialis; ſed penes indeterminatam & incertam; ad eum ferè modum, quo vna pars continui excedit infinitas minores ſe, exceſſu indeterminato & incerto. Vnde quemadmodū nulla pars continui eſt actu infinita penes extenſionem, quanquam excedat infinitas minores & minores; ita & nulla ſpecies poſsibilis, aut actu exiſtens, infinita eſt ſecundùm perfectionem eſſentialem, quanquam ſub ſe habeat infinitas ſpecies minùs ac minùs perfectas. Ita PP. Complutenſes *diſp.* 18. *n.* 31. *VERVM* difficile eſt in hac ſolutione, quòd exceſſus perfectionis vnius ſpeciei ſupra aliam ſit indeterminatus. Videtur enim omnino determinatus ac certus, ſaltem apud Deum, & in re. Eatenus namque vna ſpecies eſt inæqualis alteri in perfectione, quatenus differt ab illa ſecūdùm propriam rationem ſpecificam, qua intrinſecè perficitur. Et ex hoc principio deducitur à priori eſſentialis inæqualitas omnium ſpecierum quò ad perfectionem. At omnis ſpecies in re & apud Deum differt à quacunque alia ſecundùm propriam rationem, non indeterminatam, non incertam, quā intrinſecè perficiatur, ſed certam & determinatam, quæque habet rationem differentiæ propriiſſimæ. Ergo quælibet ſpecies eſt inæqualis alteri in perfectione, inæqualitate certa & determinata. Igitur ſi habet infra ſe infinitas ſpecies eodem modo inæquales, erit ſecundùm perfectionem infinita. Nec eſt par ratio de partibus continui aliquotis: quę non diſtinguuntur adæquatè à proportionalibus, ſicut vna ſpecies ab alia; ſed inadæquatè tantum: ac proinde nequeunt habere

extenſionem infinitam, aut numerum cũ ijs conſtituere, vt ex profeſſo oſtendam *diſput.*35.per totam. Mitto ſolutiones alias, quæ facilè impugnari poſſunt.

35 *QVARE* aliter occurrendum videtur ex doctrina D.Thomæ 1.*p.q.* 84. *art.*2.*ſolut.ad* 3. vbi docet nullam ſpeciem creatam, quantumvis ſuperior ſit, continere perfectiones inferiorum ſpecierum. Vt enim redderet rationem, cur anima nõ poſſit per ſuam eſſentiam cognoſcere ſpecies inferiores, cùm videatur illas continere inſtar ſuperioris; cauſam eius impotentiæ aſſignat, defectum perfectæ continentiæ. Argumentum enim tertium ſic proceſſerat: *Anima eſt ſuperior corporalibus creaturis. Inferiora autem ſunt eminentiori modo in ſuperibus, quàm in ſeipſis, vt Dionyſius dicit* cap. 12.de cœleſti Hierarchia. *Ergo omnes creaturæ corporeæ nobiliori modo exiſtunt in ipsâ eſſentiâ animæ, quàm in ſeipſis. Per ſuam ergo ſubſtantiam poteſt creaturas corporeas cognoſcere.* Reſpondet autem S.Doctor: *Ad tertiũ dicendum; quòd quælibet creatura habet eſſe finitum & determinatum. Vnde eſſentia ſuperioris creaturæ, etſi habeat quandam ſimilitudinem inferioris creaturæ, prout communicat in aliquo genere; non tamen completè habet ſimilitudinem illius: quia determinatur ad aliquam ſpeciem, præter quam eſt ſpecies inferioris creaturæ. Sed eſſentia Dei eſt perfecta ſimilitudo omnium, quantùm ad omnia, quæ in rebus inveniuntur, quia eſt univerſale principiũ omnium.* Hæc D.Thomas.

36 *EX* quibus opportuna ratio colligitur, cur licet ſpecies aliqua habeat ſub ſe infinitas inæquales perfectione eſſentiali, non ſit infinita ſecundùm eſſentiam, adhuc in ſuo genere: quia, ſcilicet, vt infinita eſſet, deberet adæquatè continere omnes eiuſmodi ſpecies, quò ad totam illarũ perfectionem: de ratione enim infiniti in actu penes perfectionem eſt, vt contineat formaliter, aut eminenter totam perfectionẽ eius generis. Nulla autem ſpecies determinata continet totam perfectionem ſpecierum inferiorum, nec formaliter, nec eminenter; ſed partem illius tantùm. Ergo nulla ſpecies determinata eſt actu infinita ſecũdùm eſſentialem perfectionem in ſuo genere. Probat minorem S.Thomas, & nos cum ipſo: tum, quia quælibet ſpecies eſt determinata intra proprium genus, & adæquatè condiſtincta intra illud ab alia quacunque ſpecie: tum etiam, quia ideo Deus cõtinet totam perfectionem creaturarum formaliter, aut eminenter, quoniam illarum omnium eſt cauſa & vniverſale principiũ, quò ad totam perfectionem. At nulla ſpecies ſuperior eſt cauſa & vniverſale principium omnium ſpecierum inferiorum quò ad totam illarum perfectionem, vt patet. Nulla ergo ſpecies inferior continet formaliter, aut eminenter totam perfectionem ſpecierum inferiorum. Ergo quanquã hæ aſſerantur infinitæ, non ideo ſuperior ſpecies cenſeri debet ſimpliciter infinita. Vnde habemus opportunam rationem, cur ſpecies hominis non ſit ſimpliciter infinita intra genus animalis, quanquam plures, & plures ſpecies eſſentialiter inæquales infra ſe habeat: cur etiam viſio beatifica infinita non ſit intra genus cognitionis, quanquam ſub ſe habeat infinitas ſpecies viſionum cognitionumque terminatarum ad obiecta creata, & eſſentialiter inæqualium.

37 *DICES*: Si daretur ſpecies aliqua creaturæ infinita in actu penes magnitudinem, multitudinem, aut intenſionem, non ideo eſſet cauſa aliarum ſpecierum finitarum intra eadem genera, neque id vllo modo colligi poteſt. Ergo vt ſpecies ſuperior ſit actu infinita ſecundum perfectionem intra ſuum genus, non eſt opus vt ſit cauſa omnium ſpecierum inferiorum adæquata intra idem genus. *RESP.* permiſſo antecedente, negando conſequentiam. Diſparitas eſt, quoniam data ſpecie actu infinitâ penes magnitudinem, multitudinem, aut intenſionem, nihil eſſet in ſpeciebus inferioribus, quód non eſſet in illâ formaliter per modum partis, & infinitè ampliùs. Nulla enim extenſio, nulla pluralitas, nullus gradus intenſionis eſſet in ſpeciebus finitis, qui non contineretur formaliter ſecundùm prædicata ſpecifica, tanquam particula quædam minutiſsima in ſpecie actu infinita eiuſdem generis: ac proinde ad infinitatem non eſſet præterea opus cauſalitate, ſed exceſſu infinito vltra continentiam illam. At verò infinitum in perfectione eſſentiali, neceſſariò includit perfectionem infinitam virtutis operativæ, tum radicalis, tum proximæ, cùm ſit natura infinita, & natura habeat rationem principij radicaliter operativi, cui reſpondere debet virtus proxima eiuſdem menſuræ. Cùm ergo nulla ſpecies creata habeat rationem cauſæ, vel principij operativi aliarum omniũ ſpecierum inferiorum, neque illarum perfectiones differentiales & proprias vllo modo contineat, adhuc per modum partis; cõſequens eſt, vt quamvis infinitæ ſint, non ideo ſpecies ſuperior ſit ſecundùm eſſentiam ſimpliciter infinita. Plura adhuc, quæ

obij-

obiici poſſent, diſsimulo, quia ex dictis ſolvi poſſunt.

SECTIO QVINTA.

Alia argumenta diverſimodè roborata obijciuntur, retorquentur, & extricantur.

38 OPPONES II. Nulla eſt repugnantia creaturæ omniũ perfectiſsimæ. Ergo illa abſolutè poſsibilis eſt. Probatur antecedens multipliciter. *Primò*: In collectione omnium creaturarum poſſibiliũ eſt ſumma propinquitas cum Deo, quia extra illam collectionem nulla cogitari poteſt creatura, quæ ſit Deo vicinior. At hæc ſumma propinquitas cum Deo, nequit convenire collectioni ratione omnium ſpecierum, neque ratione duarum inæqualium, quia imperfectior illarum nequit habere propinquitatem cũ Deo ſummam, ſed infra ſummam. Ergo reſtat vt hæc ſumma propinquitas conveniat collectioni ratione vnius tantum ſpeciei, quæ proinde ſit totius collectionis perfectiſsima: ac proinde hæc non repugnat. *Secundò* probatur idem antecedens. Sumpta omnium creaturarum collectione, & ſub vnicum mentis aſpectum poſitâ, non omnes creaturæ in ea contentæ exceduntur ab aliâ creaturâ, quia extra omnes creaturas non eſt alia. Ergo in illa collectione aliqua creatura non exceditur, ac proinde eſt perfectiſsima omnium, ſaltem negativè. Probatur antecedens: quia *aliquis, & nõ omnis*, ſibi invicem æquipollent. Si igitur nõ omnes creaturæ exceduntur ab alia, aliqua nõ exceditur ab aliâ, & proinde perfectiſsima omnium eſt. *Tertiò*. Deus poteſt producere creaturam ſummè perfectam, quam poteſt producere: quæ propoſitio, inquit Arriaga, eſt identica, & proinde negari non poteſt. Demus ergo illã produxiſſe. Modò ſic. Vel poteſt adhuc producere aliam perfectiorẽ, vel non poteſt. Si non poteſt; ergo illa, quã produxerat, fuit omniũ producibiliũ perfectiſsima. Si autem poteſt producere adhuc perfectiorem; ergo antea produxerat perfectiſsimam quam producere poterat, vt ſupponitur ex antecedenti; & ſimul nõ produxerat illam, ſiquidẽ modò poteſt producere perfectiorem: quæ eſt aperta contradictio. Ergo abſolutè Deus producere poteſt creaturam omnium perfectiſsimam. *Quartò*. Deus habens præſentem totam creaturarum collectionem, vnico actu cognoſcit, incipiendo à ſpecie hominis, v.g. quænam ſit immediata & prima ſpecies ipſum excedens, quænam ſecunda, quænam tertia; & ſic de cæteris aſcendendo. Ergo vſque eò progreditur divinus intuitus, vt tandem cognoſcat ſpeciem, quam nulla alia excedat, quæque proinde omnium perfectiſsima ſit, & Deo ipſi immediata. Alioqui Dei cognitio nullibi tandem ſiſteret, ſemperque in incertum tenderet.

39 *RESP*. negando antecedens: cuius probationes omnes ſophiſticæ ſunt, & involvunt terminorum implicantiam, quia procedunt in ſenſu collectivo, repugnante intimo in potentia, vt ſæpè monui, ac prætereà ineluctabilem patiuntur inſtantiam in numero infinito omnium finitorum maximo, qui omnino repugnat, ſicut & infinito, qui omnium infinitorum minimus ſit. *AD I. probationem*, nego ſuppoſitũ maioris: quia non poteſt fieri collectio aliqua, vel collectivus ſenſus omnium creaturarum poſsibilium; ſed plures & plures finitæ collectiones, quarum nulla in particulari habeat propinquitatem ſummam ad Deum, ſed ſolum maiorem, & maiorem infra ſummã. Eandem ſuppoſiti negationem, ſive implicantiam in adiecto debent fateri Adverſarij, ſi ita in illos arguas: In collectione omnium ſpecierum numeri finiti eſt ſumma propinquitas ad numerum actu infinitum, quia extra illam nullus numerus finitus vicinior excogitari poteſt. At hæc ſumma propinquitas cum numero infinito nequit convenire prædictæ collectioni ratione omnium ſpecierum, neque ratione duarũ inæqualium; quia minor illarum nequit habere propinquitatem ſummam ad numerũ actu infinitum, ſed infra ſummam. Ergo reſtat vt hæc ſumma propinquitas conveniat prædictæ collectioni ratione vnius tantùm ſpeciei numeri finiti, qui ſit totius collectionis maximus: ac proinde non repugnat ſpecies numeri finiti omnium finitorũ maximi. Vide ipſiſsimum Adverſariorum diſcurſum in materia omnino repugnante, etiam ipſorum teſtimonio.

40 *AD II. Probationem*, negato ſuppoſito maioris ſimiliter, applicanda eſt eadẽ inſtantia in collectione omnium ſpecierum numeri finiti, in quà non omnes ſpecies exceduntur ab alia ſpecie numeri finiti, quia extra omnes nulla alia eſt. Et tamen non ideo probatur intra ipſam collectionem eſſe ſpeciem aliquam finitam numeri, quę ſit maxima omnium finitarum. Vide quæ diximus allegatà *diſput. 22. à num. 37*. Quare ſolùm reſtat, vt quælibet ſpecierum poſsibilium diſtributivè accepta excedatur ab aliâ poſ-

poſsibili; non tamen ab aliâ quæ poſsibilis non ſit, ſeu extra collectionem illam negativè acceptam. Quo ſenſu ſolum æquipollere ſibi debent *non omnis & aliquis*; ſervato, ſcilicet, in vtroque ſenſu diſtributivo. Neque obſtat ſi opponas, quodlibet continuum permanens habere partes infinitas in potentiâ, & tamen collectivè illas in ſe continere; ac proinde non repugnare infinito in potentia ſenſum collectivum. Reſpondeo enim, quodlibet continuum actu exiſtens, ſolum facere poſſe collectivum ſenſum in ordine ad realem exiſtentiam & vnionem partium: non tamen in ordine ad numerum illarum, qui infinitus in potentiâ eſt, quatenus continuum ſubire poteſt plures & plures diviſiones in infinitum. Species autem omnes creaturarum poſsibilium in ſeipſis (prout loquimur in præſenti) non habent exiſtentiam, aut vnionē realem inter ſe, & alioqui infinitæ in potentiâ ſunt. Vnde in nullo ſenſu poſſunt facere collectionem vnam, ſed plures & plures.

41 *AD III.* Probationem, nego maiorem illam, quæ apparet quidem identica; ſed eſt verè chimærica, cum involvat implicantiam in adiecto, ſicut hæc: *Deus poteſt producere ſummum numerum finitum, quem poteſt producere.* Et ſimiliter hæc: *Deus poteſt producere vltimam cognitionem futuram earum, quas producere poteſt.* Et præterea hæc: *Deus poteſt producere ſummam quantitatem molis, quam producere poteſt.* Ac denique ſicut hæc propoſitio apparet identica, *Antichriſtus iuſtus, eſt Antichriſtus iuſtus*; re ipſa tamen involvit contradictionem in adiecto ex parte ſubiecti; ſic etiam dicendum de propoſitione, in quâ nititur Arriaga; cùm involvat creaturam ſummè perfectam, & contradictione plenam, quam deberet probare, & non ſupponere. *AD IV.* Quemadmodum Deus incipiendo a ſpecie numeri binarij vnico actu cognoſcit ſpeciē ternarij ipſum excedentem, & quaternarij, & aliorum maiorum ac maiorum, quin vnquam pertingat ad numerum aliquem omnium maximū, vel propterea in incertum abeat; ſed omnes & ſingulas ſpecies numerorum poſsibilium diſtinctè noſcat vt maiores & maiores in infinitum; ſic etiā dicendum de ſpecie immediatè excedente ſpeciem hominis, & de alia & alia ſuperiori in infinitum.

42 *INSTABIS.* Si ita eſt, ſequitur ſpecies creaturarum poſsibilium exceſſas eſſe plures, & non eſſe plures excedentibus: quod contradictionem involvit, vt nos ipſi arguebamus *diſp. præced. à n. 22.* contra infinitum intenſionis. Probatur ſequela. Nō erunt plures exceſſæ, quàm excedentes; quia nulla erit exceſſa, cui non correſpondeat aliqua excedens. Erunt deinde plures exceſſæ, ſiquidem nulla eſt excedens, quæ ſimul non ſit exceſſa ab alia ſpecie ſuperiori; & aliqua eſt exceſſa, quæ non ſit excedens ſpeciem vllam eius collectionis; vt ſpecies hominis, quæ nec ſeipſam, nec aliam ſuperiorem excedit. Ergo exceſſæ ſimul erunt & non erunt plures, quàm excedentes.

43 *RESP.* ipſiſsimam obiectionem debere ſolvi ab omnibus in ſpeciebus numerorum, vt conſideranti patebit. Deinde nec locum habere poteſt in noſtra opinione, quæ ſicut negat ſpeciem omnium perfectiſsimam, ita & imperfectiſsimam: quia quemadmodum omnis ſpecies creata diſtat infinitè à Deo, & propterea locum relinquit vt ſit poſsibilis alia perfectior; ac perfectiùs Deo appropinquans; ita & quodammodo diſtat infinitè à puro nihilo, & proinde relinquit locum alteri imperfectiori, ſive magis viciniæ nihilo. Quare nulla eſt ſpecies poſsibilis quæ excedatur ab vnà ſuperiore, & non excedat aliam inferiorem: ac proinde in ſpeciebus creaturarum totidem ſunt exceſſæ ac excedentes. Permiſſo autem gratis eſſe ſpeciem aliquā creaturæ omnium imperfectiſsimæ, ſicut in numeris eſt binarius omnium minimus, adhuc negãda eſt ſequela: quia qualiſcumque collectio fiat ſpecierum numero finitarum, detrahenda eſt infima à numero excedentium, & ſuprema à numero exceſſarum; cùm intra eam collectionem finitā non habeat aliam ſupra ſe, à quà excedatur: atque adeo intermediæ omnes erunt ſimul exceſſæ & excedentes, totidemque vnius & alterius rationis. Quòd ſi vnam collectionem omnium ſpecierum poſsibiliū facere velis; implicas in adiecto contradictionem. Verùm de his ſatis eo loco dictum eſt.

44 *OPPONES III.* De facto exiſtit creatura imperfectiſsima omnium, quæ eſt materia prima, quam *prope nihil* appellat Philoſophus, & quæ maximè omnium caret omni actualitate ac perfectione. Item de facto exiſtit gratia habitualis, quæ eſt formalis participatio naturæ divinæ, habentis in Deo rationem perfectionis ſummæ; quæ gratia immultiplicabilis eſt in plures ſpecies perfectiores ac perfectiores, quia participat formaliter eandem naturam divinam conſideratam quaſi in ſpecie atomà, vt multipliciter probavimus *tom. 2.*

Theo-

Theologiæ Florulenta, Ludo 12. Sed nequit ſpecies alia creaturæ dari perfectior eâ, quæ aſſurgit ad naturæ divinæ participationem formalem. Si autem dicas, vnionem hypoſtaticã eſſe in ſpecie perfectiori, quia perfectiùs coniungit ſummo bono, & eſt in altiori ordine, nimirum, hypoſtatico Verbi; fatearis neceſſe eſt, eandem vnionem eſſe creaturam omnium perfectiſsimam ſecundùm ſuam ſpeciem. Nec prætereà recurri poteſt, ad aliam & aliam ſpeciẽ perfectiorem vnionis hypoſtaticæ abſolutè poſſibilẽm cum hac & illa natura Angelica perfectiore ac perfectiore in infinitũ. Nam in oppoſitum eſt, quòd vnio hypoſtatic vnõ eſt perfectioris ſpeciei, eo quòd natura à Verbo aſſumptibilis ſit perfectior ſecundũ ſpeciem. Quod probatur, tum à paritate actuum ſupernaturalium, qui non ſunt meliores, aut perfectioris ſpeciei, ſive eliciantur à natura perfectiore, ſive imperfectiore ſecundùm ſpeciem: tum ab vnione cum gratia habituali, quæ eiuſdem ſpeciei eſt in Angelo & homine: tum deitique ratione à priori, quia capacitas ad vnionem hypoſtaticam non attenditur iuxta potentiam naturalem & ſpecie diverſam naturarum à Deo aſſumptibilium, ſed ſecundùm potentiam purè obedientialem, quæ in omni naturà rationali creatà eiuſdem omnino ſpeciei & rationis eſt. Ergo & vnio hypoſtatica in omnibus eſſet vnius ſpeciei, atque eiuſdem rationis.

45 *VIDES* Argumenti difficultatem, præſertim quò ad partem Theologicam, quam miror ab Authoribus, quotquot legere licuit, in præſenti prætermiſſam; cùm tamen ſtatim ferè ob oculos ſit. Niſi fortè iis acciderit, quod ſæpè mihi, plura difficilia omittenti, vitandæ prolixitatis gratià. At id vix vnquam licet in iis difficultatibus, quæ ſtatim ſuboriuntur, & ſine quarum diſcuſsione controverſiæ omnino imperfectæ manerent: vt in præſenti contingeret, niſi præiacto argumento occurreretur.

46 *QVAPROPTER* dicendum cenſeo, omnem conſiderationem ſpecierum poſsibilium penes maiorem vel minorem perfectionem eſſentialem, eſſe comparativam vtriuſque extremi inter ſe, omnibus hinc & inde expenſis. Quod ex ſe manifeſtũ eſt. Notandum præterea, quanquam omnes ſpecies creaturarum ſint eſſentialiter inæquales; plures eſſe quæ, ſi inter ſe comparentur, ſimul habeant ſe invicem excedere penes diverſas conſiderationes. Et, perſiſtendo in eiſdem inſtantiis argumenti, palam eſt vnicuique, materiam primam excedere accidẽntia, quatenus eſt ſubſtantia; excedi tamen ab iis vt habentibus rationẽ actus completi in proprio genere. Similiter & gratia habitualis excedit Angelum & hominem, quatenus eſt forma ordinis ſupernaturalis; & tamen, quia accidens eſt, exceditur ab illis, vt habentibus rationẽ ſubſtantiæ intellectualis. Denique ipſa gratia excedit vnionem hypoſtaticam, quatenus hæc eſt modus incompletus; gratia autem forma completa in ſuo genere; ſimiliterque gratia participat naturam divinã, quæ ratione noſtrà eſt prædicatum perfectius, quam identitas naturæ ipſius cum divinis perſonis, participata virtualiter ab vnione hypoſtaticà. Aliunde verò hæc perfectior eſt gratia habituali, quia ſubſtantialiter & intimiùs coniungit naturam creatam Deo, infertque impeccabilitatem, & ipſam gratiam, ac cætera dona ſupernaturalia. Itaque in prædictis inſtantiis, & innumeris aliis videre licet, exceſſum perfectionis inter duo aliqua eſſe comparativum & mutuum penes diverſas combinationes, inſpectionesve: qualiter & numerus binarius eſt perfectior ternario, prout accedit magis ad vnitatem; imperfectior autem, prout minùs accedit ad multitudinem, iuxta quam penſatur maioritas & minoritas numeri.

47 *EX* his ad argumentum quò ad ſingulas partes dico, non repugnare, imo & de facto exiſtere plures rerum ſpecies, quæ cõſideratæ verſus vnam ſolùm partem ſint omnium imperfectiſsimæ, aut perfectiſsimæ; quia nimirum ex illo capite pervenerunt ad vltimum terminum abſolutè poſsibilem. Sic materia prima ex capite puræ potentiæ eſt omnium imperfectiſsima, & quaſi contrapoſita Deo, qui eſt purus actus. Sic & gratia habitualis & vnio hypoſtatica ſecundum formalitatem illam, qua coniungunt Deo, accidentaliter in naturà, & ſubſtantialiter in perſonà, habent vltimum terminum perfectionis poſsibilis in ſpecie, infinitè quidem diſtantis ab ipſo in eſſe entis, non tamen in ratione coniunctionis, & formæ elevantis. Aliunde verò exceduntur in eſſe entis ab omnibus ſpeciebus completis ſubſtantiarum, præſertim intellectualium, quæ poſſunt eſſe perfectiores & perfectiores in infinitum. Vnde demùm concluditur impoſsibilem eſſe creaturam, quæ ſit omnium perfectiſsima ſimpliciter & ex omni capite; quanquam non repugnet, imò & de facto exiſtat creatura, quæ aliquo ex capite ſit in ſpecie perfectiſsima poſsibilium omnium.

IN

IN LIBRVM QVARTVM PHYSICORVM.

HOC Libro agit Philoſophus de duplici mènſurà: alterà, entis mobilis, quæ eſt motus: alterà ipſius mobilis, quæ eſt tēpus. Nomine autem loci comprehendit non ſolum illum, qui corpore aliquo repletus eſt; ſed etiam qui vacuus. Quare in primis quinque capitibus diſſerit de loco: quatuor ſequentibus de vacuo: ac tandem quinque poſtremis de tempore.

DISP. VIGESIMAQVINTA

DE LOCO.

Num. 1. *CVM plures prolixæque diſputationes præceſſerint, & ſtatim ſequantur, placet in hac curſim plura dubia reſolvere circa locum, quæ ſedem habent apud Philoſophum hoc lib. 4. per quinque priora capita. Qui plениorem eorum diſcuſsionem optat, conſulere poterit alios Authores, præſertim à nobis progreſſu controverſiæ allegandos.*

SECTIO PRIMA.

An ſit, & quid ſit locus? Sententia Ariſtot. ſtatuitur, & variæ aliorum opiniones reijciuntur.

2 LOCVM Exiſtere in natura rerum, non tam probat, quam vt evidens ſupponit Ariſtot. *in præſenti cap.* 4. & D. Thom. *ibid. lect.* 5. cæterique Philoſophi. Cæterùm ſuaderi poteſt ab experimento oculari motus localis corporū, quæ ſuapte naturà non feruntur, niſi ad adquirendum aliquid reale. Cùm igitur naturaliter ferantur ad locum alibi adquirendum, planè locus ipſe aliquid reale eſt. Præterea: Ex aſsidua viciſsitudine generationum & corruptionum ſive, quod perinde eſt, trāſmutatione rerum ſecundùm formas ſubſtantiales, rectè colligitur realis exiſtentia alicuius ſubiecti communis, ſive materiæ primæ, quæ omnibus ijs ſubſtet, eaſque ſinu ſuo recipiat. Ergo cùm pariter experiamur ſimilem viciſsitudinem, ſeu tranſmutationem localem corporum, quæ modò hic, modò ibi ſunt, ſubintrante vno, & exeunte alio; colligi etiam debet realis exiſtentia alicuius communis receptaculi, in ſinu ſuo illa excipientis, quod locum appellamus. Eſt tamen diſcrimen, quod materia eſt pars intrinſeca illius compoſiti cuius formam in ſe recipit, quoniam habet rationem puræ potentiæ intra genus ſubſtantiæ: locus autem non eſt quid intrinſecum locato, ſed extrinſecum, quoniam excipit in ſe compoſita ſubſtantialiter completa, & prædita omnibus ijs accidentibus, quibus intrinſecè afficiuntur; ideoque iam impotentia vniri loco, niſi vt extrinſeco receptaculo.

3 *OMISSIS* Veterum opinionibus, quarum plures potius riſu, quam impugnatione, videntur dignæ, ſententia vera Ariſtotelis, quam D. Thom. cæterique Philoſophi communiter ſequuntur, eſt, locum conſiſtere in vltimà ſuperficie corporis cōtinentis. Itaque locus aquæ eſt illa ſuperficies vltima aeris, qua ambitur, ſeu tangitur im-

immediatè: locus aëris, vltima ſuperficies ignis elementaris, à qua circumſcribitur; & locus ignis, ſuperficies concava cœli Lunæ, quæ illum proximè ambit; & ſic de alijs. Ratio Aſſerti præcipui eſt: Quia locus proprius cuiuslibet corporis debet ipſi adæquari, ac proinde illud ex omni parte tangere & circumſcribere, vt in eo ſit, veluti contentum in continente. Atqui hæc omnia conveniunt vltimæ ſuperficiei corporis cōtinentis. Ergo locus in ea conſiſtit. Maior videtur ſeipſa evidens, & communi omniū exiſtimatione certa. Minor autem ſuadetur: Quia vltima ſuperficies corporis continentis omnia ea munia præſtat. Cùm enim æquè longè & latè pateat, ac corpus locatum, poteſt ipſi adæquari; ac proinde id ex omni parte tangere & circumſcribere, ita vt intra eam ſit. Quod patet, tum exemplis adhibitis nuper elementorū, tum & ſphærarum cœleſtium, quarum quæ proximè ſuperiores alijs ſunt, eas ambitu ſuo circumſcribunt, & concavà ſuperficie locant.

4 *VNDE* Refelluntur breviter aliorum placita.. *Primò*, qui dixere locum eſſe *vbi*, ſeu præſentiam localem. Nam locus eſt id, in quo locatum recipitur. At non recipitur in ſua præſentià locali, ſed potius, è contra, hæc in illo. Ergo locus non eſt *vbi*, ſeu præſentia localis. Deinde, hæc intrinſecè recipitur in locato, vt accidens in ſubiecto; cum tamen locus omnino extrinſecè ad ipſum comparetur, vt *num.2.* oſtenſum eſt. Præterea: *Vbi* reſultat ex adiacentia corporis locati ad locum. Ergo *vbi* non eſt locus, ſed aliquid poſterius illo. *Secundò* reijciuntur quotquot aiunt, locum eſſe ſpatium imaginarium quoddam poſitum inter latera corporis ambientis corpus locatum. Etenim corpus locatum realiter continetur à loco. At realiter non continetur à ſpatio aliquo imaginario; quippe quod eſt nihil, & proinde nequit continere realiter aliquid. Ergo locus non eſt aliquod ſpatium imaginarium. Deinde locus eſt conſervativus locati, vt infra *ſect.4.* conſtabit. Spatium autem, quod tale eſt in ſola imaginatione, & non in re, nequit eſſe conſervativum locati. Denique, cum corpora omnia naturaliter moveantur ad proprium locū, & tamen ad ſpatium imaginarium, id eſt, meram nihilitatem non moveantur, evincitur planè, ſpatium imaginarium non eſſe locum. *Tertiò* reijciuntur, qui dicunt locum eſſe quoddam ſpatium reale, immateriale, & penetratum cum corpore locato, atque exiſtens intra latera corporis cōtinentis. Etenim eiuſmodi ſpatium eſt prorſus fictitium. neque enim poteſt eſſe ſubſtantia, neque accidens. Non primum: quia aut eſſet ſubſtantia corporea, aut ſpiritualis. Si corporea; eo ipſo impenetrabilis erit naturaliter cū corpore locato: cuius oppoſitum aſſerit ea opinio. Si autem ſpiritualis; carebit extenſione neceſſariâ vt ambiat & circumſcribat corpus locatum. Nec etiam ſecundum: quia ſimiliter ſi eſt accidens corporeum, erit impenetrabile naturaliter cum corpore locato, ideoque illud à loco ſuo pellet: ſi autem ſpirituale, erit indiviſibile, & carens neceſſariâ extenſione ad circūſcribendū corpus. Vide *diſp.28. ſect.1.*

SECTIO SECVNDA.

Vtrùm de ratione loci ſit immobilitas, & quaenam? Obiectiones ſolutæ.

5 ARISTOTELES Hoc *libro 4. cap.4 textu 41.* definiens locū, dixit: βούλεται δὲ ἀκίνητον εἶναι ὁ τόπος, &c. *Locus autem vult eſſe immobilis. Quapropter vniverſus fluvius magis eſt locus, quia eſt immobilis vniverſus. Quare locus eſt FINIS CONTINENTIS IMMOBILIS PRIMVS.* Et paulò poſt, fine capitis, ſubdit: *Præterea locus, ſuperficies quædam, & quaſi vas, continenſque eſſe videtur.* Quibus omnibus expreſsit locum, eſſe finem, ſive vltimam ſuperficiem corporis continentis; nec quamcunque, ſed immobilem primò. Quod ipſum S.Thomas ibidem *lect. 6.* docet, cæterique Philoſophi, quibus omnibus ſubſcribimus.

6 *RATIO* D.Thomæ *Opuſc.52.* pro hac ipſa doctrinâ, eſt huiuſmodi. Omne quod eſt mobile localiter, eo ipſo capax eſt vt ſit in loco. At locus in quantùm talis nō eſt capax vt ſit in loco. Ergo locus in quantùm talis non eſt mobilis localiter. Reſtat igitur, vt quatenus locus eſt, immobilis ſit. Vtraque conſequentia eſt perſpicua, & maior ſimiliter: quia omne quod movetur localiter eo ipſo migrat de vno loco in aliū. Minor autem ſuadetur. Si enim locus in quantùm talis eſſet in loco, etiam hic in loco eſſet, & iſte ſimiliter, ac deinceps procedendo in infinitum; quia omnium locorum eadem ratio eſt, quatenus talū. Cùm ergo abſurdum ſit conſequens, abſurdum etiam cenſeri debet quod locus quatenus talis ſit in loco. *Confirm.* Motus enim gravium & levium ad propria loca, ſunt naturales, per ſe, ac neceſſarij. Hoc autem eſſe nequit, niſi loca ipſa quatenus talia ſunt im-

immobilia. Si enim mobilia forent, & locus ſuperior ignis deſcenderet, atque inferior terræ aſcenderet; nec ignis per ſe ac neceſſario aſcenderet ad quærendum locũ ſuperiorem; nec terra deſcenderet ad quærendum inferiorem: ſed quodlibet eorum elementorũ modo aſcenderet, modò deſcẽderet, contingenter ac per accidẽs, prout locus de facto & per accidens eſſet ſuprà, aut infra. *Confirm. II.* Terminus *à quo*, & ſimiliter terminus *ad quem* motus localis, nõ defertur ſimul cum mobili, ſed prior deſeritur, & poſterior adquiritur. At locus eſt terminus *à quo*, ſimiliter & *ad quem* motus localis. Igitur locus non defertur ſimul cum mobili, ſed vel deſeritur, vel adquiritur. Ergo quatenus locus, non eſt mobilis, ſed immobilis.

7 *VERVM* Oportet explicare quo ſenſu locus immobilis ſit. Pro quo obſerva vltimam ſuperficiem aëris ambientis Salmanticã, non habere rationẽ loci, niſi prout importat relationẽ determinatæ diſtantiæ ad primũ continens, ſcilicet, ad cœlum ſupremũ, ſimulque ad centrum terræ, & polos mundi. Diſtantia autem prędicta poteſt conſiderari materialiter, vel formaliter. Priori ſenſu idem eſt, ac hæc numero diſtãtia, huic particulari ſuperficiei inhærẽs. Poſteriori vero, eſt ſola relatio diſtantiæ ad prædictos terminos in tali graduũ numero ac menſura. Qua perſiſtente, ſemper manet formaliter eadẽ diſtantia in ratione diſtantiæ, quãvis ſubſtratum illius, id eſt, ſuperficies aëris, varietur, & migret de loco in locum, materialiter ſumpta; id eſt, quatenus eſt accidens aëris determinate. Nã alioqui, & formaliter conſiderata eadẽ ſuperficies, ſcilicet, quatenus ſubeſt relationi diſtantiæ ad terminos mũdi in tali graduũ menſura, eſt immobilis: quia importat vnicã & immobilẽ habitudinẽ ad eundem terminum, idemque centrũ. Quare licet ſuperficies vltimæ aëris ambientis Salmanticam, materialiter ſumptæ paſſim varientur & locum mutent; non tamen formaliter loquẽdo, & prout ſubſunt determinatæ relationi diſtãtiæ ad prędictos terminos. Sicuti enim eam ob cauſam Salmãtica eadẽ perſiſtit, & per ſe immobilis eſt; ita & ſuperficies aëris ipsã ambiẽtis, ſive ſit hęc, ſive illa, quatenꝰ affecta eiuſmodi relatione, etiã immobilis eſt.

8 *VNDE* Occurritur vulgari, & alioqui difficili argumẽto, quo impugnari ſolet immobilitas loci ex eo, quod locus ſit vltima ſuperficies corporis continentis; quæ quidem mutatur ſeu movetur ad motum ſubiecti in quo eſt; aëris v. g. aut aquæ. Ergo & locus ipſe mutatur, ſeu movetur; ac proinde non eſt immobilis. Reſpondetur enim immobilitatẽ loci non deſumi ex ſuperficie materialiter ſumpta, quæ tranſit; ſed ex eadem formaliter accepta, quæ immobilis permanet. Sicut enim turris immota perſiſtit, quia retinet eandẽ diſtantiam in ordine ad terminos mundi; ita & ſuperficies aëris, quã ambitur, licèt materialiter ſumpta tranſeat, fluatque aliò, ſuccedente altera in locum ipſius; formaliter & quatenus ſubſtat eidem diſtantiæ ad terminos mundi, perſiſtit, & immobilis eſt, eademque, ac prorſus invariata cenſetur.

9 *DICES:* Ratio diſtantiæ eſt accidẽs quoddam inhærens vltimæ ſuperficiei ambienti corpus locatum; & quidem materialiter ſumptæ, ſcilicet, vt habenti rationem ſubiecti eiuſdem relationis. Ergo ſi ſuperficies materialiter ſumpta variatur, vt concedimus; etiam relatio diſtantiæ. nequit enim non variari accidens quoties variatur ipſius ſubiectum: cùm nequeat de ſubiecto in ſubiectũ migrare. *RESP.* Relationẽ diſtãtiæ variari eodẽ modo ac ſuperficiẽ; ſcilicet materialiter & penes vnitatẽ numericam: formaliter vero neutrã variari. Quo ſenſu concedimus cõſequentiã obiectionis. Inde autẽ non evincitur locũ in ratione loci variari, aut mobilem eſſe: quia immobilitatẽ accipit ab vtraque formaliter ſumpta.

10 *QVOD* Vt penitiùs intelligatur, notandum eſt, vnitatem numericam ſuperficiei, quatenus habentis rationem loci, ſive ſubiecti relationis determinatæ diſtantiæ, non conſiderari penes aliquam ipſius entitatẽ determinatam materialiter & in re; ſed ex entitate poſita ſub tali ſitu ac diſtantia ad terminos eoſdem mũdi, ſive ſuperficies ſit materialiter vna, ſive plures. Sic etiam vnitas numerica materiæ primæ Petri, ſi formaliter attẽdatur, nõ conſiſtit in aliqua determinata portione carnis, vel oſſiũ, aut aliorũ membrorũ; ſed in entitate eiuſdem materiæ quatenus exiſtẽtis ſub actuatione eiuſdẽ numero formæ, quamvis partes materiæ varientur, & accedant, aut recedant paulatim vi nutritionis, & decretionis. Quare ſicuti hoc non obſtante, verificatur Petrũ, infantem & iuvenẽ, eundem numero eſſe, & ſimiliter eandẽ in omni ſtatu perſeverare materiã ipſius formaliter loquẽdo, licèt materialiter diſtinctã; quia illa ſucceſsio non interrũpitur, ſed continuatur ſub eadẽ numero forma: ita etiã locꝰ perſeverat idẽ numero, & ſimiliter ſuperficies ipſius formaliter ſumpta: quia licèt ſuperficies v. g. aëris ambientes turrim ſint in rẽ plu-

plures, & ſucceſsivè fluentes; adhuc ſine interruptione continuantur ſub eodem gradu diſtantiæ ad terminos mundi, qui eſt veluti forma individua determinati loci. Quare ſubiectum adæquatum relationis diſtantiæ localis formaliter ſumptæ, eſt vnica ſuperficies formaliter, quanquam materialiter multiplex: ſicut ſubiectum adæquatum animæ rationalis Petri formaliter ſumptæ, eſt vnica materia formaliter, licèt materialiter in infantia, iuventute, ac ſenecta, multiplex ſit.

11 *HINC* Colligitur, caſu quo vna ſuperficies aeris ambientis turrim nō ſuccederet immediatè alteri, ſed ſolùm interiecto aliquo tempore; turrim non futuram in eodem numero loco, ſed in diſtincto: ſicuti dato quod poſt aſsiduam deperditionē partium materiæ Petri non adquirerentur immediatè aliæ, & poſt interiectū aliquod tēpus poneretur alia materia diſtincta ſub eadem forma; non eſſet idem numero homo, ſed diſtinctus. Ratio omnium eſt: quia vnitas numerica cuiuslibet rei compoſitæ æquè intrinſecè exigit vnitatem numericam eiuſdem materiæ, ac formæ; ac propterea ſi materia deſinat eſſe vna numero ratione omnimodæ interruptionis, quanquam eadem forma perſiſtat, res non eadē numero, ſed diſtincta erit.

12 *OBIICIES.* Vt locus, & relatio diſtantiæ, qua formaliter conſtituitur, ſint immobiles, terminus à quo ſpecificatur debet eſſe etiam immobilis. At immobilis nō eſt. Ergo nec locus, nec relatio diſtantiæ. Probatur minor. Terminus enim dictæ relationis eſt primum continens; ſcilicet, primum mobile in opinione Ariſtotelis (qui exiſtentiam alterius ſuperioris ſphæræ neſcivit) & poli eius, qui ſimul cum illo moventur, ſiquidem conſtituunt idem corpus continuum cum illo. Ergo terminus dictæ relationis non eſt immobilis. *VRGETVR I.* Poteſt enim locus manere immobilis, quamvis varietur diſtantia. Igitur à relatione diſtantiæ nequit locus accipere immobilitatem. Probatur antecedēs: Quia ſi quieſcente turri, & vltima ſuperficie aèris illam ambiente, Deus tantillum elevaret demitteretve primum mobile eiuſque polos (idemque eſt de Empyreo) variaretur diſtantia turris ab eiſdem, vt evidēs eſt. Et tamen quieſcente turri, atque vltima ſuperficie aeris illam ambiente, turris maneret in eodē loco immobili, ſicut antea; vtpotè quæ in eadem terræ parte immota permaneret. Igitur poteſt locus permanere immotus, quamvis varietur diſtantia. *VRGETVR II.* & è converſo. Si Deus prædictam turrim, & aèris ſuperficiem, qua ambitur, elevaret aliquanto aut demitteret, planè mutaret locum. Et tamen adhuc importaret eandē relationē diſtantiæ ad primum continēs; vtpote in ea hypotheſi invariatā. Ergo ex identitate relationis diſtātiæ non rectè colligitur immobilitas loci.

13 *RESP.* Cœlum non cieri motu recto, ſed circulari, ſeu circa locum; ideoque partes eius, licèt in eſſe partium moveantur, non moveri formaliter in eſſe loci, ſeu primi continentis, ſed perpetuo manere ſub eadē poſitione & ſitu, atque æquè diſtantes à centro terræ. Hoc autem ſufficit vt ſub ratione termini relationis diſtantiæ formaliter, ſit cœlum prorſus immobile. Quo ſenſu formali conceſſa maiore, & negata minore, conſequentia nulla eſt. Cum verò omne quod circulariter movetur, debeat habere duo puncta fixa, ſupra quæ volvatur; & hæc in cœlo appellentur poli, ſcilicet, arcticus, & antarcticus, vterque illorum debet eſſe fixus, ac proinde immobilis. Neque enim moveri poſſunt ſecundùm ſe totos, id eſt deferendo integre ſpatium illud indiviſibile, quod occupant (alioqui fixi non eſſent) neque ſecundùm partes, cū ijs careant, vtpote indiviſibiles. *AD I. Inſtantiam*, nego antecedens. Ad probationem dico, in ea hypotheſi vltimam ſuperficiem aèris permanſuram eandem, tum materialiter, tum & relatè ad centrum terræ, à quo æqualiter diſtaret priùs & poſtea; futuram verò diverſam ſub ratione loci, ſicut & diſtantiæ in ordine ad primum continens eiuſque polos. *AD II.* patet ex eadem doctrina, variandam relationem diſtantiæ, ac proinde locum, propter maiorem approximationem ad primum continens eiuſque polos, & minorem ad centrum terræ.

SECTIO TERTIA.

In quâ ſuperficie conſiſtat locus, & qualiter ad illam comparetur?

14 CIRCA Priorem dubij partem dicendum, ſuperficiem in qua conſiſtit locus, non eſſe quamlibet, nec remotam, ſed viciniorem, & quæ primò tangit locatum. Hoc planè expreſsit Ariſtoteles *vbi ſuprà* definiens locum illis verbis *finis primus*, vt interpretantur D. Thom. & alij; ac prætereà clariùs fine eiuſdem quarti capitis, vbi inquit: ἔτι, ἅμα τῷ πράγματι ὁ τόπος· ἅμα γὰρ τὰ πεπε-

ρασ-

φαινομένω τὰ πέρατα. Præterea, locus ſimul cum ipſa re quoadammodo eſt: quippe cùm ipſi ſines ſint ſimul. Nequeunt autem eſſe ſimul fines loci & rei locatæ, niſi ſuperficies, in quà conſiſtit locus, ſit proxima & immediata locato. Igitur in ea tantùm conſiſtit locus.

15 *RATIO* Autem eſt: Quia in præſenti non agimus de loco communi, conſiſtente in primo cœlo, quod omnia continet; ſed de loco privato & ſingulari vniuſcuiuſque corporis, quique cum eo adæquatur & commenſuratur: vt expreſſit Ariſtoteles *cap.* 1. huius libri, & cum eo D. Thomas. At locus privatus & ſingularis vniuſcuiuſque corporis, atque cum eo adæquatus, non eſt aliqua ſuperficies mediata aut diſtans; quippe quæ aliorum etiã corporum receptaculum eſt, & neutiquam adæquatur cum eo corpore, ſed potiùs illud amplitudine excedit: ſed ſola ſuperficies immediata, quæ illius propria eſt, & omnino adæquata. Ergo in hac, & non in illa, conſiſtit locus, de quo agimus in præſenti. Itaque iuxta hanc doctrinam locus cuiuslibet ex cœlis inferioribus eſt vltima ſuperficies cœli ſuperioris, à quà immediate ambitur: idemque eſt de igne relatè ad cœlum infimum Lunæ; de aère reſpectu ignis; de aqua in ordine ad aèrem; de terra reſpectu aèris & aquæ, à quibus penes varias ſui partes ambitur; ac denique de quolibet mixto relatè ad illam vltimam ſuperficiem cuiuslibet elementi, à quo immediatè circunſcribitur.

16 *DICES*: Locus debet continere locatum, vt patet ex ipſius definitione. At ſuperficies immediata corporis locantis nequit continere locatum. Ergo in ea non conſiſtit locus. Probatur minor. Quidquid enim continet aliud, eo ipſo debet eſſe maius. At ſuperficies corporis locantis non eſt maior corpore locato, ſed ipſi æqualis, vt nuper dicebamus. Ergo nequit continere locatum. *RESP.* Negando maiorem: quia iuxta definitionem, & rem ipſam, non locus, ſed corpus locans, quod ſuperius eſt, debet continere locatum. Non enim definitur locus vltima ſuperficies corporis continens locatum; ſed vltima ſuperficies corporis continentis: quia hoc, cùm ſit amplius, ſive ſuperius corpore locato, poteſt quamoptimè illud continere, & intra ſinum ſuum circunſcribere. Vnde licet immediata ſuperficies corporis continentis non ſuperet, ſed ſolùm adæquet corpus locatum; poteſt cõſiſtere in ea locus.

17 *INSTABIS.* Ratio quare corpus ſuperius continet locatum, eſt quia claudit in ſe vltimam ſuperficiem ambientem idem locatum. Igitur continere locatum per prius convenit, ac per ſe loquendo vltimæ ſuperficiei, quam corpori locanti. Quippe omnis effectus per prius tribuitur rationi à priori ipſius, quam ſubiecto, cui propter illam convenit. *RESP.* omiſsis aliorum evaſionibus, diſtinguendo antecedens: ratio inadæquata; concedo: adæquata; nego antecedens, & conſequentiam. Adæquata enim ratio quare corpus locans continet, non quomodocumque, ſed immediatè, locatum, conſiſtit partim in vltima, ſive concava ſui ſuperficie, quà ambit illud, ipſique coæquatur; partim in cœteris ſuperficiebus intermedijs, & maioribus, quibus excedit ipſum. Etenim continere locatum immediatè, vt loquimur in præſenti, duo importat. Alterum eſt, exceſſus ſupra illud in circunferentia, conveniens ipſi ratione ſuperficiei convexæ, & aliarum intermediarum, quæ planè maiores ſunt corpore contento: alterum verò eſt adæquatio ſuæ ſuperficiei vltimæ & concavæ cum prima & convexa locati: & ſine vtroque ſimul non poſſet habere rationem corporis immediatè locantis. Quare non exigitur, vt partialis ratio eius continentiæ, quæ eſt vltima ſuperficies, contineat; ſed ſolùm vt adæquet corpus locatum.

18 *CIRCA* Poſteriorem dubij partem aſſerendum eſt, ſuperficiem relatè ad locum non habere rationem generis, ſed ſubiecti tantùm. Ita frequenter Philoſophi, vt videre eſt apud Rubium *in præſenti quæſt.* 3. & Complutenſes *diſp.* 19. *quæſt.* 3. Colligiturque ex Ariſtotele 5. *Metaph. cap.* 15. ac D. Thomà *ibidem*, docentibus, locum eſſe quantum per accidens. Si autem ſuperficies, quæ eſſentialiter ac per ſe quantitas eſt, haberet rationem generis reſpectu loci, hic non per accidens, ſed per ſe, eſſet ſuperficies, ac proinde quantus. Igitur ex mente Ariſtotelis ſuperficies non eſt genus ad locum.

19 *RATIO* Verò eſt: Quia nullum ens per accidens conſtat propriè genere & differentia. hoc enim proprium eſt entis & vnius per ſe. At locus eſt ens per accidens. Ergo non conſtat propriè genere & differentia: ac proinde ſuperficies non comparatur ad rationem propriam ſeu differentialem loci tanquam genus. Maior cum conſequentia quo ad vtramque

que

que partem conſtat. Minor autem ſuadetur: Tum, quia locus eſſentialiter importat ſuperficiem concavam corporis continentis, quæ in quantum talis involvit duo diverſa prædicamenta, quantitatis, & figuræ ſpectantis ad qualitatem: omne autem quod involvit res diverſorum prædicamentorum, eſt ens per accidens: Tum etiam, quia immobilitas, quæ eſt ratio propria loci, eſt quid omnino extraneum & per accidens ad omnem ipſius rationem communem, maximè ad ſuperficiem: ideoque nequit ex vtraque reſultare, niſi ens per accidens.

20 *OPPONVNT* Soto *in præſenti quæſt. 1. concl. 4.* & Toletus *quæſt. 4.* alijque plures, rationem communem ſuperficiei in communi eſſe indifferentem ad eam quæ habet, & ad eam quæ non habet rationem loci; & quidem per modum rationis eſſentialis vtrique. Igitur habet rationem generis relatè ad ſuperficiem immobilem, quæ eſt locus, & ad mobilem, quæ locus non eſt. *RESP.* Rationem communem ſuperficiei eſſe quidem communem ad eam quæ habet, & ad eam quæ non habet rationem loci: non tamen per modum rationis perfectibilis ab vtraque per identitatem, aut tanquam a differentia intranea (quod requirebatur vt eſſet genus) ſed per modum ſubiecti in accidentia; vt quantitas ad albedinē, & nigredinem, dulcē & amarā; atque eadem ſuperficies ad figuram concavam, & convexā; ac proinde ad immobilitatem propriam loci, quæ ſoli ſpeciei concavæ, non autem convexæ, poteſt convenire: quoniam ſola prior eſt immediata corpori locato.

SECTIO QVARTA.

Vtrùm locus naturalis, quatenus diſtinctus à mathematico, addat qualitatem conſervativam locati?

21 DICENDVM Eſt, naturalem locum (ſcilicet, illum, in quem corpus naturali propenſione tendit, veluti in centrum) quatenus diſtinctum a mathematico, & abſtrahente ab ea propenſione, addere qualitatem aliquam conſervativam locati. Hoc ſanè indicat Ariſt. *in præſenti cap. 1.* ſub initium illis verbis: ἔτι δὲ καὶ αἱ φοραὶ τῶν φυσικῶν σωμάτων καὶ ἁπλῶν, &c. *Inſuper, & lationes corporum naturalium & ſimplicium, vt ignis, terræ, ac talium, non ſolùm aliquid eſſe locum, ſed etiam habere quandam potentiam, indicant.* Vbi S. Thomas *lect. 2.* inquit: *Motus naturalis corporum naturalium oſtendit quòd locus habet quandam potentiam & virtutem. Videmus enim quòd vnumquodque fertur in ſuum locum quando non impeditur: grave quidem, deorſum; leve autem ſurſum. Ex quo patet quòd locus habet quandam virtutem conſervādi locata: & propter hoc locatum tendit in ſuum locum deſiderio ſuæ conſervationis.*

22 *HINC* Autem deſumitur ratio. Motus enim naturalis gravium & levium ad propria loca, non eſt inutilis & fruſtraneus, cum ſit ipſis inditus a ſapientiſſimo Authore naturæ. At inutilis & fruſtraneus eſſet, ſi locus non importaret qualitatem conſervativam locati: illa enim ſecluſa, nulla vtilitas aut convenientia reſultare poteſt gravibus & levibus, ſi moveantur ad proprium locum, magis quàm ſi non moveantur. Ergo locus importat qualitatem conſervativam locati. *Confirmatur.* Plura etenim mixta, quæ diu in proprijs locis permanent, vbi ab ijs expelluntur, corruptionem ſubeunt: vt patet in piſcibus. Imò & de quibuſdam hominibus ſylveſtribus apud Imaum montem in regione Abarimon, refert Plinius *lib. 7. cap. 2.* non potuiſſe reſpirare, ac proinde nec vivere, extra locum eiuſdem regionis: ideoque nec ad Alexandrum Magnum, neque ad alios finitimos Reges fuiſſe vnquam delatos, quia exeuntes à proprio loco moriebantur ſtatim. Nulla autem ratio eſſet, vt ita accideret, niſi & piſcibus, & prædictis hominibus, locus proprius adderet conſervativam qualitatem.

23 *OBIICIES* cum Valleſio *lib. 6. Sacræ Philoſ.* Omnis qualitas, ſicut & forma, tribuit effectum illi tantùm ſubiecto, in quo eſt. At nulla qualitas loci eſt in locato, ſed in ipſo loco. Ergo nulla qualitas loci tribuit effectum conſervationis locato. *CONFIRM. I.* Superficies concava ignis elementaris, quæ eſt locus naturalis aeri ſibi immediato, non importat qualitatem aëris conſervativam, ſed potiùs deſtructivam, qua comburit partes aëris proximiores. Ergo de ratione loci naturalis non eſt habere qualitatem conſervativam locati. *CONFIRM. II.* Superficies enim concava aquæ eſt locus naturalis terræ inferioris, quæ tamen ab ea humectatur, ac proinde privatur nativa ſiccitate, & conſequenter corrumpitur. Ergo locus non affert neceſſariò qualitatem cōſervativam locati.

24 *RESP.* Maiorem ſolùm eſſe veram de qualitate & forma tribuente effe-

fectum in genere cauſæ formalis, non verò efficientis. Hæc enim poteſt eſſe, & communiter eſt in alio ſubiecto ab eo, in quo effectus producitur. Itaque qualitas conſervativa formaliter rei locatæ eſt in ea, vt ſubiecto, & cauſatur efficienter ab alia qualitate conſervativa loci, exiſtente in ipſo loco. Sic etiam quoties aqua calefit ab igne vicino, eſt duplex calor; alter reſidens in aqua, & eam reddens formaliter calidam; alter vero in igne, calefaciens aquam actiuè, quatenus producit calorem in illa. *AD Confirmationes* reſp. ex doctrina D. Thom. *Opu. c.* 52. elementa, & quælibet inferiora corpora, habere rationem loci per reſpectum ad primum continens, à quo, vt primo loco, dependent, participantque benignam influentiam & qualitatem proficuam, ratione cuius conſervent corpora ab ijs locata, licèt alioqui contraria, quantùm opus eſt ad bonum commune, ordinemque rerum ſubcœleſtium. Quare ignis elementaris non abſumit aërem ſibi proximum, qui licèt conſtent naturis cõtrarijs, hæc oppoſitio tẽperatur vi qualitatis prædictæ; maximè cum id conducat ad bonũ commune Vniverſi, in quod longè magis inclinantur elementa, quam in propriũ bonum. Conducit autem plurimùm in conſervationem Vniverſi quod ignis elementaris nõ abſumat vicinum aërem: ſic enim combureret totum illum, ac proinde deſtrueret ordinem elementorum ſpectantẽ ad primam integritatem Vniverſi. Idẽque eſt de aqua relatè ad terrã. Hoc tamen non impedit, vt aliquoties apud nos ignis locans aërem illum comburat, & ſimiliter aqua terram corrumpat, atque in ſe convertat: tũ quia hoc exigui momenti eſt, & in nullo oppoſitũ cõmuni bono Vniverſi: tùm etiã, quia quoties id accidit, non ſunt in ea proportione & ſitu, quo opus eſt ad recipiendã qualitatem conſervativam à primo continente: tùm denique, quia id contingit per accidens & ratione exceſſus quantitativi vnius elementi ſupra aliud, vt quando gutta aquæ corrumpitur a magno igne, aut exiguus ignis ab ingente aquarum mole.

(ꝟ)

SECTIO QVINTA.

An omnia entia naturalia ſint in loco.

25 QVATVOR Claſſes entium naturalium fieri poſſunt, de quibus præſens dubium procedit. Prima ſpectat ad primum cõtinens, quod opinione Ariſtotelis eſt ſphæra primi mobilis, in re autem & ſenſu Catholico ſolum cœlum Empyreũ. Quod ſemel adnotaſſe ſufficiat pro hac claſſe, in qua ſolùm agemus de primo continente, ſive loco omnium ſupremo, quicumque ille ſit. Ad ſecundã ſpectãt reliquæ ſphæræ cœlorum inferiorum. Ad tertiam, quatuor elemẽta. Ad quartam omnia mixta. De his quæ ſpectant ad tres poſteriores claſſes, conſtat planè eſſe in loco. Difficultas ſolùm eſt de cœlo ſupremo.

26 *SIT Aſſertio*. Primum continens, ſive cœlum omnium ſupremũ, quodcumque illud ſit, non eſt actu in loco ſecundum ſe totum. Ita Ariſtoteles *hoc lib. cap. 5. text. 45.* illis verbis: *ὁ δ' οὐρανὸς, ὥσπερ εἴρηται, οὔ που ὅλος*, &c. *Cœlum autem, vt dictum eſt, non eſt alicubi totum, neque eſt vllo in loco, ſi nullum ipſum continet corpus*. Et, paucis interiectis: *Ipſum verò cœlum nullo in alio corpore eſt vlteriùs collocatum*. Quod ſanè de ſolo cœlo omnium ſupremo intelligi poteſt ac debet: quoniam alij cœli inferiores ab aliquo corpore ſuperiori continentur & in eo collocantur, vt in vaſe capaciori. In quæ loca S. Thomas ita loquitur: *Concludit ergo ex præmiſſis, quòd cum locus ſit terminus continentis, cuicumque corpori adiacet aliquod corpus continens ipſum exteriùs, hoc eſt in loco ſimpliciter & per ſe. Cui verò corpori non adiacet aliquod corpus exteriùs continens, ipſum minimè eſt in loco. Tale autem corpus in mundo non eſt, niſi vnum; ſcilicet, vltima ſphæra, quæcumque ſit illa. Vnde ſecundùm hanc determinationem ſequitur; quòd vltima ſphæra non ſit in loco.* Idipſum & cæteri Philoſophi omnium Scholarum docent *in præſenti*: vt propterea otioſa appareat ſingulorum allegatio.

27 *RATIO* Ariſt. & D. Th. videtur evidens. Omne enim quod actu eſt in loco ſecundum ſe totum, actu & ſecundum ſe totum continetur ab alio corpore: vt patet ex definitione loci. At cœlum omnium ſupremum actu & ſecundùm ſe totum non continetur ab alio corpore: ſiquidem nullum aliud corpus eſt vltra illud, à quo contineatur. Igitur cœlum omnium ſupremum non eſt in loco actu ſecundum ſe totum.

28 Dixi, *ſecundùm ſe totum*: quia ſi ſermo ſit de partibus, ſeu ratione partium,

cœlum ſupremum ſecundùm quaſdam illarum eſt in loco actu, ſecundùm alias vero in potentia. Quod diſertè tradit Ariſt. eodem capite: vbi cùm præmiſiſſet *text. 44.* quædam ſolùm potentia eſſe in loco, quædam vero actu; ſubdit *textu 45.* de partibus eiuſdem cœli: *Omnes partes quodammodo ſunt in loco: circumquaque enim alia aliam continet.* Vbi D. Thomas, *Oſtendit*, inquit, *quomodo partes primæ ſphæræ ſint in loco: & dicit quòd, ſicut ſupra dictum eſt, quædam ſunt in loco actu, quædam ſecundùm potentiam.* Ratio verò, quam vterque aſsignat, eſt: Quia partes cœli ſupremi ita ſunt diſpoſitæ, vt vna ambiatur in circulo ab alia, & alia à maiore. V.g. accipiendo quantitatem cœli ſupremi palmarem ſecundùm omnem dimẽſionem, pars exigua vnius digiti introrſus exiſtens & circa medium, ambitur & continetur ab ampliori circumferentia eiuſdem palmi. quod faciliùs capietur ſi conſideratio fiat in globo vlnari ſupremi cœli, in quo plures ac plures, & minores ac minores globi continentur, vt partes proportionales in aliquota: ac proinde ab ea locantur. Cumque hæc ratio locum habeat diſcurrendo per totum cœlum ſupremum quò ad partes quæ immediatè non pertinent ad ſuperficiem convexam, ſeu immediatè non tangunt ſpatium imaginarium, ſed tanguntur ab alijs ab vtroque latere; conſequens eſt vt illæ omnes ſint actu in loco, proindeque & cœlum ſecundùm illas conſideratum. Partes vero quæ immediatè pertinent ad ſuperficiem convexam ſupremi cœli, ac proinde immediatè proximum habent ſpatium imaginarium, non ſunt actu in loco, cùm à nullo corpore ambiantur: ſed ſolùm potentia, quatenus poſſent abſolutè contineri ab alijs partibus, vel ab alio corpore ambiente, quamvis de facto nec contineantur, nec ambiantur.

29 *POSSET* Quoque dici, adhuc partes intimas cœli ſupremi non eſſe actu in loco perfectè & ſimpliciter, ſed imperfectè & in potentia ſolùm: quia de ratione rei actu ſimpliciter & perfectè exiſtentis in loco eſt, vt ſit diviſa ab eo ſecundùm ſuperficies, in quibus mutuò ſe tangũt: quoniam locus eſt menſura extrinſeca rei locatæ. Cumque partes intimæ cœli ſupremi non ſint diviſæ ab alijs circumambientibus, ſed cum ijs continuatæ, nequeunt ratione prædictæ incluſionis eſſe actu & perfectè in loco; ſed potentia tantùm, quatenus ab eis poſſunt dividi.

30 *OPPONES* Ariſtotelem *in præſenti cap. 4. textu 32.* vbi ait: *Ob hoc enim & cœlum maximè in loco eſſe putamus, quia ſemper motu cietur.* At quicquid maximè eſt in loco, actu & perfectè in eo eſt. Ergo cœlum actu & perfectè eſt in loco. *Confirm. I.* Quidquid movetur localiter ſecundùm ſe totum, eſt etiam actu in loco ſecundùm ſe totum; vtpotè motu illo adquirens præſentiam localem. At primum mobile, quod eſt ſupremum cœlum in opinione Ariſtot. movetur localiter ſecundùm ſe totum. Ergo & ſecundùm ſe totum eſt actu in loco. *Confirm. II.* Præſtantiſsimum enim omnium corporum, quale eſt cœlum ſupremum, debet eſſe in loco perfectiſsimè omnium, ac proinde actu, & non potentia tãtum. Præſertim, quia quod eſt actu, præcedit id, quod eſt in potentia: ideoque ſi cœlum ſupremum eſſet in loco ſolùm in potẽtia, aliquid aliud priùs illo eſſet in loco actu. Hoc autem manifeſtè conſtat eſſe falſum; & præterea reijcitur, quia inde fieret motum eiuſdem primi mobilis non eſſe primum omnium: quia moveri localiter convenit cuilibet rei, ſicut eſſe in loco. Igitur ſi primo mobili non convenit primum eſſe in loco, neque etiam motus eius erit omnium primus.

31 *RESPONDENT* Aliqui Ariſtot. verbis relatis non loqui ex propria ſententia, ſed aliorum, quia non inquit, *putamus*, in proprio fonte, ſed *putatur*. At qui ita occurrunt, non conſuluerunt textum ipſius: in quo expreſſe habetur *οἰόμεθα, putamus*; non vero *οἴεται, putatur*. Quare melius dicendum eſt, ipſum loqui, non de ſupremo cœlo, quod toties & tam expreſsè docet non eſſe actu in loco ſecundùm ſe totum: ſed de cœlis, ſive ſphæris inferioribus. Itaque quemadmodum terra eſt in aqua vt continente, & aqua in aëre, & aër in igne, & ignis in concavo cœli Lunæ; ita etiam cœlum Lunæ locatur circulariter à ſphæra Mercurij, & hæc à ſphæra Veneris, & hæc à ſphærà Solis, & hęc à ſphæra Martis, & hæc à ſphæra Iovis, & hæc à ſphæra Saturni, & hæc à cœlo aplane, ſive ſtellarum fixarum, quod iuxta Ariſtotelem eſt cœlum ſupremum, & primum mobile. Quod ſuficit vt Ariſtoteles, tum ex communi, tũ etiam ex propria ſententia dixerit, cœlum maximè putari eſſe in loco; cùm id ſeptẽ ſphæris Inferioribus conveniat. Et licèt ratio, quà id affirmat, nempe, *quia ſemper motu cietur*, videatur præcipuè primo mobili convenire; attamen non eſt accipienda veluti ratio adæquata, ſed inadæquata, & niſi obſtet aliquid, vt vere obſtat in ſupremo cœ-

cœlo ad exiſtendum actu in loco.

32 *AD I. Confirm.* nego minorem. Primum enim mobile (ſuppoſito quod eſſet cœlum omnium ſupremum iuxta opinionem Ariſtotelis) non movetur localiter, ſicut neque mutat locum, ſecundùm ſe totum: quia ſemper retinet eandem diſtantiam, tum relatè ad centrum mundi, tum & reſpectu ſpatij imaginarij. Cùm hoc tamen ſtat quod moveatur localiter, & mutet locum, ſecundùm partes: quia pars v.g. quæ modò eſt in Oriente, poſtea eſt in Occidente, & è contra. *AD II. Confirm.* Cœlum ſupremum quia perfectiſsimum omnium eſt, potiùs exigit non eſſe in loco ſecundū ſe totum, ſicut exigit non contineri ab alio corpore ampliori & perfectiori. Quando vero dicitur id quod eſt actu debere eſſe prius eo quod eſt in potentiâ, id intelligendum eſt, niſi obſtet ratio ſpecialis, qualis eſt in ſupremo corpore omnium ac cœlo primo, ne ſit actu in loco, quia non continetur actu ab alio corpore. Quare ſolùm eſt in loco in potentiâ, ſeu ratione partium, vt ſupra dictum eſt *num.* 28. & 29. Ex præmiſsis vero conſtat quo ſenſu primum mobile moveatur, ſeu mutet locum. Plura alia vide apud Complutenſes *diſp.* 19. *q.* 5.

SECTIO SEXTA.

An duo corpora poſsint eſſe in eodem loco?

33 NATVRALITER Certum eſt, non poſſe duo corpora adæquatè diſtincta, & ſingulis quantitatibus conſtantia (de his enim procedit dubium) eſſe ſimul in eodem loco. Experimur enim paſsim vnum corpus loco pelli ab alio ſuccedente, non minùs quam vnam formam ſubſtantialem ab aliâ, quæ priùs erat in eâdem materia. Ideo corpora gravia, quæ ad centrum terræ naturaliter propendent, nūquam illuc perveniunt; quia, nimirum, obſtat terra interiecta, quam dimovere nequeunt à loco ſuo, nec cum ea ſimul occupare eundem locum. Ideo etiam qui feruntur intra navem non decidunt in profundū maris; quia tabulæ inferiores aquis proximæ eos minimè admittunt intra proprium locum. Ideo denique pila ærea militari tormento tranſmiſſa ſæpe nec perforat, nec evertit murum, ſed reſilit & retrocedit, quia invenit in eo reſiſtentiam ne occupet ipſius locum.

34 *OPPONI* Solet duplex experimentum: alterum vaſis aquâ pleni, & tota ea retenta excipientis intra ſe nummos: alterum, vaſis cinere pleni, & tantundem aquæ excipientis, ac ſi nihil cineris haberet. Ergo quia nummi & cineres ſunt in eodem loco cum aqua. *RESP.* experimentum primum eſſe falſum. quod ego nunc, cùm hæc ſcribo, varijs obſervationibus in duplici vaſe aquâ pleno deprehendi: quantùm enim nummorum immittebam, tantundem aquæ egrediebatur. Idem eſt de cinere exiſtimandum: niſi quod hic aquæ pondere, ſicut & humectatione, comprimitur; & multùm aëris intra poros receptum expellit, cuius loco aquam excipit; ac denique ratione tenuiorum partium facilè evaneſcit. Vnde vas cineribus plenum, recipiet quidem multum aquæ intra ſe, non tamen quantùm exciperet ſi cineribus vacuum eſſet. Quare difficultas eſt, an ſupernaturaliter duo corpora poſsint eſſe in eodem loco, ſive penetrari.

35 *OMNIVM* Philoſophorum ac Theologorum ſententia certa & explorata eſt cum D. Thom. *in* 4. *diſt.* 44. *q.* 2. *art.* 2. poſſe duo corpora ſupernaturaliter penetrari: quanquam Durandus *in* 3. *diſt.* 44. *q.* 6. tam affirmativam, quam negativam opinionem, problematicè tueatur. Præcipuum fundamentum deſumitur ex doctrinâ revelatâ, in quâ ſæpè habetur, duo corpora penetrata fuiſſe, ſive, quod perinde eſt, extitiſſe in eodem loco. *Primò* enim Chriſtus Dominus prodijt ex vtero Virginis Matris prorſus illæſo clauſtro; ac proinde in ipſo egreſſu corpus Chriſti ſimul locofuit cum eodem clauſtro virgineo. Ergo divinâ virtute fieri poteſt, factumque aliquando eſt, vt duo corpora eſſent in eodem loco.

36 *RESPONDET* Durandus dupliciter. *Primò*, Chriſtum egreſſum vtero Virginis ſine tranſitu per medium: ſcilicet, relictâ præſentiâ, quam habebat intra vterum, & adquiſita immediatè alia extra totum Virginis corpus; abſque eo quòd opus fuerit habere aliam intermediam in ipſo egreſſu per clauſtrum virgineum. Quam evaſionem approbat Oviedo *contr.* 15. *puncto* 11. *n.* 6. *SED Contrà.* Ratio enim egreſſus ac nativitatis nequit ſubſiſtere in ſolo tranſitu de extremo ad extremū, impertranſito medio: quia egredi corporeo modo & naſci eſt exire ab vtero per motum localem, & quantitativum, cui repugnat prædictus tranſitus. At Chriſtus Dominus egreſſus eſt corporeo modo, & natus de Virgine. Ergo id factum non eſt per tranſitum de extremo ad extremū, impertranſito medio.

Con-

Confirmatur. Si fœtus humanus in vtero matris exiſtens à Deo miraculosè poneretur in loco diſtanti impertranſito medio, ille propriè non naſceretur ex matre, ſed extraordinario modo avelleretur ab eius viſceribus. At Chriſtus verè & propriè ex Virgine Matre natus eſt, vt ex ſacris litteris conſtat. Ergo exiſtens in eius vtero non fuit miraculosè poſitus à Deo in loco diſtanti, ſive extra totum Virginis corpus, impertranſito medio. *Confirm. II.* contra relatum Oviedum, putantem poſſe divinitus idem corpus circumſcribi duplici loco. Hoc enim poſito, & ſtatuta ſolutione præiacta, poſſet idem fœtus numero eſſe ſimul natus & nondum natus: quod eſt chimæra. Poſſet quippe eſſe natus, quia poſſet poni miraculose à Deo in loco diſtanti, impertranſito medio: & ſimul eſſet nondum natus, quia adhuc clauderetur in vtero matris. *Confirm. III.* Perfectæ enim & naturali matri non ſolùm incumbit concipere fœtum intra ſe, ſed etiam emittere, ſive parere. Deiparam autem fuiſſe perfectam naturalemq; Chriſti Matrem, nullus Catholicus non fatetur. Ergo non modò concepit, ſed etiam emiſſit, ſive peperit Chriſtum. quod tamen locum minimè haberet. ſi per clauſtrum incorruptum non exiviſſet Chriſtus, ſed fuiſſet ab vtero quaſi raptus, & ſine interventu medij alio tranſlatus.

37 *Secundò* reſpondet, Chriſtũ exeuntem ab vtero Virginis non fuiſſe penetratum cum eius illibato clauſtro; ſed hoc per ſolam ſui dilatationem, & proinde abſque corruptione aliquà, dediſſe locum vt Chriſtus egrederetur. *SED Contrà I.* Solutio enim & doctrina hæc ſemper malè audijt inter Catholicos, velut non parum adverſa puriſsimæ Virginitati Mariæ. Etenim mulieres in ſtatu innocentiæ non paterentur ruptionem, aut ſciſsionem exterioris clauſtri, ſed dilatationem ſolam partium, vbi ederent proprios fœtus: quia ex ſacris litteris ſatis colligitur, parituras ſine dolore vllo, ac proinde ſine diviſione aut ſciſſione vteri. Et tamen modum virginitatis in pariendo non ſervarent, vt ex ſe patet. Ergo ſi B. Virgo in pariendo paſſa fuiſſet partium dilatationem, non ſervaſſet in pariendo virginitatis modum. *Confirm. I.* & explicatur. Virginitas in pariendo neceſſario preſupponit virginitatem in concipiendo: nam quæ in conceptu virgo non eſt, neque etiam in partu eſſe poteſt. Atqui mulieres in ſtatu innocentiæ non eſſent virgines dum conciperent: quod probatione non eget. Ergo neque in partu. Et tamen parerent per vteri dilatationem. Ergo hæc non ſufficit ad virginitatem in pariendo: proindeque nec ſufficeciſſet Deiparæ vt eſſet Virgo non modò ante & poſt partum, ſed etiam *in partu*, vt Eccleſia accinit. Quare S. Aug. ſerm. 15. de Tempore, ait: *Crevit in eius partu integritas corporis potius, quàm decrevit; & virginitas ampliata eſt potiùs, quàm fugata.* Idemque habent plures alij SS. PP. *Confirm. II.* Saltem namque evincitur ex doctrina adverſa, Deiparam non habuiſſe perfectam corporis virginitatem cum pareret Chriſtum; imò & minus virginem fuiſſe quàm S. Luciam, Agnetem, & Agatham, aliaſque ab Eccleſia in album Virginum Beatarum relatas. quod tamen impium dictu & creditu eſt. Sequela ſuadetur quo ad vtranque partem. Quo ad priorem quidem: nam dilatatio vteri, & præſertim adeo magna, ac exigitur ad pariendum, eſt mutatio valde oppoſita ſoliditati omnimodæ corporis, & clauſtri: in quà virginitas corporis perfecta conſiſtit. Ergo ſi Deipara paſſa fuiſſet eam dilatationẽ, non eſſet virgo perfecta in pariendo. Iam poſterior eiuſdem ſequelæ pars probatur facilè: Quia quo fœmina aliqua minorem habet ſoliditatem corporis & clauſtri, eò minùs virgo eſt quantum ad corpus. At ſi Deipara paſſa eſt dilatationem partium in pariendo, habuit minorem corporis, & clauſtri ſoliditatem, quàm prædictæ Virgines, nullam eiuſmodi dilatationem paſſæ. Ergo minus virgo fuiſſet Deipara, quàm prędictæ Virgines.

38 *CONTRA II.* Egreſſus Chriſti Domini ex vtero Virginis fuit miraculoſus & ſupra totius naturæ vires. At egreſſus per dilatationem partium non eſt miraculoſus & ſupra totius naturæ vires; quia naturaliter contingeret in ſtatu innocentiæ, & nulla ratio eſſe poteſt vt vi cauſarum naturalium nõ accidat. Ergo egreſſus Chriſti D. ex vtero Virginis non fuit per dilatationem partium. Maior, quæ ſola probatione eget, certiſsima eſt apud SS. Patres, quorum aliquot ſolum teſtimonia exſcribam. S. Auguſtinus *epiſt.* 3. & Concilium Toletanum XI. in principio agens de mirabili partu Virginis, ait: *Si haberet exemplum, non eſſet ſingulare. Fateamur ergo Deũ aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe.* S. Cyrillus homilia adverſus Neſtorium declamatà in Concilio Epheſino: *O rem admirandam! Miraculum hoc me ſtupicum reddit.* Sophronius in epiſtola quæ habetur in VI. Sinodo Generali, *act.* 11. inquit, hoc fuiſſe vnum ex maximis miracu-

lis divinæ virtutis. Idem ipſum colligitur ex pluribus alijs teſtimonijs, quæ æquali eruditione ac pietate allegat & profert Eximius Suarez *tom. 2. in 3. p. diſp. 5. ſect. 2.* Et in plerisque illorum SS. Patres perinde loquuntur de exitu Chriſti ex vtero Matris, ac de egreſſu ex ſepulchro immoto lapide, & de ingreſſu ad Diſcipulos ianuis clauſis. Ac quemadmodum in ijs nulla fuit dilatatio partium, ſed vera penetratio, ſic etiam in exitu ab vtero Virginis.

39 *VNDE* iam opus non eſt expendere vtrunque miraculum de egreſſu Chriſti è ſepulchro, & ingreſſu ad cœnaculum, in probationem Aſſerti, ſeu poſsibilitatis vt duo corpora in eodem loco ſint, ac proinde penetrentur: ſiquidem teſtimonio prædictorum Patrum in ijs caſibus idē accidit, ac in partu Virginis. Quia tamen Durandus conſequenter in ijs omnibus penetrationem negat, impugnandus eſt argumentis, quæ late proponit idem Suarez *tomo allegato diſp. 48. ſect. 5. per totam*, & Complutenſes *in præſenti diſput. 19. q. 6.* vt alios quamplures omittam, id ſolum obiter attingentes. Nobis, dum rem philoſophicè examinamus, ſuffecerit nonnihil ex ſacris literis libaſſe, relictis pluribus alijs, quæ Theologis curæ ſunt.

40 *IAM* Ratione probatur concluſio: Quia nulla repugnantia eſt in eo quòd forma ſubiecto communicata, tribuenſque proinde ipſi effectum primarium, non tribuat ſecundarium, quoties ex huius carentia non infertur carentia illius. Atqui effectus primarius quantitatis, prout extenſæ in ordine ad locum, eſt occupare locum cũ correſpondētia totius locati ad totum locum, & partis ad partem: expulſio autem alterius quantitatis ab eodem loco eſt ſolum effectus ſecundarius. Ergo ſi ex huius carentia non inferatur neceſſariò carentia illius, poterit quantitas occupare locum, & non expellere ab eodem aliam quantitatem. Conſequentia eſt evidens, & minor ſimiliter: quia primarius effectus quantitatis vt occupantis locum, ſolùm eſt replere actu locum cum dictà correſpondentia; vnde conſequenter & pro alio poſteriori naturæ oritur, vt vna quantitas aliam expellat. Maior verò, præterquamquod videtur manifeſta, ſuadetur a pari quantitatis Chriſti Domini, quæ prout in Euchariſtià tribuit ipſi effectum primarium, nimirum, extenſionem partium in ordine ad ſe, quin præſtet extenſionem in ordine ad locum; quia carentia huius effectus metaphyſicè non connectitur cum carentià illius prioris. Deinde & probatur ratione vniverſali: quia id quod eſt prius non dependet à poſteriori, ſed poteſt abſolutè, & ſaltem ſupernaturaliter exiſtere ſine illo, quoties cum eo nō habet eſſentialem & metaphyſicam connexionem. Quare ſtatuto iam integro ſyllogiſmo, pergo vlterius. Ex carentia expulſionis alterius quantitatis non infertur neceſſariò & metaphyſicè carentia replendi, ſive occupandi locum cum correſpondentià totius quantitatis ad totum locum, & partis ad partem loci: quia nulla apparet repugnātia, neque affertur à Durando, neque reipſa eſt in eo, vt duarum quantitatum quælibet prædicto modo repleat eundem locũ, quin altera expellat alteram; cùm vnum ſit longè diverſum ab alio. Ergo de primo ad vltimũ ex carentia expulſionis alterius quantitatis, non infertur neceſſariò & metaphyſicè carentia repletionis loci, quæ eſt primarius effectus quantitatis, vt exiſtentis in loco.

41 *CONFIRM. I.* Extenſio namque in ordine ad locum intimior eſt quantitati cuilibet, quam expulſio alterius ab illo: tùm, quia prior effectus eſt poſitivus, & vtcumque perfectivus ipſius quantitatis; expulſio autem alterius quantitatis eſt effectus negativus, & nullo mo priorem quantitatem perficiens: tum etiam quia ideo, tanquam ex ratione à priori, vna quantitas pellit aliam a loco ſuo, quia illum replet. Atqui ob hanc cauſam proportionaliter acceptam quantitas Chriſti creditur in Euchariſtia extenſa in ordine ad ſe, ſine extenſione in ordine ad locum, Deo id miraculosè operante. Ergo & eàdem divinà virtute fieri poteſt, vt quantitas replens locum non expellat ab eo aliam quantitatem. *CONFIRM. II.* Repugnantia tota quanta duorum corporum eſt vt coëxiſtant eidem loco, procedit ex eo quòd ſe tangant ſolùm in extremitatibus, ſive punctis terminativis; vnde oritur vt fundent alium atque alium ſitum. Hæc autem ratio ceſſat, ſi (vt divinà virtute fieri poteſt) duo corpora ſe tangant mutuò adæquatè, ſive ſecundum ſe tota, & non penes extremitates tantum: ſic enim fundare poterunt eundem ſitum. Ergo ceſſat omnis repugnantia vt duo corpora per divinam virtutem coëxiſtant eidē loco. Plura alia huc ſpectantia lege apud Suarium, & Complutenſes, & Oviedum, iam allegatos, & præterea apud Arriagam *diſp. 14. ſect. 7.* Pontium *diſp. 15. q. 4.* ac Bartholomæum Amicum *in præſenti.*

***

SE-

SECTIO SEPTIMA.

Occurritur argumentis opinionis adverſæ.

42 OPPONIT I. Durandus. Implicat ſubiectum naturale receptivum formæ non recipere ab eâ ſibi communicata effectum formalē. At corpus eſt ſubiectū naturale receptivum quantitatis, & huius effectus formalis eſt excluſio alterius corporis ab eodem loco. Ergo implicat corpus non recipere à quantitate ſibi communicata hoc quod eſt excludere alterum corpus ab eodem loco. *Confirm. I.* Quia ideo naturaliter repugnat duobus corporibus eſſe in eodem loco, quoniam conſtant duplici quantitate. Ergo in quacumque hypotheſi ſupponantur permanere cum eadem duplici quantitate, vt in caſu quæſtionis, manebit eadem repugnantia; ideoque nequibunt coexiſtere eidem loco. Cum enim repugnantia hæc non ſit effectiva, ſed formalis, manere debet vtraque formâ in rerum naturâ manente. *Confirm. II.* Nequeunt enim omnes partes quātitatis eiuſdem continuæ ita ſe penetrare, vt ſimul habeant eundem ſitum: quia de ratione quantitatis eſt, vt habeat partem extra partem; & ex oppoſito inferretur cœli molem, tota quanta eſt, poſſe exiguo vaſe concludi. Ergo nec duo corpora diſcreta poſſunt habere eundem ſitum, aut locum: quoniam non maior repugnantia apparet in partibus continuis, quam inter corpora diſcreta.

43 *POSSET* Reſponderi iuxta ea quæ diximus *diſput. 9. num. 12.* vnam quantitatem à proprio loco non expellere aliam ratione ſolius informationis, quâ actuat proprium ſubiectū, niſi vlteriùs addatur actio, ſive influxus activus, quo illam expellat à loco vbi eſt, aut non admittat intra proprium locum. Quo ſanè componi poteſt vtraque ſupernaturaliter intra eundem locum: negante, ſcilicet, Deo ſuum concurſum ad eam reſiſtentiam activam ſeu operationem, & ſolùm concedente illum ad repletionem loci formalem. Verùm quidquid ſit de hoc, ad argumentum dicimus, implicare quidem contradictionem, vt ſubiectum connaturale receptivum formæ non recipiat ab eâ effectum formalem primarium, imò & ſecundarium, ſi ſit eſſentialiter cum primario connexus. Excluſio autem alterius quantitatis à loco non eſt effectus primarius, nec ſecundarius cum eo eſſentialiter connexus, reſpectu quantitatis prout locatæ, vt *à num. 40.* oſtenſum eſt. Quare divinâ virtute fieri poteſt vt vna quantitas locetur alicubi, & tamen exinde non pellat aliam. *AD I. Confirm.* conceſſo antecedente, nego conſequentiam: quia poteſt eſſe aliqua hypotheſis, in qua maneant quidem duæ quantitates, & tamen neutra præſtet effectum ſecundarium excludendi alteram; vtpote divina virtute impeditum, veluti carentem connexione eſſentiali cum effectu primario, poteſtate abſolutè exiſtere ſeorſim. *AD II. Confirm.* nego antecedens. Ad probationem dico, de ratione eſſentiali quantitatis non eſſe quod habeat partes extra partes localiter, ſed ſolùm entitativè, ita vt vna non ſit alia. Cum enim primaria illius ratio ſolùm cōſiſtat in extenſione partium in ordine ad ſe, nihil prohibet vt divina virtus conſervet quantitatem hoc ſolùm modo extenſam, & localiter inextenſam; licèt connaturaliter exigentem, & quantùm in ſe eſt, vt vna pars quantitatis continuæ occupet partialem locum ac ſitum diſtinctum a loco & ſitu alterius partis.

44 *DICES*: Hoc ipſo quòd quantitas ex ſe, ſive quantùm eſt ex parte ſuæ eſſentiæ, exigat habere partes localiter extra partes, eiuſmodi exigentia eſt indiſtincta ab ipſius eſſentiâ. Ergo quemadmodum eam ob cauſam nequit non habere partes extra partes entitativè, adhuc divinitus, ita etiam nequit non habere partes extra partes localitèr. *RESP.* vtramque exigentiam eſſe indiſtinctam realiter ab eſſentia quantitatis: alter tamen, & aliter. Exigentia enim quantitatis ad extenſionem partium in ordine ad ſe, non eſt ad extremum aliquod diſtinctum: imò & nihil aliud eſt eſſentialiter quantitas, quam prædicta extenſio: ſicut homo nihil aliud eſt, quàm animal rationale. Vnde nihil mirum quòd à quantitate non poſſit realiter ſeparari; imò nec mente præſcindi. Exigentia verò extenſionis partium in ordine ad locum, eſt in ordine ad extremum realiter diſtinctum, & nullam connexionem eſſentialem habens cum quantitate; proindeque divinitus ſeparabile.

45 *OPPONES II.* Impoſsibile omnino eſt vt duæ, aut plures partes motus penetrentur, & coexiſtant eidem parti temporis. Ergo etiam eſt impoſsibile, vt duæ partes quantitatis continuæ penetrentur, coexiſtantque eidem loco. Patet conſequentia: quia non magis partes motus exigunt ſucceſsionem vnius poſt aliam, quàm partes quantitatis continuæ poſitionem vnius localiter extra aliam. Ergo ſicuti ob prio-

priorem cauſam nequeunt partes diſtinctæ motus coexiſtere eidem tempori, ſic etiã ob poſteriorem nequibunt partes quantitatis continuæ coexiſtere eidem loco. *RESP.* negando conſequentiam, & illius probationem: quia cùm de eſſentia partium motus ſit ordo prioris & poſterioris, repugnat prorſus vt partes ipſius coexiſtant eidem tempori; ſic enim diſſolveretur ille ordo: de eſſentia autem quantitatis continuæ non eſt quòd habeat actu partes localiter extra partes, vt ſæpè dictum eſt; ſed quod habeat partes diſtinctas entitativè, & extenſas in ordine ad ſe. quod ſanè verificaretur in hypotheſi penetrationis. Vide aliud argum. *diſp. ſeq. ſect. vlt.*

DISP. VIGESIMASEXTA.

DE LOCO CIRCVNSCRIPTIVO.

An idem corpus poſsit divinitus circunſcribi duobus locis?

Num. 1. *NOMINE Circumſcriptiva præſentia illa communiter accipitur à Philoſophis, quâ corpus eſt in loco per commenſurationem cum illo, ita, ſcilicet, vt totum corpus reſpondeat toti loco, & pars locati parti eiuſdem loci. Hac ratione corporea qualibet entia, & quantitate prædita, exiſtunt naturaliter: in quo differunt à rebus ſpiritualibus, quæ quoniam omni partium compoſitione carent, vbicunque ſunt, integrè atque indiviſibiliter exiſtunt. Supponunt autem omnes, & meritò, repugnare naturaliter eidem corpori plures præſentias circunſcriptivas ſimul. Quod argumento à fortiori, vt aiunt, conſtabit ex progreſſu totius ferè diſputationis. Quare tota difficultas exagitanda eſt, inſpectâ potentiâ Dei abſolutâ. Et licet hoc ſenſu non examinetur ab Ariſtotele, qui nuſquam potentiæ abſolutæ, & ſupernaturaliter operantis meminit; adhuc tamen excitari ſolet, ac poteſt, in quinque priora capita huius libri, vbi vniverſim agit de loco propriò rerum corporearum ſcilicet, circumſcriptivo; atque in eo ait contineri vndique, ſeu circundari corpus locatum. Quo planè ſupponit, hoc non poſſe, ſaltem naturaliter, eſſe in alio loco ſimul.*

SECTIO PRIMA.

Statuitur & multipliciter ſuadetur ſententia negans, præcluſis evaſionibus Adverſariorum.

2 CENSEO Repugnantem omnino præſentiam circunſcriptivã eiuſdem corporis in duobus, aut pluribus locis. Ita S. Thomas *in 4. diſt. 10. q. 2. art. 3. ad 5. 6. & 7. & diſt. 44. q. 2. art. 2. & 3. p. q. 76. art. 1. corpore, & Quodlibeto 7.* vbi ita concludit: *Ponere quòd vnum corpus ſit localiter in hoc loco, & tamen ſit in alio loco, eſt ponere contradictoria ſimul vera. Vnde ſecundùm præmiſſa hoc à Deo fieri non poteſt.* Quo nihil expreſsius pro hac ſententia eſſe poteſt. Eidem favet S. Auguſtinus *lib. 10. contra Fauſtum, cap. 11.* vbi contra Manichæos probat non potuiſſe Chriſtum D. eſſe modo extenſo in Sole, Luna, & Cruce ſimul, vt ipſi cenſebant. Quod argumentum, vt vim contra illos haberet, debuit procedere, etiam ſecundùm poteſtatem Dei abſolutam. Alioqui enim Manichæi dicerent id fuiſſe miraculoſum, & divina potentia factum. Deinde & S. P. N. Anſelmus apertè ſuffragatur *in Monologio cap. 20.* vbi ita argumentatur: *Quod igitur totum eſt in aliquo loco, quomodò totum ſimul eſt in alio loco, ſi nihil de eo poteſt eſſe in alio loco? Quoniam igitur vnum totum non poteſt eſſe ſimul in diverſis locis totum, conſequitur vt per ſingula loca ſingula ſint tota, ſi in ſingulis locis ſimul aliquid eſt totum.* Idem ex profeſſo tuentur S. Bonavent. *in 4. diſt. 44.* Durandus *ibid. quæſt. 6.* Dionyſius Carthuſianus *diſt. 13. q. 3. dub. 1.* Capreolus *diſt. 20. q. 1. art. 3.* Paludanus *eadem diſt. q. 1.* Henricus *Quodlib. 9. q. 31.* Ægidius *Quodlib. 1. q. 1.* Hervæus *Quodlib. 11. q. 13.* Ferrara *4. contra Gent. cap. 68.* omneſque cœteri Authores Ordinis Prædicatorum, excepto M. Fr. Dominico Soto *in præſenti*, vbi oppoſitum expreſsè docet, teſte P. Vazquez: qui noſtræ ſententiæ vt probabiliori & communiori ſubſcribit, eamque ſibi maximè probari aſſerit *diſp. 189. in 3. p. cap. 5.* Conſentiunt PP. Complutenſes *diſp. 19.* &

& ex Noſtris ferè omnes, vt & M. Moneda *in præſenti*.

3 *PROBATVR I.* Ratione deſumpta ex verbis allegatis SS. Anſelmi & Thomæ. Nulla poteſtate, etiam abſoluta Dei, verificari poſſunt duo contradictoria. At eo ipſo quod idem corpus eſſet circunſcriptivè in pluribus locis adæquatis, verificarentur duo contradictoria. Ergo nulla poteſtate, etiam abſoluta Dei, poteſt eſſe idem corpus circunſcriptivè in pluribus locis adæquatis. Maior cum conſequentia conſtat. Minor probatur. Eo ipſo quod idē corpus eſſet circunſcriptivè ſimul in pluribus locis adæquatis, eſſet idem, & non eſſet idem; diſtinctum, & indiſtinctum; diviſum, & indiviſum: quæ omnia plane contradictoria ſunt. Porro fore idem, indiſtinctum, & indiviſum, Adverſarij ſupponunt, & aliter non eſſet controverſiæ locus. Fore autem non idem, ſed diſtinctum, ac diviſum, quod eſt alterum contradictionis extremum, ſuadetur. Omne enim quod diſtat ab alio, ſeu eſt adæquatè extra illud, nequit eſſe idem, ſed potius diſtinctum, & diviſum ab eo. At quidquid eſt circunſcriptivè in vno loco, diſtat a quolibet exiſtente circunſcriptivè in alio loco, & eſt adæquatè extra illud. Ergo omne quod eſt circunſcriptivè in vno loco, nequit eſſe idem cum exiſtente circunſcriptivè in loco alio, ſed debet eſſe diſtinctum & diviſum ab illo.

4 *RESPONDENT* Adverſarij, vt Oviedo *controv.* 15. *puncti.* 9. Spinula *diſput.* 10. *num.* 44. aliique communiter, corpus illud fore præciſe idem, & indiſtinctū, atque indiviſum in ſeipſo. Et ad probationem in oppoſitum aiunt, corpus circunſcriptivè poſitum in vno loco, non ex ipſo diſtare à corpore poſito in alio; ſed exinde ſolum ſequi vtramque præſentiam invicem diſtare inter ſe; manente eodem corpore indiſtante à ſeipſo. Quod vt explicent, notant diſtantiam non ſolum importare duo *vbi* diſsimilia, ſed etiam negationem reſultantem ex duplici *vbi*. Etenim vnum *vbi* non facit ſuum ſubiectum diſtare formaliter ab alio præciſè per ſuam entitatem poſitivam, ſed etiam per negationem alterius *vbi*, ex ſua entitate naturaliter emanantem. Quare ſi in neutro *vbi* emanet negatio alterius, neutrum reddet ſuum ſubiectum diſtans ab alio. Itaque corpus illud poſitum in duplici loco diſtaret a ſeipſo: quia vt diſtaret a ſeipſo, prout exiſtente in alio loco, deberet habere negationem alterius loci, & alterius vbicationis. In caſu autem controverſiæ non haberet negationem loci, neque vbicationis alterius. Igitur nec diſtaret a ſeipſo, prout exiſtente in alio loco.

5 *SED Contrà I.* Illud corpus neceſſariò diſtaret ſecundùm quantitatem continuam, ſeu diſcontinuaretur quantitativè à corpore exiſtente in alio loco. Ergo etiā diſtaret ab eo entitativè, ſive ſecundùm entitatem ſuam, prout affectam quantitate continua. Patet conſequentia: quia quātitas continua præbet omnem ſuum effectū entitati ſubſtantiali, quam afficit ideoque ſi diſtet formaliter, reddit illam diſtantem. Antecedens vero probatur: Quia effectus formales, licèt ſecundarij, illius quantitatis, ſcilicet, vbicationes circunſcriptivæ, diſtarent, ſeu diſcontinuarentur inter ſe: cùm evidens ſit vbicationem circunſcriptivam Salmanticæ habitam non continuari cum altera quæ haberetur Romæ. Ergo & quātitas diſcontinuaretur. Nequit enim vnus effectus formalis, ſive primarius, ſive ſecundarius, diſcontinuari ab alio, niſi & forma a quà provenit diſcontinuetur. Et ratio à priori eſt: quia quantitas præſtans per modum formæ effectum ſecundariū vnius vbicationis, continuatur cum illa: atque adeò nequit non diſcontinuari ab omni alia vbicatione, quæ fuerit diſcontinuata ab vbicatione priori. At ſecunda vbicatio eſt diſcontinuata ab vbicatione priori. Ergo quantitas ratione continuationis cum priori vbicatione, nequit non ab altera poſteriore diſcontinuari; ac proinde a quantitate illa, quæ cum poſteriori vbicatione continuaretur. Igitur illud corpus quantū nō modo divideretur localiter a ſeipſo, ſed etiam quò ad ſuam entitatem continuam, ſive quantitatem, diſcontinuaretur, ac divideretur. *Contrà II.* Si illæ duæ vbicationes eſſent diſtantes, multo magis poſſent eſſe vicinæ & contiguæ, ita vt corpus poſitum in vna tangeret ſecundùm vltimam ſuperficiem corpus poſitum in alia. Ergo eo ipſo corpus poſitum in vna vbicatione non eſſet continuum, ſed purè contiguum cum corpore poſito ſub alia vbicatione: atque adeò diſcontinuaretur. Probatur prior cōſequentis pars, ex quà poſterior facilè infertur: Contigua enim iuxta Philoſophum ſunt, quorum vltima ſunt ſimul, ſeu quæ ſe tangunt ſecundùm vltimam ſuperficiem, abſque verà & reali vnione; continua autem, quæ medio termino communi verè vniuntur. At corpus poſitum in vna vbicatione contigua alteri, non vniretur corpori exiſtenti ſub altera vbicatione medio termi-

mino communi verè ac realiter, ſed ſolùm tangeret illud penes vltimam, aut extimam ſuperficiem. Ergo corpus poſitum in vna vbicatione non eſſet continuū, ſed purè contiguum corpori ſub alia vbicatione exiſtenti.

6 *CONTRA III.* Ideo iuxta ſolutionem præiactam corpus poſitum in vno loco non diſtaret a ſeipſo prout exiſtente in alio, quia neutrius loci vbicatio haberet negationem alterius, in qua negatione conſiſtit formaliter diſtantia. Sed falſum eſt quòd in eo eventu vna vbicatio non haberet negationem alterius. Ergo & falſum eſt, quod corpus poſitum in vno loco non diſtaret a ſeipſo prout exiſtente in alio. Probatur minor. Si enim in eo eventu vna vbicatio non haberet negationem alterius, non diſtaret formaliter ab altera; quia nullus effectus formalis eſt ſine forma, & diſtantia eſt formalis effectus illius negationis vt formæ, iuxta Adverſarios. At falſum eſt in eo eventu vnam vbicationem non diſtare ab alia. Quis enim verè, aut ſerio affirmet, vbicationem circunſcriptivam Salmanticæ non diſtare ab vbicatione circunſcriptiva Romæ? Ergo falſum eſt quòd in eo eventu vna vbicatio non haberet negationem alterius. Si autem vbicatio vna importat negationem alterius in eo eventu, ac proinde redditur diſtans ab alia vbicatione formaliter; ergo & corpus ratione vtriuſque vbicationis redditur diſtans a ſeipſo formaliter: quia nequit non recipere effectum formalem vbicationis vtriuſque prout affectæ illa mutua negatione. *Contrà IV.* Separatio realis eſt ſignum evidens diſtinctionis entitativæ & realis. Sed corpus exiſtens in vno loco affecto tali negatione ſepararetur realiter à corpore exiſtente in alio loco; quia non poſſet non recipere formalem effectum loci, quatenus ſub tali negatione exiſtentis, ſicut nullum ſubiectum poteſt non recipere formalem effectum formæ in ſe receptæ, cuius eſt capax. Ergo corpus exiſtens in vno loco affecto tali negatione diſtingueretur entitativè & realiter à corpore exiſtente in alio loco.

7 *PROBATVR II.* Effectus ſecundarius quantitatis, nimirum, vbicatio circunſcriptiva, eſſet idem & non eſſet idem realiter. Ergo & forma, ſeu quantitas circunſcripta eſſet eadem realiter, & non eſſet eadem. Probatur antecedens. Effectus ſecundarius quantitatis, nimirum, vbicatio circunſcriptiva, non eſſet idem realiter, ſed duplex, vt ſupponunt Adverſarij. Aliunde vero non poſſet eſſe duplex, ſed idem; quia proveniens ab vnica quantitate vt forma, & nullus effectus formalis poteſt eſſe realiter duplex aut multiplex, niſi ſit duplex aut multiplex forma realiter, à qua proveniat. Ergo effectus ille ſecundarius eſſet idem & non eſſet idem realiter. Porrò nullum effectum formalem, etiam ſecundarium, poſſe eſſe realiter duplicem aut multiplicem, niſi ſit duplex, aut multiplex forma realiter à quâ proveniat, ſuadetur multipliciter. I. Quia omnis effectus formalis ſecundarius præſupponit eſſentialiter primarium formæ; ac proinde omnis multiplicatio effectus formalis ſecundarij præſupponit eſſentialiter multiplicationem effectus formalis primarij; atque adeo & formæ cum illo identificatæ. II. A pari. Quia omnis voluntas eſſentialiter præſupponit intellectum, & omnis intellectus animam à qua oritur, vt formam radicalem, impoſsibile eſt quòd duplex voluntas adæquatè diſtincta non præſupponat duplicem intellectum adæquatè diſtinctum, & duplex intellectus duplicem animam. Sed omnis effectus formalis ſecundarius eſſentialiter præſupponit primarium, & primarius formam, vt primam vtriuſque radicem. Ergo impoſsibilis eſt duplex effectus formalis ſecundarius, niſi præſupponat duplicem primarium & duplicem formam. III. Licèt forma eadem poſsit habere plures effectus ſecundarios diverſæ rationis connexos cum vnico primario & ſibi eſſentiali; non tamen plures ſecundarios eiuſdem rationis. Sicut licèt eadem natura poſsit habere plures proprietates diverſas, non tamen plures realiter diſtinctas & eiuſdem rationis: vt natura humana duplicem riſibilitatem, ſubſtantia eadem materialis duplicem quantitatem adæquatè diſtinctam, anima, duplicem intellectum aut voluntatem, ſubſtantia completa duplicem ſubſiſtentiam; idque adhuc ſecundùm potentiam abſolutam. At omnis effectus formalis ſecundarius eſt etiam proprietas formæ, quia convenit omni, ſoli, & ſemper, ab eaque, naturaliter ſaltem, ſeparari non poteſt. Ergo licèt forma eadem poſsit habere plures effectus ſecundarios diverſæ rationis, veluti diverſas proprietates, nō tamē plures effectus ſecundarios eiuſdē ratio-nis;

nis; idque adhuc ſecundùm potentiam abſolutam. At vbicatio, ſeu præſentia circunſcriptiva, eſt effectus ſecundarius quantitatis, & proprietas illius ſtrictè dicta, quia convenit omni quantitati per ſe, ſoli, ac ſemper, & ab ea naturaliter ſeparari non poteſt. Ergo nequit eadem quantitas numero habere duplicem vbicationem, ſeu præſentiam circunſcriptivam, adhuc ſecundùm potentiam Dei abſolutam.

8 *CONFIRMATVR.* Si enim per ordinem ad divinam potentiam effectus formales ſecundarij poſſunt multiplicari, forma, à qua proveniunt, immultiplicata manente, vt duæ vbicationes, ſeu præſentiæ circunſcriptivæ ab eadem numero quantitate, etiam ab illa naturaliter & abſque vllo miraculo ſimul provenire poterunt: quod abſurdiſſimum eſt. Sequela autem probatur, obſervato diſcrimine inter cauſam efficientem & formalem; quòd prior poſſit elevari, & producere effectum, quem propria ac naturali virtute non continet; poſterior verò non item, quia cauſat per meram exhibitionē ſuæ entitatis, ac proinde quemcumque effectum formalem præſtet ſubiecto, per propriam & connaturalem virtutem præſtat. Igitur ſi duo effectus formales ſecundarij eiuſdem rationis poſſunt vllo modo provenire ab eadem numero forma; naturaliter & citra miraculum ab ea provenient: proindeque idem corpus ratione eiuſdem numero quantitatis poterit naturaliter eſſe circunſcriptivè in duplici loco.

9 *DICES I.* Ad exiſtentiam effectus ſecundarij non modò requirit influxum formæ, ſed etiam agentis; naturalem quidem ſi effectus ſecundarius alicuius lineæ ſit vnus; ſupernaturalem verò ſi multiplex: ac proinde vt eadem quantitas ſit in duplici loco circunſcriptivè, non ſufficere virtutem eius naturalem, ſed deſiderari actionem Dei ſupernaturalem & miraculoſam. *SED Contrà I.* Etiam ad exiſtentiam vnius effectus ſecundarij requiritur influxus activus Dei, & non ſolùm formalis ex parte formæ, à qua provenit. Et tamen quia forma habet naturali & propria virtute inferre vnicum effectum formalem ſecundarium, exigit concurſum activum Dei, tamquam non miraculoſum, ſed ſibi naturaliter debitum. Ergo licet ad exiſtentiam multiplicis effectus ſecundarij non ſufficiat formalis influxus formæ, ſed præterea requiratur activus ex parte Dei, nihilominùs ſi forma habet naturali & propria virtute inferre multiplicem effectum formalem ſecundarium, exiget concurſum activum Dei, tamquam non miraculoſum, ſed naturaliter debitum. *Contrà II.* Omnis cauſa efficiens exigit tamquam ſibi debitum concurſum activum Dei circa omnes illos effectus, quos propria & connaturali virtute poteſt præſtare: quia ad complementum virtutis activæ connaturalis ſpectat concurſus primæ cauſæ neceſſarius in omnem effectum. Ergo & multo magis omnis cauſa formalis exigit tamquam ſibi debitum influxum activum Dei circa omnes illos effectus, quos propria & naturali virtute præſtat: quia cum iis maiorem connexionem habet, quam cauſa efficiens cum ſuis effectibus. At nulla eſt cauſa formalis, quæ præſtet aliquem effectum, adhuc ſecundarium, ſive vnum, ſive plures, niſi per propriam & naturalem virtutem. Ergo nulla eſt cauſa formalis, quæ non exigat influxum activum Dei, tamquam ſibi debitum, ſive ad vnicum, ſive ad plures ſecundarios effectus. Ac proinde ſi quantitas eadem per modum formæ poteſt inferre plures ſecundarios effectus vbicationis, ſeu præſentiæ circunſcriptivæ, non expectabit concurſum Dei tamquam miraculoſum, ſed exiget illum tamquam ſibi naturaliter debitum, ideoque eadem quantitas citra miraculum poterit eſſe circunſcriptivè in pluribus locis.

10 *DICES II.* Quantitatem propria virtute non inferre niſi vnicam præſentiam circunſcriptivam, ſeu vbicationem diviſibilem, tamquam effectum formalem ſecundarium, cui naturaliter adæquatur, commenſuraturque. Vnde caſu quo aſſequatur aliam vbicationem circunſcriptivam, hæc non provenit ab eadem quantitate connaturaliter, ſive tamquam à forma per propriam virtutem inferente talem vbicationem, vt ſatis evincitur præiactis rationibus. Itaque ſecunda illa vbicatio circunſcriptiva, vel proveniet ſecundariò à quantitate vt elevata, vel à ſolo Deo, citra vllam exigentiam eiuſdē quantitatis, quæ vnicam præſentiam circunſcriptivam exigit.

11 *SED Contrà* priorem partem huius evaſionis eſt, quod ſi ſecunda illa vbicatio proveniret a quantitate vt eleva-

vata proveniret quidem ab illa ratione alicuius entitatis, aut modi intrinſecè ſuperadditi: ſine hoc enim additamento æquè impotens manebit ac antea, vt inferat ſecundam vbicationem. Inquiro ergo: Illa entitas, ſeu modus ſuperadditus quantitati, vt inferat ſecundam vbicationem circunſcriptivam, ſeu præſentiam diviſibilem, aut eſt quid ſpirituale & indiviſibile, aut quid materiale & diviſibile? Non primum: quia nihil ſpirituale & indiviſibile poteſt eſſe ratio formalis exiſtendi in loco materialiter & diviſibiliter. Non etiam ſecundum: quia nihil materiale & diviſibile poteſt eſſe ratio formalis vbicationis præſentiæque diviſibilis, niſi quantitas. Eſſe namque rationem formalem cuiuſcumque vbicationis præſentiæque diviſibilis, ſolùm convenit illi formæ, quæ ex propria ratione eſt extenſa diviſibiliſque. At ſola quantitas ex propria ratione eſt extenſa diviſibiliſque. Ergo eſſe rationem formalem cuiuſcumque vbicationis & præſentiæ diviſibilis, ſolùm convenit quantitati. Ergo ſi quantitas poteſt habere ſimul ſecundam vbicationem præſentiamque diviſibilem, non habebit illam ratione alicuius modi, entitatis, aut formæ elevantis ſuperadditæ; ſed ſolùm ratione ſui. Ideoque perſiſtit inſtantia ſuperiùs poſita, qua colligitur quantitatem fore naturaliter in pluribus locis circunſcriptivè, ſi ſemel poſſit exiſtere in duobus locis.

12 *CONTRA* Poſteriorem ſolutionis partem eſt, quòd, vt ſupra argumentabamur, omnis extenſio localis, & diviſibilis, tam exiſtens, quam poſſibilis, eſt eiuſdem ſpecificæ rationis ſolo numero diſtinctæ, & proprietas quantitatis. At Deus nequit ſe ſolo inducere ſupra aliquam proprietatem ſubiecti aliam proprietatem ſolo numero diſtinctam, & eiuſdem rationis. Ergo Deus nequit ſe ſolo inducere ſupra primam extenſionem localem aliam numero diſtinctam & eiuſdem rationis. Probatur minor multipliciter. *Primò*, & a priori: Quia tota capacitas naturæ, ſive ſubiecti, exhauritur intra quamlibet lineam per vnicam proprietatem illius lineæ: ideoque inductione compertum eſt, nullum ſubiectum, nullam naturam affici ſimul proprietatibus ſolo numero diſtinctis, ſeu ad eandem ſpecificam lineam ſpectantibus. *Secundò*, & ab abſurdo. Si enim poſſet Deus ſe ſolo inducere proprietatem ſolo numero diſtinctam ab ea, qua iam afficitur natura eadem, ſive ſubiectum; poterit vtique eidem ſubſtantiæ materiali & quantæ addere aliam numero quantitatem adæquatè diſtinctam, & eidem animæ alium intellectum, aliamque voluntatem, & eidem naturæ iam ſubſiſtenti aliam numero ſubſiſtentiam: quoniam & quantitas eſt proprietas ſubſtantiæ materialis, & intellectus voluntaſque eſt proprietas animæ, & ſubſiſtentia naturæ ſubſtantialis. Conſequens autem abſurdum eſſe patet: quoniam in primo caſu ſubſtantia materialis eſſet eadem & non eadem numero: In ſecundo, eadem anima poſſet ſimul ratione vnius intellectus ac voluntatis odio habere Deum, & amare illum ratione alterius; aſſequi præmium æternum, & perpetuum ſupplicium; velle & nolle idem obiectum efficaciter ſimul: in tertio caſu eadem natura eſſet ac non eſſet vltimò terminata: vt omittam, nec per potentiam abſolutam fieri poſſe, vt natura ſemel terminata per propriam connaturalemque ſubſiſtentiam, terminetur ſimul per aliam, etiam divinam, vt ex communi ferè Theologorum ſententia, Patrumque teſtimonijs alibi fuſiùs oſtendam. *Tertiò*, & permiſſa hypotheſi, quâ Deus ſe ſolo in genere cauſæ efficientis induceret ſecundam extenſionem, vltra iam præexiſtentem, quantitas non elevaretur ad recipiendam illam; quia, vt ſuprà oſtenſum eſt impoſſibilis apparet forma alia præter quantitatem, quæ eiuſmodi capacitatem præſtet. Ergo quantitas per virtutẽ connaturalem extenderetur ad ſecundam vbicationem & præſentiam circunſcriptivam, non minùs quam ad primã, dato quòd etiam hanc Deus ſe ſolo induxiſſet in quantitatem. Ergo ſicut in hoc eventu quantitas connaturaliter eſſet in vno loco, ita etiam in illo eventu eſſet cõnaturaliter in duplici loco: quod eſt potiſſimum abſurdum a nobis illatum, & recuſatum ab Adverſarijs.

13 *DICES III.* Argumentum noſtrum, ſi quid probat, exturbare veritatem myſterij Euchariſtiæ: quoniam ſi evincit, quantitatem poſitam in duplici loco fore eandem & diverſam, diſtare & non diſtare à ſeipſa, multiplicari & non multiplicari, habere vnicam & plures ſimul proprietates eiuſdẽ rationis; etiã ſuadet, quantitatem Chriſti poſitam in duplici loco definitivè, aut ſacramentaliter, fore eandem ac diverſam, diſtare &

 non

non diſtare à ſeipſa, multiplicari, & non multiplicari, habere, vincant & plures ſimul proprietates eiuſdem rationis. quæ planè ſunt eadem abſurda & contradictoria.

VERVM Has illationes, & plures alias, immeritò adverſum noſtram ſententiam converti, apparebit facilè notando apertum diſcrimen præſentiæ ſacramentalis, non ſolum à præſentia circunſcriptiva, ſed etiam à definitiva: de quo infrà.

SECTIO SECVNDA.

Præiactis quibuſdam circa errorem Vbiquiſtarum, refellitur ex doctrina Conciliorum ac Patrum ſententia adverſa, eiuſque præcipuum argumentum contra noſtram opinionem multipliciter retorquetur.

14 NON Eſt animus ſententiam oppoſitam, quæ valde probabilis eſt, neque illius Authores, quos vt Catholicos, pios, ac doctiſsimos veneror, inurere, vel leviori nota. Liceat tamen vim vi repellere: & quoniam ij præcipuè nobis bellum indicunt ex veritate ſacramenti Euchariſtiæ, & præſentia eiuſdem numero corporis Chriſti Domini ſub pluribus hoſtijs diſtantibus inter ſe; quaſi omnia argumenta quæ proponimus contra duplicem eiuſdem quantitatis præſentiam circunſcriptivam, pariter impugnent ſacramentalem, & hæreticis Lutheranis faveant, illam negantibus; oportet accuratè ſingulariterque oſtendere, & ipſos ſubire periculum æqualis abſurdi, dum veroſimilem videntur reddere præſentiam circunſcriptivam humanitatis Chriſti in omni loco, & proinde hæreticis Vbiquiſtis favere illam adſtruentibus; imò & ipſis Lutheranis, vt poſtea dicam.

15 *PRÆNOTANDVM* Eſt Apollinariſtas, Eutychianos, & Monothelitas hæreticos, aſſeruiſſe Chriſtum Dominum ſecundùm naturam humanam non fuiſſe circunſcriptum aliquo loco determinato, ſed vbique exiſtere, ſaltem poſtquam in cœlum aſſumptus eſt: vnde & *Vbiquiſtæ* cognominati ſunt. Quorum errorem inter alios refert Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, cuius opera habentur *tomo 4. Biblioth. VV. PP.* columna 1121. Et *cap. 2.* ait, illorum hæreſim damnatam fuiſſe in Synodo I. Generali, id eſt, Nicæna, ac muniri ſolitam ab Vbiquiſtis Euſebij Cæſarienſis teſtimonio, in epiſtola quadam ad Conſtantiam Auguſtam, Conſtantini ſororem, & Licinij Imperatoris coniugem. Deinde idem Nicephorus *cap. 3.* teſtatur in III. Synodo Generali fuiſſe à Patribus anathemate confixam; ſimiliterque in IV. Ac tandem in Synodo VII. *Act. 6.* habetur inter alia: καὶ ἐξαπατῶνται τῇ ἑνώσει εἰς τὴν ἀπερίγραφον φύσιν τοῦ θείου λόγου τὴν περιγεγραμμένην, καὶ παρ' αὐτοῦ ληφθεῖσαν σάρκα συγχέοντες: *Deceptos illos eſſe, qui incircunſcriptam divini Verbi naturam, cum circunſcripta carne, ab eo aſſumpta, confundunt.* Quo planè aſſeritur carnem Chriſti non vbique exiſtere, vt Vbiquiſtæ ſtatuebant, ſed circunſcribi ad certum definitumque locum. Quam ipſam doctrinam Catholicam luculenter Patres Eccleſiæ confirmant, & teſtimonijs diverſis Scripturæ ſuadent. S. Gregorius Nazianzenus in priore ad Cledonium epiſtola vnum eundemque Chriſtum dicit, ἀπερίγραπτον πνεύματι, περιγραπτὸν σώματι, χωρητὸν, καὶ ἀχώρητον: *incircunſcriptum ſpiritu, circunſcriptum corpore; comprehenſibilem, & incomprehenſibilem.* Vbi planè Chriſti corpus loco circunſcriptum apertiſsimè docet, ſicut & Athanaſius *lib. de Naturâ humana ſuſcepta*, Euſtathius Antiochenus in quodam tractat. apud Theodoretum *dialogo 3.* Titus Boſtrenſis *in Comment. ad cap. Lucæ 23.* quamplurimique alij Patres, tum Græci, tum & Latini, quos erudiliſsimè, vt aſſolet, exponit Dionyſius Petavius *lib. 10. Theologicorum dogmatum de Incarnatione capit. 8. & 9.* Ij enim omnes vnanimiter negant contra Vbiquiſtas, Chriſtum Dominum, etiam poſtquam in cœlum aſſumptus eſt, præſentem eſſe omni loco ſecundùm humanitatem. Quin & (quod maximè notatum volo) multi illorum non modò id negant de facto; ſed etiam de poſsibili, ſeu attenta conditione naturæ creatæ. Ita enim locuntur ex Græcis Theophanes Cerameus *Homilia 3.* Andræas Cretenſis *Orat. de Lazaro quatriduano*, & S. Ioannes Damaſcenus *lib. 3. Fidei cap. 3.* vbi ideo Vbiquiſtas refellit: πῶς γὰρ δυνατὸν τὴν αὐτὴν φύσιν, &c. εἶναι περιγραπτὴν, καὶ ἀπερίγραπτον: *quomodo enim poſsibile eſt eandem naturam eſſe circumſcriptam, & incircumſcriptam?* Similiter & ex Latinis Auguſtinus ita Vbiquiſtas inſectatur, vt cenſeat

ſeat corpus Chriſti non fore verum ſi vbique diffunderetur. Ait enim epiſt. 57. *Secundùm hanc formam* (ſcilicet, humanam) *non eſt putandus vbique diffuſus. Cavendum eſt enim, ne ita divinitatem adſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus.* S. Leo Papa eodem ferè ſtilo loquitur *epiſt.* 20. *ad Flavianum*, vbi ex eo quòd Verbum aſſumpſerit veram carnem, probat illam non fuiſſe omni loco præſentem, & concludit: *Sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſsit, ita caro naturam noſtri generis non reliquit.* Sentit igitur impoſſibile eſſe, quod corpus Chriſti vbique locorum diffundatur, ſicut impoſsibile eſt quod eius divinitas vbique non ſit. Idem ferè ad verbum habet Hugo de S. Victore *tom.* 3. *lib.* 2. *de Sacrament.* vbi ex profeſſo hanc quæſtionem exagitat, & Vigilius *lib. contra Eutychen tom.* 4. *Biblioth. columna* 515. Denique S. Thomas *in* 4. *diſt.* 10. *quæſt.* 1. *art.* 1. hæc habet: *Ponere quòd corpus Chriſti vbique poſſit eſſe, eſt hæreticum, quia hoc divinitatis eſt proprium.* Idemque de omni creatura probat ex Patribus Aldrete *diſput.* 47. *de Incarn. ſect.* 2.

16 Cùm verò omnia hæc ita ſe habeant, & adeò ſtupidus error Vbiquiſtarum toties hæreſeos nota à Concilijs & Patribus inuſtus ſit, adhuc Lutherus, & quidam eius diſcipuli, eam inſaniam præcedenti ſæculo renovarunt, tribuentes humanitati Chriſti *vbiquitatem*, ſeu *omnipræſentiam*: vt plenam fidem faciunt recentes ferè controverſiæ Gregorij de Valentia, Cardinalis Bellarmini, & Dionyſij Petavij adverſum illos, & præterea liber inſcriptus *Epitome Colloquij*, Palatinorum Sacramentariorum nomine editus, præſertim *pagin.* 82. vbi palam ac rotundè is error habetur. Itaque Lutherani ita negant Chriſti corpus eſſe præſens in Sacramento Altaris, vt tamen aſſerant ipſius humanitatem vbique locorum eſſe diffuſam. Quibus prænotatis, ſic impugno ſententiam aſſerentem poſſe idem corpus eſſe circumſcriptivè in pluribus locis; & præcipuum arietem, quem in nos dirigit, contra ipſam retorqueo.

17 *IDEO* Adverſarij refellunt impoſsibilitatem à nobis traditam de præſentia circumſcriptiva eiuſdem corporis in pluribus locis, quia exinde redditur impoſsibilis multiplex præſentia ſacramentalis eiuſdem numero corporis Chriſti, ab hæreticis negata. At ſi poſsibilis eſt præſentia circumſcriptiva eiuſdem corporis in pluribus locis, etiam poſsibilis erit præſentia humanitatis Chriſti in omni loco, ab hæreticis tradita, & toties in Concilijs damnata. Ergo quia ratione Adverſarij nos impetunt, eadem quoque merito à nobis impeti poſſunt: ideoque, aut omittant neceſſe eſt argumentum, quo noſtram ſententiam impugnant; aut aliud æqualis, maiorisvè difficultatis, contra propriam ipſorum opinionem diſſolvant. Probatur minor, in qua poteſt eſſe diſsidium. Si ſemel poſsibilis eſt præſentia circumſcriptiva eiuſdem corporis in pluribus locis ſimul, poſsibilis etiam erit ſimul in omni loco, ſaltem exiſtenti de facto, & in omni loco poſsibili, qui quovis tempore ponatur exiſtens: vt communiter Authores noſtræ ſententiæ inferunt ab abſurdo, & Adverſarij volentes nolentes concedunt. Quamvis enim negent corpus illud fore immenſum (de quo alias) admittunt ſaltem, quâ ratione poteſt exiſtere circumſcriptivè in duobus locis, poſſe ſimiliter in plurimis, imò & in omnibus de facto exiſtentibus, aut quæ in qualibet hypotheſi aſſerantur exiſtere. At hoc ipſo poſsibilis erit præſentia humanitatis Chriſti in omni loco, ab hæreticis tradita, & toties in Concilijs damnata. Ergo, &c. Probatur minor: Hæretici enim, tam Vbiquiſtæ, in relatis Concilijs damnati, quàm Lutherani, aſſerebant, aſſeruntque, humanitatem Chriſti exiſtere in omni loco, non quidem ſacramentaliter, quod ipſi negant, ſed quantitativè, & eodem proriſus modo ac in cœlo exiſtit. Ergo ſi ſemel poſsibilis eſt præſentia circumſcriptiva eiuſdem corporis in pluribus locis, etiam poſsibilis erit præſentia humanitatis Chriſti in omni loco, ab hæreticis tradita, & toties in Concilijs damnata.

18 *RESPONDEBIS I.* Hæreticos Vbiquiſtas non fuiſſe locutos de poſsibili, ſed de facto; aſſeruiſſeque Chriſti humanitatem modo exiſtere in toto Vniverſo, ſeu in omni loco; cùm tamen ſententia, quam impugnamus, id ſolùm concedat poſsibile, ac facto autem neget. Quippe Authores Catholici, quibuſcum diſceptamus in præſenti, ita docent humanitatem Chriſti eſſe præſentem circumſcriptivè in cœlo, vt tamen alibi eodem vbicationis genere præſens non ſit, quamvis ſecundùm poteſtatē Dei abſolutā poſsit eſſe in omni loco exiſtenti. At Concilia non damnant opinionē docētem

Chriſti humanitatem ſecundùm poteſtatem Dei abſolutam poſſe ſimul eſſe in omni loco exiſtentem, ſed ſolùm illam quæ docet humanitatem de facto eſſe in omni loco. Ergò relata Concilia non damnant opinionem Authorum, in quos diſputamus, ſed aliam hæreticorum longè diverſam.

19 *SED Contrà I.* Concilia enim & Patres damnant ponentes *ubiquitatem* humanitatis Chriſti, ſeu præſentiam illius in omni loco, quia eſſe præſentem omni loco eſt proprietas Dei ſolius, atque adeo minimè cõveniens humanitati, cuius proprietates & attributa in infinitum diſtant à divinis. Ita enim, præter plura iam indicata, colligitur ex epiſtola S. Leonis Papæ relata & approbata in VI. Synodo Generali, *Act.* 17. illis potiſſimùm verbis: *Vt neque quod creatum eſt in divinam educamus eſſentiam, neque quod eximium eſt divinæ naturæ ad competentem creaturæ locum deijciamus.* At non modo de facto, ſed etiam de poſſibili, repugnat naturam creatam Chriſti educi, id eſt, transferri in id quod divinæ eſſentiæ proprium eſt. Cum igitur divinæ eſſentiæ ſit proprium eſſe in omni loco, humanitas Chriſti non modo de facto, ſed etiam de poſſibili, eſſe ſimul non poterit in omni loco. *Contrà II.* Si argumenta Conciliorum & Patrum contra hæreticos Vbiquiſtas non probant adhuc de poſſibili, poſſent facilè eludi, reſpondentibus ijs, humanitatem Chriſti eſſe in omni loco, non iuxta connaturalem ſui exigentiam, aut ex beneficio Dei operantis iuxta ſolitum potentiæ ordinariæ curſum; ſed ſecundùm abſolutam potentiam. *Contrà III.* Rationes enim, quibus nituntur PP. ſuperiùs allegati, non ſolùm probant humanitatem Chriſti de facto non eſſe in omni loco, & ſecũdùm potentiam Dei ordinariam, ſed etiam penes abſolutam, vt expendenti apparebit. Fateor plura eſſe in Concilijs & Patribus, in quibus ſermo eſt de facto ſolùm, vt excludatur *ubiquitas* ſeu *omnipræſentia* Chriſti, realiter ac verè exiſtens: quia in Evangelio dicitur migraſſe de loco in locum, non fuiſſe in domo Lazari morientis, receſſiſſe, fugiſſe; ſimiliter & in Actis Apoſtolorum aſcendiſſe in cœlum, ac venturus eſſe inde in fine mundi; quæ omnia *ubiquitatem* actualem excludunt. Sed tamen & hæc poſtrema teſtimonia facilè eluderentur ab Vbiquiſtis, loquentibus de Chriſto poſt aſcenſum in cœlum, ac ſe munientibus deſcenſu Verbi in vterum Virginis, alijſque Scripturæ ſimilibus locutionibus, minimè auferentibus omnipræſentiam Verbi, vt Verbum eſt; ſi prætereà non oſtenderetur præſentiam humanitatis Chriſti in omni loco eſſe abſolutè impoſſibilem. Igitur vt omninò convincantur Vbiquiſtæ hæretici, oportet ſtatuere omnipræſentiam humanitatis Chriſti localem eſſe abſolutè impoſſibilem. Cumque illa apertè inferatur ex poſſibilitate præſentiæ circumſcriptivæ in duplici loco, negari debet hanc eſſe abſolutè poſſibilem, vt ſic nullum Vbiquiſtis, imò & Lutheranis, reſtet effugium.

20 *RESPONDEBIS II.* Scopum Conciliorum ac Patrum in eo ſitum eſſe, vt probent, nec naturam divinam Verbi circumſcriptam fuiſſe ratione humanitatis, nec humanitatem redditam fuiſſe immenſam ratione divinitatis; ſed permanſiſſe vtramque naturam impermixtam, & naturales vniuſcuiuſque proprietates habentem. Dato autẽ quod humanitas Chriſti eſſet ſimul in omni loco, non ideo evincitur fore immenſam: quia vt immenſa eſſet, deberet vbique exiſtere per vnicam & indiviſam præſentiam, vt patet in divina immenſitate. At humanitas Chriſti in eâ hypotheſi non eſſet vbique per vnicã præſentiam, ſed per plures. Ergo adhuc in eâ hypotheſi non eſſet immenſa.

21 *SED Contrà I.* Eſto namque Concilijs ac Patribus potiſſimùm curæ fuerit ſtatuere duplicem naturam in Chriſto Domino impermixtam, & vniuſcuiuſque illarum inconfuſas proprietates; adhuc tamen ſpecialiter contra Vbiquiſtas elaboratum eſt, vt ab humanitate Chriſti excludatur præſentia in omni loco; & non ſolùm præſentia conveniens ipſi ex propria ratione, ſeu connaturaliter (hanc enim ne cogitarunt quidem Vbiquiſtæ, nec Lutherani illorum inſaniæ æmulatores, vt patet ex Epitome allegata *pag.* 84.) Ergo vt efficaciter excluderetur contra Vbiquiſtas præſentia humanitatis Chriſti in omni loco, non modò explodenda fuit veluti conveniens humanitati connaturaliter, ſed etiam ſupernaturaliter, & ex favore, atque indebito beneficio. *Contrà II.* Et gratis permiſſo, ſcopum vnicum Conciliorum ac Patrũ fuiſſe probare humanitatem Chriſti non eſſe immenſam ex conſortio divinitatis, probo id abſurdum ſequi ex opinione Adverſariorum. Humanitas enim Chriſti ratione propriæ quantitatis, omni elevatione carentis, & ſolùm inſpectæ ſecundùm connaturalem exigentiam, eſſet apta replere omnem locum, vt ſuprà *à num.* 7. ex doctrina Adverſariorum multipliciter probatum eſt. Ergo humanitas Chriſti eſſet immenſa.

ſa. Patet conſequentia: Quia eſſe immenſum in hoc præcisè conſiſtit, quod aliqua res indiviſa manens repleat omnem locum, ſeu apta ſit replere omnem locum: ideòque Deus immenſus eſt ab æterno, eſſetque adhuc, licèt nullus vnquam locus in tempore exiſturus foret, quia ex ſe aptus eſſet replere omnem locum, in quacumque hypotheſi ponatur exiſtens, vt plurimi Authores exponunt, ſcilicet, quotquot negant Deum eſſe actu extra Mundū: de quo infra *diſput. 28. ſect. 2. & 3.* At quantitas Chriſti Domini hoc ipſo quòd poſsit eſſe abſolutè in pluribus locis, ex ſe apta erit naturaliter replere omnem locum in quacumque hypotheſi ponatur exiſtens. Ergo verè humanitas Chriſti erit immenſa. Imo non ſolùm humanitas Chriſti, ſed quælibet res corporea, quantumcumque vilis & deſpicabilis ſit, erit immenſa, quia poterit ex ſe & propria virtute replere ſimul omnem locum de facto exiſtentem, & quicumque in alia & alia hypotheſi exiſtere ſupponatur.

22 *Contrà III.* Quòd enim pluribus præſentijs poſsit humanitas Chriſti, ſicut & quodlibet aliud corpus, replere omnem locum, non autem præſentia vnica & indiviſa, minimè tollit immenſitatem. Pone etenim produci a Deo corpus aliquod immēſum, ſcilicet, replens omnem locum realem & imaginarium, vt nonnulli Adverſariorum docent eſſe poſsibile abſolutè. Certè illud non vnica præſentia indiviſibili repleret omnem locum, ſed pluribus integralibus realiter diſtinctis: quia ſicut vna corporis illius pars actu & realiter diſtingueretur ab alia, ita pars præſentiæ vnius partis actu & realiter diſtingueretur à parte præſentiæ alteri parti corporis reſpondente. Et tamen corpus illud eſſet immēſum, vt ſupponimus. Ergo vt aliquid abſolutè immenſum ſit non obeſt multitudo præſentiarum. *Contrà IV.* Sicut immenſitas Dei excludit multiplicitatem præſentiarū, ita etiam infinitas ipſius excludit omnem multitudinem & compoſitionem partiū. Sed hoc non obſtanti plures Adverſariorum docent poſsibile eſſe infinitum in actu extra Deum, quanquam coſtans multitudine & compoſitione partium. Ergo & dicere teneſur poſsibile eſſe aliquid immenſum extra Deum, quanquam conſtans multitudine præſentiarum; aut ſaltem ex hoc capite multitudinis præſentiarū nequeunt dicere impoſsibilem eſſe creati corporis immenſitatem, ſi ex multitudine partium non excludunt infinitatem. *Contrà V.* Si humanitas Chriſti per plures virtutes partiales actu exiſtentes in ipſa poſſet omnia poſſibilia producere, verè eſſet omnipotens, quanquam Deus per vnicam virtutem actu in ſeipſo exiſtentem omnipotens ſit. Ergo humanitas Chriſti, & quodlibet corpus, ſi per plures partes quantitatis actu exiſtentes, pluresque præſentias, poteſt replere omnem locū poſsibilem, erit immenſum, quanquam Deus per vnicam virtutem & præſentiam immenſus ſit.

23 *Contrà VI.* & præcluditur tacita evaſio, qua poterant occurrere Adverſarij, ex eo quod præſentia immenſitatis non ſit circūſcriptiva & diviſibilis, ſed purè ſpiritualis & indiviſibilis. Si poteſt idē Chriſti corpus eſſe in omni loco circūſcriptivè & diviſibiliter, poterit etiā idem Angelus eſſe in omni loco ſpiritualiter & indiviſibiliter. Ergo ſaltem Angelus poterit eſſe immenſus: Antecedens concedunt vltrò Adverſarij, qui perinde loquuntur de præſentia diffinitiva, ac de circunſcriptiva. Conſequentia liquet: quia iuxta evaſionem indicatam, immenſitati corporis ſola deeſſe videbatur ſpiritualitas & indiviſibilitas præſentiæ. *Contrà VII.* & ad hominem contra PP. Oviedo & Spinulam, aſſerentes continuum immediatè conſtare ſolis indiviſibilibus. Aſſumo vnicum indiviſibile, ex quo immediatè componitur iuxta illos quantitas Chriſti, & cuiuſvis alterius. Hoc indiviſibile eſt aptū replere omnem locum præſentijs in infinitum multiplicatis, iiſque indiviſibilib⁹: ſicut enim in illorum ſententia indiviſibile additum indiviſibili conſtituit quātitatem, ita indiviſibile ſpatij additum indiviſibili conſtituit locum diviſibilem. Aliunde hoc indiviſibile exigit connaturaliter replicari in omni ſpatio indiviſibili, ſicut ſuprà probatum eſt iuxta doctrinam Adverſariorū, omnem quantitatem connaturaliter exigere replicari in quolibet loco diviſibili. Ergo ſi ſola indiviſibilitas præſentiæ deſideratur ad immenſitatem, quolibet indiviſibile corporis Chriſti, & cuiuſvis alterius corporis, habebit veram & connaturalem immenſitatem, quo nihil abſurdius eſſe poteſt. *Contrà denique.* Sequitur enim præſentiam quantitatis in pluribus, imò & in omnibus locis, fore vnicam, & non fore vnicam; atque adeò fore immenſam, & non fore immenſam, ſi ad immenſitatem vnica præſentia requiritur. Porrò præſentiam quantitatis in pluribus, aut etiam omnibus locis, non fore vnicam, ſed plures, ipſi Adverſarij ſupponunt. Aliunde verò fore vnicam, ſic extorqueo. Præſentia naturaliter

reſ-

reſpondens vnicæ quantitati, etiam eſt vnica. Sed præſentia in pluribus locis ſimul, aut etiam in omnibus, ſi poſsibilis eſſet quantitati vnicæ, reſponderet naturaliter quantitati, vt ſupra probatum eſt: reſponderet enim ipſi vt proprietas & effectus ſecundarius formæ. Ergo præſentia in pluribus locis ſimul, aut etiam in omnibus, ſi poſsibilis eſſet vnicæ quantitati, deberet eſſe vnica. Alìas iuxta Adverſarios non eſſet vnica præſentia. Ergo ſimul eſſet vnica, & non eſſet vnica; ac proinde immenſa, & non immenſa. Igitur de primo ad vltimum humanitas Chriſti eſſet immenſa vt Vbiquiſtæ ponebant, & ſimul non eſſet immenſa.

24 *NEC* Valet quidquam recurſus ad impoſsibilitatem omnis loci, quaſi non poſsint à Deo creari tot loca, quin plura & plura: Nam prætèrquam quod aliqui Adverſariorum docent poſsibile eſſe infinitum in actu locorum, ſicut & aliarum rerum, obſtat ſemper, quod vt aliquid immenſum ſit nō requiratur exiſtentia actualis omnium locorum, quæ actu repleat, vt patet in immenſitate Dei, ſi nullum locum realem produxiſſet. Sufficit itaque ad immenſitatem virtus connaturalis replendi omnem locū quicumque ille ſit, aut ſupponatur exiſtere. At humanitas Chriſti, imo & quodlibet corpus, ratione propriæ quantitatis, haberet virtutem connaturalem replendi omnem locum quicumque exiſtit, aut ſupponatur exiſtere. Ergo humanitas Chriſti, & quodlibet aliud corpus, ratione propriæ quantitatis erit immenſæ extenſionis.

25 *DICES*, Idem abſurdum colligi ex pluribus præſentijs Sacramentalibus Chriſti Domini, ſi quidquam evincit noſtrum argumentum: quia poterit eſſe ſacramentaliter in omni loco exiſtenti de facto, & in omni illo qui in quavis hypotheſi exiſtere ſupponatur; idque ſpiritualiter & indiviſibiliter, quod proprium immenſitatis eſt. Ergo & corpus Chriſti erit immenſum, nullaque ratio ſupererit Concilijs & Patribus ad probandum humanitatem Chriſti non exiſtere vbique, ſi ſemel eſt ipſi poſsibilis præſentia in omni loco ſacramentaliter.

26 *VERVM* Apage iniuſtam retorſionem. Præſentia enim Sacramentalis Chriſti (vt alia plura omittam) quanquam eſſet in aliqua hoſtia conſecrata, quæ cœlum ſimul & terram repleret, imo & ſpatium centies millies amplius, non ideo eſſet immenſa; quia corpus Chriſti non exigeret replere alium locum poſsibilem, adhuc in hypotheſi quo crearetur locus alius extra illud ſpatium: ſicut enim modò de facto humanitas Chriſti non exigit connaturaliter eſſe in Sacramento Altaris, ſed totum id eſt miraculoſum, & à Deo ſupernaturaliter operante vltra totam exigentiam corporis Chriſti; ita etiam poſtquam eſſet ſacramentaliter in omni loco exiſtēti de facto, adhuc eſſet quid ſupernaturale & præter omnem illius exigentiam, quòd poneretur in aliquo alio loco noviter creato. Inſuper & neceſſarium eſſet tunc ſuperaddere novam quantitatem hoſtiæ conſecratæ, quia ratione quantitatis præexiſtentis non repleretur novus ille locus, & Chriſti corpus ſacramentaliter non eſt, niſi vbi quantitas panis aut vini conſecrati eſt. Præterea ſicut in communi ac vera opinione repugnat corpus, aut multitudo corporum replens omne ſpatium tam reale, quam imaginarium, ita etiam repugnat omnino corpus Chriſti poni ſimul ſacramentaliter ſub ſpeciebus replentibus omne ſpatium verum & imaginarium. Vnde ex præſentia corporis Chriſti Sacramentali ſub pluribus hoſtijs, nec ſeipſa, neque ex ſuppoſitione argumenti præiacti, ſequitur debere eſſe immenſum: nec de omnipræſentia, aut vbiquitate Sacramentali, actum fuit à Concilijs aut Patribus allegatis adverſus Vbiquiſtas. In ſententia vero quam impugnamus, cùm poſsibilis aſſeratur præſentia alia humanitatis Chriſti, præter ſacramētalem, in omni loco, datur anſa, non ſolùm Manichæis ad aſſerendū corpus Chriſti fuiſſe ſimul extenſum in Cruce, in Sole, & Luna, vt *num.* 2. ex Auguſtino referebamus; ſed etiam Vbiquiſtis, vt aſſerant humanitatem Chriſti de facto habere præſentiam illam non ſacramentalem, in omni loco exiſtenti, quam Adverſarij cenſent poſsibilem. imò & infertur humanitatem Chriſti fore immenſam, quia naturaliter exigit omnem illam præſentiam circumſcriptivam, cuius eſt abſolutè capax: ac proinde ſi abſolutè capax eſt replendi omnem locum, id connaturaliter exiget, quod proprium rei immenſæ eſt.

27. *EX* dictis tota hac ſectione colliges, quam aliena à veritate appareat doctrina illorum qui aſſerunt, poſsibilem eſſe creaturam naturaliter exigentem eſſe vbique. Iſ ſunt Gillius *in* 1. *part. lib.* 2. *tract.* 11. *cap.* 17. *num.* 5. Faſſolus 1. *part. quæſt.* 8. *art.* 4. *in commentar. num.* 4. Mæratius *diſput.* 17. *de Angelis, ſect.* 2. Martinonus *diſput.* 42. *de Angelis ſect.* 4. *num.* 35. Ylambertus 1. *p.*

quæſt.

quæſt.8.diſput.2. Araujo *1.part. quæſt. 52. art. 3. dub. 1. num. 21.* Et miraberis fortè quod Atriaga *diſput.14. Phyſica, num.102. ac 1.part. tom.2.diſput.15.num.11.& 12.ac diſput. 16.num.24.* non reputet abſurdum aliquod in ſubſtantia creata, quæ ſine vbicatione ſuperaddita, & per ſuam eſſentiam eſſet vbique.

ALIA Argumenta in favorem noſtræ ſententiæ, & impugnationem oppoſitæ, prætermittimus, nec iuſto prolixior fiat diſputatio. Lege Authores allegatos *num.2.*

SECTIO TERTIA.

Præmittitur mirabilis modus præſentiæ Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, in depulſionem argumentorum ſententiæ adverſæ.

28 CVM Adverſarij præcipuam ſuæ ſententiæ vim collocent in retorſione argumentorum noſtræ opinionis, quaſi ijs auferatur de medio præſentia Chriſti Domini in Sacramento Altaris (quanquam ea quibus ſpecialiter illam probavimus *à num. 2.* vſque modò retorqueri minime poſsint) placet nonnulla præmittere ex doctrinâ S. Thomæ, ſolvendis illorum impugnationibus opportuna.

PORRO Mirabilem & ineffabilem Chriſti Domini præſentiam in Euchariſtiâ exponit ipſe Doctor Angelicus *3.p.quæſt. 76.art.4.ad 5.* aſſerens ideo Chriſtum Dominum poſſe eſſe præſentem ſub ſpeciebus, *quia ſubſtantia panis in ipſum convertitur.* Vnde infert corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus ad modum ſubſtantiæ, & non ad modum quantitatis, ideoque etiam eſſe ibi indiviſibiliter. Pro cuius doctrinæ intellectu nota, ex ipſius ſententiâ, ſubſtantiam ſecundùm ſe præciſe conſideratam, adhuc dum eſt ſub quantitate, præſcindere à loco; quia ſub hac conſideratione ſolùm includit ſua prædicata eſſentialia, & ad eſſe ipſius ſubſtantiale ſpectantia: ac proinde præſcindit à loco, & vbicatione, quæ ſunt accidētia conſecuta, & ſubſtantiam in ſeipſa conſtituta m ſupponentia.

29 *HINC* Infertur I. Corpus Chriſti Domini non eſſe ſub ſpeciebus Sacramentalibus tamquam in loco, ſed alio mirabiliori & ineffabili modo. Etenim eſt ſub ſpeciebus ad modum ſubſtantiæ, & non ad modum quantitatis. Ergo non eſt ſub ijs tamquam in loco. Antecedens prætérquam quòd traditur à D.Thom. vbi nuper, ſuadetur: quia corpus Chriſti ſolùm eſt ſub ſpeciebus tamquam gerens, ſeu ſubſtituens vices ſubſtantiæ panis & vini; non autem quantitatis; quoniam non quantitas, ſed ſubſtantia vtriuſque in corpus Chriſti convertitur. Conſequentia vero probatur: quia ſubſtantia ſecundùm ſe præciſè conſiderata abſtrahit ab omni præſentiâ in loco, manetque ſub alio mirabiliori modo exiſtendi, qui communiter exponitur per eſſe nullibi tamquam in loco. Ergo ſi corpus Chriſti ſub ſpeciebus non eſt ad modum quantitatis, ſed ſubſtantiæ, non eſt ſub ijs tamquam in loco, ſed alio mirabiliori modo.

30 *INFERTVR II.* Rationem quare Chriſti corpus totum ſit indiviſibiliter ſub totis ſpeciebus, & totum ſub quavis particula illarum, hanc ipſam eſſe, quod ſub ijs ſit ad modum ſubſtantiæ. Cùm enim ſubſtantia ſecundùm ſe conſiderata præſcindat à quantitate, præſcindit etiam à diviſibilitate, ſaltem proximâ, quæ à quantitate vt forma provenit: ac proinde manet per ſe loquendo indiviſibilis. Ergo poterit tota exiſtere indiviſibiliter præſens ſub qualibet particula Euchariſticæ quantitatis, hoc ipſo quòd ſub ea ſit ad modum ſubſtantiæ.

31 *INFERTVR III.* Præſentiam hanc indiviſibilem, & minimè localem, Chriſti Domini ſub ſpeciebus, poſſe multiplicari, & de facto multiplicari; quia multiplicatur eius fundamentum; ſcilicet, cōverſio vnius & alterius ſubſtantię in ipſum: Vnde ratione vnius converſionis eſt ſub ſpeciebus vnius ſubſtantiæ; & ratione alterius converſionis eſt ſub ſpeciebus alterius ſubſtantiæ. Et quamvis hinc manifeſtè inferatur corpus Chriſti habere ſimul ſub diverſis ſpeciebus ſacramentalibus plures præſentias ſolo numero diſtinctas, quia hę accidentia ſunt connotativa, & ſupponunt diſtinctum numero fundamentum; non tamen colligitur poſſe ſimul habere plures circumſcriptivas, quia quantitas, quæ eſt fundamentum ipſarum, nequit multiplicari in Chriſto; & aliunde hæ præſentiæ ſunt effectus ſecundarij quantitatis, qui nequeunt multiplicari, non multiplicata radice à qua oriuntur; præſentiæ autem ſacramentales ſub ſpeciebus non ſunt effectus ſecundarij ſubſtantiæ, quia non modò non emanant ab illâ, ſed potiùs vltra omne illius debitum, & ſolùm ſupernaturaliter communicantur, educunturque ex potentiâ obédientiali corporis Chriſti. Quod maximè notādum eſt ad præoccupandas plures obiectiones,

nes, quæ poſſent fieri contra diſcurſum præiactum *à num.* 7.

32 *INFERTVR VI.* Præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia non ſolum non eſſe circumſcriptivam, vt ex ſe patet, ſed nec definitivam; quidquid in oppoſitũ aſſerant Adverſarij, imò & ſupponant veluti fide certum, vt Oviedo & Spinula in præſenti. Ratio à priori eſt, quia præſentia definitiva ſolum convenit ſubſtantiæ ratione alicuius quantitatis virtutis finitæ & limitatæ, per quam determinatur ad certum locum, cum excluſione exiſtendi in alio, vt patet in Angelo, & anima rationali, præſertim ſeparata. At corpus Chriſti Domini non exiſtit in Euchariſtia ratione alicuius quantitatis virtutis finitæ & limitatæ, ſed ratione converſionis, & ad modum ſubſtantiæ, & præterea non importat excluſionem exiſtendi ſub alijs & alijs ſpeciebus ſacramentalibus. Ergo præſentia Chriſti Domini in Sacramento non eſt definitiva. Vnde & quælibet ſubſtantia, ſi auferatur ab eà quantitas virtutis, nullã præſentiam definitivam habebit, ſed remanebit nullibi tanquam in loco: quia ceſſabit in ea fundamentum definitivæ præſentiæ. Quare præſentia Chriſti in Euchariſtia eſt longè altior, quàm definitiva, ideoque *admirabilis, ineffabilis, & ſacramentalis* dici ſolet. Lege Petavium *tom.* 1. *Theolog. Dogm. de Deo, lib.* 3. *cap.* 9. *à num.* 4. vbi rectè ex PP. exponit præſentiam definitivam, eiuſque limitationem ad certum ſpatium loci; ideoque illam excludit à Deo.

33 *INFERTVR V.* Non, niſi ſpuria illatione, colligi ex rationibus, quibus probatur noſtra ſententia, corpus Chriſti Domini fore idem & diſtinctũ, diviſum & indiviſum, diſtare & non diſtare à ſeipſo poſito in vnà hoſtià, quatenus exiſtit ſub alia, ſi ſemel totum id infertur ex duplici præſentia circumſcriptiva. Ratio eſt, quia hoc ipſo quòd corpus Chriſti non ſit in Sacramento ad modum quantitatis, ſed ad modum ſubſtantiæ, ſolvitur ab omnibus modis eſſendi, qui per ſe ſequuntur ad quantitatem. At ſubſtantiam materialem dividi, aut diſtare, aut multiplicari, eſt modus eſſendi per ſe ſecutus ad quantitatem, quæ ſicut eſt ratio formalis dividendi & diſtandi, ita etiam eſt comprincipium numericæ multiplicationis. Ergo hoc ipſo quòd corpus Chriſti ſit in Sacramento non ad modum quantitatis, ſed ſubſtantiæ, colligitur neutiquam multiplicari, aut eſſe diviſum, vel diſtans à ſeipſo.

SECTIO QVARTA.

Sententia adverſa, eiuſque argumenta præcipua ſoluta.

34 OPPOSITAM Sententiã tuetur Subtilis Doctor *in* 4. *diſt.* 10. *q.* 3. eiuſque Schola, Richardus *Quodlibet.* 1. Murcia *lib.* 4. *Phyſic. q.* 7. vbi plures alios refert, Bellarminius *lib.* 3. *de Euchar. cap.* 3. *&* 4. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p. diſput.* 8. *ſect.* 4. *& tom.* 2. *Metaphyſica, diſput.* 48. *ſect.* 4. Conimbricenſes *lib.* 4. *Phyſic. cap.* 5. *q.* 5. *art.* 2. Coninch. 3. *part. q.* 75. *art.* 4. *dub.* 3. Hurtado *diſput.* 14. *ſect.* 5. Arriaga *diſp.* 24. *ſect.* 8. *ſubſect.* 1. Oviedo *controv.* 15. *Phyſic. puncto* 9. Lynce *lib.* 7. *tract.* 1. *cap.* 7. Izquierdo *tract.* 3. *de Deo, diſput.* 5. *ſect.* 12. Spinula *diſput.* 10. *ſect.* 5. Averſa *q.* 27. *ſect.* 5. Compton *diſput.* 35. *ſect.* 3. Merinerus *lib.* 4. *diſp.* 1. *q.* 5. & Pontius *diſput.* 15. *Phyſica*, Quiros *diſput.* 2. Præcipua ſolùm argumenta ipſorum proponam, primumque ac præcipuum ſpeciatim & diverſimodè vrgebo, ne quid difficultatis diſſimulaſſe videar.

35 *PROBANT I.* Quia idem corpus eſſe circumſcriptivè in pluribus locis, nec repugnat ex parte quantitatis, neque ex parte modi, quo illa exiſtit in loco. Ergo cùm aliunde non repugnet ex defectu potentiæ divinæ, nullo demùm ex capite repugnat. Probatur antecedens quò ad priorem partem: quia eſſentia quantitatis abſtrahit ab eo, vt habeat vnicam aut plures præſentias ſimul: ſiquidem ex propria quidditate ſolùm conſiſtit in extenſione in ordine ad ſe, ideoque non ſolùm præſcindit, ſed reipſa ſeparari poteſt ab omni præſentia locali, vt patet in quantitate corporis Chriſti ſub accidentibus Euchariſticis. Quo ad poſteriorem verò partem ſuadetur: quia dato quod eadem quantitas circumſcriberetur duplici loco, in quolibet eorum eſſet tota in toto loco, & pars in parte loci; qui eſt modus proprius exiſtendi in loco quantitatis. *RESP.* Negando antecedens quò ad vtramque partem: Quia tam ex parte quãtitatis, quam modi quo illa eſt in loco, repugnat vt ſi illa eſt vnica (qualiter ſupponimus in hac cõtroverſia) multiplicetur ſimul numericè in ea idem effectus ſecundarius ſecundùm ſpeciem; ſcilicèt, extenſio in ordine ad locum. Sic ſubſtantia materialis ſecundùm eſſentialia præcisè conſiderata, abſtrahit quidem ab omni accidente, ac proinde ab vna, vel duplici quantitate: & tamen repugnat ipſi duplex quantitas adæqua-

quata; quia nulla natura inferre poteſt ſimul duas proprietates ſolo numero diſtinctas. Præterea & quantitas ex parte modi quo eſt in loco, exigit vt contineatur & comprehendatur ab illo: ac proinde ne extra ipſum localiter ſit. quod certè haberet quantitas poſita circunſcriptivè in duplici loco.

36 *INSTANT.* Longè mirabilius apparet idem corpus quantum habere duplicem præſentiam diverſæ & oppoſitæ rationis, quales ſunt circunſcriptiva & ſacramentalis, quàm duplicem circunſcriptivam, non oppoſitam, & ſolo numero diſtinctam. At primum divinà virtute fit ſimul in eodem corpore quanto Chriſti. Ergo ſecundum fieri poteſt. *Præterea.* Corpus exiſtens circunſcriptivè in duplici loco, vtrobique haberet præſentiam ſibi proportionatam & connaturalem; quam tamen non habet corpus præſens in vno loco diviſibiliter, & in alio indiviſibiliter. Ergo illud connaturalius, ac proinde & facilius fieri poteſt. *RESP.* Negando antecedens; quia longè mirabilius eſſet dari duo contradictoria ſimul vera, qualia eſſent in duplici præſentia circunſcriptiva, vt *num.* 3. oſtenſum eſt, quam duas præſentias, vnam ſacramentalem ineffabilemque, & alterà quantitativam, in quibus nulla apparet cõtradictio: quoniam conveniunt corpori Chriſti ratione diverſorum, prout terminanti converſionem Euchariſticam. Vnde & fit vt præſentiæ ſacramentales poſsint ſimul eſſe plures, multiplicatis converſionibus; præſentiæ autem circunſcriptivæ nequeant eſſe plures ſimul, quia eiuſdem corporis individui nequit multiplicari quãtitas. Ad inſtantiam vlteriorem dico duplicem præſentiam circunſcriptivam non eſſe proportionatam eidem corpori quãto, ſed improportionatam, & impoſsibilem, vt ſæpe iam oſtenſum eſt.

37 *VRGEBIS* Subtiliter. Ideo præſentiæ ſacramentales & indiviſibiles multiplicantur ſimul in eodem Chriſti corpore, iuxta ſolutionem præiactam, quia multiplicantur converſiones ſubſtantiales panis in ipſum, ratione quarum eſt indiviſibiliter in Sacramento. At etiam Chriſtus potuit multiplicare rationes exiſtendi in loco diviſibiliter: potuit enim convertere quantitatem panis in ſuam propriam quantitatem, & ſimiliter plures ac plures quantitates huius atque illius panis; quæ converſiones eſſent rationes plures exiſtendi in loco diviſibiliter. Ergo potuit etiam Chriſtus multiplicare ſimul præſentias ſui corporis diviſibiles. *RESP.* Negando minorem: quia caſu quo quantitas panis converteretur in quantitatem corporis Chriſti, hæc ſola maneret atque vnica: idemque eſt ſi plures panis quantitates converterentur. Vnde non eſſent plures rationes exiſtendi in loco diviſibiliter, ſed vna tantùm; & Chriſtus non haberet aliam præſentiam diviſibilem ab eà, quam adquireret media converſione.

38 *DICES:* Etiam multiplex præſentia indiviſibilis, eſt proprius effectus multiplicis ſubſtantiæ. Et tamen licet in diverſis hoſtijs conſecratis non ſit multiplex ſubſtantia, ſed vnica Chriſti, præſentiæ indiviſibiles multiplicantur, quia converſiones ſubſtantiarum panis ſunt plures. Ergo ſimiliter, cùm in caſu obiectionis multiplicarentur converſiones quantitatum plurium panis, quarum effectus proprius eſt præſentia diviſibilis, præſentiæ quoque diviſibiles multiplicarentur, quamvis non maneret multiplex quantitas, ſed vnica Chriſti.

39 *PRO* Argumenti ſolutione nota, dupliciter poſſe Chriſtum D. convertere quantitatem panis in ſuam quantitatem, ſicut & ſubſtantiam illius in ſuam ſubſtantiam. *Primò* abſque verbis ſignificantibus ſucceſsionem ſuæ quantitatis, ſubſtãtiævè, in locum quantitatis aut ſubſtantiæ converſæ: & tunc Chriſtus ſolùm maneret præſens diviſibiliter in cælo, neque adquireret aliquam omnino præſentiam in eo loco vbi antea erat ſubſtantia aut quantitas panis: quemadmodum, ſi abſque verbis ſignificantibus ſucceſsionem vnius in locũ alterius, converteret lapidem exiſtentem Salmanticæ in alium lapidem exiſtentem Romæ; hic ſolùm Romæ maneret, neque vllam Salmanticæ præſentiam adquireret. Idemque eſt ſi quantitates, aut ſubſtãtiæ converſæ eſſent plures: quia terminus in quem converterentur, vnicam præſentiam diviſibilem retineret, ſicut antea, nullamque denuo adquireret. *Secundò* potuit id præſtare verbis ſignificantibus ſucceſsionem quantitatis ſuæ in locum quantitatis panis converſæ; ſcilicet, dicendo: *Hæc eſt quantitas mea*: ſicuti de facto id præſtitit circa ſubſtantiã panis, dicendo: *Hoc eſt corpus meum.* Et in ea hypotheſi neceſſum foret ex vi verborum, vt quantitas Chriſti præſentiam diviſibilem adquireret in eodem loco vbi erat quantitas panis; quia aliter verba non poſſent ſtrictè verificari; ac deſereret præſentiam diviſibilem præcedentem: quia nequit multiplicari effectus

ſe-

ſecundarius ſimul, manente vnica ratione formali, quæ eſſet vnica Chriſti quantitas. Quod ſi præterea vellet iiſdem verbis aliā & aliam quantitatem panis in ſuam propriam convertere, neceſſariò deſereret præſentiam diviſibilem, quam adquiſierat per ſucceſſionem in locum primæ quantitatis converſæ; neque vnquam poſſet ſimul componere duplicem, aut multiplicē ſucceſſionem præſentiamve diviſibilem ſimul: quia nequit Deus coniungere duo cōtradictoria, aut multiplicare effectus ſecūdarios formæ, primario immultiplicato manente.

40 *NOTA* Inſuper, præſentiam indiviſibilem non eſſe effectum proprium ſubſtantiæ. Nam licèt conſiderata ſecundùm ſe, & pro priori naturæ ad quantitatem, non concipiatur diviſibilis; adhuc nec concipitur poſitivè indiviſibilis, ſed negativè tantùm, & quaſi ab vtroque præſcindens. Quare præſentia illa poſitive indiviſibilis, quam habet Chriſtus in Sacramento, non eſt effectus proprius, adhuc ſecundarius, ſubſtantiæ ipſius; quia nec emanat ab illa, neque ipſi debetur connaturaliter; ſed ſolùm ſupernaturaliter communicatur, educiturque ex potentia obedientiali corporis Chriſti, vt *num.* 31. obſervatum eſt. Contrà verò quælibet extenſio in ordine ad locum eſt proprius & connaturalis effectus quantitatis, licèt ſecundarius, ipſique poſitivè debitus, vt *à numer.* 11. ſtabilivimus, & multipliciter probavimus.

41 *HINC* Obiectioni præiactæ occurritur negando maiorem: quia præſentia indiviſibilis & ſacramentalis Chriſti nō eſt effectus formalis, adhuc ſecundarius, ſubſtantiæ ſuæ, nec ſubſtantiæ panis converſæ; ſed ſubſtantialis & miraculoſæ converſionis ſub determinata forma verborū; vi cuius reſultat illa præſentia. At verò præſentia circunſcriptiva eſt effectus ſecundarius proprius quantitatis vt formæ connaturaliter illativæ eiuſdem; non verò converſionis alicuius miraculoſæ, quæ cùm ſupernaturalis & indiviſibilis ſit; nequit eſſe forma illativa effectus purè naturalis & diviſibilis, qualis eſt circunſcriptiva præſentia. Quare licèt multiplicarentur converſiones quantitatum panis in quantitatem Chriſti, cùm hæc ſola in rerum naturâ maneret, vnica etiam ipſi eſſet præſentia diviſibilis, ſeu circunſcriptiva.

42 *PROBANT II.* Sæpe enim Chriſtus Dominus apparuiſſe legitur in Euchariſtiâ oſtendens ſuum corpus localiter extenſum: idque indubium eſt iuxta plures hiſtorias Eccleſiaſticas: & hodie a priſcis ſæculis in Monaſterio Noſtro S. Mariæ del Cebrero, in confinibus Legionis & Gallæciæ, quà peregrini rectà Compoſtellam adeunt, exiſtit hoſtia à Sacerdote converſa in carnem Chriſti ſenſibiliter apparentem, diviſibiliterque extenſam, in obiectum fidei, cum quidam olim de huius myſterij veritate dubitaret. Vnde colligitur eandem Chriſti carnem, quæ in cœlo quātitativè præſens eſt, etiam in eo templo præſentem à principio fuiſſe quantitativè. Nam ſi eadem caro non eſſet, ſed alia; importunum videretur miraculum, & non ſufficiens ad confirmandam fidem, quæ credit eandem numero carnem Chriſti exiſtere ſimul in cœlo & in Sacramento. Aliunde inveroſimile eſt, carnem illam ſenſibiliter apparentem in Sacramento, & quantitative locatam, abfuiſſe vſque modò à cœlo, vbi caro Chriſti ſemper integra & abſque vllà diminutione eſt. Idem ergo corpus Chriſti aliquando fuit, & hodie eſt quantitativè præſens ſimul in cœlo & in Sacramento.

43 *CONFIRM. I.* Chriſtus poſt aſcēſum in cœlum, corporaliter apparuit Apoſtolis Petro & Paulo, vt hic poſterior teſtatur 1. *Corinth.* 5. vbi inde confirmat veritatem reſurrectionis Chriſti. At non apparuit vtrique corporaliter deſerendo cœlū. Ergo ita apparuit, vt ſimul corporaliter veniret ad terram, & tamen maneret in cœlo; ac proinde vtrobique retineret præſentiam corpoream & quantitativam. Probatur minor: tum quia Actorum 3. dicitur: *Quem oportet cœlum ſuſcipere vſque ad tempus reſurrectionis hominum*: tum ex Auguſtino relato in decreto de *conſecrat. diſt.* 2. *cap. prima hæreſis*, illis verbis: *Donec finiatur ſæculum ſurſum eſt Dominus*. Idemque tradit S. Thomas 3. *p. q.* 6. *art.* 8. & ratione evincitur: quia exiſtentia perpetua corporis Chriſti in cœlo conducit ad plenam lætitiam & ornatum regni cœleſtis, cuius gaudia neque ad inſtans patiuntur interruptionem. Ergo Apoſtolis Petro & Paulo non ita apparuit corporaliter Chriſtus, vt tamendeſereret cœlum. Iam verò quòd apparuerit corporaliter deſcendens ad terram, videtur indubium: quia niſi in eà apparitione corporaliter apparuiſſet, non poſſet Paulus eſſe teſtis idoneus reſurrectionis eius, nec ex apparitione illà deſumere argumentum efficax ad eam probandam.

44 *CONFIRM. II.* Ex hiſtoricis narrationibus probatiſsimæ fidei, quibus traditur

S. An-

S. Antonium Paduanum cùm Patavij concionem haberet ad populum, eodem ſimul tempore parentem ſuum Vlyſsipone extremo ſupplicio damnatum a ſuſpenſio liberaſſe, quin propterea cathedram deſereret, aut inviſibilis fieret. Item, S. Franciſcum Xaverium, Orientis Apoſtolum, in duobus ſimul locis circunſcriptivè viſum: nam in altero illorum, de quo dubitari poſſet, an ſpecie tenus exiſteret, legitur apparuiſſe nautis in ſcapha, cùm gravi procella vrgerentur: vbi & audiri, & videri, & tangi facilè potuit. quod eſt corporeæ & circunſcriptivæ præſentiæ argumentum efficax.

45 *RESP.* Argum. præcipuo, in quibuſdam ex ijs raris & miraculoſis eventibus, ſi reverà caro Chriſti fuit circunſcriptivè in Sacramento, & non ſolùm apparenter, ſeu dilatando, aut conformando accidentia panis in ſpeciem carnis (quod Deo facillimum eſt) Chriſtum ex diſpenſatione, & ſolùm ad breve tempus, deſeruiſſe præſentiam localem, quam in cœlo habet, vt eam in Euchariſtia exhiberet ad oſtenſum fidei. Verum neque hoc admittendum videtur de facto, adhuc in miraculo illo S. Mariæ del Cebrero, vbi ſpecies carnis per tot ſæcula perſeverant; vt ego ipſe no ſemel oculis comprobavi. Ibi enim à principio vſque modò exiſtimandum eſt, Chriſtum D. non aliud genus præſentiæ habuiſſe, quam ſub qualibet hoſtia conſecrata, excepta conformatione ſpecierum in figuram carnis. Hæc enim ſufficit in oſtenſum fidei: nam licèt ex natura rei poſſet à dæmone fieri eadem conformatio in hoſtia minimè conſecrata, per applicationem activorum ad paſsiva; tamen in re adeo gravi, & ad ſupremum omnium Sacramentorum ſpectante, nunquam ſinetur id agere, quia id ſpectat ad ſupernaturalem Dei providentiam, cui curæ eſt evidentia credibilitatis circa myſteria revelata, quin a dæmone adulterari poſsint.

46 *AD I. Confirm.* dicendum eſt Chriſtum D. nunquam deſcendiſſe corporaliter è cœlo, ſed ſpecie tenus; aut elevaſſe oculos Petri, & Pauli, ſaltem ſpirituales, vt ipſum in cœlo præſentem intuerentur. quod planè ſufficit, vt Paulus eſſet idoneus teſtis reſurrectionis eius. Denique & probabile eſt Chriſtum corporaliter deſcendiſſe ad breve tempus, vt Paulum faceret oculatum teſtem reſurrectionis, vt docet Sanct. Thom. *3 part. quæſt.* 57. Neque obſtat teſtimonium nobis obiectum, tam ex Actis Apoſtolorum, quàm ex Auguſtino. Inde enim ſolùm evincitur, ordinariam & ſtabilem habitationem Chriſti in cœlo eſſe: quanquam ſemel aut iterum ad brevem moram, & ex vrgenti cauſa, è cœlo diſceſſerit; qualiter & ad deferendam B. Virginem è ſepulchro in cœlum videtur dicendum piè ac veroſimiliter. Imò & in ijs raris eventibus nihil gloriæ cœlo deeſſe putandum eſt: cùm omnes Beati tunc intuerantur illius humanitatem pariter in terra exiſtentem, ac nunc in cœlo regnantem.

47 *AD II. Confirm.* ex hiſtorijs & varijs revelationibus petitam, aſſerendum eſt, neque S. Antonium Paduanum, neque S. Franciſcum Xaverium, alioſque, de quibus idem ferè legitur, habuiſſe ſimul duas præſentias circunſcriptivas, ſed ſolùm vnam veram, & alteram apparentem. Alioqui enim, ſi ex eo ſolùm quod viſi fuerint eodem ſimul tempore in duplici loco, colligunt Adverſarij vtrobique habuiſſe præſentiam realem, alteram naturalem, & miraculoſam alteram; dicant nobis quid ſentiendum ſit de Ioanne Teutonico, inſigni mago, qui teſte Theodoro Zuingero *in Theatro Vitæ Hum.* & alijs, eadem nocte & hora Nativitatis Domini viſus eſt celebrare Miſſam in tribus Germaniæ oppidis valde diſtantibus. Dæmon enim nequit efficere verum miraculum, ſed ſolùm miraculi ſpeciem, aut præſtigias. Igitur ex ſola apparitione in pluribus locis non ſatis probatur duplex præſentia realis, ſed ad ſummum vna realis, & altera apparens, aut divinitus, vt in ſanctis viris, aut fraudulenter, vt in nefarijs hominibus, qui ſe ſuaque omnia dæmoni mancipàrunt.

48 *PROBANT III.* Non minùs adæquatè terminatur natura creata, humana v. g. per vnicam ſubſiſtentiam, quàm corpus quantum per vnicam præſentiam localem; excepto quòd hæc terminatio eſt extrinſeca, illa vero intrinſeca. At natura creata terminata per vnicam ſubſiſtentiam Verbi, capax eſt vt ſimul terminetur per aliam Patris, aliamque Spiritus Sancti, vt docet S. Thomas *3. p. q. 3. art. 6.* Ergo corpus quantum terminatum per vnam præſentiam localem, capax etiã eſt vt ſimul terminetur per aliam & aliam. *RESP.* Concedendo maiorem de ſubſiſtentia connaturali ſeu propria naturæ creatæ, qua poſita, ſeu permanente, impoſsibilis eſt terminatio per ſubſiſtentiam alienam, creatam, aut increatam:

quia ſubſiſtētia creata reddit propriam naturam prorſus incommunicabilem alteri vt ſuppoſito. Nego autem maiorem, ſi intelligatur de ſubſiſtentia aliena & increata: quia ſicut eadem natura divina terminatur triplici ſubſiſtentia, eò quod in munere terminandi nulla exprimitur relativa oppoſitio; ſic etiam, & propter eandem rationem, natura eadem creata terminari poteſt ſimul triplici ſubſiſtentia increata, ita vt à qualibet illarum terminetur adæquatè intenſivè, non autem extenſivè. Quantitas verò quælibet, tam extenſivè, quam intenſivè, terminatur adæquatè, exhauriturque per vnicam præſentiam localem: quia de ratione loci circumſcribentis eſt ita continere locatum, vt nihil illius ſit extra, vel diſtet, aut ſeparetur ab eo loco, vt latè probatum eſt *à num.* 3. Vnde retorquetur paritas: quia natura creata terminata per propriam ſubſiſtentiam incapax omnino eſt terminationis per aliam ſubſiſtentiam creatam. Ergo & quantitas terminata per propriam præſentiam localem, incapax omnino eſt, vt per aliam præſentiam localem terminetur ſimul. Quæ ſolutio, ſi rectè conſideretur, præoccupat plures impugnationes, quas brevitatis cauſa prætermitto.

49 *PROBANT II.* Poſſunt duo corpora eſſe ſupernaturaliter in eodem loco, licèt naturaliter exigant eſſe in diverſis; vt diximus *diſp. præced. ſect.* 6. Ergo & poteſt idem corpus ſupernaturaliter eſſe in diverſis locis, licèt naturaliter exigat eſſe in vno tantùm: non enim magis connectitur cum vnitate corporis vnitas præſentiæ localis, quàm cum multitudine corporum multiplicitas localis præſentiæ. *RESP.* Negando conſequentiam & paritatem: quia ex eo, quòd duo corpora ſint ſimul loco, non colligitur eſſe idem realiter inter ſe, ſed tantùm habere duas præſentias circumſcriptivas in eundem numero locum terminatas: in quo nulla eſt contradictio, vt dictum eſt *loco alleg.* Ex eo autem quod idem corpus poneretur in duplici loco, neceſſario inferretur diſtare, proindeque & ſeparari, atque adeo diſtingui realiter à ſeipſo, quod abundè probatum eſt *ſect.* 4. & palam conſtat eſſe impoſsibile.

50 *PROBANT V.* Quia vix vlla ratio eſt pro noſtra ſententia, quæ ſi aliquid probat, pariter non probet repugnantiam, vt corpus Chriſti præſens circumſcriptive in cœlo, ſit ſimul præſens in Sacramento: nam ſic diſtaret localiter à ſeipſo, ac proinde ſepararetur, ideoque & diſtingueretur realiter à ſeipſo; quod eſt impoſsibile. *RESP.* obiectionem hanc iam ſæpe diſsipatam fuiſſe progreſſu diſputationis, in quâ toties dictum probatumque eſt, Chriſtum Dominum non eſſe præſentem localiter in Sacramento, ſed tantum indiviſibiliter, & ad modum ſubſtantiæ, ac ſupra omnem modum eſſendi quãtitatis: quare Chriſtus prout in Sacramento non diſtat à ſeipſo prout in cœlo, quia diſtantia eſt propria affectio illorum corporum, quæ ſunt in loco, & modum quantitatis ſequuntur. Similiter & dicendum, neque Chriſti corpus prout in Sacramento eſſe extra cœlum, aut intra illud: quia hæ differentiæ *intra* & *extrà* non conveniunt corporibus, niſi ratione quantitatis, & præſentiæ localis, quæ illam naturaliter ſequitur, niſi miraculosè impediatur, vt revera impeditur in quantitate Chriſti, prout exiſtentis in Sacramento. Plura quæ oppoſi poſſent huic ſolutioni ac doctrinæ, iam ſatis præoccupata ſunt *à num.* 25. *vſque ad* 33. ideoque, ne ampliùs Lectorem morer, prætermittenda duxi. Lege Vazquez *diſp.* 190. *in* 3. *p. cap.* 3. vbi cum D. Thomà, & alijs, ex profeſſo tuetur Chriſtum ſub ſpeciebus non eſſe tamquam in loco, nec habere proprium *vbi*, nec diſtantiam, niſi tantùm per accidens, & ratione ſpecierum: eodemque modo tantum moveri localiter.

(§)

DISP. VIGESIMASEPTIMA.

DE VACVO.

An vacuum exiſtat, vel poſsit exiſtere in rerum natura?

Num. 1. *HANC Diſputationem Authores breviter percurrere ſolent. Quia tamen plurimis Recentiorum obſervationibus difficilior reddita eſt, oportet eam accuratiùs examinare. Ne autem in ipſo vacui nomine hallucinemur, præmittendum eſt, duplex eſſe vacuum, alterum negativum, privativum alterum. Negativum idem eſt, quod ſpatium non repletum corpore, neque aptum repleri. Tale eſt ſpatium imaginarium ſupra ultimam Empyrei ſphæram, quod neque ullo corpore repletur, neque repleri naturaliter aptum eſt, ſeu virtute agentis creati & naturalis. In quo ſanè ſenſu diſtinguitur vacuum philoſophicum à poëtico, quale eſt illud, de quo quidam* accinit, celeri fertur per inane volatu. *Inanitas enim illa aëris immoti & quieti, per quam aliquando aves volant, impropriè vacuum eſt, ſoli Poëtarum licentiæ adſcribendum; non verò ad præſcriptum Philoſophiæ ſeverioris: cùm verè ſit ſpatium corpore plenum, quamquam ſubtili; ſcilicet, aëre. Vacuum verò privativum eſt ſpatium privatum corpore, aptum tamen repleri ab illo; ut ſi infrà concavum Lunæ deſtrueret Deus elementa omnia, & mixta; aut intra quodlibet elementum induceret hiatum, nullo corpore impletum; vel ab aula aut cubili deſtrueret totum aërem, nullo alio corpore ſubſtituto in locum ipſius: tunc verè vacuum privativum daretur. De hoc ergo quærimus in præſenti an ſit de facto, aut ſaltem de poſsibili. Quod ſanè proprium locum habet apud Ariſtotelem* lib. 4. Phyſic. cap. 6. 7. 8. & 9.

SECTIO PRIMA.

Rejectis aliorum probationibus, aſsignatur & multipliciter fulcitur ratio genuina ex Ariſtotele ac D. Thomà, probans, vacuum in rerum natura non eſſe.

2 DE Facto, & naturaliter loquendo nullum exiſtit vacuum in rerum natura. In hac aſſertione omnes Philoſophi conveniunt, exceptis quibuſdam Veterum, quos Ariſtoteles impugnat in præſenti.

3 *NON* Tamen omnium vna & eadem ratio eſt ad impugnandum vacuũ. Ideo plures aliorum examinare oportet, ne certa res, & omnium ferè conſenſu recepta, inefficacibus argumentis nitatur. Pro quo notandum eſt, priſcos illos aſſertores vacui exiſtimaſſe, vacuum eſſe quoddã ſpatium diſtinctum a corporibus ſenſibilibus, ita vt careret omni ſenſibili corpore. Præterea aiebant, nihil eſſe in rerum natura, niſi corpus ſenſibile. Cùm vero aërem nõ perciperẽt ſenſu, nec ille appareret ſenſibilis, conſequenter putabant aërem nihil eſſe; ac proinde idem omnino cenſeri locum aëre plenũ, ac omnino vacuum. Locus enim, qui nihil reale intra ſe habet ſpatium verè vacuum eſt. Atqui locus ſolo aëre plenus, nihil reale intra ſe habet, cũ aër nihil reale ſit. Ergo locus ſolo aëre plenus eſt ſpatium verè & omnino vacuum. Hæc inquam opinio quorũdam Veterum erat, quam impugnabant Anaxagoras, & alij relati ab Ariſt. in præſenti, eo quòd ſupponat falſum, ſcilicet, aërẽ non eſſe corpus. Porrò id falſum eſſe, ſuadebant duplici experimẽto. Primo, quia vtres pleni aere, quando habent os ligatum fortiter, reſiſtunt ponderi, & non ſupprimuntur: at verò quando non habent os ligatum, partes comprimuntur, & cedunt facilè ponderi. Ergo ſignum eſt quòd aër intra vtrem exiſtens eſt aliquid reale & verum corpus. Secundo, quia clepſydra habens orificium ſuperius clauſum, nequit aquã excipere donec aërem emittat. Ergo aër intra clepſydram clauſus aliquid reale & corporeum eſt. Hac, inquam ratione vtebantur Anaxagoras & alij ad impugnandum vacuum.

4 *VERVM* Hæc ratio diſplicet Ariſtoteli, quia non occurrit directè præſenti quæſtioni, ſive vt habetur in textu, non occurrit problemati per partes. In præſenti enim quæſtione non eſt directè probandum aërem eſſe corpus, ſed tantum oſtendendum eſt, nullum eſſe ſpatium omnino vacuum, ſeu non plenum corpore, quidquid ſit de corpore ipſo, quo ſpatium ſit plenum. Quod ſane ita probabitur, vt oſtendatur, nullum ſpatium diverſum eſſe à corporibus illa ociũn-

gens, vt exiſtimabant Democritus & Leucippus; ſive ſpatium ſit ſeparabile; idest, actu non habens corpus; ſive actu habens. Quare diſcurſus prætactus Anaxagoræ reijcitur, non quia inefficax ſit contra ſuppoſitionem falſam illorum Veterum negantium aërem eſſe corpus, ſed quia directè non collimat in ſcopum diſputationis præſentis.

5 *PROBANT* Secundò alij: Quia natura abhorret quidquid fruſtra & otioſum eſt. At vacuum fruſtra & otioſum eſt, cum ſit mera inanitas. Ergo natura abhorret vacuum: ac proinde illud non exiſtit in rerum natura. *VERVM* diſcurſus hic non omnino videtur convincere. Aut enim ſermo eſt de vacuo negativo, aut de privativo. Si de negativo; inſtatur in ſpatijs imaginarijs, quæ actu nihil, ſeu inanitas ſunt, & tamen otioſa non ſunt. Alioqui natura abhorreret ſpatia illa. Si autem de privativo vacuo accipiatur, etiam inſtantiam patitur in ſurditate, cæcitate, alijſque huiuſmodi privationibus, quæ purum nihil, & mera inanitas ſunt; nec tamen propterea otioſæ ſunt, neque à natura abhorrentur. Poſſet ergo eſſe vacuum privativum in rerum natura, & tamen otioſum non eſſe, nec à natura abhorreri. Et ratio a priori huius doctrinæ eſt: Quia ponentes vacuum, faciſè aſſerere poſſunt, ſolùm id otioſum eſſe & naturæ exoſū, quòd omnino fruſtra eſt; quod nihil deſervit Vniverſo, neque ex proximo fine, neque ex remoto. Vacuum autem privativum, ſicut & quælibet privatio, non omnino fruſtra eſt, ſed ad aliquid deſervit, ſaltem remotè; ſcilicèt, ad varietatem Vniverſi. Ergo vacuum privativum non eſſet omnino otioſum.

6 *PROBAT* Tertiò Arriaga *diſput.* 14. *Phyſicæ ſect.* 11. *numer.* 119. hac ratione, quam ipſe a priori exiſtimat. Naturaliter repugnat duo corpora inter ſe penetrari. Vt autem eſſet vacuum, deberent penetrari. Ergo vacuum naturaliter non exiſtit. Maior cum conſequentia patet. Minorem probat: Quia Deus initio mundi condidit tantam materiam cum quantitate, quæ ſufficeret ad totum hoc ſpatium complendum infra cœlos: nam ſi aliquid maneret vacuum, vt quid Deus produxiſſet tam magnum concavum; cum vacuū ad nihil deſerviret? Ergo eo ipſo quod totum hoc ſpatium plenum ſit corpore, non poterit aliud vacuum manere, niſi corpus quod relinquit illud vacuum, penetretur ſimul cum alio: quod repugnat. neque enim erat antea aliud vacuum, in quo poſſet illud corpus poni, ſi non penetraretur ſimul cum alio.

7 *SED* Ratio hæc debilis eſt, & refellitur multipliciter. *Primo*: Quia ex illa ſequitur, poſita cuiuſcumque corporis annihilatione ſecuturum naturaliter vacuum. quòd tamen ipſe Arriagá, & alij communiter abſurdum exiſtimant. Sequelam probo. Nam annihilato quolibet corpore, non compleretur ſpatium illud, quod Deus ab initio præſcripſit huic Vniverſo. neque enim hiatus ille relictus a corpore annihilato repleretur ab ipſo corpore; vtpotè iam non exiſtente in rerum natura: nec præterea ab alio corpore: quia de lòco primo huius fiet idem argumentum, vt vacuus maneat naturaliter: idemque erit de alio, & alio, donec dicere cogaris ſpatium illud primo à Deo præſcriptum toti Vniverſo, tandem naturaliter contrahi, ac portionem aliquam cœli Empyrei circa nos comprimi, ſuamque proinde amittere figuram perfectiſsimam, ne naturaliter reſultet vacuum, vt manifeſtè noſtro argumento convincitur, & abſurdiſſimum apparet. *Secundò*: Quia in eadem hypotheſi nulla ſequeretur penetratio. Ergo vacuum non repugnat ratione penetrationis naturaliter ſecuturæ. Conſequentia patet. Antecedens probo: Quia duorum penetratio ſolùm fit quando vnum corpus tranſit in locum alterius, & ſimul cum eo occupat idem ſpatium. Sed annihilatum corpus non tranſiret in locum alterius, nec ſimul cum eo occuparet idem ſpatium, vt ex ſe patet, cùm iam in rerum natura non eſſet. Ergo annihilato vno corpore, nulla ideo ſequeretur penetratio. *Tertiò*. Nunc de facto inquiro, quando corpora addenſantur, & occupant ſpatium minus, quàm antea, cur non ſequitur naturaliter penetratio? Quare ſtatim aliud corpus occurrit ad replendum locum relictum ab alio corpore addenſato? Dices profectò nullam ſequi penetrationem: quia addenſatio non fit per hoc, quòd vnum corpus intret locum alterius, ſimulque cum eo idem occupet ſpatium, vt ad penetrationem requirebatur. Ergo eadem ratione, quamvis exiſteret vacuum non daretur penetratio: quia corpora circumiacentia addenſari poſſent, ſeu, quod perinde eſt, occupare minus ſpatium quam antea, ac proinde permittere ſpatium ſufficiens corpori ſubintranti, & relinquenti

ſuum

ſuum locum omnino vacuum. *Quartò* denique reijcitur manifeſto cucurbitulæ experimento, quæ intus accenſa ardenti ſtuppa, & carni ſuperimpoſita, deficiente poſtea calore, quo plena erat, attrahit carnem; & ſi ſuperimpoſita ſit aquæ, ſimiliter attrahit aquam. Certè ideo carnem & aquam attrahit, quia aër intra cucurbitulam accenſus inſtar flammæ erat nimis rarus, & occupabat totum ipſius ſpatium: flamma verò tepeſcente addenſatur, & minorem locum occupat: ideoque ad locum relictum ab aëre, aſſurgit caro, vel aqua, vt impleatur, & nullum vacuum reſultet. Et tamen ibi nullum imminet naturalis penetrationis periculum. Ergo vacuum non repugnat, nec fugitur a natura propter periculum imminentis penetrationis. Probatur minor: Quia periculum penetrationis ſolum imminet, vbi duo corpora tenderent ſimul in eundem locum, non verò vbi imminet derelictio alicuius ſpatij, abſque vllo corpore replente. Atqui tepeſcente & addenſata flamma intra cucurbitam, ac propterea minorem locum occupante, non tendunt duo corpora in eundem locum ſimul, ſed imo verò imminet derelictio alicuius ſpatij abſque vllo corpore replente, vt ex ſe patet. Ergo tunc nullum imminet periculum penetrationis. Non modò ergo efficax non eſt ratio, quam aſsignat, & a priori vocat Arriaga; ſed præterea multipliciter in ipſum convertitur.

8 *PROBANT* Quartò alij communiter. Natura, quæ pacis & vnionis rerum amantiſsima eſt, quàm maximè ſtudet contiguitati & adhæreſcentiæ corporum, ita vt poſt vnum immediatè ſequatur aliud. Ergo natura abhorret defectum eiuſmodi contiguitatis & adhæreſcentiæ inter corpora. At vacuum eſt defectus contiguitatis & adhæreſcentiæ inter corpora: quia interiecto vacuo nequeunt ſe tangere, ſed fit intercapedo inanis vnius corporis ab alio. Ergo natura quàm maximè abhorret vacuum: proptereaque id naturaliter non datur. Porrò aſſumptum præcipuum, quo aſſeritur naturam innata propenſione gaudere ad eiuſmodi contiguitatem, ſive adhæreſcentiam corporum, ſuadetur pluribus experimentis. Ac primo quidem nuper memorato cucurbitulæ, quæ Chirurgis in vſu eſt. Carnem enim ſurſum attrahit, quoniam aër qui priùs ardore ſtuppæ incaluerat, & in raritatem abierat, poſtea tepeſcente flamma frigiditatem admittit, & denſitatem accipit; ac proinde in minorem redactus molem relinqueret inane ſpatium aliquod cucurbitulæ, niſi natura elevaret carnem ſuppoſitam, ipſamque coniungeret condenſato aëri ad vacuum impediendum. Eſt & aliud frequens experimentum in aqua per fiſtulam aſcendente, ne expulſo ab illa aëre reſultet vacuum. Vbi planè conſtat aquam, licèt natura gravem, ferri ſurſum contra privatam propenſionem, vt ſic ſe coniungat aëri per fiſtulam egredienti, & impediat vacuum, ſeu defectum contiguitatis inter ipſam & aërem. Præterea idem apparet in clepſydra ſuperiùs omnino clauſa, & aquâ plena: quam ſiquis orificio verſus terram aperto effundere velit, non poterit. Hoc autem ideo eſt, quia deſcendente aqua vniformiter per os clepſydræ, fieret inane ſpatium & vacuitas in parte ſuperiori, quam natura maximè averſatur. Quare ad effundendam aquam oportet in parte ſuperiori clepſydræ aperiri aliud foramen, per quod aër ſubintret, impleatque ſpatium relictum ab aquâ cadente per orificium inferius. Ideo & in vrceis, amphoris, candiotiſque aquâ plenis, paſsim videmus, ſi deorſum convertantur, ebullire aquam murmure ingenti, cauſato ex pugna ipſius cum aëre, ſubintrante per poros aquæ ad implendum ſpatium ab aquâ relictum.

9 *HÆC* Ratio ſolida eſt. Quia tamen nonnullis Recentiorum viſa eſt inefficax, oportet eam aliquantò operoſiùs firmare. Pro quo notandum eſt ex doctrina Ariſtotelis *lib. 2. de Animâ cap. 4. textu 34. & lib. 1. de Cælo cap. 9. t. 100.* ac D. Thomæ iiſdem locis, inſitum eſſe toti naturæ, ac proinde cuique rei amorem propriæ conſervationis, eorumque, quæ in illam conferunt. Hinc oritur ſollicitudo illa, quâ non modo homines, ſed & animantia bruta, ſalutaria quæque & ſibi vtilia appetunt, noxia declinant, & naturæ genio diſcunt venenoſa quædam & guſtui amara devitare. Hinc etiam propenſio elementarium corporum & mixtorum, ad generandum ſibi ſimile: &, vt Iuſtiniani Cæſaris verbis vtar, *hinc deſcendit maris atque fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio.* Videlicet, eo modo res omnes caducæ & corruptioni obnoxiæ, ab interitu ſe vindicare ſtudent; & quandoquidē nequeunt eædē numero in æternum perſiſtere, dant ope-

 ram

rum vt ſaltim in aliquo fœtu, ſive effectu ſuæ ipſarum ſpeciei permaneant, & quaſi immortalitatem aſſequātur. Eadem quoque doctis hominibus ſæpe ardēs ſtudium edendi ſua ſcripta, vt proinde nulli labori, nulli pervigilio parcant: ſimiliterque Rempublicam, aut artem militarem tractantibus, tantus amor præclari alicuius facinoris, etiam cum periculo aut diſpendio vitæ, vt relinquant aliquod ſui nominis æternaturum monumentum. Quippe, vel in aheneà ſtatua, aut inſenſibili marmore permanere, mortalibus cūctis cordi eſt. Cum verò præterea nulla res mortalium ac caducarum per ſe ſolam ſubſiſtere valeat, ſed indigeat externa ope, aut ſocietate alterius; hinc eſt, vt qua propenſione appetit conſervationem propriam, eadem quoque propendeat in contiguitatem ſocietatemque cum alia. Quare Vniverſum hoc à principio rotundum condidit Deus, & in orbis figuram, quæ maximè vnionis conciliatrix eſt, vt omnia ſibi invicem adſtipularentur, & quaſi vnum corpus efficerent. Vnde & aquæ guttulę, aut è cœlo defluentes in folia, aut à matutino imbre in gramina, aut ex vrceolo effuſæ in lapidem tabulamve, ſponte ſua in orbem ſe componunt & rotunditate ipſa teſtantur, ſe quàm maximè deperire vnionem & colligationem illam vnius partis cum alia; quia plures vnitæ fortiùs operantur & reſiſtunt contrariorum incurſibus, ac proinde meliùs providentſuæ ipſarum conſervationi.

10 *NOTANDVM* Præterea, idipſum quod partes in ſuo ſingulari toto faciunt quærendo mutuam vnionem, idem quoque præſtare ſingula corpora Vniverſi, quod integrant, veluti quoddam totum. Vnde alia alijs ſe certatim agglutinant & coniungunt, vt virtute ipſarum, quantum fieri poteſt, vnita, ſtructura hæc mundi perſiſtat incolumis, & ſe vindicet ab interitu. Hinc oritur quod recedente aliquo corpore ab vno loco, ſtatim ſuccedat corpus aliud ad idem ſpatium replēdum: quod extracto ab aqua ligno, vel lapide, ſtatim aqua dilabatur ad occupandum locum ab vtroque deſertum; ſimiliterque aër, & ignis, & terra vbi mobilis eſt, quoties ab ijs divellitur aliquid.

11 *VNDE* Inſtauratur, & novas vires accipit ratio praiacta. Id enim quod totius Vniverſi natura maximè averſatur veluti commune malum, non exiſtit naturaliter, ſeu virtute eiuſdem naturæ. Sed totius Vniverſi natura maximè auerſatur vacuum, veluti commune malum. Ergo vacuum non exiſtit naturaliter, ſeu virtute eiuſdem naturæ. Maior eſt manifeſta: Quia natura totius Vniverſi non eſt ſibi contraria, aut inordinata, vt inducat illud ipſum commune malum, quod tantopere averſatur, & in cuius vitationem conatur. Minor verò ſuadetur: quoniam totius Vniverſi natura maximè amat communem rerum conſervationem, ac proinde ipſarum vnionem & colligationem inter ſe, vt ſuperiùs demonſtratum eſt: ac proinde maximopere abhorret, quidquid tali vnioni & colligationi corporum opponitur, quaſi commune malum. At vacuum opponitur vnioni & colligationi corporum. Interiecto enim vacuo diſſolvitur contiguitas ſeu coniunctio illa, quæ erat prius inter corpora vtrinque poſita. Ergo totius Vniverſi natura maximè averſatur vacuum, quaſi cōmune malum.

12 *CONFIRMATVR* Probatio eadem diſcurſu Ariſtotelis 1. *Meteor. capit. 2.* illis verbis: ἔςι δὲ ἀνάγκης συνεχὴς ὅυτως ταῖς ἄνω φοραῖς, ὥ-ςε πᾶσαν αὐτοῦ τὴν δύναμιν κυβερνᾶσθαι ἐκεῖθεν. *Eſt autem neceſſariò ferè mundus iſte ſupernis lationibus continuus, vt inde vis eius vniverſa regatur.* Quippe quemadmodum cœlum immediatè ſubiacet conſervationi & influxui primæ cauſæ, ſic etiam elementa ſubiacent cœleſtium corporum motui, & quæcumque mixta ex elementis coaleſcunt. Inde verò perſpicua illatione colligitur, naturā hanc mundi ſublunaris, ex elementis & miſtis coalitam, averſari vacuum, veluti communi bono oppoſitum, quoniam impedit lationes influxuum cœleſtium ad inferiora hæc. Interiecto etenim vacuo v.g. circa concavum Lunæ impeditur influxus cœli & aſtrorum, quia ea parte deſcenſurus erat in hæc inferiora, tolliturque & medio contiguitas & coniunctio rerum ſublunarium cum orbe Lunæ, in quam natura toto conatu propendet. Igitur natura averſatur vacuum veluti commune malum, ac proinde ipſius exiſtentiam non patitur.

14 P. Arriaga *vbi ſupra num. 158.* cenſet hanc confirmationem præcipui argumenti ſolidam non eſſe: Tum, quia licet daretur aliquod vacuum interiectum, adhuc poſſent corpora cœleſtia per latera influere in ſublunaria: Tum etiam, quia non continenter influunt cœleſtia in ea corpora inferiora: vnde per breve tempus poteſt dari vacuum. Quid enim? Abiret ne ſtatim in nihilum lapis, ſi per mediam horam non acciperet influentias Lunæ ac Solis?

SED

14 *SED Contrà I.* Omne enim agens naturale agit per lineam rectam, & per hanc fortiùs, quam per tranſverſales. Ergo non ſufficit influxus lateralis cœli in inferiora hæc, qui ſolus exiſteret poſito vacuo; ſed præterea requiritur influxus cœli rectus. Quin etiam cùm corpora ſublunaria verſus omnem partem pendeant ab influxu cœlorum, etiam quacumque parte cōſiderentur exigunt contiguitatem cum cœlorum influxu. Appone igitur vacuum in ſpatio B. influxum cœli in ſpatio A. ſuperiori, & corpus ſublunare in ſpatio C. inferiori. Certè corpus ſublunare non ſolùm pendet via laterali aut circunflexà ab influxu cœli, ſed etiam via rectà. Non ſolùm enim pendet ab influxu cœlorum quaſi tranſverſo modo, & ducta linea obliquà, aut divertente à recto, ſed etiam verſus illud latus, penes quod immediate reſpicit ſpatium inane. Ergo penès illud latus nequit admittere vacuum, ſed perinde immediatè, atque æquè rectà via pendet ab influxu cœli, ac verſus omne aliud latus. Ergo dependetia corporum ſublunarium ab influxu cœli, qualis & quanta requiritur, neutiquam ſalvatur interiecto vacuo. *CONTRA II.* Corpora enim ſublunaria ſemper exigunt contiguitatem, vt ſtatuto tēpore recipiant cœlorum influxus: quia ſi ſemel illam amittant, non poterunt illam recuperare: imò ſtatim in nihilum abibunt naturaliter loquendo. Quod vniverſim probatur ratione & teſtimonio D. Thomæ 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. docentis, omnes motus corporeos reduci in motum cœleſtis corporis, tamquam in primum movens corporale; ſicut omnes motus, tam corporei, quam ſpirituales, reducuntur in primum movens ſimpliciter, quod eſt Deus. Atqui deficiente influxu Dei circa quamlibet entitatem creatam, ſive ex toto, ſive ex parte, ſive per rectum, ſive per latera, non ſalvatur dependentia entis creati a primo movente ſimpliciter, quod eſt Deus. Ergo ſimiliter deficiente influxu cœlorum, ſive ex toto, ſive ex parte, ſive per rectum, ſive per latera, non ſalvatur dependentia corporum ſublunarium à primo movente corporeo, quod eſt cœlum. Vnde infertur, veriſsimum eſſe, quod prædictus Author veluti abſurdum deducit: nempe, deficiente influxu cœli, non modo per mediam horā, vt ipſe loquitur, ſed etiam per vnicum inſtans, inferiora hæc ſtatim naturaliter in nihilum abitura. Ideo enim deficiente influxu primæ cauſæ, vel vnico inſtanti, omnis creatura ſtatim in nihilum abiret, quia pendet ab influxu primi moventis ſimpliciter in eſſe, fieri, & conſervari. Atqui omnia ſublunaria corpora etiam pendent à primo movente corporeo in eſſe, fieri & conſervari. Ergo ſi deficeret influxus primi moventis corporei, quod eſt cœlum, vel vnico inſtanti, naturaliter in nihilum abirent ſublunaria corpora.

15 Dico, *naturaliter*; quia operante Deo præter naturæ leges, poſſent inferiora hæc perſiſtere in ſuo eſſe independēter ab influxu cœleſti; cum poſsit Deus ſe ſolo præſtare, quidquid præſtat medijs cauſis ſecundis, de quarum numero eſt cœlū. Naturaliter verò, & ſecundum Providentiam ordinatam, è contra accideret. Vnde obiter redditur ratio, cur corpora damnatorum poſt diem iudicij immobilia futura ſint, &, vt in ſacris litteris perhibetur, in quo loco ceciderit lignum, in eodem ſit perpetuò manſurum. Quippe cùm poſt diē iudicij ceſſatura ſit rotatio cœlorum, & motus ille, quo in orbem aguntur; ceſſabit quoque motus inferiorum corporum; & infelices animæ ſontum corporibus vnitæ immutabili loco, æternumque immoto carcere detinebuntur; vt neque illud levamē accipiant, quod alioqui capere poſſent ex viciſsitudine de loco in locum, & de tormento in tormentum. Quæ pœna, quam acerba ſit, & quàm incomprehenſibilis, non modò verbis, ſed nec cogitatione vlla hominis, Angelivè, ſatis expendi poteſt. Patet igitur, ſublunaria corpora ab influxu cœli pendere naturaliter, non ſolùm obliquo aut laterali, ſed recto; ac proinde nullam pati interiectionem vacui, quæ vt minimum impediret rectum cœli influxum.

16 *CONFIRMATVR II.* Experimentis ſuprà adductis *num.* 8. quibus perſpicuè edocemur, naturam toto conatu niti, ac ſuas vires exercere, vt inter omnia corpora ſit contiguitas; ac proinde nulla interpoſitio vacui. Inde eſt quòd in primo cucurbitulæ experimento caro ſurſum trahatur. Inde quòd aqua contra indolem propriam, &, quanquam obſiſtente gravitate ſibi cognata, per fiſtulam attrahatur, vt habes in ſecundo experimēto. Inde quòd in tertio clepſydra non emittat aquam inferiùs donec aërem ſuperiùs excipiat. Quæ omnia experimenta P. Quiros *diſp.* 66. *ſect.* 5 *num.* 25. aliorum refert, & ſolvere conatur. Ad primum enim reſpondet, carnem intra cucurbitam turgeſcere vi ſolius ignis: vt patet in ampullis ex carne erumpentibus poſt quamlibet ignis combuſtionem;

amo-

amoto procul omni periculo vacui. *SED Contrà.* Ad ſenſum enim patet, poſita combuſtione longè maiori in corpore humano, aut nihil, aut longè minus turgeſcere carnem, ſeu aſſurgere, quàm in vitrea cucurbitula. Ergo quod caro intra illam adeò turgeſcat & aſſurgat, non ex ardore illo modico & vicino procedit; ſed ex aëris compreſſione, & ſpatio loci derelicto, quod caro implere conatur. Ad ſecundum reſpondet, aquam aſcendere per fiſtulam virtute attractiva ſugentis. Vt enim primus aër hac ſolùm ratione movetur, cur non etiã aqua ſubſequens? Sicut enim datur in ſugente vis impellendi, ſic etiam dari poterit virtus attrahendi. *Sed Contrà.* Non enim negamus, ſed imò vero ſtatuimus in ſugente vim attractivam aquæ, ſicut nec aëris. Cùm enim, vt ſuprà demonſtratum eſt, corpora hæc inferiora ſibi invicem illigata ſint, vis attractiva vnius eſt ſufficiens ad alterum ipſi proximum attrahendum. At verò exinde convincitur, vel ipſam virtutem attractivam aquæ pro mutua corporũ coniunctione, & vacui impedimento pugnare; eandemque aquam contra privatam inclinationem aſcendere, ac ſinere vt attrahatur ad vacuum impediendum. Ad tertium reſpondet, foramina inferiora clepſydræ, obſtare groſsitudini aquæ vt exeat, ſi anguſta ſint; ſecus verò ſi latiùs pateant; ideoque nihil myſterij indidem deprehendi, quaſi aqua non erumpat inferiùs, ne vacuum ſuperius reſultet. *SED Contrà I.* Etiam ſi foramina clepſydræ anguſta ſint, quotidiano experimento patet, illa demittere aquam inferiùs, vbi ex ſuperiori parte patet aëri, vt ſubintret, vel breviſsima ianua. Et tamen tunc groſsitudo aquæ æqualis eſt, vt ſuperiùs. Ergo quòd clauſa ſuperiori parte non deſcendat aqua ex clepſydrà, non provenit ex groſsitudine aquæ; ſed ex defectu aëris implentis ſuperius clepſydræ ſpatium. *Contrà II.* Quod enim per foramina latiùs patentia emittatur aqua, etiam clauſa ſuperiori clepſydræ parte, vt Quiros inquit, aliunde provenit; nimirum, ex intromiſsione aëris per foramen inferius, vt ſuprà in vrceo & amphorà notatum eſt. Maior enim foraminis latitudo in cauſa eſt, vt aqua non omnino continua per foramen exeat, ſed poros admittat, per quos aër ingrediatur ad implendã ſuperiorem ſpatij partem; quanquam cum vtriuſque murmure & pugnã. Contra vero, ſi amphora non convertitur perfectè deorſum, ſed ad latus, & per dimidium, foramẽ emittat aquam. Tunc enim æqualis ianua patet aëri ad ingrediendum, atque aquæ ad egrediendum: ac proinde nullo interveniente vacui periculo, nulla inter vtrumque elementum oritur pugna. Patet igitur, tum ratione Ariſtotelis, tum & multiplici experimento, naturam totis viribus averſari vacuum: propterea que illud naturaliter, & de facto minimè exiſtere.

SECTIO SECVNDA.

Argumenta præcipua, tum Veterum, tum & Recentiorum, ſoluta. Vbi vtrùm Angelus poſsit inducere vacuum?

17 OPPONES I. Argumentum difficillimum, quod Veteres in tabulis perfectè planis, & ſibi invicem coniunctis, proponebant, cũ primum illæ diiunguntur; Recentiores autem in palmari marmore diviſo in duas partes vrgent; quaſi in eo plus myſterij, plus difficultatis appareat. Dividatur marmor palmare & ſolidum ictu ſecuris in duos ſemipalmos a ſummo ad infimũ. Certe tunc vterque ſemipalmus in eodem inſtanti realiter totus divellitur ab altero, & non vna pars priuſquam altera. Alioqui partes ipſæ marmoris inflecterentur: quod eſt contra rationem corporis ſolidi, quam ſupponimus. Modò ſic. Ergo dum dividitur vna medietas ab altera, ſaltem per breviſsimam morulam, reſultat naturaliter vacuum. Probatur conſequentia: Quia ſpatium quod reſultat in inſtãti ex vtraque medietate diviſa eſt palmare, ac proinde nequit momento temporis occupari totum ab aere, vel ab alio corpore ſuperveniente; quoniam neque aër, neque aliud corpus ſuperveniẽs, poteſt intrare ad occupandum illud ſpatiũ, niſi per motum localem. Impoſsibile autem eſt motum localem à principio ad finem palmi peragi vnico inſtanti. Ergo impoſsibile eſt, ſpatium palmare ex vtraque medietate reſultans occupari vnico inſtanti temporis totum ab aëre, vel ab alio corpore ſuperveniente. Ergo in ipſo ſpatio palmi vtriuſque medietatis exiſtit vacuum, id eſt, locus non impletus aliquo corpore, ſaltem ad breviſsimam morulam. Neque enim eiuſmodi vacuum videtur eſſe contra, ſed iuxta naturam, quæ exigit vt corpus ſolidum in duas partes eodem momento temporis dividatur.

18 *RESPONDENT I.* Aliqui ſtatim intra duas illas medietates gigni quoſdam fumos, implentes totum ſpatium, & pro-

prohibentes vacuum. *SED* hac ſolutione non ſatis occurritur argumento. Si enim fumi illi extrinſecus advenire dicantur, eadem difficultas eſt, ac de aëre ſubintrante, cum fumi non, niſi ſucceſsivo motu, ingredi poſsint; ac proinde debeant inſumere aliquod tempus, priuſquam ad medium ſpatij interiecti perveniant. Ergo vſquedum eo perveniant, in medio ſaltem interiecti ſpatij erit vacuum. Si autem non extrinſecus advenire dicantur fumi, ſed extrahi è potentia paſsiva marmoris; difficillimum apparet tot inde prodire fumos, quot ſufficiant ad totum ſpatium implendum. De ijs enim fumis ſolum conſtare poteſt experimento ſenſuum: qui tamen aut non percipiunt fumos, aut non ita multos, vt occupando palmari ſpatio pares videantur. Illi enim ſolum pares, ſive ſufficientes videntur, qui ſufficerent ad leviſsimam membranam inter vtramque medietatem marmoris. Palam verò eſt fumos ſenſui apparentes in ſciſsione illa non ſufficere ad leviſsimam membranam pro toto palmare ſpatium.

19 *SECVNDO* Alij reſpondent, ex poris vtriuſque medietatis exire corpuſcula, quæ ſtatim vacuum replent. *SED* Refelluntur eadem impugnatione præiacta, & vlterius, vt ſolutionem hanc tueantur, dicere debent, omnes partes continui ſolidi habere poros: quod falſum eſt. Nam ſi vel vnicam marmoris particulam admittant poris carentem, de illa fiet idem argumentum, quòd ſcindatur in inſtanti, ac proinde ſpatium interiectum, licèt exiguũ non poſsit repleri ſtatim ab aëre, vel alio corpore superveniente, quod ſolùm motu ſucceſsivo ingredi poteſt. Ergo vel vnica parte admiſſa, quæ poris careat, manifeſtè deducitur, vacuum reſultaturum inter duplicem exiguam marmoris partem. Porrò, negari non poſſe partem aliquam poris carere, manifeſtum eſt, quia ſupponimus marmor eſſe ſolidum. Imo ſufficeret eſſe continuum: nam corpus continuum nequit eſſe vndique poris plenum, ſed debet ſaltem aliqua ex parte continuari abſque poris, aut ſpatio intermedio.

20 *TERTIO* Reſpondet Spinula, argumento prælacto aut probari vacuum per breviſsimam morulam, quæ non vllum abſurdi affert; aut dicendum eſſe totum illud ſpatium interiectum ſtatim repleri ex vna parte ab aëre, ex alia à pulvere, quem experimur exeuntem ex omnibus partibus marmoris quando ſcinditur. Pulvis enim rarefactus poteſt occupare ſpatium, quod nondum eſt repletum ab aëre ſuperveniente. *SED Contrà.* Obſtat enim impugnatio primæ ſolutionis, & experientia ſenſuum, qui in ea ſciſsione non percipiunt ſæpe pulverem reſultantem, niſi modiciſsimum, & inſufficientem ad replendum ſpatium nondum occupatum ab aëre, quamvis rareſiat, & expandatur per planum. Quòd ſi perſiſtas & contendas adhuc ſufficientem pulverem egredi è marmore ad ſpatium implendum, quamvis exiguus ad ſenſum appareat, aut ferè nullus; ſatis patet ſolutionem eſſe divinatoriam, & ſolum ad fugiendam difficultatẽ argumenti. Si autem affirmes te vidiſſe pulverem exeuntem in quantitate ſufficiẽti ad replendum ſpatium, miror certè perſpicaciam viſus, quo tam facilè, tam apertè ſcrutatus es pulverem exeuntem, qui tamen aliorum oculis velut in tenebris iacet occultus.

21 *IDEO* Aliter occurrendum eſt argumento, negando totum marmor abſcindi ſimul. Quippe cùm diviſio illa ſit quantitatis primò ac per ſe, debet inſumere tempus diviſibile, ſecando vnam partẽ poſt aliam, & non ſimul omnes. Omnis enim motus terminatus per ſe ad quantitatem debet eſſe ſucceſsivus, vt communiter Philoſophi cum Ariſtotele docent. Sed diviſio illa marmoris eſt motus ſciſsionis per ſe terminatus ad quantitatem, vt de maiori fiat minor. Ergo ſciſsio illa marmoris eſt motus ſucceſsivus: proindeque non dividit marmor in inſtanti, ſed ſucceſsivè, & vnam partem poſt aliam. Quare locus eſt ſufficiens, vt ad ingreſſum ſecuris ſtatim, & ſine vlla mora, ingrediatur aër per latera eiuſdem ſecuris, & continuetur ſimul per totum ſpatium vtriuſque medietatis eadem celeritate, qua partes ipſæ invicem diſſecantur. Ideo licet nullus pulvis reſultet, nulluſque fumus, & totum marmor ſine poris ſit, adhuc nullus locus eſt vacuo; quoniam tantundem, & tam citò occupat ſciſſuram aër, ac ipſa ſciſsio inſumit ſpatij & temporis. Neque hoc eſt contra naturam corporis ſolidi: quod in ratione talis, non exuit, neque amittit rationem quanti, ac propterea nec diviſibilis ſucceſſivo modo: ſed ſolùm exigit, ſi perfectè ſolidum ſit, carere poris, eſſeque aptum ad ſonum edendum, & non inflecti ad vnam vel aliam partem, quin continuato motu in duas pluresvè dividatur. quæ omnia convenirent marmori in caſu argumenti.

22 *DICES*: Eſto agens naturale inferius,

rius, vt homo, nequeat abſcindere marmor, niſi ſucceſsivo modo; Angelus tamē poteſt illud in inſtanti per medium ſecare. id enim nullam repugnantiā involvit, nec videtur negandum virtuti potentiſsimæ, qualis eſt Angelica. Ergo ſaltem Angelus poterit inducere vacuum in marmor, ſi ſupponatur illud omnino ſolidum, & poris carens, vt nos admiſsimus. *RESP*. Prætermiſsis aliorum ſolutionibus, negando Angelum poſſe virtute naturali inducere vacuum, quidquid alij in oppoſitum velint. *Primò*: Quia D. Thomas *q*. 16. *de Malo art*. 10. *ad vltim*. loquens de virtute naturali dæmonum (quæ eadem ſemper & integra in ijs manſit, non minus quam in bonis Angelis, teſte Dionyſio) negat dæmones poſſe invertere ordinem naturæ, ſeu elementorum mundi, dicens: *Licèt dæmones poſsint movere aliquam partem terræ, non ſequitur quòd poſsint movere totam terram; quia hoc non eſt proportionatum naturæ ipſorum, vt mutent ordinem elementorū mundi*. Sed vacuum eſt contra ordinem naturæ, ſeu elementorum mundi, vt *ſect*. 1. *à num*. 11. demonſtratum eſt. Ergo dæmones, ac per conſequens Angeli, nequeunt virtute naturali inducere vacuum. Quod prætereà hac ſpeciali ratione probatur. Nequit enim Angelus vacuum inducere, niſi attrahendo vnum corpus à ſuo loco, & impediendo aliud ne in eundem locum ingrediatur. Sed hoc nequit facere Angelus. Ergo neque inducere vacuum. Probatur minor. Corpus tractum ab Angelo, naturaliter attrahit ſecum aliud corpus, & eò celeriùs, quo velociùs trahitur. Ergo quanto maiori vi & efficacia Angelus traxerit primum corpus, eò maiori corpus primum trahet ſecundū. Sunt enim omnes Vniverſi partes corporeæ tali amore vnionis, ſeu adhæreſcentia, illigatæ, vt nequeat vna ab Angelo trahi, niſi ab hac etiam, & æquali impetu trahatur, quæ vicina & contigua eſt. At ſubintrante vnā in locum alterius, ipſiſque immediatè adhærente, nequit reſultare vacuum. Ergo nequit Angelus ita attrahere corpus aliquod, vt reſultet vacuum. *CONFIRMATVR I*. ſolutio hæc. Non enim poteſt impedire Angelus ſecundum corpus ab eo, vt ſequatur primum. Si non poteſt impedire ſecundum corpus ab eo, vt ſequatur primum, neque etiam poterit inducere vacuum. Ergo non poteſt Angelus inducere vacuum. Probatur maior, in quā ſolā eſt diſsidium. Si enim poſſet impedire Angelus ſecundum corpus ab eo, vt ſequatur primum, ideo eſſet, quia conſervaret *vbi* corporis ſecundi, dando huic virtutem ad reſiſtendum, nè attrahatur a primo corpore. Hac vero virtute, non modo conſervabit proprium *vbi*, ſed etiam adhæreſcentiam cum corpore primo, non ſinendo vt in alium locum divellatur. Nulla enim ratio eſt vt virtus illa, quæ ſufficit ad conſervandam vbicationem, inſufficiens ſit ad conſervandam adhæreſcentiam, quam natura omnium corporum tantopere amat. Ergo Angelus nequit impedire ſecundum corpus ab eo, vt ſequatur primum. *CONFIRMATVR II*. Angelus enim volens detinere ſecundum corpus, etiam, & neceſſariò, detinebit primum. Aut enim maiorem vim imprimet in corpus primum, quam in ſecundum; & ſic ſecundum naturaliter trahetur à primo: vel minorem; & ſic corpus primum detinebitur à ſecundo: vel æqualem; & ſic neutrum corpus attrahet alterum, ſed vnumquodque eorum proprio cuiuſque loco immotum conſiſtet. At ſive primo corpore attrahente ſecundum, ſive ſecundo primū, ſive neutro alterum, nequit reſultare vacuum. Ergo Angelo movente vnum, aut alterum, aut vtrumque corpus, nequit reſultare vacuum.

23 *IAM* Verò inde apparet, Angelum non poſſe in inſtanti abſcindere totū marmor omnino ſolidum, & poris carens: quia licèt eius virtus potentiſsima ſit, finita eſt, & virtus finita nequit mutare naturas rerum. Natura autem quantitatis continuæ exigit, vt omnis motus per ſe terminatus ad illam ſit continuus, ſeu ſucceſsivus; non verò inſtantaneus. Ergo cum ſciſſio, ſeu diviſio partium, ſit motus per ſe tēdens ad quantitatem continuam, debet eſſe ſciſſio continua & ſucceſsiva; non autem inſtantanea: ac proinde Angelus non poterit ſcindere totum marmor, imò neque partem marmoris, in inſtanti; quia eadem ratio eſt de qualibet parte continuā, ac de toto. Vnde & obiter infertur, adhuc in velociſsimo motu primi mobilis, cœlum motum ab Intelligentia non adquirere partem aliquam ſpatij in quolibet inſtanti, ſed ſolùm vnum ſpatij indiviſibile: quia cuilibet mutato eſſe motus ſolùm reſpondet vnum indiviſibile temporis. Deus autem, cuius virtus infinita eſt, eximitur naturæ legibus, & poteſt contra naturalē quātitatis exigentiam dividere illam vnico inſtanti.

24 *OPPONES II*. Recentiorum experimentum, cuius mentio facta eſt ſupra *diſp*. 3. *à num*. 7. & eſt huiuſmodi. Siquis tubum vitreum ſex palmorum ſuperiori parte clau-

clauſum impleat mercurio, ſeu argento vivo, ita vt nihil amplius capere poſsit; & poſtea foramen inferius ita digito claudat, vt nihil valeat exhalare; poſtea autē amoto digito immergat tubum mercurio alteri in vaſe exiſtenti; ſtatim poſt immerſionem apparebit mercurius ille, qui totum tubum ſex palmorum occupabat, poſtea ſolùm occupare tres palmos tubi inferiores, tribus alijs ſuperioribus ſine vllo corpore occupante relictis. Non enim ingreſſus eſt aër, neque aliud corpus a ſuperiori parte tubi, neque à medijs, quas omnino ſolidas ſupponimus; nec prætereà ex inferiori parte, quæ tota occupabatur à mercurio, non ſinente locum aëri, aut alteri corpori ad ingreſſum, vt etiam ſupponitur. Reſtat igitur vt in tribus ſuperioribus palmis ſit ſpatium inane, quod appellamus vacuum.

25 *RESP.* Conſequenter ad ea, quæ diximus indicato loco, ſpatium illud tripalmare relictum a mercurio in ſuperiori parte tubi, occupari ab aëre, varijſque corpuſculis, ſubintrantibus per tubi poros. non enim mercurius ita purus infunditur, vt ſimul cum eo non infundatur aliqua copia aëris, corpuſculorumque, quanquam inviſibilium præ ſua tenuitate. Vnde putandū eſt, deſcendente mercurio, pariter, & in eâdem proportione, aſcendere aërem, corpuſculaque, ad implendum ſpatium à mercurio derelictum. Vnde numquam in tribus palmis ſuperioribus tubi exiſtit verum vacuum, ſed apparens tantum; quemadmodum ſolùm ſpecie tenus vacuum eſt, quod à leviſsimo inviſibilique aëre impletur, quamquam oculis appareat inane.

26 *POTEST* Secundò reſponderi, in mercurio, alijſque mineralibus, adeſſe quaſdam partes craſsiores, quaſdam vero ſubtiliores, ſeu ſpirituoſiores, vt Chymici aiunt; quia licet ſint corporeæ abſolutè, ſunt tamen delicatiores ac tenuiores, proindeque leviores. Vnde fit, vt quoties mercurius tubo infunditur, in illa communi quaſi maſsa adunetur vtrumque partium genus, omneſque adeò inter ſe confundantur, vt totus tubus mercurio puro appareat plenus, quamquam alioqui mixto, & non defæcato. Poſtea verò deſcendente mercurio ad tres palmos tubi inferiores, fit duplex motus; alter ſurſum, alter deorſum. Partes ſubtiliores mercurij moventur ſurſum, & occupant, licèt inviſibiliter, tres ſuperiores tubi palmos. Partes verò craſſiores moventur deorſum, occupantque tres palmos tubi inferiores. Cuius rei exēplum eſt in amphora, cui infunditur oleum aquà mixtum: at verò parvo temporis interſtitio aſſurgit oleum, quia levius, & tota aqua deſcendit, quia gravior. Ita in præſenti dicendum proportionali modo. Si autem cum alijs velimus dicere vitrum eſſe poroſum, quantumvis ſolidum appareat, habereque ſubtiliſsimos meatus, quibus aëri locum præſtet, vt ipſi varijs experimētis conantur oſtendere; ceſſat tota argumenti difficultas, &, ne apparenter quidem, ſuadetur in tribus palmis ſuperioribus tubi fore naturaliter vacuum: quoniam totum id ſpatium implebitur aëre per vitri poros ingrediente. Verùm opus non eſt negare vitrum perfectè ſolidum eſſe poſſe: & facta diſtinctione inter partes ſubtiles mercurij, ac craſſas, nullus vacuo locus relinquitur.

27 *INSTABIS:* Si non eſſet vacuum in partibus tubi ſuperioribus, ſed ſolùm partes ſubtiliores in triplici palmo ſuperiùs, & craſsiores in triplici alio inferiùs; ſequeretur, dato tubo decem palmorum, æquali proportione partes ſubtiles occupaturas quinque ſuperiores palmos, craſſas verò alios quinque inferiores. Eadem enim vtriuſque proportio ac ratio eſt. Atqui experimento conſtat, quamvis tubus vitreus decem palmorum mercurio impleatur, ſolùm deſcendere tres palmos illius ad partem tubi inferiorem, alijs ſeptem ſine mercurio, aliove corpore, apparentibus. Ergo manifeſtè convincitur, in tubo ſex palmorum non occupari tres palmos ſuperiores à partibus mercurij ſubtilioribus, & tres inferiores à craſsioribus; ſed ſuperiùs eſſe ſpatium inane, & omnino vacuum. Vrgebiſque adhuc. Dato enim tubo vitreo triginta palmorum, in cuius parte inferiori ſolū tres palmi apparent pleni, nequeunt tot partes ſubtiles aſcendere, quot ſufficiant ad implendum viginti ſeptem ſuperiores ſpatij palmos, ſed ſolùm alios tres. Ergo ſaltem ſpatium viginti quatuor palmorum ſuperiùs remanebit omnino vacuum.

28 *RESP.* Inſtantiam, quamvis difficillimam, & propemodum inſuperabilē, etiam debere ſolvi ab Adverſarijs admittentibus vacuum. Si enim deſcendente mercurio è tubo vitreo ſex palmorum longitudinis reſultat ſuperiùs vacuum tripalmare, & inferiùs apparet aliud tripalmare ſpatium mercurio plenum; cur etiam impleto tubo decempalmari non apparebit ſpatium ſuperius quinque palmorum vacuum, inferius verò aliorum quinque plenum?

num? Cur ſimiliter, & pari proportione, in tubo triginta palmorum non manebunt quindecim ſuperiores vacui, & quindecim inferiores pleni. Omnes ergo debemus aſſignare cauſam diſparitatis, & reddere rationem eius improportionis, ſive negetur, ſive aſſeratur vacuum. Deinde dico, iuxta primam ſolutionem aſsignatam *num.* 25. quò tubus eſt maior, eò plus aëris corpuſculorumque inviſibilium ſubintrare, aut eſſe intra illum, ac proinde replere quidquid apparet vacuum, quamvis reipſa vacuum non ſit. Iuxta ſecundam vero ſolutionem datam *num.* 26. dicendum, quò tubus longior & maioris cavitatis eſt, eo plus mercurij capere, ac proinde plures partes ſpirituoſas, quæ aſſurgant, & occupent maius ſpatium. Sed quia inſtat difficultas de proportione inter partes ſubtiles, quæ aſcendunt, & craſſas, quæ deſcendunt, addendum eſt, è mercurio ſuppoſito in vaſe aſcendere ſtatim plurimas partes ſubtiles in ea menſura, quæ ſufficiat ad vitandum vacuum intra tubum. Neque enim mirandũ eſt ſi partim ratione levitatis, partim occaſione periculi impendentis, exurgant ad vitandum illud commune malum. Addendum præterea contra præcipuam obiectionem, experimento conſtare partem illam ſpatij, ſive tripalmarem, ſive longiorem, relictam a tubo deſcendente, vacuam non eſſe, ſed plenam corpore aliquo, quanquam ſubtili. Deprehenſum namque legimus, calefacta ſuperiore tubi parte, quæ apparebat vacua, mercurium poſitum in tribus palmis inferioribus deſcendere ulteriùs. Id verò ſolùm exinde provenire poteſt, quod partes illæ ſubtiles, quæ ſpatium tubi ſuperius occupabant, virtute caloris ambientis rareſiunt, maioremque occupant locum, & ſubinde cogunt mercuriũ ſuppoſitum ut deſcendat, locumque præſtet extenſioni partium leviorum. Ergo quia ſpatium tubi ſuperius vacuum antea non erat, ſed plenum corpore, quanquam inviſibili & ſubtiliore.

29 *CVR* Vero mercurius dato quolibet tubo, & quantumvis longo, ita ſemper deſcendat, ut ſolùm tres palmi mercurij inferiùs appareant, cæteris quibuslibet vacuis apparentibus; quamvis antea inſcrutabile arcanum videretur, iam nuper reſeratum volunt obſervationibus & induſtria Ioannis Baptiſtæ Baliani, nobilis Genuenſis, tum libello *de Motu gravium & levium ſolidorum*, tum & altero *de Peſtilentia*. Qui ſtatuit, tres palmos mercurij tantundem ponderis habere, ac totam altitudinem aëris: idque ex proportione tum aëris, tum & mercurij ad aquam, colligere tentat. Hinc ait, mercurium ſuppoſitum tubo, in quo ſint tres palmi mercurij, non poſſe augeri, nec excedere, aut aſſurgere circa ſuperius ſpatium occupatum ab aëre, quia tantum premitur ab aëre, quantùm impellitur à mercurio in tubo exiſtente. Vnde hic non poteſt ampliùs deſcendere, ſicut antea quando occupabat pluſquam tres palmos; quia tunc maius erat pondus mercurij intra tubum exiſtentis, quam aëris; modò autem poſitis tribus mercurij palmis in parte inferiori, fit proportio cum pondere aëris exiſtentis in parte ſuperiori. Hæc prædictus Author, cuius doctrinam probat laudatque Spinula *diſput.* 11. *ſect.* 1. *num.* 11.

30 *SED Contrà*. Niſi enim fallor, aperta eſt contradictio in doctrina ipſa ſolutionis traditæ. Pone enim tubum ſex palmorum eſſe, & tres inferiores eſſe plenos mercurio, tres verò ſuperiores aëre plenos. Aſſeris æquale eſſe pondus mercurij & aëris, ideoque tantundem unum impelli ab alio, quantum alterum ab altero premitur. Ergo ſi tubus ſit octo, decem, aut viginti palmorum, & tres tantum inferiores mercurio pleni appareant, cæteri autem plures aëre pleni, ut inargumento ſupponitur, pondus aëris ſuperiùs exiſtentis erit longè maius, quàm mercurij ſuppoſiti: cuius contrarium in ſolutione aſſeritur. Patet conſequentia: Quia irrationabile omnino eſt quod tres palmi aëris ſint tanti ponderis, quanti tres palmi mercurij ſuppoſiti; & tamen quinque, ſeptem, aut longè plures palmi aëris non ſint ponderis maioris, quàm iidem tres palmi mercurij. Mitto pleraque alia, quæ cuique obviam ſunt ad eam doctrinam refellendam: & dum eius mirabilis arcani rationem opportunam non invenio, ad traditas ſolutiones recurro, & cauſam eiuſdem myſterij ab adverſarijs rogo; quoniam ſive conceſſo, ſive negato vacuo, iidem pariter ſolutionem aſsignare tenentur, ut *num.* 28. monui.

31 *VRGEBIS* Adhuc: Eſto, iuxta primam ſolutionem ingrediatur aer, & aſcendat per mercurium ad partes ſuperiores tubi, totus ille conatus aëris, corporeus & finitus eſt. Ergo cohiberi, ac vinci poterit ab aliquà virtute potentiori, quamquã finita. Sed vis loco-motiva Angeli, cui iuxta D. Thomam corpora obediunt in ordine ad motum localem, eſt potentior, quàmquam finita ſit. Ergo conatus ille aëris aſcendentis ad implendum ſpatium relictũ à mer-

mercurio, cohiberi ac vinci poterit à virtute loco-motiva Angeli. Si ſemel Angelus cohibere & vincere poteſt conatum illum, etiam poterit inducere vacuum, vt ex ſe patet. Ergo poteſt virtute Angeli, atq; adeò naturaliter exiſtere vacuum.

32 *RESP.* Negando conſequentiam: Quia licèt conatus ille aëris corporeus & finitus ſit, pertinet ad commune bonũ naturæ, vt ſuperioribus oſtenſum eſt: ac proinde nec cohiberi, nec vinci poteſt ab Angelo: cui licèt corpora obediant in ordine ad motũ, non tamen in ordine ad id, quod eſt contra commune bonũ exigentiáve naturæ. Cuius rei manifeſta inſtantia eſt in exigentia proprietatũ naturæ corporeæ, quã, licèt finitam, Angelus cohibere non poteſt aut vincere, impediendo ab ea reſultatiam paſsionum & proprietatum. Sic etiam exigentia ſubiecti, quam importat accidẽs, finita eſt. Et tamen Angelus non poteſt conſervare accidens ſine ſubiecto. Alioqui poſſet Angelus naturaliter exhibere miracula, quod eſt falſum; & è contra exiſtentia quãtitatis Euchariſticæ ſine ſubiecto, non eſſet opus miraculoſum, quod abſurdiſsimũ eſt. Palam igitur eſt, Angelum naturali virtute non poſſe inducere vacuum; quod non minus cõmuni naturæ bono repugnat, ſed potiùs magis, quàm exiſtentia naturæ abſque proprietatibus, & accidentis ſine ſubiecto.

SECTIO TERTIA.

Alia quædam dubia circa vacuum breviter expediuntur.

33 ROGABIS I. An ſuppoſito in rerum natura vacuo, corpus moveretur per illud? *RESP.* Affirmativè cum D. Th. *in præſenti lect. 12. & in 4. diſt. 44. quæſt. 1.* Id ipſum tuetur Scotus *in 2. diſt. 2. q. 9.* & frequenter Philoſophi hoc libro. Ratio deſumitur ex retorſione præcipui argumenti, quo oppoſitum ab aliquibus probatur, videlicet, quia exiſtente vacuo non poſſet coelum præſtare motui eius corporis influxum, à quo neceſſariò pendet, vt ſit. At hæc ratio debilis, ac nulla eſt: Quia poſſet Deus quàm optimè ſupplere defectum influxus coeleſtis, cùm in hoc nulla appareat repugnantia. Cumque quodlibet corpus natura ſua ſit mobile, accedente concurſu divino, abſque vlla ope coeleſtium corporum moveretur per vacuum.

34 *OPPONVNT* Albertus Magnus *hoc lib. tract. 2. cap. 6.* & alij Veteres Philoſophi, repugnare motum, vbi repugnat terminus eiuſdem motus. At vbicatio, quæ eſt terminus motus localis, repugnat in vacuo. Ergo & motus in vacuo, ſive per vacuũ repugnat. Probatur minor. Vbicatio enim reſultat in corpore locato ex adiacẽtia ad locum. At corpus in vacuo poſitum, nulli adiacet loco. Ergo vbicatio repugnat in vacuo. *Confirm.* Omnis motus in rerum natura exiſtens, debet eſſe in aliqua ſpecie. Repugnat autem motum per vacuum exiſtere in aliqua ſpecie: quia in vacuo nõ poſſunt eſſe differentiæ illæ *ſurſum ac deorſum, antè & retrò, longè* & *propè, dextrorſum* & *ſiniſtrorſum*, à quibus deſumuntur ſpecies motus localis. Ergo repugnat motum per vacuum in rerum natura exiſtere.

35 *RESP.* Negando minorem. Ad probationem dico vbicationem non ſolum reſultare ex adiacentia ad locum particularem, ſed etiam ad communem, v. g. ad coelum; ſicut proportionaliter *quando* reſultat ex correſpondentia ad motum & tempus primi mobilis. Itaque corpus motum per vacuum adquireret vbicationem per ordinem ad loca communia, quamquam cum ijs nullam contiguitatem haberet: & quo magis aut minus ab ijs diſtaret, eò remotiorem, aut proximiorem ijs vbicationem adquireret. Vnde quæ magis approximaret coelo, diceretur *ſurſum*; quæ verò terræ, *deorſum*; & ſic de alijs differentijs loci, in ordine ad locum communem, & partes ipſius. Ex quibus patet ad Confirmationem, cuius minor falſa eſt cum ſuâ probatione.

36 *ROGABIS II.* An motus per vacuum fieret in inſtanti, an potiùs in tẽpore & ſucceſsivè? *RESP.* Faciendum in tempore, non vero in inſtanti. Eſt etiam doctrina ſatis cõmunis, & ſuadetur: Quia motus corporis cuiuslibet quanti natura ſua exigit, vt quantitativus & proinde diviſibilis ac ſucceſsivus ſit, quoties nulla vrgens ratio eſt in oppoſitum. At in motu corporis facto per vacuum nulla eiuſmodi ratio eſſet. Quæ enim ab aliquibus aſsignatur ex eo quod medium, ſcilicet, vacuum, nullam habeat reſiſtentiam, ac proinde expeditam relinquat corpori viã, vt momento illam perficiat; talis, inquam ratio, nullius ponderis eſt: Tum quia licèt coelum nullam reſiſtentiã patiatur, adhuc movetur ſucceſsivè, & in tumẽdo tempus: Tum etiã quia ſucceſsio motus ſufficientẽ ſui cauſam habet in natura corporis quanti, quod movetur; in limitatione virtutis motivæ ipſius, & in diſtãtia locorũ, quę mo-

momento percurri non poteſt. Ergo motus corporis per vacuum non eſſet momentaneus, ſed ſucceſsivus, & tempus inſumens.

37 *OBIICIVNT* Aliqui, ideo Solem in inſtanti illuminare quælibet loca diſtantia, quia nullam invenit reſiſtentiam ex parte medij. Cùm ergo motus factus per vacuum non inveniat medium aliquod ſibi reſiſtens, etiam fiet in inſtanti. *RESP.* Solem non ideo præcisè illuminare in inſtanti loca diſsita, quia nullam invenit reſiſtentiā medij; ſed vlteriùs quia illuminat media qualitate lucis, cui nihil eſt contrarium, ſeu poſitivè oppoſitum. Motui autem locali corporum, vt in inſtanti fiat, plura ſunt contraria, ſeu poſitivè oppoſita: & inter hæc non modò computatur reſiſtentia medij, ſed etiam natura ipſa corporis mobilis, vis finita ipſius, & diſtantia ſeu latitudo ſpatij; quæ ex ſe petit motum conſtantem latitudine aliqua: proindeque & ſucceſsione.

DISP. VIGESIMA OCTAVA

DE SPATIO IMAGINARIO.

An Deus ſit actu in eo, & extra Mundum?

Num. 1. R*ECENTIORES Philoſophi, ac politiores, ſolent agere hoc libro quarto de loco, ſive ſpatio imaginario (ſcilicet, de capacitate illa locali, quam apprehendimus eſſe quaſi extenſam extra totius Mundi ambitum abſque termino vllo) inquirentes quid ſit, & an Deus actu in ea exiſtat; an verò poteſtativè ſolùm, quatenus ſcilicet, poteſt aliquid in eo ſpatio creare, ſubindeque in eo eſſe. Habere poteſt opportunè locum diſputatio præſens, ac meritò excitari in quinque priora capita huius libri, in quibus Ariſt. agit de loco; inquirendo*, An ſpatium, quod imaginamur extra Mundum, ſit locus, in quo Deus actu exiſtat? *Maximè verò* cap. 1. textu 1. *quatenus inquit Philoſophus:* τά τε ὄντα πάντες ὑπολαμβάνουσιν εἶναί που: Omnes ea quæ ſunt, alicubi eſſe exiſtimant. *Atqui Deus erat, antequam Mundus eſſet. Ergo alicubi erat: ac proinde in ſpatio imaginario, præter quod nihil aliud aſsignari poteſt, in quo eſſet. Aliunde verò* cap. 5. text. *ait:* τὸ δὲ πᾶν, οὔ που. Vniverſum autem, non eſt alicubi. *Idemque tradit de cœlo omnium ſupremo, ſive vltima ſphæra, aſſerens non eſſe alicubi. Ergo neque in ſpatio imaginario, à quo apprehendimus vndequaque circumdari. Ergo multò magis Deus, quamvis ab æterno exiſtat, potuit poteſtque non eſſe alicubi, ac proinde nec in ſpatio imaginario. Ecce rationes dubitandi in vtramque diſputationis partem ex ipſo Philoſopho. Qui etiam* cap. 6. textu 52. *& præterea* cap. 7. textu 58. *nonnulla huc ſpectantia tangit, vt conſtabit attentiùs legenti.*

SECTIO PRIMA.

Præmittitur ratio propria ſpatij imaginarij ad reſolutionem controverſiæ, & Recentiorum quorundam placita reijciuntur.

2 RESOLVTIO Controverſiæ præcipuæ pendet potiſsimū ab examine rationis formalis, in quà conſiſtit ſpatium imaginarium. Qui enim exiſtimant putum figmentum, ſive chimæram eſſe omne id, quod extra Mūdum apprehendimus per modum ſpatij, conſequenter docent, Deum actu non eſſe in ſpatio imaginario, ſive extra Mundum. Qui ens reale ac poſitivum eſſe docent, nihil mirum ſi aſſerant illud à Deo actu occupari ac penetrari, cùm Deus intimè illabatur omni enti reali & poſitivo. Denique, qui ſpatium imaginarium eſſe volunt poſsibilitatem, ſubindeque capacitatem quandam realem, non quidem realitate in actu, ſed in potentia ſolùm, ac excipienda in ſe quælibet locabilia extra Mundum hunc; poterunt abſque inconſequentiæ nævo vtrovis modo opinari, aut negando, aut affirmādo, Deū eſſe actu in ſpatijs imaginarijs.

3 P. Albertinus *tom. 2. diſp. vnic. de Prædic. Vbi*, videtur nimiùm propendere in

in opinionem aſſerentem eiuſmodi ſpatiũ in rerum natura exiſtere & argumenta in oppoſitum enervare conatur: At longè animoſior Petrus Gaſſendus *tom. 1. Philoſophiæ Epicureæ à pag. 605.* latiſsimè tuetur, ſpatiũ illud eſſe rem quandam æternam, immobilem, incorpoream, quæ nec ſit ſubſtantia nec accidens. Vt enim referunt Eximius Suarez *diſp. 51. Metaph. ſect. 1.* & Conimbricenſes *in præſenti cap. 5. art. 2.* id ipſum docuerunt de loco Epicurei, quorum exiſtimationes, ſeu phantaſias, iam diu altè ſepultas tot ſæculorum oblivione, Gaſſendus exumulandas ſuſcepit.

4 *SED Contrà* Albertinum arguo. Spatium imaginarium extra Mundum non aliter modo eſt, quam antè primam rerum omnium creationẽ, & ab æterno; cùm nihil in eo factum, additum, mutatumve ſit. Atqui ante primam rerum omnium creationem, & ab æterno, nihil præter Deum in rerum natura extitit, vt fides docet. Ergo ſpatium imaginarium modo non exiſtit in rerum natura. Idemque a fortiori dicendum de eodem ſpatio ante Mundi creationem. Quæ ratio manifeſtiùs adhuc exturbat opinionem Gaſſendi, ponentis ſpatium illud ab æterno exiſtens. Verum & hæc præterea reijcitur. Nihil enim exiſtit in rerum natura; quod factum non ſit à Deo, iuxta illud Ioannis 1. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* At omne quod factũ eſt à *Deo*, non ab æterno, ſed in tempore, ſeu ab initio temporis factũ eſt, vt expreſsè definitur in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. Ergo ſi ſpatium imaginarium exiſtit in rerum natura; factum eſt a *Deo*, & non ab æterno, ſed in tempore, ſeu ab initio tẽporis. Quomodo ergo aſſerit Catholicus aliquis, ſpatium illud exiſtere in rerũ natura ab æterno?

5 *OCCVRRES* ex doctrina eiuſdem Gaſſendi *vbi ſuprà pag. 616.* negando ſpatium illud fuiſſe factum a *Deo*, quia non eſt de genere rerum producibilium, ſed earum quæ ex ſe realitatem æternam & immobilem habent. In quod ſuadendum affert communem modum loquendi Philoſophorum; dum aiunt eſſentias rerum eſſe improductas, æternas, & immobiliter conſiſtentes. Quid ergo mirum ſi ſpatium illud eodem modo ſe habeat?

6 *SED Contrà I.* Redit enim ineluctabile argumentum ex verbis Ioannis. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ergo ſi ſpatium illud non eſt nihil, ſed aliquid, factum eſt a *Deo*. Quæ illatio adeo vrgens viſa eſt D. Th. in alia ſimili materia, vt abſolutè protulerit 2. ad Anibaldum diſt. 37. art. 1. *Hæreticum eſt dicere aliquod ens reale, in quantum tale, non eſſe à Deo.* Expende, Lector, quid diceret idem S. Doctor in re præſenti. Neque vlla evaſionis ſpecies eſt aſſerere ſpatium illud non eſſe de genere producibilium, ſeu factibiliũ. Etenim omne quod productum, ſive factum eſt, etiam producibile & factibile eſſe dignoſcitur: quia ab actu ad potentiam evidens eſt illatio. At ſi ſpatium illud exiſtit in rerum natura, à Deo productum ſive factum eſt, vt ex Evangelio evicimus. Ergo ſi ſpatiũ illud exiſtit in rerũ natura, eſt producibile & factibile. *CONTRA II.* Omne quod exiſtit in rerum natura poſitivè, aut eſt Deus, aut creatura: quia ens reale adæquatè dividitur prima ſui diviſione in ens a ſe, & ab alio. Ergo cùm ſpatiũ illud aſſeratur exiſtere poſitivè in rerum natura, & nõ ſit Deus, planè conſtat creaturam eſſe. Atqui manifeſtum eſt omnem creaturam dependere à Deo quo ad ſui productionem, & quidem à Deo liberè atque immediatè operante: de quo plurima dedimus *diſp. 16. ſect. 2. & 3.* Ergo ſi ſpatiũ illud in rerum natura exiſtit, dependentiam habet, habuitvè a Deo quò ad ſui productionem: ac proinde eſt de genere producibiliũ. *CONTRA III.* Omne quod exiſtit poſitivè in rerum naturà, conſervatur liberè à Deo, iuxta illud Sapiẽtiæ 11. v. 26. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* Atqui conſervatio eſt continuata productio, ſupponitq; neceſſario primam productionem. Ergo ſi ſpatium illud poſitivè exiſtit in rerum natura, conſervatur & primò productum eſt à Deo. Alioqui nec poſſet ipſum deſtruere, aut annihilare: quod planè eſt contrà abſolutiſsimum & perfectiſsimum Dei dominium. Cùm enim Deus nihil deſtruat, vel annihilare poſsit, niſi per ſuſpenſionem concurſus, quo illud conſervat; ſi nullum concurſum conſervativum exibet circa ſpatiũ prædictum, non poterit illud deſtruere, aut annihilare. Omitto plura alia contra doctrinam Gaſſendi, quæ multipliciter peccat in Philoſophia ac Theologia. Videtur enim præiactis impugnationibus efficaciſsimè deturbata, & apertè contraria S. Scripturæ teſtimonijs.

7 *NEQVE* Gaſſendus vllius momenti ſubſidium invenit in eo modo loquendi Philoſophorum. Nullus enim illorum ait eſſentias rerum poſitive & realiter exi-

exiſtere ab æterno, aut independenter à Deo (vtrumque enim expreſſe adverſatur doctrinæ revelatæ) ſed tantum importare connexionē æternæ veritatis ſuorū prædicatorum eſſentialiū, ita vt ab æterno verè dici potuerit v.g. hominē neceſſario & invariabiliter debere eſſe animal rationale, quin aliter à Deo ſtatuit poſsit. Hoc tamen non eſt adſcribere eſſentijs creaturarum realitatem aliquam poſitivam & actualem, nec actualitate eſſentiæ, nec exiſtentiæ: ſed conexionē ſolam prædicatorum eſſentialiū, quæ ſecundùm ſe præciſe conſiderata, ſicut abſtrahit à ſtatibus poſsibilitatis & exiſtentiæ, ſic etiam ab entitate poſitiva, & carētia actuali ipſius. Quare eſſentiæ rerum in ſtatu poſsibilitatis non ſunt aliquid actu; ſed in potentia logica, ſeu non repugnantia vt aliquando ſint; & ſub eo ſtatu fuerunt ab æterno. Quod verò aliqui Authores aiunt, eſſentias rerum ſecundum ſe eſſe poſitive entia realia actualia, actualitate eſſentiæ ſolius, & non exiſtentiæ, ac proinde ab æterno id habuiſſe; id, inquam, velut abſurdiſsimum reijcietur in Metaphyſica ex profeſſo.

8 *ALII* Exiſtimant ſpatium imaginarium non eſſe aliquid poſitivum, aut actu exiſtens. Ita Suarez & Conimbr. *num.* 3. allegati, Hurtado *diſp.* 14. *Phyſicæ ſect.* 2. Arriaga ſimiliter *diſp.* 14. *ſect.* 3. Franciſcus Alphonſus *diſp.* 22. *ſect.* 2. Lynce *lib.* 7. *Phyſic. tract.* 1. c. 2. Compton *diſp.* 33. *initio*, Spinula *diſp.* 10. *ſect.* 1. Oviedo *contr.* 15. *punct.* 2. Cardinalis de Lugo *tom. de Sacram. diſp.* 5. *de Euchar. ſect.* 6. Izquierdo *tom.* 1. *Theolog. tract.* 3. *diſp.* 5. *q.* 2. alijque communiter. Verùm aliqui illorum non modò negant ſpatio imaginario entitatē poſitivam actu, ſed etiam in potentia; ita vt ſit purum figmentum apprehenſionis, & veluti chimæra, cui repugnat omnis vera entitas & exiſtentia. Alij verò è contrà docent ſpatium imaginarium ita eſſe actu nihil, vt tamen in potentia ſit aliquid; ſcilicet, vera loci poſsibilitas ad exiſtendum & ambiendum corpora, & quælibet ab eo locabilia. Itaque quemadmodum creaturæ poſsibiles, licet in eo ſtatu ſint actu nihil, adhùc ſunt aliquid reale in potentia, quatenus habent capacitatem veram, id eſt, contrapoſitam fictitiæ & chimæricæ, ad exiſtendum realiter; ſic etiam ſpatium, quod imaginarium appellamus, eſt ſpatium verè poſsibile, quod pro eo ſtatu nullam entitatem poſitivam actu habet; cæterùm habet capacitatem veram, id eſt, contrapoſitam fictitiæ & purè chimæricæ, vt aliquando, ſeu in alio ſtatu exiſtat realiter.

9 *HIC* Poſterior dicendi modus mihi probabilior apparet: Quia omnes fateri debemus, locum ipſum qui aliquando eſt ſub ſtatu exiſtentiæ, fuiſſe priùs ſub ſtatu poſsibilitatis: nulla enim res exiſtit, quæ antea non habuerit capacitatem, ſeu non repugnantiam ad exiſtendum. Ergo omnis locus de facto exiſtens in Mundo, verè & realiter erat poſsibilis, antequam Mundus conderetur. Eadem autem ratio eſt de innumeris alijs locis maioribus & maioribus extra hunc Mundum, quæ æquè facilè potuiſſent à Deo poni in ſtatu exiſtentiæ, ſicut & creari potuit multiplex Mundus hoc noſtro maior. Ergo poſsibilia ſunt verè & realiter alia atque alia loca maiora & maiora extra hunc Mundum. Hæc igitur loca ſunt eadem ipſa, quæ *imaginaria* vocamus; non quaſi in imaginatione tantùm ſint, aut ſolùm habeant eſſe obiectivè in apprehenſione, qualiter entia rationis; ſed quoniam ea imaginamur media ſpecie, ſive imagine repræſentante ſpatia illa inſtar cuiuſdam extenſionis actu exiſtentis, diffuſæque circumquaque extra Mundum; quæ extenſionis actualitas non datur in rerum natura, licèt abſolutè dari poſsit.

10 *ITAQVE* Spatium imaginarium duo importat: alterum ex ſe, ſive ex propria ratione, quod eſt vera non repugnantia, ſeu capacitas ad exiſtendum, inſtar quarumlibet aliarum creaturarum poſsibilium: alterum vero ex parte apprehenſionis noſtræ, quod eſt actualis extenſio, ac latitudo permeabilis à corporibus, eidem ſpatio prorſus extrinſeca; vtpote à nobis conficta, licèt cum fundamento in re, ſive in poſsibilitate vera eiuſdem ſpatij ad exiſtendum. Similiter & dicendum eſt de tēpore imaginario, non eſſe aliquid purè fictum; ſed ipſum tempus poſsibile, aptumque realiter aliquando exiſtere; licèt à nobis apprehendatur vt fluxus quidā actualis partium motus penes prius & poſterius. Quare diſtinctio illa temporis, ab aliquibus tradi ſolita, in præſens, præteritum, futurū poſsibile, & imaginarium, ſi conſideretur ex parte huius vltimi membri, importat quid omnino extrinſecum tempori, & à ſola apprehenſione noſtra proveniens. Qua ratione, etiam quælibet aliæ creaturæ realiter poſsibiles, ſi apprehendantur veluti actu exiſtentes hic & nunc, dici poterunt res imaginariæ. quoniam hic & nunc

nul-

nullam exiſtentiæ actualitatem realem habent, ſed ſolùm ab apprehenſione, licèt cū fundamento, confictam. Cœterùm id communi loquendi ſtilo receptum non eſt, ſicut in ſpatio ac tempore imaginarijs; quoniam ſpeciatim in his duobus non modo apprehendimus extenſionem continuam actualem; alteram permanentem, alteram ſucceſsivam; ſed vtramque prætereà infinitam, ſive actu carentem termino: quod ſanè fictitium & chimæricum eſt; maximè iuxta noſtram ac veriorem ſententiam, iuxta quā repugnat omnino quantitas actu infinita, ſive permanens, *vt ſupr.3 diſp.21. per totam* oſtenſum, ac fortè demonſtratū eſt; ſive ſucceſsiva, *vt infrà lib.* 8. oſtendetur. Hæc igitur cauſa idonea videtur aſsignari poſſe, cur præ alijs creaturis poſsibilibus, ſpatium & tempus poſsibile appellari ſoleat *imaginarium*.

11 *QVICVMQVE* Autem veram realitatem poſitivam & actualem ſpatio imaginario tribuunt, præter incommoda ſuperiùs indicata, tenentur dicere illud eſſe infinitum in actu ſecundùm extenſionem: quia ſi ante creationem huius Mūdi condidiſſet Deus aliquod corpus implēs actu totum ſpatium imaginarium, illud certè eſſet actu infinitum, quia ex omni parte careret termino, & abſque limite vllo in longum, latum, & profundum extenderetur. Hæc autem ratio æquè probat in ipſo ſpatio deſtituto omni corpore ante Mundi creationem, ſi erat quid actu & poſitivè exiſtens. Caruiſſet enim actu omni termino, habuiſſetque propterea extenſionem actu infinitam. Imò & illam hodie haberet: tum quia hodie in ea opinione tantundem extenditur, ac ante creationem Mundi: tum etiam, quia eſto deſiviſſet extendi per circumferentiam huius Mundi, cùm hæc tam exigua ſit (vt loquitur Auguſtinus *infrà num.* 24. allegandus) comparatione ſpatij imaginarij, ac prorſus finita; ratione eius ablationis, ſeu diminutionis, ſpatium ipſum non deſinet eſſe actu infinitum. Quod ſanè abſurdum declinaſſe videtur Ariſtot. data opera *libr. 1. de Cœlo cap.* 3 dum dixit, extra cœlum ſupremum non eſſe, *ὅτι σῶμα, ὅτι τόπον, ὅτι κενὸν, ὅτι χρόνον; neque corpus, neque locum, neque vacuum, neque tempus*. Quippe ſi extra cœlum ſupremum exiſteret locus aliquis realiter, ille eſſet actu infinitus in extenſione, contra doctrinam eiuſdem Philoſophi *ſuprà lib.* 3. Pro opinione verò eorum, qui docent ſpatium imaginarium eſſe purum figmentum, & chimæram loci, nullum argumētum invenio, niſi deſumptum ex modo loquendi, quo illud *imaginarium* appellamus. Verùm huic difficultati iam ſatisfactum eſt *n.9. &* 10.

SECTIO SECVNDA.

Relatis Authorum ſententijs, examinatur mens Ariſt. & D.Thom. circa præcipuam difficultatem: oſtenditurque vtrumque docuiſſe Deum eſſe actu extra Mundum, & in ſpatijs imaginarijs.

12 PRIMA Sententia docet Deum non ſolùm eſſe actu extra hunc Mundum, verum etiam in infinito ſpatio imaginario. Ita Dionyſius Carthuſianus *in 1. diſt.37.q.1.* licèt alij pro contraria opinione ipſum allegent, Palatius *ibid. diſp.* 2. Maior *q. vnicà, & in 2. diſt.1.q.2. ad* 8. Molina *1.p.q.8.art.1.diſp.3.* Zumel *ibid. art. 2. quæſt. vnic.* Valentia *diſp.11.q.8.p.1.* Suarez *in Metaph. diſp.7.ſect.7. & lib.2. de Attributis cap.2.* Arrubal *diſp.11.cap.6.* Leſsius *libr. 2. de Perfect. Divin. cap.2.* Albertinus vbi ſuprà *Coroll.6. num.* 16. Becanus *tract.1.c.6. q.2.* Theophilus Raynaudus *in Theolog. Natur. diſt.1.q.1.art.6.* Recupitus *lib.4. de Deo q.4.* Fonſeca *lib.5. Metaph. c.15.q.9.ſect.4.* Franciſcus Amicus, *tom.1. diſput. 8. ſect. 2.* Quiros *tom.1. de Deo in expoſitione q.8 art.2* quæ eſt in fine tomi, Ribas *tom.1 Sum. Theologiæ tract.2. diſp.4. cap.* 4. Izquierdo *tom.1. Operis Theol. tract.3. diſp.6.q.* 5. Ex Philoſophis idem docent hoc quarto lib. Phyſicor. Sotus *quæſt.2.* Petrus Hurtado *diſp.14. ſect. 4.* Arriaga *diſp.14. num.* 69. Compton *diſp. 33. ſect.* 4. Qui ferè omnes addunt Deum actu exititurum in vacuo, caſu quo illud daretur intra hoc Vniverſum.

13 *SECVNDA* Negat Deum eſſe actu extra Vniverſum, & in ſpatio imaginario. Ita Vazquez *1.p.diſp.29.c.2.* vbi pro eodem placito allegat Altiſiodorenſem, Bonaventuram, Capreolum, Durandum, Richardum, & Scotum, tamquam expreſſè id docentes; ac veluti maximoperè faventes, Alexandrum Alenſem, Albertum Magnum, D.Thom. Ægidium, & Gabrielē; & ex PP. Auguſt. Bernardū, Tertullianū, ac Theodoretū. Idem tuentur Paſſolus *1. p.q.8 art.2. dub.3.* adducens pro ſe Lychetum, Tartaretū, Vigueriū, Abulenſem, Nicolaum de Orbellis, Bañez, Radā, Nazariū, & plures alios. Subſcribit Mōcæus *diſ.1. c.2* vbi ait neminē ex Scholaſticis oppoſitū docuiſſe vſq; ad tēpora Ioān. Maioris. Vivebat autē hic anno 1500. vt teſtatur Bellar. *lib. de*

Scriptoribus Ecleſiaſt. ſæculo 15. Quidquid vero ſit de hoc, & prætermiſſo quod multi ex Authoribus allegatis, citantur ab alijs pro adverſa opinione, ſubſcribunt Vaſquio Granadus 1. *part. tract.* 3. *diſp.* 3. *ſect.* 2. Tannerus *diſp.* 2. *q.* 2. *dub.* 4. Mæratius *diſp.* 3. *ſect.* 1. Derkennis *diſp.* 5. *de Deo cap.* 1. Oviedo *hoc lib.* 4. *controv.* 15. *p.* 3. Addit Vaſquez, ſi daretur vacuum in mundo, Deum minime exiturum intra illud.

14 *TERTIA*, Inter præcedentes media, affirmat Deum eſſe actu extra Vniverſum, negat vero exiſtere in ſpatijs imaginarijs. Ita Faſſolus 1. *p. q.* 8. *art.* 1. *dub.* 3. *&* 4. Gillius *lib.* 2. *de Deo, tract.* 9. *c.* 18. 20 *&* 21. Smiſingus *tract.* 2. *de Deo uno diſp.* 5. *q.* 2. *à n.* 62. Lalemandet *diſp.* 6. *de Deo uno, in deciſione*, alijque apud illos.

CIRCA Mentem verò Ariſtotelis & D. Thomæ in hac difficultate, non modica contentio eſt inter prædictos Authores. Exiſtimo autem vtrumque Magiſtrum communem cenſuiſſe Deum eſſe actu extra Mundum, & in ſpatijs imaginarijs. Ariſtoteles enim *lib.* 1. *de Cælo t.* 9. *text.* 100. diſertè & perſpicuè tradit Deum extra cœlum eſſe, dum ait, *cœli totius terminum & finem, qui cœli totius finem, & infinitum tempus univerſorum, atque ipſum aueò æternitatem contineat, ÆONA vocari ab eo quod eſt ἀεὶ εἶναι, hoc eſt, eſſe ſemper; eumque immortalem eſſe ac divinum.* Non eſſet autem Deus terminus & finis, totum cœlum continens, niſi actu extenderetur extra cœlum. Præmiſerat verò paulò antè, eſſe extra cœlum aliquid, *quod neque in loco verſetur, neque in tempore, neque mutationem experiatur ullam ex ijs, quæ rebus accidunt extrema mutationi ſubiectis. Itaque mutationis & paſſionis expertia, quæ ibi ſunt, quàm optimam vitam agere, atque per ſe ſufficientiſſimam per ævum omne.* Vbi non ſupremum intelligit cœlum, ſed aliquid extra ipſum, in quo Deus ſit, rectè monet Simplicius, & cum illo Petavius *lib.* 3. *Theolog. Dogm. de Deo cap.* 10. *num.* 1. Qui poſtea *num.* 7. ſpeciatim obſervat, ideo Ariſt. negaſſe vacuum extra cœlum, quia erravit exiſtimando nullum omnino eſſe poſſe corpus extra cœlum, prout requiritur ad rationem vacui, quod ab ipſo definitur 1. *de Cælo cap.* 9. *text.* 99. *&* 100. *in quo nullum eſt corpus; ſed eſſe poteſt.* Ergo cùm fide conſtet Deum poſſe creare corpora extra cœlum, ſicuti cœlum ipſum, & Vniverſum a principio creavit; conſequens eſt vt ex oppoſito principio Chriſtiani teneamur aſſerere vacuum extra cœlum. Verum, quidquid ſit an ex erronea eiuſmodi exiſtimatione Ariſtot. negaverit vacuum extra cœlum, reipſa in eo negando debemus convenire quotquot ſcimus, vacuum eſſe locum non repletum corpore, & extra cœlum non eſſe de facto locum aliquem; ſicut neque vltimam ſuperficiem alicuius corporis continentis, in qua conſiſtit locus.

15 *De* D. Thomà autem nulli dubium eſſe poteſt, quin eidem ſententiæ ſubſcripſerit, aſſerueritque Deum eſſe tum in ſpatijs imaginarijs, tum & extra Mundum. Nam *Quodlib.* 11. *quæſt.* 1. *ar.* 1. inquit: *Deus non ſolùm eſt in illis, quæ ſunt, fuerunt, & erunt: ſed etiam in illis quæ poſſunt imaginatione concipi.* Et paucis interiectis: *Deus eſt non ſolùm in ijs, quæ ſunt; ſed etiam in imaginatis.* Et 3. *p. q.* 52. *art.* 3. *ad* 3. *Nec omnia loca*, inquit, *ſimul accepta Dei immenſitatem comprehendere poſſunt: imò ipſe omnia ſuâ immenſitate comprehendit.* Subdit Izquierdo vbi ſupra *num.* 90. *fine*, tamquam verba D. Th. præcedentibus adiuncta: *Neque ita eſt in mundo, vt non ſit etiam extrà.* Hæc tamen non habentur in D. Thomà. Sunt tamen alia, quæ nobis apertè favent. Cùm enim obieciſſet ſibi in tertio argumento, illud totum dici eſſe in aliquo loco, cuius nihil eſt extra locum, reſpondet immediatè poſt verba à nobis exſcripta: *Hoc autem locum habet in ijs quæ corporaliter & circumſcriptivè ſunt in loco, quòd ſi totum ſit alicubi, nihil eius ſit extrà. Sed hoc in Deo locum non habet.* Ergo Deus ita eſt totus in omnibus locis, quæ continet, vt tamen totus ſit extra omnia loca, ac proinde extra Vniverſum. Præterea & in *cap.* 5. Dionyſij de Divinis nomin. in illa verba, *Magnus Deus nominatur ſecundùm magnitudinem ipſius, quæ extra omnem magnitudinem & ſuperfuſa, & ſuperextenſa, omnem locum continet*; ſic loquitur Angelicus Doctor lect. 1. *Deus dicitur magnus ſimpliciter, in quantùm magnitudo eius extra omnem magnitudinem eſt ſuperfuſa ad ſimilitudinem rerum humidarum, vt aëris & aquæ; & ſuperextenſa ad ſimilitudinem corporum ſiccorum & ſolidorum. Et ſicut locus dicitur eſſe maior, qui eſt magis continens; ita Deus dicitur eſſe ſimpliciter magnus ſecundùm locum, in quantùm continet omnem locum.* Non eſſet autem magnitudo Dei ſuperfuſa extra omnem magnitudinem, & continens omnẽ locum, ſi actu extra magnitudinem totius Mundi, & omnium locorum non eſſet.

Quod ſi obijcias, iuxta mentem S. Doctoris, Deum ſolùm eſſe in loco ratione operationis, quam nullatenus exhibet extra Mundum, neque in loca imaginaria; reſpondebimus huic difficultati à *num.* 34.

SE-

SECTIO TERTIA.

Auctoritate ac rationibus probatur Deum actu eſſe extra Mundum.

16 SIT I. *Aſſertio*, Deum actu extra Mundum eſſe, ſive extra totam circumferentiam cœli Empyrei. Id efficaciter ſuadent variæ Scripturæ teſtimonia. Etenim Iob 11. de Deo dicitur: *Excelſior cœlo eſt.* Non eſſet autem excelſior cœlo, ſi non eſſet ſupra, atque adeò extra totum cœlum, vt ibidem obſervat Noſter Magnus Gregorius *lib.* 10. *Moral. cap.* 7. Exindeque colligit S. Hieronymus omnia eſſe intra Deum, ſicut locata intra locum exterius circundantem. Quidquid autem circundat aliud, planè extra ipſum eſt. Iſaiæ 40. *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit?* Quæ verba expendens idem Gregorius *lib.* 2. *Moral. c.* 8. inquit: *Cœlum palmo metiens, & terram pugillo concludens oſtenditur, quòd ipſe ſit circunquaque cunctis rebus, quas creavit, exterior. Per pugillum ergo, quo continet, exteriùs ſubterque ſignatur: quia ipſe manet intra omnia, ipſe extra omnia, ipſe ſupra omnia, ipſe infra omnia.* Et mox: *Extra circundans, & exteriùs ambiens, interius penetrans & replens.* Idemque ferè habet *homil.* 17. *in Ezechielem circa med.* Quæ verba videtur ferè mutuaſſe ex Hieronymo *in cap.* 66. *Iſaiæ* paulò poſt initium aiente: *Per quæ oſtenditur Deus & forinſecus & extrinſecus, & infuſus & circumfuſus, dum & ſolio ambiente non concluditur, & pugillo concludit ac palmo.* Fortè & ex vtroque S. P. Noſter Petrus Damianus *epiſtol.* 4. *cap.* 6. vbi inter plura alia: *Ipſe*, inquit, *manet intra omnia, ipſe extra omnia, ipſe ſupra omnia, ipſe infra omnia.* Denique, vt plura alia loca Scripturæ omittam, *Iſaia* 66. Dominus ipſe ait: *Cœlum mihi ſedes eſt.* Quibus verbis denotari Deum eſſe ſupra cœlum, ideoque extra ipſum & Mundum, obſervant idem Gregor. Hieron. Damianus, ac præterea Hilarius *lib.* 1. *de Trinit.* non longe a principio, & S. Cyrillus Hieroſ. *Catecheſi* 6. vbi ait: *Sedes ipſi cœlum: ſed illud tamen excedit ſedens.*

17 *SVNT* Et alia innumera teſtimonia PP. Græcorum & Latinorū, qui apertè id ipſum tradere videntur. Pauca è multis ſeligam. S. Dionyſius (præter ea, quæ ex ipſo dedimus num. 16.) cap. 1. eiuſdem libri de Divin. nomin. aſſerit Deum eſſe ἐγκόσμιον, περικόσμιον, ὑπερκόσμιον, ὑπερουράνιον; *immundanum, circummundanum, ſupermundanum, ſupercœleſtem.* Quibus denotat planè, Deum ſupergredi & circumambire totum Mundum, ac cœlum; proindeque actu eſſe extra vtrumque. Athanaſius *tom.* 2. *Epiſt.* 1. *ad Serap.* de Verbo Divino ait: πανταχοῦ ἐστι, καὶ ἔξω πάντων: *ubique eſt, & extra omnia.* Damaſcenus *lib.* 1. *de Fide, cap.* 8. Divinitatem eſſe ait: περιέχουσαν τε σύμπαντα, καὶ συνέχουσαν, καὶ προέχουσαν: *amplectentem omnia, & continentem, & ſuprà eminentem.* Zacharias Mitylenæus *diſput. de Mundi Opificio*: οὐχὶ πάντα τὰ ὄντα, &c. *Nonne omnia quæ ſunt, tam ſuperiora, quàm inferiora, & quæ in medio ſita, circumplexa eſt, comprehenditque diuina natura, eſtque EXTRA VNIVERSVM, & in Vniverſo, & ſuprà Vniverſum?* S. Syneſius Hymno primo accinit.

Ὑπὲρ οὐρανοῦ καρήνων
Ἀλύτῳ κύδει γαίων
Θεὸς ἔμπεδος θαάσσει.
Super cœli cacumina
Immortali gloria exultantem
Deum conſtanter ſedere.

18 *EX PP.* Latinis quamplurimi idem docent: inter quos audire par eſt Auguſtinum *Serm.* 1. *de verbis Apoſt.* vbi ait: *Quid eſt omnipotens Deus? Quid, niſi inæſtimabilis, ineffabilis, incomprehenſibilis, vltra omnia, extra omnia, præter omnia?* Quæ verba ex ipſo mutuarunt Patres Noſtri Iſidorus *in primo de ſummo bono*, & Alcuinus *lib.* 2. *de Trinit. cap.* 5. *apud Biblioth. PP. tom.* 3. Qui cap. 4. præcedente circa finem præmiſerat: *Deus exterior eſt, vt omnia concludantur ab eo.* Idem Auguſtinus *lib. de cognitione veræ vitæ cap.* 29. vbi directè agit de Immenſitate Dei, inquit: *Vbique ſcilicet, in omnibus, & extra omnia eſt, totus extra omnem locum.* Et lib. de eſſentia divinitatis: *Extra omnia eſt, ſed non excluſus. Intra omnia eſt, ſed non incluſus.* Vide *ſect.* 4. *init.* Ambroſius in illud Epheſ. 3. *Vt in charitate radicati*, inquit: *Non ſolùm implet omnia, ſed etiam excedit. Nec enim clauditur, ſed omnia intra ſe habet.* Paſchaſius Diaconus *lib. de Spirit. Sanct. cap.* 12. (extat apud Biblioth. PP. tom. 3.) *Quem præſtò eſſe per omnia, id eſt, intra, extraque, non ambigo.* Et poſt pauca: *Cuius ineffabilis magnitudo profunda inferorum, diffuſa fluctuum, extenſa terrarum, excelſa cœlorum, intrat, implet, excedit.* Leo Papa homil. 3. de Nativit. *Vniverſitatis creator Dominus, totus vbique præſens, & vniverſa excedens.* Quæ omnia pulcherrimè expreſſit Prudentius *in Apotheoſi*, accinens:

at Deus ingens
Atque ſuperfuſus trans omnia, nihil habet
in ſe.

Ex-

Extremum, vt claudi valeat.
Et alio loco:
Extraque, & intus implet, ac ſuperfluit.
Ricardus Victorinus lib. 2. de Trinit. c. 23. *Si eſſentialiter vbique eſt; Ergo & vbi locus eſt, & vbi locus non eſt. Erit itaque & intra omnem locum; erit & extra omnem locum; erit ſupra omnia, erit infra omnia, intra omnia, extra omnia.*

19 EX His teſtimonijs, & quamplurimis alijs, quæ prætermitto, ne videar vagari extra Philoſophiæ orbitam; habemus iuxta ſacras litteras & Patrum expoſitionem, Deum abſolutè & ſine reſtrictione vllà, excelſiorem eſſe cœlo; omnibus ſupereminere, & excedere; exiſtere extra omnia, & ſupra omnia; eſſe Mundo interiorem & exteriorem, ſuperioremque; vniverſa exteriùs ambire, circundare, amplecti, concludere, comprehendere; eſſe forinſecus & intrinſecus, infuſum & circumfuſum, ac ſuperfuſum trans omnia; exiſtere tam vbi locus non eſt, quam vbi eſt; implere omnia ac ſuperfluere. Ex quibus omnibus videtur manifeſtè probari Deum actu eſſe extra Mundum, & non ſolum in potentià, vt volunt, & reſpondere ſolent ſimilibus locis Adverſarij. Etenim Patres tot abſolutis & tam proprijs locutionibus affirmantes Deum eſſe extra Mundum, & eodem tenore verborum atque intra Mundum, de actuali exiſtentia Dei extra, ſicut & intra accipiendi ſunt.

20 *CONFIRM. I.* & ſimul præcluditur evaſio nuper indicata Adverſariorum. Si enim loca Scripturæ & PP. toties ac tam expreſsè atque abſolutè proferentia Deum eſſe extra cœlum & Mundum, intelligi poſſent de exiſtentià ſolùm in actu primo, & quantum eſt ex parte virtutis atque immenſitatis divinæ; eodem modo intelligi poſſent, quatenus affirmant Deũ eſſe intra Mundum, & in omnibus rebus: atque adeò ex doctrina ſacra non poſſet evinci actualis exiſtentia Dei intra omnẽ creaturam. At conſequens quàm abſurdum ſit, probatione non eget inter Catholicos. Sequela probatur: Tum, quia Scripturæ & Patrum teſtimonia, eodem tenore verborum aſſerunt Deum eſſe vbique, & extra Mundum, cœlumque, ac in Mundo, & rebus ſingulis: ac proinde eodem modo exponi poſſent omnia de exiſtentià, ſeu extenſione Dei, non in actu, ſed poteſtate ſolùm: Tum etiam quia loca illa Scripturæ quibus Deus dicitur, implere cœlum & terram, non longè eſſe ab vnoquoque noſtrum, eſſe in cœlo & inferno, aliaque ſimilia, ex quibus omnes Catholici Doctores probant præſentiam intimam Dei in creaturis omnibus; non magis abſoluta & ſine reſtrictione ſunt, quam a nobis prolata ex eàdem Scriptura & Patribus pro exiſtẽtia extra cœlum.

21 *CONFIRM. II.* Exiſtere extra Mundum ſolùm in hypotheſi qua creatura aliqua extra ipſum produceretur, non ſufficit ad proferendum verè & abſolutè Deum exiſtere extra Mundum. At relatis teſtimonijs abſolute & verè profertur Deus exiſtere extra Mundum. Igitur exiſtere extra Mundum ſolùm in hypotheſi qua creatura aliqua extra ipſum produceretur, non ſufficit ad verificandum relata teſtimonia. Minor cum conſequentia patet. Maior probatur a priori: Quia exiſtere extra Mundum in ea hypotheſi, eſt obiectiva propoſitio hypothetica, & ſub conditione nunquam purificata; cui repugnat pro eo ſtatu verificatio prædicati abſoluta. Sic tempore noctis abſolutè fieri poſſet vt illuminaretur hoc hemiſphærium data hypotheſi, qua Deus tunc Solem in hoc hemiſphærio ſtatueret. Dum verò hæc hypotheſis non verificatur, ſtultè & abſurdè aliquis diceret: *Nunc Sol illuminat hoc hemiſphærium.* Etenim vt enuntiatio abſoluta ſit vera, debent verificari abſolutè omnia, quæ exiguntur ad actualem coniunctionem prædicati cũ ſubiecto. Secundò probatur eadem præcipua maior à poſteriori: Nam Angelus quilibet etiam poſſet facillimè & pro libito extra Mundum exiſtere, ſi extra illum crearetur aliquid. At eo non obſtanti, non poteſt dici verè, & abſolutè de Angelo eſſe extra Mundum, quia non eſt purificata illa conditio. Ergo ob eandem rationem, nec de Deo abſolutè & verè dici poſſet, vt in præiactis teſtimonijs habetur, eſſe extra cœlum & Mundum. Vt ergo illa abſolutè vera ſint, Deus actu & abſolutè, non autem poteſtativè aut conditionatè ſolum, exiſtit extra Mundum. Eadem doctrina iterum illuſtrabitur *ſect. ſequenti.*

22 *RATIONE* Probatur eadem ſententia. Deus neceſſariò eſt actu, vbicũque creatura exiſtere poteſt. At creatura exiſtere poteſt extra hunc Mundum. Ergo Deus neceſſariò eſt actu extra hunc Mundum. Conſequentia patet, & minor ſimiliter: quia poteſt abſolutè Deus creare aliũ Mundum omnino diverſum ab hoc, & poſtea totum illum annihilare, excepto vno Angelo aut homine: quo caſu alteruter eorum maneret extra hunc Mundum. Deinde conſtat ex illo *ad Epheſ. 4.* vbi de Chriſto

ſto D. dicitur: *Qui aſcendit ſuper omnes cælos.* Vnde ſatis frequenter colligunt Theologi, Chriſtum eſſe actu ſupra vltimam circunferentiam, ſive ſuperficiem convexam cœli Empyrei; atque adeò extra Mundum, ſecundùm ſuam naturam humanam & creatam. Iam maior præcipua ſuadetur diverſi modè. *Primò*, & à priori. Quidquid perfectionis eſt, aut eſſe poteſt in qualibet creaturâ & in omni genere, totum id, ablatis imperfectionibus, neceſſario eſt actu in Deo: cùm ſit eſſentialiter actus purus, omni potentialitate carens in quovis genere. At creaturam exiſtere alicubi, ſive intra, ſive extra hùnc Mundum, eſt perfectio aliqua; vtpotè donum Dei, ac beneficium ipſius directè, & non minùs quam exiſtere (vt fieri abſolutè potuiſ) ante Mundum conditum, vel poſtquam conditus eſt. Ergò Deus neceſſario eſt actu, vbicunque creatura exiſtere poteſt. *Secundò* ſuadetur eadem maior: Quia non minùs actu infinita eſt immenſitas Dei, qua vbicatur, quàm æternitas, qua durat. At quia æternitas eſt infinita in actu, Deus duravit actu, quandiu potuit quælibet creatura durare, ſive ante, ſive poſt Mundum conditum. Ergo pariter quia immenſitas eius eſt infinita in actu, Deùs neceſſario actu eſt, & fuit vbicumque poteſt aut potuit creatura exiſtere, ſive intra, ſive extra Mundum: Hanc probationem *ſect. ſeq.* vrgebo ampliùs. *Tertiò*: Quia ſcientia Dei eſt actu infinita, extenditur actu & neceſſario ad ſciẽdum, non modo id quod creaturæ ſciunt de facto; ſed ad id etiam quod ſcire poſſunt, imò & infinitè ampliùs. Ergo etiam quia immenſitas Dei eſt actu infinita, extenditur neceſſario & actu ad exiſtendum non modo vbicumque creatura exiſtit de facto; ſed ad id etiam vbi exiſtere poteſt, & infinitè amplius.

23 CONFIRM. Non ſolùm eſt perfectio Dei ſimpliciter ſimplex quod poſsit eſſe vbique; ſeu etiam quod de facto vbique ſit: quia in hoc nulla apparet imperfectio, ſeu perfectio pura, melior carentia ſui, & poſitivè oppoſito, ſeu incompoſsibili cum ipſa. Omnis autem perfectio ſimpliciter ſimplex convenit Deo ab æterno, ac proinde antequam exiſteret Mundus. Ergo non ſolùm poſſe eſſe vbique, ſed etiam eſſe de facto, convenit Deo ab æterno, ideoque & antequam exiſteret Mundus. Hoc autem ipſo, & Deus fuit ab æterno, & modo eſt extra Mundum: quia neceſſario retinet modo Deus omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, ſibique convenientem ab æterno. *Præterea.* Eo ipſo quòd eſſe vbique de facto ſit perfectio Dei ſimpliciter ſimplex, debet eſſe actu infinita; ſicut cæteræ divinæ perfectiones eiuſmodi: nam in omnibus eadem ratio eſt. Ergo debet extendi de facto, ſeu eſſe actualis extenſio, non ſolùm ad ſpatium huius Mundi, quod eſt finitum, ſed etiam extra Mundum abſque vllo termino: quia vbiquitas, & extenſio infinita actualis ipſius, incompoſsibilis eſt cum occupatione actuali ſolius finiti ſpatij. Quod quam optimè expreſsit Auguſtinus *lib. 7. Confeſſ. cap.* 5. idonea ſimilitudine infiniti atque immenſi maris, finitam aliquam ſpongiam intra ſe continentis, vt eo modo putetur Deus redundare & ſuperfluere extra Mundum, vltra hoc quod eſt illum intra ſe continere. Verba ſunt: *Conſtituebam in conſpectu ſpiritus mei vniverſam creaturam finitam, & te, Domine, ex omni parte ambientem eam, & penetrantem; ſed vſquequaque infinitum: tanquam ſi mare eſſet vbique, & vndique per immenſa infinitum ſolùm mare; & haberet intra ſe ſpongiam quamlibet magnam, ſed finitam; tamen plena eſſet vndique ſpongia illa ex omni ſuà parte ex immenſo mari. Sic creaturam tuam finitam, te infinito plenam putabam, & dicebam: Ecce Deus, & ecce quæ creavit, & ecce quomodo ambit, atque implet ea.* Doctrina hucuſque tradita novum robur accipiet ex ſectione venturà.

SECTIO QVARTA.

Etiam in ſpatijs, quæ imaginaria dicuntur, eſſe actu Deum. Obiectiones Adverſariorum interpoſitæ, & ſolutæ.

24 SIT II. *Aſſertio.* Deus etiam actu eſt, & ab æterno fuit in toto illo ſpatio, quod *imaginarium* appellamus, & apprehendimus circumquaque extra cœlum infinitè extenſum. Suppono tota hac ſectione, quæ dixi circa realitatẽ ſpatij imaginarij à *num.* 9. Hæc concluſio eſt expreſſa omnium ferè PP. quos ſuperiùs allegavimus, vt expendenti conſtabit, præſertim D. Thom. loco allegatò *num.* 16. in principio, & Richardi Victorini. Quin & adeò certa viſa fuit Auguſtino, vt oppoſitum, veluti abſurdum & Deo indignum, reiecerit. Quippe *lib. 11. de Civit. cap.* 5. ita loquitur: *An fortè ſubſtantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec diſtendunt loco, ſed de eà, ſicut de Deo ſentire dignum eſt, fatentur incorporeà præſentià vbique totam,*

à

à tantis locorum extra Mundum ſpatijs abſentem eſſe dicturi ſunt; & in vno tantùm, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo Mundus eſt, occupatum? Non opinor eos in hæc vaniloquia progreſſuros.

25 *PROBATVR I.* evertendo potiſsimum fundamentum opinionis adverſæ, nitentis in eo quòd ſpatium imaginarium non ſit aliquid poſitivè ac realiter exiſtens, ideoque Deus actu in eo non ſit; quoniam nihil reale poteſt eſſe actu in eo quod reale non eſt, ſed merum nihil. Hoc autem argumentum levis aut nullius roboris eſt: Quia Deus ratione ſuæ æternitatis, quatenus infinita duratio eſt, non ſolùm actu durat in tempore reali & poſitivè exiſtente, ſed etiam ante illud in tempore poſsibili & imaginario. Ergo cùm etiam illius immenſitas ſit ſimpliciter infinita, non ſolùm extenditur Deus actu ratione ipſius ad ſpatium reale & poſitivè exiſtens, ſed etiam ad poſsibile & imaginarium. Conſequentia videtur aperta, tum quia infinitas vtriuſque attributi eſt æqualis: tum etiam, quia ſi fieri poteſt vt aliquid actu realiter & poſitivè duret in tempore non reali, etiam fieri poterit vt aliquid actu realiter & poſitivè ſit in ſpatio, ſive loco non reali. Antecedens autem ſuadetur manifeſtis Scripturæ teſtimonijs. Pſalmo 73. dicitur: *Deus autem Rex noſter ante ſæcula.* Pſalmo 89. *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſæculo & vſque in ſæculum tu es.* Ad Titum 1. *Quam promiſit qui non mentitur, ante tempora ſæcularia.* Ergo Deus ante omne tempus reale & poſitivè exiſtens (quod ſanè cœpit eſſe cum Mundo ipſo) duravit actu in tempore poſsibili & imaginario. Scilicet, nunquam tempus fuit poſsibile, aut imaginatione concipi potuit, quin Deus in eo *tunc*, ſive in ea mora, actu duraret, ſeu permaneret in exiſtendo. Similiter igitur nunquam ſpatium fuit poſsibile, aut imaginatione concipi potuit, quin in ea locali extenſione poſſibili, aut apprehenſa, *Deus* eſſet actu præſens ratione immenſitatis.

36 *CONFIRM.* Contra infinitam perfectionem æternitatis eſſet, quòd tempus aliquod foret poſsibile, aut imaginatione noſtrà apprehendi poſſet, ad quod illa non extenderetur actu durationis. Sic enim aliqua maior duratio, quàm divinæ æternitatis, eſſet poſsibilis, aut cogitabilis. Ergo pariter, contra infinitam perfectionem æternitatis eſſet, quod ſpatium aliquod foret poſsibile, aut imaginatione noſtra apprehendi poſſet, ad quod illa non extenderetur actu vbicationis. Sic enim poſsibile eſſet, cogitabileve, aliquod ſpatium maius, ſive amplius, quam immenſitas, ſive vbicatio divina.

27 *PROBATVR II.* ex dictis *ſect. præced.* Eo namque ipſo, quod *Deus* ſit actu extra Mundum, eſt in ſpatio extra Mundum actu: quia hæc duo connexa adeò ſunt, imò & tam idem, vt nequeat vnum eſſe, aut intelligi ſine alio. Atqui extra Mũdum non eſt aliquod ſpatium realiter & poſitivè exiſtens, vt ſæpe iam diximus, ſed ſolum poſsibile, quod dicimus imaginariũ. Ergo eo ipſo quod *Deus* actu ſit extra Mũdum, actu etiam eſt in ſpatio imaginario. Ergo & in tota illa extenſione infinita ſpatij (infinitam enim appellat Auguſtinus verbis nuper allegatis) quam cogitamus diffuſam extra Mundi ambitum: quia infinita extenſio divinæ immenſitatis non ſolum probat *Deum* eſſe extra Mundum, & in ſpatio imaginario vtcumque, ſed etiã in toto illo, quàm latè patet, ſeu circunquaque diſtendi apprehenditur.

28 *DICES* cum Adverſarijs, eſſe implicantiam terminorum quòd ſpatium imaginarium ſupponatur non eſſe aliquid realiter actu, ſed nihil actu pro eo ſtatu; & tamen *Deus* actu ſit in illo. *Deus* enim actu nequit eſſe in eo quod actu eſt nihil: nam eſſe actu realiter in aliquo eſt denominatio quædam reſultans ex duplici extremo, reali & actuali. *SED Contrà.* Hæc enim obiectio, iam præoccuppata eſt à nobis nuper ab inſtantia temporis nondum exiſtentis, ſed ſolùm poſsibilis & imaginatione apprehenſi, in quo tamen *Deus* realiter duravit, antequam Mundum conderet. Deinde, licèt *Deus* non ſit in puro nihilo, quod eſt tale, tam actu, quàm potentia; benè tamen in eo quod eſt realiter poſsibile, licèt non ſit actu aliquid reale. Vt autem *Deus* denominetur realiter actu exiſtens in eo, non requiritur actualis exiſtentia vtriuſque extremi; ſed ſufficit ex parte *Dei* vbicatio, ſive extenſio actualis & realis ratione immenſitatis, ipſi intrinſeca; & ex parte termini extrinſeci poſsibilitas realis, eidem *Deo* extrinſeca, & connotata ab ipſius immenſitate.

29 *INSTABIS.* In extremo purè poſsibili nequit *Deus* exiſtere actu, ſed ſolum poſsibiliter: quia *Deum* realiter exiſtere in aliquo, eſt quædam denominatio realis & actualis, quæ per modum totius debet reſultare ex duplici extremo reali actuali. Si igitur ſpatium imaginarium eſt

ali-

aliquid purè poſſibile, Deus in eo actu non eſt, ſeu poſſibiliter tantum. *RESP.* Negando antecedens. Ad probationem dico, Deū exiſtere in aliquo, poſſe accipi per modum denominationis quaſi ſpeculativæ tantùm; vel per modum denominationis practicæ. Hoc poſteriori modo dicitur Deus eſſe in rebus per potentiam & operationē, quatenus eis dat eſſe actu. Ideoque denominatio hæc poſterior exigit neceſſariò realem & actualem exiſtentiam vtriuſque extremi: quia nec Deus dat eſſe, niſi exiſtens actu; nec eius operatio & cauſalitas ad extra eſſe poteſt, quin creatura vi illius accipiat eſſe reale actuale. Priori autem modo dicitur Deus eſſe in loco poſſibili per ſuam ſubſtantiam & immenſitatem, ſicut & durare in tempore poſſibili per ſuam æternitatem: quia cùm neutri ipſorum tribuat eſſe reale in eo ſtatu, denominatio eſſendi in vtroque, nequit eſſe practica, ſed ſolùm ſpeculativa, aut quaſi. Denominatio autem huiuſmodi licèt actualis, & realis ſit, non exigit actualem realitatem ex parte vtriuſque extremi, ſed ſufficit ſi ex parte extremi principalis, ſive recti, illam importet; & ex parte obliqui veram poſſibilitatem.

30 *HVIVS* Doctrinæ plures inſtantiæ non incongruæ afferri poſſunt. Deus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ realiter & actu denominatur cognoſcens poſſibiles creaturas, quæ tamen non ſunt aliquid realiter actu, ſed potentiâ tantum. Similiter & per ſcientiam viſionis nondum perductam ad executionem, realiter & actu intuetur creaturas futuras, quæ in eo ſtatu futuritionis nondum habent eſſe actu, ſaltem in propria menſura, ſed habebunt. Petrus hodie dicitur, & eſt realiter & actu maritus Anæ, licèt in conceptu mariti importet neceſſariò connotationem ad contractum matrimonij præteritum, qui iam non exiſtit, ſed extitit. Rex Hiſpaniæ Matriti exiſtens, etiam Matriti realiter & actu dominus eſt Indiæ Occidentalis, licèt hæc non ſit Matriti, ſed valde procul, & ſub alio polo. Ioannes provocatus à Paulo ad ſingulare certamen, ſi procedat ad locum ex condicto ſtatutum, dicitur realiter & actu exiſſe ad duellum, etiam reſiliente Paulo; licèt duellum neceſſariò importet duorum pugnam ex condicto. Mitto plurima alia, in quibus manifeſtè conſtat multas eſſe denominationes reales actuales, quæ ſolùm ex parte præcipui extremi, ſive recti, exigunt actualitatem realem, & ex parte obliqui ſolam poſſibilitatem, præteritionem, aut futuritionem. Quod ſi verò aliæ denominationes ſunt, quæ exigant coexiſtentiam actualem vtriuſque extremi, erit ex peculiari ipſarum ratione, quæ non vrget in caſu quæſtionis.

31 *VRGEBIS.* Denominatio exiſtentis actu in aliquo ſpatio reſultat ex vnione actuali duorum. Nequit autē eſſe, aut intelligi actualis duorum vnio, niſi vnumquodque illorum alteri ſit præſens actu. Ergo denominatio exiſtentis actu in aliquo ſpatio, nequit eſſe aut intelligi, niſi vnumquodque illorum ſit alteri præſens actu. Cum igitur ſpatium poſſibile non ſit actu Deo præſens, ſed potentia tantum, Deus nequit denominari actu exiſtens in ſpatio pure poſſibili. *RESP.* Denominationem exiſtentis actu in aliquo, tanquam partis in toto, aut formæ in ſubiecto, reſultare ex vnione actuali duorū; quia quod hoc modo exiſtit in aliquo, conſtituit quoddam totum actuale intrinſece reſultans ex duplici extremo. Denominatio autem exiſtentis actu in aliquo, tanquam in termino ſolùm extrinſeco, non exigit vnionem actualem vtriuſque, quia ex illa non reſultat aliquod totum actuale. Sufficit itaque vt Deus actu ſit in loco poſſibili, quod ipſe per ſuam ſubſtantiam, & immenſitatem actu ad illum comparetur, veluti ad terminum extrinſecum abſolutè poſſibilem, & cui coexiſteret actu ſine variatione vlla immenſitatis ſuæ, ſi ille actu poneretur. Sic & Chriſtus D. exiſtens de facto ſupra convexam cœli Empyrei ſuperficiem, actu eſt in loco imaginario ſive poſſibili, tanquam in termino extrinſeco; cui præterea actu coexiſteret abſque variatione vlla quantitatis ſuæ, ſi ille actu extra cauſas poneretur.

32 *DICES* Denique: Ergo etiam Deus actu exiſtit in qualibet creatura poſſibili, v.g. in formica nunquam extiturâ. Eadem quippe ratio eſt de loco poſſibili, ac de qualibet alia creatura in eodem poſſibilitatis ſtatu. Conſequens autem videtur inauditū apud PP. & Theologos. *RESP.* negando conſequentiam: quia Deus non habet actu exiſtere per eſſentiam, ſive ſubſtātiam, in creaturis poſſibilibus, quatenus poſſibiles ſunt præciſè: quoniam ſub hac ſola conſideratione nihil important, vt eius exigant Deum actu in iis exiſtere. Locus autem poſſibilis ſpeciatim importat aliquid pertinens ad immenſitatem divinam, veluti primam menſurā locorum omnium, & rationem quâ Deus ſecundū ſubſtantiam occupat omnem locum. Quare Deus

Deus non eſt actu in omnibus creaturis poſſibilibus, ſed in ijs quæ ex propriâ ratione pertinent ad genus loci. Vide infrà *n.*34. *fine.*

33 *VERUM* Hinc oritur gravis difficultas. Videtur enim eandem eſſe rationē in omni creaturâ poſsibili, ad quodcumque genus pertineat, ne Deus actu in ea ſit. Etenim iuxta ſententiam D.Thomæ *in* 1.*diſt.*37.*q.*1. *art.*2. *&* *q.*2. *art.*1. *&* 3. *ac lib.*3. *contra Gent. cap.* 68. *&* 1.*p. quæſt.*8. *art.*1. *&* 2. præſentia Dei in rebus conſiſtit in operatione, quâ in ijs operatur. At in nulla creatura purè poſsibili, cuiuſcumque generis ſit, operatur Deus. Ergo nulli creaturæ purè poſsibili, cuiuſcumque generis ſit, eſt actu præſens Deus.

34 *PRO* Solutione nota, ex eodem D.Thoma *q.*8. allegata *ex* 1.*p. art.*3. Deum eſſe in rebus tripliciter: ſcilicet, per eſſentiam, per præſentiam, & per potentiam. Primum modum eſſendi exponit his verbis: *Secundum ſubſtantiam, vel eſſentiam dicitur aliquid eſſe in loco, in quo eius ſubſtantia habetur.* Secundum vero ſic: *Per præſentiam ſuam dicitur aliquid eſſe in omnibus, quæ in conſpectu ipſius ſunt: ſicut omnia quæ ſunt in aliquâ domo, dicuntur eſſe præſentia alicui, qui tamen non eſt ſecundum ſubſtantiam ſuam in qualibet parte domus.* Tertium denique exponit initio corporis eiuſdem articuli, vt idem ſit Deum eſſe in rebus per potentiam, ac eſſe *per modum cauſæ agentis. Et ſic eſt in omnibus rebus creatis ab ipſo.* Ex quibus conſtat, ſolum hunc tertium modum eſſendi in rebus exigere operationem Dei vt agentis, & exiſtentiam creaturæ, ſeu rem eſſe creatam. Nam ad primum modum exiſtendi per eſſentiam, ſolùm exigit S.Doctor, vt res ſecundùm ſubſtantiam ſuam in loco ſit, & ad hoc nullam exigit Dei operationem. Quin potiùs ex ipſo habemus abſolutè, Deum eſſe, non modo in ijs quæ ſunt, erunt, & fuerunt, ſed etiam in ijs, quæ imaginatione concipi poſſunt, vt conſtat ex verbis allegatis *num.*15. At in hoc poſtremum genus rerum, prout diſtinctum à præcedentibus, Deus nullam actualem operationem exhibet. Ergo vt abſolutè, ac proinde ſecundùm eſſentiam ſuam in aliquo ſit, non eſt opus actuali ipſius operatione. Similiter neque vt ſit in aliquo per præſentiam: quia ad hoc ſufficit illud in conſpectu habere. Quâ ratione Deus dici poteſt eſſe in omnibus, tum exiſtentibus, tum futuris & præteritis, tum & poſsibilibus (quanquam in hæc nullam vnquam exhibeat operationem) quia omnia in illa proſpectu habet. Quare reſtat, vt ſolus tertius modus eſſendi Dei, ſcilicet, per potentiam, ſive contactum virtutis, excludatur circa loca poſsibilia, defectu operationis, ſeu influxus actualis: non vero primus modus eſſendi per ſubſtantiam, nec ſecundus per præſentiam.

35 *HINC* Argumento occurritur, concedendo quidem eſſe eandem rationem de omnibus creaturis poſſibilibus, ne Deus actu in ijs ſit per potentiam, quia in nullam illarum præſtat influxum, ſive operationem aliquam. Similiter & eadem ratio eſt vt in omnibus ſit per præſentiam, quia omnia æqualiter ob oculos habet. Cæterum ſpecialis ratio eſt vt ſit actu per eſſentiam in locis poſsibilibus, quàm in alijs poſsibilibus creaturis, vt *num.* 32. dictum eſt. Idque videtur innuere S. Thom. verbis nuper allegatis dum ait, ſecundum ſubſtantiam vel eſſentiam dici aliquid eſſe in loco, in quo eius ſubſtantia habetur. *In loco* dixit, quoniam locus ſpeciatim eſt terminus immenſitatis, indiſtinctæ realiter à ſubſtantiâ Dei, eamque reddentis vbique præſentem. Præterea & verbis allegatis *num.*15. *circa finem*, idem S. Doctor aſſerit magnitudinem (ac proinde ſubſtantiam) Dei eſſe ſuperfuſam (& ſuperextenſam addit Dionyſius) extra omnem magnitudinem; proindeque extra totam magnitudinem Vniverſi. Quod ſanè eſſe non poteſt, niſi actu ſit ſecundùm ſubſtantiam ſuam extra Vniverſum ipſum, atque adeo in illis ſpatijs poſsibilibus, quæ cogitamus infinitè extenſa. Quapropter, vt doctrina D.Thomæ nullam contradictionem includat, dicendum eſt, locis in obiectione adductis probari ab ipſo, Deum eſſe in rebus *per potentiam*, ex vi operationis, ſeu cauſalitatis quam præſtat circa omnes res *in fieri & eſſe*. Nam vt ipſe *art.*1. dictæ quæſtionis ſupponit ex Philoſopho 7.*Phyſic. à textu* 10. *vſque ad* 13. movens & motum, ſive agens & paſſum debent eſſe ſimul. Ergo cũ Deus ſit primum movens & primum agens omnia, oportet, vt quoties ea movet, vel in ea agit, ſimul ſit cum ijs ſecundùm potentiam operativam; & ſubinde ſecundũ ſuam ſubſtantiã, quæ ab ea nõ diſtinguitur; ac denique ſecundùm immenſitatẽ, quæ eſſentialiter extenditur ad replendũ omne id, quod eſt in aliquo loco. Cùm hoc tamen cohæret quòd in locis, ſive ſpatijs poſsibilibus actu ſit; non quidem per potentiã, ſeu contactum virtutis, cùm in his actu non operetur; ſed per ſubſtantiam, ſive eſſentiam, & per præſentiam ſimul, vt ſuprà dictum eſt.

PRO-

36 *PROBATVR III.* Aſſertum. Poteſt enim Deus condere alium Mundum nullatenus contiguum huic noſtro: quo caſu actu eſſet in vtroque vt certiſsimũ eſt. Ergo & actu eſſet in ſpatio illo mediante inter vtrũque Mundũ. Alioqui enim Deus poſitus in vtroq; loco reali extremo, & nõ exiſtẽs in loco poſsibili intermedio, elõgaretur & diſtaret à ſe ipſo. quod eſt impoſsibile.

37 *RESPONDENT* Adverſarij concesſo antecedente, negando conſequentiam, & illius probationem: quia inter vnũ & alium Mundum, ſicut nullus eſſet locus actualis, ita & diſtantia nulla; quoniam eſt propria actualis loci: ac per conſequens Deus vt exiſtens in vno Mundo non diſtaret à ſeipſo, prout exiſtente in alio.

38 *SED Contrà.* Inter vtrumque Mũdum, eo ipſo quod ambo nullam haberent contiguitatẽ, neceſſariò eſſet diſtantia poſsibilis ſpatij, & tanta, quanta eſſet diſtantia realis, ſi ſpatium interiectum exiſteret actu & realiter. At ſi ſpatium interiectum exiſteret actu & realiter, ac Deus non eſſet actu in illo, ſed in vtroque Mundo, diſtaret, elõgareturque à ſeipſo. Ergo ſimiliter diſtaret elongareturque à ſeipſo, ſi non eſſet actu in ſpatio poſsibili interiecto. Minor cum conſequẽtia patet. Maior probatur: Quia Deus motu recto movere poſſet vnum Mũdum verſus alium; quãvis Moncæus male tueatũr oppoſitum, cum id damnatum ſit inter articulos Pariſienſes in fine libri quarti Magiſtri Sententiarum. Et præterea, iuxta communem fere ſententiam à nobis traditam *diſp. praeced. ſect. vltim.* Deus poteſt corpora movere ſucceſsivè per vacuum: in quo eadem ratio eſt quo ad præſens. Certum igitur eſt *Deum*, data ea hypotheſi, poſſe movere alterum Mundum motu recto, & proinde ſucceſsivo, circa alium. At motus rectus & ſucceſsivus neceſſario exigit diſtantiam & latitudinem percurrẽdam, vt cum omnibus Philoſophis ſtatuemus *infrà lib. 5. diſp. 32.* Ergo inter vtrũque Mundum eſſet diſtantia & latitudo percurrenda.

39 Quod vero tãta eſſet in ſpatio poſſibili, quanta foret ſi illud realiter exiſteret (quæ eſt altera aſſumpti noſtri pars) ſuadetur diverſimodè. *Primò*, & a priori: Quia res eadem quæ erat poſsibilis, in eadem perfectione, gradu, & menſura, in qua erat poſsibilis, ponitur à *Deo* ſub exiſtentia, quoties illam producit. Ergo diſtantia illa poſsibilis interiecta, eſſet tanta, quanta foret diſtãtia actu exiſtens in loco reali. *Secundò*, ab abſurdo: Quia ſi diſtantia illa poſsibilis interiecta non eſſet tanta quanta foret diſtantia actu exiſtens in loco reali producto inter vtrũque Mundum, ſed indeterminata & vaga, non poſſet practicè impleri a *Deo* per creationem alterius tertij Mundi occupantis totum illud ſpatium intermedium: quia tertius Mundus, & quælibet magnitudo corporea; ſolùm poteſt produci a *Deo* in determinata menſura, vt abundè demonſtratum eſt *diſp. 21.* Cùm ergo manifeſtum ſit poſſe impleri à Deo ſpatium illud interiectum per creationem alterius Mundi, oportet fateri tantam fore diſtantiam illius ſpatij poſsibilis, quanta foret ſi in ſpatio iam producto exiſteret actu. *Tertiò.* Ponamus (quod abſolute poſsibile eſt) Deum ſecare totum hunc Mundum per medium, ablato ſolùm vno palmo magnitudinis a ſummo ad infimum. Certè in hac hypotheſi, non modò incredibile, ſed & riſu dignum apparet, quòd inter alterum & alterum ſemi-mundum (liceat ita loqui) non maneat eadem diſtantia imaginaria, ſeu poſsibilis, quæ ante diviſionem erat actualis & realis. Nam ſi maior; poſſet Deus naturaliter producere pluſquam vnicum palmum magnitudinis, imò & mille palmos, & centies mille, in eo ſpatio, quod antea replebatur ab vnico palmo. Hoc autem abſurdiſsimũ eſſe, probatione non eget. Si autem minor; impleretur poſtea minori magnitudine, quã palmari, etiam non æquante latitudinem telæ aranearũ; quod eſt æquàlis abſurdi. Ergo de primo ad vltimum dicendum eſt diſtantiam illam ſpatij poſsibilis tantam fore, quanta foret in ſpatio exiſtente realiter.

40 *CONFIRM. I.* hæc vltima probatio à pari tẽporis realis. Faciàmus aliã hypotheſim, verè & abſolutè poſsibilẽ, quà Deus decernat annihilationẽ totius Mundi per vnicam horã, idq; exequatur, atq; elapſa hora Mundũ ipsũ reproducat. Certè in eo eventu ceſſaret omnino tẽpus reale per vnicã horã ex ceſſatione omnis motus, & ea elapſa rediret ſicut antea. Ergo in eo ſpatio durationis interiecto fluxit vna hora tẽporis ſolũ poſsibilis, & æqualis alteri horæ actuali & reali, quæ fluxiſſet, ſi Mundus non eſſet annihilatus ad horã. Alioqui licebit dicere in eo interſtitio fluxiſſe minùs, aut magis, etiãvſque ad myriades ſæculorũ, contra hypotheſim factam, & contra rationẽ omnem. Idem ergo dicendum de ſpatio locali poſsibili inter vtramque Mundi partem, comparato cum ſpatio actu exiſtenti ante diviſionem vtriuſque Mundi partis.

41 *CONFIRM. II.* ab inſtantia vacui. Fac aliam hypotheſim, vt Deus annihilet

elementum aëris totū ac ſolum nullo alio corpore in eius locum ſubrogato: & claritatis gratia ſupponamus totam regionem aëris habere modò centum leucas latitudinis a terra, vel aqua, vſque ad regionē ignis. Certè hiatus ille, ſeu vacuitas orta ex annihilatione, æqualis omnino erit ſpatio actuali & hodierno totius aëris. Nam ſi minor; iterum repleri poſſet, reproducta minori quantitate aëris, etiam non æquante latitudinē alarum muſcæ: Si autē maior; poſſet intra eam naturaliter produci maior quantitas aëris, imo & alius integer Mundus, hoc noſtro maior: quin & intra id ſpatiū, quod antea à minutiſsima aëris particula replebatur, inducere poſset Deus integrum Oceanum omnino naturaliter. Quæ omnia abſurda adeò ſunt, vt nec impugnationem mereantur. Eadem vero ratio eſt quantùm ad hoc de loco vacuo, ac de loco poſsibili; cùm in neutro detur actualis & poſitiva diſtantia, ſicut nec quantitas, a qua illa provenit; ſed ſolùm poſsibilis, quæ vtrobique appellari poſſet imaginaria.

42 EX Hac doctrina, & dictis progreſſu diſputationis, colligitur pariter Deū exiſtere actu in loco vacuo, *per eſſentiã*, ſive ſubſtantiam ſuam, licet non *per potentiã* ſicut in loco poſsibili, ſeu imaginario. Rationes enim eædem ſunt, & actualis infinitas divinæ immenſitatis cogit ad aſſerendum id de vtroque, ne aliquid maneat ab ea nō occupatum: præſertim, quia locus vacuus in nullo differt à loco purè poſsibili, niſi quod prior habet actu in circulo ſuperficiē aliquam a qua circumiretur ſi eſſet repletus corpore aliquo; poſterior vero illam actu non habet, ſed ſolum habere poteſt, ſi Deus vellet extra hunc Mundum operari. Quod vero Tertullianus, & quidam alij Veterum dicunt, Deum ante Mundi creationem ſolùm fuiſſe in ſeipſo, tantùm probat in nulla alia re exiſtente fuiſſe tunc, quia nulla extra Deū exiſtebat; nō verò nō fuiſſe extra Mūdum, aut in ſpatio purè poſsibili realiter.

Concludo appoſitiſsimis verbis S. P. N. Anſelmi in Monologio *c. 22.* circa mediū: *Quoniam ſummam eſſentiam totam inevitabilis neceſsitas exigit nulli loco vel tempori deeſſe, neceſſe eſt eam ſimul totam omnibus & ſingulis locis, & tēporibus præſentem eſſe.* Si omnibus; ergo & poſsibilibus, quæ dicūtur *imaginaria.*

DISP. VIGESIMA NONA:

DE DVRATIONE.

An diſtinguatur ab exiſtentia rei durantis?

Num. 1. *HÆC Controverſia quotidie à Recentioribus illuſtrior redditur, atque adeò difficilis, vt præſtantiores quilibet multùm olei & operæ in ea perdant. Nos quidem poſt eam ſemel elaboratam, & integrè diſcuſſam, plura alia notatu digna invenimus, quæ ad ipſam denuo exagitandam impulerunt. Communiter ab Interpretibus Ariſtotelis excitatur hoc* lib. 4. à cap. 10. vſque ad finem libri. *vbi ille agit de tempore. Cùm enim duratio reſpondeat tempori, & tantò maior aut minor ſit, quo longiori aut breviori tempori correſpondet, meritò diſſeritur de duratione vbi de tempore agitur; maximè cū Ariſt. c. 11. diſſerat vtrùm motus diſtinguatur à tempore, quod ſanè illius duratio eſt intrinſeca, vt ex dicendis palam erit. Quærimus igitur an duratio diſtinguatur ab exiſtentia cuiuslibet rei; idque ſive hæc ſit idem realiter cum eſſentia creata, ſive non.*

SECTIO PRIMA.

Præmittuntur quædam obſervatu digna, & referuntur variæ Philoſophorum ſententiæ.

2 DVRATIO communiter definitur, *perſiſtentia rei in exiſtendo.* Et D. Th. *in 1. diſt. 19. q. 1.* inquit: *Omnis duratio attenditur ſecundùm quòd aliquid eſt in actu. Tandiu enim res durare dicitur, quandiu in actu eſt, & non dum eſt in potentia.* Volunt autem aliqui, in primo inſtanti nondū exiſtere rei durationem, quia tunc nōdum perſiſtit, ſeu permanet in ſuo eſſe. Verius tamen eſt, & prælato D. Th. teſtimonio conformius, durationē rei abſtrahere à permanenti & ſucceſsiva, ſeu inſtantanea & tēporali; quoniam omne id quod exiſtit, etiam per vnicum inſtans, vere eſt in actu, & non in potētia. Ergo verè durat: quia duratio ſolùm attenditur penes exiſtentiam rei in actu. Neque obſtat quod duratio definiatur perſiſtentia rei in exiſtendo, & nulla

la res perſiſtat in primo inſtanti, ſed ſolùm exiſta, quod eſt aliquid minus, quam exiſtere. Reſpondetur enim, deinde omnem illam accipi de duratione ſimpliciter dicta, id eſt, eorum quæ permanent ultra primũ inſtãs ſuæ productionis, & proinde in primo inſtanti ſolùm initiatiue durant; non vero formaliter. At ſi duratio accipiatur ſolùm pro exiſtentia rei quamdiu in actu eſt, vti D. Th. decernit, verificari poteſt de inſtantanea & permanenti. Vnde & motũ & tempus durare dicimus, quãq; iã quodlibet mutatum eſſe vnius & inſtans alterius momẽto indiuiſibili tranſeant, ac ſingulæ partes vix incipiant cùm deſinant. Quia tamen quæſtio hæc multùm habet de nomine, & parum de re, ſtandum erit communi modo loquendi, quo res dicuntur ſolùm durare in ſecundo inſtanti.

3 *QVADRVPLEX* Duratio cõmuniter aſsignatur. Prima, & omnium præcipua, eſt æternitas, quæ iuxta Boetium 3. *de Conſol. proſa* 2. definitur communiter à Philoſophis & Theologis, *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſsio*: ſcilicet, duratio indiuiſibiliter & abſq; ſucceſsione vlla ambiens omnes durationes inferiores, eaſque in ſinu ſuo vaſtiſsimo comprehendens. Quã inter alios Eccleſiæ Patres eleganter exprimit Noſter Anſelmus in Proſol. *cap.* 19. Deũ ſic alloquẽs: *De æternitate tua nihil præterit, vt iam non ſit; neque aliquid futurum eſt, quaſi nondum ſit. Non ergo fuiſti heri, aut eris cras: ſed heri, & hodie, & cras es. imò nec heri, nec hodie, nec cras: ſed ſimpliciter es ſupra omne tẽpus.* Quare prædicta duratio eſt ſolius Dei propria, & ab ipſius *eſſe* indiſtincta; ſicut omnis Dei perfectio ſit indiſtincta realiter à Deo.

4 *SECVNDA* ſpecies durationis. Græcis *αἰὼν*, Latinis *æuum* dicitur & ſæpiſsimè in ſacris litteris pro æternitate accipitur: nã ferè quoties Septuaginta εἰς τὸν αἰῶνα habet Vulgatus Interpres *in æternum* vertit. Quare Maximus in Scholijs ad caput 5. Dionyſij de Diuin. nominibus notat, virtutes cœleſtes, ſcilicet, Angelos, ab illo *æonias* appellari, id eſt, ſẽpiternas, veluti participes æternitatis. Verba Maximi ſunt: *σημειωτέον ὅτι τὰς νοητὰς δυνάμεις αἰωνίας ἐκάλεσεν, ὡς αἰῶνος μετοχούσας. Obſeruandum eſt, intelligibiles virtutes ab illo vocari ſempiternas, tanquã æternitatis participes.* Hæc autem participatio deficiens eſt, & longe minus perfecta: nam licet æuum ſit duratio propria ſubſtantiarum per ſe ſubſiſtentium ab intrinſeco incorruptibilium, differt ab æternitate ſimpliciter dicta, ſaltem de facto, penes initiũ ſui, & penes finẽ de poſsibili: cum nulla ſubſtantia creata fuerit ab æterno, nulla etiã ſit creata in tempore, quæ non poſsit deſtrui à Deo abſolutè per ſuſpenſionem concurſus conſeruatiui. Quorũ tamen neutrũ competere poteſt æternitati ſimpliciter dictæ. Æuum itaque ſolùm eſt duratio ſubſtantiarum incorruptibilium per ſe ſubſiſtentiũ quæ reipſa & de facto in æternum manent, & ſempiternæ vocantur, quoniam incorruptibiles ſunt, & nequeunt deſtrui per aduentum formæ aut diſpoſitionis contrariæ, ſed per ſolam diuini concurſus ſuſpenſionẽ nunquam in re extituram.

5 *TERTIA* Duratio conuenit rebus permanentibus corruptibilibus, quæ nõ ſolùm initium in tempore habent, ſed etiam finẽ naturaliter habere poſſunt: qualia ſunt vt minimum omnia compoſita ſublunaria, & accidentia quælibet ordinis naturalis, item & ſubſtantiales formæ entitate materiali conſtãtes in quibuslibet mixtis, atq; elemẽtis. Omnia enim prædicta permanent aliquanto tempore, quædam maiore, quædã vero minore, vt experimento conſtat. Neque enim audiendi ſunt, ſiqui Veterum, vt Heraclitus & Cratylus, exiſtimarũt, res omnes ſingulis momẽtis eſſe alias atque alias, amiſſo eſſe quod habebant, & ſuccedente altero in locum ipſius. Reijciuntur enim, vel ſolo oculorum experimento, dum videmus eoſdem homines, lapides, ligna, & innumera alia, poſt aliquem temporis fluxum protius inuariata. Reijciũtur deinde ex doctrina reuelata, tùm vbi dicitur, *Generatio præterit, generatio aduenit; terra autem ſemper ſtat*; quibus indicitur eiuſdem numero terræ permanentia in eſſe: tum etiam omnibus ijs teſtimonijs, quibus edocemur vnicuique hominum pro ratione operum futuram retributionẽ æterni præmij aut ſupplicij; quod verum non eſſet, ſi homo ſingulis momentis eſſet alius & alius. Mitto plura alia cuilibet obuia ad redarguẽdum eiuſmodi errorem adeo ſtupidum, qui omnem rerum permanentiam, ſeu durationem, de medio tollit.

6 *QVARTA* denique conuenit rebus ſucceſsiuis, vt motui, & tempori, quæ etiã durare dicũtur per aliquod determinatum ſpatium maius aut minus, non quòd eadem pars, aut idem indiuiſibile permaneat: ſed quatenus idem motus & tẽpus ſit per ſucceſsionem aliquam ac [illegible] interruptam [illegible]. Obſeruare autem oportet, quod [illegible] ſolùm res permanentes durant per aliquod [illegible] intrinſecum, ſicut [illegible] motum ratione temporis, quod ipſi [illegible] rebus per

 ma-

manentibus ſolùm menſura extrinſeca ſit. Definitur enim motus ab Ariſt. *hoc lib. c. 11.* ... *numerus motus ſecundum prius & poſterius.* Scilicet, numerus obiectivus, ſeu pluralitas ſucceſſiva motuū continue fluentium, qui numerari poſſunt: vt in hora quatuor quadrantes, in die viginti quatuor horæ, & in anno duodecim menſes. Dividitur autem in tempus reale, & imaginariū. Reale eſt, ipſa motus ſucceſsio penes prius & poſterius, ſi actu exiſtat, & non ſolum poſſibilis ſit: & frequenter accipitur pro ſucceſsione motus primi mobilis, tanquā notiore, & regulariſſima ad res menſurandas quo ad ſui durationem, eaque ſic accepta, nam ſi reproduceretur, non eſſet idem tēpus, quod ſemel elapſum fugit irrevocabiliter. Neque huic doctrinæ opponitur clariſſimum Eccleſiæ lumen S. Aug. *lib. 11. Confeſſ. c. 23* dum ait: *Nemo ergo mihi dicat, cœleſtium corporum motus eſſe tempora: quia cum cuiuſdam voce dum Sol ſtetiſſet, vt victor Ioſue prælium peragerct, Sol ſtabat, ſed tempus ibat.* Non inquam, opponitur S. Doctor: quia no adſtringimus omne verum tempus motui cœlorum, ſed illud tantum quod omnium regulariſsimum eſt. Alioqui enim inferiores motus ſuum verum tempus habēt, quo intrinſecè durant. Sic eodem tempore quo ſtetit Sol ad vocem Ioſue, potuit volare aquila, vel lapis ex alto ruere, aut moveri lento gradu horologium recte diſpoſitum; ac proinde ij motus haberent ſuum propriū tempus, ſive ſucceſsionem partiū priorum ac poſteriorum, qua intrinſecè menſurarentur & alia quæque permanentia extrinſece menſurarent. Imaginarium vero tempus eſt ipſum tēpus poſsibile, cogitatum vt actu exiſtens, iuxta dicta *diſp. præced. ſect. 1.*

7 *HIS* poſitis, controverſia præſens tota eſt in examinando, quæ ſit ratio formalis qua durant res creatæ; an diſtincta ab earum exiſtentia, an potius ... ? Circa æternitatem vero ſimpliciter dictam, quæ eſt propria Dei, nulla ... eſt: quoniam omnes ſupponimus perſtiange ... eſſe, & indiviſibilem a Deo ... rante. Tota igitur difficultas eſt circa cæteras durationes creatas.

8 *PRIMA* Sententia docet durationē realiter diſtingui ab exiſtentia rei. Ita D. Bonaventura *in 2. diſt. 2. ar. 1. q. 3.* Henricus *Quodl.* ... *q. 11.* Argentina *in 2. diſt. 2. q. 1. ar. 2.* Mayron *q. 2.* Iavellus 4. *Phyſ. q. 10.* ... 1 *p. q.* ... *art. 4.* PP. Complutenſes *diſp.* ... *q. 3.* vbi patres noſtros Thomiſtarū pro eodem placito appellant. Et PP. Socie-

tatis Conimbricenſes *hoc lib. cap. 14. q. 14. ar. 1. & 2.* Rubius *ibidem quæſt. 4.* Soto 1. 2 *tract. 7. diſp. 2. n. 122.* Arriaga *diſp. 15 Phyſ. ca ſect. 1. n. 5.* Compton *diſp. 38 ſect. 1.* Vincentius *lib. 7. Phyſic. tract. 2. cap. 2.* Ex alijs Murcia *diſp. 3. q. 4.*

Verum relati Authores inter ſe dividuntur. Priores enim, quibus alij plerique adhærent, volunt durationem rerum quarumlibet, etiam permanentium, eſſentialiter eſſe ſucceſsivam, & quovis momento aliam atque aliam, perinde atque in rebus natura ſuā ſucceſsivis. Alij, vt Cardinalis de Lugo *diſp. 19. de Incarn. ſect. 1. num. 20.* addunt præterea, duratione ita ſucceſsivam eſſe, vt idem ſit realiter cū actione conſervante, quam ſingulis momentis aliā & aliā conſtituunt, ac diſtinctam ab actione primo productiva rei. Alij è contra, vt Thomiſtæ allegati, de duratione rerum permanentiū loquuntur tanquam de accidente ſuperaddito quidem, ſed permanenti, & intrinſece eodem, in quocumque tempore.

9 *SECVNDA* cenſet durationem non eſſe aliquid realiter & intrinſece ſuperadditum exiſtentiæ rerum permanentiū; ſed eandem exiſtentiam, vt ſe habētem in ordine ad tempus reale aut poſsibile, ſeu qua tenus extrinſecè determinatam per ipſum tempus, cum ipſa alioqui & intrinſecè permanens ſit. Ita Scotus *in 2. diſt. 2.* vbi & Nominales, ac Pontius *diſp. 46. Phyſic.* Pererius *Lib. 12. de Rebus Natur. c. 5. prop. 3.* Suarez *diſp. 50. Metaph. ſect. 1.* Hurtadus *diſp. 17. Metaph. ſect. 2.* Bartholom. Amicus *tract. 22. q. 1.* Franciſcus Alphonſus *diſp. 24. ſect. 2.* Vazquez *1 p. diſp. 13.* Gillius *ibidem lib. 2. tract. 10. c. 6.* Tellez *diſp. 65. Metaph. ſect. 1.* Quiros *diſp. 66. Curſus Philoſ. ſect. 3.* Lalemādet *diſp. 9. p. 6. n. 28.* quamvis ſtatuat diſtinctionem formalem ex natura rei, quæ Scotica dicitur; Spinula *diſp. 12. ſect. 4. ar. 1.* vbi & de rebus eſſentialiter ſucceſsivis addit, ſeipſis durare potius in vno tempore, quā in alio, & potius in tanto, quàm in tanto; non ſolum abſque vllo modo ſuperaddito, ſed etiā abſque vlla connotatione. Quod tamen a cæteris Authoribus videtur omiſſum, quanquam multum è re huius controverſiæ ſit. Demque eandē opinionē quatenus abſolute negat diſtinctionē realem durationis ab exiſtentia, tuetur M. Ioannes a S. Thoma in præſenti *quæſt. 18. art. 1.* loquens, tam de exiſtentia rerum permanentium, quam ſucceſsivarum. Allegantur etiam alij ex Thomiſtis, quos tamen non refero, quia non vidi ... adeo expreſse locuti, ac prædictus Author. In hac vero diſputatione ſolum

age-

agemus de duratione permanenti creaturarum, quam ſupponimus ex dicendis in libri progreſſu.

SECTIO SECVNDA.

Excluditur duratio permanens intrinſecè ſuperaddita exiſtentiæ rerum permanentium. Aliorum rationes in id probandum examinantur & reijciuntur.

10 SIT *Aſſertio*. Duratio rerum permanentium non addit realiter aliquid intrinſecum ſupra ipſarum exiſtentiam, quod permanens ſit. Hæc concluſio directè adverſatur plerique Authoribus primæ ſententiæ, cui olim ſubſcripſi, vt omnem connotatorum doctrinam vitarē. Poſtea verò re attentius inſpecta viſum, eam nō ſemper, nec vbique declinari poſſe: imò & notavi nonnullos Authores, qui quemlibet recurſum ad connotata angue & cane peiorem ducunt, planè eadem in præſenti devorare, proculdubio immemores ſui. Priùs tamen, quàm aſſertum probem, examinare placet rationes aliorum.

11 *PROBANT I.* aliqui: Quia Deus per hoc tantùm quòd exiſtat, dum fluit hodierna dies, dicitur hodie durare, & coëxiſtere diei hodiernæ. Ergo pariter creatura permanens, per hoc præcise quod exiſtat, dū fluit hodierna dies, dicitur verè durare, & eidem coëxiſtere: ac proinde ſicuti duratio non addit quidquam intrinſecum ſupra exiſtentiam Dei; ſic neque ſupra exiſtentiam creaturæ permanentis. *SED Contrà*. A Deo enim ad creaturam nullum argumentum ex paritate deſumi poteſt quò ad illa prædicata, quæ eſſentialia non ſunt, ſed accidentalia creaturæ, qualis eſt duratio in Adverſariorum ſententia. Sic ex eo quòd Deus per ſuam exiſtentiam dicatur & ſit præſens Romæ, poſitā ſolùm Romā in rerum natura, non infertur creaturam ſola ſuā exiſtentia præſentem eſſe eidem ſpatio loci Romani iam præſuppoſiti; ſed inſuper opus eſt modo vbicationis intrinſecè ſuperaddito. Ex eo etiam quòd perſonalitas Verbi divini, ac eſſentia divina ſub munere ſpeciei impreſſæ, ſiue aliquo intrinſecè ſuperaddito ſibi, vniatur intrinſecè, tum humanitati, tum & intellectui Chriſti Domini, minimè infertur ſubſiſtentiam vel ſpeciem impreſſam creatam vniri poſſe ſubiecto abſque vnione ſibi intrinſecè ſuperaddita. Quippe cū Deus præ creaturā ſit actus purus & illimitatus in omni genere, identificat ſibi perfectionē durandi ſemper abſq; indifferentia vlla vt exiſtat vel non exiſtat in qualibet differentia temporis; cōtrà verò creatura, quę ob ſui imperfectionem indifferens eſt vt coëxiſtat aut non coëxiſtat cuilibet temporis differētiæ; ac proinde indiget determinatione per aliquid intrinſecè ſuperadditum. Alioqui enim, nec determinato tempori coëxiſtet, nec potiùs vni quàm alteri, aut maiori, quàm minori.

12 *PROBANT II.* alij, &, vt ſibi videtur, vrgentiſsimè. Si enim res creata duraret per modum permanentem intrinſecè ſuperadditū, talis duratio eſſet tota ſimul, ac proinde indiviſibiliter reſponderet tēpori præſenti & futuro, quemadmodum æternitas. Ergo ex ſuppoſitione quod ſemel exiſteret creatura cum eiuſmodi creatione non poſſet a Deo deſtrui. Non enim poteſt deſtrui à Deo in aliquo tēpore futuro, quod à principio ſuæ durationis habuit durationem totam ſimul & indiviſim ſe extendētem ad quodlibet tempus futurum: ſicuti quod exiſtit in inſtanti A. nequit à Deo deſtrui in eodem inſtanti. Atqui manifeſtum eſt res permanentes paſſim deſtrui & interire per ſui corruptionem, nullamque creaturam ita ſtabilē eſſe, vt nequeat deſtrui à Deo ſaltē per ſuſpēſionē concurſus conſervativi. Ergo nulla creatura exiſtit per durationē intrinſecè ſuperadditā & permanētē.

13 *HÆC* illi. Sed miror inefficaciam huius rationis nō fuiſſe ab ijs detectam, tāquam nimiùm probantis, imò & probantis contra ipſos. Prior huius aſſumpti pars oſtēditur: quia ſi quidquam evincit ratio prædicta, probat etiam durationem propriam rerum æviternarum non eſſe permanentē, ac totam ſimul: quia alioqui ex ſuppoſitione ſuæ exiſtentiæ ambiret tempora qualibet futura, ac proinde nunquam poſſet à Deo deſtrui. Ex dicendis verò *diſp. ſequenti* apparebit, ævum, ſive durationem ſubſtātiarum ab omni materia ſeparatarum, permanentem & indiviſibilem eſſe. Poſterior aſſumpti pars ſuadetur: Quoniā retorqueri poteſt idem argumentum in ipſorum ſententiam, iuxta quam res permanentes durant per ſuam exiſtentiam, que ſanè indiviſibilis eſt, & tota ſimul; præſertim in ſubſtantijs ſpiritualibus. Ergo & ratione ſuæ exiſtentiæ ſemel productæ, indiviſim ac neceſſariò coëxiſtent cuilibet tempori futuro, ac proinde in nullo poterunt deſtrui à Deo. Quòd ſi verò ad ſucceſsionem extrinſecam temporis recurras, ideoque ſequelam neges, quia exiſtentia rei non conſtituit in actu ſecundo durantem in inſtanti B. donec fluat ipſum inſtans, vel ponatur actio conſervativa Dei, quæ abſolute ſub-

ſubtrahi poteſt; cur nõ eandem doctrinam adaptauis durationi ſuperadditæ, quamquam intrinſecè permanens ſit, & tota ſimul? Eadem quippe quantùm ad hoc vtriuſque ratio eſt.

14 *PROBANT III.* Recentiorum plurimi argumento celebri his temporibus. Ex eo quod exiſtentia Petri ſit indifferens vt coëxiſtat vel non coëxiſtat diei craſtinæ, non colligitur eius durationem reipſa diſtingui, aut intrinſecè ſuperadditam eſſe exiſtentiæ Petri. Ergo non vrget præcipuum illud contrariæ ſententiæ fundamentum. Aſſumptum probant: Quia etiam carentia Petri indifferens eſt vt coëxiſtat vel non coëxiſtat diei craſtinæ. Sicut enim Petrus hodie productus poteſt permanere aut non permanere cras; ſic etiam carentia hodierna Petri nondum producti poteſt permanere aut non permanere cras. Atqui non propterea carentia Petri durat hodie & cras per aliquid permanēs, intrinſecè ſuperadditum. Ergo &c. Probatur minor. Si enim carentia Petri hodie & cras duraret per aliquid permanens intrinſecè ſuperadditum; illud non eſſet modus poſitivus, vt patet, ſed negativus, ſeu alia carentia ſuperadditæ durationis. Hoc autem repugnat: quia carentia durationis ſuperadditæ, nequit eſſe ratio durandi, ſicut carentia albedinis ſuperadditæ nequit eſſe ratio dealbandi. *Confirmatur.* Si carentia Petri duraret per carentiam durationis Petro exiſtenti ſuperaddendæ, cùm hæc carētia poſterior ab æterno ſit, illa prior duraret ab æterno. At implicat aliquid extra Deum ab æterno durans, ſaltem de facto. Ergo carentia Petri non durat per carentiam durationis ſuperaddendæ Petro exiſtenti.

15 *VERVM* hic diſcurſus tricis ſolùm & cavillis plenus eſt, atque è Sophiſtarum penu depromptus. Et primò quidē, ſi aliquod abſurdum infert ex oppoſita ſententia, illud ipſum devorare debet. Aut enim hi Authores ſupponunt carentiam Petri durare, aut non. Si hoc ſecundùm aſſerant, idem reſpondebunt Adverſarij: ideoque argumentum erit de ſubiecto non ſupponente. Si verò dicant carentiam Petri durare quandiu non eſt Petrus; dicere debent illam durare per ſeipſam, & non per aliam carentiam durationis ſuperadditæ. At quomodo carentia, quæ ſeipſa excludit durationem, poteſt durare per ſeipſam, ſi carentia albedinis per ſeipſam nequit dealbare? Aut quomodo carentia Petri non duravit ab æterno, ſi per ſeipſam durat quandiu non eſt Petrus, & Petrus ab æterno nō eſt? Authores ergo prædicti hærent in eadē ſalebra, & cavillum obijciunt, quem extricare omnino teneātur. Deinde dicere poſſunt Adverſarij indifferentiam rei exiſtentis vt coëxiſtat vel non coëxiſtat diei craſtinæ eſſe poſitivam, veram, & propriā; ideoque, vt determinetur, exigere formam exiſtentiæ ſuperadditam in ordine ad tempus, ſicut indiget vbicatione adiuncta in ordine ad vnum locum potiùs, quàm ad alium. At verò carentia eſt purum nihil, quod neque exiſtit, nec durat, nec vbicatur, quoniam hæc ſunt prædicata propria entis realis.

SECTIO TERTIA.

Solidiores probationes Aſſerti præcedentis, quibus & euaſiones Adverſariorum præoccupantur, & illorum argumenta præcipua retorquentur.

16 ALITER Itaque probandum eſt Aſſertum: & primò quidem ratione petita ex D. Thomà verbis *num.* 2. allegatis, quam ſub hac forma propono. Omnis duratio attenditur ſecundùm quod aliquid eſt in actu. Sed quælibet creatura permanens eſt in actu per exiſtētiam, & non per aliquod permanens eidem exiſtentiæ ſuperadditum intrinſecè. Ergo quælibet creatura permanēs durat per exiſtentiam, & non per aliquid permanens, quod ſit eidem exiſtentiæ intrinſecè ſuperadditum. Maior eſt ipſiſſima propoſitio S. Doctoris, & præterea ab eodem probatur, quia tandiu res durat quandiu eſt in actu exiſtentiæ, non verò quandiu eſt in potētiâ ſeu quandiu non exiſtit. Omnis ergo duratio attenditur ſecundùm quod eſt in actu. Iam verò minor illa videtur manifeſta: Quia exiſtentia eſt ratio formalis, quà creatura extrahitur à potentia obiectiva, ſeu logica, ſub qua erat; & ponitur in actu: imò & in actu vltimo, & excludente omnem aliū ſibi intrinſecè ſuperadditum; vt alibi ex eodem S. Doctore oſtenſum eſt cum pleriſque Adverſariorum. Conſequentia verò rectè infertur.

17 Ex hoc diſcurſu & teſtimonio D. Thomæ exponitur facilè locus alius, quē nobis opponunt plures Diſcipulorum ipſius, *ex* 1. *p.q.*10. *art.* 2. vbi inquit: *In Deo duratio propria eius non diſtinguitur ab illo: ſecus vero in creaturis.* Vbi non loquitur de diſtinctione ſolius rationis: hæc enim etiā invenitur inter eſſe divinum & ipſius durationem. Reſpondetur enim, nihil mirum ſi ſola duratio Dei ſit realiter idem cum ipſo,

ſo, quandoquidem ex mente S. Thomæ ſolus Deus identificat realiter ſuam exiſtentiam, quæ eſt ipſius duratio. Omnes verò creaturæ, cum diſtinguantur realiter ab exiſtentiâ, etiam reipſa à ſua duratione diſtinguuntur. Quare teſtimonio prædicto ſolùm vrgeri poſſunt, qui eſſentiam creatam aiunt eſſe idem realiter cum exiſtentia; non verò quicumque tuemur oppoſitum. Cùm enim ex mente eiuſdem S. Doctoris nuper probatum ſit, durationem ſolùm attendi ſecundùm quod aliquid eſt in actu, & res ſit in actu ratione exiſtentiæ; idem eſt aſſerere, omnem creaturam diſtingui realiter a ſua duratione, atque a ſua exiſtentia.

18 *QVIA* verò multi ex Adverſarijs non facilè deferent teſtimonio S. Thomæ, oportet illius diſcurſum roborare aut illuſtrare multipliciter. *Primò*; quia durare rem permanentem nihil aliud eſt, quàm illam invariatam coexiſtere ex ſe, modo vni, modo alteri tempori. Sed rem eandē invariatam coexiſtere ex ſe modò vni, modo alteri tempori, nihil permanens aut intrinſecum addit ſupra exiſtentiam rei & ipſius temporis. Ergo durare rem permanentem nihil addit permanens aut intrinſecum ſupra exiſtentiam rei & ipſius temporis. Maior patet: quia durare eſt perſiſtere in eſſe, & durare permanenter eſt perſiſtere invariatum in diverſis temporibus. Minor autem probatur: Per hoc enim preciſe quòd res permanens exiſtat, modo in vno, modo in alio tempore, nullo alio ſuperaddito; coexiſtit invariata modo vni, modo alteri tempori. Coexiſtentia enim eſt mutua duorum exiſtentia. Ergo rem eandem invariatā coexiſtere, modo vni, modo alteri tempori, nihil permanens intrinſecè addit ſupra exiſtentiam rei, & ipſius temporis. *Secundò*: Id ſufficit vt res duret in quolibet inſtanti, aut tempore, quod ſufficit vt eidem inſtanti, aut tempori coexiſtat: neque quidquam aliud intelligitur nomine, aut reipſa durationis, quàm eiuſmodi coexiſtentia. Sed vt res coexiſtat cuilibet inſtanti aut tempori ſufficit exiſtentia eiuſdem rei & ipſius temporis. Hoc enim ipſo quòd vtrumque extremum exiſtat, vnum alteri coexiſtit. Ergo vt res duret in quolibet inſtanti aut tempore ſufficit exiſtentia eiuſdem rei & ipſius temporis.

19 *Tertiò*, & ad hominem contra Adverſarios. Si enim exiſtentia permanens cuiuſque rei non ſufficeret ad durandum ſive coexiſtendū cuicumque tempori ſucceſsivè fluenti; neque etiam ſufficeret duratio permanens ſuperaddita. Propterea enim potiſsimum probant, non ſufficere exiſtentiam permanentem rei ad coexiſtendum cuicumque tempori ſucceſsivè fluenti, nec potiùs vni, quàm alij, quia cùm ex ſe indifferens ſit ad hoc vel illud tempus, & ad maius aut minus, indiget aliquo intrinſecè ſuperaddito, quo determinetur ad coexiſtendum potiùs vni, quàm alteri tempori aut inſtanti. Atqui etiam duratio permanens ab Adverſarijs ſuperaddita, ex ſe indifferens eſt ad hoc vel illud tempus, & ad maius aut minus. Poteſt enim & ſolet durare & exiſtere, in hoc vel illo tempore, modo diuturniore, modo breviore, vt patet. Ergo & duratio permanens ſuperaddita exiſtentiæ non ſufficiet, ſeu indigebit aliquo intrinſecè ſibi ſuperaddito; quo determinetur ad coexiſtendum potiùs vni, quàm alteri tempori, aut inſtanti. Cumque de hoc ipſo noviter ſuperaddito; ſi permanens ſit, idem argumentum fieri poſsit; ſicuti & de quovis alio atque alio; aut dabitur proceſſus in infinitum, aut dicendum erit a principio, ſolam rei exiſtentiam permanentem, & intrinſecè invariatam, ſufficere vt res duret, ſeu, quod perinde eſt, coexiſtat cuilibet tempori ſucceſsivè fluenti.

2 *Quartò*, & ſimiliter ad hominem contra nonnullos Recentiorum, quibus evidens apparet, nullam fore in *Deo* potentiam ad deſtruendam rem permanentem poſtquam exiſtit, ſi exiſtentia permanens illius eſſet ratio formalis durandi in poſterum abſque intrinſecâ ſui variatione: quoniam ſic duratio rei eſſet tota ſimul pro præſenti & futuro tempore; ac proinde fieri non poſſet, vt impediretur a coexiſtendo futuro tempori. Atqui ratio hæc, aut nihil probat, aut probat idem abſurdum de duratione permanenti ſuperadditâ. Hæc enim, præſertim in ſubſtantijs immaterialibus, etiam eſt tota ſimul pro præſenti & futuro tempore; ac proinde, ſi aliquid probat argumentum, impediri non poterit à *Deo*, ne coexiſtat tempori futuro, poſtquā præſenti coexiſtit: Ergo nec poterit deſtrui à *Deo* poſtquàm ſemel producta eſt. Quod ſi Adverſarij dicant, durationem ſuperadditam deſtrui a *Deo* poſſe, quia habet extrinſecam ſucceſsionem ex parte temporis connotati, aut actionis conſervativæ *Dei*; quamvis intrinſeca ſucceſsione careat; cur nobis non licebit idem aſſerere de exiſtentia rei, quanquam intrinſecè permanente? Licebit planè: ac proinde dicimus, quam-

li-

libet rem permanentem, quamvis duret per propriam exiſtentiam, eamque intrinſecè invariatam, & indiviſibilem, poſſe deſtrui à *Deo* quolibet momento immediatè ſequuto ad ſui productionem: quia pendet à continuatione actionis productivæ, ſive, quod idem eſt, à conſervante actione *Dei*, quæ quolibet momento ſequenti ſubtrahi poteſt; & ſine qua nequit exercitè atque in actu ſecundo coexiſtere inſtanti aut tempori futuro; ſed tantùm ex ſe, & in actu primo.

21 CONFIRMATVR, & illuſtratur hæc doctrina appoſitiſsimis inſtantijs, quæ etiam deſerviunt vberiori probationi noſtræ ſententiæ. *Prima* ſit in ſpeciebus Angelo infuſis, quæ totæ ſunt ſimul ab inſtanti creationis, & ſufficiunt ad repræſentanda quælibet obiecta futura, dum hæc extiterint, abſque aliqua additione intrinſeca, per ſolum adventum eorundem futurorũ, quibus intelligibiliter coexiſtunt. Et tamen poteſt hæc actualis atque exercita futurorum repræſentatio impediri à Deo, per præviam Angeli deſtructionem, atque ipſarum ſpecierum. *Secunda* in relatione prædicamentali, quæ iuxta valde probabilem opinionem, etiam in Scholâ D. Thomæ, non addit aliquid intrinſecè ſupra fundamentum proximum; quod ſecundùm ſe eſt forma ſufficiens ad denominandum ſubiectum relatum in ordine ad terminũ, ſive præſentem, ſive futurum, abſque intrinſeca variatione, per ſolam extrinſecam determinationem, ſeu poſitionem eiuſdem termini. At nihilominus poteſt relatio prædicamentalis deſtrui à Deo, & impediri eius exercitium actuale, ita vt non coexiſtat futuro termino. Imo & in ſententia Thomiſtarum frequentiore, qua aſſeritur, relationem quidem fundamento intrinſecè ſuperadditam eſſe, at eandem realiter in ordine ad plures terminos ſibi ſuccedentes ſecundùm durationem; hæc doctrina locum habet: quoniam paternitas eadem v. g. potens invariata intrinſecè plures filios ſibi ſuccedentes reſpicere, poteſt deſtrui à Deo antequam exiſtat ſecundus vel tertius filius, & impediri ab actuali exercitio reſpiciendi vtrumque. *Tertia*, & in omnium ſententia, eſt in arbore exorta intra flumen: quæ eadem indiviſibili vbicatione, ſeu præſentia intrinſecè invariatâ & immobili, coexiſtit ac reſpondet innumeris vbicationibus aquæ decurrentis. Et tamen deſtrui poteſt à Deo, impedirique à coexiſtendo vbicationibus aquæ futuris in eodem flumine. Sunt & aliæ pleræque inſtantiæ in idem probandum, ac ſuadendum, poſſe eandem exiſtentiam rei permanentis, intrinſecè invariatam, reſpondere, & coexiſtere modò vni, modo alteri temporis extrinſecè durationi, addita ſolùm determinatione effectiva ex parte actionis conſervantis, & formali extrinſeca ex parte temporis vnius præ alio, aut longioris, quàm brevioris; ſive illud realiter exiſtat, ſive ſolùm poſsibile ſit.

22 *DICES*: Sive qui affirmant, ſive qui negant potuiſſe mundum ab æterno exiſtere, aſſerunt ex ſuppoſitione quod res permanens fuiſſet ab æterno creata, duraturam infinitè à parte antè, idque neceſſariò, & quin poſſet à Deo deſtrui in infinità duratione anteriori. At hoc ideo colligunt, quia duratio æterna eſt indiviſibilis, & tota ſimul reſpondet quibuslibet temporibus, ac proinde caret partibus fluentibus & finitè diſtantibus, quarum vna immediatè poſt alteram deſtruatur. Ergo pariter, ſi quarumlibet rerum permanentium duratio eſt indiviſibilis, & tota ſimul, caretque partibus fluentibus & finitè diſtantibus, quarum vna immediatè poſt alteram deſtruatur; res permanens non poterit à Deo deſtrui in infinita duratione.

23 *SED Contrà*. Non enim præciſè colligitur rem permanentem ab æterno creatam fore indeſtructibilem in infinita duratione a Deo, quia æterna duratio eſt indiviſibilis & tota ſimul. Alioqui cum ævum Angeli iuxta frequentem ſententiã ſit duratio indiviſibilis & tota ſimul, colligeretur Angelum ſemel durantem nunquam de cætero à Deo annihilari poſſe; quod abſurdiſsimum eſt. Quare indeſtructibilitas rei ab æterno permanentis colligitur ex ratione propria durationis æternæ à parte antè, cuius exiſtere eſt ſemper extitiſſe, & infinitè diſtare ſecundùm durationem à ſui deſtructione. Quidquid enim ſemel productum eſt, nequit deſtrui ab æterno, ſed in tempore reali aut poſsibili, quod non diſtet ab hodierno die infinitè, ſecundùm durationem; vtpote clauſam inter duos terminos immediatos intra proprium genus. Ergo deſtructio illius debet diſtare infinitè à productione æterna: ſicut omne quod fit in tempore, ſive antecedenti, ſive ſubſequenti, diſtat infinitè ab eo quod æternum eſt. Hæc autem ratio non militat in duratione permanenti rerum creatarum in tempore: quæ licet quoad intrinſeca ſit indiviſibilis & tota ſimul, non exi-

git

git infinitè diſtare à ſui deſtructione; ſed potius fundat ius diuini dominij, vt poſsit rem pro libito deſtruere quolibet inſtanti ſequenti (vt latius apparebit ex libris de Anima) per ſuſpenſionem concurſus Dei conſervantis.

24 *CONFIRMATVR II.* Per hoc enim præcisè quòd res aliqua primo producatur aut conſervetur, durat in inſtanti aut tempore. Ergo per hoc præcisè quòd accipiat primam exiſtentiam, aut eiuſdem exiſtentiæ continuationem, abſque omni alio ſuperaddito, durat in inſtanti aut tẽpore. Conſequentia patet: quia res qualibet a prima ſui productione accipit primam exiſtentiam; a conſervatione verò continuationem eiuſdem exiſtentiæ, quoniam conſervatio eſt, continuata productio. Antecedens probatur: quia per hoc præcisè quod res aliqua primò producatur, aut conſervetur, abſque omni alio intrinſecè ſuperaddito, verificatur de illa eſſe nunc & eſſe tandiu, vivere multum aut parùm, permanere minùs aut magis; quæ omnes ſunt propijſsimæ rationes rei formaliter durantis. Ergo per id præcisè res durat in inſtanti, aut tempore, & in maiore aut minore.

25 *DICES*, poſitâ ſolùm actione primo producente, aut conſervante, & ſublato omni alio intrinſecè ſuperaddito, rem non duraturam formaliter, ſed ſolùm fundamentaliter; ad eum modum, quo dicere ſolent quotquot relationem prædicamentalem à fundamento diſtinguunt, duo alba, impedita reſultantia ſimilitudinis relativæ, futura ſolùm ſimilia fundamentaliter.

26 *SED Contrà I.* Inintelligibile enim eſt rem eſſe in inſtanti aut tempore, & non eſſe in actuali exercitio durandi inſtantaneè aut temporaliter: ſimiliter & rem eſſe diutius quam aliam ſub actione Dei conſervativa, quin ſit ſub actuali exercitio diutius durandi. *Tandiu enim unum res durare dicitur, quandiu in actu eſt*, vt ſupra audivimus ex D. Thoma, & ex ſe patet. Atqui exercitium actuale durandi eſt proprium rei formaliter durantis, ſicut & in iſta opinione exercitium actuale referendi eſt proprium formæ relativæ, & exercitium actuale conſtituendi ſimile eſt propriiſsimum ſimilitudinis formalis. Ergo inintelligibile eſt, rem eſſe in inſtanti aut tempore, & durare formaliter inſtantaneè aut temporaliter. *CONTRA II.* Quicumque ſine modo illo ſuperaddito durationis cõſervaretur à Deo centum annis, maiori longè beneficio obſtrictus eſſet præcisè ex hoc capite, quàm qui ſolùm conſervaretur à Deo per vnicum diem, quamvis addito ſibi modo intrinſeco durationis diurnæ. Quod videtur à nemine poſſe negari. Ergo quia prior magis duraret, ſine modo ſuperaddito, quàm poſterior, ſuperaddito modo. At non poſſet prior durare magis, ſine duratione formali & maiore; ſicut nemo poteſt eſſe magis albus quam alius, ſine formali & maiori albedine. Ergo prior ille abſque modo ſuperaddito duraret formaliter. *CONTRA III.* & retorquetur inſtantia relationis prædicamentalis, qua ſe muniunt Adverſarij. Aut enim formalis duratio, quã ſuperaddunt exiſtentiæ rei, eſt forma relativa prædicamentaliter, aut non? *PRIMVM* eſſe non poteſt iuxta ipſorum doctrinam: quia omnis relatio prædicamentalis in eorum opinione variatur intrinſecè ad variationem termini incompoſsibilis cum alio priori termino; eſto poſsit eadem intrinſecè permanere ſuccedente alio termino materiali & ſecundario, qui ſit cum priori compoſsibilis: vt aiunt de paternitate in ordine ad ſecundum & tertiũ filium. Sed duratio formalis, quam in præſenti defendunt, non variatur intrinſecè ad variationem termini incompoſsibilis cum alio priori termino. Ergo duratio formalis, quam in præſenti defendunt, nequit eſſe relatio prædicamentalis. Probatur minor: Quia tempus hodiernum & craſtinũ ſunt duo termini incompoſsibiles; & in ordine ad vtrumque non variatur intrinſecè duratio rei permanentis in opinione Adverſariorum, ſed eadem omnino perſiſtit. Ergo duratio formalis, quam tuentur, non variatur intrinſecè ad variationem vnius termini incompoſsibilis cum alio priori termino.

27 *Confirmatur* hæc impugnatio. Nulla relatio prędicamentalis exiſtere poteſt, non exiſtente in rerum natura termino. Ita enim decernunt communiter Philoſophi in Prædicamentis agentes de relatione. Sed duratio ab Adverſarijs tradita exiſtere poteſt non exiſtente in rerum natura termino. Ergo duratio ab Adverſarijs tradita non eſt relatio prædicamentalis. Conſequentia eſt evidens *in Feſtino*. Minor, quæ ſola probatione indiget, ſuadetur. Terminus enim durationis permanentis traditæ ab Adverſarijs, v.g. hominis creati hodie, eſt tempus hodiernum. Atqui duratio illa exiſtere poteſt non exiſtente tempore hodierno, ſed iam tranſacto; ſcilicet, illam perſeveraturam aiunt die craſtino, in-

incompoſsibili cum hodierno. Ergo duratio ab Adverſarijs tradita exiſtere poteſt, termino ſuo in rerum natura non exiſtente. *Vlterius*. Si Deus nihil aliud creaſſet, quam vnicum hominem, eius duratio exiſteret, non exiſtente vllo termino illius; quia tunc nullum tempus reale exiſteret. Sed nulla relatio exiſtere poteſt, termino ipſius non exiſtente. Ergo duratio illius hominis non eſſet relatio prædicamentalis. Ergo ſimiliter id quod de facto conſtituit durantes cæteras res permanentes non eſt aliqua relatio prædicamentalis intrinſecè ſuperaddita. *SECVNDVM* etiam nequit eſſe; ſcilicet, id quo res permanens conſtituitur formaliter durans, eſſe formam permanentem abſolutam, exiſtentiæ ſuperadditam, & nullatenus relativam. Hoc enim ſatis impugnatum manet diſcurſibus præiactis, & inſtantijs adductis *numer*. 21.

28 *ADDENDVM* (ſi eiuſmodi duratio permanens ſuperaddita & abſoluta, ſit adæquata forma durandi, & independens ab omni alio extrinſeco, vt volunt Adverſarij) ſequi ex illa, Petrum initio anni & menſe Ianuario, iam duraturum in fine anni, & Decembri menſe, ac vice verſa: quod abſurdiſsimum, imo & riſu dignum eſt. Sequelam probo: Quia in ea ſuppoſitione doctrinæ adverſæ Petrus initio anni, ac menſe Ianuario, haberet cauſam formalem adæquatam & prorſus abſolutam durandi in fine anni, & menſe Decembri. Poſita autem cauſa formali & prorſus abſoluta alicuius effectus formalis, hic debet dari ſtatim in ſubiecto capaci. Ergo cum Petrus ſit ſubiectum capax durandi toto anno, ſi à principio illius, & menſe Ianuario, habet durationem permanentem ſuperadditam, quæ ſit forma adæquata & abſoluta durandi in fine anni, & menſe Decembri; iam à principio anni duraret in fine ipſius ac menſe Decembri. Similiter, & ob eandem rationem, exiſtens in menſe Decembri duraret principio anni; & dum eſſet in anno vitæ ſexageſimo duraret primo inſtantiæ ſuæ anno, atque è contrà. Denique, niſi recurrant Adverſarij ad tempus extrinſecum reale aut poſsibile, vel ad actionem Dei conſervantem, tanquam determinativum extrinſecum ſaltem, concedere debent, quod concedi non poteſt, nec intelligi: ſcilicet, Petrum menſe Ianuario mortuum, non proptereà deſiſſe durare menſe Decembri eiuſdem anni; quia iam à principio Ianuarij habuiſſet formam adæquatam & prorſus abſolutam durandi menſe Decembri eiuſdem anni.

29 *NVNC*, recto doctrinæ ordine, oporteret nos aſſerere & probare, durationem rerum permanentium non eſſe aliquid ſucceſsivum intrinſecè ſuperadditum exiſtentiæ ipſarum. Sed hoc pleniùs & fortaſſe opportunius tradennus diſputatione ſequenti *per tot.* vbi ex profeſſo oſtendemus, rerum permanentium durationem intrinſecam non eſſe ſucceſsivam, neque quodlibet momento aliam & aliam, ſed permanentem. Quare doctrina præcedentis aſſerti ſolum concludit, rerum permanentium durationem non eſſe quid permanens ſuperadditum exiſtentiæ ipſarum, neque abſolutum, nec relativum. Pleræque autem rationes huculque propoſitæ, ſi rectè inſpiciantur, abſolute & æqualiter probant, cuicunque rei creatæ permanenti ad durandum formaliter ſufficere exiſtentiam vt formam intrinſecam, connotata actione conſervante ex parte cauſæ efficientis, & tempore reali aut poſsibili formæ extrinſecè determinantis. Eadem enim exiſtentia rei indifferens ad durandum tanto, vel tanto tempore, determinatur, tum activè per actionem conſervantem, tum & formaliter extrinſecè per tempus reale aut poſsibile tantum, vel tantum, vt tantundem permaneat & duret res. Quare obiectio ſuperpropoſita nequit contra nos retorqueri.

SECTIO QVARTA.

Obiectiones, tum communes, tum & exquiſitiores opinionis contrariæ, in Adverſarios retortæ ac ſolutæ.

30 PRÆTER Argumenta plura adverſæ opinionis, quæ obiter enervavimus aut retorſimus præcedenti ſectione, ſunt, & obijci poſſunt nonnulla alia. *PRIMVM* eſt. Separatio realis evidenter arguit diſtinctionem realem extremorum. Sed exiſtentia rerum permanentium ſeparatur realiter ab illarum duratione. Ergo diſtinguitur realiter ab illa. Probatur minor multipliciter. *Primò*. Poteſt enim quælibet creatura ex ſe permanens exiſtere vnico inſtanti, & ſtatim deſirui à Deo. In ea autem hypotheſi exiſtentia illius ſepararetur à duratione, quæ non eſt in primo, ſed ſolùm in ſecundo inſtanti. Ergo exiſtentia rerum permanentium ſeparatur, aut ſeparabilis eſt realiter ab earum du-

durationе. *Secundò*. Eadem exiſtentia Petri poteſt durare vnico menſe, & non duobus. Ergo ſeparari poteſt realiter à duratione bimeſtri: ac proinde hoc quod eſt durare bimeſtri eſt quid realiter diſtinctum ab exiſtentia Petri. Similiter & poteſt exiſtere in inſtanti A. quin exiſtat in inſtanti B. Ergo prout in inſtanti B. addit durationem ſeparabilem, ac proinde diſtinctam. *Tertiò*, & vrgentiùs. Poteſt enim exiſtere Petrus & inſtans A. quin ambo coexiſtant. Etenim ſi inſtans A. tranſierit, & Petrus poſtea exiſtat, de vtroque verificatur exiſtere aut extitiſſe ſimpliciter, cùm tamen ſibi invicem non coextiterint. Ergo coexiſtentia Petri & inſtantis A. eſt quid realiter ſeparabile ab exiſtentia vnius & alterius extremi. *Quartò*. Ponamus Petrum duobus retrò diebus obiiſſe. Hodie verum eſt dicere, exiſtentiam Petri, & exiſtentiam diei heſternæ ſimpliciter fuiſſe. Et tamen verum non eſt, Petrum & diem heſternũ ſibi invicem coextitiſſe. Ergo coexiſtentia Petri & diei heſternæ eſt quid ſeparabile & diſtinctum ab exiſtentia ſimpliciter vnius & alterius extremi. At eiuſmodi coexiſtentia eſt duratio. Ergo hæc ſeparabilis eſt ab exiſtentia vtriuſque extremi ſimpliciter.

31 *RESP*. Argumentum hoc manifeſtam inſtantiam pati in duratione permanenti, quam Adverſarij ponunt realiter ſuperadditam exiſtentiæ. Quod enim illa perſiſtat duobus diebus, eſt realiter ſeparabile ab eo vt perſiſtat vnico die. Ergo & duratio rei permanentis duplici die erit realiter diſtincta à duratione eiuſdem rei per diem vnicum. Inſuper, poteſt extitiſſe dies heſternus, & duratio Petri ſuperaddita non extitiſſe heri, ſed antea. Ergo vt hæc coexiſteret diei heſterno deberet ſuperaddere durationem aliam ab vtroque extremo ſeparabilem, ac proinde diſtinctam realiter. Videant igitur Adverſarij quomodo ſe expediant ab hac difficultate, qua pariter vrgeri debent, ſi quidquam vrget.

32 *DEINDE* ad formam argumenti, nego minorem. *AD I. Probationem*, conceſſa maiore, nego minorem: quia, quidquid ſit circa communem modum loquendi, quo dicuntur illa ſolùm durare, quæ ampliùs quàm vnico inſtanti permanent; at nihilominus res in primo inſtanti verè durat, quia verè eſt in actu, & non in potentia, vt *num.* 2. oſtenſum eſt ratione & teſtimonio S. Thomæ; & quamvis ea duratio non ſit permanens in exercitio, atque in actu ſecundo, eſt tamen permanens, & diuturna in actu primo, & per ſe loquendo, ſicut ipſa exiſtentia rei permanentis. Vnde non ſequitur, exiſtentiam ſeparari à duratione. *AD II. Probationem*, cõceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: Petri exiſtentia poteſt ſeparari à duratione bimeſtri quò ad intrinſeca durationis; nego: quò ad extrinſeca ipſius, quæ ſunt actio conſervativa ex parte efficientis, & tempus bimeſtre ex parte menſuræ, ſeu formæ extrinſecè determinantis; concedo conſequentiam. Idem dico de duratione prout in inſtanti A. & non in B. quæ ſeparari poteſt à duratione in B. quò ad extrinſeca ſolùm. Duratio enim pro quovis inſtanti aut tempore determinato; importat exiſtentiam rei, vt excludentem carentiam ſui pro illo ipſo inſtanti aut tempore; non verò ſecundum ſe præciſe conſideratam. Excludit autem carentiam ſui pro quolibet inſtanti, aut tempore, quatenus in illo connotat ex parte agentis actionem Dei qua conſervatur, & ex parte termini, ſeu menſuræ extrinſecæ, inſtans vel tempus, ſive reale, ſive ſaltem poſſibile. Quæ doctrina illuſtrari poteſt Inſtantijs adductis *num.* 20. ſi rectè applicentur. *AD III.* negatur aſſumptum: quia tantum illa duo exiſtunt, quæ exiſtunt de præſenti; non verò quæ extiterunt de præterito, aut exiſtent de futuro; aut quorum alterum exiſtit, & alterum extitit, exiſtetvè. Quare nunquam verificatur, Petrum & inſtans A. exiſtere, quin invicem coexiſtant: quia coexiſtere duo nihil aliud eſt, quàm ambo exiſtere, & ambo non exiſtunt, niſi de præſenti. *AD IV.* conceſſa maiore & minore nego conſequentiam: quia exiſtentia ſimpliciter vnius & alterius extremi, non conſiſtit in eo quòd vnumquodque illorum extiterit; ſed in eo quòd vnum & alterum exiſtat: coextitiſſe verè ſolùm conſiſtit in eo quòd de vtroque aliquando verificatum fuerit vtrunque ſimul extitiſſe: coexiſtentia de futuro, in eo quòd vtrunque aliquando ſimul exiturum ſit. Nihil autem horum verificatur in caſu obiectionis: ſemperque deprehenditur, coexiſtentiam duorum importare ſimpliciter exiſtentiam vnius, & alterius; non vero vnius tantum, quamvis alterum iam extiterit, aut poſtea exiturum ſit.

33 *DICES*: Quia hoc quod eſt quantitatem Petri exiſtere in loco B. eſt ſeparabile ab illa ſecundùm ſe, colligimus vbicationem, ſeu præſentiam in loco B. eſſe formam quantitati intrinſecè ſuperadditã.

Sed

Sed etiã exiſtentiã Petri durare in inſtãti B. eſt quid ſeparabile ab eadem exiſtentia ſecundùm ſe conſiderata. Ergo etiam addit aliquid intrinſecè vltra exiſtentiam. *RESP.* negando maiorem, ſi intelligatur de ratione adæquata. Hæc enim conſiſtit in eo quod præſentia Petri in loco B. ſeparetur ab ipſius quantitate & loco in rerum natura exiſtentibus. vt patet in mea quantitate, & loco diſtanti, quorum vtrunque ſimpliciter exiſtit, & tamen quantitas méa non eſt præſens ipſi loco. Ergo præſentia in eo loco ſeparabilis & diſtincta eſt ab vtroque extremo ſimpliciter in rerum naturâ exiſtente. Fieri autem non poteſt vt exiſtentia Petri non coexiſtat inſtanti B. ſi inſtans B. in rerum natura ſit: quia coexiſtentia duorum ſolùm exigit, vt quando exiſtit vnum exiſtat aliud. Patet igitur, diverſam eſſe rationem inter præſentiam localem, & durationem ſeu coexiſtentiã. Ex quo obiter colliges pulchram rationem diſcriminis inter durationem æternam, & temporalem, quamvis hæc permanens, imò & ævitema ſit: quòd prior coexiſtere debeat neceſſario cuicumque rei exiſtenti, ſive permanenter, ſive traſeunter, ob amplitudinem ſuam infinitam; ſecus verò poſterior ob rationem oppoſitam. Idemque eſt de immenſitate divina in ordine ad replendum locum, & eſſe præſentem cuilibet loco exiſtenti, ad diſtinctionem quãtitatis creatæ.

34 *SECVNDVM* Argumentum eſt huiuſmodi. Exiſtentia permanens Petri eſt indifferens ad durandum in hoc vel illo inſtanti; hoc vel illo tempore. Potuit enim Deus creare Petrum hoc vel illo anno, & conſeruare cum vno aut pluribus diebus, vt ex ſe patet. Ergo quòd exiſtentia Petri determinatè duret, coexiſtatque vni inſtanti aut diei præ alio, eſt quid intrinſecè ſuperadditum, ſeu diſtinctum ab eadem exiſtentia. Probatur conſequentia: quia omnis indifferentia debet tolli per aliquam determinationem ſuperadditam, ſeu diſtinctam à re indifferenti. Ideoque eſſentia in opinione probabiliori diſtinguitur ab exiſtentia, potentia operativa ab actione, ſpecies impreſſæ à potentia cognoſciva, & quantitas ab vbicatione, tanquam à formis intrinſecè ſuperadditis & determinantibus. Ergo & duratio ſimiliter diſtingui debet tanquam aliquid intrinſecè ſuperadditum, ac determinans exiſtentiã Petri, vt coexiſtat potiùs vni quàm alteri inſtanti, aut tempori.

35 *RESP.* Obiectionem hanc debere ſolvi ab omnibus ijs Authoribus adverſæ opinionis; qui durationem intrinſecè permanentem tuentur, quàmvis diſtinctam ab exiſtentia; quoniam & illa indifferens eſt ad durandum potius in vno, quam in alio inſtanti aut tempore, vt ex ſe patet, & præmonui *num.* 19. Deinde inſtantiam patitur manifeſtam in ſingularitate, quę determinat naturam ex ſe indifferentem ad hoc, vel illud individuum, quin propterea diſtinguatur ab illa realiter. Similiter & fundamentum proximum relationis eſt ex ſe indifferens vt actu reſpiciat vel non reſpiciat terminum; & tamen non propterea reſpectus, iuxta illos, eſt quid diſtinctum vel intrinſecè ſuperadditum fundamēto. Sunt & aliæ inſtantiæ, quas adduxi *n.* 20. vt expendenti palam erit.

36 *IAM* verò ad formam argumenti reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam. Ad probationem ex ratione deſumptam dico, omnem indifferentiam debere tolli per aliquid ſuperadditum aut intrinſecè, aut extrinſecè. Tollitur per aliquid intrinſecè ſuperadditum, quando auget intrinſecam perfectionem ſubiecti, vt contingit in exiſtentia relatè ad eſſentiam, in ſpecie impreſſa ad potentiam cognoſcitivam, & in operatione creata, ſaltem immanente, relatè ad principium proximum. nam in tranſeunte, ſi recipiatur in paſſo, colligitur aliunde diſtinctio, tum quia procedit à principio activo vt a cauſa, tum quia ſeparatur ab eo & tranſit ad aliud ſubiectũ. Vbicatio etiam, vt *n.* 33. dicebamus, eſt ſeparabilis ab vtroque extremo exiſtente in rerum natura: quod nõ contingit in exiſtentia & actione conſervativa ipſius, ac tempore reali & poſsibili in quo res dicitur durare. Tollitur verò indifferentia rei per aliquid purè extrinſecũ, quoties non augetur intrinſeca perfectio ipſius, ſed ſolum extenditur ad coexiſtendum alicui extremo, cui non coexiſtebat antea: vt patet in inſtantijs nuper adductis. Et huius generis eſt coexiſtentia durationis ad vnum inſtans aut tempus potiùs, quam ad aliud; quia poſita ſolùm actione Dei conſervante eandem exiſtentiam, quæ primo producta fuerat, & connotato proinde vno tempore reali aut poſsibili potiùs quam alio, eadem exiſtentia quæ denominabat rem durantem in vno tempore, abſque vllâ intrinſecâ additione, denominat eandem rem durantem in alio tempore.

37 *SED* Contra hanc ſolutionem & doctrinam inſtabis. Exiſtentia vt termi-

nans

nans actionem Dei conſervantem in ſecũdo inſtanti debet addere aliquid intrinſecum ſupra ſeipſam vt terminantem actionem Dei producentis in primo inſtanti. Sed hoc nihil aliud eſſe poteſt, quàm duratiò. Ergo exiſtentia rei vt terminans actionem Dei conſervantem in ſecundo inſtanti debet addere ſupra primum inſtans durationem ſibi intrinſecam. Probatur maior, in qua ſola videtur eſſe difficultas; & quidem multipliciter. *Primò*: Quia exiſtentia rei vt terminans actionem Dei conſervantem in ſecundo inſtanti, addit permanentiam in ſuo eſſe. At permanentia in ſuo eſſe eſt aliqua perfectio intrinſeca: ideoque pro illa quiſque debet agere Deo ſpeciales gratias. Ergo exiſtentia rei vt terminãs actionem Dei conſervantem in ſecundo inſtanti, addit aliquid intrinſecum ſupra ſeipſam in primo inſtanti. *Secundò* probatur eadem maior. Niſi enim actio Dei conſervativa producat aliquid intrinſecè ſuperadditum exiſtentiæ in primo inſtanti productæ, nihil ponetur vi eius actionis in rerum natura, atque adeo erit actio fruſtranea. Non enim ponetur exiſtentia rei, quæ iam præſupponebatur vi actionis primo productivæ. Non etiam tempus reale extrinſecum quod diverſa actione producitur, & neceſſarium non eſt vt res permanens duret: vt ſi hominem creaſſet Deus abſque vllo tẽpore, & ante omnem motum. Non præterea tempus poſsibile, quod nullam Dei actionem productivam terminat, ſicut neque imaginarium, quod iuxta alios fictitium & chimæricum eſt. Non denique extenſio exiſtentiæ iam productæ ad tempus reale aut poſsibile, quoniam nihil realiter addit vltra vtrunque extremum. *Tertiò*. Actio primò productiva Dei diſtinguitur realiter ab actione ipſius conſervativa: quia ſuppoſita illa priore Deus liber eſt ad ponendam aut non ponendam actionem conſervativam, & adquirit ius ad rem deſtruendam vel non deſtruendam pro ſingulis momentis ſequentibus. Ergo debet in ſecundo inſtanti producere aliquid intrinſecum ſupra exiſtentiam rei in primo inſtanti. *Confirm.* à pari actionis conſervativæ liberi amoris, quo diligimus Deum in ſecundo inſtanti. Illa enim diſtincta eſt ab actione primò productiva eiuſdem liberi amoris; ſiquidem ſeparabilis eſt ab ea pro ratione arbitrij, & conſtituit novum exercitium libertatis, augetque meritum. quæ omnia ſine diſtinctione reali vtriuſque actionis eſſe non poſſunt. Idem ergo dicẽdum de actionibus primò productiva & conſervativa Dei relatè ad creaturam permanentem; atque adeo hæc poſterior vltra priorem addit aliquid intrinſecum effectui; quod nihil aliud, quàm duratio, eſſe poteſt.

38 *RESP*: & hanc obiectionem inſtantiam habere planè in opinione adverſa, poſſeque retorqueri adverſus illã in tertio inſtanti & ſequentibus, quando iam nihil intrinſecum additur rei duranti iuxta Authores, quibuſcum diſputamus: cùm tamen actio illa conſervativa in tertio inſtanti videatur, non minùs quàm in ſecundo, debere producere aliquid intrinſecũ ſuprà exiſtentiam & durationem, quæ iam erat in ſecundo inſtanti; quia & addit novam permanentiam rei in eſſe, ob quam ſpeciales gratiæ Deo debentur; & fruſtranea non eſt; & apparet diſtincta, quoniam fundat ius Dei ad rem deſtruendam aut non deſtruendam in quarto inſtanti.

39 Deinde ad formam obiectionis nego maiorem: quia conſervatio eſt continuata productio, vt omnes docent: ac proinde in ſecundo inſtanti non debet producere aliquid intrinſecè ſuperadditũ, ſed tantùm manutenere rem præſuppoſitam, vt intrinſecè invariata perſeveret in ſecundo inſtanti, ſive reali, ſive poſsibili, connotando illud, ipſique coëxiſtendo, ſaltem ex ſe. *AD I. Probationem* maioris. Exiſtẽtia rei, vt terminans actionem Dei conſervantem in ſecundo inſtanti, addit permanentiam in ſuo eſſe, nõ quò ad intrinſeca ipſius permanentiæ, vel exiſtentiæ ſecundum ſe conſideratæ; ſed præcisè quò ad excluſionẽ carentiæ ſui prout in ſecundo inſtanti. Exiſtẽtia enim rei prout in primo inſtanti, ſolum pro illo excludit carentiam ſui; nõ vero pro inſtanti ſequenti. Et hoc ſecundum eſt quod additur vi actionis conſervativæ, eadem exiſtentia & re quò ad omnia ſibi intrinſeca manente abſque vlla variatione. Quod beneficium, ratione eius excluſionis, & coexiſtentiæ ad tempus extrinſecum, dignum eſt ſpeciali gratiarum actione: quoniam ſicut nulla res habet ex ſe excludere carentiam ſui in primo inſtanti, ſed ex beneficẽtia Dei, ſic neque iam primò producta habet excludere carentiam ſui in inſtanti ſecundo, ſed ſolùm ex divina beneficẽtia. *AD II. Probationem* eiuſdẽ maioris nego aſsũptum. Quamvis enim actio conſervativa rei in ſecundo inſtanti nõ ponat aliquid intrinſecè ſuperadditum exiſtentiæ in primo inſtanti productæ; ponit eandem exiſtentiã, vt excludentẽ carentiam ſui pro ſecundo inſtanti; quod antea non præſupponebatur:

ideoque otioſa non eſt, aut fruſtranea. *AD III. Probationem*, negatur aſſumptum: quia actio conſervativa Dei, ſive ſit formaliter immanens in ipſo Deo, & increata, ſive formaliter tranſiens & creata; non diſtinguitur realiter ab actione primo productiva rei: ſed eſt eadem prima productio quatenus ponit eandem rei exiſtentiam; non quidem ſecundum ſe conſideratam, neque prout excludentem ſui carentiam in primo inſtanti; ſed quatenus excludentem carentiam ſui in ſecundo inſtanti. Quod idē proportionaliter in cæteris inſtantibus dicendum eſt. Vnde ad probationem dico Deum ſuppoſita actione primo productiva liberum eſſe & habere ius ad ſubtrahēdam vel non ponendam eandem actionem vt terminatam ad eſſe rei prout in ſecundo inſtanti, ſeu ad eſſe prout in eo inſtanti excludens carentiam ſui.

40 *AD Confirm.* negatur ſuppoſitum. Non enim datur actio productiva vitalium actuũ diſtincta ab ijs realiter; ſed ijdem actus vitales immediatè oriuntur a potentia, vt conſtabit ex libris de Anima, ſuntque productiones & conſervationes ſui ipſorum; ex parte potentiæ, prout oriuntur aut conſervantur ab illa; ex parte autem Dei quatenus ab ipſo pendent in excluſione carentiæ ſui ipſorum pro primo aut ſecundo inſtanti. Sub qua poſteriore ratione ſolum ſeparari poſſunt in ſecundo inſtanti a ſeipſis prout in primo inſtanti conſideratis; non vero quoad *eſſe* intrinſecum, quod vel permanet, vel deſinit omnino eſſe per puram carentiam ſui, ſicut exiſtebat per meram ſui poſitionem. Neque in ſecundo inſtanti addunt novum exercitium libertatis, novumve meritum; ſed puram continuationem libertatis & meriti præcedentis. Alioqui enim ſi actus amoris Dei cōtinuaretur breviſsimo temporis ſpatio, eſſent infinita exercitia libera & meritoria quibus continuaretur, quoniam in quolibet breviſsimo temporis intervallo ſunt infinita inſtantia: ſicque homo iuſtus brevi morula mereretur infinitos gradus habitualis gratiæ. quod eſt abſurdum.

41 *TERTIO* argui poteſt. Duratio Petri ſexagenarij maior eſt, quam Pauli quadragenarij: quia magis durat prior, quā poſterior. At maior eſſe non poteſt ſi ſit idem realiter cum exiſtentia Petri. Ergo realiter idem cum exiſtentia non eſt. Probatur minor. Omne enim quod eſt idem realiter cum aliquo indiviſibili, nequit eſſe maius alio, quod etiam per identitatem indiviſibile eſt. Atqui tam exiſtentia Petri quā Pauli indiviſibilis eſt; maximè loquendo de exiſtentia animarum vtriuſque. Ergo ſi durationes Petri & Pauli ſunt idem realiter cum ipſorum exiſtētijs, non poterit duratio Petri ſexagenarij eſſe maior quam Pauli quadragenarij. Minor cum conſequētia patet. Maior probatur. Omne enim quod eſt realiter idem cum indiviſibili aliquo, vere & realiter indiviſibile eſt. Atqui vnum indiviſibile non eſt maius alio: vt patet, tum in punctis quantitatis permanētis; tum in indiviſibilibus temporis ac motus; tum denique ratione a priori, quia nulla res poteſt eſſe maior alia, niſi ratione plurium partium, aut maioris extenſionis, quæ in rebus indiviſibilibus non habet locum. Ergo omne quod eſt idem realiter cum aliquo indiviſibili, nequit eſſe maius alio, quod etiam per identitatem indiviſibile eſt.

42 *RESP.* etiam argumentum hoc retorqueri manifeſte in duratione ſuperadditam & permanentem, quæ indiviſibilis ſtatuitur ab Adverſarijs; & tamē maior eſſe poteſt in vno ſubiecto, quā in alio. Deinde diſtinguo maiorem. Duratio Petri ſexagenarij maior eſt, maioritate extrinſeca, & connotativa; concedo, quia extenditur ad maius tempus reale aut poſsibile, ipſumque connotat: maioritate intrinſeca aut entitativa; nego maiorē. quia eadem res permanens & indiviſa poteſt abſque intrinſecā ſuperadditione connotare diuturniorem aut breviorem temporis ſucceſsionem, ad illamque extendi: vt patet in ævo Angelorum, & in vbicatione fixa atque immobili turris, connotante plures & plures vbicationes aeris tranſeuntis, & ad eas ſe extendēte. Et eodem modo diſtinguo minorem, ac nego conſequentiam. Ad probationē minoris dico, omne quod eſt idem realiter cum aliquo indiviſibili, nō poſſe eſſe entitativè aut intrinſecè maius alio, quod etiam per identitatem indiviſibile eſt; ſecus autē extenſive & conotative. Ex his patet ad cæteras propoſitiones argumenti. Neq; vrgēt inſtantiæ indiviſibiliũ quantitatis permanētis & ſucceſsivæ. Hæc enim indiviſibilia ſūt in ordine ad omne ſpatiũ loci & temporis, tā formaliter, quā virtualiter; & nullo modo turgida ſeu inflata, vt conſtabit ex dicēdis *lib.6.diſp.36.* per totā, idque ratione imperfectionis ſuæ. Cæterum exiſtētia rerum permanentium non eſt indiviſibilis ratione imperfectionis, ſed potius ratione perfectionis ipſarum rerum, quæ exigit eſſe tota ſimul: ac proinde poteſt eſſe diviſibilis virtualiter aut æquivalēter, ideoque invariata coëxiſtere maiori aut minori temporis ſucceſsioni.

43 *DICES*: Illa extenſio ad tempus extrinſecum debet eſſe prædicatum realiter diſtinctum ab exiſtentia ſubſtantiæ. Ergo debet eſſe aliquid intrinſece ſuperadditum exiſtentiæ, ſaltem rerum ſubſtantialium. Probatur antecedens multipliciter. *Primò*: Quia illa extenſio ad tempus extrinſecum ſpecificatur realiter ab illo; exiſtentia autem ſubſtantiæ eſt abſoluta omnino, & non ſpecificatur realiter ab extrinſeco. At ſpecificari & non ſpecificari realiter ab aliquo extrinſeco nequit convenire entitati eidem, ſed ſolùm pluribus realiter diſtinctis. Ergo illa extenſio ad tēpus extrinſecum debet eſſe aliquid realiter diſtinctum ab exiſtentia ſubſtantiæ. *Secundò* probatur idem antecedens. Illa extenſio ad tempus extrinſecum conſtituit formaliter prædicamentū *Quando*: neque aliquid aliud commodè aſsignari poteſt, quo illud conſtituatur. Sed id quod conſtituit formaliter prædicamentum *Quando*, debet eſſe realiter diſtinctum ab exiſtentia ſubſtantiæ, & ab omni prædicato entitativè ſubſtantiali: ſicut & id quod conſtituit cætera prædicamenta accidentium. Ergo illa extenſio ad tempus extrinſecum debet eſſe realiter diſtincta ab exiſtentia ſubſtantiæ. *Tertiò*. Illa extenſio eſt prædicatum accidentaliter cōſecutum ad exiſtentiam ſubſtantiæ, quę ſecundùm ſe indifferēs eſt vt extendatur vel non extendatur ad tempus extrinſecum, & prius conſtituit ſubiectum exiſtens, quā extēſum in ordine ad tempus. Ergo diſtinguitur realiter ab exiſtentia, tamquā accidens à ſubſtantia, & poſterius à priori. *Quartò*. Extenſio divinæ exiſtentiæ ad omnia tempora, nimirum, ipſa Dei æternitas, eſt prædicatum virtualiter diſtinctum ab ipſa exiſtentia divina, & eſt attributum Dei, vt conſtat ex D. Thomà 1. *part. quaſt.* 10. At quæcunque in Deo virtualiter diſtinguuntur, in creatis diſtinguuntur actù & realiter. Ergo extenſio creatæ exiſtentiæ ad tempus extrinſecū diſtinguitur ab illa actu & realiter.

44 *RESPOND*. negando antecedens. *AD I. Probat.* nego antecedens quò ad primam partem: quia nihil ſpecificatur ab extrinſeco, niſi reſpiciat illud veluti terminum primarium. Tempus autem extrinſecum non eſt terminus primarius exiſtentiæ ſubſtantialis, ſed purum connotatum, quod nullam ſpecificationem tribuit: vt patet in potentià proxima atque appetitu proximo materiæ primæ, connotantibus diſpoſitiones vicinas formæ introducendæ, cùm tamen ab iis non ſpecificentur; ſed à formà ſubſtantiali tantùm. Similiter: & ſubſtantia materialis vt habeat partes entitativas, neceſſario connotat quantitatem, a qua tamen nullo modò deſumit ſpeciem. Sunt & aliæ plures inſtantiæ, quas prætermittimus. *AD II. Probat.* poteſt probabiliter negari minor, aſſerique non omnia prædicamenta accidentium debere eſſe phyſica, ſed quædam poſſe eſſe ſolùm metaphyſica aut Logica, vt multi docent de relatione, de qualitate, & habitu: quia ordinatio ac diſtinctio prædicamentorum ſolum metaphyſica aut logica eſt, niſi aliquæ ſpeciales rationes adſint ad duo prædicamenta realiter diſtinguenda. Itaque ſecundùm hanc doctrinam dici poteſt, exiſtentiam rei ſubſtantialis abſolutè & ſecundùm ſe conſideratam ſpectare ad prædicamentum ſubſtantiæ; ſumptam verò cum connotatione ad tempus pertinere ad prædicamentū *Quando*: ſicuti in ſententia Ariſtotelis *cap. de Qualitate*, & D. Thomæ *ibidem* eadem entitas ſecundùm diverſas conſiderationes, calor v. g. ſpectat ad diverſas ſpecies qualitatis. Sed circa huius doctrinæ veritatem falſitatemve, latiùs in Prædicamentis agimus proprio loco: nunc enim id pleniùs examinare non vacat. Addo tamen, probabiliùs reſponderi poſſe negando maiorem: quia vt detur forma conſtituens prædicamentum *Quando* ſufficit tempus extrinſecum, quatenus menſurans res inferiores; vel duratio ipſa motus, quam *diſp.* 31. *ſect.* 2. ſtatuemus ab eo realiter diſtinctam. *AD III. Prob.* Illa extenſio eſt prædicatum accidentaliter logicè conſecutum, non vero phyſicè ad exiſtentiā ſubſtantiæ; ſicut durare potiùs tanto, quàm tāto tempore, eſt accidens logicū & indiſtinctum reſpectu durationis permanentis ſuperadditæ in opinione Adverſariorum; & ſimiliter exiſtentiam ſubſtantialē connotare eandem durationem, & maiorem, aut minorem, dicere debent eſſe accidens logicum exiſtentiæ. Ad determinandum vero prædicatum ſubſtantiale indifferens nō ſemper requiritur determinatio phyſicè accidentalis, aut realiter diſtincta; ſed aliquādo ſufficit accidens logicū realiter indiſtinctū: vt patet in ſingularitate reſpectu naturæ ſecundū ſe, & in ipſa exiſtētia, quę prout exercita, & in actū reducta, eſt accidēs logicum relatè ad eandem exiſtentiā ſecundum ſe conſideratam, illamq; determinat. *AD IV.* prætermiſſa maiore, nego minorē, quam immeritò plures, & ex Adverſariis in hac diſputatione PP. Complutēſes, verā ſibi perſuadēt: cùm multa in Deo virtualiter

diſtinguantur, etiam in ipſorum ſententia, quæ in creaturis actu realiter non diſtinguuntur. Id patet in ſubſiſtentia & perſonalitate, intellectione & dictione, ſubſtantia ſpirituali & ſpecie impreſſa ad intelligendum ſeipſum; quæ in Deo virtualiter diſtinguuntur, & ſimiliter in creaturis. Non ergo ex diſtinctione virtuali durationis æternæ ab exiſtentia Dei deſumi poteſt efficax argumentum ad probandum realem actualem diſtinctionem exiſtentiæ à duratione creata, vel aliorum quorumlibet, niſi præterea adſit ſpecialis ratio ex capite limitationis vt duo aliqua debeant actu diſtingui; quæ non eſt inter exiſtentiam & durationem creaturæ permanentis.

45 *INSTABIS* denique, In ente ſucceſsivo, vt motu continuo, eſt ſpecialis ratio, vt diſtinguatur realiter à duratione ſibi intrinſeca & ſucceſsiva, quæ eſt tempus. Ergo multò potior ac ſpecialior ratio eſſe debet, vt exiſtentia permanens diſtinguatur, non ſolum virtualiter, ſed actu & realiter a ſua intrinſeca duratione. Sed obiectio hæc indiget peculiari examine. Vide *diſp.* 31 *ſect.* 2. vbi reddemus diſparitatem inter durationem ſucceſſivã & permanentem creaturarum.

DISPVTAT. TRIGESIMA.

DE VARIJS GENERIBVS DVRATIONVM.

In quo differant tempus, ævum, & æternitas?

Num. 1. *PRO Intellectu controverſiæ adnotanda ſunt quæcumque præmiſſimus diſputatione præcedenti* a num. 2. ad num. 8. *quoniam huc maximè ſpectant, quanquam ea repetere opus non ſit. Diſquirimus itaque in quo differant & conveniant quatuor genera durationum ibidem explicata. Quod excitari ſolet in* cap. 10. *& omnia ſequentia huius libri quarti.*

SECTIO PRIMA.

Potiſsimum diſcrimen temporis & ævi, ab Henrico & alijs aſsignatum, reijcitur.

2 HENRICVS *Quodlib.* 5. *q.* 13. & quidam alij, quos allegat & impugnat S. Thomas 1. *p. q.* 10. *art.* 5. docent ævum ſolùm diſtingui a tempore quatenus præ illo excludit innovationem & inveterationem rei durantis in ſuo eſſe: alioqui vero cum eo convenire in ſucceſſione, ita vt ſingulis momentis varietur ſitque duratio numero diſtincta, & fluens inſtar temporis ſucceſsivi. Eandem opinionẽ exiſtimat probabilem Scotus *in* 2. *diſt.* 2. *q.* 1. atque veram putant plurimi Recentiores qui durationem æviternorum intrinſecam exiſtimant eſſentialiter ſucceſſivã, & quovis momento aliam atque aliam, vt ſic ſalvetur perfectum Dei dominiũ ad res permanentes ſingulis momentis deſtruendas. Eadem ratione ducti nos aliquando in eam inclinavimus. Verùm inſitus amor & reverentia doctrinæ S. Thomæ, oppoſitũ ex profeſſo decernentis loco allegato, impulit in ſententiam contrariam, quam poſtea confirmabimus. Nunc præmittere oportet varias impugnationes opinionis Hẽrici.

3 *PRIMAM* deſumo ex Ang. Doct. loco indicato. Duratio enim debet proportionari cum illo *eſſe*, cuius duratio eſt. Ergo ſi eſſe illud ſit intrinſecè indiviſibile & permanens, duratio ipſa erit indiviſibilis & permanens. Sed eſſe Angeli eſt indiviſibile & permanens, non autem ſucceſsivum. Ergo ævum, quod in omni ſententia eſt duratio Angeli, non eſt ſucceſsivum, ſed indiviſibile & permanens. Minor ſubſumpta & cũ conſequẽtia patet. Antecedens præcipuum conſtat: tum quia duratio nihil aliud eſt, quã permanentia rei in ſuo eſſe: tum quia duratio aut identificatur realiter cum exiſtentia, aut eſt affectio intrinſeca ipſius, vt conſtat ex diſputatione præcedenti; omne autem quod eſt idem realiter cum alio, aut afficit illud intrinſece, debet proportionari cum illo: tum denique ab inſtantia omnium aliarum durationum, quæ proportionantur cum rebus, quarum durationes ſunt. Ideoque æternitas proportionata eſt cum eſſe diuino, & duratio motus ſucceſsiva cum eſſe ſucceſsivo motus. Iam vero prior illa & præcipua conſequẽtia,

tia, circa quam præcipuè contentio eſt, probatur: Quia cum eſſe rei indiviſibili ac permanẽti tota duratio indiviſibilis ac permanens proportionari poteſt: non verò illa quæ diviſibilis & ſucceſsiva eſt. Etenim res indiviſibilis ac permanens habet modum eſſendi oppoſitum durationi diviſibili ac ſucceſsivæ, vt de ſe patet. Nulla autem res proportionem habet cum alia ſibi oppoſita eſſentialiter; maximè ad perficiendam illam intrinſecè. Ideoque quia tẽpus habet eſſe ſucceſsivum, duratio intrinſeca eius nequit eſſe permanens; & è contrà quia Deus habet eſſe permanens & totum ſimul, duratio ipſa nequit eſſe ſucceſſiva, ſed permanens & tota ſimul.

4 *CONFIRMATVR* ratione Ariſtotelis hoc ipſo libro *cap. 11. textu* 99. probantis motum eſſe continuum, quia ſequitur magnitudinem, quæ continua eſt. tempus quoque continuum eſſe, quia ſequitur motum, qui eſt continuus & cum illo debet proportionari: ac deniquè, in tempore eſſe prius & poſterius vt in magnitudine & motu, cuius naturam ſequitur. Verba ſunt: διὰ γὰρ τὸ μέγεθος εἶναι συνεχές, καὶ ἡ κίνησις· διὰ δὲ τὴν κίνησιν καὶ ὁ χρόνος· ὅση γὰρ ἡ κίνησις, τοσοῦτος καὶ ὁ χρόνος ἀεὶ δοκεῖ γεγονέναι, &c. *Quia namque magnitudo continua eſt, ideo & motus continuus eſt. At quia motus continuus eſt & tempus etiam continuum eſt. Quantus enim eſt motus, tantum & tempus ſemper fuiſſe videtur. Atqui prius & poſterius in loco eſt primo atque poſitione. Cùm verò in magnitudine ſit, in motu quoque ſimilitudine rationis prius eſſe poſteriuſve neceſſe eſt. At vero prius atque poſterius in tempore eſt etiam; ex eo ſanè quia ſemper alterum ipſorum alterum ſequitur.* Hæc Ariſtoteles. Nunc ego. Sed ævum ſive duratio Angeli ſequitur ipſum eſſe Angeli, non minùs, quam tẽpus ſequatur motum. Ergo quia eſſe Angeli caret ſucceſsione penes prius & poſterius, etiam eius duratio caret ſucceſsione penes prius & poſterius. Præterea: Quia magnitudo motus eſt continua & ſucceſsiva, motus, & tempus, quæ illam comitantur & ſequuntur, continua & ſucceſsiva ſunt. Sed eſſe Angeli nec continuum nec ſucceſsivum eſt, ſed indiviſibile, & totum ſimul. Ergo duratio quæ illud ſequitur, nec continua, nec ſucceſsiva eſt, ſed indiviſibilis, & tota ſimul. Alioqui corruet, nullìuſque roboris erit ratio a priori, quà vtitur Philoſophus, quò ad ſingulas partes.

5 *RESPONDEBIS* ex doctrina Adverſariorum, ad eſſe Angeli formaliter indiviſibile, & virtualiter diviſibile, poſſe ſequi durationẽ formaliter diviſibilem, & cũ eo proportionari; ſicut ad eſſe ſubſtantiæ materialis indiviſibile formaliter & ſolùm virtualiter diviſibile ſequitur quãtitas formaliter diviſibilis, tanquam affectio ipſi proportionata.

6 *SED Contrà I.* præter plura in argumento propoſita, quę adhuc ſolutionem expectant. Retorquetur enim inſtantia ſubſtantiæ materialis, cuius quantitas eſſe poteſt formaliter & proximè diviſibilis, quia ſubſtantia, quam ſequitur vt affectio propria, eſt radicaliter diviſibilis. Ideo autem hæc radicaliter eſt diviſibilis, quia formaliter, & in ſe ipſa materialis eſt, & materia eſt principiũ radicale totius diviſionis ac multiplicationis numericæ, ſaltem in rebus materialibus, vt nihil de ſpiritualibus dicam, quod negarent multi Adverſariorum. Atqui eſſe Angeli eſt formaliter ſpirituale. Ergo non eſt radicaliter diviſibile: ac proinde neque ex illo emanare aut ſequi poteſt duratio, ſeu affectio aliqua, quæ ſit diviſibilis formaliter. Patet conſequẽtia: quia in cauſis adæquatis & a priori, vt in præſenti, vbi affirmatio eſt cauſa affirmationis, ibi negatio eſt cauſa negationis. Sed cauſa adæquata & a priori affirmandi poſſe ſubſtantiam materialem habere affectionem aliquam formaliter diviſibilẽ eſt, quòd in ſe ipſa & formaliter materialis ſit. Ergo è contra, quod eſſe Angeli formaliter non ſit materiale, ſed ſpirituale, cauſa eſt negandi in illo omnẽ affectionẽ diviſibilem formaliter, qualis eſt duratio æviterna in Adverſariorum ſententia. *CONTRA II.* Quia eſſe Angeli eſt ſpirituale formaliter, eſt etiam indiviſibile radicaliter in ordine ad omnes potentias, quę ex illo ſequuntur; ita vt nulla illarum, neque intellectiva, neque volitiva, neque loco-motiva, ſit formaliter diviſibilis, aut ſucceſsiva, vel alia & alia ſingulis momentis, ſed ſemper eadem & tota ſimul. *CONTRA III.* Quia potentia locomotiva Angeli, eiuſque operatio, eſt ſpiritualis formaliterq; indiviſibilis, & ſolùm virtute aut æquivalenter diviſibilis: ideo præſentia in loco, quæ illã ſequitur, eſt formaliter indiviſa, ſolùmq; virtute aut æquivalenter diviſibilis. Sed etiam eſſe Angeli, ad quod ſequitur eius duratio, eſt formaliter ſpirituale & indiviſibile; quãvis præterea ſit virtute aut æquivalenter diviſibile. Ergo & ipſius duratio ſolum erit virtute aut æquivalenter diviſibilis; non autem formaliter. Ergo nec ſucceſsiva: quia duratio ſucceſsiva eſt formaliter diviſibilis, cùm habeat prius ac poſterius, ſicut tempus & motus,

quæ duo propterea formaliter diviſibilia ſunt.

7 *SECVNDO*, & ſpecialiùs, impugnatur eadem opinio ab everſione præcipui argumenti ſententiæ adverſæ, nitentis in eo potiſsimum quod duratio vnius Angeli poſſit eſſe maior, quam alterius, ac proinde habere maiorem extenſionem; quod ſine ſucceſsione formali eſſe non poteſt. Atqui hoc inconveniens non vitatur poſita duratione eadem indiviſibili, nec etiam vitatur poſitis durationibus ſibi invicem ſuccedentibus. Ergo aut aſſerenda eſt duratio Angeli eadem ſemper atque indiviſibilis; aut fruſtra aſsignantur plures ſibi invicem ſuccedentes. Probatur minor. Si enim ponuntur in Angelo durationes ſibi invicem ſuccedentes, quælibet illarum debet eſſe indiviſibilis formaliter, vtpote propria affectio rei formaliter ſpiritualis & correſpondens momento vnico temporis indiviſibili. At ex pluribus indiviſibilibus nequit fieri maius aut extenſum in genere durationis, vt demonſtrabitur infrà *lib.6.* ex ſententia Ariſtotelis, ac ferè omnium. Ergo ſi hoc inconveniens non vitatur, poſitâ in Angelo duratione eadem indiviſibili, neque etiam vitabitur poſitis durationibus ſibi invicem ſuccedentibus, quæ certe deberēt eſſe indiviſibiles. Quod ſi dicas, eas Angeli durationes, quamvis inſtantaneæ ſint, & indiviſibiles formaliter, eſſe nihilominus virtualiter diviſibiles, aut inflatas in ordine ad tempus extenſum; cur non eandem & vnicam Angeli durationem, quanquam formaliter indiviſam, non dices eſſe virtualiter extenſam, ſeu inflatam in ordine ad tempus extenſum & diviſibile? Par enim vtriuſque ratio eſt.

8 *CONFIRMATVR*. Si enim duratio Angeli, vt conſtituat eum amplius durantem, debet eſſe ſucceſsiva, & quovis momento alia & alia; etiam qualibet parte diviſibili atque extenſa temporis debebit eſſe formaliter extenſa & diviſibilis. Conſequens atem manifeſtè repugnat in Angelo, qui ob ſpiritualitatem ſuam incapax eſt cuiuslibet accidentis formaliter extenſi diviſibiliſque. Ergo & doctrina ex qua infertur. Sequela probatur. Nulla enim ratio eſt cur Angelus ad coëxiſtendum cuilibet novo inſtanti indiviſibili indigeat nova duratione indiviſibili ſuperaddita, & tamen ad coëxiſtendum parti diviſibili temporis nō indigeat nova duratione formaliter extēſa ac diviſibili. Quòd ſi verò aſſeras, durationem Angeli quanquam formaliter indiviſibilem coëxiſtere & adæquati poſſe parti diviſibili temporis; cur etiam non dices, eandem à principio durationem formaliter indiviſam Angeli poſſe reſpondere toti tempori, quantumvis extenſo & diviſibili? *CONF. II.* Propterea enim potiſsimùm Recentiores Adverſariorum ponunt in Angelo durationem eſſentialiter ſucceſsivam, quæque momento quolibet alia & alia ſit, quia aliter non poterit ſalvari perfectiſsimum Dei dominium ad rem quolibet momento deſtruendam, ſi ſemper exiſteret tota ſimul in quolibet inſtanti. Hęc autem ratio aut nihil probat, aut evincit non poſſe Angelum exiſtere in parte diviſibili temporis, niſi per durationem formaliter extēſam & diviſibilem, à nullo admiſſam. Si enim duratio indiviſibilis & inextenſa eſt formaliter in ea parte diviſibili temporis, erit tota ſimul, atque adeò ſemel exiſtere illius, erit exiſtere pro tota illa parte temporis diviſibili. Ergo Deus, ſuppoſita illa duratione ſemel, non erit liber ad illam deſtruendam vſque dum finiatur tota illa tēporis pars, quæ ſanè æquivalet infinitis tēporis momentis indiviſibilibus. Aut ergo dicant Adverſarij durationem Angeli indiviſam reſpondere poſſe totam ſimul cuicunque tempori diviſibili; aut certè ex perfectiſsimo Dei dominio ad rem ſingulis momentis deſtruendam non colligant, durationē Angeli eſſe aliam atque aliam ſingulis momentis indiviſibilibus.

9 *TERTIO* denique, omiſsis alijs rationibus, reijcitur opinio contraria ab implicantia contradictionis, quam involvit, dum ex vno capite aſſerit ævum ſucceſsivum eſſe, & ex alio addit, non includere innovationem & inveterationem. Hæc enim duo ſibi non cohærēt: quoniam omnis ſucceſsio intrinſeca durationis includit neceſſariò prius & poſterius, quorū illud deſinit hoc adveniente, vt patet in omnibus ſucceſsivis. At omne quod includit prius & poſterius, quorum alterum deſinat adveniente altero, etiam neceſſariò includit inveterationem vnius & innovationem alterius, vt ex ſe patet. Ergo omnis ſucceſsio intrinſeca durationis includit neceſſariò inveterationem vnius & innovationem alterius. Si ergo opinio contraria adſcribit ævo ſucceſsionem intrinſecam, malè & inconſequenter eidem negat inveterationem & innovationem. *CONF.* Iuxta Ariſtotelem in præſenti tranſmutabilitas rei menſuratæ eſt cauſa variationis penes prius & poſterius in duratione per quā menſuratur. Ergo è contra intranſmutabilitas rei menſuratæ erit cauſa, ne duratio

per

per quam menſuratur, ſubeat variationem penes prius & poſterius. Sed eſſe Angeli eſt intranſmutabile, vtpote ab intrinſeco ſpirituale & incorruptibile. Ergo eo ipſo æuum, ſeu duratio per quam menſuratur, nullam ſubit variationem penes prius & poſterius.

SECTIO SECVNDA.

Eadem ferè opinio, prout à Recentioribus innouata, refellitur; præſertim contra Lugum, & Arriagam; quem tamen malè alij impugnant.

10 CARDINALIS Lugo *diſput.* 19. *de Incarn. ſect.* 1. *num.* 20. vniuerſim loquendo de duratione creaturarum, ſiue æuiternarum, ſiue qualitercumque permanentium, ſiue denique ſucceſsiuarum, ait eſſe indiſtinctam ab actione earum conſeruatiua, quam ipſe ſingulis momentis aliam atque aliam eſſe docet, eſſentialiterque ſucceſsiuam. Eandem opinionem ex parte amplectitur P. Arriaga *diſput.* 15. aſſerens, quascumque res creatas durare per modum ſucceſsiuū ſuperadditum, qui ſit diuerſus pro diuerſitate inſtantium, & partium temporis, quibus creatura permanens, imo & æuiterna, coexiſtit. Solumque differre videtur à præcedenti expoſitione, quatenus hunc modum durationis ſucceſsiuum ponit diſtinctum ab actione conſeruante. Aſtipulatur Arriagæ Richardus Lynceus *lib.* 7. *Phyſic. tract.* 2. *cap.* 2. alijque quamplures Recentiorum, iuxta quos duratio omnis creata, etiam æuiterna, eſt ſucceſsiua eſſentialiter, & quibuslibet momentis variatur. Vterque hic dicendi modus reipſa conuenit cum opinione Henrici, quatenus omnem durationem creaturarum permanentium ſtatuit eſſentialiter ſucceſsiuâ. Quare ſaltem qua parte id de æuiternis aſſerit, refellendus eſt argumentis ſectione præcedenti propoſitis: quæ planè euincunt, durationem creaturarum permanentium, ſaltem per ſe ſubſiſtentium & ſpiritualiū, eſſe totam ſimul & indiuiſibilem quo ad intrinſeca; ac proinde formali ſucceſsione carentem. Verùm & præter eas impugnationes, oportet alias ſpeciatim addere contra prædictos Authores.

11 PRIMA ſit contra Lugum, cuius opinio refellitur multipliciter. *Primò* ex natura actionis conſeruatiuæ, quæ eſt productiua rei vt durantis, ſeu quatenus permanentis in exiſtendo. Sed omnis actio productiua alicuius rei debet diſtingui realiter ab illa. Ergo actio conſeruatiua diſtinguitur realiter ab ipſa re vt durante, ſeu quatenus permanente in exiſtendo. Maior patet: quia actio conſeruatiua non eſt productiua rei ſecundùm primam exiſtentiam abſolutè, quæ iam præſupponitur. Ergo ſolùm eſt productiua rei vt durantis, ſeu quatenus permanentis in exiſtendo. Minor autem videtur certa: quia effectus pendet ab actione ſui productiua realiter; & nihil poteſt dependere à ſeipſo: ideoque prima rei productio diſtinguitur realiter ab effectu per illam cauſato. Ergo omnis actio productiua alicuius rei debet diſtingui ab illâ realiter. *Confirmatur*, & præoccupatur euaſio quæ eſſe poterat opinioni aduerſæ. Licèt actio pendeat ſeipſa immediatè a principio efficiente, ideoque non egeat alia actione ad ſe terminatâ, quia non datur actio ad actionem, vt docet ex profeſſo Ariſtoteles *lib. ſequenti.* effectus tamen qui non eſt actio, debet procedere à cauſa efficiente per actionē à ſe realiter diſtinctam. Sed res permanens, quatenus durans, ſeu quatenus perſiſtens in exiſtendo non eſt actio. Ergo quatenus durans, ſeu quatenus perſiſtens in exiſtendo, debet procedere à cauſa efficiente per actionem realiter à ſe diſtinctam. Probatur minor. Eadem nanque res permanens eſt quæ poſtea durat, ſeu perſiſtit in exiſtendo, ac ea quæ primò producta fuit, vt patet: idem v.g. Angelus, idem homo. At res permanens quæ primò producta fuit, vt Angelus & homo, non eſt actio, ſed terminus per actionem primò productus. Ergo & res permanens, quæ poſtea durat, ſeu perſiſtit in exiſtendo non eſt actio, ſed terminus per actionem continuatè productus.

12 SECVNDO refellitur Lugus. Si enim res permanens, ſeu perſiſtens aliquandiu, quatenus perſiſtens, non diſtinguitur ab actione conſeruatiuâ ſui, quæ iuxta eundem Authorem ſingulis momentis alia atque alia eſt; idem dicendum erit de actu amoris *Dei* continuato per aliquod tempus. Ergo quemadmodum quælibet pars aliquota temporis, quantumvis exigua, continet infinita inſtantia; ita etiā quilibet amor Dei ſecundùm aliquotam temporis partem continuatus, quanquam valde exiguam, continebit infinitas actiones conſeruatiuas ſui, procedentes liberè à voluntate; ac proinde meritorias infiniti præmij, ſeu infinitorum graduum gratiæ. quod in omni ſententia abſurdum eſt. *Confirmatur.* Multiplicatis in infinitum actio-

nibus intrinſecè meritorijs, multiplicantur merita in infinitum. Sed ſi actus amoris Dei continuatur formaliter per actiones liberè ſui conſervativas, & infinitas in qualibet temporis parte, multiplicantur merita in infinitum. Quod ſi verò neges poſſe actum amoris, vel quamlibet aliam actionem, continuari per aliquotam temporis partem; immerito & ſine fundamento id negas: cùm nullum appareat ad id negandum, nec ſit connexio aliqua eſſentialis actioni cum ſucceſsione formali ſui ipſius, neque illa habeat rationem entis ſucceſsivi, cùm hoc ſit proprium motus & temporis. Deinde tollis è medio quæſtiones illas, in quibus Theologi diſſerunt, an eadem numero actio intellectus, vel voluntatis, poſsit tranſire de verâ in falſam, aut de bonâ in malam. Dicere etiam debes, viſionem beatificam quolibet momento reali eſſe aliam atque aliam. Quod licèt conſequenter aſſerat Lugo; refellitur multipliciter à cæteris Theologis: & præter plura alia, quæ alibi latiùs expendo, ſequitur exinde, Deum in quolibet Beato cauſare infinitas numero viſiones adæquatè diſtinctas quolibet horâ; ſiquidem in ea ſunt infinita inſtantia, & nullum inſtans mathematicum eſt in quo Beatus non intueatur Deum viſione adæquatè numericè diſtincta ab omnibus alijs viſionibus cæterorũ inſtantium. Inſuper nec poſſet dici, Deum conſervare viſionem beatificam, ſed ſemper primò producere, ſi hæc omnibus momentis alia atque alia eſt. nam conſervatio eſt continuata productio; quæ proinde terminari debet ad rem eandem, iam præſuppoſitam.

13 *TERTIO*. Hodierna Angeli duratio, quæ ſucceſsiva eſt in opinione Lugi, ſeparabilis eſt realiter ab actione Dei hodie conſervante Angelum, ac proinde diſtincta realiter ab illâ. Ergo cùm eadem ratio ſit de cæteris durationibus in quolibet inſtanti ac tempore determinato; nulla illarum eſt eadem realiter cum actione Dei conſervante. Probo antecedens. Potuit Deus heri conſervare Angelum eadem numero actione, qua illum conſervat hodie. In hoc enim nulla implicantia eſt. Imò ita neceſſarium videtur ad ſalvandum perfectiſsimum Dei dominium, vt ipſe poſſit omnino liberè diſponere de ſuis actionibus, eas ponendo vbi & quando voluerit. At non duraſſet Angelus heri duratione hodiernâ, ſi hæc ſucceſsiva eſt. Ergo hodierna Angeli duratio, ſi ſucceſsiva eſt, ſeparari poteſt realiter ab actione Dei hodie conſervante Angelum. Probo minorem, in qua ſola ſupereſt difficultas. Duratio enim hodierna Ageli, ſi ſucceſsiva eſt, alligatur eſſentialiter, ſeu affigitur diei hodierno, in quo ſit; ſicut dies hodiernus intrinſecè ac ſe ipſo determinatus eſt, ne ſit dies heſternus, vel craſtinus. Ergo in dictâ hypotheſi non duraſſet Angelus heri duratione hodiernâ, ſi hæc ſucceſsiva eſt.

14 *SECVNDVS* vero dicendi modus, quo aſſeritur, res omnes permanentes, etiam æviternas, durare per modum ſucceſsivum, diſtinctum ab actione conſervante, refellitur diverſimode ab aliquibus. Oviedo *controv.* 16. *puncto* 1. *num.* 8. ſic arguit. Deus, quanquam ſit intrinſecè determinatus ad exiſtendum in omni tempore, & implicet in aliquo tempore non exiſtere; determinatur hic & nunc à tempore extrinſeco, vt exiſtat modò die hodierna, potius quam craſtina, abſque aliquo modo ſucceſsivo ſibi ſuperaddito. Ergo creatura permanens, ſaltem æviterna, quæ omnino indifferens eſt ad exiſtendum in hoc vel illo tempore, poterit determinari potius ab vno, quam ab alio tempore extrinſeco, abſque aliquo modo ſucceſsivo ſibi ſuperaddito. Probat conſequentiam: quia determinatio intrinſeca non conducit ad extrinſecam determinationem, ſed potiùs illam excludit; è contrà vero intrinſeca indifferentia non impedit determinationem extrinſecam, ſed potiùs ad eam conducit. Ergo creatura indifferens ad exiſtendum in hoc vel in illo tempore, potiori ratione determinari poterit ad exiſtendum hodie per ſolum tempus extrinſecum hodiernum, abſque modò ſucceſsivo intrinſecè ſuperaddito, quàm Deus intrinſecè determinatus ad exiſtendum in omni tempore.

15 *HÆC* tamen impugnatio levis eſt, & quam facilè Adverſarij declinent, conceſſo antecedente, & negata conſequentia, ac reddita diſparitate, vel ex eo ipſo capite, in quo nititur obiectio. Quod enim Deus ex ſe & intrinſecè determinatus ſit ad exiſtendum in omni tempore, non nocet, ſed potiùs prodeſt, vt abſque vlla ſui mutatione intrinſecâ, ſucceſsionevè, determinetur extrinſecè ab vno tempore præ alio. Sic etiam quod ratione ſuæ immenſitatis ſit extrinſecè determinatus ad exiſtendum in omni loco, non nocet, ſed potius prodeſt, vt ab vno loco præ alio extrinſecè determinetur abſque vlla vbicatione ſibi intrinſecè ſuperaddita. At quemadmodum, hoc non obſtanti creatu-

tu-

tura ſecundùm ſe indifferens vt ſit in hoc vel illo loco, determinatur ad exiſtendum in vno potius, quam in alio, per vbicationem ſibi intrinſecè ſuperadditam; ita etiā creatura permanens, non obſtanti, ſed potiùs conducente indifferentia ſua ad exiſtendum in vno vel alio tempore, determinabitur per modum intrinſecè ſuperadditum, & ſucceſsivum, vt exiſtat potiùs in vno, quàm in alio tempore. Ratio autem à priori ea aſsignari poteſt, quoniam ſicut intrinſeca determinatio Dei poteſt eſſe extrinſecè indeterminata, & proinde expectare determinationem extrinſecā, quia in his duobus nulla eſt contradictio; ſic etiam intrinſeca determinatio creaturæ ad durandum in hoc vel illo tempore expectare poteſt, imo debet, intrinſecam determinationem per aliquid ſuperadditum. Quod cùm nequeat eſſe forma aliquā permanens, quia hæc etiam eſt intrinſecè indifferens; reſtat vt ſit modus aliquis ſucceſsivus, & determinato tempori affixus. Vide plura alia, quæ diximus circa diſcrimen Dei à creatura, *diſput. præcedent. num.* 11.

16 *ALITER* quoque impugnari ſolet prædicta opinio in hunc modum. Si enim res æviternæ, aut qualitercumque permanentes, exiſtunt per modum ſucceſsivum intrinſecè ſuperadditum, qui ſit formalis & adæquatā ratio durandi potius die hodierno v.g. quàm craſtino; ergo poterit quis immediatè poſt durationem heſternā habere durationem craſtinam, quin tranſeat per hodiernam durationem. quod non abſurdum modo, ſed & riſu dignum eſt. Probatur ſequela. Hoc enim ipſo quod res æviterna, aut qualitercumque permanens, conſtituatur adæquatè & formaliter durans ſingulis diebus per modum ſucceſsivum intrinſecè ſuperadditum, poterit Deus producere in eā, immediatè poſt heſternam durationem, modum illum, quo duratura eſt cras, non producto modo illo, quo duratura erat hodie. Ergo res ipſa poterit immediatè poſt heſternam durationem tranſire ad craſtinam, quin mediet hodierna duratio. Inſuper, poterit quis ſimul durare heri, hodie, & cras: quia nulla erit ratio cur omnes illos modos, ſeu rationes formales durandi tribus diebus, nequeat Deus producere ſimul.

17 *SED* nec ratio hæc efficacior eſt præcedenti. Reſponderi enim poteſt negandó ſequelam, & dicendo, modum quemlibet ſucceſsivum illorum eſſentialiter affixum eſſe determinato tempori, ita vt nullatenus poſsit exiſtere aut produci niſi in illo; Deumque alligatum iri ad hoc, vt, ſi producere velit quemlibet modum illorum, debeat neceſſariò illum producere in ea determinata parte temporis, vel inſtantis, aut realiter exiſtentis, aut ſaltem poſsibilis, cui ipſe modus affixus eſt. Cum autē dies hodiernus eſſentialiter præſupponat heſternum, & antecedat craſtinum, tanquā medius inter vtrumque; inde eſt, vt nequeat res æviterna tranſire immediatè poſt heſternam durationem ad craſtinam, niſi per hodiernam; & ſimiliter quòd non poſſit habere omnes eas durationes ſimul, quemadmodum nec dies vnus ſimul cum alio eſſe poteſt. Neque vrgebis adhuc, ſi opponas; poſſe Deum homini Salmanticæ exiſtenti conferre præſentiam Romæ immediatè, ſeu abſque eo quòd ille tranſeat per loca intermedia; ideoque & poſſe poſt durationem hodiernam immediatè ipſi conferre craſtinam durationem, ſi hæc ſucceſsiva ſit. Non, inquam, vrgebis: tum quia hæc obiectio pariter ſolvi debet ab iis, qui durationem permanentem aſſerunt: tum etiam, quia inſtantiam patitur in motu ſucceſsivo, cuius duratio iuxta omnes ſucceſsiva eſt, ac proinde, ſi quidquam probat obiectio, poterit motus tranſire immediatè à duratione heſterna ad craſtinam: tum denique, quia nulla vbicatio præſupponit eſſentialiter aliam; omnis autem dies determinatus præſupponit eſſentialiter alium, aut realem, aut poſsibilem, ſibi immediatum antè, & infert alium immediatum poſt; cùm tempus ex conceptu quidditativo conſiſtat in ea ſucceſsione.

18 *MELIVS* itaque, & ſolidiùs impugnatur opinio prædicta, tum rationibus propoſitis *ſect. præced.* per totam, tum & his quas ſolùm ſummatim indicabo. *Prima* eſt: Quoniam repugnat res permanentes, præſertim ſpirituales & æviternas, eſſe in perpetuo fluxu & motu durationis, inſtar rerum ſucceſsivarum, quæ proinde materiales, & imperfectiſsimæ ſunt. Ergo repugnat illarum priorum durationem intrinſecè ſucceſsivam eſſe. *Secunda*: Quia ſi duratio rerum æviternarum, & quomodolibet permanentium, intrinſecè ſucceſsiva eſt; iam dabitur aliud genus entis ſucceſsivi, quàm temporis & motus; huculque Philoſophis ignotum. *Tertia*, & à priori: Eadem namque duratio permanens, & intrinſecè invariata, poteſt coexiſtere diverſis temporibus ſucceſsivè fluentibus, cùm in hoc nulla repugnantia ſit: ſicut neque

que in eadem vbicatione turris, quæ intrinſecè invariata reſpondet diverſis vbicationibus aëris ſucceſſivè tranſeuntibus, & in pluribus alijs, quæ iam adnotavimus *diſp. præced.* præſertim ſectione tertiâ per totam: ex quâ multipliciter conſtat, res permanentes, vt durent, nullo alio indigere, quàm exiſtentia intrinſecè permanente, vt forma, & determinatione extrinſeca ex parte efficientis ab actione conſervativa; ex parte verò termini extrinſeci à menſura temporis realis, aut ſaltem poſsibilis, abſque vlla ſui intrinſecà variatione. Abſque vllâ ergo neceſsitate opinio adverſa multiplicat entitates, ſeu modos durationum.

SECTIO TERTIA.

Statuitur potiſsimum diſcrimen temporis ab æternitate, ævo, & duratione rerum corruptibilium permanentium. Vbi plura obſervantu digna.

19 VERVM Itaque & præcipuum diſcrimen diverſarum durationum in eo conſiſtit, quod æternitas ſit duratio propria rei omnino immutabilis, tam ſecundùm eſſe, quam penes accidentia; ævum verò duratio rei immutabilis ſecũdùm ſubſtantiam, & mutabilis ex parte accidentium; tempus denique duratio rei mutabilis tam ſecundùm ſubſtantiam, quàm penes accidentia. Ita ex profeſſo docet S. Thomas 1. *p. q.* 10. *art.* 5. quem communiter ſequuntur Philoſophi ac Theologi; quamvis breviùs id tractantes, quam idem Angelicus Doctor.

20 Cuius ratio, communiter recepta, hæc eſt: Quoniam immutabilitas omnimoda Dei eſt ratio à priori æternitatis. Omne enim quod prorſus immutabile eſt, tam penes ſubſtantiam, quàm ſecundũ accidentia, non habet caput aliquod, ex quo deficiat, ſeu deſinat eſſe. Ergo æternum eſt. Ergo æternitas ſecundùm propriã rationem eſt duratio rei immutabilis, tam ſecundùm ſubſtantiam, quàm penes accidentia. Sicut autem æternitas eſt quid perfectiſsimum in genere durationis, ratione ſummæ conſiſtentiæ; ita è converſo tempus eſt quid imperfectiſsimum in genere eodem, ratione ſummæ inconſtantiæ & volubilitatis; ac proinde eſt duratio rei mutabilis, tam ſecundùm ſubſtantiam, quàm penes accidentia. Scilicet, eſt duratio intrinſeca motus, qui omnibus modis paſsim variatur. Iam ævum, quod eſt duratio media inter æternitatem & tempus, debet participare aliquid de vtroque extremo, & differre ab eo ſecundùm aliquid. Ergo quatenus recedit ab æternitate, debet eſſe duratio rei mutabilis penes accidentia: ac proinde ex diverſis capitibus, iam aſsignatis, differt eſſentialiter ab vtroque.

21 CONFIRMATVR. Diverſæ proprietates ſpecificantur à diverſis naturis, & per ordinem ad illas conſtituuntur ac diſtinguuntur eſſentialiter inter ſe. Sed æternitas eſt proprietas naturæ immutabilis penes ſubſtantiã & accidentia; ævum naturæ immutabilis penes ſubſtantiam, & quo ad accidentia mutabilis; tempus naturæ mutabilis vtraque ratione. Ergo æternitas ſpecificatur ac diſtinguitur eſſentialiter per ordinem ad naturam immutabilem ſecundùm ſubſtantiam & accidẽtia; ævum per habitudinem ad naturam immutabilem in ſubſtantia, & in accidentibus mutabilem; tempus denique per reſpectum ad naturam vtroque modo mutabilem.

22 HINC oriuntur alia diſcrimina harum durationum inter ſe, quaſi ſecundaria & conſequentia. Æternitas enim, quia eſt menſura rei prorſus immutabilis, ac proinde impotentis tranſire ab eſſe ad non eſſe, & a nihilo ad aliquid; caret principio ac fine. Ævum, quoniam menſura eſt rei immutabilis, non omnino, ſed ſolum ſuppoſita creatione, habet principiũ, & caret fine. Ideoque ſolet pro æternitate à parte poſt accipi, ſicut æviterna & æterna pro eodem reputari ſolent, vt vidimus *diſp. præced. num.* 4. Cùm verò æviternæ res, vt Angeli, variationem ſubeant in ſuis operationibus, tum immanentibus, tum & tranſeuntibus, ideo ævum eſt menſura ſeu duratio rerum habentium principium & finem in accidentibus. Tempus denique, cum ſit duratio intrinſeca motus coſiſtentis in omnimoda variatione, continet principium ac finem, vix incipiente aliqua ipſius parte, cùm deſinit. Ergo ex natura diverſa prædictarum durationum oriuntur hæ diſsimiles affectiones, propriæque vniuſcuiuſque.

23 VERVM cùm quatuor genera durationum ſint, vt notavimus diſputatione præcedenti *num.* 4. *& ſeqq.* & ævum differat eſſentialiter à duratione permanenti rerum corruptibilium; opportet aſsignare vtriuſque diſcrimen potiſsimum: quod Authores in præſenti omiſerunt, & ipſe D. Thomas quæſtione illa decima primæ par-

partis, vbi de varijs durationum generibus aiterit. Verùm illius doctrina, & aliorum, quos pro noſtra ſententia allegavimus, ſtare non poteſt, dicendumque eſt, diſcrimen vtriuſque durationis permanentis, tum æviternæ, tum & non æviternæ, in eo ſitum eſſe, quod prior ſit duratio rei ex propria perfectione incorruptibilis; poſterior vero rei corruptibilis ex ſua imperfectione. Itaque ratio durationis permanentis eſt genus commune vtrique durationi, & ordo ſpecialis ad prædicta ſubiecta eſſentialiter diverſa, eſt ratio ſpecialis vniuſcuiuſque. Inſuper, cùm rerum ex propria perfectione incorruptibilium quædam ſint ſpirituales, vt Angeli, quædam materiales, vt cæli iuxta frequentiorem opinionem eos incorruptibiles aſſerentem; conſequens eſt, vt ævum vtrorumque eſſentialiter differat, ſaltem penes genus proximum. E contra autem, cùm res omnes permanentes, quæ ob imperfectionem ſuam, & capacitatem diſpoſitionum contrariarum, ſubſtantialiter corrumpi poſſunt, conveniant in hac ratione formaliter, abſque vllo prorſus diſcrimine penes materialitatem & ſpiritualitatem, vtpote materiales omnes; videtur duratio illarum eſſe eiuſdē rationis quò ad prædicata formalia durationis, quanquam in eſſe rei, & ſub ratione exiſtentiæ, iuxta opinionem noſtram, differant inter ſe: quemadmodum vncia auri & vncia argenti, ſecundùm prædicata eſſentialia & phyſica differunt; ſub formali autem ratione ponderis eiuſdem conveniunt.

24 *IAM* de tempore ipſo, ſi comparetur cæteris durationibus hucuſque explicatis, dicendum eſt, eſſentialiter ſucceſſivum eſſe præ alijs omnibus. Nihil enim aliud eſt tempus formaliter loquendo, quā ſucceſſiva duratio motus. Quare ita convenit cum æternitate, ævo, & duratione permanenti rerum corruptibilium, in ratione communiſſima durationis, vt tamen ab ijs omnibus differat penes ſucceſsionem intrinſecam & formalem, qua cæteræ durationes carent.

25 *PRÆTEREA* ab ijs differt, quatenus durationes permanentes rerum creatarum, ſive corruptibilium, ſive incorruptibilium, vt durent potiùs in vna menſura durationis, quam in aliā, aut multum, vel parùm, neceſſario connotant aliquid extra ſe, ſcilicet, hanc vel illam, maiorem vel minorem moram temporis, aut realis, aut ſaltem poſsibilis. Niſi enim habeatur ratio eius correſpondentiæ, nulla determinatio, nulla maioritas, vel minoritas apparebit, aut eſſe poterit actu & exercitè in durationibus quæ permanent, & ſunt totæ ſimul. At vero tempus ipſum vt duret, vel ſit maius, aut minus, non indiget connotatione alterius temporis; ſed ſeipſo formaliter adæquatè conſtituitur durans, & maius, vel minus: & realiter quidem atque in actu ſecundo, ſi ſit tempus realiter exiſtens; poſsibiliter verò & in actu ſignato, ſi ſit tempus poſsibile. Ratio eſt manifeſta: tum, quia per illam ſucceſsionem partium realiter exiſtentium penes prius & poſterius, ſecluſo omni alio, conſtituitur tempus ſucceſsivè durans, & tanto magis vel minus, quantò ſucceſsio ipſa fuerit diuturnior: tum etiam quia ſucceſsio partium motus primi mobilis v. g. per vnicam horam, non eſt indifferens vt duret per dimidiam horam, aut per amplius ſpatium, quam vnius horæ; ſed eſt fixa & determinata ſpatio vnius integræ horæ. Ergo non indiget connotatione alterius rei, ſive mentalis: quia connotatio alicuius extrinſeci ſolùm deſervit ad determinandam indifferentiam alicuius rei abſque intrinſecā mutatione.

26 *CONFIRMATVR* hæc doctrina: Quia licèt dies hodiernus v. g. ſecūdùm ſe indifferens ſit ad durandum exercitè, vel non durandum, ſicut & ad exiſtendum vel non exiſtendum (poteſt enim poni vel non poni extra cauſas) ex ſuppoſitione tamen quod integrè exiſtat, nequit abbreviari ad vnicum inſtans, cùm ſit eſſentialiter ens ſucceſsivum; neque ad vnicam horam, quia eſſentialiter importat diuturniorem ſucceſsionem: ſed neceſſariò debet inſumere ſucceſsionem viginti quatuor horarum. Ergo ex ſuppoſitione quod integrè exiſtat, omnino determinatus eſt ad ſucceſsionem viginti quatuor horarum; ac proinde non eget vlla connotatione. *Rurſus*, Dies hodiernus ex propria ratione determinatus eſt ad non exiſtendum, niſi hodie: idemque eſt de hac hora, & de hoc inſtanti reali, vt nequeant exiſtere, niſi quando exiſtunt. Quare vis enim poſsint abſolutè exiſtere, aut non exiſtere, ſeu intra ſtatum poſsibilitatis manere; ex ſuppoſitione tamen quod extrahenda ſint à poſsibilitatis ſtatu, nequeunt exiſtere, niſi quando exiſtunt. Quemadmodum enim in ſerie dierum, & horarum, & inſtantium poſsibilium, eſt ſucceſsio & ordo prioris, ac poſterioris, ita vt ante & poſt quodlibet illorum ſit determinatè aliud inſtans, & huic aliud, atque aliud; ſic etiam in ſerie exi-

exiſtentium, ante & poſt quodlibet illorum determinatè, exiſtere poteſt aliud, & aliud, ita vt nullus dies exſtat in eo ſpatio, in quo alter erat exiſturus; ſed quilibet alligetur ad exiſtendum in ſuo ſpatio proprio, ex ſuppoſitione quòd extiturus ſit. Ergo nullus dies, hora, vel inſtans, indiget determinatione, aut connotatione aliqua, vt duret quando exiſtit.

27 *DICES*: Motus diurnus primi mobilis, qui nunc importat ſucceſsionem viginti quatuor horarum, poſſet citiùs fieri, movente Deo celeriùs eandem ſphæram. Ego importat ſucceſsionem viginti quatuor horarum. Ergo vt illam de facto importet, debet habere connotationem aliquam, per quam determinetur indifferentia illa. *RESP*. Licèt poſsit Deus movere celeriùs, ſicut & tardiùs, primum mobile, quàm modò; ille motus non eſſet idem, qui nunc; ſed aliùs diverſus. De illo igitur motu, qui cum tali celeritate & ſucceſsione exiſtit de facto in primo mobili per ſpatium viginti quatuor horarum, dicimus alligatum eſſe intrinſecè ad durandum viginti quatuor horis: ac proinde non indigere vllà connotatione alterius rei, aut durationis extrinſecæ, vt duret tantùm, & non magis, vel minus. Similiter de motu cœlorum inferiorum, inſumente viginti quatuor horas, dicendum eſt, determinatum eſſe intrinſecè ad durandum totidem horis per ſucceſsionem ſuam, & non pluribus, neque paucioribus: quia nunc de facto eſt minoris celeritatis, quàm motus primi mobilis, & in tali gradu, ſeu menſurâ, vt eodem tempore, quo primum mobile percurrit maius ſpatium loci, cœli inferiores percurrant minus ſpatium. Vt enim conſtabit ex dicendis *lib.* 7. motus celer diſtinguitur à tardo, quamvis continuo, in eo quod æquali tempore conficit maius ſpatium loci, & minori æquale. Ergo motus inferiorum cœlorum, qui de facto exiſtit, per ipſam partium ſucceſsionem in hoc gradu celeritatis fluentium, determinatur ad durandum tanto tempore, potiùs quàm tanto. Inſuper & motus quilibet inferiores ac ſublunares ſi, continui ſint, & nullo modo interrupti (quod neceſſariò concedi debere oſtendam loco indicato) ratione ſucceſsionis ſuarum partium, habent ſuam intrinſecam durationem, ſeu proprium tempus, quo durant. Etenim licèt durationes eorum motuum dimetiamur per motum primi mobilis, tanquàm omnium regulariſsimum & primum omnium, atque adeo per durationem ipſius motus; id non tollit quod motus inferiores ſuam propriam ſucceſsionem habeant, ac proinde ſuum proprium & intrinſecum tempus; ſive illud ſit realiter diſtinctum ab vnoquoque motu, ſive non; de quo agendum *diſput. ſequenti, ſect.* 2. Idque planè agnovit & docuit clariſsimum Eccleſiæ lumẽ S. Auguſtinus lib. 11. Confeſſ. cap. 23. dum dixit: *Audivi à quodam homine docto, quòd Solis, ac ſiderum motus ſint tempora & anni. Cur enim non potiùs omnium corporum motus ſint tempora? An verò ſi ceſſaſſent cœli lumina, & moveretur rota figuli, non eſſet tempus? Nemo ergo mihi dicat cœleſtium corporum motum eſſe tempora: quia cum cuiuſdam voce dum Sol ſteti ſſet, vt victor Ioſue prælium perageret, Sol ſtabat; ſed tempus ibat.*

28 *INSTABIS*: Idem motus cœlorum, qui nunc eſt, poſſet a Deo reproduci, ac proinde exiſtere in alia duratione, quam præſenti. Ergo & eadem hora quæ nunc eſt tẽporis, reproduci poſſet à Deo, ac proinde exiſtere in alio ſpatio durationis, quam præſenti. Ergo motus & tempus vt diſtinctum à cœteris durationibus, non eſt affixum & determinatum ad vnicum ſpatium, ſed indifferens & indeterminatum, ſicut cœteræ creaturarum durationes.

29 *RESP*. Partes motus, quæ non ſunt eſſentialiter ſucceſsivæ, ſed ſolùm accidentaliter, poſſe à Deo reproduci, ſicut & quævis entia permanentia. Nimirum, eaſdem numero vbicationes, quas hodie ambulans adquiro, poſſem iterum adquirere cras, ſi Deo placeat; idemque eſt de motu cœli quoad eaſdem partes, ſive vbicationes, quibus intrinſecè componitur. Idemque iuxta communem ſententiam dicendum de quibuslibet actionibus creaturarum, ſive immanentibus, ſive tranſeuntibus, quidquid in oppoſitum velit Cardinalis Lugo *diſput.* 19. *de Incarnat. ſect.* 1. *n.* 20. Nihil enim prædictorum eſt eſſentialiter ſucceſsivum, ſed accidentaliter ſolùm: atque adeò nihil illorum eſt eſſentialiter affixum huic vel illi determinatæ ſucceſſioni temporis; ſed indifferens vt à Deo producatur in hac vel illa; & obedientialiter capax, vt iterum atque iterum reproducatur in aliâ temporis ſucceſsione ab ea, in qua nunc exiſtit. Quare concedo libenter antecedens obiectionis:

30 Nego autem conſequentiam: quia hora, dies, menſis, annus, & cœtera eiuſmodi, eſſentialiter ſucceſsiva ſunt: ac proinde nequeunt eadem numero reproduci. Repugnat enim diem hodiernum

ha-

habere cras eandem numero ſucceſsionem quam hodie habet: ſiquidem dies hodiernus eſſentialiter conſiſtit in illa ſucceſsione partium priorũ ac poſteriorũ motus, quæ immediatè ſubſequitur ſucceſsionem heſternam, & antecedit craſtinam. Repugnat autem ſucceſsionem partium priorum ac poſteriorum motus cras productã à Deo, ſubſequi immediatè ſucceſsionem heſternam, & antecedere craſtinam. Ergo repugnat ſucceſsionem partium motus priorum & poſteriorum cras productam à Deo, eſſe diem hodiernum, ſive eãdem numero ſucceſsionem. *Præterea*: ſi quilibet dies non eſt eſſentialiter determinatus vt exiſtat ſolùm quando exiſtit, ſed indifferens ad exiſtendum antea, aut poſtea, vel ad exiſtendum ſemel & iterum per ſui reproductionem; poſſet dies craſtinus exiſtere hodie, & hodiernus cras; ac proinde priùs exiſteret dies craſtinus, quam hodiernus. Poſſet item homo prius exiſtere anno ſequenti, quam præſenti, aut præterito: quia eadem ratio annorum, ac dierum eſt. Poſſet etiam fieri à Deo, vt homo hodie natus exiſteret prima mundi die, eandem numero diem reproducendo. Poſſet denique facere, vt idem homo ſimul exiſteret nunc omnibus diebus, quotquot fuerunt & erunt à principio ad finem mundi, ſi poteſt Deus omnes illos producere, aut reproducere nunc. Quæ omnia ſpecioſam quamdam, & riſu dignam abſurditatem præ ſe ferunt.

31 *EX* quà doctrina colligitur, motum cœli ex ſe, & quo ad vbicationes quibus eſſentialiter conſtat, poſſe quidem reproduci a Deo; quia indifferens eſt ſecundùm eam rationem, vt exiſtat in hoc aut illo tempore, nullique in particulari affixum eſt eſſentialiter. Cæterum motus cœli quatenus involvens hac numero ſucceſsionem temporis, quam de facto habet hodie, nullatenus reproduci poteſt. Sicut enim ſucceſsio hodierna eſſentialiter alligata eſt ne exiſtat, niſi hodie; ita & motus cœli hodiernus, quatenus importans ſucceſsionem hodiernam, eſſentialiter alligatus eſt, ne exiſtat, niſi hodie; ac proinde, ne per ſui reproductionem exiſtat in alio tempore. Sic actus fidei ſecundùm ſe indifferens vt ſit in hoc vel illo tempore; ex ſuppoſitione quòd affirmet ſe nunquam extitiſſe, aut exriturum eſſe, niſi in tempore præſenti, nequit in alio exiſtere, vel a Deo reproduci. Idemque dicendum eſt de cæteris quibuſque motibus infra cœleſtem. Licèt enim quò ad omne poſitivum & eſſentiale indifferentes ſint, vt reproducantur, & in hoc aut illo tempore exiſtant; non tamen quatenus affecti tempore hoc determinato, potiùs quam alio. Idem denique de qualibet creatura permanenti, quæ ſecundum ſua omnia prædicata intrinſeca reproduci poteſt propter eandem, aut maiorem indifferentiam ad durandum in vno vel alio tempore. Cœterum quatenus durans in hoc tempore determinato, nequit reproduci à Deo, quia ſub ea conſideratione importat ex parte obliqui tempus determinatum quod prorſus irreproducibile eſt. Nonnulla alia, quæ præiactæ doctrinæ obſtare videntur, proponam & diluam ſequenti diſputatione.

32 *VERVM* licèt ſubſtantiæ incorruptibiles ſpirituales menſurentur ævo, non tamen omnes earũ operationes. Quædam enim illarum menſurantur æternitate, quædam ævo, quædam tempore diſcreto, quædam denique continuo tempore. Rem explico productis in medium diverſis Angelorum operationibus. Prima & omnium potiſsima eſt viſio Dei, quæ menſuratur æternitate, quoniã annexum habet, ſaltem de facto, decretum liberum Dei actu manifeſtatum de ſua æterna duratione, vt alibi ex profeſſo explicamus. Secunda eſt cognitio naturalis quà ſeipſos intuentur, & ſubinde naturalis amor, quo ſe diligunt: & hæc menſuratur ævo, quia incorruptibilis eſt in ſuo eſſe ſicut ipſa ſubſtantia Angeli, ſolamque variationem ſubire poteſt penes alia accidẽtia ex parte ſubiecti. Tertia operatio eſt, qua Angelus cognoſcit & amat obiecta extra ſe: & hæc nequit menſurari æternitate aut ævo, ſed tempore diſcreto, ſi dicreta ſit; continuo autẽ ſi cõtinua. Porrò tempus diſcretũ dicitur tale: quia ſicuti ex multis vnitatibus conflatur numerus, qui eſt quantitas diſcreta; ita etiam ex pluribus Angelorũ operationibus ſibi ſuccedentibus, vel potiùs ex multis durationibus illarum, conſurgit quædã menſura durationis earũdem operationũ, quæ appellari ſolet tẽpus diſcretum. Appellatur *tempus*, quia prædicta menſura habet prius & poſterius, quod temporis proprium eſt: *diſcretum* autẽ, quoniam illæ actiones non ſuccedunt ſibi continuè, ſed diſcretè, quemadmodũ vnitates in numero. Verùm & ab his differunt, quatenus vnitates numerum conſtituentes nõ propterea ſunt incõpoſsibiles inter ſe: operationes verò Angeli cõſtituentes tẽpus diſcretũ, debent eſſe inter ſe incompoſsibiles. Si enim ſimul eſſe poſsint, eodem inſtanti

menſurabatur, ac proinde carebũt ſucceſſione ad tempus neceſſaria.

33 Ratio vero cur conſtituta fuerit prædicta menſura operationum prædictarum Angeli, in promptu eſt: quia cùm illæ ſint defectibiles & mutabiles iuxta liberum arbitrium Angeli, nequeunt menſurari æternitate aut ævo. Cum vero præterea non ſint continuæ, nequeunt menſurari continuo tempore. Superest igitur, vt quoniam carent continuatione inter ſe, & ad invicem diſcernuntur, menſurentur diſcreto tempore.

34 Quarta denique Angelorũ actio eſt tranſiens, qua movent aliqua corpora, vel quemquam effectum exterius operantur: & illa tranſiens nõ eſt formaliter, cum ſpiritualis ſit; ſed virtualiter tantum, quamvis ponat extra ſe aliquid materiale. Illa ergo activè, ſeu ex parte Angeli conſiderata, menſuratur tempore diſcreto, ſi ſit diſcreta; continuo autem ſi continua ſit; angelico tamen, & ſpirituali, atque excedenti tempus materiale & noſtrum: vt colligitur ex D. Th. 1. *p. q.* 53. *art.* 3. vbi diſſerens de tempore menſurante motum Angeli, inquit: *Iſtud tempus, ſive ſit tempus continuũ, ſive non, non eſt idem cum tempore quod menſurat motum cœli, & quo menſurantur omnia corporalia; quæ habent mutabilitatem ex motu cœli: motus enim Angeli non dependet ex motu cœli.* Idemque habet *in* 1. *diſt.* 34. *q.* 4. *art.* 3. Ex parte verò effectuum quos extra producunt, dictæ operationes menſurantur tempore noſtro; quia paſsivè, & penes id quod operantur, corporeæ ſunt, ac proinde tempori noſtro ſubiacent.

SECTIO QVARTA.

Argumenta Henrici & aliorum ſoluta. Dubia quædam minoris notæ breviter expediuntur.

35 PRO Sententia Henrici & Recẽtiorum, quã refutavimus *ſect.* 1. & 2. oppones nonnulla argumẽta, quorum pleraque ſibi obiecit Angelicus Doct. dicta *q.* 10. 1. *partis, art.* 5. ex cuius doctrina proinde ſolvenda ſunt potiſsimùm. Primo itaque obijcies, ævum vt condiſtinctum a tempore, & quavis duratione inferiori, non videri intrinſecè permanens, ſed æque & eſſentialiter ſucceſsivum. Si enim hodie crearetur a Deo aliquis Angelus, & conſervaretur ſimul cum alijs à principio mundi creatis, minorem durationem haberet: ſimiliter ſi ex creatis ab initio mundi vnus heri annihilatus fuiſſet, minus duraſſet, quã cœteri hodie manentes. Ergo æviterna duratio vnius Angeli præ alio admittit maioritatem ac minoritatem, ac proinde ſucceſsionem partium. Patet conſequẽtia quò ad poſteriorem hanc partem: quia ſine ſucceſsione plurium partium nequit eſſe vna duratio æviterna Angeli maior quam altera. Antecedens vero probatur: quia Angelus hodie creatus, vel heri annihilatus, non coëxiſteret tanto tempori extrinſeco, quãto alij ab initio mundi vſque modo manentes. Ergo minorem durationem haberet. *CONFIRM. I.* Angelum durare in inſtanti A. ſuæ creationis, non eſt idem realiter ac ipſum durare in inſtanti B. ſequenti, cum poſsit vnum ſeparari realiter ab alio, nolentẽ Deo conſervare Angelum in eo ſecundo inſtanti. Ergo ævum quo Angelus durat in vno inſtanti, non eſt idẽ realiter cũ ævo quo durat in alio inſtãti, ſed diſtinctum; vtpote ab eo ſeparabile. Patet conſequentia: quia durare Angeli eſt effectus formalis ævi, & vbi effectus formalis eſt ſeparabilis ac diſtinctus, etiam forma ſeparabilis ac diſtincta realiter eſſe debet. *CONFIRM. II.* Vel enim ævum Angeli in inſtanti A. ſufficit vt ille duret in inſtanti B. ac proinde neceſſario durabit Angelus in inſtanti B. ſuppoſito quòd extiterit in inſtanti A. ideoque deſtrui non poterit a Deo poſt primum inſtans; quod abſurdum eſt: vel ævum illud poſitum in inſtanti A. non ſufficit vt Angelus duret in inſtanti B. & ita oportebit adijcere novam partem ævi ſuccedentem, quã in poſteriori inſtanti duret. Ergo ævum eſt intrinſecè ſucceſsivum.

36 *RESPOND.* negando aſſumptum: quia ævum quò ad intrinſeca eſt indiviſibile, ac totum ſimul, tanquam propria duratio rei indiviſibilis & totius ſimul: licet ſit diviſibile virtualiter, quatenus extendi poteſt ratione ſuæ perfectionis & eminentiæ ad tempus formaliter diviſibile. Vnde Angelus hodie creatus, aut heri annihilatus, non haberet minorẽ durationem quò ad intrinſeca, quàm cœteri ab initio mundi permanentes vſque modò; ſed ſolũ quò ad extrinſeca, & quatenus non tãto tempori extrinſeco reali aut poſſibili coëxtitiſſet, nec adeo diuturnam actionem conſervantem habuiſſet ex parte Dei, ac cœteri Angeli. *AD I. Confirm.* Angelum durare in inſtanti A. non eſt diſtinctũ aut ſeparabile quò ad intrinſeca ab hoc quod eſt durare in inſtanti B. ſicut eius exiſtentia in vno inſtanti, adhuc per Adverſa-

ſarios, eſt eadem intrinſecè in vtroque inſtanti. Quare ſolum eſt diſtinctio & ſeparabilitas quo ad extrinſeca, quatenus actio conſervativà Dei, quæ erat in inſtanti A. poteſt ſubtrahi in inſtanti B. ac proinde deſinere eſſe Angeli, & minime coëxiſtere inſtanti B. ſequenti. Quare nec effectus ille formalis durandi in vtroque inſtanti, nec forma ipſa, ſeu ævum, eſt intrinſecè & formaliter duplex, ſed virtualiter & extrinſecè ſolum, pendéſque neceſſario ab actuali Dei influxu pro quolibet inſtanti, vt in eo ſit, & conſtituat ſubiectum durans. *AD II. Confirm.* Ævum poſitum in inſtanti A. ex parte entitatis intrinſecæ ſufficit vt conſtituat Angelum durantem in B. pendet tamen ab actuali Dei influxu conſervante ipſum Angelum & ævum in B. & proinde faciente Angelum coëxiſtere eidem inſtanti. Cum vero talis influxus ſit actio libera Deo, poteſt pro libito ſubtrahi, quoties voluerit, & in nihilum reduci Angelus, atque ipſius duratio æviterna.

37 · *INSTABIS.* Ævum nequit invariatum, & totum ſimul quo ad intrinſeca, extendi ad omnia inſtantia & tempora. Ergo vt extendatur noviter ad quodlibet inſtans, eget intrinſeca variatione ac ſucceſsione, & non ſolùm extrinſeca. Probatur antecedens multipliciter. *Primò*: Quia ſi ævum intrinſecè invariatum & totum ſimul extenderetur ad omnia inſtantia & tempora, eſſet actu infinitum in genere durationis: quemadmodum ſi aliqua quantitas molis aut virtutis intrinſecè invariata, & tota ſimul, extenderetur ad omnia loca, eſſet actu infinita in genere præſentiæ localis. *Secundò* probatur idem antecedens. Si enim ævum Angeli intrinſece invariatum & totum ſimul extenderetur ad omnia inſtantia & tempora, contineret ſimul tempus præſens, præteritum, & futurum: ac proinde non differret ab æternitate. *Tertiò*: quia ſicut omnis duratio, ex ſuppoſitione quod exiſtat, nequit deſtrui a Deo per ſuſpenſionem concurſus, quia extenditur intrinſecè ad omnes temporis differentias, ac proinde exigit concurſum Dei conſervativum pro omni tempore; ſic etiam æviterna duratio, ſi extenditur per intrinſecam ſuam entitatem ad omnia tēpora ex ſola ſuppoſitione exiſtentiæ ſuæ; non poterit deſtrui a Deo per ſuſpenſionem concurſus, quia illum exiget neceſſario & in omni tempore.

38 *RESPONDETVR*, ævum intrinſecè invariatum, & totum ſimul, extendi ad omnia tempora; non tamen in actu ſecundò & ſimul; ſed in actu primo, & quantùm in ſe eſt, atque expectando ſingula inſtantia & tempora, vt eis in exercitio coëxiſtat, & in ijs duret. Iuxta quam doctrinam diſtinguendum eſt antecedens, & concedendum de extenſione quaſi in actu primo & in potentia; negandum verò de extenſione in exercitio & actu ſecundo. *AD I. Probationem*, ſuppoſita hac diſtinctione, nego ſequelam: quia vt ævum eſſet actu infinitum in genere durationis, deberet in exercitio ſimul extendi ad omnia tempora, ea continendo actu intra ſe, & antequam exiſtant in ſeipſis, ſeu in propria menſura. quod tamen non habet: quia quemadmodum eſſe rei æviternæ non cōtinet eſſe rerum temporalium & inferiorum, ſic & ævum non continet in ſe tempora, ſeu inferiores durationes. Inſtantia autem in obiectione adducta retorquetur in Adverſarios. Quælibet enim quantitas de facto exiſtens, apta eſt in actu primo, & ex ſe, vt intrinſecè invariata ſit in omni loco, modò in hoc, modò in illo; & tamen non ideo immenſa eſt, aut infinitæ vbicationis. Similiter & vbicatio fixa in turri eſt apta coëxiſtere infinitis vbicationibus aëris ſucceſsivè fluentibus, quoties illæ tranſierint; & tamen non ideo infinita eſt. *AD II. Probationem* nego ſequelam: quia continere omnes tēporis differentias eſt proprium æternitatis, veluti ſupremæ durationis: ſicuti continere perfectionem eorum quæ in tempore exiſtunt, eſt proprium *eſſe* divini & æterni, tamquam omnium ſupremi, & primæ cœterorum cauſæ. Quare ſicut eſſe Angeli non continet exiſtentiam rerum temporalium, quoniam earum cauſa non eſt; ſic neque ævum Angeli continet inferiores durationes aut tempora.

39 *DICES*: Saltem cœlum eſt cauſa vniverſalis corporum omnium inferiorum, quæ in tempore ſunt. Ergo ſaltem ævum cœleſte continet durationes & tempora omnia inferiorum, ſicut continet ipſorum eſſe. *RESPONDEO*, cœlum quamquam ſit cauſa vniverſalis corporum omnium generabilium & inferiorum ſolùm continere illa inadæquatè ſub ratione communi corporis, & dependenter à Deo vt prima cauſa, & expectando eius concurſum abſolutè negabilē, vt actu producat inferiora. Quare & ævum cœleſte ad ſummum inadæquatè continet durationes corporum inferiorum, & dependenter à Deo vt prima cauſa, & expectando eius concurſum abſolutè negabilem, vt actu influat in durationes rerum infe-

riorum, iiſque coëxiſtat. Cuius oppoſitum per omnia cōtingit Deo, eiuſque æternitati, conuenientibus adæquatè, & independenter ab omni alio, exiſtentiam durationemque eorum omnium, quæ aliquando ſunt, fuerunt, aut erunt. *AD III. Probat enim* negatur ſuppoſitum iuxta opinionē, quæ docet repugnare prorſus creaturam ex æterno exiſtentem. Iuxta oppoſitam vero, quæ ſatis communis eſt, dicendum æternā durationem a parte antè in hoc differre ab æviternà, quod prior habeat eſſentialiter annexum concurſum conſervativum per infinitam durationem ſequentem, ex ſolà ſuppoſitione actionis creativæ ab æterno. Etenim in qualibet re ab æterno exiſtente, ſemel ab æterno exiſtere, eſt ſemper extitiſſe; ac proinde ſemper conſervatam fuiſſe a Deo. Quare repugnat illam deſtrui à Deo per ſuſpenſionem concurſus; vtpotè eſſentialiter incluſi in ipſa actione creativa, prout ab æterno poſita. Poſterior autē, ſcilicet, æviterna duratio, non eo ipſo quod ſemel exiſtat, ſemper exiſtit; neque vlla ratione habet eſſentialiter ſibi annexum concurſum Dei conſervativum. Quare illo deficiente deficiet ſubſtantia rei æviternæ, & illius duratio.

40 *SECVNDO* Oppones. Inter creationem, conſervationem, & annihilationem Angeli datur diſtinctio & ordo præteriti, præſentis, ac futuri. Ergo pariter in ipſo ævo, ſeu duratione Angeli. Conſequētia ſuadetur, quia eadem videtur vtriuſque ratio. Antecedens verò probatur ſuppohēdo Angelum heri fuiſſe creatū, hodie conſervari, & cras annihilādum eſſe. Ergo eius creatio eſt præterita, conſervatio præſens, & annihilatio futura. *RESP.* eſſe quidem ordinem ſucceſsionis inter creationē conſervationemque Angeli ex vna parte, & annihilationem ipſius ex alia: quia hæc ſuccedit duabus præcedentibus, cùm nihil deſtrui poſsit, niſi priùs extiterit. Inter creationem verò & conſervationem rei nō eſt propriè ſucceſsio & penes intrinſeca, cùm ſint eadem actio continuata; ſed ſecundùm quid & penes extrinſeca tantùm, quatenus actio illa ſub ratione creationis præſupponit non eſſe rei, vt terminum *à quo*, ſaltem de facto, & connotat primum rei inſtans; ſub ratione autem conſervationis præſupponit eſſe rei iam productum, & cōnotat aliud inſtans poſt primum. Vnde neque in termino, ſeu re æviterna, colligitur intrinſeca ſucceſsio, ſed extrinſeca & connotata tantùm.

41 *ROGABIS I.* An ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles, quò ad ſuum eſſe menſurentur tempore? Reſpondeo, ſi loquamur de menſura intrinſeca, certum eſſe quod non menſurentur tempore, vtpotè iis extrinſeco, & habente formalem ſucceſsionem diviſibilitatemque, oppoſitam permanentiæ & indiviſibilitati ipſarum. Idque vt minimum docet S. Thom. *Opuſc.* 44. dicens: *Homo, aut lapis, non menſurantur tempore; quia eſſentia illorum eſt in quolibet nūc temporis; nec habet prius aut poſterius, ſive ſucceſsionem.* Quare iuxta dicta præcedenti diſputatione, eiuſmodi ſubſtātiæ, & quælibet res permanentes corruptibiles;, menſurantur intrinſecè per ſuam exiſtentiam, non abſolutè ſumptam, ſed vt connotantem ex parte cauſæ efficientis actionem conſervativam, & ex parte termini hoc aut illud tempus determinatum, aut reipſa exiſtens, aut ſaltē poſsibile, quod eſt menſura illarum extrinſeca. Quod idem de rebus æviternis ſuo modo dicendum eſſe, conſtat ex hac ipſa diſputatione.

42 *ROGABIS II.* An ſit tantùm vnum numero tempus? *RESP.* negativè, ſi intelligatur de tempore intrinſeco. Hoc enim multiplicatur iuxta diverſitatem & multitudinem motuum, quibuſcum identificatur realiter, aut quos ſaltem afficit intrinſecè. Vnde, adhuc ceſſante motu primi mobilis, inferiores motus ſuum proprium tempus haberent, vt vidimus ex Auguſtino ſupra *num.* 35. Si autem quæſtio ſit de tempore extrinſeco, & omnium regulariſſimo, ac cœterorum mēſura, quod eſt ſucceſsio ipſa partium motus primi mobilis: dicendum eſt, eſſe vnicum numero tempus, vnitate continuationis, ſicut & motus ipſe vnus numero eſt eodem ſenſu. Motum verò & tempus primi mobilis eſſe omniū regulariſsimum, nemo non videt, omneſque experiuntur in revolutione continua dierum ac noctium, iuxta varias anni partes. Eſſe autem cœterorum menſuram, vel ex eo patet, quod primū ſit in genere durationis ſucceſsivę: primum autem in vnoquoque generę eſt menſura cœterorum, vt paſsim Philoſophi ingeminant cum Ariſtotele & D. Thomà.

(·.·)

DISP. TRIGESIMA PRIMA.

DE TEMPORE.

An exiſtat realiter, & quomodo?

Num. 1. ARISTOTELES hoc lib. 4. cap. 11. textu 108. *definit tempus per hoc, vt ſit* ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον, καὶ κατὰ τὸ ὕστερον: numerus motus ſecundùm prius & poſterius. *Scilicet, pluralitas partium motus ſucceſsivè fluentium, ordine prioris & poſterioris. Dividitur verò tempus in præſens, præteritum, futurum, poſsibile, & imaginarium. De quatuor poſtremis dubium non eſt in præſenti, cùm exploratum ſit, ea nullam exiſtentiam realem habere; & tempus præteritum iam non ſit, futurum nondum ſit, poſsibile numquam in re ponatur, imaginarium verò nec ponatur, nec poni poſsit, ſuppoſito quòd ſit mera carentia ſucceſsionis partium motus, apprehenſa ab intellectu tanquam aliquid fixum & exiſtens, & purum figmentum. Quare ſolùm de tempore præſenti diſquirimus, an realiter exiſtat, & qua ratione. Plura quæ ad hanc controverſiam ſpectare poſſunt, præmiſsimus diſputatione præcedenti* a n. 24. vſque ad 29 *vbi ſtatuimus tempus non eſſe aliud à duratione ſucceſsiva motus. Cumque motus duratio ſucceſsiva ſit realis; etiam tempus debet eſſe reale; ac realiter exiſtere. Verùm ea repetere opus nõ eſt in præſenti, niſi fortè pro amplianda hac diſputatione: quæ locum habet* a c. 10. *vſque ad finẽ huius quarti libri.*

SECTIO PRIMA.

Tempus verè, atque extra animum exiſtere, Obiectiones ſolutæ.

2 SIT I. *Aſſertio.* Independenter ab omni intellectus fictione, & animo nihil conſiderante, tempus verè ac realiter exiſtit. Hanc doctrinam ſupponit Ariſtoteles hoc libro a cap. 10. vſque ad finem, vbi de tempore, tamquam de vero ac reali ente diſſerit: & in Prædicamentis cap. de Quantitate, vbi ſtatuit tempus eſſe ſpeciem quantitatis. Idque etiam docet S. Thomas, tum 1. *p. q.* 10. *ar.* 5. tum & *Opuſc.* 44. dum ait: *Cùm tempus ſit numerus motus, & ſit numerus numeratus; ſic neceſſe eſt eſſe tempus, ſicut & motum. Conſtat autem quòd motus eſt in re extrà. Ergo & tempus eſt in re extrà.* Vnde in aſſertione præiacta conſentiunt communiter ferè Philoſophi quarumlibet Scholarum, paucis Veterum exceptis, quos eodem loco allegat impugnatque S. Th. & quibuſdam Recentiorũ, inter quos immerito ab aliquibus allegatur Pererius *lib.* 12. *de Reb. Natur. c.* 13. cum ibi expreſſe noſtram ſententiam tueatur, imò aſſerat, eam eſſe communem & quaſi naturalem omnium hominũ exiſtimationem. Loquitur enim de diebus, & menſibus, & annis, cœteriſque temporis differentijs, tãquã de aliquo in ipſis rebus exiſtente. Quod & Sacra Scriptura confirmat, dum 1. *Geneſ.* teſtatur, Deũ feciſſe luminaria cœli, vt dividerent dies & noctes, & eſſent ſigna in tẽpora. David quoque alloquitur Deum, dicens: *Tuus eſt dies, & tua eſt nox.* Et Chriſtus Dominus iam iam aſcenſurus cœlum, ad Diſcipulos: *Non eſt veſtrum nôſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.* Vbi de tempore, eiuſque differentijs, tamquam de ente reali, & exiſtente prẹter intellectus fictionem ſermo eſt. Denique, quòd Ariſtotelis exiſtimatione tempus quid reale ſit, inter alia, cõvincitur ex eo quòd latè de illo egerit per plura capita hoc quarto libro Phyſicorum. Phyſica autem non agit de entibus rationis, ſed tantùm de ente reali naturali. Ergo iudicio Ariſtotelis tempus non eſt ens rationis, ſed reale ac naturale.

4 IAM Ratione ſuadetur. Tempus enim nihil aliud eſt, quam numerus ſucceſsionis, ſeu partium motus penes prius & poſterius. Sed numerus ſucceſsionis, ſive partium motus penes prius & poſterius, eſt quid verè & realiter exiſtens. Ergo & tempus. Maior conſtat ex temporis definitione communiter admiſſa. Minor verò probatur: Quia numerus motus primi mobilis, ſive ſucceſsionis partium eius per integrum diem, verè & realiter durat viginti quatuor horis; cùm in ijs non interrumpatur, ſed continuetur. Idemque proportionaliter apparet manifeſtum in alijs motibus inferioribus & continuis quorumcumque gravium cadentium ex ſublimi in cẽtrum. At quidquid verè ac realiter durat, verè etiã ac realiter exiſtit. Numerus ergo partiũ, ſive ſucceſsionis motus penes prius &

poſterius, verè ac realiter exiſtit. *Confirmatur.* Tempus, aut eſt idem reipſa cum motu vt multi probabiliter volunt; aut eſt paſsio conſequuta ad ipſum, vt Ariſtoteles tradit *lib.* 12. *Metaph.* & ab eo diſtincta, veluti intrinſeca motus duratio, iuxta dicenda ſectione ſequenti. Vtrovis autem modo tempus debet eſſe ens reale; quia motus aliquid realiter eſt, & nihil reale poteſt identificari cum eo, quod reale non eſt; vel ab eo intrinſecè affici.

4 *OPPONES* Ariſtotelem hoc *lib.* 4 *cap. vltim.* vbi videtur aſſerere, tempus extra animam numerantem non exiſtere, maximè dum ait: *ἀδύνατον εἶναι χρόνον, ψυχῆς μὴ οὔσης: impoſsibile eſt tempus eſſe, animâ non exiſtente.* Reſpondent aliqui, & merito, Ariſtotelem ea verba non proferre aſſerendo, ſed dubitando: ita enim conſtat ex ipſo textu. Addunt tamẽ ipſum hæc adiecisse: *Oportet hoc dicere veriùs, quòd tempus eſt vtcumque ens ſine anima.* Hæc tamen verba, quæ ſanè dubitationem dirimerent, in ipſo textu non apparent, nec Græco, nec Latino Argyropili, aut Conimbricenſium, quibus vtor. Meliùs itaque reſpondebitur, Ariſtotelem verbis immediatè ſequẽtibus, nimirum textu ipſo 131. fine, dubium id ſolviſſe, dum addidit: *τὸ δὲ πρότερον καὶ ὕστερον ἐν κινήσει ἐστί· χρόνος δὲ ταῦτά ἐστιν ᾗ ἀριθμητά ἐστιν. Prius autem & poſterius in motu ſunt: tempus verò, hæc eſt, quatenus poſſunt numerari.* Sive, vt alij vertunt, *quatenus numerabilia ſunt.* Quo planè dirimit dubitationem propoſitam, & tempori tribuit veram numerabilitatem partium priorum & poſteriorum, ante actuale exercitiũ numerationis, præſtitum ab anima; ac proinde veram realitatem ante omnem intellectus operationem: vt patet in numero quolibet rerum extra animã poſito, cuius multitudo numerabilis eſt realis ac vera, præveniensque omnem actum intellectus numerantis.

5 *VERVM* quidem eſt, D. Thomam hoc loco *lect.* 31. dicere, *tempus abſque anima eſſe imperfectè ens.* Sed his verbis ſolùm ſignificat, illud eſſe ens imperfectum, vtpotè ſucceſsivum, & nullius conſiſtentiæ; non tamen excludit ab illo realem entitatem: ſicut nec *in* 1 *diſt.* 19. *q.* 5. *art.* 1. dum ait: *Id quod eſt formale in tempore, ſcilicet, numeratio, completur per operationẽ intellectus numerantis.* Loquitur enim S. Doctor, non de numeratione formali, quæ eſt actus intellectus; ſed de radicali, quæ eſt ſucceſsio ipſa numerabilis partium motus, verè exiſtens in rerum natura: quæ compleri dicitur, non intrinſecè; ſed extrinſecè ſolùm per actum intellectus numerãtis: ſicut cognoſcibilitas realis obiecti completur extrinſecè per actum potentiæ cognoſcentis.

6 *INSTABIS*: Tempus dependet ab advertentia intellectus vt menſuret motum, & certificet de illius duratione, quamquam capacitas ad menſurandum & certificandum ſit realis, & ab intellectu independens. Atqui ratio potiſsima temporis eſt quod menſuret motum, & certificet de illius duratione. Ergo ratio potiſsima temporis dependet ab advertentia intellectus. Ergo non eſt quid realiter exiſtens, ſed per rationem tantùm. *RESP.* prætermiſſa maiore, negando minorem: quia in tempore illa eſt potiſsima ratio, per quam primò conſtituitur. Tempus autem primò conſtituitur per ſucceſsionem partium motus priorum & poſteriorum numerabilium, ſive intellectus actu numeret illas, ſive non; ſive certificetur, ſive non certificetur de duratione motus. Vnde permiſſo gratis quod tempus, quatenus actu numeratum ſit quid fictum; adhuc id non evinceretur de ratione primâ ac potiſsima temporis. Imò neque de ſecundaria & conſecuta id abſolutè admittendum eſt; ſed dicendum, tempus, adhuc prout actu numeratum ab intellectu, eſſe quid reale: ſicuti obiectum quodlibet exteriùs exiſtens, etiam vt actu cognitum ab intellectu, eſt quid reale; non autem rationis & fictum. Quod enim huiuſmodi eſt, ſolùm habet eſſe obiectivè in intellectu, fingente quod non eſt, perinde ac ſi eſſet. Tempus autem, & quidquid exteriùs exiſtit, etiam vt numeratũ, ſeu cognitum ab intellectu, non habet eſſe in illo purè obiectivè, neque per fictionem aliquam. Neque enim intellectus fingit, dum numerat, vel cognoſcit id quod revera numerabile & cognoſcibile eſt. Ergo tempus, etiam vt actu numeratum ab intellectu, non eſt aliquid rationis & fictum.

7 *VNDE* infertur, tempus, neque vt ſit numerus motus in actu primo, neque etiam vt terminet numerationem in actu ſecundo, compleri per aliquod ens rationis; ſed independenter, & antecedenter ad illud, plenè ac realiter conſtitui per propriam entitatem quo ad actum primũ, & per actum intellectus numerantis prout in actu ſecundo. Sic etiam lux, & color luce perfuſus, ſuâ propriâ entitate conſtituitur in actu primo viſibilis; in actu ſecundo autem per viſionem ad ſe terminatam, & vtroque ſenſu realiter, atque independenter ab omni fictione. Alioqui, ſi dependen-

tia

tia qualibet ab actu intellectus probaret entitatem ab eo pendentem eſſe fictam, & non realem; nullius actus voluntatis eſſet realis, quia nullus eſt qui non pendeat in ſuo eſſe ab actuali conſideratione intellectus. Omnis etiam ſpecies expreſſa eſſet ficta, quia eſſentialiter pendet ab actuali intellectus contemplatione.

8 *VRGEBIS*: In rebus continuis non datur numerus, niſi per operationem intellectus: vt quod in palmo ſint duo ſemipalmi, & in vlna quatuor palmi, non eſt quid realiter conveniens palmo, & vlnæ ante operationem intellectus, diſtinguentis & dividentis quod reverà vnum & indiviſum eſt. Atqui tempus eſt numerus applicatus réi continuæ, ſcilicet, motui continuo primi mobilis. Ergo tempus non eſt quid realiter exiſtens, ſed ſolùm per operationem intellectus. *RESP.* prætermiſſa aliorum ſolutione, negando maiorem: quia ante omnem operationem intellectus dantur in palmo duo ſemipalmi, & quatuor palmi in vlnà, vt ex ſe patet, & demonſtrabitur infra *lib.6. diſp.33.* realiter & actu diſtincti, vtpote ab invicem ſeparabiles. Similiter & in continuo ſucceſsivo exiſtunt partes aliquotæ actu diſtinctæ, ac ſeparabiles: vt in die viginti quatuor horæ, & in horà quatuor quadrantes. Neque obſtat quòd vnicus ſit palmus & vnus dies: quia hæc eſt vnitas ſolius continuationis, quæ non impedit, ſed potiùs exigit pluralitatem realẽ partium. Sic etiam compoſitum, quod eſt vnum & indiviſum longè ſtrictiùs, quam accidentale, & continuum, non excludit, ſed potiùs exigit eſſentialiter plures partes actu diſtinctas; ſcilicet, materiam & formam.

9 *OPPONES II.* & difficiliùs. Tempus eſt quid compoſitum ex partibus ſucceſsivis quatenus ſucceſsivis. Sed quidquid componitur ex partibus ſucceſsivis, vt talibus, eius naturæ eſt, vt nunquam exiſtat realiter. Ergo tempus talis naturæ eſt, vt nunquam exiſtat realiter. Probatur minor. Quidquid componitur ex partibus nunquam realiter exiſtentibus, nunquam exiſtit realiter. Atqui partes ſucceſsivæ, quatenus ſucceſsivæ, nunquam realiter exiſtunt. Ergo & quidquid componitur ex ijs, nunquam exiſtit realiter. Maior eſt certa; nam compoſitum nihil aliud eſt, quam ipſius partes, ſimul ſumptæ & vnitæ. Ergo quidquid componitur ex partibus nunquam realiter exiſtentibus, nunquam exiſtit realiter. Minor autem ſuadetur. Partes enim ſucceſsivæ, quatenus ſucceſsivæ, habent rationem præteritæ, & futuræ. Pars autem præterita, vt præterita, non exiſtit realiter, quia iam non eſt; nec futura, vt futura, quia nondum eſt. Ergo partes ſucceſsivæ, quatenus ſucceſsivæ, non exiſtunt realiter.

10 *RESP.* Argumento hoc, ſi quidquam probat, evinci nullum motum ſucceſsivum in rerum naturà exiſtere: quia omnis motus ſucceſsivus componitur ex partibus ſucceſsivis; quatenus talibus, & quarum alterà habet rationem præteritæ, altera futuræ: Cùm verò ad ſenſum pateat, dari motum in rerum natura, & independenter ab omni fictione intellectus, ſucceſsivos motus; patet ſimiliter, non obſtanti ſucceſſione partium præteritarum & futurarum, dari in rerum natura tempus. Iam verò ad argumenti formam, nego minorem. Ad probationem ſimiliter nego minorem. Cuius probatio ingentem, & propemodum inſuperabilem difficultatem movet; an ſcilicet, omnis pars temporis ſit præterita, aut futura; nulla autem præſens: ſi autem præſens, quomodo diſtinguatur ab ente permanenti. Nos cum Ariſtotele, & D. Thoma cenſemus partibus temporis, vt verè & realiter exiſtant, opus non eſſe præſentia alia ipſarum, quam ratione inſtantis; idque neceſſarium omnino eſſe ad rationem entis ſucceſsivi quatenus diſtinguitur à permanenti. De quo infra *ſection.4.*

SECTIO SECVNDA.

Entitatem realem temporis, non quamlibet eſſe, ſed ſucceſsivam; diſtinctam tamen realiter à motu. Difficultates in oppoſitum expediuntur.

11 SIT II. *Aſſertio.* Tempus non eſt qualecumque ens reale, ſed ſucceſsivum; diſtinctum tamen realiter a motu.

PRO intellectu prioris partis, prætermittendum eſt, rem ſucceſsivam differre dupliciter à permanenti. Primò, quia res permanens habet ſuas partes totas ſimul in actu: vt Petrus, lapis, arbor, &c. totum autem ſucceſsivum non habet partes ſimul exiſtentes ſecundùm ſe totas, ſed ſucceſsivè, & vnam poſt alteram: vt patet in motu. Secundo differt, quatenus res permanens eſt in actu poſtquã fit, ſeu generatur: totum autem ſucceſsivum ſolum eſt dum fit, & nullo modo eſt actu, niſi dum fit. Patet enim motum actu non eſſe, niſi quan-

quando movetur mobile. Quando enim mobile non movetur, iam ceſſat motus, & eſt quies.

12 *PRIOR* itaque pars, quæ communis eſt, probatur. Omne ens, cuius partes non ſunt ſimul, quodque ſolùm in ipſo *fieri* habet eſſe, non eſt qualecumque ens reale, ſed ſucceſsivum. At tempus eſt tale ens, vt eius partes non ſint ſimul, nec habeant eſſe, niſi in ipſo *fieri*. Ergo tempus nō eſt qualecumque ens reale, ſed ſucceſsivum. Probatur minor: Partes enim temporis ſunt præteritum & futurum, quibus repugnat ſimul eſſe; tempus verò ipſum non eſt, niſi in ipſo *fieri*: nam ante illud, & poſt illud, non eſt tempus præſens, ſed futurum, aut præteritum. Ergo tempus eſt tale ens, vt eius partes non ſint ſimul, nec habeant eſſe, niſi in ipſo *fieri*.

13 *SED* Oppones I. In generatione Socratis non ſunt ſimul omnes partes naturales. Vt enim docet Ariſtoteles *lib.3. de Partibus Animalium, cap.1. & 2. de Gener. Animalium, cap.4.* primò omnium generatur cor, & ante omnes alias partes. Et tamen Socrates eſt res permanens. Ergo falſo præmiſimus, partes rei permanentis in hoc diſtingui a partibus rei ſucceſsivæ, quod illæ ſint ſimul, ſecus verò iſtæ: atque adeo ex hoc capite non magis colligitur, tempus eſſe ens ſucceſsivum, quam permanens. *OPPONES II.* Si tempus eſſet ita ſucceſsivum, vt eius partes non haberent eſſe ſimul, nec eſſent, niſi in ipſo fieri, vt præterea ſuppoſuimus; eadem pars temporis ſimul indiviſimque generaretur primò ac corrumperetur. At conſequens eſt abſurdum: quia quicquid generatur & eſt pro aliqua menſura durationis, nequit pro illà corrumpi & non eſſe. Ergo & abſurda eſt doctrina illa, ex qua infertur. Sequela Probatur. Si enim tempus, v. g. diurnum, ita eſt ſucceſsivum, vt eius partes non habeant eſſe ſimul, nec ſint, niſi dum fiunt; tempus diurnum in eadem indiviſa durationis menſura, qua generatur, corrumpetur ſimul. Non enim corrumpetur in tempore præcedenti, in quo nondum eſt; nec in parte aliqua diei ſequentis, in qua iam non eſt. Ergo corrumpetur in ipſa menſura durationis eiuſdem diei.

14 *RESP.* ad I. Partes alicuius compoſiti non ſunt eius partes, niſi dum vniuntur in toto: quandiu enim ſeparatæ ab illo iacent, non ſunt partes totius actu, ſed potentia ſolùm. Vnde licèt quando generatur cor Socratis, ſint ſimul omnes cordis partes; ipſum tamen cor tunc non eſt actù pars Socratis, ſed potentià tantùm, vſque dum vniatur cæteris partibus ſimpliciter neceſſarijs ad exiſtentiam totius. Quando ergo dicimus, partes rei permanentis, prout diſtinctæ à ſucceſsiva, eſſe ſimul; intelligendum eſt de ijs, quando ſunt partes eius; non verò antequam ſint illius partes. In quo ſanè differt res permanens à ſucceſſiva, cuius partes, etiam dum partes ipſius ſunt, non exiſtunt ſimul ſecundum ſe totas. Additur præterea, partes rei permanentis eſſe ſimul, non quia neceſſum ſit facta vna fieri tunc omnes; ſed quia adveniente eà, quæ ſecundò generatur, non ideo corrūpi debet quæ primo genita fuit. Contrà accidit in ſucceſsivis: quoniam adveniente futuro neceſſum eſt vt præteritum iam non ſit. *AD II.* Negatur ſequela. Ad probationem dicimus, totam vnam diem non corrumpi in ſeipſa tota, neque in aliqua ſui parte; ſed in vltimo inſtanti, qui terminat, ſeu finit extrinſecè ipſam diem, & inchoat ſubſequentem. Quare diem vnam corrumpi nihil aliud, quam illam compleri & terminari per vltimum inſtans.

15 *POSTERIOR* Aſſerti pars, nimirum, tempus diſtingui realiter a motu, eſt contra Eximium Suarez *diſput. 50. Metaph. ſect.9.* Pereiram *lib.12. de Rebus Nat. cap.1. fine*, Pontium *diſput.17. q.2. concl.4.* Oviedum *controv.16. puncto 3. num.5.* Lalemandetum *diſput.9. part.6. num.28.* alioſque plures, quorum opinione tempus non eſt quid realiter diſtinctum a motu. Noſter tamen dicendi modus, quatenus id negat, probabilior eſt, defenditurque à Ferrarienſi hoc *lib.4. quæſt.4.* Conimbricenſibus *cap.14. q.14. art.1. & 2.* Complutenſibus *diſput.21. quæſt.3.* alijſque pluribus; à quibus tamen ex parte diſſentio, quatenus ij ponunt vniverſim loquendo durationem rerum creatarum diſtinctam realiter ab exiſtentia rei durantis, ac proinde tempus diſtinctum à motu, cuius duratio intrinſeca eſt. Ergo verò quamvis durationem permanentem rerum exiſtimem indiſtinctam realiter ab exiſtentia ipſarum; adhuc cenſeo durationem intrinſecam motus, nimirum, tempus, eſſe realiter à motu diſtinctam, propter ſpecialia fundamenta quæ militant in duratione ſucceſsiva, & non in permanenti.

16 *PROBATVR I.* expreſsis authoritatibus Philoſophi *hoc lib.4. cap.10. textu,93.* vbi non ſolum docet, ſed ex profeſſo probat, tempus non eſſe motum. Similiter & textu 95. 96. & 97. concludens de tempore ipſo: ὅτι μὲν τοίνυν οὐκ ἔστι κίνησις,

οις, φανερὸν· *Igitur* tempus *non eſſe motum, manifeſtum eſt.* Et cap. 11. textu 98. ſubdit: *φανερὸν ὅτι οὐκ ἔστιν ἄνευ κινήσεως καὶ μεταβολῆς ὁ χρόνος. ὅτι μὲν οὖν οὔτε κίνησις, οὔτε ἄνευ κινήσεως ὁ χρόνος ἐστὶ, φανερὸν. Patet ſine motu, mutationeuè, tempus non eſſe. Quæ cùm ita ſint, patet tempus nec motum eſſe, nec etiam abſque motu.* Quid clarius? Idem expreſsè tradit hoc loco Averroès *comment.* 93. 98. 101. *&* 103. & D. Thom. in relata loca Philoſophi.

17 *RATIO* autem à priori huius doctrinæ deſumitur ex natura motus & temporis, quæ alia & alia prædicata quidditativa importat. Motus enim definitur *actus entis in potentiâ, ſecundùm quòd eſt in potentiâ*, vt conſtat ex 3. libro huius Operis, & directè ad nullum prædicamentum ſpectat, vt conſtabit diſcurrenti per ſingula. Tempus verò definitur numerus motus ſecundùm prius & poſterius; quod eſt quid valde diverſum ab ipſo motu, & directè ſpectans ad prædicamentum Quantitatis, tanquam vera eius ſpecies. Porrò diverſam eſſe vtriuſque naturam probat Ariſtoteles in præſenti *textu* 95. quia diverſæ ſunt proprietates motus, ac temporis: prioris quidem quòd ſit celer, vel tardus; poſterioris verò quòd ſit longum vel breve. At diverſæ proprietates exigunt dimanare à diverſis naturis. Ergo natura motus diverſa eſt à natura temporis.

18 *ILLVSTRATVR I.* hæc ratio Philoſophi in ipſo motu primi mobilis, in quo eſſe poteſt præcipua difficultas. Aliquid enim poteſt convenire realiter motui primi mobilis, quod realiter convenire nequit ipſius durationi, ſeu tempori intrinſeco. Ergo motus primi mobilis eſt quid diſtinctum realiter ab ipſius duratione, ſeu tempore intrinſeco. Conſequentia liquet: quia eidem entitati nequit aliquod prædicatum convenire ſimul & non convenire realiter. Antecedens probo: quia motui primi mobilis convenire poteſt realiter quòd ſit velocior vel tardior. Poſſet enim primum mobile integrum motum ſuæ circumferentiæ peragere duodecim horis, ac proinde duplò velocius, quàm modo, Deo ita volente. Poſſet item duplò tardiùs, ſi ex Dei nutu circulum faceret quadraginta quatuor horis, quem modò peragit horis viginti quatuor. Atqui tempori intrinſeco eiuſdem motus convenire realiter nequit quòd ſit tardius, vel velocius. Neque enim aut duratio viginti quatuor horarum, aut cuiuslibet horæ, poteſt eſſe realiter velocior, aut tardior, nec durare aut extendi magis vel minùs; cùm ex ſe & intrinſecè affixa ſit tanto ſpatio, & non maiori, nec minori, vt *diſput. præced. à num.* 25. oſtenſum eſt. Aliquid ergo, nimirum, velocitas vel tarditas, poteſt realiter convenire motui primi mobilis; quod nequeat tempori ipſius intrinſeco convenire.

19 *ILLVSTRATVR II.* Contingere enim poteſt & ſolet, vt duo motus ſint realiter æquales in tempore, ſeu duratione intrinſeca, & tamen realiter inæquales in entitate & multitudine partiũ: item è contra, inæquales eſſe reipſa in tempore ſeu intrinſeca duratione, æquales verò in entitate, partiumque multitudine. Ergo non eſt eadem entitas motus & temporis, ſeu intrinſecæ durationis ipſius. Conſequentia patet: quia entitas in quà duo aliqua realiter æqualia ſunt, nequit eſſe eadem, ſed diſtincta ab entitate, in qua realiter inæqualia ſunt. Antecedens vero probatur quò ad priorem partem. Contingere enim poteſt & ſolet, vt mobile celerius eadem, ſive æquali temporis mora, tranſmittat longè maius ſpatium loci, quam mobile tardum: vt experimento conſtat, ſi motus lapidis ex alto ruentis comparetur motui pilæ plumbeæ ab igneo tormento tranſmiſſæ longè velociùs. Tunc autem vtriuſque motus æquale omnino tempus eſt, v. g. minutum: & tamen entitas ac multitudo partium motus tardioris eſt realiter inæqualis, minorque; vtpotè extenſa per minus loci ſpatium. Quò ad poſteriorem verò partem ſuadetur idem antecedens; quia etiam ſæpè accidit, vt duo motus ſint inæquales in tempore, & tamen æquales in entitate & multitudine partiũ. Accidit enim vt mobile velox vnico minuto temporis tranſmittat idem ſpatium, quod mobile tardum duplici minuto percurrit. Vbi cum æquali entitate & multitudine partium motus, eſt realis inæqualitas temporis inter vtrumque. Verum igitur eſt antecedens quò ad vtramque partem. Aliam rationem vrgentiorem aſſignabo *infrà*.

20 *DICES* Cum Suarez vbi ſuprà, quoties duo motus ſunt æquales in entitate & multitudine partium, etiam eſſe æquales in duratione intrinſeca, ſeu tempore intrinſeco vnicuique, licet alter ſit velox, & alter tardus. Solùm itaque eſſe inæquales extrinſecè quò ad durationem, quatenus duratio intrinſeca motus velocioris dilatatur ſeu extenditur ad minus tẽpus extrinſecum primi mobilis; duratio autem intrinſeca motus minùs velocis ex-

extenditur ad maius tempus. Sic etiam quantitas vt denſa & vt rara eaſdem intrinſecè partes habet: & tamen vt rara extenditur ad maius loci ſpatium, quàm vt denſa. Ergo idem tempus, ſeu duratio intrinſeca motus velocis & tardi, poterit abſque vlla intrinſeca inæqualitate ad maius vel minus tempus extrinſecum extendi.

21 *PLAVSIBILIS* ſolutio: ſed quæ tamen haud difficulter impugnari poſſit. *Primò*. Eo ipſo quod in ijs motibus reperiatur coexiſtentia realiter inæqualis ad tempus extrinſecum, debet aſsignari caput vnde illa proveniat. At nullum aliud aſsignari poteſt, quàm inæqualitas intrinſeca durationis. Ergo ij motus debent habere inæqualitatem intrinſecam durationum. Ergo cùm aliunde in cœteris æquales ſupponantur, duratio intrinſeca motus diſtinguitur ab illo realiter. Probatur minor, quæ ſola videtur probatione indigere. In jis enim motibus inæqualitas oriri non poteſt ab inæqualitate partium, quia ſupponimus illas eſſe omnino æquales; neque ab inæqualitate exiſtentiæ illarum, ſiquidem hæc etiam eſt æqualis ſicut multitudo ipſa & magnitudo partium; neque ab inæqualitate ſpatij tranſmiſsi, quod etiam omnino idem ſupponitur; & vnius leucæ v. g. reſpectu motuum velocis & tardi; neque tandem ex parte intrinſeci temporis, quod ſecundùm ſe indifferens eſt ad hoc vt motus ſint duratione æquales aut inæquales. Ergo illa inæqualitas correſpondentiæ ad tempus extrinſecum, ſolùm oriri poteſt ex inæqualitate intrinſecà durationum. *Secundò*. Poſſet dari motus alterius cœli duplò velocior, quàm ſit motus primi mobilis. In hoc enim nulla repugnantia eſt abſolutè loquendo. Tunc verò motus cœli velocioris, dimidia hora percurreret idem ſpatium, quod primum mobile nunc exiſtens percurrit integrà hora; ac proinde in duratione motus primi mobilis eſſet intrinſecè inæqualis, cùm tamen in partibus, exiſtentia, & ſpatio pertranſito, prorſus æqualis eſſet. Ergo duratio intrinſeca vtriuſque eſſet quid reipſa aliud ab entitate & exiſtẽtià ipſorum motuum. Probatur conſequẽtia: quia in hoc caſu non eſſet correſpondentia inæqualis in ordine ad tempus extrinſecum inæquale: ſiquidem nullum tempus eſt extrinſecum motui primi mobilis; vtpote identificato cum ipſo tempore in opinione Adverſariorum, aut affecto intrinſecè ab eo, vt nos defendimus. Similiter & reſpectu motus alterius cœli duplo maioris non eſſet extrinſecum tempus ob eandem rationem. Supereſt igitur vt duratio intrinſeca vtriuſque, ſcilicet, tempus vnius motus, & tempus alterius, eſſent quid intrinſecè inæquale, cum tamen cœtera omnia eſſent æqualia. *Tertiò* reijcitur data ſolutio, & retorquetur inſtantia, cui nititur. Quando enim quantitas rareſit, & replet maius ſpatium, illa inæqualitas correſpondentiæ ad locum, non eſt quid indiſtinctũ à quantitate, quæ ſecundùm ſe indifferens eſt ad maius vel minus ſpatium loci replẽdum; ſed aliquid realiter & intrinſecè ſuperadditum quantitati, quod eſt raritas oppoſita denſitati. Ergo ſimiliter quoties quantitas ſucceſsiva motus vnius continui implet maius ſpatium temporis, quàm ſucceſsiva quantitas alterius continui motus, illa inæqualitas correſpondentiæ ad tempus, non eſt quid indiſtinctum à motu, vel illius exiſtentia; vtpotè indifferentibus ex ſe ad maius vel minus ſpatium temporis inſumendum; ſed aliquid realiter & intrinſecè ijs ſuperadditum, quod eſt maior vel minor duratio. Vt omittam, fruſtra adhiberi ab Adverſarijs inſtantiam in condenſatione quantitatis permanentis, quæ repugnat ſucceſsivæ. Huius enim partes eſſentialiter fluunt, vna poſt aliam, ſive motus ſit tardus, ſive velox; atque adeò condenſari non poſſunt.

22 *DICES II.* Impugnationibus præiactis ſolùm evinci, in prædictis motibus vltra entitatem, & exiſtentiam partium debere aſsignari modum aliquem ſuperadditum velocitatis & tarditatis, quo intrinſecè differant; non verò modum aliquem durationis diſtinctæ ab exiſtentia motus: ſicuti vt quantitas condenſata differat à rarefacta non eſt opus alio ſuperaddito, quàm modo rarefactionis, aut condenſationis.

23 *SED Contrà I.* Et inſtaurando hypotheſim illam factam a principio argumenti, in duobus motibus, quorum alter duplò velocior ſit, & vnico minuto conficiat duas leucas, alter verò vnam tantùm; forma conſtituens illos duos motus æquales in duratione, nequit eſſe velocitas vnius & tarditas alterius: quia velocitas & tarditas ſunt formæ ſecundùm ſpeciem diverſæ, ac proinde eſſentialiter inæquales; & à formis ſpecie diverſis, eſſentialiterque inæqualibus, nequit provenire æqualitas durationis. Ergo quamquam alteri motuũ ſuperaddatur velocitas, alteri vero tarditas, non exinde habent formaliter quod ſint æquales in duratione. Aliunde neque id habent ratione partium, quæ in vtroque mo-

motu inæquales ſupponuntur, & duplò plures in vno, quam in alio. Supereſt igitur vt conſtituantur duratione æquales ab aliqua entitate, ſive modo diſtincto realiter; tum à partibus, tum etiam à velocitate vnius & tarditate alterius. Alioqui dabitur in rerum naturâ formalis effectus æqualitatis in duratione ſine forma, à qua proveniat. CONTRA II. Si altera duarum quātitatum permanentium, quantumvis rarefieret, non poſſet occupare tantundem ſpatij localis, ac altera; planè inferretur vnam eſſe inæqualem alteri, non ſolùm penes raritatem aut denſitatem; ſed etiam penes pauciores partes. Sed in caſu adducto, quādo duo motus ſunt æquales in multitudine partium, & inæquales in duratione, duratio minor velocioris motus nequit rarefieri aut extendi, ita vt occupet tantundem ſpatij temporis, ac duratio alterius minùs velocis. Ergo planè infertur, vnum motum non ſolùm eſſe inæqualem alteri penes velocitatem, ſed etiam penes pauciores partes durationis. Et tamen partes motus vtriuſque æquales ſunt, vt ſupponimus. Ergo duratio temporis intrinſeci diſtinguitur realiter à partibus motus, ac proinde a motu durante.

SECTIO TERTIA.

Occurritur ſpeciali ac difficili argumento, à pari durationis permanentis ad ſucceſsivam; redditurque diſparitas vtriuſque, & iterum roboratur diſtinctio motus à tempore.

24 OPPONES Difficiliùs, & ad hominem. In noſtra opinione, duratio intrinſeca quaruncunque rerum permanentium, ſive incorruptibiliũ, ſive corruptibilium, non eſt quid realiter diſtinctum ab exiſtentia rei durantis, ſed idem cum illa, potenſque abſque intrinſeca additione extendi ad maius vel minus tempus: vt conſtat ex dictis *diſp.* 29. per totam. Ergo etiam duratio intrinſeca motus, ſive tempus ipſius intrinſecum, non eſt quid realiter diſtinctum ab exiſtentia motus durantis, ſed idem cum illa, potenſque abſque intrinſeca inæqualitate extendi ad tempus extrinſecum inæquale. *Præterea.* Statutâ ſemel, & à nobis ſolùm permiſſa identitate reali eſſentiæ cum exiſtentia, duratio intrinſeca permanens non diſtinguitur realiter à re permanenti duranti. Ergo permiſſâ eâdē opinione duratiò ſucceſsiva & intrinſeca motus non diſtinguetur realiter ab ipſo motu ſucceſsivo. *Denique.* Multò potior ratio videtur eſſe ad hoc ſecundum, quàm ad illud primum. Res enim, ſive exiſtentia permanens ex ſe indifferens eſt ad durandum, aut non durandum de facto; vel ſaltem ad durandum magis aut minùs: & propterea videbatur indigere duratione intrinſecè ſuperaddita, per quam eius indifferentia determinaretur. Motus autem ſucceſsivus, ratione ſolius entitatis ſuæ, intrinſecè determinatus eſt ad durandum tantùm, vel tantùm. Ergo minor, aut nulla ratio eſt, vt ipſi addatur intrinſecè duratio, ſive tempus realiter diſtinctum.

25 *HANC* difficultatem breviter indicavi diſputatione illa 29. *num. vltimo*, eiuſque ſolutionem diſtuli vſque modo, vbi opportuniorem locum habet. Concedo igitur antecedens, & nego conſequentiam: quia rationes ſpeciales ſunt in motu, vt diſtinguatur à tempore, quæ nō probant durationem permanentem rerum diſtingui realiter ab exiſtentia ipſarum: vt conſtabit expendenti propoſitas præcedenti ſectione circa motum, & illa diſputatione pro exiſtentia rerum permanentium. Nulla enim eſt, quæ ſuadeat diverſam eſſe rationem quidditativam durationis permanentis ab exiſtentia permanenti; nulla diverſitas realis proprietatum vtriuſque; nulla æqualitas realis & inæqualitas cum alio intrinſeca penes alterum & alterum prædicatum: cùm tamen omnia è converſo accidant in motu & tempore ſibi intrinſeco, vt iam probatum eſt. *AD II.* Inſtantiam, concedo ſimiliter antecedens, & nego conſequentiam, ob eaſdem rationes. *AD III.* nego maiorem: quia quemadmodum exiſtentia indiviſibilis & permanens rei ex ſe indifferens eſt ad durandum in exercitio magis vel minus, ita etiam motus ſucceſsivus vnius leucę. Poteſt enim fieri in ſemiquadrante v. g. ab aquila, in quadrante ab equo, in dimidia hora a cane, & in hora a mulo; & multò velociùs omnibus a pilà igneo tormento emiſſa. Itaque quò ad indifferentiam præcisè ſimilis eſt vtriuſque ratio. Aliunde verò ſunt diſsimiles vtriuſque rationes.

26 *INSTABIS.* Similitudo & diſsimilitudo realis equi ab homine; non probat entitatem animalis ſimilem eſſe diſtinctam ab entitate hinnibili; per quam diſsimilis eſt, niſi tantùm virtualiter. Ergo æqualitas & inæqualitas motus celeris ac tardi per idem loci ſpatium, non probat entitatem motus æqualem eſſe realiter di-

diſtinctam ab entitate temporis inæquali, niſi ſolùm virtualiter. *RESP.* negando conſequentiam & paritatem: quia ſimilitudo & diſsimilitudo propriè loquendo eſt in qualitatibus, non autem in ſubſtantia, vt conſtat ex Philoſopho *cap. de Qualitate.* Equus autem in quantùm animal habet qualitates realiter diverſas ab ijs, quas habet in quantùm equus eſt: ſicut & homo proportionaliter loquendo. Quare nihil mirum quòd eadem equi entitas ſecundùm quòd ſubſtat qualitatibus realiter diverſis, afficiatur relationibus ſimilitudinis & diſsimilitudinis ab homine, ſimilibus & diſsimilibus qualitatibus prædito. Relatio autem æqualitatis & inæqualitatis quantitativæ, de quà in præſenti loquimur, fundatur in ipſa entitate quantitatis, ſeu extenſione entitativa ipſius, quæ poteſt eſſe maior in motu & minor in tempore ſibi intrinſeco, atque è contra: quod ſine maiori, aut minori entitate in vno, quam in alio, eſſe non poteſt; atque adeo nec ſine diſtinctione reali vtriuſque. Ergo nec ſine illà eſſe poteſt, quod vnus motus ſit æqualis alteri in entitate, & inæqualis in tempore intrinſeco, aut è contra.

27 *CONFIRMO* vrgentiùs adhuc doctrinam hanc, & diſtinctionem realem motus a tempore: quia quidquid poſitivum intrinſecè eſt in motu, ſeparabile eſt realiter à ſucceſsione & formali prioritate ac poſterioritate. Ergo quidquid eſt poſitivũ intrinſecè in motu ſeparabile eſt realiter à tempore, ac proinde diſtinguitur ab eo realiter. Conſequentia patet quo ad vtramque partem. Antecedens probo: Quia in motu locali nihil intrinſecum eſt præter ipſas vbicationes ſucceſsivas, quarum vna poſt aliam fluit. Atqui vbicationes ſucceſſivæ poſſunt realiter ſeparari à ſucceſsione, & prioritate & poſterioritate formali. Ergo quidquid poſitivum intrinſecè eſt in motu, ſeparabile eſt realiter à ſucceſsione, & prioritate ac poſterioritate formali. Probatur minor quo ad primam partem: Quia vbicationes ſucceſsivæ poſſunt, ſaltem poteſtate abſoluta Dei, produci omnes ſimul; ſive penetratis locis ipſarum, iuxta communem ſententiam; ſeu eodem corpore ſimul poſito in diverſis locis, vt multi opinantur. At vbicationes ſimul poſitæ ſeparantur à ſucceſsione formali, vt ex ſe patet. Ergo vbicationes ſucceſsivæ poſſunt ſeparari realiter à ſucceſsione formali. Quo ad poſteriorem verò partem ſuadetur eadem minor. Nulla enim vbicationum illarum eſt natura ſua prior alia, aut poſterior, ſed indifferens ad vtrumlibet; ita, vt ſicut motus de facto cœpit tendere ad vbicationem A. potuerit incipere tendendo ad vbicationem B. quæ ex ſe æquè bene adquiri poteſt in principio, medio, ac fine motus. Inſuper & penetratis invicem locis, nulla vbicatio eſſet prior alia. Igitur vbicationes ſucceſsivæ poſſunt ſeparari à prioritate & poſterioritate formali: ac per conſequens quidquid eſt motui intrinſecum, ſeparari poteſt à tempore.

28 *CONFIRMATVR* rurſus. Si enim formalis ſucceſsio eſſet de ratione eſſentiali vbicationum, non poſſet homo in eadem vbicatione plus aut minùs durare pro libito, ſed tanta aut tanta ſucceſsionis mora. Nec præterea poſſet in medio motu quieſcere, ſi vbicatio illa in medio motu adquiſita, eſſentialiter ſucceſsiva & fluens eſſet. Neque Deus ipſe hominem, incipientem ſe movere cum animo tranſmittendi quatuor palmos, poſſet detinere in vbicatione adquiſita ad finem palmi tertij, ſi hæc eſſentialiter ſucceſsiva eſt, & vltra progreditur. Neque enim Deus pro libito, nec homo ipſe pro ratione arbitrij, variare poſſunt eſſentialem exigentiam vbicationis. At conſequens quo ad omnes partes, quàm abſurdum ſit, non alia probatione eget, quàm diutino omnium hominum experimento, vbi paſsim motum ſuum ſiſtunt, aut proſequuntur ad libitum.

29 *ITAQVE* in motu ſucceſsivo duo conſideranda ſunt. Vnum eſt forma illa imperfecta fluens a potentia ad actum, ratione cuius definitur motus, actus entis in potentia prout in potentia. Alterum verò eſt duratio, ſeu mora, quam habet forma illa, dum fit, ſeu adquiritur; iuxta quam moram penes prius & poſterius conſtituitur tempus. Hæc igitur mora eſt, quàm dicimus aliam eſſe realiter à forma, quà eſſentialiter conſtituitur motus.

30 *NEQVE* obſtat definitio temporis tradita ab Ariſtotele, iuxta quàm tẽpus nihil aliud eſt, quam motus numeratus ſecundùm prius & poſterius: motus autem prout numeratus, nihil videtur ſuperaddere realiter ſupra entitatem ipſius motus. *RESP.* enim, motum prout numeratum ſecundùm prius & poſterius, addere realiter ſucceſsionem, quæ eſt accidentalis, & abſolutè ſeparabilis à motu ſecundùm entitatem intrinſecam conſiderato, vt nuper oſtenſum eſt. Neque etiam obſtat quod ex eodem Philoſopho in præſenti *textu* 99. obijciunt Adverſarij: *Prius & poſterius in*

mo-

motu vt quidem ipſa & ſubiecto idem ſunt, quod motus: ratione verò diverſa ſunt, & motus ſunt. Reſpondeo enim eiuſmodi verba in ipſo textu non haberi; ſed hæc: ἔστι δὲ τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον αὐτῷ ἐν τῇ κινήσει, ὃ μὲν ὤν ποτε ἐν κινήσει ἐστί· τὸ μέντοι εἶναι αὐτῷ ἕτερον, καὶ οὐ κίνησις. Quod ſic vertit Argyropilus, communiter receptus. *Prius autem in motu, poſteriuſve, ſubiecto quidem eſt motus: ipſo autem eſſe diverſum eſt, & non eſt motus.* Iuxta quam vulgatam verſionem, ſenſus ſolum eſſe videtur, motum, & tempus idem ſubiectum habere, aut tempus eſſe in motu vt in ſubiecto: non tamen, vtrumque eſſe idem reipſa, quod Philoſophus expreſsè negat, & toties eo capite impugnat. Quare nunquam ex illo accipi poteſt argumentum probabile indiſtinctionis motus à tempore; maximè cùm probatum ſit ſatis efficaciter non eſſe connexionem eſſentialiter inter vtrunque, ac poſſe tempus realiter ſeparari ab omni eo, quod eſt intrinſecum motui.

31 *INSTABIS*: Si ſucceſsio formalis eſt diſtincta & ſeparabilis a motu, conſideratio ſecundùm vbicationes ipſi intrinſecas, remanebunt illæ continuæ, & nõ continuæ: quod impoſsibile eſt. Remanebunt continuæ: quia non reſolventur in indiviſibilia diſcreta, atque invicem ſeparata: id enim fieri nequit, maximè iuxta ſententiam Ariſtotelis, negantis continuũ reſolvi poſſe in pura indiviſibilia. Non remanebunt continuæ: quia tota continuitas illarum vbicationum conſiſtebat in formali ſucceſsione, quã dicimus ab ijs ſeparari. Ergo vbicationes motus manebunt & non manebunt continuæ. *Præterea* ſi partes omnes intrinſecæ motus localis producerentur divinitus abſque ſucceſsione, omnes partes mobilis eſſent penetratæ in eodem loco, & non eſſent penetratæ: quod etiam contradictorium eſt. Sequela quo ad priorem partem conſtat: quia ideo exiſtente ſucceſsione in partibus intrinſecis motus non datur penetratio partium mobilis de facto, quia quando vna occupat vnum locum, alia ab eo recedit, amititque illud *vbi*, quod priùs habebat. Atqui ceſſante, aut non exiſtente divinitus ſucceſsione in partibus intrinſecis motus, quandò vna pars mobilis occuparet vnum locum, alia ab eo non recederet, neque amitteret illud *vbi*, quod priùs habebat. omnes enim partes mobilis ſimul ſubintrarent in locum alterius, vtpotè ab eo non expulſæ. Ergo in ea hypotheſi omnes partes mobilis penetrarentur. Poſterior verò eiuſdem ſequelæ pars ſuadetur; nimirum, omnes partes mobilis tunc penetrandas non forè: quia illa vbicatio quam haberet mobile, eſſet circunſcriptivè extenſa. At per vbicationem circunſcriptivè extenſam partes mobilis non penetrantur, ſed potius ponũtur in diverſo loco. Ergo in ea hypotheſi partes mobilis non penetrarentur, ſed potiùs eſſent in diverſo loco.

32 *HÆC* tamen non obſtant. Non primum: quia poſita ſeparatione ſucceſsionis formalis à motu, nunquam infertur vbicationes fore continuas & non fore continuas ſimpliciter loquendo. Continuitas enim vbicationum eſt triplex: vna in ordine ad idem corpus, ſive ſubiectum, quod afficiunt; eoque ſenſu vbicatio pedis continuatur cum vbicatione cruris, & vbicatio manus cum vbicatione brachij immediatè coniuncti. Quemadmodum enim membra prædicta non ſunt diviſa, aut contigua, ſed conſtituunt idem continuum; ſic & earum vbicationes. Alia illarum continuitas eſt in ordine ad ſpatiũ loci: quo ſenſu vbicatio manus eſt continua vbicationi brachij intra ſpatiũ eiuſdem aulæ. Alia denique eſt in ordine ad tempus, & invenitur in motu locali: in quo vbicatio primi paſſus v.g. continuatur immediatè cũ vbicatione ſecundi paſſus ſuccedẽtis. Hoc poſito, dicimus, poſita ſeparatione miraculoſa ſucceſſionis formalis ab vbicationib⁹, illas adhuc fore continuas, tũ in ordine ad ſubiectum idẽ, ac antea; tũ in ordine ad ſpatium loci: quia ſubiectũ ratione illarũ occuparet plures partes loci continuas. Solùm itaque ijs deficeret tertia continuitas in ordine ad tempus, quæ eſt ſucceſsio formalis. Vnde nec ſequitur reducendas fore ad pura indiviſibilia; quia adhuc in ea hypotheſi manerent extenſæ, tum in ordine ad ſubiectum, tum & circa locum; ſicut & ipſum corpus quod afficerent. nec præterea ſequitur contradictio aliqua continuitatis & non continuitatis ſimpliciter, ſed careret illa in ordine ad ſucceſsionem temporis, eamque haberent in ordine ad ſubiectum & locum.

33 Nec ſecundum abſurdum ſequitur. Penetrarentur enim omnes partes mobilis, vt rectè probat obiectio. Nego autem inferri ſimul quod non penetrarentur, vt aſſumitur in poſteriori parte ſequelæ. Quælibet enim pars mobilis haberet ſimul plures vbicationes in diverſis ſpatijs loci: quæ ex eo quod circunſcriptivæ & extenſæ ſint, non impediunt miraculoſam partium penetrationem. Si enim Deus manuj dextræ tribuat ſimilem vbicationem ac ſiniſtræ, & in ordine ad ſpatium quod illa occupat, vna manus penetrabitur cum altera,

licet vbicatio vtraque extenſa & circumſcriptiva ſit: idemque eſt de duobus hominibus, ſi penetrentur, retinente vnoquoque ſuam præſentiam ſeu vbicationem circumſcriptivam. Solum itaque repugnat penetratio plurium partium mobilis per eandem vbicationem, non vero per plures, ſaltem penetratas. Nam ſi illæ non penetrentur, non poterit idem mobile habere ſimul plures vbicationes circumſcriptivas iuxta ſententiam S. Thomæ, quam ſupra ſtatuimus *diſp. 26*. In aliorum vero opinione, aſſerentium poſſe idem corpus eſſe extenſum in duobus locis adæquatis, poterit idem mobile habere ſimul plures vbicationes adæquatas, quamvis illæ non penetrentur inter ſe.

SECTIO QVARTA.

An tempus exiſtat, ſive præſens ſit ſecundùm aliquam ſui partem? Eligitur negativa ſententia Ariſtotelis & D. Thomæ.

34 SIT III. *Aſſertio.* Tempus non exiſtit ratione alicuius partis, ſed ſolum ratione inſtantis indiviſibilis, quo partes eius inter ſe colligantur. Ita Ariſt. in præſenti *cap. 10. textu* 89. illis verbis: ἔτι δὲ τούτοις, παντὸς μεριστοῦ, &c. *Præterea partibilis omnis rei, ſi ſit, neceſſe eſt cùm eſt, aut omnes partes, aut nonnullas eſſe. At temporis, quod quidem partibile eſſe conſtat, aliæ partes tranſactæ, aliæ futuræ ſunt, nullaque penitus adeſt. Ipſum autem NVNC, partem non eſſe conſtat.* Vbi expreſsè docet, nullam temporis partem vnquam adeſſe, ſed ſolùm *nunc*, ſive inſtans indiviſibile, quod non eſt pars, ſed continuativum partium. Vbi D. Tho. *Nihil eſt temporis, niſi nunc.* Idemque repetit 1. *p. q. 46. art. 3. ad* 3. *& q. 66. ar. 4. ad* 5. Eandemque ſententiam apertè tradit S. Auguſtin. *lib. 11. Confeſſ. cap. 5.* dum ait: *Siquid intelligitur temporis, quod in nullas, vel minutiſſimas, momentorum partes dividi poſſit, id ſolùm eſt, quod præſens dicatur. Quod tamen ita raptim à futuro in præteritum tranſvolat, vt nulla morula extendatur: nam ſi extenditur, dividitur in præteritum & futurũ: præſens autem nullum habet ſpatium.* Quid expreſsius? Vide intrà *diſp. 37. num. 7.* Vnde eidem opinioni communiter Philoſophi adhærent, quorum allegationes vide apud Suarez *diſp. 50. Metaph. ſect. 9.* quamvis ipſe, & quidam alij ex Recentioribus oppoſitum doceant.

35 RATIO Aſſerti proponitur a D. Thom. & à nobis cum ipſo, *Opuſc. 44.* his verbis: *Qualibet pars cuiuslibet ſucceſsivi eſt diviſibilis in diverſas partes. Si ergo aliquid ſucceſsivum exiſteret, non ſolùm ſecundùm aliquid indiviſibile ſui, ſed ſecundùm aliquam ſui partem, ſequitur quòd multæ partes alicuius ſucceſsivi ſimul eſſent: quod eſt contra rationem ſucceſsivorum.* Ne igitur tempus habeat aliquid repugnans enti ſucceſsivo, & proprium rei permanentis, dicendum eſt illud non habere partem aliquam præſentem, ratione cuius actu exiſtat.

36 OCCVRRVNT Adverſarij dicentes, vt ens ſucceſsivum ſufficienter differat a permanenti, ſufficere quod quælibet pars illius, & medietates, quibus ipſa conſtat, habeant eſſe fluidum & minimè perſeverans; non autem exigi ne pars aliqua eius actu ſit præſens. Quare licèt tempus exiſtat ratione alicuius partis præſentis, & hæc conſtet duplici medietate vlteriùs atque vlteriùs diviſibili, adhuc eſt ens ſucceſsivũ: quia eiuſmodi pars fluida eſt, & nullius conſiſtentiæ, quæque vix incipit, cùm deſinit.

37 SED *Contrà I.* Aut enim pars præſens fluxo & inſtabili modo ita conſtat duplici medietate, ſive parte, vt vtraque ſimul exiſtat fluxè etiam & inſtabiliter; aut ita vt altera medietas ſit præterita, & futura altera? Primum eſt contra rationem entis ſucceſsivi, cui repugnat habere plures partes ſimul: cùm hoc ſit proprium entis permanentis. Secundum autem planè ſuffragatur ſententiæ noſtræ: quia ſi neutra medietatum eſt actu præſens, ſed ſolùm præterita aut futura; ergo nec tota pars ex vtraque conſtans, eſt præſens actu, ſed futura, aut præterita. Quòd ſi vero ad ſingulas medietates recurras, quaſi vnaquæque, aut altera ſaltem, ſit præſens; non eludis vim rationis S. Thomæ: quoniam medietas quælibet conſtat duplici dimidietate, & hæc rurſus duplici alia, & ſic in infinitum. Quare aut fateri neceſſe eſt, nullam medietatem eſſe præſentem, quod quærimus; aut dicere debes duas, imò & innumeras temporis partes exiſtere ſimul: quod qualitercumque ſit, ſive per quamvis durationem, brevem aut longam, eſt oppoſitum rationi propriæ entis ſucceſsivi.

38 CONTRA II. Ideo dies hodiernus (idemque eſt de hora, & quadrante & ſemiquadrante, & minuto, & quavis alia menſura inferiore, proportione ſervata ad aliam ſimilem) nequit eſſe ſimul cum craſtino, quia vterque continuat idem ens ſuc-

ceſ.

ceſſivum, quod eſt tempus. At quælibet temporis particulæ, quantumvis minores & minores, continuat etiam idem ens ſucceſſivum, quod eſt tempus, vt patet; & quidē eodem prorſus modo, ſicut & horæ, & quadrantes, &c. Ergo quælibet temporis particulæ, quātumvis minores & minores, nequeunt eſſe ſimul. Ergo nulla pars temporis eſt actu præſens; quia cum hæc ſit quāta, & diviſibilis in ea quæ inſunt, debet actu conſtare duplici parte ſeu medietate, quarum vtraque ſimul eſſet præſens, ſi pars diviſibilis in vtramque eſſet actu præſens. Quo plane everteretur ratio propria temporis, quod eſt numerus motus ſecundùm priùs & poſterius; & proinde nullam habet partem præſentem, quæ numeraretur, ſed futuram, aut præteritam tantùm.

39 *CONTRA III.* Quòd enim partes temporis fluxæ aſſerantur, & nullius conſiſtentiæ, non ſufficit ad rationē entis ſucceſſivi, ſi ſemel ſunt actu præſentes in illa ſua quali quali duratione. Etenim bullæ, quas in flumine aut ſtagno excitat pluvia cœleſtis, fluxæ ſunt, & conſiſtentiæ nullius, ac vix incipiunt cùm deſinunt, vt ſæpe ob oculos habemus. Et tamen quia in ea morula actu exiſtunt, præſenteſque ſunt cum ſuis partibus, non habent rationem entium ſucceſſivorum. Similiter nec fulgetræ, ob eandem rationem, quamvis in ictu oculi tranſire videantur. Idem ergo dicendum foret de qualibet temporis parte, ſi actu præſens exiſteret. Quare de primo ad vltimum aſſerendum eſt tempus non exiſtere, ſeu non eſſe præſens ratione alicuius partis ſuæ, ſed ratione ſolius inſtantis indiviſibilis, quod continuat & nectit partem præteritam cum futura.

SECTIO QVINTA.

Præcipua argumenta opinionis adverſæ breviter expediuntur.

40 OPINIONEM Adverſam tuentur Eximius Suarez *vbi ſuprà*, Conimbricenſes & Rubius *in c. 10. huius libri quarti*, poſt quorum tempora tam altè ſepulta eſt controverſia hæc, vt eam vix invenias apud aliquem eorum, qui Curſus Philoſophicos ediderunt alicuius nominis ab anno 1628. exceptis aliquibus Thomiſtarum. Nam nec Arriaga, Oviedo, Lynceus, Quiros, nec Lalemandet, Spinula, aut Pontius, nec alij plures huius temporis, eam diſcutiunt. Ideo & nos breviter illius argumēta proponemus ac diluemus.

41 *OPPONVNT I.* Omne quod eſt præteritum fuit aliquando exiſtens de præſenti, & ſimiliter aliquando præſens exiſtet quidquid futurum eſt. At tēpus conſtat partibus, quarum altera eſt præterita, & futura altera. Ergo quælibet tēporis pars aliquando fuit, aut erit, exiſtens de præſenti: ac per conſequens tēpus habet partes actu præſentes, ratione quarum exiſtat. *RESP.* concedendo maiorem de rebus permanentibus, & negando illam de ſucceſſivis; quæ ſicuti eſſentiam prorſus diverſam ab ijs habent, ita & modum exiſtendi oppoſitum. Deinde conceſſa minore, nego conſequētiam: quia vt pars ſit futura immediate nō eſt opus tranſeundi in præſentem ſeipſa; ſed ſufficit ordo immediatus ad præſentialitatem inſtantaneam, ſive propriam inſtantis ſtatim ſecuturi: & ſimiliter vt ſit præterita ſatis eſt quod immediate antea præterierit inſtans copulativum ipſius cū alia parte futura, quodque eſt quaſi *fieri* partis futuræ, & *factū eſſe* partis præteritæ, quatenus inchoat illam, & terminat iſtam: ſicut etiā videre eſt in indiviſibilibus motus, ſeu *mutatis eſſe*, quæ in ordine ad partem fluxus immediatè præcedentem ſunt quaſi *fieri*, & in ordine ad ſequentē, quaſi *factum eſſe*. Dico autē *immediatè præcedentem & ſequentem*: quia modò nulla habetur ratio partis remotæ, vtpotè non habentis actu aliquid ſui, quo exiſtat; ſed tantùm proximæ, quæ abſque vllo medio afficitur ab indiviſibili motus & temporis, quæque ratione eiuſdem indiviſibilis, tanquam alicuius ad illam immediatè ſpectantis per modum nexus, dicitur exiſtere inchoativè aut terminativè.

42 *INSTABIS. Primò.* Præteritū & futurum dicuntur per ordinem ad præſens: atque adeò eodem ſenſu aliquid debet eſſe præſens, quo eſt præteritum, aut futurum. Atqui partes temporis per ſe & ratione ſui ſunt præteritæ & futuræ; vtpotè eſſentialiter ſucceſſivæ. Ergò & per ſe ac ratione ſui ſunt aliquando præſentes. *Secundò*, Si partes temporis ſolùm ſunt præſentes ſeu exiſtentes, quatenus eſt præſens & exiſtit inſtans, quod dicitur illarū copulativum; ſolùm inſtans erit ens reale, non verò partes ipſæ: quia ſolùm eſt ens reale id quod actu exiſtit. Vnde nec tempus erit ens reale cōtra dicta ſect. 1. *Confirm.* Etiā anima rationalis ſeparata exiſtens, eſt aliquid hominis illius, qui antea extitit. Et tamen dum anima eſt ſeparata, ille homo non eſt ens reale, ſed nihil; vtpotè iam mortuus. Ergo licèt ſit aliquid partium tēporis indiviſibile actu exiſtens, ſi partes ipſæ actu nunquam exiſtunt,

nunquam ſunt ens reale. *Tertiò*. Nequeunt enim exiſtere pars præterita & futura ratione eiuſdem inſtantis, ſive eiuſdem exiſtentiæ: quia priuſquam exiſtat ratione ipſius pars futura, perit pars præterita, ſeu deſinit eſſe. Non periret autem, nec deſineret eſſe, niſi pereunte inſtanti, quo exiſtit. Ergo priuſquã exiſtat pars futura, iam perijt, ſeu deſijt eſſe inſtans, quo extitit pars præterita: ac per conſequens vtraque non exiſtit ratione vnius & eiuſdem inſtantis.

43 *AD I. Reſp.* concedendo maiorem quo ad primã partem, & negando illud quo ad ſecundã. Sat enim eſt, vt res præterita & futura ſit præſens ea præſentialitate, quæ congruit ipſius naturæ. Enti autẽ ſucceſsivo non congruit naturaliter eſſe præſens ratione ſui, ſed ſolũ ratione indiviſibilis, terminantis vnam partẽ, & inchoantis aliam. *AD II.* nego ſequelam, & abſurdũ inde deductum: quia inſtans ita exiſtit actu, vt tamen reddat exiſtentẽ vtramque partẽ immediatè affectam, alterã initiativè, & terminativè alteram: qui eſt proprius & vnicus modus exiſtendi rerum ſucceſsivarum. Res autem permanens, vt homo, nõ habet aliũ modum exiſtendi, quam permanentẽ in illa ipſa entitate, quæ exiſtit: nec ſufficit quod aliquid ipſius maneat, vt forma ſeparata, vel materia, niſi & ipſum compoſitũ in rerũ natura ſit formaliter ac de præſenti. Ex quibus patet ad confirmationem. *AD III.* Nequit eadem pars ratione vnius & eiuſdem inſtantis eſſe futura & præterita immediatè: ſed quatenus immediatè futura exiſtit initiativè per inſtans antecedens, initiativumque; & prout immediatè præterita exiſtit per inſtans ſubſequens terminativum, ſeu completivum; ac per conſequẽs redditur adæquatè exiſtẽs, id eſt, initiativè & terminativè, ratione diverſorum inſtantiũ. Cæterum loquẽdo de duplici parte immediata eidem inſtanti, nihil abſurdi eſt quòd vtraque per illud exiſtat, vtpote copulativum vtriuſque; altera, initiativè vt futura; altera, terminativè vt præterita immediatè. Nulla quippe repugnantia eſt, vt idẽ inſtans penes diverſas virtualitates ſit initiativũ, & quaſi *fieri* vnius partis; alterius verò terminativũ, & quaſi *factum eſſe*. Vnde ad formam inſtantiæ nego maiorem, & illius probationẽ: quia loquendo de partibus immediatis eidem inſtanti, quãdo futura exiſtit initiativè, immediatè præterita exiſtit adhuc terminativè; ac proinde non deſijt eſſe omnino & adæquatè. Si autẽ pars futura iam tranſeat in præteritã, & terminativè ſolùm exiſtat, pars illa quæ immediatè antea extiterat terminativè, deſinit eſſe omnibus modis, quoniam & tranſijt iam inſtans quo terminativè exiſtebat. Vnde non ſequitur ipſam deſinere exiſtere, manente eodem illo inſtanti, quo extitit.

44 *VRGEBIS*. Repugnat ea, quæ exiſtunt per eandem exiſtentiam præſentem, non eſſe præſentia & exiſtentia ſimul. Ergo ſi duplex pars immediatè præterita & futura exiſtit per eandem exiſtentiam vnius inſtantis, vtraque erit præſens & exiſtens ſimul. Vnde duo inferuntur contra noſtram opinionem. Alterum eſt, quòd neutra pars exiſtat vt futura, vel præterita, ſed vt præſens. Alterum verò, quòd ſi vtraque coexiſtit, vel eſt præſens ſimul, deſtruatur ratio propria entis ſucceſsivi, cui id repugnat, vt huculque diximus. *RESP.* admiſſo antecedente, diſtinguendo conſequens: Vtraque pars erit præſens & exiſtens ſimul, adæquatè, aut eodem modo; nego: inadæquatè, & diverſo modo; cocedo conſequentiã. Neutra enim pars adæquatè exiſtit ratione eiuſdem inſtantis, ſed ratione vnius terminativè, & ratione alterius initiativè. Vnde potius contra abſurda illata ſequitur, ratione eiuſdem inſtantis alteram ſolùm exiſtere vt immediatè præteritam, alteram verò vt immediatè futuram; neutram verò adæquatè, ſive vtroque modo ratione eiuſdem inſtantis. Per quod diſtinguitur ab ente permanente; quod exigit ſimul & adæquatè, atque omnino de præſenti habere ſuam exiſtentiam.

55 *OPPONVNT II.* Vnum inſtãs non ſequitur immediatè poſt aliud, vt conſtabit *lib.6.* ſed poſt quodlibet inſtans ſequitur immediatè pars. Ergo hæc exiſtit, ſive eſt præſens ratione ſui, & non ratione alicuius inſtantis, neque præteriti immediatè quod iam tranſijt, neque futuri immediatè, quod nòndum acceſsit. *RESP.* conceſſo antecedente, negando conſequẽtiam: quia poſt primum illud inſtans ſequitur pars, quæ ratione ipſius immediatè antea exiſtebat in ratione futuræ, ſive initiativè; & tranſit, non in adæquatè præſentem (quod erat è re Adverſariorum) ſed in præſentem ſolùm inadæquatè, terminativè, atque in ratione præteritæ; idque ratione alterius inſtantis novi, quo tandem completur, & omnibus modis finitur. Plura quæ huic ſolutioni obſtare poſſe videntur, locum habent dicto *lib.6.* vbi *diſp.37.* opportunius diluentur.

(∴)

IN LIBRVM QVINTVM PHYSICORVM.

DISSERIT Ariſtoteles præcipuè hoc libro de diſtinctione motus in varias ſpecies, quas deſumit per ordinem ad diverſos terminos, ad quos tendit. Vt autem hoc explicet, præcipuè incumbit in enumeratione terminorũ, ad quos datur per ſe motus. Quare, remiſſis in finẽ difficultatibus minoris notæ, eam vnam, & omnium potiſſimam, exagitandam ſuſcipimus.

DIS. TRIGESIMA SECVNDA:

Ad quæ Prædicamenta detur per ſe motus?

Num. 1. *TRES Conditiones communiter aſſignantur, vt aliquid terminet per ſe motum.* Prima *eſt, vt habeat per ſe latitudinem aliquam extenſionis, vel mitionis, percurrendam.* Ratio *eſt, quia motus, de quo agimus in præſenti, debet eſſe ſtrictè dictus, ac proinde ſucceſſivus, qui certè continuationem aliquã, & latitudinem, ſive extenſionem habet: ideoque illam in termino ſuo exigit. Si enim terminus indiviſibilis ſit, non fiet ſucceſſivè, ſed in inſtanti.* Secunda, *vt ſubiectum motus ſit ens in actu.* Ratio *eſt: Quia idem debet eſſe ſubiectum motus, ac termini adquiſiti per motum. At ſubiectum termini adquiſiti per motum debet eſſe ens in actu. Ergo & ſubiectum motus. Maior conſtat: quia idem eſt ſubiectum motus, ac mobile, ſeu quod movetur ad terminum adquirẽdum. Minor autem ſuadetur ex conditione præiacta: quia terminus adquiſitus per motum, eſt forma quædã habens latitudinem aliquam per ſe, ac proinde forma accidentalis. At ſubiectum formæ accidentalis eſt ens in actu, ſcilicet, compoſitum ſubſtantiale, ſive totum, vt ſupponimus ex libris de Generatione & ex dicendis in Metaphyſica. Ergo ſubiectum termini adquiſiti per motum debet eſſe ens in actu.* Tertia *denique conditio eſt, vt motus propriè dictus ſit ab vno contrario poſitivo in aliud: quia, vt monet S. Thomas in præſenti lect. 5. hoc diſcriminis eſt inter motum latè dictum, ſive inſtantaneum, & ſtrictum, ſucceſſivum. ſcilicet, quòd prior verſetur inter ens & non ens, ſive inter privationem & formam; quæ duo extrema, cùm immediatè opponantur, non admittunt medium aliquod latitudinis percurrendæ, à quo retardetur motus. Poſterior verò, cùm habeat ſucceſſionem, debet verſari inter duos terminos non oppoſitos immediatè, ſed medio tractu ſucceſſivo, in quo retardari poſſit; atque adeo inter duos terminos poſitivos; quibus inſit latitudo poſitiva, & gradatim percurrenda. His poſitis,*

SECTIO PRIMA.

Ad quantitatem dari per ſe motum augmentationis ſtrictum; non tamẽ ad omnem quantitatem, ſed viventium propriam.

2 DICENDVM Primò, ad quantitatem dari motum per ſe: quod apertè tradit in præſenti Philoſophus, præſertim cap. 2. vbi excluſis à motu per ſe ſubſtãtia, relatione, actione, paſſioneque, ſubdit textu 18. immediatè, καὶ κατὰ τὸ ποιὸν, καὶ τὸ ποσὸν, καὶ τὸ ποῦ κίνησιν εἶναι μόνον: *reſtat in qualitate, quantitate, & vbi tantummodo motum eſſe.* Et vt omnem interpretationem de motu per accidens excluderet, præmiſſerat immediatè: τὴν δὲ κατὰ συμβε-

κὸς ἀφῶμεν πάλιν: At eam (mutationem) *quæ eſt per accidens, iam dimittamus.* Ergo ex mente expreſſa Philoſophi ad quãtitatem eſt motus per ſe. Quare idem tradit S. Thomas eodem loco, ac communiter alij Interpretes, quorum conſenſu augmentatio eſt motus per ſe ad quantitatem. Oppoſitum tamen docet Galenus *libr. 7. Method. cap. 7.* & Valleſius *lib. 2. Controverſ. contr. 17.* quos nonnulli è Recentioribus imitantur. Exiſtimãt enim augmentationẽ conſiſtere in actione, qua quantitas, vnius compoſitj fit quantitas alterius vi generationis: v. g. in actione, qua ligni quantitas fit vtcumque quantitas ignis.

3 *SED* Pro aſſerti probatione, & efficaci impugnatione opinionis adverſæ, notandum eſt augmentationem poſſe multipliciter accipi. *Primò* latiſsimè & impropriè pro eo, quod eſt aliquid fieri maius, ſive penes intenſionem, ſive penes extenſionem: & ita accipitur a D. Th. 2. 2. *q.* 24. vbi agit de nutrimento quarumcunque formarum habentium aliquam latitudinem. *Secundò* ſumitur aliquãdò ſtrictius pro hoc, quod eſt fieri maius extenſione, ſecundum quod abſtrahit a quantitate continua & diſcreta: & ſic augmentatio eſt additio aliqua quantitatis, ſeu diſcretæ, ſive continuæ: vt ſi quaternario adijcias duplicem vnitatem aut vlnæ palmum extenſionis. *Tertiò* accipitur pro motu in quantitate continua; & hoc aut impropriè, vt fit in dilatatione partium, quæ per rarefactionẽ accidit, & largo quodam ſenſu dicitur augmentatio; aut minùs impropriè, quoties augetur quantitas continua per appoſitionem novæ partis, vt quando aqua fit maior per appoſitionem novæ partis; aut denique propriè & expreſsè loquendo, quãdo idem ſubiectum præexiſtens fit maius per extenſionem in nova parte materiæ, & productionem novæ partis quantitatis, vt in viventibus contingit.

4 *RVRSVS* Loquendo de hoc genere ſtrictæ augmentationis, notandum eſt adhuc, non omnia viventia eodem modo augeri. Quædam enim ſunt viventia perfecta, quæ ita augentur, vt ſolùm acquirant de novo partem aliquam materiæ & quantitatis, abſque additione aliqua formæ, etiam partialis; vt patet in homine, equo, alijſque brutis perfectis: quædam verò ſunt viventia imperfecta, vt plantæ, & inſecta, ſive reptilia, quorum augmentatione incrementum accipit, non ſolum materia & quantitas, ſed & ipſa ſubſtantialis forma, qua vivunt. Quare viventia imperfecta conveniunt cum nõ viventibus, quia perinde ac illa accipiunt vi motus augmẽtationis novam partem materiæ, quantitatis, ac formæ. Differunt tamen vtrorumque augmentationes tripliciter. *Primò*, quia non viventia ſolum augentur verſus vnam minimam partem, ſcillicet, verſus illam cui immediatè apponitur, ſeu ſuperadditur augmentum; vt patet in igne, & aquâ. non enim immediatè augebitur magnus ignis quoad omnes ſuas partes, ſi ſtuppam ei adijcias levem; neque totus Oceanus immediatè ſubibit incremẽtum, ſi guttam aquæ in eum proijcias: ſed ſola illa pars ignis, aut aquæ minima, cui immediatè fit additio, dicetur propriè & immediatè augeri. At contra viventia omnia etiam imperfecta, vi motus augmentationis augentur quò ad omnes partes præexiſtentes ſurſum ac deorſum, introrſum ac ſiniſtrorſum; vt patet in planta, & in homine. Neque enim creſcit flos, niſi creſcente radice, aut manus hominis, niſi pede pariter creſcente. *Secundò* differunt quia in non viventibus augmentatio ſolùm fit per iuxta appoſitionem; vt patet exemplo ignis & aquæ, ideo ſolùm creſcentibus quia iuxta partes præexiſtentes adijcitur alia pars: at verò viventia; quamuis imperfecta ſint, non augentur per iuxtà appoſitionem, ſed per intus ſumptionem, vt communiter dicitur: ſcillicet, per hoc quòd alimentum intra poros viventis ſumptum in ſubſtantiam eiuſdem convertatur. Inde autem provenit non viventia minimè augeri quo ad omnes ſui partes, ſed ſolùm quò ad immediatam & vicinam alimento quoties augentur; è contrà autem viventia. *Tertiò* denique differunt, quia terminus augmentationis non viventium ita adijcitur partibus præcedentibus, vt tamẽ ſeorſim & per ſe produci valeat. Manifeſtũ enim eſt guttam roris, vel aquæ additam fluvio, potuiſſe ſeorſim produci, & exiſtere independenter à fluvio. Cuius ratio eſt: quia non viventia ſunt homogenea: ac proinde in qualibet parte poſſunt ſalvari, ſeu completè exiſtere. At contra in viventibus. Cùm enim heterogenea ſint, ſeu cõſtantia partibus diverſæ rationis, ijſque organicis, & neceſſariò ordinatis ad compoſitionem alicuius totius, nequit vna pars illorum produci aut exiſtere ſine alia præexiſtente.

5 *EX* Doctrina prædicta oritur manifeſtè, difficultatem, in qua verſamur, non eſſe de augmentatione non viventiũ. Ad illorum enim quantitatem nequit dari motus per ſe quoties augentur: quia quã-

titas

titas adaucta illorum, cùm augetur, eo: dem prorſus modo producitur, ac quantitas totalis in generatione totali. Manifeſtum eſt autem ad quantitatem totalem in generatione totali non dari motum per ſe. Ergo quando augetur quantitas non viventium, nullatenus ad illam datur aliquis motus per ſe. E contra in viventibus cùm augentur, quantitas partialis adaucta non fit ſicut tota quantitas in generatione totali: atque adeo licet tota quantitas in generatione totali non terminet per ſe motũ, pars adaucta poterit terminare motum per ſe. Ideoque difficultas præſens reſtringitur ad augmentationem viventium, & de illa ſolum aſſerimus terminare per ſe motum.

6 *DICES*: Nulla eſt ratio, vt quantitas adaucta non viventium fiat, ſicut quantitas totalis in generatione totali; & tamen quantitas adaucta viventium fiat diverſo modo ac quantitas eorundem totalis in generatione totali. Ergo nulla eſt ratio cur quantitas adaucta viventium præ quantitate non viventium terminet motum per ſe.

7 *SED Contrà*. Cùm enim augetur non vivens, ſubiectum proprium quantitatis adauctæ, ſolum eſt illa pars ſubſtantiæ, quæ de novo producitur: ac per conſequens ſubiectum illius non præſupponitur in actu, ſed in potentia, & quaſi *in fieri* ſui ipſius; quod obſtat motui per ſe, neceſſario præſupponenti ſubiectum in actu. Ergo cum augetur non vivens, ſubiectum proprium quantitatis adauctæ eodem modo ſe habet ad illam, ac totum ſubiectum in prima generatione ad quantitatẽ totalem; atque æquè impotens terminare motum per ſe. Cæterum cum augetur vivens, ſubiectum proprium quantitatis adauctæ eſt totum vivens, quia totum illud creſcit per ſuperadditionem cuiuſlibet partis; & quidem iam præſuppoſitum realiter in actu ante tale augmentum. Ergo licèt tota quantitas in totali generatione non terminet motum per ſe, quia tunc ſubiectum illius ſolum eſt quaſi in fieri, & in potentia ad quantitatem, non verò in actu; nihilominus quantitas adaucta propter oppoſitam rationem terminare poterit motum per ſe. Patet igitur, quantitatem partialem, ac ſuperadditam non viventibus, eodem modo fieri, ac totalem eorundem quantitatem in totali generatione; quamvis quantitas adaucta & partialis viventiũ diverſo modo fiat, ac quantitas tota illorum in generatione totali. Quare tota difficultas eſt de augmentatione viventium.

7 *HIS* Poſitis, & prædicto ſenſu intellectis, probatur Aſſertio. Augmentatio enim eſt motus propriè dictus. Sed augmentatio terminatur per ſe ad quantitatem. Igitur motus propriè dictus terminatur ad quantitatem per ſe. Maior patet: Quia augmentatio non eſt mera mutatio, cum præſupponat totum ſubiectum in actu per formam; quod proprium eſt motus propriè dicti. Minor autem probatur: Quoniam augmentatio per ſe in hoc tendit, vt ſubiectum fiat maius. At ſubiectum fit maius formaliter ratione quantitatis. Igitur augmentatio per ſe terminatur ad quantitatem.

8 *CONFIRMATVR*. In termino enim augmentationis, nimirum, quantitate adaucta viventibus, inveniuntur omnes conditiones requiſitæ, vt terminet per ſe motum. Igitur ad quantitatem datur motus per ſe. Probatur antecedens: *Primò* enim quantitas habet latitudinem extenſionis percurrendam, cùm ſeipſa formaliter diviſibilis ſit. *Secundò*, præſupponit ſubiectum in actu; ſcilicet, totum compoſitum vivens pro priori ad augmentum. *Tertiò* habet terminos poſitivè contrarios, ſeu oppoſitos intra propriam ſphæram, vt magnum & parvum, maius & minus. At hæ ſunt tres conditiones à Philoſophis communiter aſſignatæ, vt aliqua forma terminet motum per ſe.

SECTIO SECVNDA.

Obiectiones difficiles in oppoſitum diverſimodè vrgentur & enodantur.

9 *OBIICIES I.* Quantitas ad ſummum habet conditiones neceſſarias, vt per ſe terminetur ad illam augmentatio. Sed augmentatio non eſt motus propriè dictus, ſed ſolum impropriè. Ergo quantitas ſolùm habet conditiones neceſſarias vt terminet per ſe motum improprium, non vero proprium, de quo eſt quæſtio præſens. Probatur minor. Augmentatio enim non eſt motus continuus, vt docet Ariſtot. *lib. 8. Phyſic. text. 23*. At nullus motus proprius eſt, niſi ſit cõtinuus. Ergo aumentatio non eſt motus propriè dictus.

RESP. Negando minorem primi ſyllogiſmi, & maiorem probationis. Multipliciter enim intelligi poteſt motum ali-

aliquem eſſe continuum. Primò ita, vt duret per totum tempus ſine aliqua ſui interruptióne; id eſt, ab æterno in æternum, qualiter cenſuit Philoſophus de motu cœli. Secundò ita, vt continuetur per totam vitam hominis. Tertiò ita, vt progrediatur abſque interruptione per totum tempus infantiæ, pueritiæ, adoleſcentiæ, & iuventutis, vſque ad ſtatum perfectum, in quo homo iam non creſcit, ſed ſtatum perfectum aſſequitur. Quartò denique, quia quantuncunque duret motus, ſive multum, ſive parùm, durat abſque interruptione ſuî toto illo tempore, quo peragitur. Augmentatio igitur non eſt motus continuus primo modo, adhuc ex mente Philoſophi: quia ſub eà ratione iuxta ipſum ſolus motus cœli continuus eſt, & quidem circularis. Neque etiam ſecundo modo: quia ſaltem vbi homo pervenit ad ſenectutem, ſeu ſtatum diminutionis, plus perdit, quàm adquirit. Nec prætereà tertio: quia neque à principio vitæ vſque ad ſtatum durat augmentatio, cum non ſemper adſit alimentum, aut bona valetudo, & ſæpe calor naturalis agat, conſumatque humidū radicale; ac prætereà tempus aliquod conſumatur in concoctione alimenti. Cœterū quarto & vltimo modo, augmentatio quātitatis viventium eſt motus continuus: quià tempore toto quo peragitur, ſeu longo, ſeu brevi, non interrumpitur; ſicut deſcenſus lapidis in centrum, qualiſcumque demum durationis ſit. Ariſtoteles igitur loco allegato in obiectione ſolùm negavit augmentationem eſſe motum continuum tribus modis prioribus, non tamen quarto poſteriori omnium. Quod patet, quia etiā dixit alterationem non eſſe continuam, cum tamen exploratum ſit, illam eſſe cōtinuam hoc quarto modo, & motum propriè dictum.

10 *DICES*: Implicat augmentationem non eſſe continuam eo modo, quo nutritio continua eſt. At nutritio continua eſt ſecundo modo: durat enim per totam hominis vitam. Ergo implicat augmentationem non eſſe continuam ſecundo modo: proindeque debet durare per totam hominis vitam. Probatur minor. Implicat adquiri partem novam ſubſtantiæ per nutritionem. Aliàs pars aliqua ſubſtantiæ materialis privaretur accidente ſibi proprio: quod naturaliter impoſsibile eſt. Ergo implicat augmentationem non eſſe continuā eo modo, quo nutritio continua eſt. *RESP.* Maiorem argumenti poſſe merito negari: quia in ſtatu diminutionis, quamvis ſit nutritio; nulla eſt augmentatio: nam licèt adquiſita nova parte ſubſtantiæ adquiratur nova pars quantitatis, non tamen tanta adquiritur, quanta deperditur; ac proinde tunc nulla eſt augmentatio, quia hæc ſolùm eſt à minori ad maiorem quantitatem. Adhuc tamen permiſſa vitro maiore, negatur minor. nutritio enim non durat per totum vitæ tempus, ſi de ſtricta & propria nutritione ſermo ſit; ſcilicet, de actione illa ſubſtantiali, qua immediatè convertitur alimentum in ſubſtantiam aliti: quamvis nutritio latè accepta pro alteratione quadam, ſeu alimenti concoctionē ſupponatur durare toto vitæ tempore. Atqui indubium eſt quantitatem viventis non augeri hac ſecunda nutritione, ſed illa prima. Quamvis ergo augmentatio continua ſit eomodo, quo ſtricta nutritio, non durat per totum vitæ tempus.

11 *OBIICIES II.* Motus propriè dictus debet eſſe à contrario in contrarium. Sed augmentatio quantitatis non eſt à contrario in contrarium; quia quantitati nihil eſt contrarium. Ergo augmentatio quantitatis non eſt motus propriè dictus: proindeque hic non terminatur per ſe ad quantitatem. *RESP.* Contrarietatem multipliciter accipi. Primo pro oppoſitione qualicumque, ſive inter duo extrema poſitiva, ſive inter alterum poſitivum, & alterum negativum: quæ quidem acceptio largiſsima & impropriſsima eſt. Secundò & propriſsimè accipitur contrarietas pro oppoſitione inter duo extrema poſitiva, quæ contenta ſub eodem genere maximè diſtant, & ab eodem ſubiecto ſe mutuo expellunt, qualiter calor & frigus in gradibus intenſis. Tertio denique modo, & quaſi medio inter duos præcedentes, reperitur contrarietas inter duo poſitiva extrema, quæ licèt maximè diſtent ſub eodem genere, non tamen mutuò ſe expellunt actìvè. Et hoc modo contrarietatis opponuntur inter ſe quantitas maior ac minor; ſicut & motus ſurſum ac deorſum. Quare ſicut motus progreſsivus eſt propriè dictus, quamvis terminus *à quo & ad quem* tendit, ſolùm habeat medium illum modum contrarietatis; ſic etiam augmentatio erit motus propriè dictus, quamquam maior & minor quantitas ſolùm medio quoddam modo ſibi contrariæ ſint.

12 *DICES*: Motus progreſsivus nihil mirum ſi proprius ſit, quia verſatur inter extrema repugnantia, & ſe invicem formaliter expellentia, qualia ſunt locus ſur-

ſurſum & deorſum. At contrà augmentatio non verſatur inter extrema repugnantia, aut ſe invicem expellentia, quia vbi adquiritur quantitas maior, permanet minor quæ antea erat. Ergo licèt motus progreſsivus ſit proprius, non tamen augmentatio. *RESP.* Negando minorem: quia licèt vbi quantitas maior adquiritur per augmentationem, maneat in vivente quantitas minor præexiſtens; non tamen manet ſub ratione minoris. Itaque ſicut locus ſurſum ac deorſum ſibi invicem repugnant, & incompoſsibiles ſunt, ſic etiam minoritas & maioritas.

13 *INSTABIS.* Maioritas illa, & minoritas quantitatis, non ſunt aliquid abſolutum, ſeu relativum, ac comparativum. Eadem nanque quantitas abſoluta, ſi comparetur maiori, eſt minor; ſi autem minori, eſt maior. Sed nihil relativum habet terminare motum propriè dictum. Ergo maioritas & minoritas quantitatis non habet terminare motum propriè dictum. *RESP.* Ex doctrina D. Thomæ *in 3. diſt.* 19. *q.* 3. *art.* 1. *ad* 2. quantitatem poſſe dupliciter accipi. Primò abſtractè & mathematicè, prout non concernit aliquam naturam phyſicam, in qua ſit, nec qualitatem ſenſibilem, quà afficiatur. Et ſub hac conſideratione, eſto maioritas & minoritas ſolum importet aliquid relativum: quia eadem quantitas vni cuidam comparata eſt maior, & alteri minor. Secundò autem conſiderari poteſt quantitas phyſicè ac determinatè, prout concernit aliquam naturam in certa quadam menſura: & ſub hac ratione quantitatem eſſe magnam, dicit perfectam menſuram tali naturæ debitam; eſſe verò parvam, importat quod ſit infra mēſuram debitam perfectioni, operationibuſque talis naturæ. Ad rem igitur deveniendo; quantitas ſub priori conſideratione importat aliquid relativum, ac proinde non terminat per ſe motum: ſub poſteriori autem importat quid abſolutum: quia ſive comparetur, ſive non comparetur cum alia quantitate, aut eſt infra, aut iuxta menſuram certæ alicui naturæ debitam; & prout huic menſuræ magis appropinquat, terminat motum proprium augmentationis; prout verò deficit & regreditur ad minorem menſuram, terminat motum diminutionis.

14 *VRGEBIS*: Ad terminandum per ſe motus ſpecie diſtinctos, quales ſunt augmentationis, & diminutionis, oportet terminos eorum ſpeciem diſtingui: quia motus ſpecificantur, & diſtinguuntur per ordinem ad diverſos terminos. Sed maior & minor quantitas, etiam ſub poſteriori conſideratione nuper explicata, non ſunt termini ſpecie diſtincti: cùm omnis quantitas, & in qualibet menſura, eiuſdem ſpeciei ſit. Ergo maior & minor quantitas, etiam ſub ea conſideratione, non terminant per ſe motus ſpecie diſtinctos, quales ſunt augmentationis, & diminutionis. *RESPONDEO*, Prætermiſsis aliorum ſolutionibus, dupliciter poſſe duo aliqua differre ſecundum ſpeciem: ſcilicet, vel eſſentialiter, vt homo & equus; vel accidentaliter, vt homo albus, & homo niger; vtpotè conſtantes accidentibus colorum diverſæ ſpeciei. Quantitas igitur maior & minor, quãvis non differant ſpecie eſſentiali, vt rectè in obiectione probatur; differunt tamen ſpecie accidentali, prout afficiuntur maioritate & minoritate, quæ duæ ſunt modi diverſæ ſpeciei, ſpectantes reductivè ad idem genus quantitatis: proindeque quantitas eadem ratione maioritatis poteſt terminare motum augmentationis, & ratione minoritatis motum diminutionis; ſicut idem homo ratione albedinis poteſt terminare per ſe motum dealbationis, & ratione nigredinis motum denigrationis; quamvis penes albedinem & nigredinem differat ſolùm ſpecie accidentali. Porrò maioritatem & minoritatem eſſe modos ſpecie diverſos, patet: tum quia in viventibus, de quibus dubitatio procedit, ſunt quaſi diverſæ diſpoſitiones ad illorum cōſervationem, aut corruptionem; tum quia fundant relationes diſquiparantiæ, quales ſunt magni ad parvum, & parvi ad magnum: quod ſine diſtinctione ſpecifica vtriuſque modi, veluti fundamenti diverſi, verificari non poteſt. Cùm autem modus reducatur ad idem genus & ſpeciem rei, cuius eſt modus, maioritas & minoritas pariter reducentur ad genus & ſpeciem determinatam quantitatis, quam afficiunt; vt maioritas in longitudine ad ſpeciem lineæ; in extenſione, ad ſpeciem ſuperficiei; in profunditate, ad ſpeciem corporis: quēadmodum par & impar ſunt accidentia numeri, & ad genus ipſius, ſpeciemque reducuntur.

15 *INSISTES* Demum: Ergo hi motus non ſunt ad quantitatem formaliter & in ſeipſa conſideratam, ſed ad modos accidentales eidem quantitati, qui ſunt maioritas & minoritas. Igitur non datur per ſe motus ad quantitatem: quia vt ad formam aliquam detur per ſe motus, præmiſſum eſt ſupra *num.* 6. ex communi do-

ctri-

ctrina debere. illam terminare motum per ſe & ratione ſui. At quantitas non per ſe & ratione ſui, ſed tantùm ratione alicuius modi accidentalis & ſuperadditi, terminat motum augmentationis & diminutionis. Ergo ad quantitatem non datur motus per ſe. Alioqui, cùm etiam in non viventibus quantitas afficiatur modis ſuperadditis maioritatis & minoritatis, dici poterit ratione illorum terminare pariter motum per ſe. *RESPONDEO*, Prædictos motus eſſe ad quantitatem, non nudè & mathematicè conſideratam, ſed phyſicè, & determinatè, vt ſtat ſub vtroque modo ſibi conveniente intra proprium genus & ſpeciem: id autem ſufficere, vt abſolutè dicatur vtrumque motum terminari per ſe ad quantitatem. Sicut etiam in opinione Adverſariorum, licèt qualitas ratione ſuæ entitatis nudè ſumptæ non terminet motum alterationis, ſed tantùm ratione modi intenſionis, remiſsioniſve ſibi ſuperadditæ, adhuc dicitur terminare motum per ſe, quia tam intenſio, quam remiſsio ſunt modi convenientes qualitati intra propriam lineam. Cæterum in non viventibus, eſto maioritas & minoritas etiam ſpecie differant, & ex hoc capite quantitas illorum poſſet terminare motum augmentationis, & diminutionis; aliunde deficiunt cæteræ conditiones, & illa maximè quòd ſubiectum quantitatis adauctæ præſupponatur in actu, vt ſupra dictum eſt.

16 *OBIICIES III.* Ideo in generatione totali viventis non datur per ſe motus ad quantitatem totam, quia producitur ſimul cum tota ſubſtantia, cuius proprietas eſt, & proprietas non terminat motum diſtinctum ab eo, quo producitur natura vnde oritur. Sed etiam in generatione partiali, ſeu potiùs aggeneratione viventũ, producitur pars adaucta quantitatis ſimul cum parte nova ſubſtantiæ, cuius proprietas eſt. Ergo etiam in generatione partiali non datur per ſe motus ad partem quantitatis viventium adauctæ, ſed reſultabit ex eadem actione quâ pars nova ſubſtantiæ producitur. *RESP.* Ideo in generatione totali viventis non dari per ſe motum ad quantitatem, quia, præter plura alia, quantitas tunc non intenditur per ſe, ſed ſola ſubſtantia viventis, in cuius productionem tendit generatio ex præcipuo fine: ſicut vniversè actio productiva totius naturæ, non tendit primò & per ſe ad illius proprietates, ſed ad ipſam naturam ſecundum eſſe ſubſtantiale. Cæterum in aggeneratione, ſeu augmentatione, non tendit per ſe actio ad ſubſtantiæ partem, quæ de novo adquiritur, ſed ad novam partem quantitatis: quia tendit per ſe, vt vivens fiat maius, quàm antea; fit autem maius formaliter per quantitatem adauctam. Ergo quanquam in prima generatione nõ detur actio per ſe terminata ad quantitatem, in ſecunda tamen datur actio ad illam terminata per ſe.

17 *EX* hac doctrina infertur quantitatem totalem fieri indiviſibiliter & in inſtanti, cùm primò producitur vivens; quia producitur ratione ſubſtantiæ totalis, quæ ex ſe indiviſibilis eſt, & exigit fieri tota in inſtanti. E contra vero ſubſtantia partialis, quæ aggeneratur in nutritione, fit diviſibiliter & ſucceſsivè, quia producitur ratione partis novæ quantitatis, quæ ex ſe diviſibilis eſt, & ſucceſsivo modo exigit produci. Quippe in priori conſideratione tota quantitas ſequitur modum partis quantitatis adauctæ, ex cuius fine producitur. Sic Chriſtus Dominus eſt in cœlo diviſibiliter, quia ſubſtantia eius eſt ibi præſens ratione quantitatis ex ſe diviſibilis: è contra autem in Sacramento Euchariſtiæ quantitas Chriſti exiſtit indiviſibiliter, quia eſt ibi præſens ratione ſubſtantiæ ex ſe indiviſibilis, cuius modum ſequitur quantitas, vt monet S.Thomas 3. *part. q.76. art.4.* & ex ipſo Complutenſes in præſenti opportunè notarunt.

18 *DICES:* Ideo ab actione totali generativa non inſpicitur per ſe tota quantitas viventis, quia eſt proprietas totius ſubſtantiæ: atque adeò hanc ſolam inſpicit per ſe totalis generatio. Sed etiam pars quantitatis adauctæ eſt vera & ſtricta proprietas partis ſubſtantiæ. Ergo etiam pars quantitatis non inſpicitur per ſe in generatione partiali, ſed ſola pars ſubſtantiæ de novo producta.

RESPONDEO Non ideo præcisè totam quantitatem viventium à generatione totali per ſe non inſpici, quia proprietas totius ſubſtantiæ materialis eſt; ſed ideo etiam, ac potiſsimùm, quia generatio viventium per ſe ſolùm tendit ad producendum vivens coniunctum alteri viventi penes ſimilitudinem in naturâ, vt patet ex definitione generationis viventium. Conſtat autem ſimilitudinem in naturâ viventis ad aliud vivens, non provenire à quantitate, ſed à ſubſtantia vivente quæ per primam generationem producitur. Cæterum augmentatio per ſe tendit, non vt pars ſubſtantiæ aggenerata vivens ſit, ſicut partes præcedentes; ſed vt vivens

fiat maius. Cumque fiat formaliter maius, non ratione ſubſtantiæ partialis adauctæ, ſed ſolùm ratione quantitatis partialis ſuperadditæ; conſequens eſt, vt hæc ſola per ſe inſpiciatur ab augmentatione, & nō pars nova ſubſtantiæ, quamquam huius proprietas ſit.

19 *INSTABIS*: In prima generatione non requiritur duplex actio, altera terminata ad totam ſubſtantiam viuentis, altera ad totam quantitatem, ſed ſufficit vna, quæ per ſe primò terminata ad totam ſubſtantiam, producat ſubinde & conſequenter totam quantitatem, vt proprietatem ipſius. Ergo pariter in ſecunda generatione, ſeu potiùs aggeneratione, non requiritur duplex actio, ſed ſufficit vnica terminata primario ad partem ſubſtantiæ viventis, & ſubinde ac conſequenter ad partem quantitatis, tanquam ad eius proprietatem. *RESP*. Conceſſo antecedente, negando conſequentiam, & paritatem: quia finis primæ generationis viventium primarius & vnicus eo tendit, vt terminus eius ſit ſimilis in ſubſtantia principio viventi: atque adeo opus non eſt actione alia per ſe inſpiciente proprietates, ſed ſolùm indirectè ad illas terminata. At finis augmentationis primarius eſt vt vivens fiat maius; ac proinde vltra nutritionem terminatam ad partem ſubſtantiæ novam, debet aſsignari diſtincta actio per ſe inſpiciens novam partem quantitatis, qua vivens reddatur formaliter maius.

20 *VRGEBIS*: Ergo ſimiliter quando augetur vivens, non erit opus actione nutritivà, & diſtincta ab augmentatione; ſed eadem augmentatio, quæ primario producit partem novam quantitatis, producet ſecundariò partem novam ſubſtantiæ. Conſequens autem abſurdum eſt. Ergo & doctrina, ex qua ſequitur. Abſurditas conſequentis patet: quia iuxta illud tolleretur de medio motus nutritionis diſtinctus ab augmentatione, à Philoſophiſque communiter admiſſus. Sequela autē probatur: Ideo enim eadem generatio quæ primariò producit ſubſtantiam viventem, extenditur ſecundariò ad producendam quantitatem totalem, quia hæc in generatione non inſpicitur per ſe, ſed ſolùm vt terminus acceſſorius ſubſtantiæ totalis per ſe inſpectæ. At quando augetur vivens, nova pars ſubſtantiæ non inſpicitur per ſe, ſed tanquam terminus acceſſorius parti quantitatis per ſe inſpectæ ab augmentatione. Ergo quando augetur vivens, non erit opus actione diſtincta, quæ producat novam partem ſubſtantiæ, ſed eadem augmentatio, quæ per ſe tendit ad partem quantitatis, producat ſecundario & conſequenter novam ſubſtantiæ partem.

RESP. Negando conſequentiam. Ad probationem diſtinguo ſuppoſitum maioris, & ſimul explico doctrinam ſuperiùs traditam: Eadem generatio, quæ primario producit ſubſtantiam viventem, extenditur ſecundariò ad producendam quantitatem totalem, excludendo vlteriorē actionem, ſeu ſimplicem emanationem quantitatis à ſubſtantia, nego; ſuperaddendo illam, concedo. Semper enim vltra actionem agentis extrinſeci requiritur actio aliqua eiuſdem ſubſtantiæ, dicta communiter *grammaticalis*, ſeu emanatio ſimplex, per ſe terminata ad exiſtentiam quantitatis, ſicut & aliarum proprietatum, quarum radix eſt; quanquam illa non ſit propria actio, ſeu operatio, vt dictum eſt *diſput*. 15. *ſect. vltim*. Similiter ergo vltra augmentationem per ſe productivam novæ partis quātitatis in vivente, requiritur alia actio, ſcilicet, nutritio, per ſe terminata ad novam ſubſtantiæ partem. Et ratio a priori omnium in eo conſiſtit, quod vbicumque datur diverſum *factum eſſe* rei, neceſſariò aſsignari debeat diſtinctum *fieri*, ſeu, quod perinde eſt, diſtincta actio productiva illius. At ſive comparetur tota ſubſtantia cùm tota quantitate, ſive pars ſubſtantiæ cum parte quantitàtis, datur duplex *factum eſſe* vtriuſque; ſcilicet, duplex entitas in facto eſſe. Ergo etiam debet dari duplex *fieri*, ſeu actio productiva vtriuſque.

21 *INSISTES* Denique: Ergo non ſolùm datur per ſe motus augmentationis ad quantitatem, ſed etiam nutritionis ad ſubſtantiam: ac proinde perperam Philoſophus in præſenti excludit ſubſtantiam à motu per ſe. Probatur conſequentia: quia iuxta ſolutionem traditam vltra actionem augmentativam, quæ per ſe terminatur ad quantitatem adauctam datur alia actio nutritiva, terminata per ſe ad novam ſubſtantiæ partem. Sed actio illa nutritiva eſt verus & rigoroſus motus, non minus quàm augmentatio. Ergo etiam ad novam ſubſtantiæ partem dabitur verus motus per ſe. Probatur minor. Nutritio enim, ſemel poſito quòd ſit actio realiter diſtincta ab augmentatione, habet omnes conditiones requiſitas ad verum & ſtrictum motum. Primò enim ſubſtantia viventis, ad quam terminatur, habet extenſionem, cùm poſsit creſcere, & acquirere novas partes entita-

tivas ac ſubſtantiales. *Secundò* præſupponit ſubiectum in actu, ſcilicet, totum vivens, antequam nutriatur. *Tertiò* datur aliqualis oppoſitio inter terminos poſitivos *à quo* & *ad quem*, ſcilicet, inter ſubſtantiam alimenti, & ſubſtantiam aliti. Denique, ne quid deeſſe videatur, nutritio eſt motus ſucceſsivus, vtpotè coexiſtens augmentationi ſucceſsivæ ſecundùm ſe totam. Ergo actio nutritiva eſt verus & ſtrictus motus, non minùs, quàm augmentatio.

RESP. Negando conſequentiam. Ad probationem nego minorem. Ad illius probationem nego nutritionem habere omnes conditiones requiſitas ad verum & ſtrictum motum. Deficit enim prima: quia ſubſtantia viventis per ſe & ratione ſui non habet latitudinem extenſionis, ſed ſolùm ratione quantitatis ſuperadditæ, & quidem extra propriam lineam ſubſtantiæ. Deficit etiam ſecunda: quia nutritio recipitur immediatè in materia, quæ non eſt ſubiectum in actu; cùm tamen augmẽtatio in toto compoſito præexiſtente recipiatur. Deficit quoque tertia conditio, quia terminus *à quo* nutritionis immediatè non eſt ſubſtantia alimenti, ſed privatio partis ſubſtantiæ de novo adquiſitæ. Quare licèt nutritio ſit motus ſucceſsivus, non ideo eſt ſtrictus motus, ac proinde nec ſubſtantia terminat verum motum per ſe. Vide D. Thomam in præſenti *lect.* 3.

SECTIO TERTIA.

Dari etiam per ſe motum ad Qualitatem; non tamen ad omnem, ſed ſolùm ad paſsibilem, ſeu tertiæ ſpeciei: ſimiliter & ad Vbi motum localem; nullum tamen præterea ad reliqua alia prædicamenta. Plura obſervatu digna notantur.

22 DICENDVM Secundò ad Qualitatem dari per ſe motum alterationis, ad *vbi* autem motum localem: cæterum neque ad ſubſtantiam, neque ad alia prædicamenta dari per ſe motum. Ita Ariſtotel. ac D. Thom. in præſenti, alijque communiter.

DE Qualitate non aſſerimus vniverſim terminare motum per ſe; cùm evidens ſit plures eſſe incapaces eius terminationis: vt patet in intellectu, ac voluntate, ſimiliterque in omnibus ijs qualitatibus, quæ inſeparabiliter comitantur naturam aliquam in primâ ſui productione, tanquam eius proprietates. Hæ namque ſimul cum illa producuntur actione inſtantanea, cui repugnat ratio ſtricti motus. Nec præterea opus eſt omnes qualitates abſolutè capaces terminandi per ſe motum, ſemper & in exercitio terminare illum: cùm evidens ſit plura accidentia connaturalia produci in inſtanti generationis, quæ tamen abſolutè fieri poſſent per alterationem. Itaque ſolum aſſerimus poſſe ad plures qualitates eſſe, per ſe motum alterationis, ſicut & ad *vbi* motum localem, ſeu progreſsivum.

23 *ET* Probatur breviter quò ad vtrumque membrum: Quia in qualitate & *vbi* poſſunt concurrere omnes conditiones requiſitæ ad ſtrictum motum. Primò enim habent latitudinem intenſionis, extenſionisve percurrendam. Secundò præſupponunt ſubiectum in actu pro aliquo inſtanti temporis; vt quando aqua calefit, alteratio quæ in ea recipitur, præſupponit realiter aquam in ſuo eſſe; & motus progreſsivus præſupponit vivens completum ſaltem pro inſtanti præcedenti. Tertiò inter qualitates eſt ſtricta contrarietas, & inter vnum & aliud *vbi* eſt vt minimùm contrarietas latè accepta, qualiter inter locum ſurſum ac deorſum: quam ſufficere ad ſtrictum motum, ſupra loquendo de quantitate dictum eſt. Denique, tam alteratio, quàm progreſsio ex vno in alterum locum, ſunt motus ſucceſsivi, vt ad ſenſum patet. Poteſt igitur ad qualitatem, & *vbi* dari motus per ſe.

24 *SED* Tamen adhuc difficultas eſt, ad quas ſpecies qualitatis ſit motus per ſe. Et circa primam, notandum eſt in eâ quaſdam qualitates eſſe corporeas, vt ſanitatem & ægritudinem; quaſdam verò ſpirituales, vt ſcientiam & virtutes. Rurſus ex corporalibus, quædam præcipuè ordinantur ad eſſe, & ſubinde ad operandum, vt ſanitas: quædam verò principaliter ad operandum, vt habitus omnes materiales recepti in ſubiecto corporeo. Deinde ex qualitatibus ſpiritualibus, aliquæ ſunt in intellectu, & vnico actu adquiri poſſunt; aliæ verò in voluntate, & pluribus actibus generantur.

25 *LOQVENDO* Igitur de qualitatibus primæ ſpeciei, quæ principaliter ordinantur ad operandum, ſive eæ ſpirituales ſint, ſive materiales, dicendum eſt non terminare per ſe motum; terminare tamen actionem productivam per ſe. Prior pars pro-

probatur: Quia nomine motus in præſenti ab Ariſtotele, cæteriſque Philoſophis, non accipitur quævis mutatio, ſed phyſica, qua producitur terminus corruptivus, ſeu conſervativus compoſiti phyſici, ſeu entis naturalis, conſtantis materia & forma. Sed ad qualitates ex primario fine operativas, quales ſunt omnes habitus ſpirituales materialeſque, non terminatur per ſe aliqua mutatio phyſica, quâ ſcilicet producatur terminus corruptivus, vel conſervativus compoſiti phyſici, ſeu entis naturalis, conſtantis materia & forma. Igitur ad prædictas qualitates non datur per ſe motus. Probatur minor: Quia prædictæ qualitates nec ſunt corruptivæ, nec conſervativæ compoſiti phyſici quo ad principia naturalia, quibus intrinſece conſtat. Sive enim habeat ſpirituales, materialeſve habitus in potentijs receptos, virtutis, aut vitij, non ideo corrumpitur, aut conſervatur in ſuo eſſe naturali; cùm eæ qualitates non ordinētur ex primario fine ad eſſe, ſed tantum ad operandum; ideoque non ſunt qualitates phyſicæ, ſed intellectuales, aut morales, &c.

26 *POSTERIOR* Pars probatur: Quia prædictæ qualitates, licèt nō terminent motum phyſicum, vt probatum eſt, habent omnes conditiones requiſitas, vt terminent actionem per ſe. *Primò* namque habent latitudinem aliquam intenſionis percurrendam, ideoque intenduntur & remittuntur. *Secundò* præſupponunt ſubiectum in actu, non ſolum ſubſtantiali per formā, ſed etiam accidentali per virtutē operativam. *Tertiò* habent contrarium propriè dictum: ſcientia enim propriè contrariatur errori, & vitium virtuti, neque alterum in duobus extremis inducitur quin alterum, ſi præexiſtebat, conatu oppoſito excludatur. Denique, quod caput eſt, potentia operatrix medijs actionibus ſpiritualibus intellectus voluntatiſque, ac materialibus ſenſuum internorum externorumque per ſe conatur, & ſæpe inſiſtit, vt prædictos habitus adquirat, quibus maximè perficitur in operando, aut aſſiciatur erga obiecta delectabilia. Ergo ad prædictas qualitates datur actio per ſe, aut ſaltem dari poteſt, vbi prædictæ conditiones concurrunt.

27 *LOQVENDO* Autem de qualitatibus præcipuè ordinatis ad eſſe, vt ſanitate, ægritudine, pulchritudine, &c. aliter ſentiendum eſt Ariſtoteli *infrà lib.* 7. ex profeſſo probanti ad illas non eſſe per ſe motum. Pro cuius intellectu nota, ſanitatem nihil aliud eſſe, quàm debitam commenſurationem humorum, qui ſunt in animali: contrà verò ægritudinem eſſe diſſonantiam eorundem humorum. Similiter & pulchritudo nihil aliud eſſe cenſetur, quam proportio omnium membrorum, accidentiumque hominis. Quare nec ſanitas exiſtimanda eſt realiter ſuperaddita, aut diſtincta a quatuor primis qualitatibus, vt aliqui volunt; ſed indiſtincta ab ijs vt debitè commenſuratis inter ſe; nec pulchritudo cogitanda eſt quid diverſum a membris accidentibuſque hominis, prout inter ſe proportionatis. Sic etiam harmonia, ſeu concentus vocum non eſt quid aliud, quam voces in quantùm ordinatæ. Idem proportionaliter dicendum de ægritudine, deformitate, &c.

28 *EX* His patet non dari per ſe motum ad ſanitatem, pulchritudinem, &c. Quia nunquam adquiritur, vel deperditur ſanitas v. g. niſi propter adquiſitionem, deperditionemve alicuius ex primis qualitatibus, a quibus indiſtinctæ ſunt. Sanitas enim deperditur propter exceſſum caloris, vel defectum humidi, aut frigidi, & adquiritur vice verſa propter remiſsionem caloris, augmentumque frigidi, aut humidi. Ergo motus ille frigefactionis, & calefactionis, in quantum talis, non terminatur per ſe ad ſanitatem vt ſanitas eſt; ſed ad calorem, & frigus. Poterit quidem motus ille ſub denominatione ſecundaria ſibi & acceſſoria, ſanationis terminari ad ſanitatem vt ſanitas eſt: ſed tamen ſub ratione primaria, quæ eſt frigefactionis & calefactionis, non tendit per ſe, niſi ad frigus & calorem animalis intendendum aut remittendum. Ergo licèt detur motus per ſe ad frigus, vel calorem animalis, non verò ad ſanitatem, vt ſanitas eſt. Eadem porrò ratio adaptari poteſt proportione quadam ægritudini, pulchritudini, &c. Quare ſicut ſanitas & ægritudo non habent latitudinem & contrarietatem diſtinctam realiter a latitudine & contrarietate primarum qualitatū, ſed ſolùm ratione; ſic etiam terminant motum, non realiter, ſed ſola ratione diſtinctum.

29 *IAM* De ſecunda ſpecie qualitatis loquendo, certum eſt non dari motum per ſe ad illam: quia potentia naturalis producitur ſimul cum natura tanquam terminus ſecundarius generationis, atque ex hoc capite non terminat motum, imò neque actionem per ſe. Si quid per ſe terminat, illud eſt mera & ſimplex emanatio

à natura, quæ non eſt ſtricta actio, & multo minùs attingit rationem motus. Vnde neque ad aſperum & lene, molle & durum, datur per ſe motus, quoties illæ qualitates ſpectant ad ſpeciem potentiæ; id eſt, quoties ſunt in ſubiecto connaturaliter, & iuxta ipſius complexionem: quia tunc producuntur ſecundario ac ſimul cum natura. Si autem ſint adventitiæ, & acquirantur poſtea præter exigentiam naturalem ſubiecti, ſpectabunt ad ſpeciem paſsibilis qualitatis, & poterunt terminare motum per ſe.

30 *CIRCA* Tertiam ſpeciem notandum quaſdam qualitates paſsibiles eſſe ſenſibiles; illas, ſcilicet, quæ ſunt obiecta ſenſuum; alias vero ſpirituales, vt iram, gaudium, &c. non quia ſtrictè loquendo immateriales ſunt, ſed quia primò ac per ſe non percipiuntur ſenſu aliquo exteriori & materiali, & quia quoddammodo pendent ex motione aliqua voluntatis, quæ potentia ſpiritualis eſt. Loquendo igitur de his poſtremis certum eſt ad illas non eſſe per ſe motum, quia non producuntur motu phyſico; ſed vel ſunt ipſe motus ſpiritualis appetitus, vel aliquid cauſatum ab illo. Quare Ariſtoteles *infrà lib. 7.* docet ad qualitatem tertiæ ſpeciei eſſe per ſe motum, dummodo tamen illa ſpiritualis non ſit. Neque obſtat quaſdam ex his qualitatibus cauſari per motum phyſicum, vt quando ira oritur ex aſcenſu ſanguinis ad cor. Nam adhuc tunc qualitates iſtæ non cauſantur immediatè per talem motum phyſicum, ſed ſolùm ab appetitu vel aliquo eius actu, qui motus phyſicus non eſt.

31 Si autem ſermo ſit de ſenſibilibus qualitatibus eiuſdem tertiæ ſpeciei, non ad omnes illas datur per ſe motus. Lumen nanque eſt qualitas ſenſibilis tertiæ ſpeciei, cùm ſit obiectum viſus; & tamen illud natura ſua non producitur per motum; ſed per ſolam mutationem, quia nullum habet contrarium, & quoddammodo imitatur qualitates ſpirituales in eſſe & produci, quia dependet in conſervari à corpore luminoſo, ſicut qualitates productę ab actibus voluntatis pendent ab ipſa voluntate. Alię verò qualitates ſenſibiles ſpeciei huius ſive primæ, vt calor, frigus, ſiccitas, & humiditas; ſive ſecundæ, quę ex primarũ permixtione reſultãt, vt colores, ſapores, odores, aliæque ſimiles, terminant motum per ſe: quia ſunt accidentia phyſica, quæ habẽt latitudinem percurrendam, contrarietatemque inter ſe, & præterea præſupponũt ſubiectum in actu. Igitur habent omnes conditiones requiſitas vt per ſe terminent motum intenſionis & remiſsionis.

32 *DICES*: Ideo ſupra probavimus ad ſanitatem & pulchritudinem non dari per ſe motum, quia præſupponunt primas qualitates, ex quarum proportione aut improportione cauſantur. At etiam ſecundæ qualitates, vt color & ſapor, præſupponunt primas, ex quarum mixtione cauſantur. Ergo neque ad huiuſmodi qualitates ſecundas datur motus per ſe. *RESP.* Negando conſequentiam & paritatem: quia ſanitas v. g. & ægritudo, non ſunt quid realiter diſtinctum a primis qualitatibus, vt proportionatis inter ſe, & ideo ſolùm producuntur eodem motu, quo primæ qualitates, addita ſolùm extenſione quadam: at vero ſecundæ qualitates paſsibiles, vt odor, ſapor, & color, ita reſultant ex mixtione primarum qualitatum, vt ab iis realiter diſtinguantur, exigantque motum alium terminatum ad ipſas, præter motum, quo per ſe intenduntur aut remittuntur primæ qualitates. Excipe tamen ſonum, qui eſt qualitas ſenſibilis, vtpote obiectum auditus; & non componitur ex primis activis ac paſsivis. Etenim ad illum non datur per ſe motus alterationis; quia producitur motu locali per ſe terminato ad ſolùm *vbi*, exindeque reſultat; veluti cum cauſatur ex motu linguæ, aut colliſione duorum corporum ſolidorum.

33 *CIRCA* Quartam ſpeciem qualitatis, ſcilicet, formam & figuram, negamus dari per ſe motum ad illam, defectu latitudinis percurrendæ. Sunt namque indiviſibiles ſicut numeri, quibus ſi vel minimum detrahas, totam numeri ſpeciem diſſolves. Quare licèt ſanitas prout ratione diſtincta a primis qualitatibus terminet eundem motum alterativum, ſecundùm expreſsionem eidem ſuperadditam, quia ſanitas prout ratione diſtincta à primis qualitatibus concipitur cum extenſione quadam ſeu latitudine in propria linea; ſecus contingit in forma & figura, quia ſecundùm propriam expreſsionem non important aliquam latitudinem. Adde etiam, figuram non intendi per ſe a motu, ſed reſultare ex vltimis ſuperficiebus, quæ fiunt per augmentationẽ, aut motum alterius ſpeciei. Quare de primo ad vltimũ cõcluditur ſolum ad primas & ſecundas qualitates tertiæ ſpeciei dari

per

per ſe motum phyſicum alterationis; cùm prima, ſecunda, & quarta ſpecies excluſæ fuerint.

34 *OBIICIES.* Qualitates tertiæ ſpeciei, neque ſecundum ſe, neque ſecundùm gradus intenſionis & remiſsionis, poſſunt terminare per ſe motum. Ergo cũ aliunde qualitates primæ, ſecũdæ, ac quartæ ſpeciei nequeant terminare motum per ſe, ad nullam qualitatem dabitur per ſe motus. Probatur antecedens, quò ad primam partem: quia qualitas tertiæ ſpeciei ſecundùm ſe præſcindit à latitudine graduali, ac proinde non habet latitudinem neceſſariam ad terminandum motum. Quò ad ſecundam partem ſuadetur: Quia qualitates ſecundùm latitudinem gradualem ſolum poſſunt terminare motum intenſionis & remiſsionis, non vero alterationis, qui ab iis ſpecie diſtinguitur. *CONFIRM. I.* Si ad paſsibilem qualitatem datur motus alterationis per ſe, etiam dabitur ad ſpeciẽ potentiæ & impotentiæ, formæ & figuræ; quia potentia robuſta, quodammodo contraria eſt infirmæ, & figura recta curvæ, & vtraque habet latitudinem percurrendam ac præſupponit ſubiectum in actu, non minùs, quam paſsibilis qualitas. Conſequens autem abſurdum eſt, & contra doctrinam præcedentem. Ergo & illud ex quo ſequitur. *CONFIRM. II.* Calor in igne perfectiſsimus eſt, & tamen in illo non terminat aliquem alterationis vel intenſionis motum; ſed producitur in inſtanti. Ergo & cæteri calores minùs perfecti non terminant motum per ſe: quia perfectio, quæ negatur calori omnium perfectiſsimo non debet concedi caloribus minùs perfectis.

35 *RESP.* Negando antecedens quò ad vtranque partem: Quia licèt paſsibilis qualitas ſecundùm ſuam eſſentiam, & primariam rationem, non habeat latitudinem; habet tamen capacitatem ad illam intra propriam ſphœram, penes diverſos gradus activitatis. Id autem ſufficit, vt quoties aliæ conditiones cocurrunt, poſsit terminare motum alterationis in prima ſui productione: vt patet in aquà, vbi recipit primum caloris gradum ab igne. Tũc enim verè ad primum caloris gradum datur per ſe motus alterationis, diſtinctus à motu intenſionis ac remiſsionis, in quo id adhuc evidentius cernitur. *AD I. Confirm.* negatur ſequela: tum quia potentia & impotentia, forma & figura non habẽt latitudinem intra propriam ſphœram; tum quia potentia reſultat ex actione productiva naturæ; tum denique quia figura, eſto habeat contrarium quoddammodo, non inſpicitur ab aliquo motu per ſe, ſed reſultat ex vltimis ſuperficiebus, quæ fiunt per motum alterationis, vel alterius ſpeciei. *AD II. Confirm.* conceſſo antecedente negatur conſequentia: quia terminare per ſe motum non eſt penſandum ex maiori perfectione alicuius qualitatis, ſed ex eo quòd habeat conditiones requiſitas ad motum. quæ quidem non inveniuntur in calore vt octo, vbi primo producitur ſimul cum igne, quia tunc fit in inſtanti, & ſecundario ad productionem ignis. Poteſt autem alibi paſsim produci per ſe, & non ad reſultantiam alterius, ac tunc terminare per ſe motum. Sicut licèt quantitas magna producta ſimul cum aliqua ſubſtantia in inſtanti à Deo, non terminet per ſe ac primario actionem productivam, ſed ſecundario tantùm; poteſt nihilominus eadem, aut alia minor in alia hypotheſi terminare per ſe motum augmentationis.

36 *OBIICIES II.* Contra alteram Aſſerti partem, quà dicimus dari per ſe motum localem ad *vbi*. Id autem videtur falſum. *Primò*, quia ex ſententia Philoſophi in præſenti ad relationem no eſt per ſe motus. Sed *vbi* eſt relatio. Ergo ad *vbi* no datur per ſe motus. *Secundò*. Si enim quiſquam motus eſſet ad *vbi*, maximè localis. Hic autem non eſt per ſe ad *vbi*, ſed ad locum, qui producitur eo motu, & diſtinguitur ab ipſo *vbi* vt communiter traditur. *br. 4. præced.* Ergo ad *vbi* nullus eſt per ſe motus. *Tertiò*, quia quandò corpus aliquod movetur circulariter, vt cœlum, non movetur à contrario in contrarium, ſed in idem. Ergo ſaltem ille motus non habet ex parte termini contrarietatem requiſitã. *Quartò.* Mobile, quod motu propriè dicto movetur, debet eſſe partim in termino *à quo* & partim in termino *ad quem*: quia ſi ſolum eſſet in priori, nondum moveretur; ſi autem ſolùm in poſteriori, iam fuiſſet motũ, & actu non moveretur. At mobile ſecundùm locum non eſt partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: quia ſi moveatur à loco ſurſum ad locum deorſum cùm hæc loca nimiùm diſtent inter ſe, nequit mobile ſimul eſſe in vtroque. Ergo mobile ſecundum locum nõ movetur motu propriè dicto: ac proinde ad vbi non eſt per ſe proprius motus.

37 *HÆC* Tamen levia ſunt. *Ad I.* negatur minor: quia *vbi* non eſt relatio prædicamentalis, ſed tranſcendentalis, & entitas abſoluta, vt in Metaphyſica dicemus. *Ad II.* relicta doctrina aliorum opinan-

ſtantium *vbi* non diſtingui realiter à loco, & ſtatuta oppoſita, quia *vbi* eſt in corpore contento, locus autè in corpore continente; negatur minor. Motus enim localis per ſe tendit ad terminum, quem per ſe producit. Non producit autem locū, vtpotè iam præexiſtentem; ſed ipſum *vbi*. Si autem aliquando producitur locus, vt quando lapis proijcitur in aërem, cuius partes erant continuæ, & non continebant aliud corpus; locus ille nō producitur per motum qui ſubſequatur in aëre, ſed per motum aëris, qui per ſe ad *vbi* eiuſdem aëris terminatur, & per accidēs ad locum, ratione cuius aër dicitur continere locatum. *Ad III.* nego antecedens: Quia quamvis cœlum circulariter moveatur ab eodem in idem ſecūdùm rem & materialiter; non tamen formaliter & ſecundùm eaſdem rationes. Idem namque punctum circunferentiæ in quantum eſt principium, habet rationem termini *à quo* motus; & in quātùm finis, eſt terminus *ad quem*: ac proinde ſufficiens contrarietas reperitur in motu circulari ad rationem ſtricti motus; licet minima, ſi comparetur contrarietati aliorum. Nec tamen ideo eſt minùs perfectus alijs motibus, ſed potiùs perfectior, cùm perpetuus, ac omniū regulariſsimus ſit. *Ad IV.* nego minorem: quia medium inter duo extrema eſt quoddammodo vtrunque extremū prout habet convenientiam cum vnoquoque illorum: ſicut vox media dicitur acuta per comparationem ad gravem, & gravis relatè ad acutā; ſimiliterque color fuſcus relatè ad album dicitur niger, & relatè ad nigrum albus, vt docet D. Thom. in præſenti *lect.* 1. Medium igitur, ſive diſtantia, per quam tranſit mobile localiter, ſi comparetur ad *vbi* ſurſum cenſetur eſſe in *vbi* deorſum, & è contra: ac proinde partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*. Et quidem licèt vtrunque *vbi* longiſsimè inter ſe diſtet, adhuc in ipſo progreſſu motus evidens eſt, poſſe aſsignari terminum *à quo*, & *ad quem*, partialem ac proximum, dividendo motū, ſaltē per intellectum, in varias partes; quia ad locum valde diſtantem non poteſt ſubitò deveniri per motum.

38 *IAM* Verò de cœteris omnibus prædicamentis breviter indicandum eſt non dari ad illa per ſe motum, quæ eſt vltima Aſſerti pars. De Subſtantia quidem oſtenſum eſt prope finem ſectionis præcedentis. *De Relatione* autem prædicamentali patet, quia vel diſtinguitur realiter à fundamento, vel non, iuxta varias opiniones alibi examinandas. Si primum aſſeratur, ſolùm reſultat ad poſitionem fundamenti & termini; atque adeo non modò non terminat motum phyſicum per ſe, verum neque actionem ſtrictè dictam. Si autem ſecundum ſupponatur; adhuc relatio, vt relatio prædicamentalis eſt, non producitur per ſe primò ſub ea denominatione, ſed penes entitatem abſolutam fundamenti, vt abſolutam: vt ſuprà de ſanitate & ægritudine dictum eſt. Nunquam ergo ad relationem prædicamentalem ſub ratione talis datur per ſe motus. *De Actione* quoque idem tradit Philoſophus pluribus in præſenti *cap.* 2. quorum ſumma fere eſt, quia ſi ad actionē datur per ſe actio, cùm eadem ratio ſit de priori actione, & alia, aut dabitur proceſſus in infinitum, aut negandum eſt vniverſim quod ad actionē detur per ſe actio. *De Paſsione* idem planè evincitur, quia per ſe non intenditur à natura, ſed eſt purum medium, quo terminus perfectivus recipitur in paſſo. *De Quandò* etiam probatur: quia vel eſt idem realiter cum tēpore, ad quod nullus eſt per ſe motus; vel reſultat ab exiſtentia rei in tempore, atque adeò per ſe nō producitur. *De Situ* maior difficultas eſt nam videtur aliquis per ſe moveri ad ſedēdum, vel ſtandum: ſicuti & de Habitu, quia movetur quis ad hoc vt calceatus, vel veſtitus, aut armatus ſit. At idem de ijs, ac de modò excluſis à motu per ſe, dicendum eſt: quia *Situs* aut eſt idem realiter cum *Vbi*, aut ipſum ſecundariò comitatur, vt terminus ad quem extenditur motus localis ex conſequenti: ac proinde non terminat diſtinctum motum, imo neque actionem, vt nuper de relatione diximus. *De Habitu* etiā negandum terminare per ſe motum phyſicum, ſeu naturalem: quia eſſe veſtitum, armatum, calceatumve, eſt quid artificiale, ac proinde ſolùm aptum vt per ſe terminet artificialem motum; non verò naturalem, de quo Ariſtoteles alijque Philoſophi in præſenti locuntur. Vera itaque eſt Ariſtotelis ac D. Thomæ ſententia docens ad nullum ex decem prædicamentis dari per ſe motum, niſi ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Quam eandem doctrinam de qualitatibus tertiæ ſpeciei terminantibus motum alterationis repetit Ariſtoteles *lib.* 7. *infrà cap.* 3.

SECTIO QVARTA.

Quædam dubia minoris notæ circa vnitatem, ſpecificationem, & contrarietatem motuum, breuiter expediuntur.

39 DVBITABIS I. *A quo deſumat motus ſuam vnitatem ſpecificam?* RESP. deſumere illam à termino *ad quem* tendit, non verò à termino *à quo*. Ita Ariſtot. *hoc lib. 5. cap. 4. textu 35.* vbi omnes dealbationis motus aſſerit eſſe vnius & eiuſdem ſpeciei, quia terminus *ad quem* illorum omnium eſt eadem albedo ſecundùm ſpeciem, quanquam ſœpe procedant à diuerſis terminis *à quibus*; vt à colore fuſco, pallido, vel cæruleo, in album. Conſentit D. Thom. *ibid. lect. 6.* & communiter Philoſophi. Ratio eſt: Quoniam omnis via inter duos terminos, accipit vnitatem ſpecificam ab illo, quem per ſe primò reſpicit. At motus eſt quædam via inter duos terminos, nempe, *à quo*, & *ad quem*; reſpicitque primò terminum *ad quem* & non terminum *à quo*; ſiquidem deſerit iſtum, vt accedat ad illum. Igitur motus accipit ſuam vnitatem ſpecificam à termino *ad quem*, non autem *à quo*.

40 HOC verò non ita intelligendum eſt, vt motus ſpecificetur à termino *ad quem* conſiderato materialiter, & in eſſe entis: ſed formaliter, ſiue in eſſe termini; ſcilicet, quatenus exprimit modum ac medium attingibilitatis, rationemque illam formalem, ſub qua motum terminat. Sic etiam accidit in obiectis omnium potentiarum, habituum, & ſcientiarum, atque in eadem concluſione materialiter conſiderata, quæ tamen ratione diuerſitatis mediorum, ſeu principiorum, per quæ attingitur, redditur multiplex ac diuerſa formaliter in eſſe ſcibilis. Ex qua doctrina ab Ariſtotele tradita in præſenti *textu 32.* & à D. Thoma *ibidem lect. 6.* ſponte ſua corruunt nonnullæ obiectiones fieri ſolitæ in præſenti. Lege Complutenſes *diſput. 22. quæſt. 2.* vbi rem optimè, vt aſſolent, expediunt, & nihil non ſolutum relinquunt, ſicut & circa dubitationes ſequẽtes.

41 DVBITABIS II. *Vnde poſſit debeatque accipi vnitas numerica motus?* RESP. illam ſolum deſumi ex vnitate mobilis, termini, ac temporis. Ita Ariſtot. *hic textu 34.* ac D. Thom. *lect. 7. & 8.* cœterique Philoſophi communiter. Ratio eſt: Quia cùm motus ſit vnus per continuationem, illa exiguntur & ſufficiunt ad vnitatem numericam motus, quæ exiguntur & ſufficiunt ad illius continuationẽ. Ad hanc verò exigitur ſufficitque vnitas mobilis, termini, ac temporis. Ergo & ad vnitatem numericam motus. Probatur minor ſeorſim quò ad ſingulas partes. Quo ad primam quidem: nam accidentia quæ non ſunt in eodem ſubiecto, ad ſummum poſſunt eſſe contigua, non autem continua. Ergo ad continuationem motus, ſiue vt ille continuus ſit, exigitur identitas, ſeu vnitas mobilis, quod habet rationem ſubiecti. Quò ad ſecundam verò partem ſuadetur: quia cum terminus motus, qui ſemper eſt aliquod accidens, vt vbicatio, quantitas, vel qualitas, recipiatur in mobili, ſiue ſubiecto motus, & nequeant plura accidentia ſolo numero diſtincta recipi in eodem ſubiecto; conſequens eſt, vt ſicut ad continuationem motus requiritur vnitas numerica mobilis, ita etiam exigatur vnitas numerica termini. Tertia denique pars de tempore, probatur: nam vt motus continuetur, neceſſum eſt continuari intrinſecam eius durationem. At tempus eſt duratio intrinſeca motus, & huius numero motus hoc numero tempus. Ergo vt motus continuetur numericè, neceſſum eſt continuari idem numero tempus. His autem tribus poſitis, nihil aliud præterea videtur deſiderari poſſe, vt motus ſit continuus & vnus numero. Ergo ex ijs tribus ſolùm deſumitur vnitas numerica motus continui.

42 DVBIT. III. *Vnde ſumatur contrarietas motuũ?* RESP. cum Ariſtot. *in præſenti cap. 5.* & D. Thom. *lect. 8.* alijſque omnibus, deſumi illam per ſe primò ex terminis *ad quos*. Ratio eſt: quia ſicut vnitas & diſtinctio motuum, ita etiam illorum contrarietas, ſequitur ſpecificationem eorundem, veluti affectio propria. Cùm ergo ſuprà *num. 39.* oſtenſum ſit ſpecificationem motus deſumi à terminis *à quibus*, idem dicendum eſt de contrarietate. Quare calefactio & frigefactio deſumunt ſuam contrarietatem à calore & frigore oppoſitis inter ſe; ac motus ſursũ & deorſum ab vbicationibus contrarijs, altera in loco inferiori, altera in ſuperiori: idemque eſt proportionaliter de alijs ſimilibus. Verumtamen non propterea omnino excludendi ſunt termini *à quibus*: nam & ij valde conducunt, exiguntúrque omnino ad contrarietatem motus adæquatam. Cùm enim motus eſſentialiter verſetur inter duos terminos oppoſitos, *à quo*, & *ad quem*; vt in ijs

 con-

contrarietatem habeat, vterque exigitur terminus; quanquam ſolus alter illorum, ſcilicet, *ad quem*, ſpecificet formaliter. Ergo vt motus oppoſiti contrarietatem habeant ex omni capite, neceſſario requiritur terminus *à quo*.

43 *DVBIT. IV. An idem mobile poſſit moveri ſimul motibus contrarijs?* RESP. Poſſe, ſi vterque, aut ſaltem alter illorum, conveniat illi per accidens. Id patet in corpore Chriſti D. quod movetur in Euchariſtia per accidens quoties per ſe moventur ſpecies ſacramentales; & ſimul ſub vna hoſtia conſecrata movetur ſurſum, ac ſub alia deorſum; vel recto & obliquo motu ſimul, iuxta diverſorum Sacerdotum arbitrium. Similiter & nauta poteſt ac ſolet moveri per ſe, ſive ambulando, verſus Orientem, ac ſimul per accidens moveri à navi verſus Occidentem. Poteſt quoque idem mobile penes diverſas ſui partes ſubire motus contrarios ſimul: vt idem homo poteſt eodem tempore calefieri ab igne in vna manu, & in alia infrigidari à nive.

44 Si autem ſermo ſit de eodem mobili ſecundùm eandem partem, ac per ſe loquendo, dicendum eſt illud non poſſe ſubire ſimul contrarios motus: vt ſatis indicat Ariſtoteles *in præſenti cap.6.* ferè per totum, vbi agit de motibus contrarijs, veluti incompoſsibilibus, ac proinde repugnantibus ſimul eidem mobili, vt *ibidem* exponit S. Thomas. Ratio autem eſt: Quia aperta videtur eſſe repugnantia, ſaltem naturaliter, in eo quòd idem mobile per ſe accedat ad aliquem terminum, & ſimul ab eo recedat per ſe. At omne mobile per vnicum motum accedit per ſe ad aliquem terminum, & ratione motus contrarij recedit ab illo per ſe; vt patet in motibus ſurſum & deorſum; in calefactione & infrigidatione; in augmentatione & diminutione. Ergo & aperta repugnantia eſt in eo, quod idem mobile per ſe ac ſimul moveatur contrarijs motibus. Id etiam patet à pari actuum amoris & odij, qui nequeunt eſſe ſimul in eadem voluntate circa idem obiectum; ſicut neque erroris & ſcientiæ in eodem intellectu: quoniam ſunt motus ſpirituales contrarij.

45 *DVBIT. V. Vnde oriatur diſcrimen motus tardi à veloci?* RESP. de hoc opportuniùs, & ex profeſſo agendum *infrà lib.7.*

IN

IN LIBRVM SEXTVM PHYSICORVM.

HOC libro potiſsimùm curæ eſt Ariſtoteli compoſitio continui, tam permanentis, quàm ſucceſsivi. Quæ plures difficultates adeò ingentes & inſuperabiles continet, vt quancunque opinionem quis eligat, inextricabilibus pene adſtringatur nodis. Quemadmodum verò magna flumina in diverſa quaſi brachia diſſecari ſolent induſtriâ artis, ne indignantia pontem, vt olim Araxes, nequeant ſicco pede tranſmitti; ſic ego totam controverſiam circa compoſitionem continui, in varias diſputationes ſecare volui, quò ſic faciliùs, aut ſaltem tolerabiliùs percurratur.

DISP. TRIGESIMATERTIA:

DE VNITATE CONTINVI PERMANENTIS.

An probabiliter ſuſtineri poſsit media aliqua opinio inter Ariſtotelem & Zenonem, quia nec continui vnitas reſultet ex partibus actu diſtinctis, nec ex puris indiviſibilibus?

Num. 1. AGGRESSVRI *Difficile aliquod & periculoſum certamen, ſolent faciliora quadam exercitamenta præmittere, & viam ſibi parare, ne inexpertos diſsidium longè gravius inveniat. Porrò cum diſputationibus ſequentibus exagitanda ſit graviſsima illa inter Ariſtotelē & Zenonem (vt vulgo creditur) contentio circa compoſitionem & vltimam reſolutionem continui permanentis, quæ obruit penè omnium Philoſophorum ingenia; nunc oportet aliam faciliorem præmittere, & veſtigare an poſsit fortè media quadam via eſſe inter vtramque opinionē, quaſi inter Scyllam & Charybdim; vt neque continuum permanens componatur ex partibus actu exiſtentibus, diviſibilibuſque in infinitum, vt Ariſtoteles cenſuit; neque etiam ex ſolis indiviſibilibus, vt Zeno opinatus fertur, licèt falsò, vt alibi oſtendam. Habet locum diſputatio præſens* hoc lib. 6. cap. 1. & 2. & 9.

SECTIO PRIMA.

Opinio media negans omnem continui compoſitionem ex partibus; item alia excluens qualibet puncta, ſeu indiviſibilia; & vtriuſque argumenta.

2 VT Se eriperent ab intolerabili difficultatum voragine circa compoſitionem continui, in quâ exponenda vtrovis modo iuxta Scholam Peripateticam aut Stoicam, vel gigantes ingeniorum gemunt ſub aquis; viam novam excogitarunt Recentiores aliqui, negantes in continuo eſſe compoſitionem aliquam, ſive partes actu diſtinctas; aſſerentesque id vnum aliquid ſimplex eſſe, quod neq componatur ex partibus, neque ex indiviſibilibus. Authores huius opinionis refert ſuppreſſo nomine Collegium Complutenſe *in Phyſica diſput.* 25. *q.* 3. *§.* 2. Hurtadus *diſp.* 15. *ſect.* 1. Arriaga *diſput.* 16. *ſect.* 2. Spinula *diſput.* 14. *ſect.* 2. Eandemque olim in Curſu Philoſophico tradidit ex Noſtris Illuſtriſs. Silva.

3 *PROBATVR I.* Ex Ariſtotele 7. *Metaph. textu* 49. vbi ita loquitur: *Duo namque ſi actu, numquam ſunt vnum actu: ſicut ſi poteſtate duo fuerint, erunt vnum: vt v.g. dupla ex dimidijs poteſtate: actus enim ſeparat.* Vbi D. Thomas lect. 13. *Duo enim,* inquit, *quæ ſunt in actu, numquam ſunt vnū actu: ſed duo, quæ ſunt in potentia ſunt vnum actu: ſicut patet in partibus continui. Duo enim dimidia vnius lineæ ſunt in potentia in ipſâ lineâ duplâ, quæ eſt vna in actu; & hoc ideò, quia actus habet virtutem ſeparandi & dividendi.* Hinc autem conficitur argumentum. Si continuum conſtaret partibus actu diſtinctis, duo dimidia, ſeu duæ medietates vnius lineæ, non ſolùm eſſent in illâ in potētiâ, ſed etiam actu, quia diſtinctio ab actu provenit. At negant Ariſtoteles & D. Thomas duo dimidia vnius lineæ eſſe actu in ipſa, ſolumque concedunt in potentiâ exiſtere. Ergo negant in continuo partes actu diſtinctas.

4 *CONFIRMATVR* Ex eodem D. Angelico *in* 4. *diſt.* 10. *q.* 1. *art.* 5. *queſt.* 3. *ad* 1. vbi inquit: *Partes autem alicuius homogenei continui ante diviſionem non habent eſſe actu, ſed potentiâ tantùm; & ideo nullam habent vnitatem propriam in actu. Vnde in actu non eſt accipere ipſarum numerum, ſed potentiâ tantum.* At ſi actu exiſterent partes in continuo, non eſſent ſolùm potentia in illo, haberentque vnitatem propriam, quâ invicem diſtinguerentur, ac tandem eſſet accipere ipſarum numerum, vtpotè reſultantem ex collectione pluriū vnitatum realiter diſtinctarum. Dum ergo S. Thomas aſſerit in continuo homogeneo partes ſolùm in potentiâ eſſe, nullamque propriam vnitatem in actu habere, neque eſſe accipere ipſarum numerum; ſaltem in continuo homogeneo negat partes exiſtentes actu. Quare & 1. *Phyſic. lect.* 9. ad diſcriminis agnoſcere videtur inter totum heterogeneum & homogeneum, quod in priori partes actu exiſtāt, in poſteriori autē potentia tantùm. Ait enim: *Hoc autem intelligendum eſt de partibus exiſtentibus actu in toto, ſicut caro, nervus, & os exiſtunt in animali. Et per hoc excluduntur partes vnius continui, quæ ſunt potentiâ in ipſo.* Vbi manifeſtè eadem ſententia tradi videtur.

5 *PROBATVR* Secundò ratione. In continuo non ſunt partes actu diſtinctæ inter ſe. Ergo continuum actu non habet partes. Conſequentia eſt evidens: quia de de ratione partium, quæ ſunt actu tales, eſt quod actu inter ſe diſtinguantur. Antecedens probatur: Vt in continuo eſſent partes actu diſtinctæ inter ſe, deberent habere actu propriam vnitatem prædicamentalem, aut tranſcendentalem. At in continuo non habent actu propriam vnitatem prædicamentalem, aut tranſcendentalē. Ergo in continuo non ſunt partes actu diſtinctæ inter ſe. Maior patet: quia diſtinctio provenit ab vnitate, & diſtinctio actualis ab vnitate actuali. Propterea enim quælibet res diſtinguitur ab omni alia, quia eſt vna in ſe, vel tranſcendentaliter, vel prædicamentaliter, iuxta modum & genus in quo fuerit diſtinctio. Minor autem probatur quo ad primam partem: quia in quolibet toto continuo vnica eſt prædicamentalis vnitas, & non plures. In quantitate enim palmari non eſt duplex palmus, ſed vnicus prædicamentaliter. Vnde ex illo palmo, & alio ſeorſim exiſtente conſurgit numerus prædicamentalis binarius. Ergo in continuo vnius palmi v.g. non ſunt partes, quæ habeant actu propria, ſive diſtinctam vnitatem prædicamentalem. Sed neque etiam tranſcendentalem, quæ eſt ſecunda eiuſdem minoris pars. Nam vnum tranſcendens eſt paſsio entis præſuppoſiti, ac proinde vnitas propria tranſcendentalis in actu, eſt paſsio propria entis præſuppoſiti in actu. At in continuo palmari non ſunt partes, quæ habeant propriam entitatem in actu: quia in toto illo

eſt

eſt vnica entitas, ſicut & vna exiſtentia. Igitur in continuo palmari non ſunt partes, quæ habeant actu propriam vnitatem tranſcendentalem.

6 *RESPONDEBIS* Cum AA. ſententiæ adverſæ negando antecedens, & illius probationem: quia in quantitate palmari verè & actu ſunt duo ſemipalmi, habentes proprias vnitates, tranſcendentales ſaltem. Tranſcendentales quidem: nam quilibet ſemipalmus habet ſuam entitatē diſtinctam ab entitate alterius, vtpotè ſeparabilem ab illa; ac proinde & vnitatem tranſcendentalem propriam ab vnitate alterius palmi diſtinctam, quia hæc ſequitur entitatem. Quod verò additur, in continuo palmari eſſe vnicam entitatem; ſi accipiatur de entitate ſimplici, falſum eſt: de compoſitâ verum. Vnde ſolùm infertur, neutrum ex ſemipalmis dum intra palmū eſt, habere vnitatem completam actu, ſed partialem ſolùm, & cum aliâ integrantem vnum aliquod per ſe tale: quod ſufficit vt vnus ſemipalmus actu & in ratione partis diſtinguatur ab altero.

7 *SED* Argumentum adhuc perſiſtit & vrget. Diſtinctio enim vtriuſque ſemipalmi, nequit eſſe adhuc partialis & integralis, dum vterque intra palmum eſt. Non enim eſt diſtinctio duorum ſe habentium inſtar actus & potentiæ, vt patet: atque adeo ſiqua eſt, debet eſſe tanquam inter actum & actum. At vnius ſemipalmi ab alio, dum ſunt intra palmum, nequit eſſe diſtinctio tanquam inter actum & actum. Ergo nulla. Probatur minor. Diſtinctio inter actum & actum, non eſt materialis & numerica, ſed formalis & ſpecifica; quia provenit ab actu, à quo ſumitur differentia ſpecifica. At vnius ſemipalmi ab alio dum ſunt intra palmum, nequit eſſe diſtinctio formalis & ſpecifica, vt patet, cùm vterque in eadem formali ſpecie ſit. Ergo nequit eſſe vtriuſque diſtinctio tanquam inter actum & actum. Imò neque diſtinctio materialis & numerica videtur poſſe aſſignari inter vtrumque dum intra palmum eſt: quia diſtinctio materialis & numerica vtriuſque ſemipalmi vel ſumeretur a materia, vel à quantitate. At in quolibet palmo eſt vnica materia, & vnica quantitas; non verò duplex. Ergo inter vtrumque ſemipalmum non datur actu diſtinctio, adhuc materialis & numerica. Reſtat igitur, vt inter vtrumque nulla ſit actualis ac realis diſtinctio; ac proinde vt in continuo homogeneo non ſint actu partes. Quo poſito omnes difficultates, quæ inferuntur contra ſententiam Ariſtotelis, ponentis continuum compoſitum ex partibus actu diſtinctis, iiſque in infinitum diviſibilibus, facilè præcludentur.

8 *VERUM* Cùm aliunde Zeno & omnes Stoici ponant continuum immediatè compoſitum ex indiviſibilibus, in eaque opinione tuendâ ſit plurimum difficultatis propter plurima argumenta phyſica & mathematica in oppoſitum, alij Authores vt ea vitarent, negarunt in continuo permanenti quæcumque indiviſibilia. Vnde negatis partibus ex vno capite cōtra Peripateticos, & ex alio indiviſibilibus cōtra Stoicos, vtriuſque ſcopuli extremè oppoſiti pericula devitantur.

9 *PORRO* indiviſibilia nulla eſſe in continuo, ſuadetur ſic. Si enim in eo exiſterent, deberent eſſe diſtincta realiter à quantitate, quia hæc extenſa & diviſibilis eſt. nequit autē eadē entitas eſſe ſimul diviſibilis & indiviſibilis. At non datur, neq; opus eſt dari indiviſibilia à quātitate diſtincta realiter. Nulla ergo in continuo indiviſibilia exiſtunt. Probatur minor quò ad ſecundam partem, ex qua prima colligitur. Si enim quantitati opus eſſet indiviſibilibus, maximè vt continua & extenſa eſſet. Sed ad hoc quantitati opus non eſt indiviſibilibus. Ergo ad nihil. Probatur minor. Ablatis enim, ſive per intellectum, ſive in re, ſecundùm poteſtatem abſolutam, indiviſibilibus, adhuc quantitas maneret continua & extenſa. Scilicet maneret cum eſſentia quantitatis, quæ conſiſtit in extenſione & diviſibilitate. Ergo quantitati opus non eſt indiviſibilibus, vt ſit in ſe diviſibilis & extenſa.

10 *CONFIRMATVR.* Omnia puncta indiviſibilia, quæ cogitari poſſent in quantitate, vel eſſent copulativa extremorum, vel terminativa. At neutra ex his exiſtunt actu in quantitate. Ergo nulla demùm in ea ſunt actu indiviſibilia. Probatur minor quò ad priorem partem de punctis copulativis, ſeu continuativis. Si enim hæc actu exiſterent, deberent eſſe actu in linea, & linea ſimiliter in ſuperficie, & denique ſuperficies actu in corpore continuo. At hoc negat expreſsè Ariſtoteles 8. Phyſic. cap. 8. & 3. Metaph. cap. 5. vbi inquit ſuperficies non eſſe actu in continuo, ſed ſolùm poteſtate. Vbi D. Thomas: *Quæ autem dicta ſunt de ſuperficie, intelligenda ſunt in lineâ, puncto, & vnitate. Hæc enim in continuo non ſunt actu.* Quò ad poſteriorem verò partem de punctis terminativis, ſuadetur eadem minor. Si enim puncta termi-

tivas ac ſubſtantiales. *Secundò* præſupponit ſubiectum in actu, ſcilicet, totum vivens, antequam nutriatur. *Tertiò* datur aliqualis oppoſitio inter terminos poſitivos *à quo* & *ad quem*, ſcilicet, inter ſubſtantiam alimenti, & ſubſtantiam aliti. Denique, ne quid deeſſe videatur, nutritio eſt motus ſucceſsivus, vtpotè coexiſtens augmentationi ſucceſsivæ ſecundùm ſe totam. Ergo actio nutritiva eſt verus & ſtrictus motus, non minùs, quàm augmentatio.

RESP. Negando conſequentiam. Ad illius probationem nego minorem. Ad illius probationem nego nutritionem habere omnes conditiones requiſitas ad verum & ſtrictum motum. Deficit enim prima: quia ſubſtantia viventis per ſe & ratione ſui non habet latitudinem extenſionis, ſed ſolùm ratione quantitatis ſuperadditæ, & quidem extra propriam lineam ſubſtantiæ. Deficit etiam ſecunda: quia nutritio recipitur immediatè in materia, quæ non eſt ſubiectum in actu; cum tamen augmẽtatio in toto compoſito præexiſtente recipiatur. Deficit quoque tertia conditio, quia terminus *à quo* nutritionis immediatè non eſt ſubſtantia alimenti, ſed privatio partis ſubſtantiæ de novo adquiſitæ. Quare licèt nutritio ſit motus ſucceſsivus, non ideo eſt ſtrictus motus, ac proinde nec ſubſtantia terminat verum motum per ſe. Vide D.Thomam in præſenti *lect.3*.

SECTIO TERTIA.

Dari etiam per ſe motum ad Qualitatem; non tamen ad omnem, ſed ſolùm ad paſsibilem, ſeu tertiæ ſpeciei: ſimiliter & ad Vbi motum localem; nullum tamen præterea ad reliqua alia prædicamenta. Plura obſervatu digna notantur.

22 DICENDVM Secundò ad Qualitatem dari per ſe motum alterationis, ad *vbi* autem motum localem: cœterum neque ad ſubſtantiam, neque ad alia prædicamenta dari per ſe motum. Ita Ariſtotel. ac D.Thom. in præſenti, alijque communiter.

DE Qualitate non aſſerimus vniverſim terminare motum per ſe; cùm evidens ſit plures eſſe incapaces eius terminationis: vt patet in intellectu, ac voluntate, ſimiliterque in omnibus ijs qualitatibus, quæ inſeparabiliter comitantur naturam aliquam in primà ſui productione, tanquam eius proprietates. Hæ namque ſimul cum illa producuntur actione inſtantanea, cui repugnat ratio ſtricti motus. Nec præterea opus eſt omnes qualitates abſolutè capaces terminandi per ſe motum, ſemper & in exercitio terminare illum: cùm evidens ſit plura accidentia connaturalia produci in inſtanti generationis, quæ tamen abſolutè fieri poſſent per alterationem. Itaque ſolum aſſerimus poſſe ad plures qualitates eſſe, per ſe motum alterationis, ſicut & ad *vbi* motum localem, ſeu progreſsivum.

23 ET Probatur breviter quò ad vtrumque membrum: Quia in qualitate & *vbi* poſſunt concurrere omnes conditiones requiſitæ ad ſtrictum motum. Primo enim habent latitudinem intenſionis, extenſionitvè percurrendam. Secundo præſupponunt ſubiectum in actu pro aliquo inſtanti temporis; vt quando aqua calefit, alteratio quæ in ea recipitur, præſupponit realiter aquam in ſuo eſſe; & motus progreſsivus præſupponit vivens completum taliter pro inſtanti præcedenti. Tertiò inter qualitates eſt ſtricta contrarietas, & inter vnum & aliud *vbi* eſt vt minimùm contrarietas latè accepta, qualiter inter locum ſurſum ac deorſum: quam ſufficere ad ſtrictum motum, ſuprà loquendo de quantitate dictum eſt. Denique, tam alteratio, quàm progreſsio ex vno in alterum locum, ſunt motus ſucceſsivi, vt ad ſenſum patet. Poteſt igitur ad qualitatem, & *vbi* dari motus per ſe.

24 SED Tamen adhuc difficultas eſt, ad quas ſpecies qualitatis ſit motus per ſe. Et circa primam, notandum eſt in eà quaſdam qualitates eſſe corporeas, vt ſanitatem & ægritudinem; quaſdam verò ſpirituales, vt ſcientiam & virtutes. Rurſus ex corporalibus, quædam præcipuè ordinantur ad eſſe, & ſubinde ad operandum, vt ſanitas: quædam verò principaliter ad operandum, vt habitus omnes materiales recepti in ſubiecto corporeo. Deinde ex qualitatibus ſpiritualibus, aliquæ ſunt in intellectu, & vnico actu adquiri poſſunt; aliæ verò in voluntate, & pluribus actibus generantur.

25 LOQVENDO Igitur de qualitatibus primæ ſpeciei, quæ principaliter ordinantur ad operandum, ſive ex ſpirituales ſint, ſive materiales, dicẽdum eſt non terminare per ſe motum; terminare tamen actionem productivam per ſe. Prior pars pro-

probatur: Quia nomine motus in præſenti ab Ariſtotele, cæteriſque Philoſophis, non accipitur quævis mutatio, ſed phyſica, qua producitur terminus corruptivus, ſeu conſervativus compoſiti phyſici, ſeu entis naturalis, conſtantis materia & forma. Sed ad qualitates ex primario fine operativas, quales ſunt omnes habitus ſpirituales materialeſque, non terminatur per ſe aliqua mutatio phyſica, quâ ſcilicet producatur terminus corruptivus, vel conſervativus compoſiti phyſici, ſeu entis naturalis, conſtantis materia & forma. Igitur ad prædictas qualitates non datur per ſe motus. Probatur minor: Quia prædictæ qualitates nec ſunt corruptivæ, nec conſervativæ compoſiti phyſici quo ad principia naturalia, quibus intrinſece conſtat. Sive enim habeat ſpirituales, materialeſve habitus in potentijs receptos, virtutis, aut vitij, non ideo corrumpitur, aut conſervatur in ſuo eſſe naturali; cùm eæ qualitates non ordinentur ex primario fine ad eſſe, ſed tantum ad operandum; ideoque non ſunt qualitates phyſicæ, ſed intellectuales, aut morales, &c.

26 *POSTERIOR* Pars probatur: Quia prædictæ qualitates, licèt no terminent motum phyſicum, vt probatum eſt, habent omnes conditiones requiſitas, vt terminent actionem per ſe. *Primò* namque habent latitudinem aliquam intenſionis percurrendam, ideoque intenduntur & remittuntur. *Secundo* præſupponunt ſubiectum in actu, non ſolum ſubſtantiali per formã, ſed etiam accidentali per virtute operativam. *Tertiò* habent contrarium propriè dictum: ſcientia enim propriè contrariatur errori, & vitium virtuti, neque alterum è duobus extremis inducitur quin alterum, ſi præexiſtebat, conatu oppoſito excludatur. Denique, quod caput eſt, potentia operatrix medijs actionibus ſpiritualibus intellectus voluntatiſque, ac materialibus ſenſuum interiorum exteriorumque, per ſe conatur, & ſæpe inſiſtit, vt prædictos habitus adquirat, quibus maximè perficitur in operando, aut afficitur erga obiecta delectabilia. Ergo ad prædictas qualitates datur actio per ſe, aut ſaltem dari poteſt, vbi prædictæ conditiones concurrunt.

27 *LOQVENDO* Autem de qualitatibus præcipue ordinatis ad eſſe, vt ſanitate, ægritudine, pulchritudine, &c. aſſentiendum eſt Ariſtoteli *infrà lib.* 7. ex profeſſo probanti ad illas non eſſe per ſe motum. Pro cuius intellectu nota, ſanitatem nihil aliud eſſe, quam debitam commenſurationem humorum, qui ſunt in animali: contrà vero ægritudinem eſſe diſſonantiam eorundem humorum. Similiter & pulchritudo nihil aliud eſſe cenſetur, quam proportio omnium membrorum, accidentiumque hominis. Quare nec ſanitas exiſtimanda eſt realiter ſuperaddita, aut diſtincta a quatuor primis qualitatibus, vt aliqui volunt; ſed indiſtincta ab ijs vt debitè commenſuratis inter ſe; nec pulchritudo cogitanda eſt quid diverſum a membris accidentibuſque hominis, prout inter ſe proportionatis. Sic etiam harmonia, ſeu concentus vocum non eſt quid aliud, quam voces in quantùm ordinatæ. Idem proportionaliter dicendum de ægritudine, deformitate, &c.

28 *EX* His patet non dari per ſe motum ad ſanitatem, pulchritudinem, &c. Quia nunquam adquiritur, vel deperditur ſanitas v.g. niſi propter adquiſitionem, deperditionemve alicuius ex primis qualitatibus, a quibus indiſtinctæ ſunt. Sanitas enim deperditur propter exceſſum caloris, vel defectum humidi, aut frigidi; & adquiritur vice verſa propter remiſſionem caloris, augmentumque frigidi, aut humidi. Ergo motus ille frigefactionis, & calefactionis, in quantùm talis, non terminatur per ſe ad ſanitatem vt ſanitas eſt; ſed ad calorem, & frigus. Poterit quidem motus ille ſub denominatione ſecundaria ſibi & acceſſoria, ſanationis terminari ad ſanitatem vt ſanitas eſt: ſed tamen ſub ratione primaria, quæ eſt frigefactionis & calefactionis, non tendit per ſe, niſi ad frigus & calorem animalis intendendum aut remittendum. Ergo licèt detur motus per ſe ad frigus, vel calorem animalis, non verò ad ſanitatem, vt ſanitas eſt. Eadem porro ratio adaptari poteſt proportione quadam ægritudini, pulchritudini, &c. Quare ſicut ſanitas & ægritudo non habent latitudinem & cõtrarietatem diſtinctam realiter a latitudine & contrarietate primarum qualitatũ, ſed ſolùm ratione; ſic etiam terminant motum, non realiter, ſed ſola ratione diſtinctum.

29 *IAM* De ſecunda ſpecie qualitatis loquendo, certum eſt non dari motum per ſe ad illam: quia potentia naturalis producitur ſimul cum natura tanquam terminus ſecundarius generationis, atque ex hoc capite non terminat motum; imò neque actionem per ſe. Si quid per ſe terminat, illud eſt mera & ſimplex emanatio

à natura, quæ non eſt ſtricta actio, & multo minùs attingit rationem motus. Vnde neque ad aſperum & lene, molle & durum, datur per ſe motus, quoties illæ qualitates ſpectant ad ſpeciem potentiæ; id eſt, quoties ſunt in ſubiecto connaturaliter, & iuxta ipſius complexionem: quia tunc producuntur ſecundariò ac ſimul cum natura. Si autem ſint adventitiæ, & adquirantur poſtea præter exigentiam naturalem ſubiecti, ſpectabunt ad ſpeciem paſsibilis qualitatis, & poterunt terminare motum per ſe.

30 *CIRCA* Tertiam ſpeciem notandum quaſdam qualitates paſsibiles eſſe ſenſibiles; illas, ſcilicet, quæ ſunt obiecta ſenſuum; alias vero ſpirituales, vt iram, gaudium, &c. non quia ſtrictè loquendo immateriales ſunt, ſed quia primò ac per ſe non percipiuntur ſenſu aliquo exteriori & materiali, & quia quodammodo pendent ex motione aliqua voluntatis, quæ potentia ſpiritualis eſt. Loquendo igitur de his poſtremis certum eſt ad illas non eſſe per ſe motum, quia non producuntur motu phyſico, ſed vel ſuut ipſe motus ſpiritualis appetitus, vel aliquid cauſatum ab illo. Quare Ariſtoteles *infrà lib.* 7. docet ad qualitatem tertiæ ſpeciei eſſe per ſe motum; dūmodo tamen illa ſpiritualis non ſit. Neque obſtat quaſdam ex his qualitatibus cauſari per motum phyſicum, vt quando ira oritur ex aſcenſu ſanguinis ad cor. Nam adhuc tunc qualitates iſtæ non cauſantur immediatè per talem motum phyſicum, ſed ſolum ab appetitu vel aliquo eius actu, qui motus phyſicus non eſt.

31 Si autem ſermo ſit de ſenſibilibus qualitatibus eiuſdem tertiæ ſpeciei, non ad omnes illas datur per ſe motus. Lumen nanque eſt qualitas ſenſibilis tertiæ ſpeciei, cùm ſit obiectum viſus; & tamen illud natura ſua non producitur per motum, ſed per ſolam mutationem, quia nullum habet contrarium, & quodammodo imitatur qualitates ſpirituales in eſſe & produci, quia dependet in conſervari à corpore luminoſo, ſicut qualitates productę ab actibus voluntatis pendent ab ipſa voluntate. Aliç verò qualitates ſenſibiles ſpeciei huius ſive primæ, vt calor, frigus, ſiccitas, & humiditas; ſive ſecundæ, quę ex primarū permixtione reſultāt, vt colores, ſapores, odores, aliæquè ſimiles, terminant motum per ſe: quia ſunt accidentia phyſica, quæ habēt latitudinem percurrendam, contrarietatemque inter ſe, & præterea præſupponūt ſubiectum in actu. Igitur habent omnes conditiones requiſitas vt per ſe terminent motum intenſionis & remiſsionis.

32 *DICES*: Ideo ſupra probavimus ad ſanitatem & pulchritudinem non dari per ſe motum, quia præſupponunt primas qualitates, ex quarum proportione aut improportione cauſantur. At etiam ſecundæ qualitates, vt color & ſapor, præſupponunt primas, ex quarum mixtione cauſantur. Ergo neque ad huiuſmodi qualitates ſecundas datur motus per ſe. *RESP.* Negando conſequentiam & paritatem: quia ſanitas v. g. & ægritudo, non ſunt quid realiter diſtinctum à primis qualitatibus, vt proportionatis inter ſe, & ideo ſolùm producuntur eodem motu, quo primæ qualitates, addita ſolùm extenſione quadam: at vero ſecundæ qualitates paſsibiles, vt odor, ſapor, & color, ita reſultant ex mixtione primarum qualitatum, vt ab ijs realiter diſtinguantur, exigantque motum alium terminatum ad ipſas, præter motum, quo per ſe intenduntur aut remittuntur primæ qualitates. Excipe tamen ſonum, qui eſt qualitas ſenſibilis, vtpotè obiectum auditus; & non componitur ex primis activis ac paſsivis. Etenim ad illum non datur per ſe motus alterationis; quia producitur motu locali per ſe terminato ad ſolùm *vbi*, exindeque reſultat; veluti cum cauſatur ex motu linguæ, aut colliſione duorum corporum ſolidorum.

33 *CIRCA* Quartam ſpeciem qualitatis, ſcilicet, formam & figuram, negamus dari per ſe motum ad illam, defectu latitudinis percurrendæ. Sunt namque indiviſibiles ſicut numeri, quibus, ſi vel minimum detrahas, totam numeri ſpeciem diſſolves. Quare licèt ſanitas prout ratione diſtincta a primis qualitatibus terminet eundem motum alterativum, ſecundùm expreſsionem eidem ſuperadditam, quia ſanitas prout ratione diſtincta à primis qualitatibus concipitur cum extenſione quadam ſeu latitudine in propria linea; ſecus contingit in forma & figura, quæ ſecundum propriam expreſsionem non important aliquam latitudinem. Adde etiam, figuram non intendi per ſe a motu, ſed reſultare ex vltimis ſuperficiebus, quæ fiunt per augmentationē, aut motum alterius ſpeciei. Quare de primo ad vltimu cōcluditur ſolum ad primas & ſecundas qualitates tertiæ ſpeciei dari

per

per ſe motum phyſicum alterationis; cùm prima, ſecunda, & quarta ſpecies excluſæ fuerint.

34 *OBIICIES.* Qualitates tertiæ ſpeciei, neque ſecundum ſe, neque ſecundùm gradus intenſionis & remiſſionis, poſſunt terminare per ſe motum. Ergo cũ aliunde qualitates primæ, ſecũdæ, ac quartæ ſpeciei nequeant terminare motum per ſe, ad nullam qualitatem dabitur per ſe motus. Probatur antecedens, quò ad primam partem: quia qualitas tertiæ ſpeciei ſecundùm ſe præſcindit à latitudine graduali, ac proinde non habet latitudinem neceſſariam ad terminandum motum. Quò ad ſecundam partem ſuadetur: Quia qualitates ſecundùm latitudinem gradualem ſolum poſſunt terminare motum intenſionis & remiſſionis, non vero alterationis, qui ab iis ſpecie diſtinguitur. *CONFIRM. I.* Si ad paſſibilem qualitatem datur motus alterationis per ſe, etiam dabitur ad ſpeciẽ potentiæ & impotentiæ, formæ & figuræ; quia potentia robuſta, quodammodo contraria eſt infirmæ, & figura recta curvæ, & vtraque habet latitudinem percurrendam, ac præſupponit ſubiectum in actu, non minùs, quàm paſſibilis qualitas. Conſequens autem abſurdum eſt, & contra doctrinam præcedentem. Ergo & illud ex quo ſequitur. *CONFIRM. II.* Calor in igne perfectiſſimus eſt, & tamen in illo non terminat aliquem alterationis vel intenſionis motum; ſed producitur in inſtanti. Ergo & cæteri calores minùs perfecti non terminant motum per ſe: quia perfectio, quæ negatur calori omnium perfectiſſimo non debet concedi caloribus minùs perfectis.

35 *RESP.* Negando antecedens quò ad vtranque partem: Quia licet paſſibilis qualitas ſecundùm ſuam eſſentiam, & primariam rationem, non habeat latitudinem; habet tamen capacitatem ad illam intra propriam ſphœram, penes diverſos gradus activitatis. Id autem ſufficit, vt quoties aliæ conditiones occurrunt, poſſit terminare motum alterationis in prima ſui productione: vt patet in aqua, quæ recipit primum caloris gradum ab igne. Tũc enim verè ad primum caloris gradum datur per ſe motus alterationis, diſtinctus à motu intenſionis ac remiſſionis, in quo id adhuc evidentius cernitur. *AD I. Confirm.* negatur ſequela: tum quia potentia & impotentia, forma & figura non habẽt latitudinem intra propriam ſphœram; tum quia potentia reſultat ex actione productiva naturæ; tum denique quia figura, eſto habeat contrarium quodammodo, non inſpicitur ab aliquo motu per ſe, ſed reſultat ex vltimis ſuperficiebus, quæ fiunt per motum alterationis, vel alterius ſpeciei. *AD II. Confirm.* conceſſo antecedente negatur conſequentia: quia terminare per ſe motum non eſt penſandum ex maiori perfectione alicuius qualitatis, ſed ex eo quòd habeat conditiones requiſitas ad motum. quæ quidem non inveniuntur in calore vt octo, vbi primò producitur ſimul cum igne, quia tunc fit in inſtanti, & ſecundario ad productionem ignis. Poteſt autem alibi paſſim produci per ſe, & non ad reſultantiam alterius, ac tunc terminare per ſe motum. Sicut licet quantitas magna producta ſimul cum aliqua ſubſtantia in inſtanti à Deo, non terminet per ſe ac primario actionem productivam, ſed ſecundario tantùm; poteſt nihilominus eadem, aut alia minor in alia hypotheſi terminare per ſe motum augmentationis.

36 *OBIICIES II.* Contra alteram Aſſerti partem, quâ dicimus dari per ſe motum localem ad *vbi.* Id autem videtur falſum. *Primò*, quia ex ſententia Philoſophi in præſenti ad relationem no eſt per ſe motus. Sed *vbi* eſt relatio. Ergo ad *vbi* nõ datur per ſe motus. *Secundò.* Si enim quiſquam motus eſſet ad *vbi*, maximè localis. Hic autem non eſt per ſe ad *vbi*, ſed ad locum, qui producitur eo motu, & diſtinguitur ab ipſo *vbi* vt communiter traditur *n. 4. præced.* Ergo ad *vbi* nullus eſt per ſe motus. *Tertiò*, quia quando corpus aliquod movetur circulariter, vt cœlum, non movetur à contrario in contrarium, ſed in idem. Ergo ſaltem ille motus non habet ex parte termini contrarietatem requiſitã. *Quartò.* Mobile, quod motu propriè dicto movetur, debet eſſe partim in termino *à quo* & partim in termino *ad quem*: quia ſi ſolum eſſet in priori, nondum moveretur; ſi autem ſolùm in poſteriori, iam extitiſſet motũ, & actu non moveretur. At mobile ſecundùm locum non eſt partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: quia ſi moveatur à loco ſurſum ad locum deorſum, cùm hæc loca nimiùm diſtent inter ſe, nequit mobile ſimul eſſe in vtroque. Ergo mobile ſecundum locum nõ movetur motu propriè dicto: ac proinde ad vbi non eſt per ſe proprius motus.

37 *HÆC* Tamen levia ſunt. *Ad I.* negatur minor: quia *vbi* non eſt relatio prædicamentalis, ſed tranſcendentalis, & entitas abſoluta, vt in Metaphyſica dicemus. *Ad II.* relicta doctrina aliorum opinan-

nantium *vbi* non diſtingui realiter à loco, & ſtatuta oppoſita, quia *vbi* eſt in corpore contento, locus verò in corpore continente; negatur minor. Motus enim localis per ſe tendit ad terminum, quem per ſe producit. Non producit autem locũ, vtpotè iam præexiſtentem; ſed ipſum *vbi*. Si autem aliquando producitur locus, vt quando lapis proijcitur in aërem, cuius partes erant continuæ, & non continebant aliud corpus; locus ille nõ producitur per motum qui ſubſequatur in aëre, ſed per motum aëris, qui per ſe ad *vbi* eiuſdem aëris terminatur, & per accidẽs ad locum, ratione cuius aër dicitur continere locatum. *Ad III.* nego antecedens: Quia quamvis cœlum circulariter moveatur ab eodem in idem ſecũdùm rem & materialiter; non tamen formaliter & ſecundùm eaſdem rationes. Idem namque punctum circumferentiæ in quantùm eſt principium, habet rationem termini *à quo* motus; & in quãtùm finis, eſt terminus *ad quem*: ac proinde ſufficiens contrarietas reperitur in motu circulari ad rationem ſtricti motus; licèt minima, ſi comparetur contrarietati aliorum. Nec tamen ideo eſt minùs perfectus alijs motibus, ſed potiùs perfectior, cùm perpetuus, ac omniũ regulariſsimus ſit. *Ad IV.* nego minorem: quia medium inter duo extrema eſt quoddammodo vtrunque extremũ prout habet convenientiam cum vnoquoque illorum: ſicut vox media dicitur acuta per comparationem ad gravem, & gravis relatè ad acutã; ſimiliterque color fuſcus relatè ad album dicitur niger; & relatè ad nigrum albus, vt docet D. Thom. in præſenti *lect.* 1. Medium igitur, ſive diſtantia, per quam tranſit mobile localiter, ſi comparetur ad *vbi* ſurſum, cenſetur eſſe in *vbi* deorſum, & è contra: ac proinde partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*. Et quidem licèt vtrunque *vbi* longiſsimè inter ſe diſtet, adhuc in ipſo progreſſu motus evidens eſt, poſſe aſsignari terminum *à quo*, & *ad quem*, partialem ac proximum, dividendo motũ, ſaltẽ per intellectum, in varias partes; quia ad locum valde diſtantem non poteſt ſubitò deveniri per motum.

38 *IAM* Verò de cœteris omnibus prædicamentis breviter indicandum eſt non dari ad illa per ſe motum, quæ eſt vltima Aſſerti pars. De Subſtantia quidem oſtenſum eſt prope finem ſectionis præcedentis. *De Relatione* autem prædicamentali patet, quia vel diſtinguitur realiter à fundamento, vel non, iuxta varias opiniones alibi examinandas. Si primum aſſeratur, ſolùm reſultat ad poſitionem fundamenti & termini; atque adeò non modò non terminat motum phyſicum per ſe, verùm neque actionem ſtrictè dictam. Si autem ſecundum ſupponatur; adhuc relatio, vt relatio prædicamentalis eſt, non producitur per ſe primò ſub ea denominatione, ſed penes entitatem abſolutam fundamenti, vt abſolutam: vt ſuprà de ſanitate & ægritudine dictum eſt. Nunquam ergo ad relationem prædicamentalem ſub ratione talis datur per ſe motus. *De Actione* quoque idem tradit Philoſophus pluribus in præſenti *cap.* 2. quorum ſumma ferè eſt, quia ſi ad actionẽ datur per ſe actio, cùm eadem ratio ſit de priori actione, & alia, aut dabitur proceſſus in infinitum, aut negandum eſt vniverſim quod ad actionẽ detur per ſe actio. *De Paſsione* idem planè evincitur, quia per ſe non intenditur à natura, ſed eſt purum medium, quo terminus perfectivus recipitur in paſſo. *De Quandò* etiam probatur: quia vel eſt idem realiter cum tẽpore, ad quod nullus eſt per ſe motus; vel reſultat ab exiſtentia rei in tempore, atque adeò per ſe nõ producitur. *De Situ* major difficultas eſt nam videtur aliquis per ſe moveri ad ſedẽdum, vel ſtandum: ſicuti & de Habitu, quia movetur quis ad hoc vt calceatus, vel veſtitus, aut armatus ſit. At idem de ijs, ac de modò excluſis à motu per ſe, dicendum eſt: quia *Situs* aut eſt idem realiter cum *Vbi*, aut ipſum ſecundariò comitatur, vt terminus ad quem extenditur motus localis ex conſequenti: ac proinde non terminat diſtinctum motum, imò neque actionem, vt nuper de relatione diximus. *De Habitu* etiã negandum terminare per ſe motum phyſicum, ſeu naturalem: quia eſſe veſtitum, armatum, calceatumve, eſt quid artificiale, ac proinde ſolùm aptum vt per ſe terminet artificialem motum; non verò naturalem, de quo Ariſtoteles alijque Philoſophi in præſenti loquuntur. Vera itaque eſt Ariſtotelis ac D. Thomæ ſententia docens ad nullum ex decem prædicamentis dari per ſe motum, niſi ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi. Quam eandem doctrinam de qualitatibus tertiæ ſpeciei terminantibus motum alterationis repetit Ariſtoteles *lib.* 7. *infrà cap.* 3.

SECTIO QVARTA. 62

Quædam dubia minoris notæ circa unitatem, ſpecificationem, & contrarietatem motuum, breviter expediuntur.

39 DVBITABIS I. *A quo deſumat motus ſuam unitatem ſpecificam?* RESP. deſumere illam à termino *ad quem* tendit, non verò a termino *à quo*. Ita Ariſtot. *hoc lib. 5. cap. 4. textu 35.* vbi omnes dealbationis motus aſſerit eſſe vnius & eiuſdem ſpeciei, quia terminus *ad quem* illorum omnium eſt eadem albedo ſecundùm ſpeciem, quanquam ſæpe procedant a diverſis terminis *à quibus*; vt a colore fuſco, pallido, vel cæruleo, in album. Conſentit D. Thom. *ibid. lect. 6.* & communiter Philoſophi. Ratio eſt: Quoniam omnis via inter duos terminos, accipit vnitatem ſpecificam ab illo, quem per ſe primò reſpicit. At motus eſt quædam via inter duos terminos, nempe, *à quo*, & *ad quem*; reſpicitque primo terminum *ad quem* & non terminum *à quo*; ſiquidem deſerit illum, vt accedat ad illum. Igitur motus accipit ſuam vnitatem ſpecificam à termino *ad quem*, non autem *à quo*.

40 HOC vero non ita intelligendum eſt, vt motus ſpecificetur à termino *ad quem* conſiderato materialiter, & in eſſe entis: ſed formaliter, ſive in eſſe termini; ſcilicet, quatenus exprimit modum ac medium attingibilitatis, rationemque illam formalem, ſub qua motum terminat. Sic etiam accidit in obiectis omnium potentiarum, habituum, & ſcientiarum, atque in eadem concluſione materialiter conſiderata, quæ tamen ratione diverſitatis mediorum, ſeu principiorum, per quæ attingitur, redditur multiplex ac diverſa formaliter in eſſe ſcibilis. Ex qua doctrina ab Ariſtotele tradita in præſenti *textu 32.* & a D. Thoma *ibidem lect. 6.* ſponte ſua corruunt nonnullæ obiectiones fieri ſolitæ in præſenti. Lege Complutenſes *diſput. 22. quæſt. 2.* vbi rem optimè, vt ſolent, expediunt, & nihil non ſolutum relinquunt, ſicut & circa dubitationes ſequentes.

41 DVBITABIS II. *Vnde poſſit debeatque accipi vnitas numerica motus?* RESP. Illam ſolum deſumi ex vnitate mobilis, termini, ac temporis. Ita Ariſtot. *hic textu 34.* ac D. Thom. *lect. 7. & 8.* cæterique Philoſophi communiter. Ratio eſt: Quia cùm motus ſit vnus per continuationem, illa exiguntur & ſufficiunt ad vnitatem numericam motus, quæ exiguntur & ſufficiunt ad illius continuationē. Ad hanc verò exigitur ſufficitque vnitas mobilis, termini, ac temporis. Ergo & ad vnitatem numericam motus. Probatur minor ſeorſim quò ad ſingulas partes. Quo ad primam quidem: nam accidentia quæ non ſunt in eodem ſubiecto, ad ſummum poſſunt eſſe contigua, non autem continua. Ergo ad continuationem motus, ſive vt ille continuus ſit, exigitur identitas, ſeu vnitas mobilis, quod habet rationem ſubiecti. Quò ad ſecundam verò partem ſuadetur: quia cum terminus motus, qui ſemper eſt aliquod accidens, vt vbicatio, quantitas, vel qualitas, recipiatur in mobili, ſive ſubiecto motus, & nequeant plura accidentia ſolo numero diſtincta recipi in eodem ſubiecto; conſequens eſt, vt ſicut ad continuationem motus requiritur vnitas numerica mobilis, ita etiam exigatur vnitas numerica termini. Tertia denique pars de tempore, probatur: nam vt motus continuetur, neceſſum eſt continuari intrinſecam eius durationem. At tempus eſt duratio intrinſeca motus, & huius numero motus hoc numero tempus. Ergo vt motus continuetur numericè, neceſſum eſt continuari idem numero tempus. His autem tribus poſitis, nihil aliud præterea videtur deſiderari poſſe, vt motus ſit continuus & vnus numero. Ergo ex iis tribus ſolùm deſumitur vnitas numerica motus continui.

42 DVBIT. III. *Vnde ſumatur contrarietas motuū?* RESP. cum Ariſtot. *in præſenti cap. 5.* & D. Thom. *lect. 8.* aliiſque omnibus, deſumi illam per ſe primo ex terminis *ad quos*. Ratio eſt: quia ſicut vnitas & diſtinctio motuum, ita etiam illorum contrarietas, ſequitur ſpecificationem eorundem, veluti affectio propria. Cùm ergo ſuprà *num. 39.* oſtenſum ſit ſpecificationem motus deſumi à terminis *à quibus*, idem dicendum eſt de contrarietate. Quare calefactio & frigefactio deſumunt ſuam contrarietatem à calore & frigore oppoſitis inter ſe; ac motus ſursū & deorſum ab vbicationibus contrariis, altera in loco inferiori, altera in ſuperiori: idemque eſt proportionaliter de aliis ſimilibus. Verumtamen non propterea omnino excludendi ſunt termini *à quibus*: nam & ii valde conducunt, exiguntúrque omnino ad contrarietatem motus adæquatam. Cùm enim motus eſſentialiter verſetur inter duos terminos oppoſitos, *à quo*, & *ad quem*; vt in iis

contrarietatem habeat, vterque exigitur terminus; quanquam ſolus alter illorum, ſcilicet, *ad quem*, ſpecificet formaliter. Ergo vt motus oppoſiti contrarietatem habeant ex omni capite, neceſſario requiritur terminus *à quo*.

43 DVBIT. IV. *An idem mobile poſſit moveri ſimul motibus contrarijs?* RESP. Poſſe, ſi vterque, aut ſaltem alter illorum, conveniat illi per accidens. Id patet in corpore Chriſti D. quod movetur in Euchariſtia per accidens quoties per ſe moventur ſpecies ſacramentales; & ſimul ſub vna hoſtia conſecrata movetur ſurſum, ac ſub alia deorſum; vel recto & obliquo motu ſimul, iuxta diverſorum Sacerdotum arbitrium. Similiter & nauta poteſt ac ſolet moveri per ſe, ſive ambulando, verſus Orientem, ac ſimul per accidens moveri a navi verſus Occidentem. Poteſt quoque idem mobile penes diverſas ſui partes ſubire motus contrarios ſimul: vt idem homo poteſt eodem tempore caleſieri ab igne in vna manu, & in alia infrigidari à nive.

44 Si autem ſermo ſit de eodem mobili ſecundùm eandem partem, ac per ſe loquendo, dicendum eſt illud non poſſe ſubire ſimul contrarios motus: vt ſatis indicat Ariſtoteles *in præſenti cap. 6*. ferè per totum, vbi agit de motibus contrarijs, veluti incompoſſibilibus, ac proinde repugnantibus ſimul eidem mobili, vt *ibidem* exponit S. Thomas. Ratio autem eſt: Quia aperta videtur eſſe repugnantia, ſaltem naturaliter, in eo quòd idem mobile per ſe accedat ad aliquem terminum, & ſimul ab eo recedat per ſe. At omne mobile per vnicum motum accedit per ſe ad aliquem terminum, & ratione motus contrarij recedit ab illo per ſe; vt patet in motibus ſurſum & deorſum; in calefactione & infrigidatione; in augmentatione & diminutione. Ergo & aperta repugnantia eſt in eo, quod idem mobile per ſe ac ſimul moveatur contrarijs motibus. Id etiam patet a pari actuum amoris & odij, qui nequeunt eſſe ſimul in eadem voluntate circa idem obiectum; ſicut neque erroris & ſcientiæ in eodem intellectu: quoniam ſunt motus ſpirituales contrarij.

45 DVBIT. V. *Vnde oriatur diſcrimen motus tardi à veloci?* RESP. de hoc opportuniùs, & ex profeſſo agendum *infrà lib. 7*.

IN

IN LIBRVM SEXTVM PHYSICORVM.

HOC libro potiſsimùm curæ eſt Ariſtoteli compoſitio continui, tam permanentis, quàm ſucceſsivi. Quæ plures difficultates adeò ingentes & inſuperabiles continet, vt quancunque opinionem quis eligat, inextricabilibus pene adſtringatur nodis. Quemadmodum verò magna flumina in diverſa quaſi brachia diſſecari ſolent induſtriâ artis, ne indignantia pontem, vt olim Araxes, nequeant ſicco pede tranſmitti; ſic ego totam controverſiam circa compoſitionem continui, in varias diſputationes ſecare volui, quò ſic faciliùs, aut ſaltem tolerabiliùs percurratur.

DISP. TRIGESIMATERTIA: DE VNITATE CONTINVI PERMANENTIS.

An probabiliter ſuſtineri poſsit media aliqua opinio inter Ariſtotelem & Zenonem, quia nec continui vnitas reſultet ex partibus actu diſtinctis, nec ex puris indiviſibilibus?

Num. 1. AGGRESSVRI *Difficile aliquod & periculoſum certamen, ſolent faciliora quædam exercitamenta præmittere, & viam ſibi parare, ne inexpertos diſsidium longè gravius inveniat. Porrò cum diſputationibus ſequentibus exagitanda ſit graviſsima illa inter Ariſtotelẽ & Zenonem (vt vulgo creditur) contentio circa compoſitionem & vltimam reſolutionem continui permanentis, quæ obruit penè omnium Philoſophorum ingenia; nunc oportet aliam faciliorem præmittere, & veſtigare an poſsit fortè media quædam via eſſe inter vtramque opinionẽ, quaſi inter Scyllam & Charybdim; vt neque continuum permanens componatur ex partibus actu exiſtentibus, diviſibilibuſque in infinitum, vt Ariſtoteles cenſuit; neque etiam ex ſolis indiviſibilibus, vt Zeno opinatus fertur, licèt falsò, vt alibi oſtendam. Habet locum diſputatio præſens* hoc lib.6. cap. 1. & 2. & 9.

eſt vnica entitas, ſicut & vna exiſtentia. Igitur in continuo palmari non ſunt partes, quæ habeant actu propriam vnitatem tranſcendentalem.

6 *RESPONDEBIS* Cum AA. ſententiæ adverſæ negando antecedens, & illius probationem: quia in quantitate palmari verè & actu ſunt duo ſemipalmi, habentes proprias vnitates, tranſcendentales ſaltem. Tranſcendentales quidem: nam quilibet ſemipalmus habet ſuam entitatē diſtinctam ab entitate alterius, vtpotè ſeparabilem ab illa; ac proinde & vnitatem tranſcendentalem propriam ab vnitate alterius palmi diſtinctam, quia hæc ſequitur entitatem. Quod verò additur, in continuo palmari eſſe vnicam entitatem; ſi accipiatur de entitate ſimplici, falſum eſt: de compoſitâ verum. Vnde ſolùm infertur, neutrum ex ſemipalmis dum intra palmū eſt, habere vnitatem completam actu, ſed partialem ſolùm, & cum aliâ integrantem vnum aliquod per ſe tale: quod ſufficit vt vnus ſemipalmus actu & in ratione partis diſtinguatur ab altero.

7 *SED* Argumentum adhuc perſiſtit & vrget. Diſtinctio enim vtriuſque ſemipalmi, nequit eſſe adhuc partialis & integralis, dum vterque intra palmum eſt. Non enim eſt diſtinctio duorum ſe habentium inſtar actus & potentiæ, vt patet: atque adeo ſiqua eſt, debet eſſe tanquam inter actum & actum. At vnius ſemipalmi ab alio, dum ſunt intra palmum, nequit eſſe diſtinctio tanquam inter actum & actum. Ergo nulla. Probatur minor. Diſtinctio inter actum & actum, non eſt materialis & numerica, ſed formalis & ſpecifica; quia provenit ab actu, à quo ſumitur differentia ſpecifica. At vnius ſemipalmi ab alio dum ſunt intra palmum, nequit eſſe diſtinctio formalis & ſpecifica, vt patet, cùm vterque in eadem formali ſpecie ſit. Ergo nequit eſſe vtriuſque diſtinctio tanquam inter actum & actum. Imò neque diſtinctio materialis & numerica videtur poſſe aſsignari inter vtrumque dum intra palmum eſt: quia diſtinctio materialis & numerica vtriuſque ſemipalmi vel ſumeretur à materia, vel à quantitate. At in quolibet palmo eſt vnica materia, & vnica quantitas; non verò duplex. Ergo inter vtrumque ſemipalmum non datur actu diſtinctio, adhuc materialis & numerica. Reſtat igitur, vt inter vtrumque nulla ſit actualis ac realis diſtinctio; ac proinde vt in continuo homogeneo non ſint actu partes. Quo poſito omnes difficultates, quas inferuntur contra ſententiam Ariſtotelis, ponentis continuum compoſitum ex partibus actu diſtinctis, iiſque in infinitum diviſibilibus, facilè præcludentur.

8 *VERVM* Cùm aliunde Zeno & omnes Stoici ponant continuum immediatè compoſitum ex indiviſibilibus, in eaque opinione tuendâ ſit plurimum difficultatis propter plurima argumenta phyſica & mathematica in oppoſitum, alij Authores vt ea vitarent, negarunt in continuo permanenti quæcumque indiviſibilia. Vnde negatis partibus ex vno capite cōtra Peripateticos, & ex alio indiviſibilibus cōtra Stoicos, vtriuſque ſcopuli extremè oppoſiti pericula devitantur.

9 *PORRO* Indiviſibilia nulla eſſe in continuo, ſuadetur ſic. Si enim in eo exiſterent, deberent eſſe diſtincta realiter à quantitate, quia hæc extenſa & diviſibilis eſt. nequit autē eadē entitas eſſe ſimul diviſibilis & indiviſibilis. At non datur, neq; opus eſt dari indiviſibilia à quātitate diſtincta realiter. Nulla ergo in continuo indiviſibilia exiſtunt. Probatur minor quò ad ſecundam partem, ex qua prima colligitur. Si enim quantitati opus eſſet indiviſibilibus, maximè vt continua & extenſa eſſet. Sed ad hoc quantitati opus non eſt indiviſibilibus. Ergo ad nihil. Probatur minor. Ablatis enim, ſive per intellectum, ſive in re, ſecundùm poteſtatem abſolutam, indiviſibilibus, adhuc quantitas maneret continua & extenſa. Scilicet maneret cum eſſentia quantitatis, quæ conſiſtit in extenſione & diviſibilitate. Ergo quantitati opus non eſt indiviſibilibus, vt ſit in ſe diviſibilis & extenſa.

10 *CONFIRMATVR.* Omnia puncta indiviſibilia, quæ cogitari poſſent in quantitate, vel eſſent copulativa extremorum, vel terminativa. At neutra ex his exiſtunt actu in quantitate. Ergo nulla demùm in ea ſunt actu indiviſibilia. Probatur minor quò ad priorem partem de punctis copulativis, ſeu continuativis. Si enim hæc actu exiſterent, deberent eſſe actu in linea, & linea ſimiliter in ſuperficie, & denique ſuperficies actu in corpore continuo. At hoc negat expreſsè Ariſtoteles 8. Phyſic. cap. 8. & 3. Metaph. cap. 5. vbi inquit ſuperficies non eſſe actu in continuo, ſed ſolùm poteſtate. Vbi D. Thomas: *Quæ autem dicta ſunt de ſuperficie, intelligenda ſunt in lineâ, puncto, & vnitate. Hæc enim in continuo non ſunt actu.* Quò ad poſteriorem verò partem de punctis terminativis, ſuadetur eadem minor. Si enim puncta termi;

minativa, actu exiſterent in quantitate, maximè vt ea finita eſſet ratione talis termini. At vt finita ſit non eſt opus terminativo diſtincto; ſed ſeipſa finitur, ac limitatur quælibet res creata. Ergo opus nõ eſt in quantitate ponere puncta terminativa. Ergo de primo ad vltimum nulla indiviſibilia, nullæ partes actu exiſtunt in quantitate: ac proinde non eſt cur inſuperabiles difficultates devoremus, quæ ſunt in vtraque ſententiâ oppoſitâ.

SECTIO SECVNDA.

Demonſtratur multipliciter exiſtentia partium actu diſtinctarum in continuo permanente iuxta ſententiam communem, præcluſis Adverſariorum evaſionibus.

11 AT Præiactis minimè obſtantibus communis ſententia amplectanda eſt, veluti certa & explorata, quæ docet in continuo homogeneo (idemque eſt de heterogeneo) exiſtere partes realiter actu diſtinctas. Illam, licet breviter ſoleant probare AA. fuſiùs ſtatuere, ac firmare oportet.

VIDETVR QVE apertè colligi ex Tridentino *ſeſſ.* 13. *can.* 3. vbi de Chriſto Domino præſenti in Euchariſtia dicitur: *Totus enim eſt integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quavis ipſius ſpeciei parte: totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit.* Ergo in continuo illo permanenti quantitatis Euchariſticæ, ſunt actu & realiter partes, & ſupponuntur à Concilio. Neque effugies argumenti difficultatem ſi aſſeras, inde ſolùm colligi partes ſpecierum panis & vini in potentia, quatenus poſſunt dividi in plura. Nam contra eſt, quod vbi dividuntur iam non ſunt partes, ſed tota exiſtentia ſeorſim. Dum ergo Concilium ſupponit in ſpeciebus Sacramenti exiſtere partes, non loquitur de partibus, quæ ſint tales in potentia, ſed in actu. Deinde, ſi in quantitate Euchariſtica non ſunt partes realiter actu, Chriſtus non exiſtet actu realiter ſub partibus quantitatis Euchariſticæ: quia nihil actu & realiter exiſtit ſub eo, quod actu & realiter non eſt. Conſequens verò manifeſtè adverſatur Concilio. Ergo doctrina, ex quâ ſatis vrgenter infertur, difficilè poteſt defendi ſalva authoritate Concilij.

12 *DE* Ariſtotele quoque non eſt dubium in eadem fuiſſe ſententiâ, quam tuemur, lib. 5. Metaph. cap. 12. vbi inquit: *Quantum eſt diviſibile in ea, quæ inſunt.* Eſt autem indiviſibile in partes. Ergo quanto inſunt partes. Et quidem non potentiâ ſolùm, ſed actu. nam, vt ipſe docet cap. de Quantitate, copulantur termino aliquo communi, ſive puncto, quod nequit eſſe ſine diſtinctione reali actuali. Sed de hoc infrà. Et D. Thom. exponens dictum locum ex Metaphyſicâ allegatum, inquit lect. 15. *Quantum dicitur quòd eſt diviſibile in ea, quæ inſunt, quòd quidem dicitur ad differentiam diviſionis mixtorum. nam corpus mixtum reſolvitur in elementa, quæ non ſunt actu in eo, ſed virtute tantùm.* Expendo ſic. Aliter ſunt partes in continuo iuxta D. Thomam, quàm elementa in mixto. At elementa non ſunt in mixto actu, ſed virtute, ſeu potentiâ tantùm, vt ipſe ait. Ergo conſequenter partes ſunt in continuo, non virtute, ſed actu.

13 *RATIO* Verò communis huius ſententiæ, quã ſpeciatim vrgere oportet præcluſis Adverſariorum evaſionibus, hæc eſt. Ante omnem intellectus deſignationem in continuo permanenti quantitatis palmaris v.g. dantur duo ſemipalmi actu diſtincti. Ergo & partes actu realiter diſtinctæ. Conſequentia eſt evidens. Antecedens probatur multipliciter. *Primò.* Ante omnem intellectus deſignationem palmus quantitatis dividitur in duos ſemipalmos, & vnus illorum ſeparatur realiter ab alio. At diviſio & ſeparatio realis eſt evidentiſſimum ſignum diſtinctionis realis actualis, cùm nihil poſſit dividi, aut ſeparari realiter à ſeipſo. Ergo ante omnem intellectus deſignationem in continuo permanenti quantitatis palmaris dantur duo ſemipalmi actu diſtincti. *Secundò* probatur idem antecedens. Ea quæ aliquando diſtinguuntur actu ante omnem deſignationem ſive operationem intellectus, vbicumque exiſtant, ſemper debent eſſe realiter actu diſtincta; quia quod eſt idem realiter ſemel cum alio, nomquam poteſt reipſa ab eo diſtingui; nec quod ſemel ab alio ſecundũ rem diſtinguitur, poteſt vnquam cum illo eſſe realiter idem. Alias poſſet aliquid diſtingui realiter à ſeipſo. Sed poſt diviſionem palmi, duo ſemipalmi diſtinguuntur actu & realiter inter ſe, vt patet. Ergo etiã dum eſſent ſimul in palmo erant actu realiter diſtincti. *Tertiò.* Dũ eſſent ſimul in palmo, vna medietas, ſive ſemipalmus, tingebatur colore nigro, altera albo, v.g. vt videre eſt in palmo virgæ coloribus contrarijs tincto. Ergo ſubiectum immediatum vtriuſque coloris erat realiter actu di-

diſtinctum. nam contraria ab eodem ſubiecto mutuo ſe expellunt. *Quartò*. Vnus ſemipalmus virgæ ſæpè eſt cauſa productiva alterius: vtpote quando ſemipalmus virgæ tam ardentis comburit realiter alterum, & aggenerat in eo ignem. At omnis cauſa productiva diſtinguitur realiter actu ab affectu.

14 *HÆ* Omnes probationes videntur adeo manifeſtæ & palmares, vt nulla non præcludatur evaſio. Adhuc tamen ex doctrinà Adverſariorum reſpondere poſſet diſtinguendo inter vnitatem, ſive identitatem propriam rerum indiviſibilium, & alteram quæ rerum diviſibiliũ propria eſt. Exemplum prioris adhibetur in Angelo, vel anima rationali, cuius vnitas, ſeu identitas prædicatorum eſſentialium, eſt realiter indiviſibilis. Exemplum poſterioris eſt in quavis vnitate continuativa corporum, ſeu quantitatum diviſibilium & permanentium. Quo poſito occurritur prælacto argumento negando antecedens, & ad omnes quatuor illius probationes dicendo, ſemipalmos non habere vnitatem ſeu identitatem propriam rerum indiviſibilium, ſed diviſibilium: ac proinde quamvis actu realiter non diſtinguantur dum ſunt in palmo, diſtingui realiter in potentià, eſſe ſeparabiles ad invicem, capaces diſtinctionis realis, qualitatum contrariarum, & productionis vnius ab alio. Quam evaſionem Spinula *diſput.* 14. *ſect.* 2. vaſierit facile præcludi non poſſe.

15 *SED* Quis non videat ſolutionem hanc eſſe merum effugium, an eludendam inſuperabilem vim argumenti? Igitur contra illam inſurgo I. Identitas & vnitas duplicis ſemipalmi, quam appellatis propriam rerum diviſibilium, aut eſt vera & realis, aut non? Si non eſt vera & realis, ergo verè & realiter diſtinguitur vnus ſemipalmus ab alio: quod intendimus. quia quod verè & realiter non eſt vnum & idem cum aliquo, verè & realiter ab ipſo diſtinguitur. Si autem eſt vera & realis, ergo vnum ab alio ſeparari non poteſt, aut diſtingui, aut recipere ſimul qualitates contrarias, aut produci realiter. Ideo enim in re, quam appellatis indiviſibilem, nequeunt verificari omnia hæc, quia illa eſt quid vnum verè & realiter. Ergo ſi duo ſemipalmi in re, quàm appellatis diviſibilem, ſunt quid vnum verè & realiter, neque etiam de ijs verificari poterunt ea omnia. *Secundò* argumentor: quia in dicta ſolutione petitur principium, & reſpondetur id ipſum quod in quæſtione eſt: nimirum, an in re quanta & diviſibili, ſint partes actu diſtinctæ ſecundùm rem. Argumentum enim tendit, vt probet quantum non fore diviſibile in plura, ſed prorſus indiviſibile, ſi in illo non ſint plura actu diſtincta ſecundùm rem: quia nulla eſt potentia ad dividendum ea, quæ actu & realiter idem ſunt, vel ad diſtinguendum illa, vel vt recipiant qualitates contrarias, vel vt vnum ab altero producatur. Ergo dicere vnitatem & identitatem vtriuſque ſemipalmi non eſſe propriam rei indiviſibilis, ſed diviſibilis, eſt egregia petitio principij, & recurſus ad id ipſum, quod in quæſtionẽ vertitur. *Tertio*. Eadem ſolutione defendi poſſet formam & materiam non diſtingui realiter actu, ſed potentia ſolùm. quod planè erroneum eſt in Philoſophia. Aſſumptum probo. Nam quamvis actualem & realem diſtinctionem vnius ab alia intra compoſitum ſuaderemus argumento cõmuni realis ſeparationis, ac diſtinctionis vtriuſque poſt diviſionem; adhuc reſponderi poſſet, ſolùm inde argui diſtinctionem realem vtriuſque in potentià dum ſunt in compoſito, & in eo habere identitatem actualem vnitatemque, non propriam rerum indiviſibilium, ſed diviſibilium, de quarum numero eſt compoſitum materiale. Ergo eadẽ ſolutione Adverſariorum, ſi quidquam valet tueri, poſſet dici materiam & formam, dum ſunt in compoſito, non diſtingui realiter actu, ſed potentià ſolùm, quamvis poſtea reipſa ſeparentur, & diſtinguantur. *Quartò*. Compoſitum integrale humanum non eſt quid indiviſibile, ſed diviſibile, vt de ſe patet. Et tamen partes, quibus componitur, non habent inter ſe veram aliquam vnitatem & identitatem, quam dicunt relati Authores propriam rerum diviſibilium, ſed potiùs diſtinctionem realem actualem. Ergo quamvis palmus ſit totum aliquod diviſibile, partes eius, ſcilicet, duo ſemipalmi, nullam proinde habebunt veram vnitatem & identitatem dictam rerum diviſibilium, ſed potiùs diſtinctionem actualem realem. Probatur minor. Nam in compoſito integrali humano, quis neget duos oculos actualiter realiter diſtinctos; duas manus & brachia; duos pedes & crura? Planè id ad ſenſum patet. Vt omittam ſemper in Sacra Scriptura fieri illorum mentionem, quaſi plurium, & Apoſtolum dicere ad Roman. 12. *In vno corpore multa membra habemus*. Igitur & evidentibus rationibus, & Scripturæ teſtimonijs palam fit, in quanti-

ti-

titate permanenti, & compoſito integrali humano, eſſe actu plures partes realiter diſtinctas.

16 *CONFIRMATVR.* Si enim in palmo non ſunt duo ſemipalmi realiter & actu exiſtentes atque diſtincti, palmus non erit totum aliquod actu conſurgens, ſive compoſitum ex duplici ſemipalmo; neque erit actu & duplo maior realiter, quàm quilibet ſemipalmus ſeorſim. Imò nec totum vllum homogeneum, heterogeneumve erit actu & realiter maius ſua parte; cũ neque illud ſit actu totũ, neque illa ſit actu & realiter pars, ſed tantùm penes intellectus deſignationem in contraria opinione. Vnde neque Oceanus actu & realiter eſſet maior rivo, nec elephas formica, nec homo totus vnico dente ſuo, ſed ad ſummum in potentia. Quæ omnia quam manifeſte ſequantur ex negatione partium actu, & reipſa diſtinctarum in toto integrali, quamque abſurditatem præſeferant, vel leviter conſideranti patebit.

17 *SECVNDO* Probatur communis ſententia. Partes in continuo copulantur vnione aliqua reali. Ergo & ipſæ partes in continuo diſtinguuntur actu realiter. Conſequentia eſt manifeſta: quia omne quod copulatur alteri media vnione reali, actu & realiter diſtinguitur ab extremo copulato. Vnio enim realis extremorum, ſicut & compoſitio, nequit eſſe, niſi extrema realiter & actu diſtincta ſint. Antecedens probo. Vbi partes, quæ in continuo erant, dividuntur realiter, & vbi poſt diviſionem factam iterum vniuntur (vt ſi vas aquæ in duas medietates dividas, eaſque iterum cõiungas) aliquid verè deperditur & acquiritur. At id nihil aliud eſſe poteſt, quàm vnio aliqua realis. Ergo partes dum ſunt in continuo copulantur vnione aliqua reali. Maior videtur certa: Quia nequit dari tranſitus realis ab vno ſtatu contrario vel contradictorio in alterum, qualis eſt coniunctionis & ſeparationis, niſi vi illius aliquid deperdatur vel acquiratur. Alias nulla eſſet ratio cur modò ſint coniuncta, modo diviſa, ſi hoc quod eſt coniunctam vel diviſam eſſe realiter, nihil ſuperaddit, aut tollit. Minor autem probatur. Nam nec per diviſionem aquæ in duas medietates deperditur aliquid aquæ, nec per reunionem earũdem aliquid aquæ acquiritur. At, vt probatum eſt, aliquid realiter deperditur, vel acquiritur. Reſtat igitur vt illud ſit realis vnio in vtraque parte aquæ.

18 *CONFIRM.* Hoc ipſo quòd quantitas aquæ, ſive alterius rei cuiuſlibet, ſit diviſibilis in duas medietates, per quas exhauriatur, nihil quantitatis deperditur in illa diviſione: cùm duæ medietates tantundem quantitatis debeant habere, ac quantitas tota. At neceſſarium eſt aliquid in ea diviſione deperdi realiter. Ergo nihil aliud eſſe poteſt, quam realis vnio partis vtriuſque. Datur ergo realis vnio inter vtranque partem quantitatis.

19 *RESPONDEBIS I.* Dum partes coniunctæ dividuntur, non deperdi vnionem aliquam vtrunque extremum interiacentem; ſed continuationem ſolam, ſub eadem dimenſione; eandemque recuperari vbi partes in priſtinam vnitatem, ſive coniunctionem redeunt.

SED Contrà I. Continuatio enim nihil aliud eſſe poteſt, quam vnio partium. Non enim eſt aliquid idem realiter cum partibus, neque cum aliqua illarum: quia per diviſionem deperditur realiter continuatio partium, cum tamen nihil illarum pereat ſecũdum rem. Solum igitur poteſt eſſe realis partium vnio, quæ colligitur in argumento. *Contrà II.* Continuatio illa partium, aut eſt aliquid poſitivum in rerum natura exiſtens, aut negatio aliqua diviſionis inter illas? Si primum; cùm aliunde ſit diſtincta realiter a partibus, vtpote quibus permanentibus poſt diviſionem, ipſa realiter non permanet, ſolùm poterit eſſe realis vnio partium. Si ſecundum, erit negatio negationis, quia ipſa diviſio eſt negatio identitatis, continuationis, vnionisve. At negatio negationis eſt quid poſitivum. Ergo continuatio illa ſemper erit aliquid poſitivum, ac proinde ab vnione indiſtinctũ. Porrò, ſi aſſeras diviſionem eſſe quid poſitivum, negatum à cõtinuatione, illud certè non eſt quantitas, cùm per reunionem partium tota maneat quantitas, quæ erat antea diviſa in duas medietates, & tamen diviſio illarum realiter non maneat. Ergo erit aliquid realiter diſtinctum, ac poſitivè ſuperadditum vtrique medietati diviſæ. Ergo ſimiliter poſtquam reuniuntur, continuatio erit aliquid realiter diſtinctum & poſitivè ſuperadditum vtrique parti coniunctæ. Nulla enim ratio eſt vt partes per diviſionem acquirant aliquid poſitivum reale ſuperadditum, & tamen per coniunctionem, ſive continuationem nihil intrinſecũm reale acquirant. Verè ergo partes coniunguntur in continuo media vnione reali ab iis diſtincta, ac proinde diſtinguuntur actu & realiter.

20 *RESPONDEBIS II.* Cum alijs, argumentum ſupponere, quod probare

ſe deberet; nimirum, in continuo eſſe partes, inter quas ſit vera ac realis vnio. Negat enim id ſententia oppoſita: ac proinde priùs oſtendendum eſt contra illam exiſtere partes, quàm eſſe diſtinctas, aut vnionis intermediæ capaces.

SED Contrà I. Præterquam enim quòd primo argumento demonſtrata fuit ſatis exiſtentia partium, & quidem actu ac realiter diſtinctarum in continuo, adhuc evincitur hoc ipſo poſteriori diſcurſu. Si enim neges exiſtere partes in continuo actu diſtinctas ſecundùm rem; ſaltem ſecundùm deſignationem intellectus apprehendentis duas medietates in palmo, negari non poteſt eſſe in continuo partes, & totum aliquod ex ijs compoſitum, ſaltem ſecundùm apprehenſionem noſtram. Aliàs quomodo verificaretur me tecum diſputare, an ibi ſit duplex medietas realiter actu diſtincta, ſi ſaltem intellectus non apprehenderet vnam & aliam? Certè id extorquet vt minimùm hæc ipſa diſputatio, quàm inter nos inſtituimus. De illa ergo medietate duplici, quam intellectus apprehendit, tota vis argumenti redit, & vrget, debere eſſe duplicem ſecundùm rem, quia vna alteri coniungitur vnione diſtincta, quæ deperdatur per diviſionem, & per continuationem realiter acquiratur. Ergo quamvis neges ſuppoſitum partium realiter diſtinctarum, dummodo non neges te & me in hac ipſà diſputatione apprehendere duplicem ſemipalmum in vnoquoque palmo, ſubterfugere no potes, aut eludere vim argumenti. *CONTRA II.* Quidquid ſit de modo loquendi, negare non potes, palmum vlnæ, vbi per medium ſecatur, dividi in duos ſemipalmos: ac proinde realiter tranſire de indiviſo ad diviſum. Quòd ſi hoc neges, ob oculos manifeſtum, abſtineo pluribus, & diſputatione ſuperſedeo. Ergo palmus vbi dividitur in plura, & deſinit eſſe realiter vnum aliquid, verè quidquam deperdit realiter: quia nequit tranſire ſecundum rem de vno ad plura, quin realiter amittat illam vnitatem, quam habebat antea. At non deperditur aliquid quantitatis, cùm verè maneat duplex medietas, ſive ſemipalmus, continens diviſim quidquid antea indiviſim exiſtebat in palmo. Supereſt igitur vt palmus per diviſionem ſolùm amittat vnionem realem quæ erat antea. Sed vnio realis non eſt, niſi inter extrema realia, realiterque diſtincta. Ergo verè ante diviſionem duplex medietas ſive ſemipalmus realiter diſtinctus exiſtebat in palmo.

21 *RESPONDEBIS III.* Ex doctrina quorundam Recentiorum apud Spinulam *vbi ſuprà num.* 12. quantitatem palmarem nec eſſe vnam, nec multiplicem, ſed ſolum fieri talem à quodam termino ſibi ſuperaddito, quem appellant complementum vnitatis, vel diviſionis. Itaque quantitatem eſſe palmarem v. g. ſolùm importat in recto eſſentiam quantitatis, & in obliquo quendam terminum, quo tota quantitas afficitur, completur, & continua redditur. Quo poſito aiunt, dum dividitur palmus deperdi terminum, qui totum ipſum afficiebat; & ſuccedere duos alios, quorum quilibet afficit ac continuat ſingulos è duobus ſemipalmis, in quos diviſio facta eſt: ac proinde, nullam colligi vnionem vtriuſque dum erant ſimul in palmo; ſed ſolùm terminum aliquem poſitivè ſuperadditum, quo palmus complebatur in ratione vnius palmi; ita, vt pro priori naturæ, ſeu rationis ad terminum illum, nec præſupponatur vnus, nec multiplex, ſed præſcindat.

22 *CERTE* Mirandum non eſt ingenioſos & præſtantes Philoſophos huius ſæculi, videntes inſuperabilem difficultatem, quà premuntur Ariſtotelici & Zenoniſtæ circa compoſitionem continui, in omne latus ſe vertere, & excogitare, ſi fortè poſſint viam aliquam invenire non omnino inviam, ab vtroque trito itinere, aut etiam anfractu liberantem. Sed tamen ſolutio tradita id non aſſequitur. Nam permiſſo gratis termino illo quantitati realiter ſuperaddito, vel quantitas prout diſtincta realiter ab illo eſt extenſa, ac proinde diviſibilis; vel non? Si dicatur primum; quantitas vt diſtincta ab illo termino non erit quantitas: quia de eſſentia quantitatis eſt quòd ſit extenſa, ſaltem in ordine ad ſe, ac proinde diviſibilis, eſto hæc non ſit prima ipſius ratio. Si dicatur ſecundum; quantitas prout diſtincta realiter ab illo termino habebit ſaltem partes in potentia penes quas poſtea dividatur. Nam res in ordine ad ſe extenſa & diviſibilis, nec eſſe, nec cogitari quidem poteſt, niſi in illa ſint in potentia ſaltem plura, in quæ poſtea dividatur actu. Inquiro ergo: Plura illa, ſeu partes in potentia, aut actu, ſunt idem realiter in quantitate, aut non? Si ſecundum; iam concedis in illa, vt

diſtincta à termino prædicto partes actu diſtinctas in re. Si primum; non modo redit primùm ac præcipuum argumentum *à n.* 13. propoſitum; ſed etiam hoc ſecundum. Vbi enim dividitur quantitas non ſolùm deperditur terminus ille, quem aſsignas quantitati ſuperadditum, ſed etiam identitas illa realis partium, tranſeuntium in duo extrema realiter diſtincta. At illa idẽtitas non eſt ipſa quantitas; quia nihil quantitatis perit ratione diviſionis, cùm tamen identitas ipſa pereat. Ergo ſolùm eſt vnio aliqua realis à quantitate diſtincta. At vnio realis non niſi inter extrema actu realiter diſtincta datur. Ergo de primo ad vltimum quantitas vt diſtincta realiter ab illo termino, quem fingis, habet partes realiter actu diſtinctas.

23 *DICES* conſequenter ad ſolutionem præiactam, perire quidem identitatem realem partium, vbi quantitas ipſa dividitur: inde tamen non ſequi perire realiter vnionem aliquam, quæ ibi eſſet; ſed ſolùm terminum illum, quo quantitas completur, & partes ipſæ, dum tales ſunt in potẽtia, identificãtur realiter actu.

SED Contrà I. Aut partes illæ in potentia tales identificantur realiter inter ſe, ratione illius termini, vt rationis formalis, qua conſtituãtur in eſſe vnius entitatis; aut ſolùm vt puri obliqui, ſeu connotati. Primum impoſsibile eſt: ſiquidem ponis terminum illum realiter ſuperadditum & diſtinctum à quantitate, ac proinde à partibus. Impoſsibile eſt autem, vt aliquid vel diſtinguatur, vel identificetur realiter cum alio per aliquid à ſe diſtinctum in re, tanquam per rationem formalem. Omnis quippe res ſeipſa diſtinguitur, aut eadem eſt cum alia quavis. Ergo ad ſummum partes illæ identificantur realiter ratione illius termini, tanquam puri obliqui. Nunc verò redit vis argumenti. Vbi enim palmus dividitur, non ſolùm perit terminus ille, per ordinem ad quem, ſive cuius connotatione partes erant idem realiter; ſed etiam ipſa ratio formalis identitatis inter vtramque perit: cùm iam ſint realiter actu diſtinctæ, & antea eſſent idem actu & realiter. At non ideò perit quantitas, neque pars aliqua quantitatis. Ergo perit aliqua ratio formalis identitatis diſtincta a quantitate. At hæc nulla alia eſſe poteſt, quàm vnio realis ac formalis partium. Ergo verè partes quantitatis habent vnionem aliquam formalem ac realem, quà coniungantur, & quæ ſit ſimul & non ſit ratio formalis identitatis; primum, quia ita ſupponis; ſecundum verò, quia eſt ratio vniendi vtramque partem, ac proinde potiùs evidens argumentum diſtinctionis, quàm identitatis ipſarum. *CONTRA II.* Omne enim ens ea ratione ac modo, quo fuerit ens, debet eſſe vnum, quia vnitas eſt paſsio entis, cum eoque convertitur. At quantitas, vt diſtincta realiter ab illo termino aſsignato, eſt verum ens. Ergo vt diſtincta realiter ab illo extremo eſt vna: ac proinde per aliquid diſtinctum realiter ab illo termino conſtituitur formaliter vna. Ergo quando per diviſionem fit realiter duplex, amittit realiter, non ſolùm illum terminum, ſed etiam formalem vnitatem, ſive rationem, quà priùs vna conſtituebatur: ſiquidem ſecundùm rem deſinit eſſe vna quantitas vt antea, & fit duplex. At non amittit realiter aliquid quantitatis, ſeu quod ad illam ſpectet vla rationis formalis; cùm tota quantitas præexiſtens dividatur in duas medietates. Ergo ſolùm ſupereſt, vt amittat vnionem realem, tum ab illo termino, tum à quantitate diſtinctam. Vnio autem realis non, niſi extremorum actu & ſeipſa diſtinctorum, eſt. Ergo in quantitate exiſtunt partes realiter actu diſtinctæ.

24 *CONTRA III.* Ille terminus totum palmum afficiens in ratione vnius palmi, vel eſt indiviſibilis, ac proinde afficiens totum palmum indiviſibiliter; vel eſt diviſibilis, & non afficiens indiviſibiliter totum palmum? Si primum dicas; planè ſequitur totum Oceanum addita, vel detracta vnica aquæ gutta, amittere totam continuationem, vnitatemque realem, quam habebat antea: quod certè pluſquam mirabile eſt. Sequelam probo: Nam iuxta doctrinam Adverſariorum terminus ille afficit totam quantitatem palmi indiviſibiliter, illamque continuat & reddit vnam, ita vt eo pereunte, pereat vnitas, & continuatio palmi. Ergo idem dicendum erit de vlna, idem quoque linea mille vlnarum longitudinis, idem quoque de ſuperficie & corpore continuo longè maiori; idem denique de toto Oceano: ac propterea totus ille amitter ſuam vnitatem continuationemque, vel vnica aquæ gutta adiecta, aut detracta: quia per additionem detractionemve vnius guttulæ dicitur acquirere, vel amittere terminum illum, cuius connotatione redditur Oceanus in-

in diviſibiliter continuus & vnus. Vnde iam non erit quod miremur, ſi iuxta Apocalypſim circa ipſum Orbis terrarum excidiū, fatalemque ruinam, abſumenda ſit aliquando tertia maris pars, vt *capit. 8. v. 8.* prædicitur. Longè quippe maiora prodigia ſtruunt quotidie Adverſarij evertentes totum Oceanum, ſcilicet, totam eius vnitatem continuationemque indiviſibilem, ex poſitione ablatioueve vnius indiviſibilis termini, quem aiunt perire detractā, aut de novo reſultare addita Oceano, vel vnica aquæ gutta. Si autem ſecundum dixeris, ſcilicet, illum terminū diſtinctum realiter, à quantitate eſſe diviſibilem, ipſamque diviſibiliter afficere; ergo diſtributus eſt per totam quantitatem palmarē v.g. Inquiro ergo: Aut eſt diſtributus per totam quantitatem palmarem diviſibiliter, ita vt habeat propriam continuationem, extenſionem, diviſibilitatemque; aut ita, vt in plures terminos dividatur per totam quantitatem diſperſos? Si primum dixeris; ille terminus erit quantitas, vtpote cui conveniet quantitatis ratio propria, in extenſione & diviſibilitate conſiſtens: ac proinde perperam aſſeruiſti terminum illum non eſſe ipſam quantitatem, ſed aliquid ipſi realiter ſuperadditum. Si ſecundum; teneris dicere partes quantitatis non eſſe ſolum tales in potentia, aut penes deſignationem intellectus, ſed realiter actu diſtinctas: quia inter partem & partem per totū palmum erunt interiecti illi termini realiter ſuperadditi ac diſtributi; & omnia duo extrema, inter quæ mediat, ſeu interiacet quodcunque aliud realiter ſuperadditum, debent diſtingui ſecundum rem. Igitur de primo ad vltimum, in quodcunque latus te vertas, & quomodocunque terminū illum expliees, negare non potes, in quantitate palmari eſſe partes actu diſtinctas, ſecūdum rem.

25 DENIQVE, Obſerva, adhuc poſita opinione contraria, integram ferè perſiſtere difficultatem, qua Ariſtotelici & Zenoniſtæ torquentur circa reſolutionem continui. Aut enim facta quacunque diviſione minori, & minori determinata, ſemper manet quantitas diviſibilis in duas medietates, quarū quælibet diviſibilis ſit, eſto partes actu non habeat, ſed in potentia ſolum; aut tandem per diviſionem deveniri poteſt in duas medietates, quarum neutra ſeorſim diviſibilis ſit, neque vllas partes habeat iam, adhuc in potentia. Si hoc ſecundum dicatur, vrgent argumenta Ariſtot. ac maxime illud, quo aſſumitur, indiviſibile additum indiviſibili non facere maius, aut extenſum; quia tangit illud, ac vicisſim tāgitur ſecundum ſe totum; ac proinde cum eo penetratur. Ergo duo illa in quæ reſolvitur vltimo quantitas, quamvis poſt diviſionem coniungantur, ſive per vnionem, ſive per identitatem (quæ tamen alias impoſsibilis eſt) nequeunt facere maius, aut extēſum. Si autem dicatur primum; vrgent argumenta Zenonis, & illud maxime de globo perfectè ſphærico vbi continuate movetur per continuum perfectè planum. Patet igitur fruſtra vitandæ communis difficultatis causa excogitatam fuiſſe opinionem adverſam: cum præter argumenta hucuſque a nobis propoſita, & plura alia quæ fieri poſſent, premitur obiectionibus præcipuis, quibus ſententiæ Ariſtotelis & Zenonis hinc inde ex oppoſito digladiantur.

SECTIO TERTIA.

Oſtenditur authoritate Ariſtotelis, Auguſtini, & D. Thomæ, in quolibet continuo permanente eſſe indiviſibilia, tum copulativa, tum terminātiva; idque ſpeciali ratione convincitur, independenter à varietate opinionum inter Ariſtotelem & Zenonem.

26 EST Sentētia omnium, præter paucos & ſuppreſſo nomine allegatos *num. 5.* qui fruſtra nituntur pro ſe, adducere Ariſtotel. ac D. Thom. cùm vterque palam à nobis ſit, vt mox oſtendam. Dicimus itaque, in continuo dari actu indiviſibilia, tam continuativa, quam terminativa, quæ ſint entia poſitiva ac realia: Hæc vero in linea eſſe puncta; in ſuperficie lineam prout indiviſibilem verſus latitudinem; in corpore autem ſuperficiem prout indiviſibilis eſt penes profunditatem.

27 HÆC Poſterior Aſſerti pars deducitur plane ex priori. Statutis enim ſemel indiviſibilibus in continuo, neceſſum eſt, illa exiſtere penes eam dimenſionem, quā continuū permanens diviſibile eſt, vt alibi oſtendā. Vnde punctum, quia ſub omni conſideratione indiviſibile eſt, aptū eſt vt continuet ac terminet lineā, quæ ſolum penes longitudinē eſt diviſibilis. Similiterq; cum ſuperficies ſit diviſibilis ſecundū latitudinē, aptè continuabitur terminabiturq; per lineā, quæ verſus latitudinē indiviſibilis eſt. Deniq; cū corpus diviſibile ſit ſecundū profunditatē, aptè continuabitur & terminabitur ſuperficiebus quatenus indiviſibiles

verſus profunditatē. Sicque fiet, vt eo vinculo interiacente vna pars lineæ non tangat immediatè alteram, ſed medio puncto neque vna ſuperficies extendatur verſus latitudinem, niſi mediante linea, nec tandem corpus verſus profunditatem, niſi ſuperficie mediante.

28 *PRIOR* itaque pars indubie traditur à Philoſopho *cap. de Quantitate, textu* 5. vbi inquit: *ἡ δὲ γραμμὴ, συνεχής ἐστιν. ἔστι γὰρ κοινὸν ὅρον λαβεῖν, πρὸς ὃν τὰ μόρια αὐτῆς συνάπτει, στιγμήν. At verò linea eſt continua: quia communem terminum ſumere licet, quo partes eius coniunguntur*, ſcilicet, *punctum*. Idēque eo loco ſubdit de ſuperficie, corpore, ac tempore. Sed cur teſtimonia eius exſcribam in re adeo aperta? Legatur 5. *Metaph. cap.* 6. *&* 6. *Phyſic.* præſertim *c.* 1. 2. *&* 3. vbi de continuo, tam permanenti quam ſucceſsivo docet continuari indiviſibilibus; quanquam non ſolis, nec immediatis inter ſe; quod iam ad ſequentem diſputationem ſpectat. Vbi & S. Thomas eandem doctrinam diſertè tradit, *& Opuſc.* 36 *cap.* 9. dicens: *In linea tamen ſunt plures puncti, & realiter ab invicem diverſi, vt duo eius termini: & ſimiliter in eius continuatione.* Vbi apertè de punctis, tam continuativis, quam terminativis ſermo eſt. Neque omittendum ſententiæ huic communi magnum pondus acceſſiſſe ex ſuffragio S. Auguſtini, lib. de Quantitate Animæ *cap.* 11. *&* 12. vbi hæc habet inter alia: *Siquidem hoc eſt, quod nullam diviſionem patitur, & punctum vocatur, cùm medium tenet figuræ ſicut principium lineæ eſt.* Et inferius: *Ab ipſo incipit* (puncto, ſcilicet) *linea, ipſo terminatur: deinde vndequaque linea ſecari poteſt, per ipſum ſecatur.* Ecce puncta, tam terminativa, quam continuativa lineæ, expreſsè tradita ab Auguſtino. De Philoſophis verò, tam Veteribus, quàm Recentioribus, non eſt quòd illorum allegatione paginas onerem. Videātur præ cæteris Bartholomæus Amicus, Complutenſes, Sancta Crucius, Lynce, & noviſsime P. Quiros in præſenti *diſp.* 37 *ſect.* 1. *num.* 1. Etenim, vel ipſi Zenoniſtæ, cùm aſſerant continuum immediatè componi ex ſolis indiviſibilibus, nullimè negare poſſunt partes lineæ quaſtas medijs indiviſibilibus continuari, ijſque demum finiri; quamvis aliunde aſſerant ea ipſa indiviſibilia eſſe in quæ vltimo reſolvitur continuum, & quibus partes ipſæ intrinſecè conſtituuntur. quod eſt alterius diſputationis.

29 *RATIO* Autem ſpecialis (omiſsis alijs, quoniam procedunt iuxta principia alterutrius opinionum extremè oppoſitarum, quæ facilè ab Adverſarijs reijcerentur) deſumenda eſt ex natura continui, quod iuxta doctrinam præcedenti ſectione demonſtratam importat partes realiter exiſtentes, & actu diſtinctas, atque vnitas, ſive continuatas, vt proinde conſtituant vnum per ſe. Illa ergo doctrina ſuppoſita argumentor ſicut ſupra *à num.* 17. Partes continui copulantur aliqua vnione reali. At illa nequit eſſe niſi aliquod indiviſibile. Ergo partes continui copulantur medijs indiviſibilibus. Conſequentia eſt optima. Maior ſuadetur multipliciter. *Primò*: Quia partes continui realiter componunt vnum aliquod totum per ſe. Nequit autem componi realiter vnum aliquod totum per ſe ſine vnione reali partium: quia compoſitio eſt diſtinctorum vnio. Ergo partes continui copulantur aliqua vnione reali. *Secundò* probatur eadem maior. Partes eiuſdem continui non ſolùm important iuxta poſitionem vnius ad aliam, hæc enim non ſufficit ad realem compoſitionem, vt patet in granis tritici, vel atomis pulveris aut arenæ coniunctis, ſeu iuxta-poſitis, ex quibus tamen nulla vera compoſitio fit. Neque ſolùm important contactum vnius ad aliud in extrema ſuperficie: nam & hic invenitur in duplici quantitate contigua, vt contigua, quin tamen ex ijs vera aliqua cōpoſitio reſultet. Neque demum important poſitionem in eodem loco indiviſibili, qualiter duo corpora penetrata: tum quia partes in continuo non occupant eundem indiviſibilem locum, ſed partialiter diverſum & diviſibilem: tum etiam, quia partes in continuo non ſunt penetratæ, niſi interveniat miraculum: tū denique, quia ex duobus corporibus penetratis, ſeu poſitis in eodem loco, nulla reſultat realis compoſitio. Aliàs ex corpore Chriſti naſcentis, & vtero Virginis miraculosè penetrato reſultaſſet vera compoſitio realis; imò & ex ianuis clauſis & corpore Chriſti, vbi in cœnaculum ingreſſus eſt. quæ duo abſurdiſsima ſunt. Ergo vt ex partibus continui vera compoſitio reſultet, debent eſſe realiter vnitæ inter ſe.

30 Iam minor illa primi ac præcipui ſyllogiſmi, ſcilicet, eam vnionem realē partium continui nō poſſe eſſe, niſi aliquod indiviſibile, ſuadetur. Illa vnio debet eſſe realiter diſtincta ab vtraque parte immediatè vnita, quia ſeparatur ab ijs realiter, & deperditur, vel adquiritur facta di-

diviſionē, aut coniunctione vtriuſque partis; cùm tamē nihil quantitatis partiū realiter deperdatur, vel adquiratur, vt à *n.* 17. oſtēſum eſt. Tum quia, quidquid ſit, an partes compoſiti ſubſtantialis vniantur modo aliquo ſuperaddito (in quo certa mihi eſt affirmativa ſententia) id ſaltem negari non poteſt de partibus quantitativis continui, quæ non comparantur inter ſe vt actus & potentia; neque ordinantur eſſentialiter ad conſtituendum vnum aliquod totū; neque immediatè dicunt habitudinem mutuam, vt vna compleatur per aliam. quibus rationibus niti ſolet ſententia affirmans materiam & formam vniri abſque nexu realiter diſtincto. Cùm igitur hæc omnia deſint in partibus continui, vt ex ſe patet; conſequens eſt, vt non, niſi media vnione realiter diſtincta, copulentur. Sed hoc ſtatuto, illa vnio nequit eſſe diviſibilis, ſed potiùs quid indiviſibile. Ergo partes cōtinui vniūtur realiter mediāte aliquo indiviſibili. Probatur minor. Hoc enim ipſo quòd illa vnio ſit vinculum diſtinctū realiter ab vtraque parte quantitatis immediatè coniuncta, non eſt pars quantitatis, neque quantitas. Alias de illa rediret argumentū probaretque, vniri debere media alia vnione ſuper addita, quæ non eſſet pars quantitatis, neque quantitas, ſed aliquid ab omni parte quantitatis diſtinctū realiter; donec procederemus in infinitū. Si autem illa vnio nec eſt quantitas, nec pars quātitatis; ergo nec extenſa, nec diviſibilis eſt, ſed potius quid inextenſum, & indiviſibile. Patet coſequētia. Quia quod neque eſt quantum, neque pàrs quanti, nequit eſſe extēſum & diviſibile; cùm *quanti* eſſentia definiatur per rationem extenſi diviſibiliſque; & definitio nequeat alteri, quàm ſuo definito convenire. Reſtat igitur, vt vnio illa partiū quantitatis ſit aliquid inextenſum & indiviſibile: quod ego appello *punctum copulativum*; tu vero, modò illud in re concedas, quocumque alio nomine ſignificare potes: de hoc enim parùm, aut nihil contendendum eſt.

31 *DICES.* Poſita opinione, quæ docet materiam & formam vniri medio nexu diſtincto, probabile eſt dari duplicem vnionem partialem ex parte duplicis extremi vniti. Ergo poſito ſimiliter partes quantitatis vniri medio nexu diſtincto, hic erit duplex; ac proinde ex vtroque nexu partiali, reſultabit integer nexus, qui indiviſibilis non ſit, nec ſimplex, ſed compoſitus diviſibiliſque.

32 *SED Contrà.* Ideo namque materia & forma vniantur duplici nexu partiali, & non eodem indiviſibili, ideo eſt, quia cùm partes eſſentialiter diverſæ ſint penes actum & potentiam, afferre debent vniones partiales etiam diverſas, quarum altera quodammodo habeat rationem actus, altera vero potentiæ. Præſertim vbi anima eſt rationalis & ſpiritualis, ex ſe requirit vnionem ſpiritualem, quæ vnioni materiali corporis adiungatur. At partes quantitatis, præſertim homogeneæ, non ſunt eſſentialiter diverſæ penes actum, & potentiam, ſed imo vero omnes eiuſdem rationis, tanquā actus partiales. Ergo propter oppoſitum fundamentum non exigunt vniones partiales, ſed vnicam. quæ cùm quanta non ſit, nec quantitatis pars, omnino indiviſibilis eſſe debet.

33 *COLLIGES,* Adhuc poſita ſententia Zenonis, proprio loco exponenda, poſſe admitti puncta copulativa: Quia etiã continuum reſolvatur vltimo in indiviſibilia, & ex duobus illorum ſeorſim incompletis vltima pars continui vt quanta & diviſibilis eſſentialiter componatur; adhuc poteſt aſſeri partem illam, vt vniatur alteri proximæ ſibi, & omnino æquali, indigere intermedio vinculo, quod ſit indiviſibile per modum nexus, & alterius omnino rationis ab ijs, quibus pars vtraque quanta immediatè componitur: ſicut licèt rationalis anima ſit eſſentialiter indiviſibilis, indiget ſuperaddito vinculo indiviſibili alterius omnino rationis, quo vniatur materię; & in ſententia Ariſtotelis, quædam indiviſibilia ſunt purè terminativa, quædam vero purè copulativa. Similiter ergo in ſententia Zenonis poſſent aſsignari quædam indiviſibilia purè copulativa, vltra ea, quæ integrativa, aut compoſitiva ſunt (vt ita loquar) cuiuſque partis continui in ſe conſideratæ.

34 *POSTERIOR* Aſſerti pars, quæ eſt de punctis indiviſibilibus terminativis, præter teſtimonia *ſuprà* adducta, probatur breviter ratione ex prædictis, & a fortiori, vt aiunt. Si enim partes eiuſdem continui permanentis, quamvis ſint realiter vnitæ, & conſtituant vnum per ſe, non vniuntur immediatè, ſed medio aliquo indiviſibili, quo invicem copulentur; ergo multo minùs ſuperficies contiguæ duorum corporum, quæ neque realiter vniuntur, neque conſtituunt vnum per ſe, coniungentur immediatè, ſed medio aliquo terminativo indiviſibili terminante ſuperficiem, ne partes vltimæ vtriuſque ſe tangant immediatè. Alias maior & immediatior

coniunctio erit inter partes corporum adæquatè & realiter diverſorum, quàm inter partes coniunctas eiuſdem corporis realiter indiviſi, quod abſurdiſſimum eſt. Ergo in vnoquoque corpore continuo vltra indiviſibilia copulativa, admitti debent alia quæ ſint ipſius terminativa.

SECTIO QVARTA.

Soluuntur argumenta è medio tollentia partes actu exiſtentes, & puncta copulativa, ac terminativa, à continuo permanenti.

35 AD I. ex Ariſtotele & D. Tho. deſumptum, notandum eſt, medietates vnius lineæ, & cuiuſque alterius corporis continui, dum in eo ſunt, habere rationem partium actu, quia actu componunt; rationem verò totius in potentià, quia per actum diviſionis poſſunt fieri duo tota adæquatè diviſa, & non ſolùm diſtincta. Ad rem ergo, quando Ariſtoteles & Doctor Angelicus innuunt, duas medietates non eſſe actu in corpore continuo, ſed potentia tantùm; intelligendi ſunt de medietatibus vt ſeorſim poſitis, & ad modum duplicis totius; non vero vt exiſtentibus in toto indiviſo adhuc: quia ſub hac conſideratione abundè conſtat ex ipſorum teſtimonijs partes actu exiſtere in toto antequam dividatur.

36 AD *Confirm.* ex eodem D. Thomà, dicendum, eò loci ſermonem eſſe de partibus proportionalibus homogenei continui, quæ in quantùm tales non diſtinguuntur actu adæquatè, ſed inadæquatè ſolùm, & veluti incluſum ab includente a partibus certis, maioribuſque, in quibus continentur: ideoque cum ijs non conſtituunt numerum, quia numerus importat vnitates diſcretas, ac proinde adæquatè diſtinctas. Sed cum hoc ſtat quòd eædem partes proportionales, nõ vt proportionales ſunt, ſed vt comparatæ cum alijs adæquatè diſtinctis, ſive æqualibus, ſive inæqualibus, diſtinguantur actu per propriam vnitatem adæquatè diſtinctam ab ijs, numerumque conſtituant: ſicut & partes totius heterogenei, vt dentes, oſſa, brachia, quæ actu diſtincta ſunt per vnitates proprias, numerum conſtituunt, vt evidens eſt, & ipſe D. Thom. agnoſcit. Sed de hoc latiùs *diſp.* 35.

37 AD II. *Ex num.* 5. recta eſt ſolutio ibidem aſsignata. Ad inſtantiam *ex num.* 7. Diſtinctio partium quantitatis intra continuum eſt partialis, & integralis, ac purè numerica. Nam licèt ſit inter actũ & actũ, non tamen eſſentialem, qui ſolum accipitur pro formà ſubſtantiali, aut differentià ſpecifica; ſed accidentalem, & integralem. Cum enim quantitas ex ſua ratione propriâ ſit forma, & actus accidentalis ſubſtãtiæ materialis, reddens illam extenſam & diviſibilem, multò magis in ſe ipſa debet eſſe extenſa, diviſibiliſque; ac proinde & conſtare partibus habentibus rationem formarum, ſive actuum partialium & integralium in ordine ad diverſas partes materiæ.

38 AD Fundamentum *ex num.* 8. quo excluduntur puncta indiviſibilia a cotinuo, tam continuativa, quam terminativa, negatur minor. Ad probationem partis poſterioris, ex qua prior deducitur, dicendum eſt quantitatem, vt continua ſit, pendere eſſentialiter ab indiviſibilibus, quibus partes vniuntur, & totum aliquod continuum componunt: ſicut compoſitum ſubſtantiale quatenus tale eſſentialiter pendet à nexu, ſive vnione materiæ cum formà. Vnde ſicut abſque vnione vtriuſque compoſitum ſubſtantiale, neque eſſe, neque intelligi poteſt; ſic etiam compoſitum, ſive continuum, abſque vnione, ſeu continuatione partium, neque eſſe, neque intelligi valet. At nulla alia vnio, ſive continuatio partium eſſe poteſt, quàm indiviſibilia copulativa. Ergo ijs ablatis, ſive in re, ſive per intellectum, deſtruitur ratio quantitatis continuæ. Cumque ratio continuæ ſit differẽtia ſpecifica quantitatis, & nulla res manere poſſit abſque ſua differentià ſpecifica, adhuc ſecundùm poteſtatem Dei abſolutam; conſequens eſt, vt in caſu argumenti ablatà continuatione, & ipſa quantitas deſtruatur.

39 INSTABIS Cum Spinula *diſp.* 14. *ſect.* 3. *num.* 24. reijciente indiviſibilia copulativa, & ponente continuum ex ſolis indiviſibilibus conſtans. Pro illo priori naturæ, quo partes quantitatis antecedunt indiviſibilia copulativa, tanquam cauſæ materiales illorum, vel partes ſunt diviſibiles, vel indiviſibiles? Si diviſibiles; ergo & continuæ independenter a punctis copulativis ſupervenientibus pro poſteriori. Si indiviſibiles, iam concedis continuum conſtare ſolis indiviſibilibus.

40 RESP. Hanc obiectionem non tam eò tendere, vt excludat vnionem realiter ſuperadditam partibus quantitatis, quam idem Author *ſect.* 2. *à num.* 8. pluribus firmare conatur, quam vt probet continuum ſolis indiviſibilibus conſtare: quod

in

in ſequentibus diſputationibus examinandum eſt. Deinde dico, partes quātitatis nec poſſe exiſtere, nec præcedere pro aliquo priori indiviſibilia; quia nihil poteſt præcedere pro priori naturæ id, quo eſſentialiter conſtituitur. At partes illæ eſſentialiter coſtituuntur indiviſibilibus, quia eſſentialiter ſunt extenſæ & continuæ: continuātur autem media vnione indiviſibili. Ergo partes illæ nequeunt pro priori naturæ præcedere indiviſibilia: ſicut homo pro nullo priori naturæ antecedit vnionem materiæ & formæ, quia illam eſſentialiter importat.

41 *SED* Contra hanc ſolutionem inſtat idem Author multipliciter. *Primò* quia in ea petitur principium, & reſpondetur id, quod in quæſtione eſt. Diſputatur enim, vtrum quantitas continua componatur ex indiviſibilibus copulativis, habentibus rationem vnionum inter illas; & reſpondetur argumento partis negativæ, oppoſitum à priori probanti, hac vna ſolutione; quod quælibet pars quantitatis eſſentialiter conſtet vnione, ſive indiviſibili continuante. Ergo petitur principium, & reſpondetur id ipſum, de quo diſputatur. *Secundò*. Omne illud, quod in quantitate palmari realiter eſt pars, non eſt vnio realiter, adhuc inadæquatè: cùm tamen homo, in quo ſolutio exemplum adhibet, ſit vnio realiter ſaltem inadæquatè. Ergo nulla eſt implicātia in eo quòd Deus conſervet partes quantitatis, deſtructis vnionibus, quanquam repugnet hominem conſervari, vnione partium deſtructa. Probatur antecedens. Quod formaliter eſt pars, in quātùm tale, eſt ſubiectum vnionis. Sed ſubiectum vnionis in quantum tale nequit eſſe vnio, adhuc inadæquatè; aliàs vnio reciperet vnionē, quod repugnat. Ergo quod formaliter eſt pars, in quantum tale, nequit eſſe vnio, adhuc inadæquatè. *Tertiò*. In quantitate ſunt entia duplicis generis, ſcilicet, res, & modi, & materiale, & formale. Materiale, ſive res, ſunt partes; formale, ſive modi, ſunt vniones. Atqui omne materiale vt materiale diſtinguitur adæquatè à formali, cum habeat coſtitutivum adæquatè diverſum. Ergo partes quantitatis diſtinguuntur realiter adæquatè ab vnionibus; ideoque poterit Deus illas realiter ſine vnionibus conſervare. *Quartò* denique obijci poſſet, vnionem materiæ cum forma, ſi ab vtraque ſimul diſtinguatur, educi realiter ex potentia materiæ præſuppoſitæ pro aliquo priori naturæ, vt cauſæ materialis *ex quâ*. Ergo ſi partes continui nectūtur vnione indiviſibili ſuperaddita, hæc educetur ex ipſis partibus, tanquā ex cauſa materiali. At omnis cauſa materialis eſt prior natura ſuo effectu, & conſtituitur intrinſecè adæquatè per aliquid prius, non vero per ipſum effectum, adhuc inadæquatè: ideoque materia nullatenus conſtituitur per vnionem ſuperadditam, aut per formam ex ipſa eductam. Ergo omnis pars quātitatis eſt prior natura vnione ſuperaddita, & conſtituitur intrinſecè adæquatè antecedenter ad illam. Ergo pro illo priori naturæ, aut exiſtere, aut cogitari ſaltem poteſt conſtituta. Et tunc inquiritur, an ſit, vel cogitetur ſaltem extenſa & diviſibilis, an potius indiviſibilis & inextenſa? Si ſecundum; conſtabit planè continuum ſolis indiviſibilibus. Si primum, quantitas vt extenſa & diviſibilis non conſtituitur per vniones.

42 *VERUM* Hæc non obſtant. *AD I.* Negatur in ſolutione peti principium, aut reſponderi id ipſum, quod in quæſtione eſt; cùm aſſignetur ratio à priori ex naturâ quantitatis continuæ, quæ in quantum talis eſſentialiter importat continuationem partium: continuatio autem partium, nihil aliud, quam illarū vnio, eſt. Cumque vnio hæc debeat eſſe indiviſibilis, & diſtincta ab extremis, vt ſuprà multis oſtenſum eſt, conſequens fit, vt omnis pars quantitatis continuæ, vt continuæ (de hac enim ſolùm diſputamus) eſſentialiter importet vnionem indiviſibilem, nō minùs, quàm homo vnionem materiæ & formæ. *Ad II.* nego antecedens. Ad probationem concedo totum ſyllogiſmum, qui procedit in ſenſu formali, & debebat inferre conſequentiam in ſenſu reali, vt antecedens probaretur, quod ſolùm in ſenſu reali propoſitum eſt. Itaque poteſt quælibet pars quantitatis conſiderari in quantùm pars totius continui, vel in quantum continua, & extenſa in ſe. Priori ſenſu eſt ſubiectum vnionis, qua nectitur cum alijs partibus, & ſic non eſt vnio cum ijſdem realiter, adhuc inadæquatè, ſicut materia non eſt realiter inadæquatè vnio cum formâ; ſi vnio ſit realiter vtrique ſuperaddita. Poſteriori autem ſenſu pars quātitatis realiter, imò eſſentialiter inadæquatè eſt vnio, ſicut homo realiter, imò & eſſentialiter inadæquatè eſt vnio. *AD III.* In quantitate nulla datur vera compoſitio ex materiâ & forma, neque vna pars eſt materia, aut forma reſpectu alterius; neque ſubiectum reſpectu vnionis qua eſſentialiter conſtat, vt extenſa & continua in ſe; quanquam duæ partes poſſint appellari ſubiecta vnionis ſuperadditæ, quà inter ſe copulantur. Verùm hæc vnio vtrique accidentaria eſt, & deperdi poteſt per diviſionem,

nem, vtraque parte diviſà in rerum naturà manente. Vnio autem, ſaltem aliqua vagè ſumpta, qua pars ipſa in quantùm extenſa & continua in ſe conſtituatur, inamiſsibilis & eſſentialis eſt. *Ad IV.* diſtinguendum de partibus continui, ſimul indiviſibiliterque productis; & de ijs quæ, cùm antea diviſæ eſſent, poſtea coniunctæ ſunt, per aggenerationem, aut augmentationē, vt ſi aquæ præexiſtēti adijcias partem alterius aquæ. In hoc poſteriori eventu vtraque quantitatis, ſive aquæ pars adquirit novam vnionē ex potentia ipſarum eductam, quæ proinde de neutrius partis eſſentià eſt. In priori autē conſideratione vnio partium quantitatis non educitur ex potentia ipſarum partium, ſed ſimul cum ipſis partibus educitur de potentia materiæ, ſicut & omnia alia accidentia. Vnde nunquam evincitur partes quantitatis prout extenſæ & continuæ ſūt in ſe ipſis præcedere vniones per modum ſubiecti, licèt accidentaliter per cōiunctionem ad aliam quantitatem poſsint eſſe ſubiecta novæ vnionis, aut medià diviſione amittere vnionem, qua copulabantur cum alijs partibus.

43 *AD Confirm. ex num. 10.* Senſus Philoſophi & D. Thomæ ſolùm intelligendus eſt de ſuperficie, linea, & puncto, terminativè acceptis, & nondum exiſtentibus, vt inſinuat idem S.D. verbis immediatè ſequentibus, ſcilicèt, *niſi quantum ad ea, quæ terminant continuum.* Itaque puncta illa terminativa, quæ reſultant in duabus partibus quantitatis vbi primo hæ dividuntur (idemque eſt de linea vbi ſecatur, & ſuperficie vbi dividitur in lineas, & de corpore vbi dividitur in ſuperficies) non erant antea actu in ijs: ſed potentia ſolùm. Cæterùm in fine cuiuſque lineæ aut quantitatis actu exiſtunt ſemper aliqua ſaltem puncta actu terminantia; tum vt linea, & quævis quantitas poſitivè finiatur; tum ne vniatur immediatè, ſed mediante aliquo indiviſibili alijs quantitatibus contiguis. Vide aliud argum. difficile *diſp. 35. à num. 35.*

DIS. TRIGESIMA QVARTA.

AN CONTINVVM PERMANENS CONSTET PARTIbus abſque fine dividuis, an potiùs ſolis indiviſibilibus?

Num. 1. *SVPPONO Ex dictis præcedenti diſp. quamlibet quantitatem permanentem conſtare partibus realiter & actu diſtinctis, & indiviſibilibus, quibus ipſæ partes copulantur. Quare diſsidium eſt in præſenti, an ipſa continua quantitas ita ex partibus componatur, vt illæ ſint infinitum diviſibiles, nunquamque reſolvi poſſint in pura indiviſibilia. Habet locum apud Ariſtotelem* hoc lib. 6. c. 1. & 2. *& alijs pluribus locis.*

SECTIO PRIMA.

1 *Refertur duplex opinio extremè oppoſita, & vniuſcuiuſque Authores. Præfertur Ariſtotelica, vt communis apud patres & Philoſophos. An definita?*

2 C*OMMVNITER* Adſcribi ſolet Zenoni Cittico, Stoicorum Principi, ſententia, quæ docet continuum permanens non componi immediatè partibus abſque fine dividuis, ſed ſolùm indiviſibilibus. Sed quam procul à vero id ſit, facilè quiſque colliget ex Diogene Laertio *in vita eiuſdem Zenonis*, ex cuius mente tradit materiam, ſcilicet, quātitati ſubiectam, & ſingularem, non ſolum incrementa & decrementa habere, ſed etiam partibilem eſſe, & diviſibilem in infinitum. Id enim expreſsè docet illis verbis: ἔνθεν κακεῖνο, ὅτι τομὴ εἰς ἄπειρόν ἐστι. *Hinc & illud conſequens, quòd ſectio illius in infinitum ſit.* Neque ille Zeno contra quem diſputat Ariſtoteles hoc *lib. 6. Phyſicæ cap. 9.* eſt Citticus Stoicorum Anteſignanus; ſed alius Zeno Eleates, qui motum negavit, eo quod infinitum ſpatio temporis finito pertrāſiri non poſsit. Quo planè ſupponit motum, ſi daretur, partibus infinitis conſtare debere. Neuter ergo Zenonum reipſa continuum ex indiviſibilibus componi, aſſeruiſſe videtur. Quia tamen ſolemne eſt Recentioribus eam paſsim dicere Zenonis ſententiam, eoque nomine pervulgata eſt ſæpe illam eadem appellatione indigitabimus, tum vt morem geramus

alijs

alijs in modo loquendi, tum vt vnico verbo illa indicari poſsit.

3 Verùm quidquid ſit de hôc, eam opinionem expreſse adverſus Ariſtotelem defendunt nonnulli ex Recentioribus: vt Cornelius à S. Patricio *tract. de continuo, diſput. 2. num. 1.* Franciſcus Patritius *lib. 2. de Rer. Nat. cap. 1.* Tellez *diſput. 35. Phyſica ſect. 1.* Spinula *diſput. 14.* Herice *1. p. tract. 4. diſp. 43. cap. 2. n. 6.* Quiros *diſp. 67.* quorum aliqui plures alios ex Antiquis pro eâdem opinione appellant: qui tamen, ſi rectè evolvantur, longè ab ea ſunt, vt ex ſcriptis ipſorum verbis oſtendere poſſemus. Denique in idem apertè, & plurimis ingenioſè excogitatis conſpirant Arriaga *diſp. 16. Phyſicæ*, & Oviedo *controv. 17.* per totam quamquam hic demum *puncto 11. num. 3.* oppoſitæ ſententiæ videatur ſubſcribere.

4 *SECVNDA* Sententia eſt expreſſa Ariſtotelis toto ferè libro hoc 6. *Phyſic.* præſertim *cap. 1. & 2.* atque alibi ſæpè, docentis continuum permanens componi ex partibus abſque fine dividuis; non autem ex puris indiviſibilibus. Hic fuit adeo communis Gentilium Philoſophorum conſenſus, vt vix illorum aliquis inveniatur oppoſitum tradidiſſe, Epicureis exceptis, qui ex atomis, ſeu (quod perinde eſt) corpuſculis individuis continuum coaleſcere exiſtimabant. Lege Lipſium *lib. 2. Phyſiologiæ Stoicorum diſſert. 2. fine.* Solum de Leucippo inquit idem Diogenes: *Hic primus atomos principia rerum ſubiecit.* Et de Democrito: *Sunt autem quæ ille opinatus eſt iſta, principia omnium eſſe atomos, atque inane, &c.* Nec Plato, aut Pythagoras vnquam oppoſitum tradidit, vt eruditè oſtendit Lynceus *lib. 3. Phyſic. tract. 5. à num. 76.* conſtatque ex Platonis verbis in Parmenide aientis: *Propterea vnum ens quodammodo eſt, & multa, totumque & partes; necnon finitum, & multitudine infinitum.* Et præterea: *Nonne multitudines ſunt, in quibus non eſt vnum? Multitudines certè. Quod ſi velimus intelligentia ipſa ex ijs aliquid quam minimum excerpere, an non neceſſe erit illud extractum, vtpotè quod vnius eſt expers, multitudinem eſſe, non vnum? Neceſsè. Nonne tibi ſemper conſideranti ipſam ſecundùm ſeipſam alteram ſpeciei naturam, quantumcumque illius inſpexeris, infinitum multitudine ſemper occurret? Et maximè quidem.* Quid expreſſius? Vt videas, quàm procul a vero Tellez ſupra allegatus Platonem pro contrariâ opinione ſtare velit. Nec minùs apertè Cicero Ariſtotelicæ ſuffragatur *1. Academ. QQ.* potiſsimùm illis verbis: *Materiam eſſe, ex quâ omnia expreſſa atque effecta ſint: eoque etiam interire; non in nihilum; ſed in ſuas partes, quæ infinitè ſecari, ac dividi poſſunt; cùm ſit nihil in rerum naturâ minimum, quod dividi non queat.* Nihil apertius. Niſi fortè illud eiuſdem *lib. 1. de Finibus*, reprehendentis Epicurum: *Ne illud quidem Phyſici eſt, credere aliquid eſſe minimum, quod profectò nunquam putaviſſet, ſi à Polyeno familiari ſuo Geometriam diſcere maluiſſet, quàm illam etiam ipſum dedocere*: Quo plane ſupponit, Ariſtotelicam opinionem Geometris eſſe cõpertam.

5 Iam verò quò ad Patres Eccleſiæ, quotquot de hac re egiſſe dignoſcuntur, apertiſsimis verbis eandem ſententiam tradunt. Nolo ipſorum teſti nonijs paginas onerare. Lege ex Latinis Auguſtinum *lib. 2. de Libero arb. ca. 8. & lib. de Immortal. Animæ, cap. 7. ad finem, & lib. 11. de Trinit. cap. 10.* Claudium Mamercum *lib. 1. de Statu Animæ, cap. 15. & 18. & lib. 2. cap. 3.* Anſelmum Noſtrum *lib. de Incarn. c. 8.* ac D. Thomam in relata loca Ariſtotelis, atque *in 2. diſt. 30. q. 2. art. 2. corp. & 1. p. q. 48. art. 4. & 1. 2. q. 85. art. 2. & 1. contr. Gent. cap. 12.* Ex Græcis autem non modò idem firmat, ſed contrariam Epicureorum opinionem graviter reprehendit Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromatum* illis verbis: *Principia ponunt indiviſibilia, Philoſophiæ nomen ſuſpicientes, impij quidam homunculi, & voluptatibus dediti.* Nazianzenus Orat. 34. illam appellat *abſurdam & anilem.* Baſilius Homil. 1. in Hexaëm. inquit; *vecordi imaginatione deluſis*, qui eam adſtruxerunt. Denique eam reijcit S. Ioannes Damaſcenus *cap. 33. ſuæ Dialecticæ*, ſi ſerio expendatur.

6 *PORRO* Scholaſtici, & Philoſophi, præterquam Recentiores, qui eandem tuentur, innumeri ſunt, & vt verbo dicam, omnes, aut ferè omnes præter ſuperiùs allegatos, tam ex Schola D. Thomæ, quàm Scoti, & Societatis, & ſiqui alij. quorum numeroſum agmen producit præ alijs Bartholomæus Amicus *in Phyſ. tract. 15. q. 6. dub. 5.* & nos facilè referre poſſemus alicuius temporis iactura. Fraudandi tamen non ſunt, qui ſpecialiter pro eâ illuſtrandâ laborarunt: vt ex Schola Angelici Doctoris Magiſter Ioannes a S. Thomâ *q. 20. per totam*, & PP. Complutenſes *diſput. 25. Phyſic.* ex Schola Societatis, poſt Eximium Suarez, Hurtadus *diſp. 15. Phyſicæ, ſect. 5.* atque eruditiſsimus Richardus Lynceus *lib. 3. Phyſic. tract. 6. & 7.* & denique ex Diſcipulis Scoti Pontius *diſp. 18. Phyſicæ.*

QVAM

7 *QVAM* Sententiam, antiquitate ipſa, & communi fere omnium Doctorum ſuffragio venerabilem, atque Ariſtotelis expreſſam, omnino præferendam exiſtimo. Non tamen ideo certam, aut definitam cenſeo, vt aliqui, volentes oppoſitam in Concilio Conſtantienſi fuiſſe damnatam inter propoſitiones Ioannis VViclefi, & Ioannis de Hus. Verum quidem eſt, Henricum de Piro, Promotorem & Procuratorem Concilij, coram Patribus in eo congregatis accuſaſſe vtriuſque Hæreſiarchæ opinionem, quã aſſerebant continuum ex punctis finitis conſtare; ac præterea, non eſſe poſſibile quod tempus & linea aliter componantur, &c. Poſt quæ ſtatim additur: *Prima pars eſt error in Philoſophia.* Ita enim legitur in editione Colonienſi anni 1567. *tomo.* 3. *Conciliorum, in Conſtantienſi ſeſſ.* 15. *pag.* 836. At exinde non colligitur, aut oppoſitam fuiſſe ab Eccleſia damnatã, aut noſtram aliquando definitam. *Primò*: Quia illa cenſura non fuit prolata à Concilio, ſed ſolùm ab illius Promotore, qui potuit pluſquam par erat Ariſtotelis communi ſententiæ deferre. Vnde inter triginta errores VViclefi & Huſij a Concilio improbatos non numeratur. Addunt aliqui, neque illam extare in Actis authenticis eiuſdem Concilij, ſed adiectam fuiſſe in codice cuiuſdam Canonici Colonienſis, quo vſus fuit Typographus in ea editione. Vnde & in alijs non extat. *Secundò*: Quoniam, vt ex Spondiano, Binio, & Bellarmino *tom.* 1. *Controv. lib.* 2. *de Cõcil. authorit. cap.* 19. alijſque multis conſtat, illud Concilium neutiquam fuit congregatum authoritate alicuius ſummi & indubitati Pontificis; ſed tempore Schiſmatis, & ſumma rerum diviſa inter Baltaſſarem Coſſam, Angelum Coriarium, ac Petrum de Lunã, quorum ſingulis pars Eccleſiæ adhærebat. Et licet poſtea fuerit approbatum à Martino V. nõ tamen quò ad eam cenſurã prædictæ opinionis: vt patet ex Bulla ipſius *pag.* 917. allegatæ editionis Coloniæ Agrippinæ, curã & ſtudio Laurentij Surij peractæ. *Tertiò*: Quia vt rectè docet Valentia *tom.* 3. *diſp.* 1. *q.* 1. *puncto* 7. *in reſponſione ad* 4. Pontifex non habet infallibilem authoritatem definiendi aliquid in controverſijs purè phyſicis, aut mathematicis; ſed in ijs ſolũ, quæ ad pietatem & religionem conducũt: proindeque, cùm materia de quã agimus non ſit poſterioris generis, ſed prioris; exiſtimandum eſt, nihil de illa, vel a Concilij Patribus, vel a Pontifice, definitum fuiſſe. Id tamen vnum colligere licet, ſententiam Ariſtotelis eo tempore adeò pervulgatam fuiſſe, & inſediſſe tam altè animis Patrum Conſtantienſium, vt vir illis doctus ac gravis non dubitaverit coram omnibus damnare opinionem adverſam, continuum ex finitis indiviſibilibus componentem, veluti errorem in Philoſophiã. Verùm quidquid ſit de cenſura, veniamus ad rationum momenta.

SECTIO SECVNDA.

Prima ratio ſententiæ Ariſtotelicæ multipliciter roboratur, præoccupatis evaſionibus quorundam Adverſariorum.

8 PRIMAM Rationem deſumo ex Ariſt. *hoc libro* 6. *Phyſic. cap.* 1. *textu* 2. illis verbis: ἔτι ἀνάγκη ἤτοι συνεχεῖς εἶναι τὰς στιγμὰς, ἢ ἁπτομένας ἀλλήλων, ἐξ ὧν ἐστὶ τὸ συνεχὲς, ὁ δ' αὐτὸς λόγος, καὶ ἐπὶ πάντων τῶν ἀδιαιρέτων, &c. *Præterea neceſſe eſt puncta, è quibus eſt continuum, aut continua eſſe, aut ſe viciſſim tangere. Eadem autem in omnibus individuis eſt ratio. At continua quidem eſſe non poſſunt propter rationem, quæ iam dicta eſt. Tangit autem res quæque, aut tota totam, aut pars partem, aut totum partem. Sed cum indiv duum partibus vacet, vt totum tangat neceſſe eſt. Continuum verò non ſit, cùm totum totum tangit. Aliam namque atque aliam partem habet continuam, & in eã dividitur, quæ hoc modo ſunt diverſa, atque loco abiuncta.* Huc uſque Ariſtoteles: cuius argumentum, vbique celebre, ſub hanc formam propono. Vt continuum componatur ex puris indiviſibilibus, debet vnum indiviſibile additum immediatè alteri facere cum eo maius intra genus quantitatis continuæ. Sed vnum indiviſibile additum immediatè alteri nequit cum eo facere aliquid maius in genere quantitatis continuæ. Ergo continuum non componitur ex puris indiviſibilibus. Conſequentia eſt in quarto modo ſecundæ figuræ. Maior, nec ab Adverſarijs negatur, & ſuadetur facilè: quia de ratione vnius partis eſt, vt ſimul cum alia faciat totum, ac proinde maius vnaquaque illarum ſeorſim ſumpta. Ergo de ratione partium, quibus componitur quantum, generatim loquendo eſt, vt vna pars illius immediatè addita alteri, cum eã faciat aliquid maius in genere quantitatis; continuæ quidem, ſi fuerit pars quantitatis continuæ, in genere autem quantitatis diſcretæ, ſi huius fuerit pars. Iam minor illa præcipua, in qua eſt

tota difficultas, probatur: Quia contactus duorum ſecundùm ſe tota nõ ſinit ex vtroque fieri aliquid maius intra genus quantitatis continuæ: ſicuti ex duobus corporibus, ſi ſe invicem tangant ſecundùm ſe tota, ac proinde penetrentur, nequit reſultare aliquid maius in genere quantitatis continuæ, ſed tantundem extenſionis habebit vnum, ac aliud. At indiviſibile additum immediatè alteri indiviſibili, tangit illud & viciſſim tangitur ab eo ſecundùm ſe totum. Cum enim careat partibus, & ſit merum punctum, vel totum tangi neceſſum eſt, vel nihil. Ergo vnum indiviſibile additum immediatè alteri nequit cum eo facere maius in genere quantitatis continuæ.

9. *CONFIRMATVR.* Vnum corpus continuum ſi immediatè tangat aliud, & viciſſim tangatur ab eo ſecundùm ſe totum, eo ipſo penetratur, & coniunctim non occupat maius loci ſpatium, quam ſeorſim. Id enim eſt de ratione penetrationis, quæ definitur, *contactus duorum ſecundùm ſe tota.* At vnum indiviſibile coniunctum immediatè alteri, tangit & tangitur viciſſim ab eo ſecundùm ſe totum, vt probatum eſt. Ergo eo ipſo cum illo penetratur, & proinde non occupat maius ſpatium coniunctim, quam ſeorſim. Cumque eadẽ ratio ſit de omnibus indiviſibilibus, omnia illa ex quibus quantum palmare v.g. conſtare dicitur, tanquam ex partibus, naturaliter penetrata erunt; quod in partibus corporis quanti eſt naturaliter impoſſibile; & coniuncta in quantitate palmari non occupabunt pluſquam ſeorſim; ac proinde nõ pluſquam ſpatium loci indiviſibile; cuius oppoſitum ad ſenſum patet.

10 *RESPONDET* Arriaga vbi ſupra *num.* 89. aliique Recentiores, vnum indiviſibile additum immediatè alteri, tãgere quidem illud ſecundùm ſe totum; nõ tamen propterea cum eo penetrari, aut occupare eundem locum, vt requiritur ad penetrationem; ſed tantummodo occupare loca contigua & indiviſibilia. Quod verò nequeat vnum corpus continuum tangere aliud ſecundùm ſe totũ abſque vtriuſque penetratione, aliunde oritur: ſcilicet, quia quodlibet illorum habet partes extra partes, quarum poſteriores nequeunt tangi, quin anteriores penetrentur. Hæc autẽ ratio locum non habet in punctis indiviſibilibus omni partium pluralitate carentibus: ac proinde poterunt ſe totaliter tangere abſque eo quod penetrentur.

11 *SED Contrà I.* Penetratio nihil aliud eſt, quàm duorum contactus ſecundùm ſe tota, vt patet ex ipſius definitione. Ergo quoties datur duorum contactus ſecundùm ſe tota, ſive illa ſint diviſibilia & continua, ſive indiviſibilia & apta ad continuũ partialiter componendum, erit vera illorum penetratio: quia de quo verificatur definitio ſimpliciter, etiam verificari debet definitum. Sed probatum eſt, & cõceditur ſolutione præiacta, vnum indiviſibile immediatè alteri additum, tangere illud ſecundùm ſe totum, & viciſſim ab eo tangi, quia caret partibus. Ergo vtrunque ſimul penetrabitur. *CONTRA II.* Poſſibilis eſt duorum indiviſibilium penetratio, & de facto fuit, quando Chriſtus illæſo Virginis vtero exivit, & ianuis clauſis ingreſſus eſt cœnaculum. Tunc enim indiviſibilia corporis Chriſti penetrata fuerunt cum indiviſibilibus vteri, ac ianuarum, parietũve cœnaculi. At tunc ideò ſolùm penetrata fuerunt invicem indiviſibilia, quia ſe mutuo tetigerunt ſecundùm ſe tota. Cùm ergo naturaliter & in omni continuo indiviſibilia ſe mutuò tangant ſecundùm ſe tota, dabitur naturaliter illorum penetratio.

12 *DICES* Cum eodem Authore *num.* 91. in iis caſibus, in quibus indiviſibilia invicem penetrata ſunt, non modò intervenisse contactum duorum ſecundùm ſe tota, ſicuti modò naturaliter invenitur; ſed præterea indiviſibile tangens & tactum correſpondiſſe eidem loci puncto indiviſibili: quod certè exigitur ad ſtrictam penetrationem. Cæterùm modò de facto, quanquam vnum indiviſibile tangat & tangatur ab alio ſecundùm ſe totum, non correſpondet eidem indiviſibili ſpatio loci, ſed diverſo. Quare ſolùm ſequitur, nihil vtrunque interiacere, ſeu nihil interponi mediũ, quod ſufficit ad mutuum contactum; non vero vtrunque reſpondere eidem indiviſibili puncto ſpatii imaginarii, vt requiritur ad penetrationem. Sic etiam licet prima ſuperficies vnius manus tangat immediatè alteram alterius ſuperficiem ſecundùm ſe totam, adhuc non penetratur cum eâ: quia non reſpondet eidem indiviſibili loco vtraque ſuperficies indiviſibilis.

13 *SED Contrà I.* Et incipiendo à poſtremâ ſolutionis parte, falsò in ea ſupponitur, quoties duæ primæ, ſive extimæ ſuperficies manuum ſe invicem tangunt, non correſpondere vtranque eidem indiviſibili ſpatio loci. Oppoſitum enim non ſolùm expreſsè tradit, ſed etiam à priori probat S. Thomas ex definitione contiguorum *q.* 20. *de Veritate ar.* 2. *ad* 3. illis verbis: *Duo puncta duarum linearum ſe tangentium,*

trici cadit vnum pũctum circuli ſuperioris & excẽtrici; & ſic totidem puncta erunt in circulo ſuperiori, ac in inferiori: ac proinde vnus circulus erit æqualis alteri; cuius oppoſitum evidẽs eſt. Aut ſupra quodvis punctũ circuli inferioris & concentrici, vt condiſtinctũ ab alijs, erunt duo, vel plura puncta circuli ſuperioris & excentrici: & hoc modo ſingulis punctis circuli inferioris reſpõdebunt duo aut plura pũcta circuli ſuperioris; proindeque hic erit duplò maior altero, aut etiam ampliùs: quod pariter conſtat eſſe falſum. Aut denique ſupra quodlibet pũctum circuli inferioris ſunt plura circuli ſuperioris puncta, v.g. tria: Hæc autem nequeunt eſſe recta & in modum lineæ directè ſupra illud, ſed obliquata, & veluti in figuram arcus diſpoſita: ac proinde medium trium punctorum erit directè ſupra vnũ inferioris circuli punctum; collateralia vero erunt directè ſupra illud, ſed ad latus, & ſupra alia viciniora pũcta eiuſdem circuli inferioris. Hinc autem manifeſtè ſequitur, pũctum illum inferioris circuli partes aliquas ſeu latera habere: quod planè repugnat indiuiſibili puncto. Probatur ſequela. Nequit enim intelligi, quomodo ex tribus punctis circuli ſuperioris, diſpoſitis in formam arcus, medium ſit directè ſupra quoddã aliud punctum inferioris circuli; collateralia vero eiuſdẽ circuli ſuperioris puncta ſint adiacentia ad latus ejuſdem puncti circuli inferioris, & nõ directè ſupra illud; niſi in hoc puncto ſit latus aliquod remotius à centro, penes quod attingat punctum medium ſuperioris circuli; & duo alia latera inferiora penes quæ attingat duo alia eiuſdem ſuperioris circuli puncta viciniora centro. Ergo eo ipſo punctum illud inferioris circuli habebit partes & latera, penes quorũ aliquod tangatur, & aliud non tangatur à puncto ſuperioris circuli ſibi immediatè correſpondente: ac proinde erit ſimul punctum indiviſibile, vt ſupponunt Adverſarij, & nõ erit indiviſibile. Ergo de primo ad vltimum, ne aliquod ex tribus abſurdis vſque modo illatis ſequatur, dicendum eſt, vnam lineam circularem & concentricam non poſſe immediate addi alteri lineæ excentricæ, niſi vna cum alia penetretur. Alioqui enim, aut ambo circuli erunt æquales, aut pluſquam par eſt inæquales, aut quodlibet ipſorum punctum erit ſimul indiviſibile, & diviſibile, ſeu, quod perinde eſt, habẽs latera & extenſionem. Modò reſtat obijcere ac diſſolvere quaſdã difficultates minimè vulgares quæ rationi huicuſque propoſitę obſtare videntur. Aliam evaſionẽ de punctis inflatis reijciam *diſp.* 36.

SECTIO TERTIA.

Difficultates nonnullæ, & ſpeciales, contra præcedentem rationem, obijcuntur & extricantur.

16 SED Adverſus rationẽ Ariſt. præcedenti ſectione expenſam & roboratam, plura obijci poſſunt, quæ difficultatem ingerant. *Primò* enim retorqueri poteſt argumentum contra ipſum, veluti probans de facto & naturaliter dari penetrationem duorum corporum, ita vt vtrũque ſimul reſpondeat eidem loco. Quoties enim duo corpora ſe tangũt in extremis ſuperficiebus indiviſibilibus, vtraque reſpondet eidẽ indiviſibili loco, vt *n.* 13. diximus, atque adeò penetratur ſimul vna & altera. *Secundò*: Quælibet ſuperficies indiviſibilis corporis continui tangit immediatè alterã interiorẽ, & hæc aliã, & hæc aliã, ſecundũ ſe totã; quia in indiviſibili, ſeu pũcto, ſeu ſuperficie, ſeu linea, non eſt pars, quarum altera tangatur, altera non tangatur; ſed vel ex toto, vel in nihilo debet tãgi. Ergo quælibet ſuperficies vnius corporis continui reſpondebit eidem ſpatio loci, ac altera; & proinde penetrabitur naturaliter. *Tertiò*. Etiã in ſententia Ariſt. indiviſibile continuativũ tangens immediatè partẽ, debet illam tangere ſecundùm ſe totam: quia vnit illam alteri ſecundùm ſe totam, & nequit vnire id quod non tangit. At nihilominus cum eá non penetratur, ſed potiùs reſiſtit penetrationi; quia in cauſa eſt, vt partes ſe tangant in ſolis extremitatibus, & non penetrentur. Ergo ſimiliter ſtat vnum indiviſibile tangere immediatè aliud ſecundùm ſe totum, & tamen cum eo non penetrari.

17 *DICES*, Nulla eſſe vtriuſque paritatem: quia indiviſibile continuativum ab Ariſt. poſitum reſiſtit penetrationi partium, quoniã eſt illarũ extremitas; ac proinde in cauſa eſt, vt partes ſe tãgant mutuo in ſolis extremitatibus, & non ſecundùm ſe totas. Cæterũ punctũ, iuxta contrariam opinionem immediatè additum alteri puncto, nõ tangit illud vt extremitas alterius; ſed totũ quod eſt in illo, extremitas eſt. Vnde idẽ eſt tangere aliud punctũ ſecundũ extremitatẽ, ac tangere illud ſecundùm ſe totũ, ac proinde penetrari cum illo. Hinc ad obiectionẽ reſpondebis, negando punctum continuativum penetrare partẽ immediatã: quia non tangit illam ſecundum ſe totã, cùm ad hoc ſit illi improportionatum; vtpote indiviſibile reſpectu ad partẽ extenſam & diviſibilem. Quare ſolũ illam tangit penes aliquid ipſius partis, quantumcũque minor & mi-

nor aſsignetur; quia ſemper in ea eſt aliud & aliud; ac proinde aliquid quod tangatur, & aliquid quod non tangatur à puncto. Nec præterea vnit illam ſecundum ſe totam, vt in obiectione ſupponitur; ſed ſolum penes aliquid ſui, nimirum penes particulam minorem & minorem quacunque aſsignabili. At verò punctum indiviſibile in opinione adverſa additum immediatè alteri, vnitur ipſi & tangitur ac tangit illud ſecundùm ſe totum, quia in illo non eſt aliud & aliud; ac proinde debet cum eo penetrari.

18 *SED Contrà* inſtari poteſt: Quia eſto indiviſibile continuativum vtriuſque partis immediatæ illam non tangat adæquatè & ſecundùm ſe totam, quia improportionatum eſt vnicuique illarum, tanquā indiviſibile diviſibili & extenſo; attamē negari non poteſt vnamquàque illarū partiū tangere ipſum indiviſibile adæquatè & ſecundùm ſe totum; quia eo ipſo quod illud tangatur, adæquatè tangitur; cùm in eo nō ſit aliud & aliud, vt nos arguimus. Ergo licet punctum non tangat adæquatè aliquā illarū partium, vnaquæque tāgit illud adæquatè: quemadmodum ſi vna quātitas minor intromittatur à Deo intra aliam longè maiorem, hæc tāget illam adæquatè & totaliter; non verò tangetur ab illa adæquatè, ſed inadæquatè tantum, quia minor eſt. Ergo licèt indiviſibile continuativum nō penetret partes immediatas ſibi; ab eis pervaditur, & naturaliter penetratur. *CONFIRM.* Hoc ipſo quod partes immediatæ puncto tangant illud ſecundū ſe totum, reſpondēt eidem indiviſibili ſpatio, ac ipſum pūctum: quemadmodū nos ſuprà *n.* 13. inferebamus punctū immediatè additū puncto reſpōſurum eidem indiviſibili ſpatio, quia tangeret illud ſecundū ſe totū. Ergo eo ipſo vtraque pars reſpondet eidem indiviſibi ſpatio loci, correſpondentis puncto. Sed quoties duo aliqua correſpondent eidē indiviſibili ſpatio loci, invicē penetrātur, vt & nos ibidem colligebamus de eiſdem punctis. Ergo de primo ad vltimum vna pars immediata pūcto naturaliter cum altera penetrabitur.

19 *VLTIMO* Impugnari poteſt ratio Ariſt. Quia optimè ſtat indiviſibile pūctum alteri puncto immediatè additū, facere aliquid extenſum, ſive quantum. Quod multipliciter ſuadetur. *Primò*: Quia punctū continuativū partium ſimul cum eis occupat maius ſpatiū, quā partes ſeorſim ſumptæ. Hæ nāque ſeorſim ſolum occupant ſpatium diviſibile per ſe loquendo, non verò præterea illud aliud indiviſibile loci ſpatiū, quod puncto correſpondet per ſe. Ergo pariter vnū indiviſibile immediatè alteri additū occupabit maius ſpatiū coniunctim, quā ſeorſim. Sed quod occupat maius ſpatiū, nequit nō eſſe maius & extenſum in genere quantitatis. Ergo vnū indiviſibile immediatè additū alteri poteſt facere aliquid maius & extenſum in genere quantitatis. *Secundò* probatur idē aſſumptū in vnitatibus indiviſibilibus, ex quibus immediatè additis reſultat numerus maior vel minor, qui eſt quantitas diſcreta, & extenſa intra genus vniverſale quātitatis. Ergo pariter ex punctis indiviſibilibus immediatè additis reſultare poterit quantitas continua maior vel minor, & extenſa intra genus vniverſale quantitatis. *Tertiò*: Quoniā vnum indiviſibile immediatè alteri additū poteſt facere aliquid maius in genere durationis. Ponè enim duos Angelos fuiſſe creatos in primo inſtāti intrinſeco vnius horæ, & poſteà in vltimo inſtanti alterū deſinere intrinſecè, ſeu, quod perinde eſt, coëxiſtendo eidē inſtāti; alterū verò deſinere extrinſecè, ſeu eidē inſtanti non coëxiſtendo, ſed durationi immediatè præcedenti. Certè tunc magis duraret prior Angelus, quā poſterior; idque ratione exceſſus in duratione penes indiviſibile inſtans. Ergo pariter duarum quantitatum æqualium poteſt vna fieri maior & extenſior alia, ſi illi adijciatur vel vnicum indiviſibile.

CONFIRM. Impugnationes præiactæ obſervatione mathematica præſtantiſsimi Matheſeō Doctoris Christophori Clavij in Scholijs ſuper *lib.* 3. *Euclidis prop.* 16. contra Iacobū Peletariū. Cōtactus lineæ rectæ cū circulo eſt quantitas, ſeu quid extenſum in genere quantitatis. Et tamen contactus ille ſolùm addit puncto circuli aliud punctū indiviſibile lineæ eiuſdem. Ergo poteſt vnū indiviſibile additū immediatè alteri facere quantū, ſeu quid extenſum in genere quantitatis. Conſequentia eſt evidens, & maior demonſtratur apertiſsimè *ibidem* à P. Clavio. Minor verò ſuadetur: Quia linea recta & circulus ſe tangunt præcisè in puncto indiviſibili, non autem in parte extenſa. Alioqui enim pars diviſibilis & extēſa vnius & alterius, inter quas fieret contactus, commenſurarentur ad invicem: ac proinde in circulo eſſet aliqua pars recta, & carens omni obliquitate; vel in linea eſſet pars aliqua obliqua, & carens perfecta rectitudine. quorum vtrumque eſt contra perfectionem circuli ac lineæ mathematicæ. Ergo contactus lineæ rectæ cum circulo ſolùm poteſt eſſe inter punctū & punctum indiviſibile vtriuſque; ac proinde ſolū addit pun-

punctum vnius immediatè puncto alterius. Quod itē argumentum fieri poteſt de contactibus duorum circulorum a parte externa, qui certè ſolum eſſe poteſt in indiviſibili, ne ſi in parte fiat, vna commenſuretur alteri. quod repugnat in duobus circulis contrariam obliquitatem habentibus.

20 *DIFFICILIA* Sane ſunt omnia ferè, quæ hucuſque obiecta ſunt. Non tamen inflectere debent animum ad ſententiam oppoſitam, quæ longè gravioribus difficultatibus ſubiacet. *AD I. ex num.* 16. *RESP.* quando duo corpora ſe tangunt in vltimis ſuperficiebus, indiviſibilia vnius terminativa & alterius ſe tangere adæquatè, & proinde correſpōdere eidem ſpatio indiviſibili loci: quia contigua ſunt, quorum vltima ſunt ſimul. Inde autem ſolum ſequitur vtramque extimam ſuperficiem invicem penetrari quo ad puncta terminativa vtriuſque; & quidem penetratione non ſtricte dicta, quia hæc ſolum verſatur inter res quantas, ſed latè accepta, prout vtrunque punctū tangens adæquate aliud, reſpondet eidem indiviſibili ſpatio. Quod expreſsè videtur docere Ariſtotel. *lib. 1. de Anima, capit. 4. circa finem*, dum ait: *Atqui quid obſtabit, ac prohibebit, vt ſi duo puncta ſunt ſimul in eodem loco, & plura ſint duobus, & infinita?* In ſententia autem oppoſita, cùm indiviſibilia continui ſint quanta, vtpotè veræ partes quanti homogenei, invicem ſtrictè penetrari debent eo ipſo, quod adæquate tangantur ad invicem. Et quemadmodum indiviſibilia quanta vnius corporis poſſunt divinitus penetrari cum indiviſibilibus alterius corporis, quantis in ea opinione; ſic de facto in vnoquoque corpore, indiviſibile quantum alteri immediatè coniunctum, cum eo ſtrictè penetrabitur. Non enim aliquid haberent in ea hypotheſi, neque propinquitatis, neque contactus immediati, & adæquati, quod modo non habeant.

21 *DICES*: Quoties duæ manus ſe invicem tangunt quò ad extimas ſuperficies, & confricantur, non ſolum fit contactus immediatè in indiviſibilibus terminativis & copulativis, ſed etiam in ipſis partibus quantitativis. Quod enim tangitur, caro eſt, quantitas eſt, vt ad ſenſum patet. Ergo & partes quantitativæ vtriuſque ſuperficiei ſunt ſimul, vtpote contiguæ, non minùs, quam ipſa puncta. Ergo quemadmodum puncta ſe penetrant & reſpondēt eidem indiviſibili ſpatio loci; ſic etiā partes ipſæ ſuperficierum ſe naturaliter penetrabunt, reſpondebuntque eidem ſpatio loci diviſibili. *RESP.* conceſſo antecedēti negando conſequentiam: quia ſimultas illa partium eſt ſolius approximationis & indiſtantiæ; non autem contactus adæquati & correſpondentiæ ad idem loci ſpatiū, qualiter in punctis vtriuſque cōtingit. Ratio eſt, quia contactus ille partium quantitativarū ſemper eſt vltrò citroque inadæquatus; neque vna pars eſt adeo minima, vt ſe tota tangatur ab alia: ſed quæcunque minor & minor aſſignetur, ſemper in ea erit aliud & aliud, penes quod tāgatur & non tangatur. Quare nec vna penetrabitur cū alia, nec vtraque reſpondebit eidem loco indiviſibili. Oppoſitum vero per omnia contingit in punctis, vt ex ſe patet.

22 *AD II. obiectionem.* Quælibet ſuperficies exterior corporis continui tangit immediatè aliā interiorē eiuſdem corporis; non tamen adæquate & ſecundū ſe totam; ſed inadæquatè ſolū: idemq́; eſt de alia & alia verſus profunditatē. Ratio eſt quia vel ſuperficies cōſideratur prout indiviſibilis eſt penes profunditatē, vel quatenus eſt diviſibilis penes latitudinē. Priori modo non tangit adæquatè id quod ſequitur immediatè penes profunditatē: hoc enim nō eſt indiviſibile aliquod ſequentis & immediatæ ſuperficiei, ſed pars extenſa penes latitudinē, quæ ab indiviſibili puncto adæquatè tangi non poteſt. Poſteriori autē modo tangit quidem adæquatè id quod immediatè ſequitur; nimirū, indiviſibile alterius ſuperficiei interioris, veluti extremitatē ſui, & vnionem cum alia parte eiuſdē continui, ſibi correſpondente penes profundū. Vnde ſolum ſequitur quod pars illa prout coniuncta cū indiviſibili immediato occupet idem ſpatiū indiviſibile ac propriū eiuſdē puncti; nō verò ſi illa ſeorſim, & prout condiſtincta a puncto conſideretur: quia ſic eſt purè extenſa diviſibiliſque; & rei extēſæ ac diviſibili, vt tali, nequit reſpondere ſpatiū loci indiviſibile. Nec proptereà ſequitur ſtricta vtriuſq; penetratio: quia hæc indiviſibiliter & eſſētialiter importat duorū contactū ſecūdū ſe tota. At licet pars illa tāgat punctū ſecūdùm ſe totum, nō tangitur ſecundū ſe totā à puncto, vt probatū eſt. Ergo neque ſtrictè cū eo penetratur. Accedit extrema penetrationis debere eſſe quāta ſeorſim, & nō ſufficere, ſi alterum illorū ſit quantū. Ideoque propriè loquendo licet anima rationalis tāgat totā hominis quantitatē, propriè cum ea non penetratur, quia anima non eſt quanta, aut extenſa. At licet pars illa tangat totum punctum ſibi immediatum; & quanta atque extenſa ſit, punctum tamen

quantum ſeu extenſum non eſt. Ergo propriè cum eo nōn penetratur. In oppoſita vero ſententia, cum indiviſibilia continui ſint quanta, & invicem ſe tangant ſecundum ſe tota, deberent ſtrictè ac mutuo ſe penetrare.

23 *AD III. ex n.17.* patet ex ſolutione ibidem interiecta. Ad inſtantiā quæ fit contra illā, conſtat ex dictis immediatè. Addendum tamen, longè aliam eſſe rationem in corpore minori divinitus intromiſſo in aliud maius: tunc enim daretur ſtricta & adæquata amborum penetratio quo ad æqualem dimenſionem, palmarē v.g. quāquam alterum ex ijs bipalmare eſſet: quia palmaris quantitas vnius, & palmaris quātitas alterius ſe invicem tangerent adæquatè. Hoc autem non contingit inter punctū & partem ſibi immediatam, vt dictum eſt *AD Confirm.* eiuſdem impugnationis, in quā nimium fidit Arriaga, reſpondeo partes immediatas puncto non correſpondere eidem ſpatio indiviſibili loci prout con diſtinctas à pūcto; quia prout ſic purè diviſibiles & extēſæ ſunt; ſed ſolum vt continuatas, & involventes ipſum punctum, quatenus vnionem earundem inter ſe, quæ indiviſibilis eſt, & minimè quanta, nec idoneū extremum ſtrictæ penetrationis iuxta Ariſtotelem. Vnde nec ſequitur vtramque partem ſe invicem penetrare: quia neutra illarum vt condiſtincta ab altera reſpondet eidem ſpatio, quamquam vtraque vt continuatā cum alia involvat idem punctum, & ratione illius, vt extremitatis, reſpondeat eidem loci ſpatio indiviſibili.

24 *AD* Vltimam impugnationem *ex n.19.* nego antecedens. *AD I. Probationem* dico, punctum continuativum partium occupare ſimul cum eis maius ſpatium entitativè; non tamen quantitativè & in genere extenſionis: ſicut & punctum lineæ additum, reddit eam maiorem entitativè, nō autem quantitativè & extenſivè. Vnde opinio contraria ſolùm probare poteſt vnū indiviſibile immediate additum alteri facturum cum eo maius quid in entitate, non tamen quantum & extenſum, aut maius in extenſione. *AD II. Prob.* eſt diſparitas, quoniam Indiviſibilia numeri non ſunt invicem coniuncta, ſed diſcreta; nec conſtituunt quantitatem continuam, ſed diſcretā, & penes multitudinem; quæ eo ipſo reſultare debet ex vnitatibus indiviſibilibus. At vero indiviſibilia continui in opinione adverſa ſunt invicem coiuncta & vnita, ac ſe invicem tangentia ſecundūm ſe tota, ac proinde ſe invicem penetrantia: quod planè obſiſtit quantitativę, ac maiori extēſioni penes locum in pluribus indiviſibilibus ſive in vno. Inſtantia ſit in duobus corporibus miraculosè penetratis, quæ coniunctim non faciunt maiorē loci extenſionē, quàm ſeorſim, licet vtrumque ſimul conſtituat quantitatem diſcretam numeri binarij, qua neutrū cōſtituit ſeorſim. Patet ergo omnino aliam eſſe rationem vnitatum & indiviſibiliū ad conſtituendam quantitatē continuam vel diſcretā. *AD III. Prob.* Vnum indiviſibile tēporis additū durationi præcedēti poteſt illam facere maiorem in genere durationis, vt abſtrahētis à ſucceſsiva & inſtantanea: non tamen in genere durationis ſucceſsivæ & quantitativæ. Quare ex duobus ijs Angelis in obiectione aſsignatis, qui deſineret intrinſecè vltimo inſtāti horæ, duraret magis priori ſenſu, quam qui extrinſecè; non autem poſteriori. Quod poſtremum ſuadendūm eſſet, vt quidquam probarent Adverſarij.

25 *AD Confirmationem* earundem impugnationum, diſtinguo maiorem, idque ex ſenſu Clavij & Peletarij, inter quos vertitur diſputatio: Contactus lineæ rectæ cū circulo eſt quantitas, ſi cōtactus accipiatur formaliter, & quatenus eſt iunctura aut comiſſura circuli ac lineæ rectæ; nego maiorē. ſi ſumatur effectivè pro angulo quē efficit, vt ſumitur à prædictis Mathematicis; cōcedo maiorē. Itaq; cōtactus ille ſive angulus contingētiæ (ſic eum vocant) opinione Peletarij quātitas non eſt: ſecus vero iudicio Clavij, & quā pluriū aliorū in Matheſibus præſtantiū, quorū denſum agmē pro ſe appellat. Eo autē poſito, & ſub eadem diſtinctione minoris, negatur conſequentia. Quæ, ne apparenter quidē, eo diſcurſu probari poteſt: quoniā angulus ille contingētiæ cauſatus ex cōtactu formali lineæ rectæ ac circuli (idemq; eſt de duorum circulorum contactu a parte externā) non addit immediatè vnū indiviſibile alteri; ſed conſtituit veram extenſionē ex partibus & indiviſibilibus, inſtar alterius cuiuslibet continui.

26 *VNVS* Reſtat ſcrupulus, in quo maximè vim faciunt Arriaga & Oviedo vbi ſuprà *puncto 8. à num. 5.* Nimirum, poſſe duo indiviſibilia tangere aliud tertium indiviſibile per diverſa latera, alterum per latus dextrum, alterum per latus ſiniſtrū, neutrum vero adæquatè ex vtroque latere. Ergo poſſunt illud tangere abſque penetratione. Conſequentia videtur evidens, adhuc in noſtris principijs: quia penetratio eſt mutuus duorum contactus, non quilibet, ſed adæquatus, ac proinde ex om-

omni latere. Antecedens verò probatur: tum ex Auguſtino *libr. 2. de Libero Arbitrio cap. 8.* aiente: *Quantuluncunque illud corpuſculum ſit, habet ſiniſtram, dextram, ſuperiorem, inferiorem, &c.* Ergo habet latus dextrum & ſiniſtrum. Tum ratione, quam manifeſtam Arriaga, efficaciſsimam Oviedus vult. Sume indiviſibile iuxta vtramque ſententiam, in qua verſamur. Illud certè indifferens eſt vt moveatur verſus Orientem, aut verſus Occidentem: & caſu quo verſus Orientem moveatur, nullam præſentiam, nullum ſpatium acquiret ex iis, quæ acquireret, ſi verſus Occidentem moveretur immediate. Ergo illud indiviſibile habet duo latera extrinſeca, aliud ex parte Orientis, aliud ex parte Occidentis. Ergo quamvis ex vno latere tangatur immediatè ab vno indiviſibili, & ex alio latere ab altero, à neutro tangetur ſecundum ſe totum, ac proinde ſolum erit ipſi immediatè vnitum, vel approximatum, non verò penetratum, aut reſpondens eidem indiviſibili loco. *Rurſus.* Illud indiviſibile indifferens eſt vt moveatur verſus Orientem aut Occidentem disiunctivè; ac proinde vt expellat loco aliud indiviſibile poſitum ex parte Orientis, vel aliud ex parte Occidentis. Ergo habet diverſa latera, penes quorum vnum poſsit moveri, immotum manens ſecundum aliud. *Denique.* Pone duos motus, alterum à parte Orientis, alterum à parte Occidentis, in idem indiviſibile, vt terminum *ad quem* vtriuſque motus. Certè concipimus alterum terminari ad indiviſibile illud à parte ſiniſtra, alterum à parte dextra. Idemque eſt, ſi cogites duos motus alterum à parte ſuperiori, alterum à parte inferiori tendentes in idem indiviſibile rectà via. Alter enim perveniet ad illud attingendum deorſum, alter ſurſum. Ergo indiviſibile habet ſurſum & deorſum. Poterit ergo vnum punctum immediate tangi ab alio ſecundum vnum latus, & non ſecundùm aliud; ac per conſequens non penetrari cum illo.

27 *RESP.* Si in obiectione ſenſus ſit, indiviſibile habere latera intrinſeca, falſum eſſe quod aſſumit, & contra hypotheſim præſentis controverſiæ: quia latera intrinſeca non habet, niſi quod extenſum eſt, & conſtans pluralitate partium; quibus certè caret purum indiviſibile. Si autem ſenſus ſit habere ſolùm latera extrinſeca, ſeu penes conſiderationem noſtram; id non impedit penetrationem, à quocunque alio indiviſibili immediatè tangatur, ſive à parte Orientis, ſive Occidentis; ſeu ſurſum, ſeu deorsũ. Quod efficaciſsimè probo. Quando Chriſtus ianuis clauſis ingreſſus eſt in cœnaculum, indiviſibilia ipſius ſolùm à parte externa ianuarum ingreſſa ſunt, non autem à parte interna ſpectante ad ipſum cœnaculum. Similiter quando egreſſus eſt de vtero Virginis illæſo manente, indiviſibilia ipſius ſolùm egreſſa ſunt à parte interna vteri ad externam, nõ autem è contrà. Et tamen vtroque caſu indiviſibilia vnius corporis penetrata ſunt cum indiviſibilibus alterius, quia ſe mutuò adæquatè tetigerunt ſecundum omne ipſis intrinſecum, licèt non ab omni latere extrinſeco. Ergo pariter cum quodlibet indiviſibile immediate additum alteri indiviſibili tangat illud adæquatè penes omnia ipſi intrinſeca, quamquàm non ab omni latere extrinſeco; vnum & alterum penetratur. Dices in iis caſibus miraculoſis vnũ indiviſibile fuiſſe poſitum in eodem ſpatio indiviſibili ac alterum, ac proptereà fuiſſe vtriuſque penetrationem. At hoc ipſum eſt quod vrgeo de facto. Propterea enim in iis miraculoſis caſibus vnum indiviſibile fuit poſitum in eodem loco ac alterum, quia vnum tetigit alterum adæquatè & mutuò penes omne vtrique intrinſecum. At etiam de facto & naturaliter vnum indiviſibile continuè immediatè additũ alteri tangitur ab eo adæquatè ſecundum omne vtrique intrinſecum. Ergo naturaliter penetratur cũ alio. Præterea, petitio eggregia principij eſt dicere, vnum indiviſibile non occupare ſpatium alterius, quia tangit illud præcise à latere extrinſeco. Cum enim latus extrinſecum vnius indiviſibilis ſit ipſum indiviſibile ſpatium, idem eſt dicere vnum indiviſibile non occupare locũ alterius, ac non occupare ſpatium aliud indiviſibile ad eius latus. De quo ſanè eſt tota controverſia. Porrò teſtimonium S. Auguſtini accipiendum de corpuſculo diviſibili, quamquam exiguo.

***

SECTIO QVARTA.

Remiſſo aliorſum argumento Ariſtotelis ex inæqualitate motuum, probatur ipſius opinio ſelectis obſervationibus ex Mathematica petitis.

28 *ALTERVM* Argumentum eiuſdem Ariſtotelis, deſumptum ab inæqualitate motuum penes velocem & tardum, quæ omnino tollitur in opinione contraria, hîc adijciendum erat. Sed cum illud celeberrimum ſit, & operoſa diſcuſſione dignum, volui integram *diſp.* 41. eius examini deputare. vnde & novum ac fortaſsè invictum robur mutuabit hæc ipſa ſententia, quam modò tuemur. Quare de cætero illam ſolum probare pergam mathematicis argumentis.

29 *SECVNDA* Ratio eſt huiuſmodi. Si rota v.g. conſtat ſolis indiviſibilibus, circulus concentricus & vicinior centro erit æqualis circulo excentrico ſeu diſtantiori à centro. quod quàm falſum ſit, ad ſenſum patet. Sequela probatur. A quolibet enim puncto circuli ſuperioris & excentrici poteſt duci linea vſque ad centrū: ac proinde quævis linea ducta a circulo ſuperiori debet tranſire per diſtinctum punctum circuli inferioris vſque ad centrum ipſum. Ergo circulus concentricus & vicinior centro, totidem habebit puncta, ſeu indiviſibilia, ac ſuperior; ac proinde vterque circulus erit æqualis. *DICES I.* Non poſſe dari circulum perfectum. *SED Contrà* Nam prætерquamquod id ſine fundamento negatur ab aliquib⁹, vt inſuperabilem vim huius demonſtrationis effugiant, adhuc permiſſum, illam non eludit. Pone enim circulum imperfectum, qualis eſt rota communis lapidea, & expenſo argumento videbis plane eo probari, circulum interiorem fore æqualem ſuperiori. *DICES II.* cum alijs, non ab omnibus punctis circuli excentrici ſeu ſuperioris poſſe duci lineam rectam ad centrum. *SED Contrà*. Quod aliqua linea non poſsit duci recta vſque ad centrū, ſolum provenire poſſet ex eo quod linea incepta à circulo ſuperiori non inveniret vnum pūctum immediatè poſt aliud, & recta via ad centrum. At in rota vndequaque ſolida, & omnibus poris carente, quælibet linea incepta à circulo ſuperiori invenit vnum punctum immediatè poſt aliud, in adverſa opinione, & recta via ad centrum. Ergo poteſt ab omnibus punctis ſuperioris circuli duci vſque ad centrum recta linea. *Præterea*. In rota perfectè circulari omnia puncta ſuperioris circuli æqualiter à centro diſtant. Ergo ſi ab vno duci poteſt recta vſque ad centrum linea, vt evidēs eſt, etiam ab omnibus. *DICES III.* Nō poſſe ab omnibus punctis circuli ſuperioris duci lineas adæquatè diſtinctas, ſed aliquas illarum in medio, aut circa finem, debere coincidere in aliquod punctum commune duabus, aut pluribus illarum, & pertinens ad circulum viciniorem cētro. Hoc autem poſito minimè ſequitur circulum viciniorem centro fore æqualem diſtantiori, ſed inæqualem. *SED Contrà*: Quia evaſio hæc ex diametro adverſatur Euclidi, qui inter principia mathematica, ſeu notiones communes, ſeu dignitates (ſic enim ab eo appellantur) hanc propoſitionem ordine tertiam decimam ſtatuit: *Duæ lineæ rectæ non habent vnum & idem ſegmentum commune*. Præterea ſi hęc propoſitio certa non eſſet, everteretur tota Geometria, cuius demōſtrationes paſsim in eà nituntur. *DICES IV.* Idem abſurdum ſequi in ſententia Ariſtotelis: nimirum, interiorem circulum totidē partes habiturum ac ſuperiorem: quia nulla eſt huius pars quæ non habeat aliam ſibi correſpondentem in interiori circulo. *SED Contrà*. Et præterquam obiectio hæc fuſius enodabitur in ſimili *diſp.* 41. eſt diſparitas: quia in ſententia Ariſtotelis cum partes aliæ ſint minores & minores alijs in infinitum, poſſunt partes circuli ſuperioris eſſe extēſiores & maiores partibus ijſdem correſpondentibus in circulo inferiori; ac propterea hic erit minor circulo ſuperiori, & minoris extenſionis. In opinione autem, quam impugnamus, hæc ſolutio locum nō habet: quia indiviſibile circuli ſuperioris eſt omnino æquale cuilibet puncto inferioris circuli. Manet ergo inevitabilis efficacia & vis argumenti.

30 *INSTABIS*. Adhuc in opinione Ariſtotelis, à quolibet puncto circuli ſuperioris poteſt duci linea recta ad centrum mediante ſemper circulo inferiori & concentrico in aliquo puncto adæquatè diſtincto à puncto alterius lineæ continuativo. Ergo totidem puncta habebit circulus inferior & concentricus, ac ſuperior & excētricus; ac proinde vterque erit æqualis. *RESP*. Ariſtotelis opinione nullam lineā componi ex puris indiviſibilibus, & immediatè ſibi ſuccedentibus (quæ nulla in continuo ſunt) ſed ex partibus per indiviſibilia copulatis. Quare ſi ducatur linea à quolibet puncto copulativo circuli ſuperioris, illa immediatè poſt punctum invenit partem, & eo extenſiorem, quo circulus eſt remo-

remotior à centro; eò autem ſtrictiorem, quo circulus centro vicinior fuerit. Vnde totum colligitur, totidē partes ſtrictas eſſe in circulo inferiori, quot latæ ſunt in ſuperiori: ac proinde ſemper circulus inferior erit longe minor, quam ſuperior: ſicut linea centum digitorum longitudinis minor eſt, quam linea centum palmorum, ſive vlnarum longitudinis; quia licét numerus partium deſignatarum ſit æqualis, extenſio ſingularum inæqualis eſt. Vnde collige cum Conimbr. 6. *Phyſic. cap. 2. q. 2.* lineam rectā a quolibet puncto circuli ſuperioris ad centrum, iuxta ſententiam Ariſtotelis, ſolùm habere locum in intellectu, ſeu penes conſiderationem mathematicam, qua punctorum ſeries abſtrahitur à materia ſenſibili, ſeu à partibus quantitativis, penes quas ducitur in re linea. Quare hæc phyſicè & in re nequit eſſe recta, nec omnino indiviſibilis ſecundum latitudinem & profunditatem; cùm poſt quodlibet punctum ſit pars eſſentialiter conſtans trinâ dimenſione, vt potè diviſibilis in alias & alias vſque in infinitū. Quà tamen doctrina ſe protegere ſimiliter Adverſarij nequeunt, vt patebit conſideranti. Porrò doctrinam nuper traditam, ſtatim vberius confirmabo. Adde relationem æqualitatis penes numerum, quæ exponi ſolet his vocibus, *tot*, *quot*, propriam eſſe quantitatis diſcretæ, quæ finita eſt. Cū ergo numerus punctorum vtriuſque circuli ſit infinitus, non licet in vtroque colligere relationem æqualitatis, vt tot in vno ſint, quot in alio.

31 *TERTIA* Ratio deſumitur ex eodem Euclide, *Problemate 5. propoſ. 50.* demonſtrante quamlibet lineam poſſe ſecari in duas medietates æquales. Hoc autē verum eſſe non poſſet, ſi linea in re conſtaret puris indiviſibilibus, & ſibi immediatè ſuccedentibus. Ergo linea in re non conſtat puris indiviſibilibus; & ſibi ſuccedentibus immediatè. Maior ſupponitur ab authoritate Euclidis, ſicut & pleraque alia, quorum examen ad Phyſicum non attinet. Minor autem facilè ſuadetur. Pone etenim lineam conſtantem puris indiviſibilibus in numero impari, v.g. ſeptem. Certè illa ſecari non poterit in duas æquales lineas, ſeu medietates æquales. Quidquid enim ſecatur eo modo, per medium ſecari neceſſe eſt. At eiuſmodi linea per medium ſecari nequit: quia medium ipſius eſt aliquod punctum inſecabile, poſitum inter tria & tria. Ergo poſito lineam in re conſtare puris indiviſibilibus & ſibi immediatè ſuccedentibus, linea illa non poterit dividi in duas medietates æquales.

32 *CONFIRMATVR.* In opinione contraria omnis linea per ſe loquendo conſtare debet impari numero indiviſibilium. Sed nulla linea conſtans impari numero indiviſibilium ſecari poteſt in duas medietates æquales, vt modò probatum eſt. Ergo in eadem opinione nulla linea per ſe loquendo ſecari poterit in duas medietates æquales. Quæ eſt propoſitio Euclidi contradictoria. Maior, in quà eſt difficultas, probatur. Si enim linea ponatur conſtans ſeptem punctis v.g. planè percipitur illam conſtare numero impari indiviſibilium. Si autem ponatur ſex punctis coaleſcens, neceſſarium eſt, vt quamvis illa ſint paria, modi indiviſibiles vnionū quibus copulatur, ſint in numero impari quinque vnionum. Inter ſex enim puncta, ſolum quinque vniones cadunt, quia primum & vltimum à latere extrinſeco carent vnione ad aliud extremū; ac proinde ſolū exigunt quinque vniones intermedias, tam ſui, quam punctorum interiacentium hoc modo. Ergo numerus indiviſibilium tam rerum, quàm modorum, ſeu, quod perinde eſt, tam punctorum, quam vnionum, ſemper erit impar: quia ex ſex punctis, & quinque vnionibus, reſultat numerus vndecimus, qui impar eſt. Igitur eiuſmodi linea non poterit ſecari per medium, quia medium ipſius eſt vnio indiviſibilis, quæ ſecari non poteſt. Si autem puncta ſint ſeptem, vniones indiviſibiles ipſorum erunt ſex, ex quibus omnibus conſurgit numerus impar terdecimus. Cùmque medium locum eius numeri ac lineæ obtineat indiviſibile punctum, & omnino impartibile, conſequens eſt, vt nec linea ſex punctorum per medium ſecari poſsit. Qua confirmatione videntur præoccupari evaſiones omnes Adverſariorum, quas propterea non refero.

33 *DICES*: Hanc ipſam difficultatem eſſe contra Ariſtotelicos: Quia eſto linea componatur ex partibus diviſibilibus, & vnitis miniſterio punctorum, nequibit ſecari palmaris linea v.g. in duas medietates æquales. Aut enim diviſio fieret in indiviſibili copulativo medietatis vtriuſque; & hoc repugnat, quia inſecabile eſt. Aut in particula diviſibili, quæ ſupponatur eſſe inter vnā & aliam totius lineæ medietatem. Et tunc neceſſum eſt corrumpi illud vnicum punctum, quo medietas illius particulæ copulabatur alteri medietati ipſius; ac proinde reſultare duo puncta terminativa, alterum in vna medietate particulę diviſę, alterum in

in altera. Ergo eo ipſo in vtràque medietate lineæ. erunt poſtea duo puncta loco vnius copulativi antea exiſtentis. Ergo linea non fuit diviſa ad amuſsim in duas medietates.

34 *RESP.* Iuxta principia Ariſtotelis, additionem vnius puncti ad præcedentia, vel ad partes diviſibiles continui, non addere aliquid longitudinis, nec reddere lineam maiorem. Vnde ſive diviſio lineæ Ariſtotelicæ fiat immediatè inter pūctum copulativum vtriuſque medietatis & partem, ſive per particulam vtrumque latus interiacentem, ſemper linea dividitur in duas ſui medietates quo ad longitudinē. Neque inconvenit quòd vice vnius puncti copulativi, per partium ſciſſionem corrupti, reſultent duo terminativa, vnunquodque in ſingulis medietatibus lineæ: quia duo puncta diſtributa in duas medietates non faciunt maiorem logitudinem, quàm vnicum indiviſibile copulativum, imò nullam extenſionem faciunt. Quod tamen Authores oppoſiti pro ſe allegare nequeunt, cùm totam extenſionem componant ex puris indiviſibilibus, & neceſſum ſit non totidem indiviſibilia eſſe in vtraque medietate, ac antea erant in totâ lineâ, vt ſuperiùs demonſtratum eſt.

35 *QVARTA* Ratio, etiam ex Matheſi deſumpta, eſt, qua colligimus, iuxta contrariam ſententiam debere eſſe aliquid in continuo, quod ſit minus ipſo indiviſibili, ac proinde indiviſibilia debere eſſe diviſibilia. quod omnino repugnat. Aſſumptum oſtendo. Erigatur iſoſceles ſupra baſim ſex punctorum, eiuſque ſingula latera ſibi æqualia, & baſi inæqualia ſint octo punctorum. Cùm enim Euclides *lib.* 1. *propoſ.* 1. demonſtret ſupra quamlibet lineā rectam poſſe conſtrui triangulum æquilaterum, nulla ratio eſt cur ſupra quamvis rectam lineam non poſsit conſtrui Iſoſceles, ſive triangulum duorum tantum laterum æqualium, ac proinde habentium ſingula octo puncta, cum exceſſu duorum ſupra baſim. Præterea, ducantur ſingulæ lineæ a ſingulis punctis vnius lateris ad ſingula pūcta lateris alterius, è regione correſpondentia: nimirum, a puncto *A.* ad *A.* & à puncto *B.* vnius lateris ad punctum *B.* alterius; & ſic de cæteris per *C.C.* & *D.D.* & *E.E.* & *F.F.* & *G.G.* vſque ad H. ſupremum, in quo ambo latera coeunt, in formâ pyramidis. Modò ſic aſſumptum probo. Puncta *A.A.* terminantia ex vtroque latere baſim iſoſcelis diſtant inter ſe quatuor punctis. Deinde aſcendendo, pūcta *B.B.* lineam baſi proximam terminantia diſtabunt inter ſe, non tantundem, ſed tribus ad ſummum pūctis. Alioqui vtraque linea vltima & penultima æqualis eſſet, & inepta componendo iſoſceli, atque alij cuicumque triangulo. Conſequenter puncta *C.C.* terminantia lineam tertiam a baſi, duobus ſummum pūctis diſtant: vt pote minus, quàm linea præcedens inter *B.B.* Ergo & aſcendendo ſuperiùs puncta *D.D.* vnico puncto inter ſe diſtabunt. At vlteriùs aſcendendo puncta *E.E.* diſtare debent, quia nondum in iis finitur triangulum, nec pervenitur ad cuſpidem, ſeu pyramidem indiviſibilem. Ergo diſtabunt minùs, quam vnum indiviſibile punctum. Cùm enim debeant diſtare magis, quàm puncta *D.D.* vt ex ipsâ formatione iſoſcelis evincitur, & hæc vnico puncto diſtent, planè *E.E.* diſtabūt minùs, quā ſit punctum indiviſibile interiectum. Ergo de primo ad vltimum poterit in adversâ opinione aſsignari aliquid minus puncto indiviſibili; proindeque vel ipſa indiviſibilia erunt diviſibilia. Quod ſi ſemel diviſibilia ſunt, infinities diviſibilia erunt, cùm poſsit iſoſceles in infinitum protendi ab vtroque latere, & convinci, inter puncta & puncta ſuperiora verſus pyramidem interiacere diſtantiam quater, decies, millies, centies millies, & ſic in infinitum minorē puncto. Quo demum inciditur in noſtram ſententiam.

36 *NEQVE* Eſt quòd fortè velis intorquere idem telum in ſententiam Ariſtotelis, quaſi anguſtando diſtantiam punctorum ſuperiorum ab vtroque iſoſcelis latere, deveniendum tandem ſit ad diſtantiam minorem minimâ infra pyramidem. Immeritò quippe id colliges. Cùm quælibet punctorum collateralium diſtantia iuxta Ariſtotelem ſit diviſibilis in infinitum, quantumvis minima aſsignetur, præſtat locum vt, aſcendente magis ac magis pyramide, inter viciniora puncta minor & minor in infinitum ſit. Quod tamen in opinione contraria locum non habet: quia vbi deventum eſt ad diſtantiam vnius puncti, iam nulla ſurſum minor eſſe poteſt; cùm tamen alia minor eſſe debeat inter puncta viciniora pyramidi.

37 *PLVRA* Alia argumenta ex Matheſibus petita pro Ariſtotele a Recentioribus excogitata ſunt: quæ libens prætereo; tum quod pleraque illorum eandem ferè difficultatem habeant in noſtris principijs: tum, vt brevitati conſulam: tum denique, quia vix intelligi poſſunt abſque ſchematibus expreſsis, quorum vſus apud Hiſ-

Hiſpaniæ Typographos plerumque impolitos, & parum induſtrios, rarus & difficilis eſt.

SECTIO QVINTA.

Præcipua argumenta opinionis adverſæ obijciuntur & enodantur, alijs in propria loca remiſsis.

38 **R**ESTAT Nunc argumenta adverſa proponere & extricare. Quòd quam breviter fieri poſſit præſtabo, aliarum ſolutionum impugnationibus prætermiſsis. Eas enim impugnare prolixiſsimum eſſet. Plura illorum modo proponam: alia verò, quoniam operoſius examen requirunt, in propria loca remittam.

ARGVES I. Poteſt Deus deſtruere omnia puncta copulativa partium continui, manentibus in rerum natura partibus. At in eo eventu maneret verum continuũ reſultans ex partibus indiviſibilibus. Ergo poteſt continuum abſolutè reſultare ex partibus indiviſibilibus. Maior, quamquam negetur a Conimbricenſibus *lib. 6. Phyſic. cap. 2. q. 2. ar. 3. fine*, probatur: Tum, quia puncta copulativa diſtinguuntur realiter adæquatè a partibus continui, vt Ariſtotelici fatentur: id autem, quod realiter adæquatè diſtinguitur ab alio, poteſt divinitus ſeparari ab eo, in rerum natura manente: Tum etiam, quoniam Deus videt partes omnes continui, vt diſtinctas realiter adæquatè a punctis copulativis; ſiquidem ab ijs realiter adæquatè ſunt diſtinctæ, & Deo omnia patent vt in ſe ipſis ſunt. At partes continui, vt diſtinctæ realiter adæquatè a punctis copulativis, ſunt indiviſibiles; vtpote excludentes vnionem, quæ neceſſariò eſſe debet inter extrema diviſibilia. Ergo Deus videt omnes partes continui, vt indiviſibiles. Et tamen vt diſtinctæ à punctis copulativis, ſunt quantæ ac continuæ, quia hæc eſt ipſarum eſſentia. Ergo ſimiliter poſſunt divinitus manere quãtæ & cõtinuæ, quamvis ſepararentur à punctis copulativis. Iam minor illa principalis ſyllogiſmi ſuadetur: Quia omnis diviſibilitas oritur ab vnione partium, & diviſibilitas continui ab vnione partium conſiſtente in puncto copulativo. Ideòque Deus indiviſibilis eſt, & Angelus, & anima rationalis, quia non habent partium vnionem, neque partes quæ vniantur. Ergo caſu quo omnes vniones, ſeu pũcta copulativa partium deſtruerentur, ijſdem in rerum natura manẽtibus, hæ eſſent indiviſibiles.

39 *CONFIRMATVR.* Corruptis iam omnibus punctis copulativis, partes eſſent vltimò diviſæ: quia cùm nulla reſtaret vnio corrumpenda, nulla poſſet ſuccedere diviſio, quæ ſemper fieri debet per corruptionem vnionis. Ergo partes illæ manerent indiviſibiles. Et tamen extenſæ & continuæ manerent, quoniam hæc ipſarum eſſentia eſt, & proinde ab eis inſeparabilis, etiam divinitus. Ergo ſtat optimè aliquid eſſe extenſum, quamquam conſtet ſolis indiviſibilibus.

RESP. Negando maiorem, quam rectè Conimbricenſes negant, quidquid alij reclament. Ad primam probationem nego puncta copulativa continui diſtingui ab eo realiter adæquatè. Quamvis enim realiter ab eo diſtinguantur (quod immeritò Hurtadus negat) illa tamẽ diſtinctio eſt inadæquata, & qualis eſt diſtinctio vnionis inter materiam & formam a toto ſubſtantiali; vtpotè incluſi ab includente. Quemadmodum ergo repugnat compoſitum ſubſtantiale ſeparari realiter ab vnione materiæ & formæ, aut cognoſci à Deo vt excludens vnionem, vel vt condiſtinctum adæquatè ab vnione (vtpotè ipſi eſſentiali) ſic etiam repugnat continuum ſeparari, aut diſtingui realiter adæquatè, ac videri à Deo vt adæquatè diſtinctum à pũctis copulativis, quæ, tanquam vniones, ſunt de eſſentia continui. Quo poſito ceſſat impetus argumenti, nimium ab Adverſarijs decantati, quò ad omnes partes.

40 *INSTABIS* Retorquendo ſolutionem datam. Quamvis compoſitum nequeat ſeparari ab vnione ſibi eſſentiali, ſingulæ illius partes ſubſtantiales ab eà divinitus ſeparari valent, exiſtente ſeorſim formà, & materia in probabili opinione. Ergo ſimiliter licèt totum quantitativum vnius palmi v.g. nequeat ſeparari ab vnione, ſingulæ eius partes ſeparari ab ea poterũt, ac proinde manere indiviſibiles. *RESP.* Duplicem eſſe vnionem, ſeu duplex eſſe copulativum partium continui: vnum realiter adæquatè ijſdem ſuperadditum, quo pars coniungitur parti. Hoc ab vnaquaque ſeparari poteſt per diviſionem, quà vtriuſque copulativum corrumpitur; vt à duobus ſemipalmis ſeorſim acceptis dividi poteſt vtriuſque nexus, vtroque ſemipalmo in rerum naturà manente. Alia eſt vnio, ſive punctum copulativum vniuſcuiuſque partis in ſe ipſà, non vt componente ſimul cum alia, ſed vt habente determinatam extenſionem. Et cum hoc non compara-

tur

tur veluti cum extremo adæquatè diſtincto, ſed tanquam cum vnione ſibi eſſentiali, inſtar compoſiti eſſentialis relatè ad vnionem. Quemadmodum enim quantitati palmari eſſentialis eſt vnio duplicis ſemipalmi, ſic etiam vnicuique ſemipalmo ſeorſim vnio duplicis quadrantis vnius palmi, & ſingulis quadrantibus vnio, ſeu punctum copulativum duplicis octavæ partis, & ſic in infinitum, quantumvis minutiſsimam aſsignes particulam. Verè enim illa in quali quali menſura accipitur vt quoddā totum homogeneum in ſe, ac proinde eſſentialiter conſtans vnione partium: in quo ſanè diſtinguitur a partibus eſſentialibus, & quarum nulla ſeorſim eſt totum ſubſtantiale, ac proinde nec requirit aliquam ſubſtantialem partium vnionem.

41 *VRGEBIS*. Aut punctum illud copulativum vnit extrema, ſeu partes indiviſibiles, aut diviſibiles. Si primum dicatur; totum continuum reſultabit vndique ex puris indiviſibilibus. Si aſſeratur ſecundum, videtur abſurdum. Pars diviſibilis enim includit eſſentialiter vniones; ſeu puncta copulativa, pro eo quod diximus ſolutione præcedenti. Ergo nequit terminare vniones: quia vnio nequit eſſe terminus vnionis alterius. Ergo illa vnio, ſeu illud punctum copulativum, nequit vnire partes diviſibiles. Et augetur difficultas. Id quod terminat vnionem diſtinguitur ab illa realiter adæquatè. Ergo terminus vnionis vt terminus ipſius non includit vnionem. Ergo vt terminus vnionis eſt aliquid indiviſibile: quia quod vnione caret, indiviſibile eſt.

42 *HANC* Inſtantiam difficilem cenſet Oviedo *Controv. 17. puncto 4. num. 1.* & vnicam ſolutionem aſsignat, in quà fatetur ipſius animum non quieſcere. Sed vt vultus hominum varij, ſic hominum ingenia ſunt, & quod vni difficillimū apparet, alteri nullius ponderis eſt. Talis mihi videtur obiectio hæc, & neceſſariò ab Adverſarijs ſolvenda, imò ab omnibus. Pone nanque quantitatis palmum ex puris indiviſibilibus compoſitum. Certè quilibet ſemipalmus neceſſariò conſtat vnionibus indiviſibilium, quibus intrinſecè componitur. Et tamen quilibet ſemipalmus terminat vnionem cum alio ſemipalmo, cum quo ſimul vnicum & indiviſum palmum conſtituit. Rurſus. Humanitas eſſentialiter cōſtat vnione corporis & animæ. Et tamen terminat vnionem cum ſubſiſtentiâ, ſive propria, ſive alienâ, vt in Chriſto Domino. Denique generatim quodlibet compoſitum ſubſtantiale includit eſſentialiter vnionem materiæ & formæ. At nihilominus terminat vnionem cum accidentibus proprijs, tanquam alterum extremum. Quidni igitur quælibet pars continui permanentis claudat eſſentialiter vnionem ſuarum medietatum, quibus intrinſecè componitur intra propriam menſuram, & tamen terminet vnionem cum alia parte adæquatè diſtinctà? Certè ego nullam, vel apparentem, in eo difficultatem invenio. Quare ad obiectionem dico, punctum illud copulativum, quo eſſentialiter quælibet pars in ſe conſtituitur inſtar alicuius totius, iuxta ſenſum ſupra explicatum, vnire quidē partes diviſibiles; quæ etiam in ſe conſideratæ ac ſeorſim includunt vniones ſuarum medietatum; idemque eſt de ijſdem medietatibus, quatenus in ſe ex duplici particula coaleſcunt. Vnde ſolum ſequitur nullā partem acceptam per modum totius terminare vnionem qua intrinſecè componitur, ſicut nec compoſitum ex materia & forma terminat vnionem quâ in ſe conſtituitur. At quemadmodum idem compoſitum eſt extremum terminans vnionem aliam cum accidentibus adæquatè ab eo diſtinctis; ſic etiam illa pars quatenus continuata cum alia adæquatè diſtincta poteſt novam ac ſuperadditam vnionem cum ipſa terminare. Neque hoc eſt vnionē immediatè terminari ad vnionem, ſed mediante parte, ſeu extremo vnito. Imo, vt verbo dicam, ſolum eſt vnam partem homogeneam integrè acceptam vniri cum aliâ omnino diſtinctâ. Et quando inſtatur ex eo quòd terminus vnionis non includit vnionem, diſtinguo: Vnionem quam terminat, concedo; quà conſtituitur in ſe, nego; vt manifeſtè conſtat in inſtantijs adductis. Sic etiam quilibet palmus eſſentialiter includit vnionem duplicis ſemipalmi; cū tamen neuter illorum includat intrinſecè illam, ſed aliam, quà conſtituitur ex duplici quadrante in ſe.

43 *ARGVES II.* In qualibet lineà Deus cognoſcit punctum *A.* & punctum *B.* non penetrata inter ſe, & ita vt nullum aliud punctum ſit inter vtrūque. Ergo pars interiacens nullum in ſe cōtinet punctum. Ergo nullam vnionem partium. Ergo eſt omnino indiviſibilis: ac proinde tota linea conſtat ſolis indiviſibilibus. Conſequentiæ omnes apparent manifeſtæ. Antecedens vero probatur: Quia intelligibile non eſt, quod Deus in qualibet linea aſsignato puncto *A.* non penetrato cum alio, ſed rectâ longitudine collocato, nequeat aſsignare,

pun-

punctum *B.* immediatum, & non admittēs aliud punctum medium inter vtrumque.

44 *HOC* Argumentum nonnulli Recentiores evidentem demonſtrationē cenſent: in quo tamen excedunt, quoniam hæc ipſa difficultas eiſdem, aut æquivalentibus terminis toties propoſita à tempore Ariſtotelis, nequaquam deterruit Philoſophos præſtantiſsimos à ſententiâ quam tuemur: neque vllus eorum illam cenſuit demonſtrationem, ſed ſolùm difficile argumentum, vti pleraque alia in hac materiâ pro vtravis opinione. Ad rem ergo dico, Deum non videre puncta, quæ nō ſunt; ſed ſolùm quæ ſunt, & eo modo, quo in lineâ ſunt. In lineâ autem poſt punctum *A.* deſignatū nō poteſt deſignari punctum immediatum *B.* quia nullum eiuſmodi punctum eſt immediatum; ſed quodcunque aſsignetur, ſemper aliud & aliud interiacet prius atque immediatius puncto *A.* Nec pars illa quæ ſequitur immediatè ad punctum *A.* eſt adeò exigua vt non ſit extenſa, ac proinde continens actu pluralitatem particularum minorum & minorum, conſequenterque & punctorum innumerabilium, ante illud punctum determinatum, quod appellas *B.* Nomine autem partis immediatæ puncto *A.* intelligo totam illam, quæ apprehēditur per modum cuiuſdam totius, quanquam minutuli, compoſiti tamen ex ſua duplici medietate, & ex quadrantibus, & innumeris particulis, atque punctis ipſarum copulativis. Nam alioqui aſsignare particulam omnium primam, ſimplicem, & indiviſibilem immediatè poſt punctum *A.* ante punctum *B.* eſt propoſitio de ſubiecto non ſupponente iuxta ſententiam Ariſtotelis.

45 *DICES:* Ratio lineæ continuæ exigit, vt poſt punctum *A.* ſequatur immediatè pars *A.* & poſt partem *A.* punctum *B.* &c. vt ſic verificetur in ſententiâ Ariſtotelis inter punctum & punctum mediare partem, & inter vnam aliamque partem mediare punctum. Alioqui ſi poſt partem interiectam *A.* non ſequitur immediatè punctum B. dabitur interruptio lineæ, fietque tranſitus immediatius à parte *A.* ad punctum remotius, quam ad *B.* proximum; quod eſt impoſsibile. Ergo adhuc in ſententia Ariſtotelis poteſt deſignare Deus punctum *B.* immediatè ſecutum poſt partem *A.* ita vt in ea parte non contineatur aliud punctum. *RESP.* In illa parte immediatè ſequuta poſt punctum, quam appellas immediatam eidem puncto, eſſe infinitas particulas & infinita puncta continuata abſque vlla interruptione lineæ, vel continui. Cùm autem de ratione continui ſit vt nullis aſſumptionibus finiatur, adhuc mēte conceptionēve, ſed ſemper reſtet aliud & aliud accipiendum; conſequens eſt; vt nec à *Deo* aſsignari poſsit vnum punctum ita immediatum alteri, vt inter vtrumque in quavis particula non ſint plura & plura puncta viciniora, ac viciniora puncto *A.* Deus quippe nequit deſignare in continuo punctum determinatum tanquam immediatum alteri puncto determinato; ſiquidē nullum eiuſmodi punctum in continuo eſt, aut eſſe poteſt. Sic, etiam in opinione Adverſariorum, nec poſsibilis, nec deſignabilis eſt poſt Deum immediatè creatura omnium perfectiſsima: quia quæcunque poſsibilis aſsignetur ſub determinata perfectione, adhuc inter illam & *Deum* eſt poſsibilis alia perfectior & perfectior in infinitum. Sic pariter intra genus animalis incipiendo à ſpecie humana, quæ omnium perfectiſsima eſt, aſsignari nequit ſpecies immediatè imperfectior ipſi, & perfectior alijs omnibus irrationalium ſpeciebus: ſed quacunque aſsignatâ, adhuc reſtat alia & alia abſolutè poſsibilis & vicinior homini, ac perfectione proximior. Quemadmodum ergo in hac doctrinâ, quanquam difficili, conquieſcunt plerumque Authores oppoſiti, poſſent ſimiliter in Ariſtotelica circa cōpoſitionem continui ſiſtere gradum, vireſque ingeniorum exercere in quærendis difficultatum ſolutionibus, quibus in alijs materijs neceſſario vti debent.

46 *ARGVES III.* Deus videt omnes diviſiones poſsibiles quantitatis palmaris v.g. & non modò illas, quæ ſimul fieri poſſunt, ſed etiam quotquot ſucceſſive ac diviſivè poſſunt contingere; ita, vt præter has diviſiones Deo notas, nulla iam de cætero ſit poſsibilis. Alioqui enim Deus non videret omnes diviſiones poſsibiles eius quantitatis, ſed aliqua alia reſtaret ipſi cognoſcenda, vel nondum cognita. Ergo Deus videt quantitatem palmarem per eiuſmodi diviſiones redactam ad indiviſibilia. Probatur conſequentia: Quia ſi poſt cognitas omnes illas diviſiones poſsibiles non videretur quantitas redacta ad indiviſibilia, Deus videret adhuc reſtare diviſiones alias poſsibiles vltra eas, quas à principio cognovit; cuius oppoſitum in antecedēte ſtabil[illegible] eſt. *CONFIRMATVR.* Deus enim [illegible]ere poteſt hoc iudicium. Si omnes diviſiones nunc mihi notæ exiſterent ſimul, nihil amplius eſſet diviſibile in hac quantitate palmari. Alioqui nunc non cognoſcerem omnes diviſiones illius poſsibiles.

les. Ergo per tale iudicium cognoſcitur ipſa quantitas vt reſolubilis in ſola indiviſibilia: ac proinde ex ijs componitur.

47 *RESP.* Omiſsis aliorũ ſolutionibus ſeu potiùs effugijs, Deum quidem cognoſcere omnes diviſiones poſsibiles; non tamen cognoſcere omnium illarum exiſtentiam collectivam vt poſsibilem: ſicut licèt omnes creaturas poſsibiles diſtinctè cognoſcat, & diem heſternum atque hodiernum; non tamen exiſtentiam collectivam omnium poſsibilium, atq; diei heſternæ & hodiernæ, vt poſsibilem; quia verè poſsibilis non eſt. Et ratio huius paritatis ac doctrinæ eſt, quia ſicut cognitio omniũ creaturarum poſsibilium non eſt illarum productio, ſed notitia ſpeculativa producibilitatis abſolutæ illarum; ſic cognitio diviſionum omnium poſsibilium in quantitate palmari, non eſt diviſio omnium partium eius, ſed notitia ſpeculativa totius diviſibilitatis abſolutæ ipſarum. Quare cõceſſo antecedente nego conſequentiam, quam nullo iure evidentem contendit Arriaga: quia ſtat optimè Deum poſt cognitas omnes illas diviſiones poſsibiles partium quãtitatis non videre illas redactas ad indiviſibilia: ſicuti quàm optimè ſtat Deum poſt cognitas omnes creaturas poſsibiles non videre illas redactas ad impoſsibilia: quia tantundem repugnat diviſibili parti reddi indiviſibilem, ac creaturæ poſsibili reddi impoſsibilem. Solum infertur, nullam diviſionem eſſe poſsibilem præter illas, quas Deus videt poſsibiles; ſicut colligitur, nullã creaturã eſſe poſsibilem, præter illas quas Deus poſsibiles cognoſcit. Verùm quemadmodum creaturæ poſsibiles in ſuà eſſentià manent, & non tot quin plures & plures; ita & partes omnes quantitatis ſecundum ſuã eſſentiam diviſibiles manent, & non tot quin plures ac plures. Eadem ſolutio & doctrina applicanda eſt Confirmationi, quæ, pariter ac obiectio, inſtantiam patitur in creaturis poſsibilibus, imò & in infinito in potentia ſecundùm additionem, minimè negato ab Adverſarijs. Quamvis enim Deus agnoſcat omnes additiones poſsibiles quæ fieri poſſunt quantitati palmari, nũquam tamen agnoſcit vt incapacem additionis, ſed ſemper vt capacem maioris additionis ab ipſo cognitæ. Ergo quamvis cognoſcat omnes diviſiones & diminutiones poſsibiles eiuſdem quantitatis, non propterea illam vt incapacem diviſionis aut diminutionis, ſed ſemper vt capacem vtriuſque in partes minores. Aliam ſolutionem latiſsimè tradit Oviedo ſatis ad rem, quam legere potes apud ipſum *vbi ſuprà p. 5.*

48 *VRGET* Arriaga. Deus poteſt dividere, quæ dividere poteſt. Hæc enim non ſolùm vera, ſed identica propoſitio eſt. Ergo nullum eſt abſurdum in eo quòd actu & collectivè dividat omnes partes, quas dividere poteſt. Ergo tunc ſingulæ partes eſſent vltimò diviſæ, ac per conſequens indiviſibiles. *RESP.* dato antecedenti non inferri conſequentiam: ſicut poſito antecedenti hoc, *Deus poteſt producere, quæ producere poteſt*, neutiquã infertur, *Ergo producere poteſt actu & collectivè* omnia *poſsibilia.* Similiter ex eo quod poſsit quantitati addere omnes partes augmenti, quas addere poteſt, minimè infertur poſſe addere ſimul & collectivè omnes partes, quibus abſolutè additionem capere poteſt. Nimirum, in ijs omnibus arguitur à ſimultate potentiæ ad potentiam ſimultatis; quæ argumentatio ex parte formæ non eſt bona, & ex parte materiæ ſolet eſſe peſsima, præſertim circa infinitum in potentia, ſive ſecundùm additionem, ſive ſecundum diminutionem. Recolatur quæ diximus *diſp. 24. à num.* 38. vbi plura circa hoc ipſum obſervatu digna.

49 *ARGVES IV.* Omnes partes continui habent terminos extrinſecos ſpatij & temporis finiti, quo pertranſiri poſſunt. At non poſſent pertranſiri ſi eſſent infinitæ, ſeu non tot, quin plures actu exiſtentes. Ergo infinitæ non ſunt, ſeu non tot quin plures. Hoc argumentum adeò antiquum eſt; vt a Zenone Eleato fuerit propoſitum, ad tollendum de medio motum: refertúrque ab Ariſt. *hoc l. 6. Phyſic. c.* 9. Ex cuius doctrina *ibid.* reſpondeo eamdem eſſe rationem motus, ſpatij, ac tẽporis, & cuiuſlibet quantitatis permanẽtis. Omnia enim hæc aliquo ſuo dividua ſunt, & ſibi invicẽ correſpondere poſſunt, ac pertranſiri, quia non conſtituunt extenſionem infinitam, ſed ſimpliciter finitam, vt ex profeſſo exponimus diſputatione ſequenti. Quod ſi vrgeas & inſtes ex eo, quod iuxta principia Ariſtotelis neceſſum ſit eſſe in continuo infinitas partes actu & ſimpliciter, eaſque æquales & non communicantes invicem, ac proinde illas non poſſe habere terminũ extrinſecum; res implexa & difficillima eſt, quam ibidem expendemus, & ex profeſſo examinavimus, modo cõtẽti negaſſe eã partiũ æqualiũ & coaliquotarũ infinitate. Eodẽ quoque loco diſcurimus an eæ partes continui, qualeſcunque ſint, cenſeri debeant ſeceſsivè, numero ſimpliciter & actu infinitæ. *AR-*

50 *ARGVES V.* Poteſt Deus movere punctum continuo motu per ſpatiũ imaginarium, ſicut poteſt in eodem ſpatio movere corpus punctis conſtans motu continuo: in neutro enim eſt repugnãtia aliqua. Sed ſpatium imaginarium eo ipſo ex indiviſibilibus conſtat. Ergo etiam reale ſpatiũ conſtare debet ſolis indiviſibilibus. Probatur minor. Si enim imaginarium ſpatium eo ipſo indiviſibilibus non conſtaret, ſed partibus abſque fine dividuis, punctũ quod per illud ſpatium movetur, deberet occupare partes ſpatij diviſibiles: ac proinde eſſet extenſum per ſe ac ſeorſim: quod omnino repugnat.

51 *HOC* Argumentum, quo Recentiores aliqui vtuntur, non habet maiorem difficultatem in ſpatio imaginario, quàm reali: quia æquè fieri poteſt de puncto corporis permanentis, lapidis v.g. cadentis ex alto. Etenim illud dum movetur continuè ad motum lapidis, videtur ſemper correſpondere debere indiviſibili ſpatio loci realis, quia parti eius diviſibili correſpondere nequit, niſi per ſe ac ſeorſim extenſum ſit. *RESP.* Quemadmodum punctum, licèt indiviſibile ſit, afficere poteſt & tangere immediate partem diviſibilem continui permanentis, quia eſt vnio ipſius cum alia parte eiuſdem continui; ita etiam, & propter eandem rationem poſſe correſpondere diviſibili ſpatio, ſeu imaginario, ſeu reali per quod movetur corpus continuum: cum hoc tamen diſcrimine, quod in quolibet inſtãti temporis punctum per ſe ac ſeorſim ſolùm reſpondeat indiviſibili ſpatio loci, quia diviſibilis pars ſpatij nequit pertrãſiri momẽto indiviſibili; in qualibet verò parte temporis punctu non moveatur per ſe ac ſeorſim per partem ſpatij diviſibilem, ſed quaſi per accidens, & conſequenter ad motum partium, quas vnit. Quare non dicimus pũctum ſaltare immediatè ab vno ad aliud indiviſibile ſpatij: verè enim tranſit & eſt in ſpatio diviſibili interiecto, quamquam ratione partium, quas vnit. Sic corpus Chriſti movetur quidem ad motum hoſtiæ conſecratæ: non tamen movetur per ſe, ſed ſolùm per accidens & conſequenter ad motũ accidentium. Quâ ſolutione intellecta cõciliabis ſolutiones frequentes, tum Thomiſtarum apud Rubium 6. *Phyſic. c.* 10. *q.* 1. *ar.* 2. tum & aliorum iis adverſantium, inter quos Barth. Amicus in Phyſica *tract.* 25. *q.* 1. atque Lynceus *lib.* 3. *Phyſic. tract.* 7. *c.* 5.

52 *DICES*: Punctum continuè motum lineam ſpatij efficit, & vbicationẽ continuam, ſi per ſe ac ſeorſim movetur, vt Mathematici aiunt. Nec videtur ratio aliqua cur id à Deo fieri nequeat, vt illud ſeorſim ac continuè moveatur. Ergo tunc correſpondebit ipſi ſpatiũ indiviſibile vnũ immediatè poſt aliud: quia puncto per ſe ac ſeorſim nequit reſpondere ſpatium loci diviſibile. Ergo quia ſpatium immediatè conſtat indiviſibilibus. Idemque argumentum poteſt fieri de tempore cui correſpõdet punctum continui permanentis, ad probandum tempus componi ex indiviſibilibus.

RESP. Poſſe negari ſeparabilitatem puncti a corpore continuo, quia eſt modus & vnio eſſentialiter pendens a partibus, quarum diviſione facta neceſſario corrumpitur. Vnde numquam ſeorſim moveri poteſt motu continuo, niſi ſolùm per accidens & conſequenter ad motum partium. Neq; vrget quod Mathematici eo exemplo vtatur ad explicandam lineam & ſuperficiẽ. Eſt enim mera conſideratio abſtrahẽtium à materia ſenſibili, vt ſupra *n.* 30. cum Conimbricẽſibus inſinuavi. Quod & traditum invenio apud Ioannem a S. Th. in præſenti. Verùm permiſſo gratis poſſe punctum ſeorſim exiſtere ac moveri continuè, id eſſet per accidens ex ſubiectione ad virtutẽ moventem illud præter ipſius naturam, atque per ſe habentem vim ad operandum in ſpatio diviſibili, ſicut & ad conſervãdum illud miraculosè in tempore diviſibili.

53 *ARGVES VI.* ab experimento vulgari. Si baculus ſit intra aquam vſque ad ſui medietatem, correſpondent ei ex parte loci ambientis duæ ſuperficies ſibi immediatè ac mutuò contiguæ aëris & aquę. Ergo & in ipſo baculo ſunt duæ ſuperficies immediatè correſpondentes duobus ſuperficiebus loci. Ergo in ipſo baculo vna ſuperficies ſequitur immediatè poſt aliam, atq; adeò vnum indiviſibile ſecundùm profunditatem immediatè aliud ſequitur. *RESP.* negando conſequentiam. Tunc enim vnica ſuperficies baculi correſpondet immediatè aliis duabus aquæ & aëris ita vt puncta omnium correſpondeant eidem indiviſibili ſpatio loci, vtpotè ſe tangentia immediatè, pro eo quod diximus *à n.* 13. Quæ ſolutio eſt communis. Adde ſpeciatim ex iis quę dicto *n.* 30. & modò *n.* 52. indicavimus, non eſſe inconveniens in rè admittere vnã ſuperficiẽ immediatè poſt aliam, & vnam lineam poſt aliam immediatè in quovis continuo. Inde enim non colligitur vnum indiviſibile eſſe immediatè poſt aliud: quia quælibet linea & ſuperficies componitur partibus diviſibilibus & punctis ſimul inter

eas poſitis, eo ſolùm diſcrimine, quòd linea concipiatur carens extenſione penes latitudinem & profunditatem, ſuperficies verò ſecundum profunditatem tantùm: quanquam vtriuſque partes reipſa conſtent trina dimenſione. Vnde quamvis vna linea ſit poſt aliam lineam immediatè, nō ſequitur punctum eſſe immediatè poſt aliud punctum: ſed cuilibet puncto vnius lineæ correſpondet immediatè pars alterius lineæ; & huius puncto, pars lineæ alterius. Similiter cuilibet puncto vnius ſuperficiei extimæ, v.g. reſpondet immediatè pars in ſuperficie interiori immediata; & cuilibet parti punctum. Eoque tandem ordine totum cōtinuum eſt diſtributum, vt nunquam vnum indiviſibile ſequatur immediatè poſt aliud.

54 *ARGVES VII.* Si globus perfectè ſphæricus moveatur per tabulā perfectè planam motu continuo, ſemper tanget illam in aliquo puncto indiviſibili. Ergo tabula perfectè plana continuata eſt puris indiviſibilibus. Conſequentia patet: quia ſi continuata nō eſſet puris indiviſibilibus, aliis poſt alia immediatè, ſed conſtaret partibus eſſentialiter dividuis per indiviſibilia copulatis; nulla eſſet ratio vt globus motus continuè per tabulam ſemper tangeret illam in aliquo indiviſibili puncto; ſed potiùs, vt modò in puncto, modò in parte diviſibili tangeret. Antecedens autem probatur: Quia de ratione globi perfectè ſphærici eſt vt neque adæquatè, neque inadæquatè habeat rationē plani; ſeu, quod perinde eſt, vt neque in minimo commenſuretur cum palmo. Ergo ſi moveatur continuè per illud, ſemper indiviſibile globi tanget aliquod indiviſibile plani, non autē pars diviſibilis vnius tanget diviſibilem alterius partem. Patet conſequentia: quia ſi eſſet hoc vltimum, iam corpus perfectè ſphæricum, inadæquatè, & quo ad illam partem, haberet rationem plani, commēſuraretúrque cum ea, quod repugnat figuræ vtriuſque.

55 *NON* Placet aliorum ſolutio, qui negāt globum perfectè ſphæricum fieri poſſe, aut aiunt non poſſe moveri continuè per planum, niſi ſubſultim, ſeu ſaltando à puncto ad punctum: ij enim non ratione aliqua, ſed vi argumenti ad id negandū trahuntur. Quare reſpondeo, in eo motu continuo non ſemper fieri tactum in puncto, ſed etiam in parte corporis plani, quāquam minore & minore quacumque aſſignabili, imò & inadæquatè accepta. Hoc autem non probat corpus perfectè rotundum conformari perfectè plano in ſua figura & extenſione: quemadmodum quòd indiviſibile copulativum partium dividuarū tangat illas immediatè, non probat illud à ſua indiviſibilitate degenerare, aut partes à diviſibilitate ſua; quia contactus ille eſt inadæquatus, & in particula minore ac minore quacumque aſſignabili. Ita in præſenti: cum hoc tamen diſcrimine, quòd vbi globus perfectè ſphæricus ſecundum aliquod punctum ſuum tangit punctum corporis plani, contactus ille ſit adæquatus; vtpotè in duplici extremo ſe adæquatè tangente: vbi autem pars corporis ſphærici tangit punctum plani, & è contrà, ille contactus inadæquatus ſit: vbi denique pars prioris tangit poſterioris partem, ſit etiam inadæquatus vtriuſque contactus, & penes particulam minorem ac minorem quacumque aſſignabili. nihil enim obſtat perfectæ rotunditati vnius, & planitiei alterius. Obſtaret autem, ſi vtriuſque contactus fieret in parte determinatæ ac certæ magnitudinis, ſive parvæ, ſive magnæ, adæquatè accepta: quia ſic eſſet contactus adæquatus, in quo figura vnius perfectè alteri commenſuraretur. Cùm vero in parte indeterminata ſit, eáque inadæquatè accepta, prædictam commenſurationem non infert: quemadmodum nec contactus puncti cum parte indeterminata, vt nuper dictum eſt. Moneo tamen, partem illam, in quà fit contactus, licèt ſit indeterminata, eſſe æqualem alteri ab ea tactæ.

RESTAT Argumentum omnium difficillimum, cuius examini totam ſequentem diſputationem deputamus.

DISP.

DISP. TRIGESIMA QVINTA:

DE MVLTITVDINE PARTIVM CONTINVI.

An poſitâ diviſibilitate continui in infinitum, colligatur partes eius fore actu infinitas, contra Ariſtotelem?

Num. 1. AVTHORES allegati diſput. precedenti num. 3 alijque ex Recentioribus, ideo potiſsimùm impugnant opinionem Ariſtotelis de compoſitione continui ex partibus in infinitum diviſibilibus, quia exinde infertur infinitudo actualis earum, tam quò ad multitudinem, quàm quò ad magnitudinem, reiecta ab ipſo Philoſopho vt impoſsibilis ſuprà lib. 3. Eam illationem, quæ Authoribus noſtræ ſententiæ non nimiùm curæ eſſe ſolet, difficillimam cenſeo, ſi quæ alia eſt in tota Philoſophia. Ideo pleniori illius examini integram hanc diſputationem deſtinare viſum. Habet locum apud Ariſt. hoc lib. 6. c. 1. & 2. & lib. 3. cap. 4. vſque ad 8.

SECTIO PRIMA.

Difficillimus nodus in opinionem Ariſtotelis proponitur, & irretitur multipliciter.

2 RATIO Dubitandi, ſeu potiùs argumentum ab abſurdo, & ad hominem, contra opinionem Ariſtotelis diſputatione præcedenti ſtatutam, de compoſitione continui permanentis ex partibus in infinitum diviſibilibus, ſic proponi poteſt. Si continuum componeretur ex partibus actu exiſtētibus in ipſo, abſque fine dividuis, in quolibet corpore continuo darentur infinitæ actu partes ſecundum multitudinem, & penes extenſionem. At conſequens eſt falſum iuxta Ariſtotelem ſupra *lib.* 3. & iuxta communem Philoſophorum ſententiam, negātem dari aliquid infinitum in actu, ſive ſecundùm multitudinem, ſive penes extenſionem. Ergo continuum nō componitur ex partibus actu exiſtentibus in ipſo, abſque fine dividuis. Cōſequentia & falſitas minoris patent. Tota difficultas eſt in probanda ſequela quò ad vtramque partem, quarum prior infert infinitatem ſecundum multitudinem, poſterior vero penes extenſionem, ſeu magnitudinem.

3 PRIOR itaque pars illius ſequelæ probatur. Infinitum actu penes multitudinem eſt collectio infinitarum rerum actu diſtinctarum. At ſi cōtinuum componitur ex partibus actu diſtinctis & diviſibilibus in infinitum penes alias minores & minores actu exiſtentes, dabitur in eo collectio infinitarum rerum actu diſtinctarum. Ergo dabitur in eo infinitum actu ſecundum multitudinem. Maior ex terminis videtur perſpicua: neque aliter explicari poteſt infinitum in actu penes multitudinem, per poſsibile aut impoſsibile exiſtens, quàm per collectionem infinitarum rerū actu diſtinctarum. Minor autem probatur: Quia continuum nequit componi ex partibus in infinitum diviſibilibus penes plures & plures actu exiſtentes intra ipſum, niſi in eo ſit collectio infinitarum rerum, ſive partium, actu diſtinctarum. Si enim collectio infinita non eſt, ſed finita, poterit tandem ſucceſsivis diviſionibus finiri & exhauriri; ac proinde non erit diviſibile in infinitum penes ea quæ actu habet, contra hypotheſim huius diſputationis. De ratione enim finiti eſt, vt tandem exhauriri poſsit. Ergo ſi continuū componitur ex partibus actu diſtinctis, diviſibilibuſque in infinitum penes alias & alias minores actu exiſtentes, dabitur in eo collectio infinitarum rerum, ſive partium actu diſtinctarum.

4 OCCVRRES I. cum aliquibus, negando quidquam abſurdi in eo eſſe, quod continuum componatur ex multitudine partium actu infinitâ. SED Contrà ſolutionem & doctrinam hanc militant argumenta omnia, quibus libro tertio reiecta eſt multitudo actu infinita vt omnino impoſsibilis. Quanto magis illam profligabit, vt actu exiſtentem? Deinde, cùm Ariſtoteles eo libro totus ferè ſit in reijciendo infinito in actu, hoc vero libro ſexto in aſſerēda compoſitione continui ex partibus actu exiſtentibus, & ſine fine dividuis; ſupponit planè, ex tali compoſitione non ſequi multitudinem infinitam actu. Alioqui eſſet ſibi expreſsè contrarius.

5 *OCCVRRES II.* cum communi aliorum ſolutione negando ſequelam, & ad probationem aſſerendo infinitū in actu conſiſtere in collectione infinitarū rerum actu exiſtentium ſeorſim, ſive per proprias exiſtentias; quia infinitū in actu ſecundum multitudinē importat numerū actu infinitum. Numerus autē, cum ſit quantitas diſcreta, neceſſariò importat diviſionē vnitatum, ſive partium; ac proinde quod qualibet illarū ſeorſim ſit ens in actu & per exiſtentiā propriam. Cum igitur partes in cōtinuo, licet ſint actu, & realiter diſtinctæ inter ſe, exiſtant non per propriā exiſtentiā, & diviſim, ſed per communem & vnicam totius ac coniunctim, inde eſt vt non conſtituant multitudinem infinitam entium in actu.

6 *VERVM* ſolutio tradita multiplici ex capite difficilis eſt. *Primò*: Quia ex communi omniū fere doctrina partes omnes quæ in continuo ſunt, non exiſtunt in potētia ſolùm, ſed actu realiter diſtinctæ. Alias enim aliquæ ſaltem illarum actu eſſent idē realiter, ac proinde nec per divinam potētiam poſſent inter ſe diſtingui, vel dividi: quod eſt contra eſſentiam rei quantæ. Ergo in continuo eſt actu vna & alia & alia pars actu diſtincta: ac proinde ſi ſimul eſt alia, & alia actu diſtincta in infinitum, dabitur in continuo infinita multitudo partiū in actu. *Secundò*: Quia nulla videtur eſſe ratio cur ſi omnes partes ſunt in cōtinuo actu realiter diſtinctæ, non habeant totidem exiſtētias, ſive identificatas cum ipſis, ſive diſtinctas, dummodo proprias ipſarum, ſaltem partiales. Tū quia partes quantitatis non habent rationē ſubiecti aut potentiæ paſsivæ, ſed formæ, ſive actus: ac proinde debēt habere proprias actualitates exiſtentiæ. Tum, quia exiſtentia quātitatis totius eſt diſtincta realiter ab exiſtentia ſubiecti, cum hæc ſit ſubſtantialis & exiſtentia *per ſe*; illa verò accidentalis & exiſtentia in alio, quæ proinde appellatur *inexiſtētia*. Ergo & quælibet pars quantitatis debet habere ſuam exiſtētiam, ſive *inexiſtentiam* propriam, ſaltem partialem. *Tertiò*. Exiſtentia totius quātitatis debet eſſe extenſa & diviſibilis, ſicut & tota ipſa quantitas. Alias eſſet tota in tota quantitate, & in qualibet parte quātitatis, quod abſurdiſsimum eſt, & improportionatum vt exiſtat res extenſa ac diviſibilis. Ergo quemadmodum ſunt plures partes quantitatis actu diſtinctæ, quæ integrant vnam quantitatem continuam; ſic etiam ſunt plures partes exiſtentiæ actu diſtinctæ, ex quibus vna exiſtentia totius quantitatis continuæ integratur. Et tunc redit argumentum, cur infinitæ partes actu diſtinctæ in continuo exiſtentes per proprias exiſtentias partiales, non conſtituant multitudinē actu infinitam? Præterquam quòd & illarū exiſtentiæ ſolùm de facto partiales ſunt, cùm facta diviſione partium abſolutè poſſint ſeorſim exiſtere.

7 *SED* Admiſſo partes illas non habere propriam exiſtentiam, quid inde, vt non conſtituant multitudinem entium ſive rerum actu diſtinctarum? Nam divinæ Perſonæ iuxta doctrinam ipſorum Thomiſtarum non exiſtunt per diſtinctas exiſtentias, adhuc relativas. Et tamen fide ſanctum eſt tres divinas Perſonas abſolutè loquendo eſſe tres res diſtinctas iuxta illud S. P. Anſelmi *libr.* 1. Cur Deus homo, *capit.* 3. aientis: *Omnes Chriſtianos ſentire Perſonas Trinitatis ſecundùm propria & perſonalia eſſe tres res; ſed ſecundùm eſſentiam eſſe vnam rem, abſque ſeparatione aliqua, vel diviſione.* Ergo quod partes continui aſſerantur exiſtere, non per propriam ac diſtinctam cuiuſque exiſtentiam, ſed per vnicam & cōmunem totius, non tollit quòd abſolutè ſint & dicantur plures res, ſive entitates actu diſtinctæ: ac proinde ſi exiſtunt actu in continuo in infinitum diviſibili, erunt infinitæ entitates, ſive res in actu. *Deinde*: Si per poſsibile, aut impoſsibile crearet Deus omnes homines poſsibiles, eſſent infiniti in actu, vt demonſtratum eſt *lib.* 5. Tunc verò ſi Verbū aſſumeret omnes illas humanitates pariter conſtituerent multitudinē actu infinitā, vt conſequenter ac neceſſario infertur. Et tamen illæ non exiſterent per exiſtentiā propriā cuiuſque ac diſtinctā, ſed per vnicā & indiviſam Verbi exiſtentiam, ſicut modo humanitas Chriſti iuxta ſententiam eorundem Thomiſtarū. Ergo dato quod partes continui non exiſtant per diſtinctam ac propriā cuiuſque exiſtentiam, ſed per vnicam totius, non impeditur multitudo illarū infinita in actu. *Denique*, iuxta eandem ſolutionē, omnes partes continui, quæcūque illæ ſint, & quovis nomine ſignificentur, ſive cōmunicantes, ſive non comunicantes, ſeu aliquotæ, ſeu proportionales, exiſtunt per vnicā totius exiſtentiā. Et tamen ſi partes aliquotæ v. g. quarum ſingulæ eſſent vnius palmi, exiſterent in aliquo continuo totidem, ac omnes aliæ, cōſtituerent multitudinem actu infinitam. Ergo & conflatū, ſive collectio ex omnibus partibus quæ ſunt in quolibet cōtinuo, quamvis vnicam exiſtentiam habeat, conſtituet multitudinem actu infinitam.

8 *NEC* Videtur referre, quod in ſolutione adducitur de multitudine, ſive numero, qui eſt quantitas diſcreta, ac proinde importat diviſionem partium, quæ non eſt inter partes vnius continui. Nam contra hoc vrget I. Quòd numerus tranſcendentalis non importat diviſionem, vt patet in exemplo Perſonarum Trinitatis, conſtituentium numerum ternarium tranſcendentalem, quamquam realiter indiviſæ ſint, vt fide ſanctum eſt. Ergo licèt partes eiuſdem continui non ſint diviſæ, ſed ſolùm diſtinctæ, conſtituunt numerum ſaltem trãſcendentalem. Et ratio à priori eſt: Quia numerus tranſcendentalis eſt collectio vnitatum tranſcendentalium. At in quovis continuo eſt collectio vnitatum tranſcendentalium plurium, imo & infinitarum: cùm quælibet pars habeat ſuam entitatem, atque adeo & vnitatem trãſcendentalem diſtinctam realiter ab alia, & partes aſſerantur infinitæ. Ergo in quolibet continuo eſt numerus tranſcendentalis infinitus. Cur ergo non erit numerus tranſcendentalis infinitus in actu? II. Partes heterogeneæ hominis v. g. diviſæ non ſunt, ſed continuæ in toto integrali. Et tamen verè conſtituunt numerum, non modo tranſcendentalem, ſed prædicamentalem. Quis enim neget ex duabus manibus, quinque digitis, decem dentibus, viginti oſsibus, conſurgere veram pluralitatem & numerum, non modo tranſcendentaliter, vt eſt evidens propter multiplicem illorum vnitatem tranſcendentalem, ſed etiam prędicamentaliter? Aut quis binarius prædicamentalis vnquam erit, ſi ex duplici manu eiuſdem hominis non conſurgit? Parùm ergo refert, quòd partes totius homogenei diviſæ non ſint, vt ideo non conſtituant numerum tranſcendentalem, imò & prædicamentalem.

9 *OCCVRRES III.* Diſtinguendo inter partes illas, quæ ſunt æquales vni certæ, ac minimè communicantes ex vno capite; & ex alio proportionales ac communicantes. Priores enim talis naturę ſunt, vt licèt non exiſtant ſeorſim per exiſtentiã propriam, ſint tamen potentes proximè exiſtere; atque adeò propemodum accedant ad numerum conſtituendum. Poſteriores verò cum lateant in confuſo, & contineantur ſub alijs minoribus ac minorib⁹, nec exiſtant per propriam actualitatem, nec poſsint proximè illam habere; ineptæ ſunt ad numerum conſtituendum. Vnde licet ſint infinitæ, non conſtituunt multitudinem infinitam in actu.

10 *SED Contrà I.* (præter impugnationes præiactas, quarum plurę directè adverſantur huic ſecundę ſolutioni.) Poſitâ enim opinione contraria, ſequitur in colũna vnius palmi penes longitudinem & rotunditatem, exiſtere debere actu infinitas lineas palmares. Sed lineæ palmares ſunt æquales vni certæ, ſcilicet, alteri lineæ palmari. Ergo in opinione contraria admitti debent partes æquales vni certæ, quæ ſint infinitæ. Minor cum conſequentia patet. Maior, ſive ſequela, probatur. Nam quemadmodum in ſententia Ariſtotelis quælibet linea conſtat infinitis partibus verſus longitudinem, ita & columna palmaris debet conſtare ex infinitis lineis palmaribus, quæ gyrent penes rotunditatem, & à ſummo ad infimum ducantur penes longitudinem. Alioqui enim, quantitas illius columnæ palmaris per alias & alias diviſiones in diverſas lineas ſecundùm longitudinem & rotunditatẽ exhauriri tandem poſſet, ſi lineæ illæ palmares infinitæ non eſſent. quod ex diametro Ariſtoteli contradicit. *Rurſus:* Illæ linee palmares non ſunt invicem communicantes, cùm vna non includatur in alia, ſed ſucceſsiva menſuratione gyret per totam columnam ſive penes longitudinem, ſive penes rotunditatem. Ergo cùm lineæ ſint infinitæ, iam erunt in columna infinitæ lineæ, ſive partes non communicantes; ac proinde actu infinitæ ſecundùm multitudinem.

11 *CONTRA II.* Neceſſarium eſt opinioni contrariæ ponere in quantitate bipalmari infinitas partes actu exiſtentes, quæ minimè communicantes ſint. Ergo ſi ſaltem partes non communicantes conſtituunt numerũ, neceſſario in quantitate bipalmari dabitur numerus partiũ infinitus in actu. Probatur antecedens facta hac cõputatione. Dividatur quantitas bipalmaris in palmũ A. & B. Palmus A. computetur, & conſtituat primam vnitatẽ numeri. Deinde palmus B. qui antea computatus non eſt dividatur in duos ſemipalmos A & B. Semipalmus A. coputetur cum palmo A. cõſtituatque cũ illo numerũ binarium. Rurſus ſemipalmus B. non cõputetur, ſed dividatur in duos quadrantes A. & B. quorum primus cõputetur cum palmo A. & ſemipalmo B. cum iiſque conſtituat numerum ternarium. Deinde quadrans B. non computetur: ſed eodem modo dividatur in duos ſemiquadrantes A. & B. quorum primo ſolum computato, & iam conſtituente quaternarium cum tribus vnitatibus præcedentibus, ſecundus non computetur,

ſed dividatur in duas partes æquales A. & B. & computata ſimiliter ſolùm parte A. fiat alia & alia diviſio in infinitum. Ergo de primo ad vltimum invenientur in quantitate bipalmari infinitæ partes A. diſtinctæ, & non communicantes. Nam licèt ſemper ſint minores & minores in infinitum, vna pars computata nō communicat cum alia parte computata, ſeu adæquatè ab illa diſtinguitur, atque adeo conſtituit cum illa numerum: quia numerus iuxta ſolutionem reſultat ex partibus invicem non communicantibus. Et certè quod vna pars ſit minor alia, & altera minor alia in infinitū, nō tollit ab ijs multitudinem actu infinitam, ſi omnes actu exiſtere ſupponantur, & nulla ex computatis contineatur intra alteram computatam. Si enim Deus produceret omnes Angelos poſsibiles, omnes illi conſtituerent numerum infinitum in actu. Et tamen iuxta doctrinam Thomiſtarum omnes eſſent inæqualis perfectionis ſpecificæ, minoris & minoris in infinitum. Rurſus, ſi Deus poneret actu exiſtētes omnes ſpecies poſsibiles in genere animalis, illæ eſſent infinitæ in actu penes multitudinem. Et tamen nō eſſent æqualis perfectionis, ſed minoris & minoris perfectionis in infinitum. Denique qualitercunque demum ponatur, ſeu fingatur multitudo actu infinita, factis computationibus per medietates A. & B. ſicut in quantitate bipalmari, ex medietatibus A. computatis reſultabit numerus infinitus in actu. Et tamen medietates A. cuiuſcunque multitudinis diviſæ ac ſubdiviſæ, erunt minores & minores in infinitum, vt patet. Ergo de primo ad vltimum medietates A. computatæ in quātitate bipalmari, quamvis ſint minores & minores in infinitum, conſtituerēt numerum actu infinitum.

12 *POSTERIOR* Præcipuæ ſequelæ pars, quià infertur quodlibet continuum fore infinitum ſecundum extēſionem, hoc ipſo quòd aſſeratur diviſibile in infinitum in partes actu exiſtentes, ſuadetur ſic. Sequitur enim in quolibet continuo dari infinitas partes actu diſtinctas, quæ aptæ ſint facere extenſionem infinitam, ſaltem verſus longitudinem & latitudinem. Ergo ſequitur quodlibet continuum fore, aut ſaltem eſſe poſſe infinitum in actu, nēpe penes vtramque extenſionem. Antecedens probatur, ſumendo quantitatem palmarem ſecundùm omnem dimenſionem. In hac quantitate palmari exiſtunt de facto infiniti palmi æquales versùs longitudinem, & latitudinem, tantumque inæquales versùs profunditatem. Si nanque quantitas hæc vndecunque palmaris dividatur ſolùm ſecundùm profunditatem, poterit ſemper atque in infinitum dividi ita, vt nunquam illius profunditas exhauriatur. Aliàs diviſionibus iteratis deveniretur tandem ad ſuperficies indiviſibiles, colligereturque demum continuum cōſtare immediate ſolis indiviſibilibus. quod Ariſtotelici angue & cane peius arbitrantur. Igitur in ea quantitate palmari re ipſà ſunt infiniti palmi ſemper minores & minores quò ad profunditatem; æquales verò quò ad longitudinem latitudinemque. Sed ex infinitis palmis actu diſtinctis reſultare poteſt extēſio penes longitudinē latitudinēque actu infinita. Ergo ex oppoſita ſententià ſequitur in quolibet continuo dari infinitas partes actu diſtinctas, quæ aptæ ſint facere extenſionem actu infinitam.

13 *CONFIRMATVR. I.* In quantitate enim palmari ſunt infinitæ partes actu minores & minores, etiam non communicantes, vt *ſuprà* oſtenſum eſt. Illa verò infinitas partium minorum & minorum dividi poteſt in duas medietates æquales, quarum quælibet ſit infinita: quia ex duplici medietate finità nequit reſultare collectio infinita. Sumendo igitur alteram ex his medietatibus, ſuperiorem quò ad extenſionem partium; & æqualem quo ad numerum, & accipiendo minimā omnium partium contentarum in hac collectione, ſic arguitur. Hæc pars, licèt minima, eſt tamen determinatæ extenſionis, & ſi vniretur infinitis partibus ſibi æqualibus, conſtitueret extenſionem infinitam. Ergo à fortiori vnita partibus ſuæ collectionis maioribus & maioribus in infinitum, conſtituit de facto extenſionem infinitam. Patet conſequentia: Quia intelligibile non eſt quòd exigua aliqua pars aſſociata infinitis æqualibus faciat extenſionem actu infinitam, & tamen illam non faciat coniuncta infinitis maioribus ac maioribus. Rurſus. Sumendo alteram ex illis medietatibus inferiorem quò ad extenſionem, & æqualē quò ad multitudinem partium, colligitur conſtituturam infinitum in extenſione, quanquam minùs extenſum infinito reſultante ex totidem partibus maioribus alterius medietatis. Idque extorquetur hac paritate. Si per poſsibile aut impoſsibile ponerētur à parte rei infinitę pyramides maiores & maiores, dividerenturque in duas medietates, ità vt in altera eſſet medietas æqualis quò ad numerum & maior quò ad extenſionē, in altera verò medietas æqualis

lis

lis quò ad numerum, inferior tamen quò ad extenſionẽ, non ſolum illa medietas prior, verùm & hæc poſterior ſeorſim conſtitueret extenſionem infinitam, quãquam minorem. Ergo ſimiliter medietas illa partium minorum in quantitate palmari erit apta conſtituere infinitam extenſionem, quamquam minorem extenſione reſultãte ex partibus totidem maioribus alterius medietatis.

14 *DICES I.* Implicare contradictionem, quòd illarum medietatum altera conſtituat infinitam extenſionem, & tamen hæc ſit minor extenſione reſultante ex altera medietate totidem, ſive partium, ſive pyramidum maiorum: quia vnũ infinitum in actu nequit eſſe maius alio. *SED* Evaſio hæc præoccupata eſt *lib.* 3. vbi demonſtratum eſt, poſſe vnum infinitum in actu eſſe minus, & æquale, & maius alio infinito in actu.

15 *DICES II.* Neque in tota illa collectione, neque in medietate illius, poſſe aſsignari minimã partem, quia quacumque accepta adhuc reſtat minor & minor. *SED Contrà I.* Argumentum enim nõ contendit poſſe aſsignari minimam partem à nobis, ſed ſolum revera ibi eſſe duplicem medietatem, quarum quælibet totidem partibus conſtet, altera quidem maioribus & maioribus, altera verò minorib⁹ & minoribus. Hoc verò negari non poteſt; quia omnes partes maiores & minores ibi ſunt actu diſtinctæ iuxta ſententiam Ariſtotelis, ac proinde licèt à nobis computari non poſsint, à Deo, qui omnia comprehendit, ſtrictè queunt comparari, & æqualiter diſtribui. *Contrà II.* Si daretur multitudo actu infinita hominum, poſſet Deus illam dividere in duas medietates ternariorum, quarum quælibet conſtaret totidem & infinitis ternarijs: poſſet item illam dividere in duas medietates, quarum altera conſtaret infinitis binarijs, altera verò totidem quaternarijs; quia ex vnaquaque collectione ſex vnitatum conſurgere poteſt duplex ternarius; vel etiam vnus binarius, & alter quaternarius. Ergo quemadmodum tunc medietas infinita binariorum eſſet æqualis quò ad numerum medietati alteri infinitæ quaternariorum, quãquam inæqualis quò ad multitudinem duplo maiorem in ſecunda, quàm in prima; ſic etiam inter partes actu exiſtentes in continuo poterit deſignari duplex medietas infinita partium æqualis quò ad multitudinem, quamvis altera conſtet partibus minoribus & minoribus quò ad extenſionem, altera maioribus & maioribus. Ergo ſicut in diviſione prædicta multitudinis hominum infinitæ ac diviſæ in duas medietates ſciret Deus à quonam quaternario inciperet altera medietas, & à quo binario altera; ita in diviſione quantitatis palmaris in duas medietates partium, æquales quò ad numerum, & inæquales quò ad extenſionem, ſciret Deus à qua parte eam diviſionem & computationem inchoaret: atque adeò poſſet ſaltem deſignare maximam partem à quà inciperet medietas minoris extenſionis, & minimam in quà finiretur medietas extenſionis maioris.

16 *Contrà III.* Non enim eſt contra rationem infiniti in actu, quod in eo aſſignetur minimum & maximum, ſive ſecundùm multitudinem, ſive ſecundùm extenſionem, ſive ſecundùm intenſionem. Ergo neque contra rationẽ vtriuſque illius medietatis conſtantis partibus infinitis maioribus & maioribus eſt, quod in ea poſsit aſsignari pars minima, ſicut & maxima. Probatur antecedens quò ad ſingulas partes. Si daretur infinita multitudo hominũ, poſſet Deus enumerare illam incipiendo ab vno homine indiviſibili, vſque ad ſummam multitudinem, vltra quam nullus homo iam exiſteret, & quæ vnico homine ſuperaddito poſſet fieri maior, vt dictâ diſput. demonſtratum eſt. *Rurſus.* Si daretur linea continuata infinitarum pyramydum maiorum & maiorum ſucceſsivè ab Oriẽte in Occidentem illamque Deus divideret per medium, quælibet medietas linearis pyramidum eſſet infinita verſus longitudinem: quia ex duobus medietatibus longitudinis finitæ nequit reſultare longitudo actu infinita. Tunc autem in vnaquaque medietate poſſet Deus, imò & quilibet Angelus, imò & homo videns diviſionem, aſsignare minimum vnius medietatis, & alterius maximum. Scilicet vbicunque fieret diviſio, pyramis correſpondens parti Oriẽtis eſſet maxima illius medietatis, & pyramis correſpondens parti Occidentis eſſet minima medietatis alterius. Vt ſi ſex candelabra ſtatuas gradatim ſe excedentia in vno palmo, eaque dividas in tria minora, & tria maiora reliquis; candelabrũ tripalmare vnius medietatis erit maximum triũ illorum; candelabrum verò quadripalmare alterius medietatis erit minimũ aliorum trium. *Denique:* Si daretur calor infinitè intenſus conſtans gradibus heterogeneis, poſſet in eo aſsignari infimus gradus à quo inciperet, & ſummus, vltra quem non tranſiret. Adhuc enim poſſet Deus producere

ca-

calorem alium intenſiorem vnico gradu, & per conſequens videre ſummum gradū primi caloris inæqualem ſummō gradui alterius. Quod non eſſe contra rationem infiniti in actu, *vbi ſuprà* ſatis oſtenſum eſt. Non ergo adverſatur infinito in actu, quòd in eo aſsignetur minimum & maximum, ſive ſecundùm multitudinem, ſive ſecundùm extenſionem, ſive ſecundùm intenſionem. Dummodo enim actu in eo exiſtāt vnitates, partes extenſionis, aut gradus intenſionis tot, vt ſucceſsivè accepti in quavis menſurâ nunquam exhauriri poſsint per totam æternitatem, verè conſtituent infinitum in actu. Ergo neque contra rationē vtriuſque illius medietatis conſtantis partibus minoribus & maioribus eſt, quod in altera poſsit aſsignari pars maxima, in altera vero pars minima. Et tunc inſtauratur argumentum præiactum.

17 *CONFIRM. II.* Eadem pars: Quia ſi partes infinitæ quantitatis palmaris non conſtituerent extenſionem infinitam, id ſolùm eſſet vt Ariſtotelici aiunt, quia nō exiſtunt infinitæ æquales, ſeu certæ magnitudinis, ſed inæquales & incertæ. At poſito partes omnes continui actu exiſtere diviſibiles in infinitum, debent aſsignari infinitæ partes æquales, & certæ magnitudinis. Ergo conſtituent extenſionem actu infinitam. Probatur minor. Dividatur palmus quantitatis in duos ſemipalmos; & duo ſemipalmi in quatuor quadrantes; & quatuor quadrantes in octo ſemiquadrantes, & octo ſemiquadrātes in ſexdecim partes æquales, ac ſic deinceps. Ergo quia in infinitū omnes illæ partes dividi poſſunt in partes actu exiſtentes atque æquales inter ſe (alias reſolveretur tandem continuum in puta indiviſibilia) manifeſtè colligitur quātitatem palmarem conſtare actu infinitis partibus inter ſe æqualibus.

18 *RESPONDEBIS* Cum Ariſtotelicis, quos imitatur P. Oviedo *Contr.* 17. *puncto* 3. *num.* 3. alioqui ipſis contrarius, verè in quavis quantitate eſſe tot partes, & ita diviſibiles, vt quacunque diviſione aſsignatā partium æqualium, & quovis numero inde reſultante, poſsit Deus aliam diviſionem facere, & maiorem partium numerum conſtituere: nunquam tamen valeat actu exhibere infinitas partes æquales, ſicut neque infinitas diviſiones. quod vltimum requirebatur, vt ex partibus diviſis reſultaret extenſio actu infinita.

19 *SED Contrà I.* Argumentum enim non infert poſſe Deum exhibere infinitas diviſiones, ſeu partes æquales diviſas: ſed ſolū illas exiſtere infinitas & æquales in quantitate palmari, hoc ipſo quod in infinitum ſit diviſibilis in partes æquales actu exiſtentes. Etenim per diviſionem nō producuntur partes æquales, quia iam antea exiſtebant actu diſtinctæ inter ſe: ſed ſolùm deperditur vnio, quā ante diviſionem continuabantur, *vt diſp.* 33. oſtenſum eſt *à num.* 17. Ergo ſi palmaris quantitas in infinitum dividi poteſt in æquales partes, & hæ actu iam ſunt in illâ, verè in ea exiſtunt infinitæ partes æquales, quanquam non diviſæ. *Contrà II.* Si omnes illæ partes æquales, quæ actu ſunt in quantitate palmari, dividerentur, eſſent infinitæ actu, poſſentque conſtituere infinitam extenſionem. Sed in eā hypotheſi non eſſent plures, neque maioris extenſionis, quàm modò ſunt in quantitate palmari: quia diviſio non auget entitates, numerum, aut extēſionem partium; ſed ſolùm corrumpit vnionem illarum inter ſe. Ergo & modò in quantitate palmari exiſtunt partes æquales infinitæ actu, & facientes infinitam extenſionem.

20 *QVAPROPTER* Ariſtotelis ſententiam, vel ex hoc vno argumento infiniti in actu penes numerum, aut extenſionem, aut vtrunque ſimul, de facto & cōnaturaliter exiſturi, reijciunt ex Recentioribus P. Tellez *diſp.* 35. *Phyſic. ſect.* 1. Spinula *diſp.* 14. *ſect.* 3. Cornelius à S. Patr. *tract. de Continuo*, Arriaga, Franciſcus Alfonſus, Torrejon, aliiſque plures, quos allegat & ſequitur P. Quiros *diſp.* 67. *ſect.* 2. *num.* 6. Et ſanè mihi vrgentiſsimum argumentum videtur, ſaltem prout hactenus propoſitum, ac diverſimodè fulcitum eſt. Videamus tamē ſi fortè veroſimiliter ac probabiliter ſolvi poſsit. neque enim ampliùs expectari debet in nodo adeò implexo & difficili, vt videatur omnem præcluſiſſe viam Ariſtotelicis ad ipſius enodationem.

SECTIO SECVNDA.

Prænotatis quibuſdam, oſtenditur ſpeciatim, continuum non eſſe infinitum in actu, neque ſecundùm multitudinem, neque ſecundùm extenſionem, quamvis conſtet partibus in infinitum diviſibilibus.

21 NEGANT Ariſtotelici omnes, aut ferè omnes, continuum eſſe actu infinitum penes multitudinem partium, aut extenſionem, quāvis omnes actu diſtinctæ in eo exiſtant, & ſint diviſibiles in infinitum. Quod ſanè pri-

mus

mus ipſe Ariſtoteles negat, dum ex vnô capite *lib.3. Phyſic.* adeo expreſsè probat repugnantiam cuiuslibet infiniti in actu; & aliunde toto hoc *lib.6. ex* profeſſo oſtendit continuum non conſtare ſolis indiviſibilibus, ſed partibus quantitatis diviſibilibus in infinitum, iiſque actu exiſtētibus, & diſtinctis inter ſe. Cuius doctrinam vbique ſequitur, & ab abſurdo infinitatis in actu liberare conatur D. Tho. *in 4. diſt. 10. q. 1. ar. 3. quæſtiunc. 2. ad 1. & in 7. Metaph. textu 56. lect. 4. circa medium, & in lib. 5. cap. 13. & cap. de Quantitate*, alibique ſæpe; & omnes Thomiſtæ, Scotiſtæ, ac Ieſuitæ, quotquot negant infinitum in actu, & tamen aſſerūt continuum non conſtare ex ſolis indiviſibilibus, ſed eſſe diviſibile in ſemper diviſibilia. Loquimur autem de corpore continuo mathematico, non verò de phyſico, quod terminum magnitudinis & parvitatis habet iuxta dicenda *infrà diſp. 38.*

22. *PRO* intellectu huius ſententiæ, Notandum *I.* Quantum definiri ab Ariſtotele, ac cæteris communiter, *diviſibile in ea quæ inſunt, quorum vtrunque, vel vnūquodque, vnumquid, & hoc aliquid natū eſt eſſe.* Licet enim definitio hæc plures patiatur difficultates examinari ſolitas *cap. de Quantitate*, communiter ab Authoribus approbatur. Ex illa vero ſequitur nullam quantitatem eſſe adeo minimam, & imperceptibilem, vt non ſit diviſibilis in ea, quæ inſunt: ac proinde, ea quæ inſunt quantitati eſſe realiter actuque diſtincta, etiam dum inſunt: quia aliàs in ea dividi non poſſet. Vt enim demonſtratum eſt *diſput. præced. à num. 15.* impoſsibile eſt vt ea quæ aliquando dividuntur, aut diſtinguuntur realiter, aliquando idem ſint, vel non diſtinguātur actu. Infertur præterea partes, quæ inſunt quātitati cuilibet, etiam minutiſsimæ, debere eſſe compoſitas ex aliis & aliis partibus, rurſus diviſibilibus in alias & alias in infinitum. Nam ſi ea quibus conſtat minutiſsima quæque quantitas, non eſſent itidē compoſita, nec diviſibilia, ſed ſimplicia omnino & indiviſibilia, non poſſent conſtituere quantum aliquid & extenſum. Sicut enim finitum additum finito non facit infinitum, ita indiviſibile additum indiviſibili non facit extenſum & diviſibile. Et ratio à priori eſt: quia indiviſibile additum indiviſibili tangit, & tangitur ab eo ſecundū ſe totum; ac proinde ambo penetrantur, nequeuntque proinde facere extenſum coniunctim magis, quàm ſeorſim, vt in ſequentibus plenius oſtēdetur. Ergò neceſſum eſt, vt quævis quantitas, vel minutiſsima, ſit ex tenſa & diviſibilis, quòd partes, quibus immediatè conſtat, etiam ſint extenſæ & diviſibiles. Cumque in his & aliis quibuslibet minoribus ac minoribus militet eadē omnino ratio, conſequens eſt, vt quantitas cōſtet partibus actu diſtinctis, iiſque in infinitum diviſibilibus in ſemper diviſibilia.

23 *NOTANDVM II.* Partes cuiuſlibet cōtinui eſſe in triplici differentiâ. Aliæ dicuntur ſimpliciter determinatæ, æquales vni certæ, & non communicantes: aliæ indeterminatæ, proportionales, minores ac minores, & communicantes: aliæ demum dicuntur aliquotæ. Porrò partes determinatæ, æquales vni certæ, & non communicantes ſunt illæ, quæ adiunctæ aliis aut æquatè diſtinctis, ſibique æqualibus, & cum quibus in nullo participant, cōponunt quātitatem cōtinuam. Vt v. g. palmarē quantitatem componunt duo ſemipalmi æquales, determinati, & in nullo invicem communicantes. Qui proinde ſi infiniti eſſent in aliquo continuo, proculdubio redderent illud actu infinitum penes extenſionem, aut etiam penes multitudinem. Ideoque Ariſtoteles, & ipſius Sectatores conſequenter negant poſsibile eſſe continuum infinitis eiuſmodi partibus conſtans, ne cogantur admittere infinitum in actu. Partes verò indeterminatæ proportionales, minores ac minores, & communicantes ſunt illæ, quæ in parte quālibet aſsignatâ includuntur, ita vt vna ſemper participet de aliâ, in quâ clauditur, eaque minor ſit. Hac ratione duo ſemipalmi relatè ad palmum dicuntur proportionales & communicantes, quia ſunt minores palmo, & participant de illo, ſicut pars à toto. Similiter & duo quadrantes palmi relatè ad ſemipalmum ſunt partes proportionales, & communicantes ob eādem rationem. Idemque eſt de octava quāvis parte cuiuſque palmi relatè ad ſemipalmū, & ſic in infinitum. Has partes non negant Ariſtotelici eſſe infinitas, cùm fateantur eſſe actu in continuo, ac realiter diviſibiles in plures & plures in infinitum. Solùm negant conſtituere multitudinem aut extēſionem infinitam in actu. Denique partes aliquotæ dicuntur eædem partes proportionales, non quatenus comparantur cum toto, quo minores ſunt, & cuius aliquid communicāt; ſed quatenus inter ſe comparatæ, ac repetitæ pluries & pluries, poſſunt denuo totum efficere. Exemplo ſit palmus diviſus in quatuor quadrantes, quorum quilibet reſpectu palmi dicitur pars proportionalis & communicans, quia eſt minor palmo, & de illo aliquid communicat: ſi

verò vnuſquiſque quadrantum conſideretur prout ex illo quater repetito, aut replicato poteſt conſurgere palmus, appellatur pars aliquota. Huiuſmodi partes, quæ vix ab explicatis primo loco differunt, niſi penes conſiderationem diverſam, negant Ariſtotelici poſſe eſſe ſimul infinitas: quia pariter ex ijs conſurgeret infinitum in actu, quod omnino averſantur.

24 *NOTANDVM III.* Negari non poſſe omnes partes hucuſque explicatas diſtingui actu realiter inter ſe, vt *diſp.* 33. præcedenti latè oſtēſum eſt: cū hoc tamen diſcrimine, quod primæ illarum diſtinguantur ab alijs adæquate, ſeu per modum excludentis & excluſi, vt aiunt; qualiter vnus ſemipalmus ab alio; ſecundæ verò ſolùm inadæquatè, ſeu tanquam incluſum ab includente, vt ſemipalmus à palmo. Inde eſt quod priores illarum, cùm habeant eſſe proprium adæquatè diſtinctum & ſeorſim extenſum ab alijs, ſint aptæ conſtituere quantitatem diſcretam, & extenſionem propriam: poſteriores verò cum adæquatè ab alijs non diſtinguantur, ſed ſint involutæ in ijs quaſi in confuſo, nec conſtituant quantitatem diſcretam, nec addant propriam extenſionem. His poſitis, in quibus diſsidium videtur eſſe non poſſe, quanquam difficillimum ſit poſitivè probare opinionem Ariſtotelis liberando illam ab abſurdo infinitatis, ſummumque vſus injiciat argumentorum ſolutio, nihilominus eam vtcumque ſuadere conabimur ſequentibus Aſſertionibus.

25 *DICENDVM I.* Ex eo quòd quantum componatur ex partibus actu exiſtentibus & diviſibilibus in infinitum, non colligi illas eſſe actu infinitas ſecundū numerum. Ita Ariſt. ex cuius doctrina ſuprà *lib.* 3. *cap.* 5. *textu* 36. aſſertio hæc,

PROBATVR Diſcurrendo per triplex genus partium nuper explicatarum, quibus infinitum componitur. Nam æquales vni certæ, determinatæ, & non cōmunicantes, in quacunque multitudine maxima ſignentur, ſemper erunt finitæ numero; & ſi iterum dividantur, erunt tot & nō plures: & ſi rurſus à Deo dividantur pluries ac pluries, aut etiam ſine diviſione combinentur, poterunt finito aliquo numero comprehendi. Vt ſi v.g. totum cœlum Empyreum, & quidquid quantitatis intra ipſum eſt, dividatur, conſidereturve diviſum in partes centies millies minutiores imperceptibili ferè cuſpide acûs, adhuc totus ille numerus, non a Deo ſolùm, ſed ab Angelo, imò & ab homine conſcio magnitudinis cœli Empyrei, in certo ac finito numero poterit iuxta Arithmeticæ regulas comprehendi: qualiter ad finem præcedētis ſæculi P. Chriſtophorus Clavius, in Mathematicis ſummus Vir, reduxit ad quinquaginta ferè numeros tātam multitudinem, quanta intra totum ambitum primi mobilis eſſe poteſt pulviſculorum arenæ octies minorum grano ſinapis. Ergo taliē loquendo de primo membro partium æqualium vni certæ, determinatarum, & non communicantium, minimè infertur illas fore actu infinitas ſecundùm numerum. Eadem verò ratio eſt de partibus aliquotis, tertio loco explicatis. Quantumvis enim plures & plures ſint partes ex quarum confluxu, ſeu repetitione determinatâ, reſultet quantitas aliqua certæ menſuræ, palmi v.g. omnes illæ finitæ numero eſſe debent, neque vnquam aliqua excogitabitur, quæ iuxta Arithmeticæ canones ad certum finitumque numerum reduci non poſsit. Non ergo ex partibus primi, aut tertij generis, quamvis actu diſtinctæ ſint, & ſemper diviſibiles, reſultat numerus actu infinitus. *Confirm.* Pone enim ex centum millibus millionū partium centies millies minorū cuſpide acus, invicem coniunctarum & copulatarum, vnicum palmum conſurgere. Eaſdem omnes illas ad certos ac finitos numeros perfectus quiſque Arithmeticus rediget. Et ſi maiorem concipias multitudinem, ac maiorem, modò determinatam, illamque ſemel & iterum replicare pergas, adhuc illa numerabilis erit ab Arithmetico. Nunquā itaque partium aliquotarum numerus erit actu infinitus.

26 *IAM* Verò, loquendo de ſecūdo genere partium, nimirum indeterminatarum, purè proportionalium, minorum ac minorum, & communicantium, probatur, illas, quamvis in infinitum diviſibiles ſint, non conſtituere multitudinem, ſeu numerum actu infinitum. Probatur, inquā, ratione deſumpta ex Philoſopho 7. *Metaph. textu* 56. *ac D. Thomâ ibidem lect.* 4. *&* 1. *contra Gent. c.* 25. *fine & in* 1. *diſt.* 8. *q.* 1. *ar.* 1. *& de Verit. q.* 1. *ar.* 1. Quia quatenus tales ſunt, neque numerum propriè cōſtituunt, ſive prædicamentalem, ſive tranſcēdentalem. Ergo multo minùs conſtituunt numerum actu infinitum. Conſequentia eſt evidens: Quia numerus in quantùm actu infinitus præſupponit rationem communem numeri abſtrahentem a finito & infinito: proindeque quidquid non ſufficit ad conſtituendam rationem numeri, multo minùs ſufficit ad rationem numeri infiniti actu: ſicut

quid-

quidquid non ſufficit ad verificandam rationem animalis multo minùs ſufficiet ad ſtatuendam rationem hominis. Antecedens vero probatur. Numerus enim eſt quantitas diſcreta, ſeu collectio vnitatum, quarũ vna adæquatè diſtinguitur ab alia; prædicamentaliter quidem, ſi ſit numerus prædicamentalis; tranſcendentaliter vero, ſi numerus ſit ſolùm tranſcendentalis. Neque aliter vt minimùm explicari valent vnitates diſcretæ, quam per adæquatam diſtinctionem vnius ab alia. At partes indeterminatæ, purè proportionales, minores & minores communicãteſque, non importãt vnitates adæquatè diſtinctas ab alijs, neque prædicamentaliter, neque tranſcendentaliter. Ergo non conſtituunt numerum propriè loquendo, neque prædicamentalem, nec tranſcendentalem: ac proinde multò minus numerum actu infinitum. Probatur minor: Quia partes indeterminatæ, purè proportionales, minores & minores, communicanteſque, in quantùm tales, non cõparantur cum alijs adæquatè diſtinctis (hoc enim eſt proprium partium primi generis) ſed cum alijs maioribus in quibus continẽtur, vel cum totâ quantitate in qua ſunt, & à quâ diſtinguuntur ſolùm inadæquatè, & veluti incluſum ab includente. Ergo ſub eâ conſideratione non important vnitates adæquatè diſtinctas ab alijs, neque prædicamentaliter, neque tranſcẽdentaliter. Patet conſequentia: Quia quod ſolùm inadæquatè diſtinguitur ab alio, & tanquam incluſum ab includente, ſicut non habet entitatem adæquatè diſtinctam ab alio, ſic neque vnitatem, ſive tranſcendentalem, vt eſt evidens, neque prædicamentalem, quæ in tranſcendentali fundatur.

27 *Confirm. I.* Partes primi generis, licèt invicem comparatæ, & prout ſe mutuò adæquatè excludunt, ſint aptæ conſtituere numerum, quia ſub eâ ratione important vnitates adæquatè diſtinctas; nihilominùs vt induunt rationem partium ſecundi generis, per comparationem ad totũ, & ab eo inadæquatè diſtinguuntur, veluti incluſum ab includente, non conſtituunt cum eo numerum, neque tranſcendentalẽ, neque prædicamentalem: quia numerus importat vnitates diſcretas, ac proinde ſaltem adæquatè diſtinctas. Vnde nullus ſemipalmus quatenus comparatus cum palmo, & nulla pars, ſive eſſentialis, ſive accidentalis, prout, comparata cum toto eſſentiali, vel integrali, conſtituit cum eo numerum: quia nulla pars vt comparata cum toto importat entitatem adæquatè ab illo diſtinctam, ac proinde nec vnitatem, nec diſcretionem. Igitur partes ſecundi generis in quantùm tales non conſtituunt numerum, neque prædicamentalem, neque trãſcendentalem.

28 *Confirm. II.* Numerus, ſive tranſcendentalis, ſive prædicamentalis, eſſentialiter loquendo, non importat diſcretionẽ ſecundum locum, aut durationem. Alias corpora plura penetrata non conſtituerent numerum prædicamentalem, quia ſimul loco & tempore ſunt; neque divinæ perſonalitates, aut etiam partes eſſentiales compoſiti conſtituerent numerum tranſcendẽtalem, quia ſimul duratione ac loco exiſtunt. Numerus ergo, ſive tranſcendentalis, ſive prædicamentalis, eſſentialiter loquendo, importat diſcretionem ſecũdùm vnitates, ſive tranſcendentales, ſive prædicamentales, prout ipſe numerus fuerit. Vnde cùm divinæ perſonæ importent vnitates relativas adæquatè diſtinctas, meritò dicuntur proprietatum diverſitate diſcerni, ſeu conſtituere numerum ternarium tranſcendentalem; non tamẽ dividi, aut ſeparari; quia diviſio, aut ſeparatio vltra diſcretionem, ſeu diſtinctionem adæquatam, importat carentiam coexiſtentiæ ſecundùm locum aut tempus, repugnantem divinis Perſonis. At partes ſecundi generis in quãtùm tales non important diſcretionem ſecundum vnitates, ſive tranſcendentales, ſive prædicamentales, cùm ſub ea ratione non importent entitates adæquatè diſtinctas. Ergo partes ſecundi generis in quantũ tales non conſtituunt numerũ, neque tranſcendentalem, neque prædicamentalem: ac proinde multo minùs numerum actu infinitum.

29 *DICENDVM II.* Neque etiam ſequi extenſionem actu infinitam in continuo, quanquam ex partibus in infinitum diviſibilibus componatur.

ASSERTVM Probatur ſimiliter ratione deſumpta ex Ariſt. 3. *libro huius Operis cap. 5. textu* 36. diſcurrendo per triplex genus partium ſuprà expoſitum. Primæ enim (idemque eſt de ſecundis & tertijs in quantùm quodammodo conſiderari poſſunt prout determinatæ & æquales, ab alijſque æqualibus adæquatè diſtinctæ) in quocunque numero accipiantur, finitæ ſunt, & certa extenſione comprehenſæ, vt Aſſerto præcedenti probatum eſt. Ergo ſolùm important extenſiones determinatas & in numero finito. Sed extenſiones determinatæ, & in numero finito, nequeunt cõſtituere extenſionem actu infinitam: quia finitum

nitum additum finito non facit infinitum. Ergo omnes illæ partes prout adæquatè diſtinctæ inter ſe, non conſtituunt extenſionem actu infinitam. *Confirmatur I.* Omnes illæ partes adæquantur cum toto cõtinuo, ita vt in ijs, ſiue ſeorſim conſideratis, ſiue collectivè acceptis, non ſit maior extẽſio, quàm in illo; quia partes omnes, ſi ſeorſim conſiderentur vnaquæque illarum, ſunt minores ſuo toto; ſi vero collectivè, ſunt æquales toti, imo & indiſtinctæ a toto ipſo. Ergo ſi totum fuerit v.g. quantitas palmaris, omnes illæ partes collectivè acceptæ, ſolùm conſtituent extẽſionem palmarem, ac proinde finitam. *Confirm. II.* Duo ſemipalmi nequeunt ſimul accepti conſtituere extenſionem pluſquam palmarem, neque duo quadrantes pluſquam ſemipalmarem, neque duæ octavæ partes pluſquam vnum quadrantem extenſionis, & ſic de alijs in quacumque ſubdiviſione determinatà in duas medietates, quantumvis multiplicatà. Ergo de primo ad vltimum, quantumvis multæ ſubdiviſiones fiant quantitatis palmaris, imò quantumvis plures medietates in eà ſint ante diviſionem, non poterunt conſtituere extẽſionem pluſquam palmarem. Et ratio à priori huius doctrinæ eſt, quia quantumvis multæ diviſiones fiant, aut medietates ſint ante diviſionem in quãtitate palmari, omnes ſunt partes illius. Partes autem, neque diviſivè acceptæ, neque collectivè ſumptæ, poſſunt facere maiorẽ extenſionem, quàm totum. Ergo quantũvis multæ diviſiones fiant, vel medietates ſint ante diviſionem, non poterunt facere maiorem extenſionem, quam ſit in quantitate palmari.

30 *QVO* Ad partes verò ſecundi generis, in quantum tales, ſeu in quantum contentas ab alijs maioribus, evidentius adhuc probatur Aſſertum *I.* Quia quod facit minorem extenſionem alio finitè extenſo, à fortiori facit extenſionem finitam. Sed partes ſecundi generis in quantùm cõtentæ ab alijs maioribus, faciunt minorem extenſionem quàm illæ; quia omnis pars eſt minor ſuo toto. Ergo ſi maiores partes faciunt extenſionem finitam, à fortiori illam facient partes minores, ſiue ſecundi generis, prout in maioribus contentæ. *II.* Partes ſecundi generis, ſiue proportionales, vnius palmi, in quantùm tales, important relationem minoritatis ad palmum, imò & ad partes certas & æquales vnius palmi in quibus continentur. Ergo partes illæ in quantum tales, no importãt æqualem extenſionem palmo, ſeu inferiorem. At extenſio inferior palmo, eſt finita, vt ad ſenſum patet. Ergo partes ſecundi generis, ſiue proportionales, in quantum tales, conſtituunt extenſionem finitam.

SIC Qualitercunque probatis Aſſertionibus, & vindicatà opinione Ariſtotelis ab abſurdo infinitatis, videamus modò ſi fortè enervari poſsint argumenta quæcunque in eam congeſsimus.

SECTIO TERTIA.

Occurritur ſpecialiter argumentis ſectione primà propoſitis, liberaturque ſententia Ariſtotelis circa compoſitionem continui ab abſurdo infinitis actu extituri penes numerum & extenſionem.

31 AD *I.* ex num. 2. & 3. negatur ſequela quoad vtranque partem. Probatum eſt enim nuper, quamvis continuum conſtet partibus actu diſtinctis, diviſibilibuſque in ſemper diviſibilia, non ideo dari de facto infinitam multitudinem vel extenſionem in actu. Ad probationem prioris partis ſequelæ, quæ multitudinem infinitam colligere tentat, diſtinguo maiorem: Infinitum in actu ſecundum multitudinem eſt collectio infinitarum rerum actu diſtinctarum adæquatè, concedo; quia multitudo importat diſcretionem vnitatum, ſicut & numerus. Eſt collectio infinitarum rerum inadæquatè ſolùm diſtinctarum, nego. Et eodem modo diſtincta minore, nego conſequentiam. Ad probationem minoris patet ex iam dictis poſſe continuum componi ex partibus in infinitum diviſibilibus, quamvis illæ actu infinitæ non ſint. Dummodo enim quælibet pars extenſa ſit, vti neceſſariò eſſe debet pars quantitatis, etiam diviſibilis eſſe debet: ac proinde nunquam per ſucceſsivas diviſiones exhauriri poterit; quia ad quamcunque deveniatur, reſolvi nequit in pura indiviſibilia, ex quibus quantum & diviſibile non poteſt conſurgere. Inde autem nõ evincitur numerus infinitus, nec partium æqualium ac certæ extenſionis, quæ ſemper finitæ ſunt; nec partium proportionalium, quæ in quantum tales non habent entitatem, neque vnitatem diſtinctam adæquatè ab alijs maioribus, in quibus includũtur: ac proinde non ſunt aptæ conſtituere multitudinem, ſiue numerum, qui eſt quãtitas diſcreta, & vt minimum adæquatam diſtinctionem extremorum importans; licèt non neceſſario importet diviſionem aut ſeparationem, vt in ſolutione ibidem im-

impugnata dicebatur. Quare, quidquid ſit de doctrina ſolutionis adductæ *num.* 5. quæ latè in ſequentibus rejecta eſt, hanc veluti expeditiorem eligimus, quæ ab omnibus ijs anguſtijs, alijſque pluribus libera apparet.

32 *SVPEREST* Tamen occurrere duplici objectioni propoſitæ *num.* 10. & 11. quæ etiam contra noſtram doctrinam vigeri poteſt. Ad primam illarum de infinitis lineis palmaribus vnius columnæ, prætermiſsis aliorum ſolutionibus, quæ facili negotio deturbari poſſe videntur, dicendum eſt, perinde cogitari debere lineas, ac partes quibus conſtant, quantùm ad diſtinctionem realem adæquatam, vel inadæquatam vnius ab alia; ac per conſequens ad conſtituendum numerum, vel non conſtituendum, ſive ille ſit finitus, ſive infinitus. Pro cuius intellectu nota, quoties Ariſtoteles, & Mathematici docent, lineam eſſe diviſibilem verſus longitudinem, indiviſibilem vero ſecundum latitudinem; diviſibilitatem illius accipi debere de partibus quantitativis in longum extenſis, indiviſibilitatem vero de punctis copulativis lineæ. Si enim linea conſideretur ſecundum latitudinem adæquatè, eſt indiviſibilis ratione punctorum continuantium; ſed tamen diviſibilis eſt ratione partium, quæ verè & eſſentialiter ſuam propriam latitudinem habent. Neque enim intelligibile eſſet in ſententia Ariſtotelis, lineam adæquatè conſideratam penes longitudinem, eſſe ſolùm indiviſibilem: cùm hoc ſolius Zenonis opinione verum ſit, hoc ipſo quòd cenſeat continuum immediatè conſtare ſolis indiviſibilibus. Ergo in ſententia oppoſita Ariſtotelis neceſſariò aſſerendum eſt, lineam eſſe indiviſibilem verſus latitudinem ſolùm quò ad puncta copulativa, quæ dividi non poſſunt; non vero quo ad partes quantitatis, quæ ſemper & eſſentialiter dividi poſſunt ſecundùm trinam dimenſionem.

33 *HAC* doctrina præmiſsa, quæ neceſſariò ſtatuenda eſt iuxta principia Ariſtotelis, conſequenter dicendum, quaſdam lineas eſſe proportionales, & communicantes cum alijs, quantum ad latitudinem partium; quaſdam vero æquales & non communicantes inter ſe, ſicut ſuprà de partibus dictum eſt. Neutræ autem illarum conſtituunt multitudinem infinitam. Non priores, quia adæquatè non diſtinguuntur ab alijs lineis extenſioribus verſus latitudinem & ac proinde, ne numerum quidem cum ijs conſtituunt, defectu diſcretionis vnius ab alia, in qua continetur. Non etiam poſteriores: quia in certo & finito numero ſunt. Quantumcumque enim dividas, & ſubdividas ſuperficiem columnæ in varias ac multiplices lineas, adhuc ſolà præciſione mentis, invenies profecto illas eſſe certo numero comprehenſas, loquendo de æqualibus lineis ſecundum latitudinem, & minimè communicantibus inter ſe. Idemque ſuo modo dicendum de ſuperficiebus, quæ ſolùm ratione punctorum indiviſibiles ſunt verſus profunditatem, quoniam punctum diviſibile non eſt: cæterum ratione partium, quibus neceſſariò conſtant, eſſentialiter ſecundum trinam dimenſionem diviſibiles ſunt, & ſimiliter conſiderari poſſunt ac lineæ, diſtingui; que in æquales & non communicantes ex vno capite, & ex alio in proportionales ac communicantes; ac neutræ quidem conſideratione ſunt infinitæ, ob rationem ſuprà aſsignatam.

34 *DICES*: Saltem poteſtate abſoluta Dei fieri poteſt, vt columna illa dividatur adæquatè in omnes lineas mathematicas, quibus actu componitur: quia in hoc nulla contradictio eſt. Aut certè ſi id negetur, nulla ratione negandum eſt omnes lineas mathematicas dignoſci à Deo, prout reverà ſunt adæquatè diſtinctæ in columna. Ergo cum illæ non ſint in numero finito (alias columna exhauriri poſſet per finitas diviſiones) erunt planè in multitudine, ſive numero actu infinito.

35 *RESP.* Negando antecedens ſive ſecundùm rem ipſam, ſive etiam ſecundùm cognitionem intuitivam: quia quæcumque linea ponatur in re, aut videatur vti in ſe eſt, cum extenſa ſit verſus latitudinem, conſtat [illegible]ne alijs & alijs lineis tenuioribus in infinitum: ac proinde non poteſt dividi ita, vt reipſa maneat in ratione lineæ mathematicæ, ſeu prout conſideratur à Mathematicis in ſenſu purè præciſivo. Quin imò vero Deus hoc ipſo quòd videat res vti ſunt, videbit planè omnes lineas contentas in quavis linea ſecundùm latitudinem, quin aliqua illarum lateat: videbit tamen nullam eſſe prorſus indiviſibilem adæquatè, neque omnium vltimam, ſed adhuc plures & plures intra ſe habere, in quas denuò dividi poteſt. Sicut licèt cognoſcat diſtinctè omnia poſsibilia, non tamen in ijs cognoſcit aliquod vltimum, ſeu vl-

tra quod non reſtet aliud poſsibile; ſed ſemper aliud & aliud reſtabit: quia hoc eſt de ratione infiniti in potentia. Quare omnes lineæ æquales & non communicantes, quæ videantur à Deo, erunt numero finitæ: proportionales verò & communicantes vt tales non conſtituunt actu numerum, ac proinde multò minus infinitum.

36. *INSTABIS*: Ergo nec lineæ, nec partes illius columnæ conſtituunt numerum infinitum in potentia: quia prout æquales faciunt numerum omnino finitum, vt proportionales verò nullum numerum faciunt defectu diſcretionis. *RESPOND.* Negando conſequentiam: quia licèt partes æquales ſint actu finitæ ſecundum numerum, in quacunque multitudine aſsignentur; adhuc dividi poſſunt in alias & alias æquales, ac non tot quin plures. Et quamvis adhuc poſt quamcumque minutiſsimam diviſionem conſtituant ſemper numerum actu finitum, ſemper diviſibiles ſunt in alias & alias medietates æquales, ac non tot quin plures. Id verò ſufficere ad rationem infiniti in potentia patet, tum ab exemplo poſsibilium, tum & eiuſdē quantitatis prout eſt infinita in potentia verſus additionem. Porrò de proportionalibus ſpecificativè acceptis, ſive prout aliàs æquales ſunt, & adæquatè diſtinctæ ab alijs, idē dicendum eſt.

37 *AD* Alteram inſtantiam ex num. 1 r. quę difficilior eſt, dum melior non occurrit ſolutio ab alio præſtita, reſpondetur negando antecedens. Ad computationem illam, ſi accipiatur de diviſione reali, conſtat ex dictis, nunquam bipalmarem quantitatem poſſe dividi actu in tot medietates inæquales, & non communicantes inter ſe, vt quavis diviſione & ſubdiviſione aſsignata partes diviſæ non ſint finitæ numero: quemadmodum ſuprà de æqualibus & non communicantibus oſtenſum eſt. Dummodo enim aliæ alijs non communicent, & ponantur in menſura determinata, ſive æquali alteri, ſive inæquali, omnes numero finitæ erunt. Si autem computatio accipiatur de diviſione ſolum mentali in minores & minores medietates, nullatenus communicantes inter ſe, dicendum eſt, in quacumque demum ſiſtat intellectus etiam divinus, ſemper numerum medietatum inæqualium eſſe actu finitum: ac proinde cæteras omnes medietates nondum præciſas per intellectum, habere rationem partium purè proportionalium relatè ad maiores in quibus continentur, & carere diſcretione neceſſaria vt conſtituant numerum in actu; multo autem magis vt conſtituant numerum infinitum. Nec eſt par ratio de Angelis, aut ſpeciebus animalis, ſi omnes exiſterent: quia tunc quilibet Angelus, & quælibet ſpecies, quamvis inæqualis alteri in perfectione eſſentiali, diſcernerētur ab invicem propter diſtinctionem adæquatam, ſive excludentis & excluſi; atque adeo conſtituerēt numerum actu infinitum. Medietates verò nondum computatæ, concipiuntur vt indiſcretæ, ſive ſolum inadæquatè diſtinctæ à toto, tanquam incluſum ab includente; ideoque numerum non conſtituunt ſub ea formali ratione.

38 *DICES*: Computet Deus illas omnes medietates inæquales, nulla dempta, prout vna non communicat cum alia, ſed adæquatè ab ea diſtinguitur. Ergo tunc ſaltem habebunt diſcretionem ſufficientem, vt conſtituant numerum actu infinitum. Nam ſi finitum tantùm, iam continuum non erit diviſibile in ſemper diviſibilia. Porrò aſſumptum probatur: Quia Deus intuetur illas omnes medietates inæquales, nulla dempta, prout vna non communicat cum alia, ſed adæquatè ab eadem diſtinguitur. Ergo & illas ſub eadem ratione computare poteſt.

39 *RESP.* Quemadmodum Deus licèt ſimul cognoſcat omnia poſsibilia, nō poteſt computare omnia illa ſimul, ſed diviſivè, quia aſsignato quolibet numero illorum, adhuc plura & plura poteſt producere & computare; ſic etiam medietates illas omnes inæquales, nulla dempta, cognoſcere, prout vna non communicat cum alia & adæquatè ab ea diſtinguitur; non verò computare ſimul, quia quolibet numero deſignato, adhuc plures & plures reſtant. Cæterum ſicut quęcumque multitudo poſſibilium computetur diviſivè à Deo, finita eſt actu; ita & quęlibet multitudo medietatum diviſivè computata erit finita actu. Et quemadmodū omnis alia multitudo poſsibilium non computata, eſt ſolùm infinita in potentia; quia ſucceſsivè nunquam devenire poteſt in tot, quin ad plura & plura; ſic omnes medietates non cōputatæ ſunt infinitæ in potentia, quia non tot cōputari poſſunt, quin plures & plures. Interim verò, dū non computantur, communicent cum alijs maioribus & maioribus, in eiſque continētur tāquam partes proportionales in toto; ac proinde numerum non conſtituunt. Fateor adhuc in[illegible]i poſſe contra hanc ſolutionem ferè in infinitum. Sed [illegible] diſputatio careret ſine.

AD

40 *AD* Poſteriorem principalis ſequelæ partem *ex n.* 12. nego in quantitate palmari eſſe infinitos palmos actu diſtinctos, qui poſsint facere infinitam extenſionem. Cum enim omnes illi ſint partes eiuſdem palmaris quantitatis, & partes adhuc collectivè ſumptæ nequeant facere maiorem extenſionem, quam totum, impoſsibile eſt palmos illos poſſe efficere maiorem extenſionem, quam palmaris quantitatis. Ad probationem nego in quantitate palmari exiſtere actu infinitos palmos. Nam vel ſermo eſt de palmis non communicantibus & adæquatè diſtinctis; vel de communicantibus & diſtinctis ſolùm inadæquatè ab alijs, in quibus continentur, vt ſupra dictum eſt de partibus, lineis, & ſuperficiebus. Si de prioribus ſermo ſit, iam conſtat eſſe finitos, ac proinde facere extenſionem finitam. Si autem de poſterioribus, conſtat ne numerum quidem facere cum alijs, in quibus continentur. Vnde & colligitur, nec facere extenſionem maiorem, ſed ſolùm partem illius extenſionis, quę eſt in palmo continente, & ſubinde in quantitate palmari.

41 *AD I. Confirm.* nego antecedens, quia iuxta dicta, in quantitate palmari non ſunt infinitæ partes non communicantes, ſed actu finitæ, & ſolùm infinitæ in potentia, quatenus nequeunt dividi in tot partes adæquatè diverſas, quin in plures & plures. Nego ſimiliter illam infinitatem partium dividi poſſe in duas medietates partium minorum & minorum, ſeu maiorum & maiorum, quarum quælibet ſit penes multitudinem infinita: nam quæcumque diviſio fiat, etiam in partes imperceptibiles, & centies milies milionum multiplicatas ſupra totum numerum creaturarum omnium de facto exiſtentium, adhuc multitudo illa partium diviſarum erit actu finita; multo autem magis quælibet ipſius medietas. Sive enim accipiatur altera conſtans partibus maioribus & maioribus, ſive altera conſtans totidem partibus minoribus & minoribus, neutra illarum conſtituet numerum, extenſionemvè actu infinitam. Solùm enim conſtituere poterunt extenſionem correſpondentem fruſto, ſeu parti integræ, quæ ablata fuit ex quantitate palmari, & diviſa in particulas. Cumque fruſtum illud eſſet finitæ extenſionis, etiam vtraque medietas partium diviſarum, ſive ſeorſim, ſive ſimul accipiantur, eſt finitæ extenſionis. Confirmatio autem ſupponit diviſionem quantitatis palmaris adæquatè factam in omnes partes minores ac minores, quæ prorſus repugnat.

42 *AD I.* Inſtantiam *num.* 15. quatenus huic ſolutioni obſiſtere poteſt, dicendum, in quantitate palmari exiſtere quidem actu omnes partes in quas diviſibilis eſt: cæterum non omnes actu habere vnitatem, aut extenſionem diſtinctam adæquatè ab vnitate & extenſione aliarum. Quippe omnes proportionales & communicantes, in quantum tales, includuntur ſub vnitate & extenſione aliarum maiorum & maiorum, in quibus continentur; ideoque neque poſſunt conſtituere numerum, neque extenſionem diſtinctam ab extenſione illarum. Hinc patet ad II. Inſtantiam. Nullus enim ternarius includeretur in altero ternario, nullus etiam binarius vnius medietatis in quaternario alterius. Quare poſſet eſſe infinita medietas vna infiniti in actu, ſive conſtaret ſolis ternarijs, ſive altera binarijs, & quaternarijs altera. Sciret etiam Deus, imò & Angelus, & homo conſcius eius multitudinis, a quo binario, ternario, aut quaternario inciperet medietas illa infinita, & vltra quem non tranſiret: quia omnis binarius, ternarius, & quaternarius eſt quantitas diſcreta, & deſignabilis, ac certa, quæ exhauritur per quaſdam certas vnitates. At in quantitate continua licèt poſsint deſignari omnes partes certæ, palmares v. g. ſemipalmares, quadrantes, & ſemiquadrantes, ijſque exhauriri continuum, reſtant ſub vnaquaque illarum aliæ proportionales minores & minores, de quarum ratione eſt non habere vltimam, ſed quavis aſsignata reſtare aliam & aliam diviſibilem in infinitum. Ad III. Inſtantiam, prætermiſſa maiore, & vltro data in quolibet infinito in actu, negatur infinitum in potentia habere partem aliquam omnium minimam: quia quæcumque demum imperceptibilis aſsignetur, debet eſſe quanta, & propterea diviſibilis; non quidem in indiviſibilia, ex quibus nequit conſurgere quantum extenſumque; ergo in partes diviſibiles. Cumque de his poſt iterato militet idem argumentum, & ſic de alijs, tandem evincitur nullam partem minimam in continuo aſsignari poſſe.

43 *AD II. Confirm. ex numer.* 17. *cum ſeqq.* negatur in continuo exiſtere infinitas partes æquales, certas, & non communicantes invicem, atque adeò ſufficientes conſtituere infinitam extenſionem. Ratio eſt, quia etſi palmus v. g. ſit diviſibilis in duos ſemipalmos actu exiſtentes, & ſemipal-

palmus in duos quadrantes palmi, & quadrans in duos ſemiquadrantes, & ſic deinceps in infinitum; ita vt diviſio non præſiet exiſtentiam partibus, ſed illam ſupponat; adhuc verum eſt, ſive loquendo de diviſione reali, ſive etiam de præciſiva ſolius mentis, in quacumque demum ſiſtatur, ſolum reſultare multitudinē partium æqualium finitam, ac certo numero comprehenſibilem, quantacumque illic maximus ſit. Nec refert quòd vltra terminum illum diviſionis, ſive realis, ſive mentalis, reſtet vlterius diviſibilitas in partes æquales actu exiſtentes; quia de ijs etiam, prout æquales ſunt, pariter convincitur eſſe numero & extenſione finitas. Deveniendum eſt igitur ad partes minores & minores, proportionales & non communicantes inter ſe, quæ ſicut ab alijs maioribus, in quibus continentur, non habent vnitatem extenſionemve adæquatè diſtinctam, ita nequeunt conſtituere numerum, aut replere ſpatium diſtinctum.

59 *HÆC* Sunt, quæ occurrerunt ad liberandam Ariſtotelis ſententiam ab abſurdo infiniti in actu exſtituri, ſive ſecundùm extenſionem. Fortaſſe alijs non placebunt, ſicut nec omnino mihi. In re adeò abſtruſa videant alij quid melius occurrat. Ego certè dum alia expeditior via non occurrerit ad enervandum argumenta ferè inſolubilia opinionis adverſæ, hac vnam amplectar.

DISP. TRIGESIMA SEXTA:

DE INDIVISIBILIBVS CONTINVI PERMANENTIS.

An ſint inflata, ſeu virtualiter & mathematicè diviſibilia, quamquam indiviſibilia phyſicè?

Num. 1. **S** *TATVIMVS* Diſp. 32. à num. 26. *in continuo permanenti indiviſibilia, tum copulativa, quibus partes vniuntur, tum & terminativa, quibus finiuntur, vt contigua corpora tangant. Nunc examinandum eſt, an quemadmodum illa phyſicè indiviſibilia ſunt, ſic etiam mathematicè. Habet locū apud Ariſt.* hoc lib. 6. cap. 1. & 2. & 4. & 10.

SECTIO PRIMA.

Refertur & impugnatur multipliciter nov-antiqua opinio aſſirmans, præſertim quò ad priorem modum, iuxta quem à nonnullis defenditur.

2 **N** *ONNVLLI* Recentiorum, vt opinionem diſputatione præcedenti reiectam tueantur, & ſolvant præcipuum argumentum ibidem à nobis expenſum *ſect.* 2. per totam, recurrūt ad puncta quædam turgida, ſive inflata: ſcilicet, ita formaliter ac phyſicè impartibilia, vt tamen mathematicè & quo ad locū diviſibilia ſint, ac ſi partes realiter diſtinctas & minimè penetratas haberent. Authores ſuppreſſo nomine referūt Hurtadus, Arriaga, Quiros, L[illegible]ccus, cæterique Recentiorum communi er: & poſtremus ex allegatis, qui a eruditione præſtat, oſtendit nō eſſe ij quod glorientur de adinventione eius opinionis, cum antiquiſsima ſit, & tradita à Democrito, Leucippo, Epicureiſque, vt ipſe teſtimonijs Lucretij, Manilij, ac Laertij oſtendit.

3 *VERVM* Illam omnino falſam eſſe, & merum Epicureorum figmentum, argumento eſt authoritas omnium aliorum ex priſcis Philoſophis, qui de punctis continui, tanquam omnino impartibilibus locuti ſunt: item & aliorum omnium, qui ſæculis ſequentibus ſcripſere vſque ad hæc noſtra tempora, & nullum in ijs tumorem, nullā inflationem, vel leviter indicarunt. Præterea & Patres Eccleſiæ, quorū plures dabo *ſect.* 3. oppoſitum planè docent. Vnde & in Schola Societatis omnino prohibita fuit à RR. Generali Mutio Vitelleſcho, vt teſtatur Quiros. Venio ad momenta rationum quibus ea indiviſibilia à Scholis exulent, & ad ſqualiorem illum, ſub quo iacebant inter Epicureorum gregem, quaſi poſtliminio redire cogantur. Nam in re præſenti ab authoritate Ariſtotelis arguere, fruſtraneum eſſet, cum directè in ipſum procedat opinio contraria, quam præ-

cœteris promovere conatus eſt Epiſcopus Calagurritanus *in Phyſ. diſp. 27. c. 25.*

4 *VT* Vero prædictæ opinionis ſenſus intelligatur, moneo illam dupliciter à ſuis Authoribus defendi. Quidam aiunt, vnum punctum ex finitis, quibus conſtat corpus naturale continuum, occupare infinitas partes ſpatij imaginarij in minus & minus abſque fine dividui. Alij è contra volunt, vnum reale punctum corporis phyſici & continui conſtitutivum vendicare ſibi finita puncta ſpatij imaginarij, octo, v. g.

5 *VTERQVE* Modus dicendi, ſed præcipuè prior, refellitur multipliciter. *PRIMO*: Quia argumentum Ariſtotelis ſupra à nobis expenſum *loco alleg.* cuius vis declinandæ cauſa ad puncta inflata recurritur, perſiſtit in ſuo robore: cùm ſemper neceſſum ſit indiviſibilia continui ſe invicem tangere ſecundùm ſe tota. Ergo impoſſibile eſt vt ex ijs tamquam partibus reſultet aliquid extenſum in ordine ad locum, aut vnum indiviſibile non penetrari cum altero, vt ibidem multipliciter probatum eſt.

6 *RESPONDENT* Adverſarij, illo argumento evinci quidem indiviſibilia ſe invicem penetratura, & idem ſpatium occupatura, ſi purè indiviſibilia aſſerantur, & mathematicè non inflata, quia ſic tangerent ſe adæquatè ac mutuo, proindeque adæquatè penetrarentur. cæterum poſitis ijs mathematicè diviſibilibus, & occupantibus infinitas partes ſpatij in minus & minus abſque fine dividui, nõ datur contactus indiviſibilium adæquatus, ſed inadæquatꝰ & ex vnô latere, ſicuti duarum manuum ſe tangentium penes extimam ſuperficiem; atque adeo non datur illorum penetratio, quæ conſiſtit in contactu duorum ſecundùm ſe tota.

7 *SED Contrà.* Nam argumentum Ariſtotelis æquè procedit de ipſis indiviſibilibus ſpatij, quorum alterum ſi tangit adæquatè alterum ſibi immediatum, debet cum eo penetrari. Sed Adverſarij fatentur vnum indiviſibile ſpatij tangere & tangi adæquatè ab alio ſibi immediato: ſiquidem in indiviſibilibus ſpatij nullum inflatum agnoſcunt. Ergo vnum indiviſibile ſpatij penetratur omnino cum altero. Ergo non poterit ex ijs reſultare ſpatium extenſum, quemadmodum in ipſorum ſententia non reſultaret corpus continuum extenſum, ſi indiviſibilia ipſius ſe tangerent adæquatè. Conſequens autem abſurdum eſſe patet: cùm conſtet ſpatium loci ſuam extenſionem habere. Ergo ſpatium loci non componitur ex indiviſibilibus immediatè. Modò ſic. Si indiviſibilia loci inflata non ſunt, ſed omnino inextẽſa, & impartibilia, tã phyſice, quam mathematice; ergo & indiviſibilia corporis continui inflata eſſe nequeunt, ſed omnino inextẽſa & impartibilia, tam phyſicè, quam mathematicè. Eadem enim vtrorũque ratio eſt. Ergo hæc poſteriora, ſicut & priora, nequeunt ſe mutuò tãgere, niſi adæquatè, ac proinde omnino penetrata erunt & inepta ad conſtituendam extenſionem corporis continui.

8 *DICES*, Eandem quidem eſſe rationem de indiviſibilibus loci realis, ac corporis continui, vt quemadmodum hæc poſteriora aſſerũtur inflata, ſeu virtualiter extenſa in ordine ad partes ſpatij imaginarij minores ac minores in infinitum dividuas, ſic etiam priora. Itaque eodem conſequẽtiæ filo negari ab Adverſarijs indiviſibilia loci realis ſe tangere adæquatè, aut penetrari; quia cùm etiam inflata ponantur, ſolùm ſe tangunt inadæquatè. *SED Contrà.* Nam in ipſo ſpatio imaginario etiam vrget ac perſiſtit Ariſtotelis argumentum. Etenim puncta eius apprehenſa & purè poſſibilia (non enim exiſtunt) apprehendi nequeunt vt inflata, ſeu virtualiter extenſa in ordine ad aliud ſpatium imaginarium: aliàs de punctis illius ſpatij idem argumentum fieret, & de alio, & alio ſpatio, donec inferatur proceſſus in infinitum. Ideoque Adverſarij aiunt, ſpatium imaginarium non apprehendi conſtans puris indiviſibilibus, ſed partibus abſq; fine dividuis per puncta imaginaria copulatis. Ergo pariter puncta ſeu indiviſibilia ſpatij realis nequeunt eſſe in re inflata, ſeu virtualiter extẽſa in ordine ad ſpatium imaginarium. Patet conſequentia: Quia id ſolùm habent in re indiviſibilia loci realis, quod habent in apprehẽſione indiviſibilia loci imaginarij. Ergo quemadmodũ hæc, adhuc in opinione Adverſariorũ, apprehenduntur omni inflatione carentia; ſic & illa carent omni inflatione reali. Igitur quemadmodum imaginariũ indiviſibile additum immediatè alteri non facit cum eo extenſionem imaginariã; ſic & vnũ reale indiviſibile additũ immediate alteri nõ facit cum eo extenſionẽ realem.

9 *SECVNDO*, Refellitur idem dicendi modus. Nam ſi ſpatium imaginarium, quod correſpondet puncto reali corporis continui, diviſibile concipitur in partes minores ac minores in infinitum, omnia argumenta fieri poterunt contra illud,

quæ contra continuum Ariſtotelicum impugnatum ab Adverſarijs: nec vlla ferè obiectio eſt alicuius momenti, quæ in ipſo ſpatio imaginario ab ijs poſito non patiatur apertam inſtantiam. Ergo immerito ad recuſandam Ariſtotelis ſententiam ponunt imaginarium ſpatium abſque fine dividuum, & correſpondens puncto reali. Ergo nullum punctum reale eſt mathematicè extenſum in ordine ad partes ſpatij imaginarij abſque fine dividuas. *CONFIRMATVR.* Virtualis & mathematica extenſio punctorum ab Adverſarijs excogitata, non eſt in ordine ad aliquem effectum chimæricum & impoſsibilem; ſed in ordine ad realem extenſionem cum alio puncto ſibi immediato, & vt ſimul cum eo conſtituat verè corpus continuum in loco reali. Ergo immeritò ab Adverſarijs explicatur in ordine ad extenſionem ſpatij imaginarij abſque fine dividuam, quæ chimærica & impoſsibilis cenſeri debet, ſi ſemel chimærica & impoſsibilis eſt apud Adverſarios infinita diviſibilitas ſpatij realis, ſicut & continui realis. Patet conſequentia: quia nulla cauſa ad præſtandum effectum realem ac verum explicari debet per ordinem ad aliquid chimæricum & impoſsibile; ſed tantùm in ordine ad id, quod verum ac reale eſt.

10 *TERTIO:* Quia ſi quodlibet indiviſibile corporis continui eſt ita inflatum, vt reſpondeat infinitis partibus ſpatij imaginarij, aſsignari poterit in eo extenſio mathematica verſus profunditatem æquivalens profunditati imaginariæ, abſque fine dividuæ, vt ex ſe conſtat. Inde autem ſequuntur plura abſurda. *Primum* eſt, nullum corpus fore omnino opacum, ſed quodlibet illorum, etiam limpidiſsimum lapidem fore diaphanum aliqua ſui parte penes profunditatem: quod, quam abſurdum ſit, ſolum cæcis inevidens eſt. Sequela probatur: Quia nullum corpus eſt adeo opacum, vt non excipiat lucem in extimis indiviſibilibus. Ergo ſi hæc penes profunditatem ſunt aliqualiter extenſa, tale corpus illuminabitur penes aliquam partem ſuæ profunditatis: quia non poteſt illuminari indiviſibile aliquod penes aliquid, niſi etiam ex toto, cùm in eo non ſit pars & pars. Ergo & corpus ipſum ratione indiviſibilium extimorũ illuminabitur permeabiturque a luce penes aliquid ſuæ profunditatis. Ergo nõ erit omnino opacum.

11 *RESPONDEBIS*, conceſſo antecedente, negando illatum abſurdũ: quia corpus opacum nõ excipit lucem in indiviſibilibus extimis, quatenus ſunt extenſa penes profunditatem, aut quatenus infinito ſpatio imaginario verſus profunditatem reſpondent; ſed ſolum quatenus ſpectãt ad extimam ſuperficiem indiviſibilem verſus profundum. Sic lux intellectualis non perfundit, ſeu illuminat animam noſtram prout ſe extendentem ad totum corpus, quamquam ipſa indiviſibilis ſit; ſed ſolum prout ſe extendentem ad cerebrum, in quo intelligit. Similiter ergo quanquam indiviſibilia continui extendantur verſus profundum, poterunt illuminari a luce præciſe prout ſpectant ad extimam ſuperficiem. Vnde & corpus illuminatum poterit eſſe perfectè opacum, vtpote ſolum accipiens lucem in extimis lineamentis.

12 *CONTRA tamen I.* Quoniam ſi indiviſibile continui poteſt nunc eſſe mathematicè diviſibile verſus profunditatem in partes ſpatij imaginarij abſque fine dividuas; eadem quoque ratio eſt vt indiviſibile lucis externæ ſingula puncta illuminans aſſeratur mathematicè diviſibile, ac proptereà pervadens totaliter ipſum punctũ. Ergo eo ipſo corpus luce perfuſum, nõ omnino opacum erit, ſed diaphanum penes aliquid ſuæ profunditatis. *Contrà II.* Ideo ferri lamina v. g. non eſt diaphana, ſed opaca, quia licèt altera eius ſuperficies extima illuminetur à luce, non tamen altera ſuperficies oppoſita. Sed in nullo indiviſibili corporis continui eſt altera & altera ſuperficies, alia & alia pars, ſed quidquid eſt ipſius, totum ipſum eſt. Ergo impoſsibile eſt illuminari indiviſibile à luce, quin totum illuminetur. Ergo ſemel illuminatum, non erit opacum, ſed purè diaphanum. Proindeque ſi extenditur verſus profunditatem, nullum corpus indiviſibilibus conſtans ita opacum erit, vt penes aliquam ſui partem inferiorem non ſit diaphanum. Nec eſt par ratio de luce intellectuali: quia hæc ſolùm recipitur in anima quatenus intellectiva eſt, & ſecundùm gradum intelligendi ſpecificum, quem exercet tantùm in cerebro, & non in reliquo corpore: Vnde non recipitur in illa ſecundum gradum purè vegetativum, quo extenditur ad cætera membra. At lux exterior perfundit indiviſibilia corporis continui ſecundùm rationem ipſorum propriam, tam ſpecificam, quàm numericam, eſtque proportionata vlterius ijs omnino pervadendis; vtpotè habens tantundem extenſionis penes indiviſibiles gradus, quibus puncta ſingula tangit. Ergo nequit illuminare punctum indiviſibile niſi ex toto.

Secun-

13 *Secundum* abſurdum, quod inde colligitur, eſt, idem indiviſibile corporis continui habiturum ſimul extenſionē finitam vtrimque v.g. verſus Orientem & Occidentem, atque aliunde infinitam & potius immenſam, nulliſque circumſcriptam terminis: quod nemo, niſi inſanus, veroſimile apprehendat. Sequela quò ad priorem partem pervia eſt, quantum cuique manifeſtum, arenæ pulviſculum exiguis terminis comprehendi. Poſteriorem verò partem probo: Quia iidem Authores, quibuſcum diſceptamus, inferunt contra Ariſtotelem, arenæ pulviſculum fore infinitum extenſione, nulliſque terminis extrinſecis circumſcribendum, ſi conſtaret particulis minoribus abſque fine dividuis. At iuxta Adverſarios quodlibet punctum corporis continui ita tumidum ſeu inflatum eſt, vt occupet partes ſpatij minores ac minores ſine fine dividuas. Ergo occupabit ſpatium infinitum extenſione, nulliſque limitibus extrinſecis circumſcribendum. *Dices*, illas vbicationes, ſeu partes minores ac minores ſpatij, quibus punctum æquivalens aſſeritur ab iis Authoribus; non poſſe ſimul produci; ac proinde nec fieri, vt punctum ipſum infinite extendatur. *Sed Contra*. Ad bonitatem nanque & efficaciam noſtræ illationis ſufficit ex ipſorum argumento contra Ariſtotelem colligere, caſu quo eæ vbicationes abſque fine dividuæ producerentur, adhuc per impoſsibile, facturas neceſſario extenſionem loci infinitam. Ergo punctum tumidum habet extenſionem tantam, vt æquivaleat, ſeu occupare poſsit tot vbicationes, quot ſufficerent ad extenſionem loci infinitam, caſu quo per impoſsibile omnes illæ coexiſterent. Illuſtratur res opportuno exemplo: Quamvis durationes animarum per totam æternitatem futuræ nequeant coexiſtere, adhuc verum eſt durationem indiviſibilem, quæ aſſeratur iis omnibus æquivalere, eſſe æternam & infinitam: quia, ſcilicet, quanquam indiviſibilis ponatur, continet quidquid infinitæ durationes ſucceſsivè futuræ. Vnde æternitas Dei eſt infinita in genere durationis, quia indiviſibiliter æquivalet infinitis durationibus ſucceſsivè futuris tota æternitate, caſu quo per impoſsibile coexiſterent. Similiter immenſitas divina infinita eſt, quia ſe ipſa implet infinita loca & ſpatia, adhuc data hypotheſi per impoſſibile, quà ponerentur ſimul in re. At iuxta Adverſarios indiviſibile punctum æquivalet vbicationibus infinitis minoribus & minoribus, aptiſque conſtituere extenſionem loci infinitā ſi per impoſſibile coexiſterent. Ergo punctum indiviſibile habet extenſionem infinitam quò ad locum.

14 *Dices* iterum, illas vbicationes, quibus æquivalet punctum inflatum, nō eſſe maiores & maiores; ſed minores & minores in infinitum: atque adeò ex iis nō colligi infinitam puncti extenſionem verſus maximum, ſed ſolum verſus minimum; quæ ſolum ſit infinita in potentia ac ſecundum quid; actu verò & ſimpliciter finita. *Contra*. Etiam extenſio partium continui Ariſtotelici ponitur ab ipſo, & ab omnibus eius ſectatoribus ſolum diviſibilis in partes minores & minores, non autem maiores & maiores, vt *diſp. 35. ſect. 2.* dictum eſt. Et tamen ex illa diviſibilitate inferunt Adverſarii quamlibet particulam fore infinitam ſimpliciter in extenſione. Ergo quamvis aſſerant, vbicationes, quibus æquivalet punctum inflatum, non eſſe maiores, & maiores in infinitum, ſed minores & minores, adhuc tenentur in eo concedere extenſionem ſimpliciter infinitam. *Confirm.* Propterea nanque ab iiſdem infertur diviſionem continui Ariſtotelici fore etiam in partes maiores ac maiores, proindeque extenſionis infinitæ ſimpliciter, quia quacunque particula continui accepta, adhuc poteſt accipi alia minor & minor proportionalis. Cumque nulla ita ſit minor, vt etiam maior non ſit alià minori ſe, conſequens eſt, vt qua ratione diviſio illa aſſeritur eſſe in minores & minores partes, ſit etiam in maiores ac maiores in infinitum. Hæc autē ratio, ſi quidquam evincit, pariter probat, extenſionem puncti inflati, eo ipſo quod in partes minores ac minores ſpatij diviſibilis aſſeratur, debere pariter ſtatui diviſibilem in partes ſpatij maiores & maiores; quoniā nulla eſt vbicatio minor alia, quæ non ſit pariter maior alterà minori ſe. Ergo pariter extenſio puncti inflati erit in partes maiores & maiores.

15 *AT* Negabis eſſe parem vtrobique rationem; quia vbicationes infinitæ, quibus Adverſarii docent æquivalere punctum inflatum, talis ſunt naturæ, vt ſi ſimul exiſterent, non eſſent aliæ extra alias, ſed potiùs in aliis incluſæ, invicemque penetratæ, quare non facerent extenſionem per nes maximum infinitam. E contra verò partes continui Ariſtotelici ita aſſeruntur exiſtentes & actu diſtinctæ, vt aliæ non ſint intra alias, neque cum iis penetratæ, ſed omnino extra. Ergo cum aliunde infinitæ aſſerantur, proculdubio facient extenſionē infinitam ſimpliciter.

SED

16 *SED Contrà* Vbicationes enim illæ infinitæ, quibus aſſeritur æquivalere punctum inflatum, ſi exiſterent, non ſe tangerent adæquatè, & quò ad omnem ſui partem invicem; ſed inadæquatè ſolùm, & quo ad aliquam particulam ſui: ſicut vbicationes reales ſpatij, ſeu loci exiſtentis, non ſe tangunt adæquatè mutuo, ſed inadæquatè ſolùm, & quò ad aliquam ſui particulam, ideoque de facto non penetrantur. Idem enim haberent vbicationes illæ ſpatij imaginarij si exiſterent, ac habēt reales vbicationes, quæ exiſtunt de facto. Ergo quemadmodum realis vbicatio non penetrata cum aliâ & ſemper diviſibilis in infinitum, faceret iuxta Adverſarios extenſionem actu infinitam; ſic etiam æquivalentia puncti inflati ad vbicationes minores ac minores in infinitum, faceret infinitam actu extenſionem. *Declaratur* ampliùs vis huius diſcurſus. Quemadmodum iuxta Ariſtotelicos partes ſpatij realis, & cuiuslibet continui, aliæ ſunt adæquatè diſtinctæ ab alijs, vt vnus ſemipalmus ab alio, & vniverſim quælibet medietas ab alterâ medietate; aliæ verò ſolùm inadæquatè diſtinctæ, & in ijs incluſæ, vt medietas in toto, ſeu particula medietatis in ipsà medietate; ſic etiam Adverſarij in illis vbicationibus infinitis minoribus ac minoribus, quibus æquivalere aſſerunt punctum inflatum, debent neceſſariò & inevitabili diſcurſu aſſignare alias adæquatè ab alijs diſtinctas, vt medietatem vbicationis ab alia medietate; alias verò inadæquatè ſolùm, vt particulā medietatis ab ipsa medietate, & in eis incluſas. Ergo quemadmodum nulla medietas alicuius continui vel ſpatij realis, qualitercunque explicetur, ſive ab Ariſtotelicis, ſive ab Adverſarijs, tangit adæquatè ac mutuò alteram, ſed inadæquatè ſolùm, & proinde non penetratur cum eâ; ſic etiam nulla medietas illarum vbicationū ſpatij imaginarij, poſiti in rerum naturà, tangeret adæquatè aliam, neque cum ea penetraretur. Ergo quemadmodum Adverſarij colligunt extenſionem cuiuſvis partis Ariſtotelicæ fore ſimpliciter infinitâ, quia dicitur æquivalens, ſeu occupans infinitas particulas ſpatij realis non penetratas; ita & iuxta Adverſarios, quodlibet punctum inflatum eſſe debet ſimpliciter infinitum in extenſione, quia æquivalet infinitis vbicationibus, ſeu particulis ſpatij imaginarij, quæ ſi exiſterent non eſſent penetratæ.

(✠)

SECTIO SECVNDA.

Poſterior modus exponendi puncta inflata reijcitur multipliciter.

17 QVANQVAM Nonnulla ex dictis *ſect. præced.* pariter exturbare videantur poſteriorem modum exponendi puncta inflata, relatum *num.* 4. ac priorem; adhuc oportet quædam ſubijcere ſpeciatim in ipſum militantia. *PRIMO*: Quia vnicum punctum corporis continui non vendicat ſibi extenſionem in ordine ad plura pūcta ſpatij realis, vt fatentur Adverſarij; ſed tantùm in ordine ad vnicum punctum realis ſpatij. Quē admodum enim quantitas palmaris v.g. ſolùm occupat palmum ſpatij realis, ita etiam punctum indiviſibile illius ſolum occupat indiviſibile ſpatij realis punctum. Ergo idem dicendum eſt per ordinem ad ſpatium imaginarium: vt quemadmodum palmaris quantitas ſolùm eſt idonea ad occupandam palmarem ſpatij imaginarij extenſionem, ſi illud ad exiſtentiam reduceretur; ſic etiam indiviſibile eiuſdem partis ſolùm ſit aptum replere indiviſibile punctum imaginarij ſpatij ad exiſtentiam redacti.

18 *CONFIRMATVR*. Corpus continuum Chriſti Domini exiſtens ſupra ſuperficiem convexam cœli Empyrei, atque adeò in ipſo ſpatio imaginario (de quo præ alijs legendus eruditiſsimus P. Gabriel Henao in Empyrologia *l.6. exercit.* 18.) nō occupat maiorem eiuſdem ſpatij imaginarij extenſionem, quàm occuparet si illud ſpatium eſſet reale, aut si intra concavam Empyrei ſuperficiem deſcenderet: vt per ſe evidens cuique apparet. At si corpus continuum Chriſti occuparet ſpatium reale, cuilibet puncto corporis reſponderet vnicum indiviſibile realis ſpatij, non autem duo, vel plura, vt etiam notum eſt, & patet in quolibet corpore continuo reale ſpatium occupante. Ergo & modo cuilibet indiviſibili corporis Chriſti reſpondet vnicum indiviſibile ſpatij imaginarij, non autē duo, vel plura. Falsò igitur Adverſarij docent quodlibet indiviſibile corporis continui vendicare ſibi plura puncta ſpatij imaginarij, quocunque numero finito ea cenſeantur.

19 *CONFIRMATVR II*. Ipſa indiviſibilia cœli Empyrei poſita in extimà ſuperficie convexa non occupant plus ſpatij imaginarij ad extrà (vt ita loquamur) quàm ad intra & in ordine ad locum realem

lem concavæ ſuperficiei: tam enim indiviſibilia ſunt verſus vnam partem, quàm verſus aliam; imo eadem ipſa. At puncta illa ad intrà & in ordine ad locum realem côcavæ ſuperficiei ſolùm occupant vnum indiviſibile realis ſpatij, vt potè cum eo adæquatè commenſurata. Ergo & ad extrà & in ordine ad imaginarium ſpatium ſuperficiei convexæ ſolùm occupant vnum indiviſibile imaginarium.

20 *EXPLICATVR* Vis argumenti. Spatium imaginarium ſolû eſt quædam extenſio loci nondum exiſtens, ſed purè poſsibilis, & abſolutè potens exiſtere: in quâ Mathematici ſua effata conceptioneſque exprimunt, ac ſi locus realis eſſet. Quare ſi Deus ſuprà cœlum Empyreum cõderet aliud multo maius, & intra ſe continens Empyreum ipſum, extenſio loci vtrûque intericcta realis eſſet, quæ modo ſolû imaginaria eſt, ſeu nullum eſſe actuale extra imaginationem habens. Quare de extêſione corporis continui, atque indiviſibiliû eius, non aliter, ſeu proinde loquendum eſt in ordine ad ſpatium imaginarium, quam ad locum realem: ac proinde ſicut nullum punctum continui corporis reſpondet pluſquam vnico puncto realis ſpatij; ſic neque pluſquam vnico puncto imaginarij ſpatij reſpondere putandum eſt. Verum eſto, iuxta ſenſum aliorum, imaginarium ſpatium non ſit extenſio aliqua loci poſsibilis, ſed merum figmentum, in quo liceat cogitare indiviſibilia, ex quibus immediatè reſultet extenſio ficta & inanis; cur quodlibet illorum exiſtimandum non ſit adæquatè reſpondens indiviſibili puncto reali, ſicut palmus imaginarius illius apprehenditur reſpondens adæquatè palmo ſpatij realis? Aut certè, vt ſuperius *num.* 11. monui, cur vis vera ac realis componendi immediatè aliquid continuum & extenſum, adſcribitur ab Adverſarijs indiviſibili puncto in ordine ad indiviſibilia ſpatij imaginarij, ſi hæc ſolùm ficta, chimærica, & repugnantia ſunt? Quod enim ſolùm æquivalere dicitur chimæræ & fictioni omnino repugnanti, etiam chimæricum & omnino fictitium, repugnantque eſt. Sed extenſio inflata cuiuslibet puncti realis, iuxta Adverſarios, æquivalet extenſioni pluriû punctorum ſpatij imaginarij omnino chimæricæ, fictitiæ, ac repugnantis. Ergo extenſio cuiuslibet puncti realis, aſsignata ab Adverſarijs, prorſus chimærica, fictitia, ac repugnans eſt. Vnde & per-via illatione colligitur, tam chimæricum eſſe continuum ex puris indiviſibilibus & inflatis compoſitum, quàm chimæricum aſſeritur ſpatium imaginarium reſultans immediatè ex puris indiviſibilibus cogitatis. Quod quidem argumentum ita huculque propoſuimus, vt videatur præoccupare omnes Adverſariorum evaſiones, quas eam ob cauſam non refero.

21 *SECVNDO* Refellitur idem dicendi modus, quoniam argumenta omnia, quæ pro Ariſtotele expendimus diſputatione 33. eamdem vim habent in punctis finitis imaginarij ſpatij, reſpondentibus pũcto reali: ac proinde inutiliter ad ea recurritur. Aſſumptum breviter oſtendo inſtauratis eiſdem argumentis. *Primum* deſumptum ex penetratione ſeu contactu adæquato vnius indiviſibilis realis cum alio, pariter vrget in ipſis indiviſibilibus imaginarijs, ſi cogitentur ſibi invicem immediata; cum nequeat, niſi chimæricè apprehendi in ijs pars quæ tangatur, & pars quæ non tangatur, ac proinde nequeant cogitari niſi adæquatè invicem ſe tangentia. Ergo neque cogitare licet, niſi chimæricè, extenſionem aliquam ex ijs reſultantem. Ergo pariter inflatio punctorum realium explicata in ordine ad eam extenſionem imaginariam, chimærica eſt. *Secundum* argumentum ibidem *ſect.* 4. *à num.* 28. propoſitum in circulis ex centro & concentricis, æqualibus futuris iuxta opinionẽ Zenoni adſcriptam; pariter obtinet vim in ſpatio imaginario, ſi compoſitum puris indiviſibilibus apprehendatur. Nam & in imaginario ſpatio Mathematici circulos & quaslibet figuras effingunt: ac proinde effictâ ſemel figura corporis aut loci perfectè ſphærici, neceſſum erit ductis ſingulis lineis à circulo exteriori ad interiorem viciniorem que cẽtro, ac ſubinde ad centrum ipſum, totidem fore puncta in vno circulo ac in altero, cõtra evidens oculorum experimentum. *Tertium* ibidem *à num.* 31. expenſum de lineâ ſecta per medium, ſive in duas medietates æquales, eadem efficacia procedit contra lineam ſpatij imaginarij ex punctis immediatè compoſitâ in numero impari. *Quartum* de Iſoſcele *à num.* 35. pariter concludit inter duo latera fore aliquid, [illegible] ve, quod apprehendatur minus extans, quã vnico indiviſibili: ac proinde inferet diviſibilia fore ipſa ſpatij imaginarij indiviſibilia, in quo eſt aperta implicantia terminorum.

22 *Similiter* & argumentum deſumptum ab inæqualitate motus tardi ac velocis, quod ibidem *num.* 28. in diſputationem ſequentem reiecimus, enervari non poteſt recurrendo ad puncta inflata

iuxta expoſitionem quam impugnamus Nam quod aiunt Recentiores aliqui, mobile illud moveri velocius, quod in quolibet inſtanti reali plura indiviſibilia ſpatij adquirit de novo, & pauciora amittit de antiquo; illud verò moveri tardiùs, quod in vnoquoque inſtanti pauciora indiviſibilia ſpatij adquirit de novo, & plura amittit de antiquo; quod, inquam, aiunt, nõ ſatisfacit illi argumento. Etenim, præter plura alia, certum eſt dari poſſe motum velociorem ac velociorem alio in infinitum ſyncathegorematicè: ac proinde, ſi quò velocior eſt motus plura indiviſibilia ſpatij adquirit in quovis inſtanti reali de novo, & pauciora amittit de antiquo; poterit quolibet inſtanti adquirere plura & plura in infinitum ſyncathegorematicè de novo, & pauciora ac pauciora in infinitum amittere de antiquo. Alioqui deveniretur ad motum ſucceſſivum adeo velocem vt, nec ſecundũ poteſtatem Dei abſolutam, eſſe poſsit alius velocior: quod repugnat quantitati ſucceſſivæ motus: ſicut repugnat quantitati permanenti eò magnitudinis devenire, vt ſit incapax augmenti in ordine ad Omnipotentiam Dei. Modò ſic. Ergo fruſtra & perperam exponitur extenſio indiviſibilis pũcti exiſtentis in mobili per æquivalentiam ad plura puncta ſpatij in numero finito: ſiquidem eo ipſo quod ſingula puncta mobilis vnico inſtanti poſsint æquivalere pluribus & pluribus indiviſibilibus ſpatij penes infinitum ſyncathegorematicè, nullus aſsignari debet certus iſtorum numerus, ſed indefinitus & maior quolibet aſsignato. Idẽque eſt in motu tardo penes pauciora & pauciora puncta, quæ amitti poſſunt de antiquo. Exinde enim apertè infertur, ea ſpatij punctà nullum habere numerum deſignatum, ſed infinitum; quia numerus potens decreſcere in infinitum ſyncathegorematicè, nequit non eſſe infinitus. Ergo aſsignata æquivalentia puncti inflati ad plura puncta ſpatij, octo v.g. aut plura pauciorave in numero certo ac finito, nequit ſufficienter exponi inter motum tardũ & velocem, ſi vterque ſupponatur continuus. Nã ſi alioqui negetur cõtinuitas, & interijciãtur morulæ, iam eo ipſo deferuntur indiviſibilia inflata, & inciditur in aliam opinionem impugnandam efficaciſsimè diſputatione 41. *a num*. 7.

23 Quod verò motus vnus poſsit eſſe in infinitum velocior altero, ex quo proceſſit argumentum præiactum, quamquam in eo ſatis probatum appareat ex ratione quantitatis ſucceſſivæ, & ex defectu repugnantiæ, quæ aſsignari nequit; adhuc demonſtrari poteſt: Quia corpus circulare poteſt eſſe maius ac maius in infinitũ ſyncathegorematicè, ſeu non tantum, quin maius: vt omnibus Philoſophis in confeſſo eſt. Neque enim eo magnitudinis devenire poteſt, vt Deus nequeat illi ſuperaddere vnum digitum peripheriæ, ſeu circumferẽtiæ, & ſubinde alium, atque alium ſucceſſivè ſine termino. Aliunde etiam nulla cõtradictio eſt in eo, quod corpus illud circulare motu continuo, & nullis morulis interrupto, moveatur à Deo: neque illam facile aliquis aſsignare poteſt, præſertim ex Adverſarijs, qui reijciunt morulas illas ab alijs excogitatas. Modò ſic. Superior circũferentia illius corporis circularis, quemadmodum poteſt eſſe maior ac maior in infinitum circumferentia inferiori ac viciniori centro, ſic etiam velociùs ac velocius in infinitum moveri poteſt, quam illa. Quo enim maius fuerit corpus circulare, eo velociùs movebitur ſuperior circulus, quàm inferior & concentricus; quia breviori tẽpore adquiret, ſeu tranſmittet maius loci ſpatium. Ergo eo ipſo nullus eſt certus numerus indiviſibilium ſpatij, quibus in vnico inſtanti æquivalere aut reſpondere poſſit quodlibet punctum ſuperioris circumferentiæ; ſed quolibet aſsignato, adhuc poterit eſſe maior ac maior numerus indiviſibilium ſpatij quovis momento tranſmiſsi. Ergo nullum punctum indiviſibile mobilis eſt inflatum in ordine ad indiviſibilia ſpatij penes certum numerum ac finitum; ſed penes incertum & maiorem quolibet numero determinato ac finito. Verùm de inæqualitate inter motum tardum & velocem fuſius loco allegato. Ibi enim oſtendemus diſcrimen vtriuſque no poſſe ſubſiſtere, ſi continuum immediatè componatur ex indiviſibilibus.

SECTIO TERTIA.

Oſtenditur præterea teſtimonijs Patrum, ac ratione aliâ, indiviſibilia continui nullam extenſionem habere in ordine ad locum.

24 DICENDVM Itaque eſt cum communi Philoſophorum, contentiu, Indiviſibilia, ex quibus componitur continuum, ſive, vt veriùs loquar, quibus copulantur partes continui, nec aliquam habere extenſionem ſeu diviſibilitatem aliquam, latitudinemve mathematicam; ſed eſſe omnino inextenſa. Quod autẽ

adeò verum quibuſdam Eccleſiæ Patribus viſum eſt, vt Epicureis oppoſitum aſſerentibus id exprobraverint, quaſi apertum errorem in Philoſophiâ. Ideo Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum de ijs ait: *Principia ponunt individua, Philoſophiæ nomen ſuſcipientes, impij quidam homunculi, & voluptati dediti.* Poſuerant autem Epicurei principia, ſeu partes rerum, indiviſibilia quædã inflata & quoddammodo figuram habentia, & extenſa quò ad ſpatium loci. Nam de Epicuro ipſo Laertius teſtatur, dixiſſe *intermiſceus nullam circa atomos eſſe inæqualitatem, præter figuram, & magnitudinem, & gravitatem.* Democritus quoque ipſius opinionis aſſertor apud eundem Laertium inquit, *atomos & magnitudine, & numero eſſe infinitos, ferrique in toto, ac rotari, atque ita concretiones omnes gignere ignem, aquam, aerem, terram. quippe & hæc ex atomis* (ſcilicet indiviſibilibus) *quibuſdam conſtare, eſſeque paſsioni ac mutationi ob firmitatem & ſoliditatem minimè obnoxia: Solem item & Lunã ex huiuſmodi vertiginibus, TVMORVMQVE CIRCVMFERENTIBVS, eſſe compoſita.* Vbi ipſiſsimam Epicuri ac Democriti ſententiam refert, quam ex ipſorum ruderibus extumulãdam nonnulli Recentiores curarunt. Et Cicero lib. 1. de Natura Deorum de eodem Democrito ac Leucippo: *Iſta enim ſunt flagitia Democriti, ſive etiã antè Leucippi: eſſe corpuſcula, quædam levia, alia aſpera, rotũda alia, partim angulata, curvata quædam, & quaſi adunca: ex ijs effectum eſſe cœlum, atque terras.* Quod idem ab ijs traditum, conſtat ex Ariſtot. *lib. 3. de Cælo textu 37. & 1. de Gener. t. 5.* & ex Plutarcho *lib. 1. de Placitis Philoſophorum,* aliiſque. Ex quibus omnibus liquidò deprehenditur, opinionem Epicureorum, quam reprehendit graviter S. Clemens Alexandrinus verbis exſcriptis, eſſe illam quæ ponebat indiviſibilia tumida, ſeu mathematice inflata figurataque, vt principia ex quibus immediatè componatur continuum.

25 Eandem vt abſurdam & anilem carpit S. Gregorius Nazianzenus, *Orat. 34.* vbi figmentum quorundam tribuentium Deo corpus, quod proinde ſecari poſsit, merito inquit, *ipſis Epicuri atomis abſurdius eſſe, & anilius.* Similiter & Baſilius Magnus *Homil. 1. in Hexaem.* allegatis in margine Democrito ac Leucippo, ac relatâ ex mente ipſorum prædicta opinione, aſſerit illos *vecordi imaginatione decluſos, eam adſtruxiſſe.* Denique, vt plura alia huius generis omittam, S. Auguſtinus *lib. de Immortal. Animæ cap. 7.* vniverſim ſtatuit, nihil poſſe occupare locum quantolibet ſpatio, niſi habeat partes, in quas identidem cædatur. At indiviſibilia non habent partes, in quas cædantur. Ergo ex mente S. Auguſtini locum non occupant, ſeu, quod perinde eſt, non ſunt inflata in ordine ad locum.

26 *DEINDE* Præter rationes vtraque ſectione præcedẽti propoſitas, quibus efficaciter impugnata ſunt puncta tumida quò ad locum, quocunque modo explicentur; illorum omnimoda indiviſibilitas hoc diſcurſu ſuaderi poteſt. Indiviſibilia continui ab Adverſarijs aſsignata, non ſunt ſpiritualia, ſed materialia: vtpotè ex quibus aſſerunt materiam ipſam & quantitatem intrinſecè coaleſcere. Ergo nequeunt occupare locum diviſibilem, ſive in infinitũ, ſive in certa menſurâ ſpatij. Probatur conſequentia: Quia ſolus Deus, & Angelus, & anima rationalis, licèt ſint aliquid indiviſibile in ſe, poſſunt occupare diviſibilem locum, ſeu implere illud, quia indiviſibilitas illorum eſt ſpiritualis, & proinde ſuperiori quodam atque miro modo potiùs continet diviſibilem locum, quam contineatur ab illo. Vnde & quò maior eſt immaterialitas rei ſpiritualis, maiorem locum implet, quã minor. Ideoque Deus, cùm ſummè immaterialis ſit, de ſe ipſo ait: *Cælum & terram ego impleo.* Ideo & Angeli quò immaterialiores ſeu ſpiritualiores ſunt, & ſpectantes ad altiorem Hierarchiam ex ijs quæ terrena curant, eo ampliorem ſpatij ac tutelæ ſuæ ditionem habent: vt ex Patribus fuse oſtendimus *tom. 1. Theologiæ Florulentæ Lud. 9.* Cùm ergo indiviſibilia ab Adverſarijs aſsignata nihil omnino ſpiritualitatis habeant, ſed purè materialia ſint; nequeunt habere extenſionem aliquam in ordine ad diviſibilem locum.

27 *CONFIRMATVR,* & ſimul præoccupatur evaſio, quæ in oppoſitũ excogitari poſſet. Ideo animæ brutorum perfectorum, vt equi & leonis, licet juxta frequentem opinionem indiviſibiles ſint, poſſunt habere extenſionem aliquam intra corpus in ordine ad locum; quia licet abſolutè immateriales non ſint, aliquod genus immaterialitatis & ſpiritualitatis habent relatè ad formas inſenſibilium & inſectorũ. Vnde & in ſacris litteris ſæpe dicuntur habentia ſpiritum vitæ, & *ſpiritus* appellantur. Elevatio namque illa gradus ſenſitivi perfecti tribuit eis amplitudinem circa locum omnino materialem, & quoddammodo cenſeri poteſt eminentialis extenſio circa locum ipſum. At qui indiviſibilia continui, lapidis v.g. nullam ſpiritualitatem immate-

te-

terialitatemque habent, neque abſolutè, neque relatè ad locum diviſibilem; nullã quoque elevationem in ſe habent ſupra illũ, vt ex ſe patet. Ergo indiviſibilia continui nullam extenſionem habere queunt in ordine ad locum.

SECTIO QVARTA.

Selecta ac difficilia argumenta pro punctis inflatis obijciuntur, vrgentur, ac tandem enodantur.

26 ARGVMENTA Quædam pro indiviſibilibus mathematice turgidis fieri poſſunt, quæ oportet obijcere & enodare. *PRIMVM* eſt: Quia etiam in opinione Ariſtotelis neceſſum eſt fateri indiviſibilia copulativa partium continui habere extenſionem aliquam in ordine ad locum, ſiquidem tangũt immediatè vtramque partem diviſibilem. Ergo ſunt præſentia eidem loco diviſibili, cui vtraque pars præſens eſt. Nequeunt enim immediatè tangere partem exiſtentem in loco diviſibili, niſi eidem pariter loco præſentia ſint. At eo ipſo quod ſint præſentia diviſibili loco iam ſunt extenſa, ſeu inflata in ordine ad locum: cùm vtrunque idem omnino ſit. Ergo etiam ex mente Ariſtotelis admitti debent indiviſibilia quò ad locum extenſa.

27 *CONFIRMATVR* I. Punctum illud inter vtrãque partem poſitum, non ab eodem latere tãgit, vel habet vtrãque partem: ſed alteram à dextrà, alteram à leva, vt in lineà Ariſtotelicà facilè percipitur. Ergo diverſam extenſionem habet circa vnam partem dextram, quàm circa aliam ſiniſtram. Ergo non habet vnicam & indiviſibilem extenſionem, ſeu reſtrictionem ad indiviſibile ſpatij; ſed imo potiùs duplicem extenſionem ab vtraque parte diviſibilem.

28 *CONFIRMATVR II.* Vtcunque indiviſibilia explicentur, habent in ſe figuram mathematicam, v.g. orbicularẽ. At figura mathematica & orbicularis nequit eſſe, imò nec cogitari abſque aliqua extenſione in ordine ad locum. Ergo qualitercunque indiviſibilia explicẽtur, nequeũt eſſe aut cogitari ſine extenſione in ordine ad locum. Maior patet: quia ſemper indiviſibile punctum circumdari poteſt veluti centrum, vt in ambitu ipſius fiat circulus perfectus. Non poſſet autem indiviſibile circumdari veluti centrum, vt in ambitu fiat circulus, niſi haberet figuram orbicularem. Minor verò probatur: Quia vt indiviſibile punctum habeat figuram orbicularem circumdabilem in ambitu, debet ab vnaquaque parte circuli immediati tangi per gyrum: ac proinde in eo eſſe & cogitari debet multiplex particula extenſionis, reſpondens ſingulis ac omnibus partibus circuli ambientibus punctum. Ergo figura mathematica orbicularisque, nequit eſſe aut cogitari ſine extenſione in ordine ad locum.

29 *RESP.* Indiviſibilia copulativa ex propria ratione ſolùm habere quod vniant partes continui, illaſque tangant per modum nexus, ſeu extremitatis. Hinc autem non colligitur debere eſſe extenſa in ordine ad locum earundem partium, ſed ſolum eſſe indiſtantia ab illo. Quemadmodum enim indiviſibile punctum indiſtans eſt ab vtraque parte vnita, ita & indiviſibile ſpatium eiuſdem puncti indiſtans eſt ab vtroque diviſibili ſpatio, ſeu loco earundem partium. Vnde non ſequitur punctum indiviſibile habere aliquam extenſionem, ſed ſolùm tangere immediatè extrema habentia extenſionem. Quod ſi inſtes in vnione partium ſubſtantialium, quæ eſt in eodem loco ac ipſæ partes vnitæ, & eodem modo extenſa; Reſpondeo diſparem eſſe rationem: quia vnio partium ſubſtantialium æquè indiviſibilis eſt, ac ipſæ partes illaſque adæquatè tangit. Vnde nihil mirũ ſi inſtar earum ſit extenſa in ordine ad locum. At punctum indiviſibile continui nectit partes diviſibiles, easque ſolum inadæquatè tangit, veluti extremitas vtriuſque. Vnde non oportet habere inſtar earum extenſionem aliquam. Vide quæ diximus *diſp. 35. ſ. num. 5.*

30 *AD I. Confirm.* Punctum vtrãque partem interiacens, ſicut nullam partium multitudinem habet, penes quarum alteram tangat vnum extremum, & aliud penes alteram; ſic etiam neque habet vnũ, neque plura latera intrinſeca: id enim rei quantæ proprium eſt. Tantum itaque aſſignare in eo licet latera extrinſeca, ſeu penes conſiderationem noſtram, vt monui eadẽ diſput. allegatà *num.* 40. Nam in re loquendo totum punctum tangit duas partes immediatas, & vnamquanque illarum indiviſibiliter.

31 *AD II. Confirmationem*, etiam ipſi Adverſarij reſpondere tenentur, cùm evidens ſit, indiviſibile punctum non poſſe habere figuram, adhuc orbicularem, niſi fingendo in ipſo partes extimas inſtar circuli diſpoſitas, & centrum illarum in medio

dio peripheriæ: quod toto cœlo alienum eſt ab indiviſibili puncto. Alioqui de ipſo centro puncti fieri poſſet idem argumentum, quod contra nos vrgetur, tamquam & in eo ſit figura orbicularis; & ſimiliter de centro centri vſque in infinitũ. Quare omnis figura denegãda eſt indiviſibili puncto, & proinde maior argumenti falſa eſt. Ad illius probationem dicendum, in peripheria immediata puncti non poſſe fieri circulum ex puris indiviſibilibus compoſitum: quia ſic omnia penetrarentur cum eo puncto, vt latè ſuperioribus probatum eſt. Nec præterea circulum ex ſolis partibus coaleſcentem: quia inter has neceſſariò mediant puncta, vt proprio loco ſtabilitum manet. Quare ſolum poteſt habere locum circulus ex partibus & punctis coaleſcens, ita vt partes inadæquatè tangant punctum in medio poſitum, cætera autem puncta ſolum illud tangant mediatè; & ſic totus ille circulus ambiat, ſeu concipiatur ambire punctum. Inde̓m vero non evincitur habere figuram orbicularem poſitivè, ſed negativè: id eſt, ſolum debet nõ habere figuram oppoſitam rotunditati, ſed eſſe in medio, quamvis ſine figura aliqua, vt ſic æqualiter diſtet ab omnibus partibus & indiviſibilibus circuli.

32 *ARGVES II.* Non datur ſpatiũ reale aliquod verſus maximum, quo non poſſit eſſe aliud maius & maius. Ergo neq; datur aliquod ſpatium reale verſus minimum, quo non poſſit eſſe aliud minus & minus. At ſi indiviſibile nõ eſſet extenſum in ordine ad locum, ſolùm occuparet ſpatium reale indiviſibile, & quò aliud minus eſſe non poteſt. Ergo punctum indiviſibile eſt extenſum in ordine ad locum, non vero reſtrictum ad ſpatium indiviſibile.

33 *RESP.* Negando conſequentiam: Quia ſpatium reale verſus maximum eſt in ſeipſo quantitativum; & quemadmodum quantitas eſt infinita in potentia ſecundum additionem, ita vt numquam eò magnitudinis deveniat, vt maior & maior fieri nequeat; ita etiam ſpatium extenſum & quãtitativum. At vero ſpatium indiviſibile nõ eſt quantitativum in ſeipſo, ſed eſt punctum eiuſdem ſpatij omni extenſione carens, ſicut & puncta corporis locati. Neque oportet in omni eo genere in quo repugnat aſſignari maximum, repugnare etiam minimum. Nam etiam repugnantia eſt in aſſignãdo certo numero Angelorum v. g. aut hominum, quo maior alius eſſe non poſſit. Et tamen non ob id repugnat minimus Angelorũ aut hominũ numerus, qui nequeat eſſe minor: vt patet in numero binario, quo minor alius eſſe non poteſt. Pridem quævis quantitas molis poteſt creſcere in vlnas penes infinitũ in potentia: & tamen non ideò minui poteſt in vlnas penes infinitũ, ſiquidẽ redacta iam ad vnicã vlnam, non eſt iam in plures vlnas diviſibilis. Quamvis ergo reale ſpatiũ quantitativũ poſſit ſemper eſſe maius & maius, nõ propterea omne ſpatiũ poteſt eſſe minus & minus: ſed dari poteſt indiviſibile ſpatium quod in ſeipſo nec maius nec minus eſſe poſſit. Quod ſi in quantitate continua oppoſitum contingit, vt, ſcilicet ſemper poſſit eſſe maior ac maior, & minor ac minor in ſeipſa, id habet ſpeciatim ex ſua propria ratione, quia extẽſa eſt. Spatium verò ex ſe abſtrahit ab extenſo & inextenſo, diviſibili & indiviſibili.

34 *ARGVES III.* Indiviſibilia ſecundum Ariſtotelicos tangunt immediatè partem. Ergo vel tangunt illam penes aliquid indiviſibile, vel diviſibile. Si primum; iã eo ipſo vnũ indiviſibile ſequitur immediatè poſt aliud: quod ipſi angue & cane peius cenſent. Si autem aſſeratur ſecundum; ergo indiviſibile habet extenſionẽ aliquam: quia ſine illa impoſsibile eſt tangere partem penes aliquid extenſum & diviſibile: etenim nequit fieri contactus partis penes aliquid extenſum & diviſibile, niſi pũctum tangens adæquetur, ſeu commenſuretur quodammodo cum eo quod tangit. Nequit autem punctum adæquari ſeu commenſurari cum illo diviſibili & extenſo quod tangit, niſi in eo ſit aliqua extenſio. Ergo punctum debet habere extenſionem aliquam, vt tãgat partem penes aliquid extenſum & diviſibile.

35 *HOC* Argumentum revera difficile eſt, & proponi ſolet directè contra ſententiam Ariſt. quatenus ſtatuit in continuo indiviſibilia, veluti cõtinuativa partiũ abſque fine diviſibiliũ. Vnde & remiſimus illud ad hunc locum *diſp.* 33 *num.* 43. Aliqui reſpondent communiter puncta attingere immediatè diviſibilem partem penes aliquid diviſibile & extenſum, quia ſunt virtualiter diviſibilia & extenſa, quamquam formaliter inextenſa & indiviſibilia ſint. Idque exponunt à pari ſubſtantiarum ſpiritualium, in quibus quantitas virtutis eſt formaliter indiviſibilis, & tamen virtualiter diviſibilis eſt ita vt reſpondeat diviſibili loco. *SED Contr. I.* Vt enim ſuperiùs *n.* 26. & 27. oſtenſum manet, diviſibilitas virtualis, ſeu virtualis extẽſio in ordine ad locum propria eſt rerum ſpiritualium abſolutè, aut ſaltem cõparativè ad corporea & pu-

& purè materialia atque inanimata. At puncta indivisibilia continui materialis, lapidis v. g. nihil omnino ſpiritualitatis habent, neque abſolutè, neque comparativè ad materialia & inanimata, vt ex ſe liquet. Ergo non ſunt virtualiter diviſibilia ſeu extenſa in ordine ad locum. *CONTRA II.* Adverſarij enim ſolùm exerunt vires vt probent indiviſibilia continui eſſe virtualiter extenſa in ordine ad locum ea ratione, quâ in ſubſtantijs ſpiritualibus quantitas virtutis, indiviſibilis formaliter & inextenſa, adhuc æquivalenter in ordine ad locum extenſa eſt. Quare vbi hoc conceditur, nihil ampliùs exoptant Adverſarij, & demum extorquent puncta mathematicè inflata, qualia deſiderant.

36 *ALII* Secundo reſpondent non inferri diviſibilitatem aliquam punctorum: quia non tangunt partem diviſibilem aliquotam, ſed ſolùm proportionalem, & minorem ac minorem alia quacumque aſsignabili; ad quod nulla requiritur in puncto virtualis extenſio. *SED Contrà I.* Quia vtraque pars immediatè copulata à puncto indivisibili eſt invicem aliquota & æqualis, atque adæquatè diſtincta; neutra autem proportionalis, aut incluſa in altera vt pars in toto, aut inæqualis ipſi, vt evidens eſt. Ergo contactus ille fit in duplici parte aliquota & invicem æquali. *CONTRA II.* Quia inter qualcumque partes aliquotas & æquales neceſſum eſt intercedere punctum copulativum ipſarum, cùm non vniantur ſeipſis immediatè, ſed medio aliquo vinculo indiviſibili, vt *diſp.* 33. oſtenſum eſt. Ergo punctum illud tangit immediatè vtramque partem aliquotam & æqualem. Eo autem poſito redit argumentum: Quia cum debeat tangere vnamquamque illarum ſecundùm aliquid extenſum & diviſibile, debet adæquari & commenſurari eidem parti ſecundùm id extenſum quod de ea tangit. Nequit autem punctum adæquari parti ſecundum id extenſum quod de ea tangit, niſi in ſe habeat extenſionem aliquam virtualem; cum aliunde formalem habere non poſsit. Ergo punctum indiviſibile habet extenſionem virtualem.

37 *QVARE* Aliter dicendum eſt, indiviſibile copulativum tangere quidem vtramque partem ſibi immediatam ſecundum aliquid diviſibile & extenſum; inadæquatè tamen, & per modum ſolius extremitatis. Quamvis enim vtraque pars immediatè tacta à puncto ſit aliquota & æqualis, neutraque proportionalis relatè ad alteram ipſarum, neque in ea clauſa; adhuc verum eſt, indivisibile tãgere vnamquamque illarum, non adæquatè, aut ſecundum ſe totã, ſed inadæquatè ſolum & penes particulam minorem ac minorem quacumque aſsignabili. Quantumvis enim exiguã partem aſsignes, cógitesve, cũ adhuc quanta & extenſa ſit, non tangitur adæquatè ab indiviſibili puncto; ſed inadæquatè ſolum, & penes particulam minorem quacumque aſsignabili. Vnde infertur, pũctum nunquã adæquari aut commenſurari alicui partiũ quas vnit, ac proinde neque eſſe virtualiter extenſum in ordine ad locum: quia nequit adæquari parti ratione contactus, niſi illam tangat adæquatè. Cum ergo adæquatè neutram partium tangat, conſequens eſt vt cum neutra ipſarum adæquetur, ac proinde nec inſtar earundem extendatur in ordine ad locum.

38 *SED* Contra ſolutionem hanc inſtabis multipliciter. *Primò.* Eà namque ratione debet punctum coëxtendi in ordine ad locum, quà tangit partem in ordine ad locum extenſam. Sed tangit partem in ordine ad locum extenſam penes aliquam particulam minorem & minorem quacũque aſsignabili, vt in ſolutione dictum eſt. Ergo ſimiliter punctum eſt extẽſum in ordine ad locum penes aliquam particulam ipſius loci minorem & minorem quacumque aſsignabili. *Secundò.* Quamvis ea pars aſsignari nequeat à nobis, à Deo tamen, cui omnia æqualiter perſpecta ſunt, verè cognita & ſingillatim aſsignabilis eſt, ſecundùm totum illud in quo tangitur à puncto. Cum enim contactus ille ſit verus & realis verè exiſtit in rerum natura extremũ determinatũ quod ab eo tangitur: quia tactus verus & realis eſt quid in individuo exiſtẽs ac proinde circa extremũ determinatũ in individuo, quod tangatur. Ergo Deus videt particulam aliquã vtriuſque partis vt adæquatè tactã à puncto, ac proinde punctũ vt inflatũ, ſeu adæquatũ cũ ipſa in extẽſione. *Tertiò.* Qualiſcumque & quantulacũque ſit particula illa quam tangit punctũ, conſtat duplici medietate, etiã ſecundũ id formaliſsimè quo tangitur à puncto. Ergo punctũ tangit illam ſecundum alteram & alteram ipſius medietatẽ. At nequit illam tangere ſecundũ alteram & alterã ipſius medietatẽ, niſi extendatur ad locũ vnius & alterius medietatis. Ergo verè punctum habet extenſionem ad vtriuſque medietatis locum.

39 *DIFFICILIA* Quidem ſunt hæc, & quorum ſolutionem addiſcere mallem ab alio, quam aſsignare. Adhuc tamen

dum

dum certior via non occurrit, hac ratione reſpondendum exiſtimo, iuxta ea quæ dixi *num.* 29. *& diſp.* 34. *num.* 17. *AD* Primum nego maiorem: Quia vt punctum tangat immediatè partem in ordine ad locum extenſam penes aliquid ipſius inadæquatum, non eſt opus vt habeat extenſionem aliquam in ordine ad locum, adhuc inadæquatam, & minorem ac minorem quacũque aſsignabili: ſed ſufficit vt per modum extremi & nexus ſit immediatum & indiſtans à ſpatio loci vtriuſque partis, ſicuti & ab vtraque parte indiſtans eſt. *AD Secundum.* iuxta dicta *diſp. eadem* 34. *num.* 47. patet Deum non videre, niſi quæ ſunt, & eo modo quo ſunt. Punctum autem indiviſibile licèt tangat partem aliquam in individuo determinatam, non tamen adæquatè, ſed inadæquatè, & penes aliquã ipſius particulam minorem ac minorem in infinitum quacumque minori aſsignabili ab ipſo Deo; quo ſolùm ſenſu diximus ibidem *numer.* 55. contactum non fieri in parte determinatâ, ſed indeterminatâ. Quamvis enim ſumpta per modum cuiuſdam totius, ſeu extremi totalis, aut medietatis contradiſtinctæ ab altera medietate, cui vnitur medio illo puncto, ſit determinata in individuo, & proinde deſignabilis à Deo, adhuc penes id in quo tangitur immediatè & inadæquatè nullam habet menſuram extenſionis determinatæ, ſed quacumque aſsignata, adhuc minor & minor eſt. Sic, licèt Deus videat totam collectionem creaturarum poſsibilium immediatè diſtare ab ipſo ſecundùm perfectionem conſideratam in cumulo; adhuc aſsignabilis ab eo non eſt in particulari creatura immediatè diſtans à perfectione Dei; ſed qualibet aſsignata, adhuc reſtat alia & alia perfectior & immediatior Deo. Nimirùm id eſt de ratione infiniti in potentia, ſive ſecundum additionem, ſive ſecundum diviſionem, vt numquam ad primum aut vltimum deveniatur, quia reverà non eſt aliquid in eo primum aut vltimum. *AD Tertium.* Particula illa, etiam ſecundum quod tangitur à puncto, habet duplicem medietatẽ, ſed ſolum inadæquatè tactam, & penes aliquid minus quocumque minori ac minori aſsignabili. Vnde numquam probatur punctum eſſe extenſum in ordine ad locum, ſed ſolum eſſe extremitatem immediatam partium extenſarum in ordine ad locum.

DISP. TRIGESIMA SEPTIMA:

DE COMPOSITIONE CONTINVI SVCCESSIVI.

An tempus & motus conſtent indiviſibilibus; an potiùs partibus abſque fine dividuis?

Num. 1. HACTENVS *De compoſitione continui permanentis diſceptatum eſt. Nunc de continuo ſucceſsivo, cuius duæ ſpecies ſunt motus & tempus; adeò tamen illigatæ inter ſe, vt neutra ab altera ſeparetur, aut diverſam compoſitionem admittat. Quare quod de vna dictum fuerit, pariter cenſendum erit de altera. Porrò difficultatem ſummam huius controverſiæ nemo eſt qui neſciat, modò in Philoſophia mediocriter verſatus. At longè abſtruſior apparet penitiùs exploranti, occurrentibus vtrinque nodis propemodum inſolubilibus. Quærimus itaque an continuum ſucceſsivum conſtet indiviſibilibus, quæ in tempore appellantur* inſtantia, *& in motu* mutata eſſe; *an verò partibus ſine fine dividuis. Placet verò claritatis gratia ita controverſiam percurrere, vt gradatim à minùs difficilibus ad difficiliora perveniam. Habet præcipuè locum hæc diſputatio* lib. 6. *præcipuè* cap. 1. & 2. & 9. & 10. *Item* lib. 4. cap. 10. textu 89.

SECTIO PRIMA.

Oſtenditur, tum expreſsis Patrum teſtimonÿs, tùm rationibus, in continuo ſucceſsivo eſſe partes actu diſtinctas, & indiviſibilia, quidquid negent Recentiores aliqui.

2 SIT I. *Aſſertio.* In continuo ſucceſsivo verè ſunt partes actu diſtinctæ, & indiviſibilia, ex quibus componitur. Hæc concluſio eſt expreſſa Ariſt. *lib.* 6. ferè per totũ, præſertim *c.* 1. *text.* 10. vbi ita ſtatuit in continuo eſſe partes diviſibiles, & puncta indiviſibilia, vt idẽ dicendũ cenſeat de continuo permanenti, ac ſucceſsivo quo ad ſingulas ſpecies, neque aliter & aliter de vna, quàm de alia diſcurrendũ ſit. Et infra c. 9. t. 76. *οὐ γὰρ σύγκειται ὁ χρόνος ἐκ τῶν νῦν ὄντων ἀδιαιρέτων, ὥσπερ οὐδ᾽ ἄλλο μέγεθος οὐδέν. Tempus enim non ex ipſis nunc indiviſibilibus conſtat; ſicut nec vlla alia magnitudo.* Idemq; de linea, ac motu habet *c.* 10. *t.* 88. Conſtat vero ex dictis *diſp.* 33. per totá, ex ipſius mente, continuum permanens conſtare, tũ partibus actu disiunctis, tum & indiviſibilibus, quibus illæ copulantur. Idẽ ergo de tẽpore & motu dicendum eſt. Quare eandẽ ſententiã expreſsè docet D. Th. iiſdẽ locis, cõmuniterq; Interpretes & Philoſophi omnes, paucis Recẽtiorũ exceptis; qui vt ſe eriperent ab ingenti difficultate circa compoſitionem continui ſucceſsivi, negarũt in illo partes actu diſtinctas, quemadmodũ & in continuo permanẽti, vt vidimus diſp. illa, ac ſimiliter de medio tulerunt indiviſibilia continuativa partium. Modo ſingillatim vtraque concluſionis pars probãda eſt, & qua aſſerimus in continuo ſucceſsivo eſſe partes actu diſtinctas, & qua ſtatuimus indiviſibilia actu exiſtentia.

3 PRIOR Aſſerti pars probatur. Nã de ratione entis ſucceſsivi, prout diſtinguitur a permanenti, eſt quòd habeat prius & poſterius, atque adeò vnam partẽ poſt aliã. id enim abundè conſtat ex definitione & propria notione vtriuſque. Ergo in eo ſunt partes realiter actu diſtinctæ. Patet conſequentia: Quia ſi non eſſent partes actu diſtinctæ, ſed eadem & indiſtincta entitas, nõ poſſet eſſe in ea prius & poſterius, neque vnũ poſt aliud. Nihil enim poteſt eſſe prius & poſterius ſe ipſo, neque vnum poteſt eſſe poſt aliud, vbi reverà non eſt vnum & aliud vt ex terminis patet. Cùm ergo in ente ſucceſsivo, vt tale, ſit prius & poſterius, atque vnum poſt aliud, nequit in eo aſsignari vnica & indiſtincta entitas, ſed plures ſibi ſuccedentes, atque ideo & partes actu diſtinctæ.

4 RESPONDEBIS I. cum Adverſarÿs iuxta ea, quæ alias docent de continuo permanente, ſicuti in ente ſucceſsivo datur prius & poſterius, atque vnum poſt aliud, ſic etiam exiſtere in eo partes. Prius autem & poſterius, atque vnum poſt aliud, non dari in continuo ſecundum rem, ſed penes ſolam conſiderationem intellectus apprehendentis in eo ſucceſsionem: ac proinde & nullas reipſa exiſtere in eo partes actu diſtinctas, niſi ſola præciſione, aut conſideratione intellectus.

5 SED Contrà I. Tempus enim & motus, non ſola conſideratione intellectus, ſed realiter & eſſentialiter ſunt entia ſucceſsiva; cum realiter & eſſentialiter conſiſtant in fluxu ac viciſſitudine, vt diſtinguuntur ab ente permanenti. Ergo non modò iuxta conſiderationem Intellectus, ſed ſecundùm eſſentiam & rem ipſam, habent prius & poſterius, ſive vnum poſt aliud, ac proinde & partes ſecundùm rem diſtinctas. CONTRA II. Prius & poſterius, quod importatur ab ente ſucceſsivo, ſeparantur ad invicem. Ergo cùm ſeparatio ſit evidens diſtinctionis realis ſignum, prius & poſterius diſtinguuntur realiter. Antecedens patet ad ſenſum in tempore. Nam dies heſterna & hodierna non coexiſtunt realiter, ſed hodierna ſolùm exiſtit modò, heſterna vero antea extitit. Similiter in motu continuo vnius horæ, curſus v.g. ſemihoræ primæ, iam non exiſtit realiter vbi fluit curſus ſemihoræ ſecundæ. Deinde potuit fluere motus vſque ad finem ſemihoræ primæ, & ibi ſiſtere, nec procedere vltra per ſpatium ſecundæ ſemihoræ, cohibente vltrò aut violenter mobili curſum ſuum inter medias ſemihoras. Ergo prius & poſterius quod importatur in ente ſucceſsivo, tam tempore, quàm motu, ſeparantur realiter; proptereaque ſecundum rem diſtinguuntur. CONTRA III. Si prius & poſterius ſolùm accipiuntur in motu ſecundùm conſiderationem intellectus, & non ſecundùm rem ipſam, omne continuum erit ens ſucceſsivum, quia in omni continuo poteſt intellectus apprehendere vnum poſt aliud: in vlna v.g. vnum ſemipalmum prius, & alium, atque alium poſterius. Ridiculum autem eſt aſſerere, quantitatem vlnarem, aut palmarem eſſe ens ſucceſsivum; cùm tota ſimul & actu ſit. *Contrà IV.* Motus & tempus vnius horæ quid duplo maius eſt realiter intra genus entis ſucceſsivi, quam motus & tempus ſemihoræ. Ergo quia realiter includit vnam ſemihoram prius, & alteram

ram poſterius. Antecedens patet: quia totum id verificatur abſque vlla intellectus fictione. Quis enim neget motum vnius horæ re ipſa duplò durare, quam motum ſemihoræ? Quis neget ſenem plus temporis realiter vixiſſe, quàm infantem recens natum? Conſequentia autem probatur: Quia nequit motus & tempus vnius horæ eſſe duplo maius realiter, quam motus & tempus ſemihoræ in genere entis ſucceſſivi, niſi poſt vnam ſemihoram addat realiter tantundem, id eſt, ſemihoram alteram. *Contrà V.* Motus & tempus eſt quid realiter diviſibile. Alias non eſſet quantum, nec de factò divideretur vna pars motus ab alia. At nulla res diviſibilis eſt, niſi in ea quæ inſunt actu & realiter diſtincta: quia quod actu & reipſa eſt idem cū alio, per nullam potentiā diviſibile eſt ab illo, neque vnquā poteſt realiter ab eo diſtingui. Ergo motus & tempus conſtat rebus, ſeu partibus, realiter & actu diſtinctis. *Contrà VI.* Quia Patres allegādi præſertim *n.* 7. *&* 41. expreſſe docent tempus eſſe diviſibile in partes, quæ vniuntur inſtantibus, ſeu momentis impartibilibus. Quod abſque actuali diſtinctione earundem partium eſſe non poſſe, ſolus is in dubium vocet, cui compertum non ſit vnionem realem quorumcumque extremorum invicem diviſibilium, importare vt minimùm verā diſtinctionē vtriuſque.

6 *RESPONDEBIS II.* Aliam eſſe vnitatem, identitatemque rerum diviſibilium propriam; alteram verò rerum indiviſibilium, iuxta doctrinam eorundem Authorū circa continuū permanens, vt vidimus *diſp.* 33. iam allegata *num.* 16. Sed hæc evaſio multipliciter præcluſa eſt ibidem, vt propterea opus nō ſit nova impugnatione. Manet itaque ſatis plenè probatum, in quolibet ente ſucceſſivo exiſtere partes realiter actuque diſtinctas. Idque ſpeciatim de tēpore adeo expreſſum eſt apud Patres mox allegandos pro parte poſteriore noſtri aſſerti, vt nullū iam Adverſarijs videatur ſupereſſe effugiū vt aſſerant tempus & motum carere compoſitione partium.

7 *POSTERIOR* Aſſerti pars, quà aſſignamus in ente ſucceſſivo indiviſibilia, eſt doctrina expreſſa SS. Patrum loquentiū de tempore, aientiumque in illo eſſe momētū, ſive inſtans prorſus indiviſibile. Etenim ad illa verba Apoſtoli 1. Cor. 15. v. 52. *in momento, in ictu oculi,* ſic plures illorum loquūtur. Hieronymus tom. 3. Epiſt. ad Minerium & Alexādrū: *Quando enim dicit* Paulus, *in puncto temporis, & in motu oculi, atque momento, futuram omnium reſurrectionē; cunctā primæ & ſecundæ reſurrectionis excludit fabulā: vt alij primi, alij noviſſimi reſurrecturi eſſe credantur. Atomus autem punctū temporis eſt, quod ſecari & dividi non poteſt.* Preme hæc poſtrema verba, quibus planè alludit ad verba Pauli prout in ipſo Græco fonte, in quo ſcripta fuere ab Apoſtolo, extant, & ſunt: *ἐν ἀτόμῳ, ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, in indiviſibili, in ictu oculi.* Vnde apparet in ipſa S. Scriptura ſupponi indiviſibile temporis, quód aſſerimus. Nyſſenus quoque lib. de Opificio Hominis c. 22. non minus expreſſe, *Punctum,* inquit, *& oculi momentum appellat extremū temporis terminum omnis expertem dimenſionis, quiq; nullas in partes dividi queat.* S. P. N. Iſidorus Hiſpalenus lib. 13. Etymolog. c. 2. *Partes horarum admittunt donec perveniatur ad tantū temporis punctū, & quādam in menti ſtaluam, vt per nullam moram produci poſſit, & ideo iam dividi nō poſſit. Hæc eſt atomus temporis.* S. Aug. lib. 11. Confeſſ. c. 28. *Quis neget, tēpus præſens carere ſpatio?* Quidquid autem caret ſpatio, prorſus indiviſibile eſt. Et lib. 11. c. 15. præmiſerat: *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas, vel minutiſſimas, momentorū partes dividi poſſit; id ſolùm eſt, quod præſens dicatur. quod tamen ita raptim à futuro in præteritum tranſvolat, vt nulla morâ extendatur. Nam ſi extenditur; dividitur in præteritum & futurum. Præſens autem nullum habet ſpatium.* Quid illuſtrius? S. P. N. Anſelmus lib. de Incarn. c. 8. expreſsè ſupponit *punctum ſimplex temporis* (de hoc enim loquitur) *id eſt, ſine partibus, & indiviſibile.* S. P. Damaſcenus, multorū opinione Benedictinus, in Dial. c. 49. *Tria igitur ſine quantitate: vnitas, & punctum, & nunc.* Idē verò eſt dicere, *ſine quantitate,* ac ſine extēſione, vel diviſibilitate, vt ex contextu patet. Imò & verbis immediatè præcedētibus vtramque aſſertionis noſtræ partē expreſſè tradiderat pag. mihi 431. ibi: *Ac præterea tempus quoque metimur, nempe in præteritū & futurum: atque ipſius partes communem terminum, qui eas interſe dividat, habent, nempe, temporis punctum.* Vbi expreſsè agnoſcit partes futuras ac præteritas tēporis medio puncto temporis copulatas: quod ſine actuali partium diſtinctione, & indiviſibili puncto temporis eſſe nō poteſt. Similiter *cæteraque* ſtatuitæ concluſionis partem firmant plura ex præiactis teſtimonijs, & plerāque alia, quibus brevitatis cauſa ſupercedo.

8 *IAM* Ratione probatur eadem pars, quia negari nō poteſt, multa eſſe quæ incipiunt omnino indiviſibiliter, ſeu in inſtanti reali indiviſibili; ſiquidem omnia illa, quæ in ſe ipſis indiviſibilia ſunt, ſeu par-

tibus carent, ſimiliterque qualitates diviſibiles contrario carentes, & ſubſtantiales formas, vt ſententia communis Philoſophorum eſt: Id autem eſſe non poteſt, niſi in tempore ſit aliquod inſtans reale & indiviſibile, quod per ſe loquendo correſpondeat inceptioni & deſinitioni indiviſibili earundem rerum: quia inceptio & deſitio indiviſibilis non poteſt durare ampliùs, quàm vnico indiviſibili temporis. Eo autẽ ſtatuto neceſſum quoque eſt in motu admittere Indiviſibilia aliquot, ſeu mutata eſſe. Nam ſi motus ſit continuus, vt ſaxi ex alto ac directè ruentis in centrum, debet in eo motu aſsignari aliquid diviſibile, quod correſpondeat adæquatè diviſibili temporis parti; & aliquid indiviſibile, quod adæquetur cum inſtanti indiviſibili temporis. Ergo eo ipſo aſsignari debet indiviſibile motus: quod appellari ſolet *mutatum eſſe*.

9 *SEURSIM* Vero quo ad inſtans temporis probatur in creatione animæ rationalis, quæ per ſe loquendo nequit fieri in tempore diviſibili. Ergo fit in inſtãti indiviſibili; atque adeò in tempore ſunt indiviſibilia inſtantia. Probatur aſſumptũ. Anima rationalis eſſentialiter eſt ſpiritualis, ac proinde indiviſibilis. Ergo per ſe loquendo, & attenta naturali rerum exigentia, non creatur tempore diviſibili; ſed in indiviſibili inſtanti. Conſequentia probatur. Si enim crearetur tempore diviſibili, cùm illud habeat duas vt minimum partes, alteram priorem, alteram poſteriorẽ, deberet in prima creari dimidia animæ pars, & in ſecunda altera dimidia; contra ſuppoſitionem indiviſibilitatis animæ. Aut certè tota anima produceretur in priori medietate illius temporis diviſibilis, vel tota in poſteriori medietate. Si tota producitur in priori medietate; ergo in poſteriore iam non producitur, ſed conſervatur. Si tota in poſteriori parte producitur; ergo in priore nondum creata eſt. *Rurſus*. Tam prior illa medietas temporis diviſibilis, quàm poſterior, ſi indiviſibilibus immediatè non conſtat, vt ſupponit ſententia adverſa, erit diviſibilis in plures & plures partes: & quamcumque ipſarum poſteriorem aut priorem aſsignes, cùm etiam habeat duplicem medietatem, in vna ſolum creabitur: & ſi illam aſſeras indiviſibilem, iam fateris Indiviſibilia eſſe in tempore. Si vero diviſibilem dicas, repetam idem argumẽtum de duplici medietate, donec tandem invitus cogaris ad aſſerenda in tempore indiviſibilia, quæ directè & ex natura rei correſpondeant vt menſura extrinſeca creationi rerum indiviſibilium: Diſcurſus hucuſque propoſitus deſumitur ex Baſilio Magno *Homilia* 1. in Hexaemeron verbis *num.* 41. exſcribendis, quibus probat creationem mundi indiviſibili momento fuiſſe peractam.

10 *RESPONDEBIS I.* Animam rationalem produci totam ſimul in toto illo tempore diviſibili, & non modo in vna temporis parte. *SED Contrà*. Nam aut τὸ ſimul appellat ſupra animam, aut ſupra tempus. Si ſupra animam; verum eſt totam ſimul produci cum creatur; vtpote indiviſibilem. Si autem appellat ſupra tempus; inſtauro argumentum. Cùm enim tẽpus ſit eſſentialiter ens ſucceſsivum, nequit habere plures partes ſimul, ſed vnam poſt aliam. Inquiro ergo, an in priore, an in poſteriori parte anima producatur? Et quacumque aſsignata, redit obiectio, donec fatearis illam produci in inſtãti individuo: quia in parte dividua temporis ex natura rei produci non poteſt quod Indiviſibile eſt. Vnde & Peripatetici, quamvis doceãt tempus conſtare partibus abſque fine dividuis, aſsignant puncta indiviſibilia temporis, in quibus producantur atque deſinant, aut deſinere poſsint intrinſecè res indiviſibiles. Et qui Stoicorum, aut Zenoniſtarum appellatione (quamquam immeritò) cenſentur; quamvis doceant tempus immediatè coaleſcere ſolis indiviſibilibus, ex quibus partes diviſibiles conſurgunt, adhuc aſsignant vnicum indiviſibile temporis correſpondens inceptioni & deſinitioni rerum indiviſibilium.

11 *RESPONDEBIS II.* Animam rationalem produci totam in parte diviſibili temporis, non determinata, ſed indeterminata, ac minore & minore quacumque aſsignabili, ſicut iuxta Ariſtotelicos indiviſibile continui tangit partem extenſam & diviſibilem penes aliquid indeterminatum, & minus ac minus quocumque aſsignabili: Idemque eſt de corpore perfectè ſphærico ſi cõtinuè trahatur per planum perfectum: vt & nos docuimus vtraque præcedenti diſputatione, aſſerentes illum contactum non repugnare, quia inadæquatus eſt, & penes aliquid minus ac minus partis à puncto tactæ. Ergo pariter indiviſibilis productio totius animæ poteſt correſpondere tempori diviſibili, ſolùm inadæquatè & penes partem minorem in infinitum.

12 *HÆC* Solutio veroſimilior eſt. Verùm illa nequeũt vti Adverſarij, qui propterea indiviſibilia & partes actu diſtinctas

quas negant in omni continuo, ne cogantur admittere illas eſſe diviſibiles penes minores & minores in infinitum, ac proinde dicere multitudinem illarum eſſe actu infinitam. Nequeunt, inquam, præiacta ſolutione vti: quia in ea manifeſtè aſſeruntur partes temporis diviſibiles in infinitum penes minores & minores. Præterea, adhuc ſuppoſito contactu indiviſibilium ad partem diviſibilem in quolibet continuo, & in corpore ſphærico ad planum; adhuc ea doctrina nequit adaptari inſtituto præſenti. Nam per ſe loquendo quodlibet indiviſibile continui permanentis habet aliquod indiviſibile ſpatij, cui commenſuretur, & adæquetur; & quodvis punctum corporis ſphærici habet aliud punctum ſibi correſpondens in plano, cui adæquetur per ſe loquendo; & neutrum adæquatur cum diviſibili parte. Ergo pariter inceptio & deſitio rerum indiviſibilium debet per ſe loquendo habere aliquam menſuram extrinſecã durationis, cui commenſuretur & adæquetur. Nequit autem adæquari parti temporis diviſibili, vt patet, ſed ſolùm indiviſibili momento, ſive inſtanti temporis. Dantur ergo in tempore inſtãtia indiviſibilia. Hoc tamen ingenuè fateor, adhærentem ſecundæ ſolutioni, & doctrinæ Ariſtotelicæ, difficilè convincendum iri, ſi aſſerat poſſe animam rationalem, & quamcunque aliam rem indiviſibilem produci ac deſinere, ſaltem præternaturaliter, in parte diviſibili temporis inadæquatè accepta penes particulam minorem ac minorem quacunque aſſignabili.

13 *DENIQVE* Singillatim quò ad motum probatur eadem pars, ratione ferè deſumpta ex Philoſopho *hoc lib 6. cap. 1. & 2. & 9.* quam ſub hanc formam propono. Motus primi mobilis & tempus commenſurantur inter ſe, cùm tempus ſit numerus motus primi mobilis ſecundũ prius & poſterius. Ergo quemadmodum in motu primi mobilis ſunt partes diviſibiles & per ſe correſpondentes partibus diviſibilibus temporis, ita & in eodem motu debent eſſe indiviſibilia correſpondentia indiviſibilibus temporis. *CONFIRMI.* Aſſignato quolibet inſtanti indiviſibili nequit fluere diviſibilis pars motus. Ergo in eo inſtanti ſolùm poteſt fluere aliquod indiviſibile, ſeu mutatum eſſe motus. Conſequentia patet: Quia in motu continuo & nunquam interrupto primi mobilis, qualem ſupponimus, nihil poteſt fluere quolibet inſtanti temporis aſſignato, niſi pars diviſibilis, aut aliquod indiviſibile motus. Antecedẽs verò probatur: Quoniam quælibet indiviſibilis pars motus, eſt ens ſucceſsivum eſſentialiter; ac propterea includens duplicem medietatem, vnam priorem, & alteram poſteriorem. Ergo cùm nequeat fluere ſimul ſecundùm vtranque in eo inſtanti aſſignato, ſolùm poterit fluere ſecundùm alteram illarum. Aut ergo medietas illa partis fluentis eſt indiviſibilis, aut diviſibilis: Si primũ, aſſeras, iam fateris mecum aliquid eſſe indiviſibile in motu continuo. Si ſecundum dicas; inſtauro eandem obiectionem: Quia medietas illa ſi diviſibilis eſt, claudit eſſentialiter duplicem particulam, vnam priorem, alteram poſteriorem: ac proinde nequit ſecundum vtranque ſimul eſſe in eodẽ inſtanti. Cumque eadem ratio ſit de quavis particula, demum concluditur, neceſſariò eſſe aſſignandum in motu aliquid indiviſibile, quod per ſe loquendo adæquetur & cõmenſuretur momento temporis indiviſibili.

NEC Video fundamentum, aut rationem alicuius momenti pro contrariâ opinione. Nam ſi quodquam eſſe poteſt, iam ſolutum eſt *diſp. 32.* vbi eandem ferè de continuo permanenti, ac modò de ſucceſsivo, exagitavimus controverſiam.

SECTIO SECVNDA.

Nec motum, nec tempus immediatè conſtare ſolis indiviſibilibus, etiam inſtatis; ſed partibus abſque fine dividuis, per indiviſibilia copulatis. Evaſiones Recentiorum præciſa.

14 *SIT II.* Aſſertio. Quanquam in omni continuo ſucceſsivo ſint indiviſibilia, vt hucuſque demõſtratum eſt, non tamen ita vt ex ijs ſolùm atque immediatè componatur; ſed ex partibus abſque fine dividuis, per indiviſibilia copulatis. Hanc doctrinam non ſolùm tradit, ſed ex profeſſo probat Ariſtoteles toto ferè libro 6: & D. Thomas ibidem, cæterique Interpretes ac Philoſophi communiter, quotquot idem tradunt de continuo permanenti, ſi vnum excipias Oviedum; qui in Phyſica *controv. 17. puncto 11 num. 3.* aperiens ſuum ſenſum, adhæret tandẽ ſententiæ Ariſtotelis circa compoſitionem continui permanentis ex partibus abſque fine dividuis; deſerit autem illam quò ad continuum ſucceſsivum, eo quòd argumẽta in oppoſitum videantur ipſi inſuperabilia. Quapropter ſubſcribit in hac parte Authoribus ſuprà *diſp. 33 num. 3.* allegatis, qui con-

conſequenter docent tempus & motum conſtare puris indiviſibilibus. Sed præter teſtimonia Veterum Philoſophorum ac Patrum, quibus eo loco oppoſitam doctrinam firmavimus, illam expreſsè docet Auguſtinus *lib. 6. de Muſicâ cap. 18.* tã de cõtinuo ſucceſsivo, quàm permanente, illis verbis: *Ita ratio invenit, tam localia, quàm tẽporalia ſpatia, infinitam diviſionem recipere: & idcirco nullius ſyllabæ cum initio finis auditur.* Et Baſilius Hom. 1. in Hex. docet poſſe tẽpus dividi *in perquam multa; imò infinita: quando id, quod ſemel diſſecueris, in alia rurſus ſegmina intercidi poteſt.* Quid clarius?

15 *PROBATVR I.* Aſſertum inſtaurando rationem Ariſtotelis ibidem expenſam pro continuo permanenti, quæ æqualiter probat in ſucceſsivo. Propterea enim continuum permanẽs nequit conſtare puris indiviſibilibus, quia indiviſibile additum alteri indiviſibili immediatè nequit facere aliquid extenſum in genere quantitatis permanentis. At neque vnum indiviſibile motus & temporis, additum immediatè alteri poteſt facere aliquid extenſum in genere quãtitatis ſucceſsivæ. Ergo neque continuum ſucceſsivum conſtat puris indiviſibilibus. Probatur minor. Ideo indiviſibile additum immediatè alteri indiviſibili nequit cum eo facere aliquid extenſum in genere quantitatis continuæ permanentis, quia debet vnum tangi, & tangere aliud ſecundùm ſe totum, ac proinde non facere maiorem extenſionem, nec occupare maius ſpatium coniunctim, quàm ſeorſim. At etiam vnum indiviſibile motus & temporis additum immediatè alteri, debet illud tangere & tangi ab eo ſecundùm ſe totum. In indiviſibili enim quantitatis ſucceſsivæ, ſicut & permanentis, non eſt aliquid quod tangatur, & aliquid quod non tangatur, ſed tangi in aliquo idem eſt, ac ex toto tangi. Ergo neque vnum indiviſibile motus & tẽporis additum immediatè alteri poteſt cũ eo facere aliquid extenſum in genere quãtitatis ſucceſsivæ. Quam rationem ipſiſsimam lego apud S. P. N. Anſelmum *lib. de Incarn. 8.* ſtatuentem hoc aſſertum: *Punctum in puncto non eſt, niſi punctum.* Scilicet, duo indiviſibilia coniuncta, non faciunt magis quam vnum. Quod ſic probare pergit: *Habet enim punctum, velut medium, punctum mundi, velut punctum temporis, id eſt, præſens tempus, æternitatis nonnullam ſimilitudinem, non parùm vtilem ad eiuſdem æternitatis contemplationem. Vnde latiùs aliàs diſputandum eſt. Hîc tantùm hoc ſufficiat, quia punctũ ſimplex, id eſt, ſine partibus, & indiviſibile, eſt velut æternitas. ET IDEO PVNCTVM CVM PVNCTO SINE INTERVALLO, NON EST, NISI VNVM PVNCTVM. Sic æternitas cum æternitate, non eſt, niſi vna æternitas.* Vbi perbellè & ingenioſè Anſelmus ex ſimilitudine indiviſibilis puncti temporis ad æternitatem, etiam indiviſibilem; colligit vnam æternitatem alteri ſuperadditam non facere quid extenſum aut maius in genere durationis æternæ; ſicut vnum punctum additum alteri puncto temporis non facit quid extenſum aut maius in genere durationis temporalis.

16 *RESPONDEBIS I.* ad mentem P. Oviedo, adhuc poſito ex duobus indiviſibilibus non poſſe fieri quidquam extenſum in genere quantitatis, eſſe diſparẽ & ſufficientem rationem in indiviſibilibus quantitatis ſucceſsivæ, vt faciant quid extenſum & maius. Nimirum, indiviſibilia permanentia deberẽt ſe mutuò atque omnino tangere, quia ſimul & immediatè coexiſtunt. At indiviſibilia quantitatis ſucceſsivæ non exiſtunt ſimul, ſed vnum poſt aliud; atque adeò non ſe tangunt mutuò. Vnde poterunt facere quid extenſum & maius in genere quantitatis ſucceſsivæ, quanquam indiviſibilia coexiſtentia nequeant aliquid extenſum & maius facere in genere quantitatis permanentis.

17 *SED Contrà I.* Si enim indiviſibilia temporis & motus non ſe tangunt immediatè; neque etiam tangunt ſe invicem mediante alio: quia illud, quo mediante ſe tangere poſſent, deberet eſſe aliud indiviſibile inſtans; de quo eadem repugnantia eſt, vt tangat mediatè vel immediatè aliud inſtans antecedens, vel conſequens, ſub eàdem dimenſione indiviſà. Ergo indiviſibile inſtans additum immediatè poſt aliud non facit cum eo aliquid extenſum aut maius in genere quantitatis continuæ, imò non facit quantum continuum. Patet hæc ſecunda conſequẽtis pars, ex quà prima deducitur: Quia, iuxta communem definitionem, continuum eſt, *cuius partes termino communi copulantur:* ſeu aliter, & æquivalenter, continua ſunt, *quorum vltima ſunt vnum;* ſcilicet, quorum extremitas, vna eſt. Quo planè exprimitur neceſsitas vt partes cuiuſcunque continui vniantur, & ſe tangant medio aliquo vinculo iis communi. Neque aliter intelligi poteſt quantitas continua in ſe ipsâ, & quatenus diſtinguitur à diſcreta, cuius partes carẽt eiuſmodi vnione. Ergo ſi indiviſibilia temporis & motus non ſe tangunt, ſeu non vniuntur invicem mediatè nec immediatè; non poterunt facere

facere

cerè quantum continuum. multò minùs autem facient aliquid maius in genere quãtitatis continuæ.

18 *CONTRA II.* In nullo genere poteſt fieri vnum per ſe, vnitate ſimpliciter tali, & diſtincta ab vnitate ſolius ordinis, ex partibus non vnitis inter ſe medio aliquo nexu communi illarum, diſtincto vel indiſtincto. Ergo cum partes continui ſucceſsivi conſtituant vnum per ſe vnitate ſimpliciter tali, & maiori, quàm ſit vnitas ordinis ſolius conveniens numero; neceſſum eſt vt vniantur inter ſe medio aliquo nexu communi illarum, diſtincto; vel indiſtincto. At eo ipſo quod vniantur medio aliquo vinculo, ſeu diſtincto, ſeu indiſtincto, debent ſe tangere invicem. Ergo ſi indiviſibilia ſunt partes ex quibus reſultat vnum per ſe ſimpliciter in genere quantitatis ſucceſsivæ, debent ſe tangere invicem. At ex indiviſibilibus ſe invicem tangentibus nequit reſultare continuum & extenſum, vt demonſtrat ratio Ariſtotelis, & concedit relata ſolutio. Ergo ex indiviſibilibus immediatè additis nequit reſultare continuum ſucceſſivum. *CONTRA III.* Si inter vnum & aliud inſtans reale temporis fieret hiatus, ſeu intervallum, ceſſante motu primi mobilis, ex vltimo inſtanti temporis præcedẽtis, & primo ſequentis, non fieret vna quantitas ſucceſsiva, ſed duplex. At id ſolum eſſet defectu vnionis realis, ſeu continuationis inter inſtans præcedens & conſequens. Ergo etiam modo de facto, ſi inter vnum & aliud inſtans immediatum nulla intercedit realis vnio, nequit ex vtroque reſultare vna quantitas ſucceſsiva. *CONFIRMATVR.* Ideo partes aliquæ cõtinui permanentis poſſunt ac ſolent non facere vnũ aliquod permanens, quia per diviſionem ſui ſolent amittere vnionem, quà antea ſe tangebant, & invicem copulabantur. Sed iuxta ſolutionem datam indiviſibile vnum temporis & motus no habet vnionem cum alio ſibi immediato, quà illud tangat, aut invicẽ vniatur. Ergo indiviſibile vnum temporis & motus nequit cum alio facere vnam quãtitatem ſucceſsivam.

19 *DICES*, hoc diſcurſu, ſi quidquam evincit, pariter præcludi viam, vt in ſententia Ariſtotelis partes entis ſucceſsivi conſtituant vnum aliquod continuum: quia quando vna advenit, iam altera præterijt; ac proinde nequit illam tangere, aut vniri cum ipsà; ſiquidem contactus & vnio realis debet eſſe inter extrema realiter & immediatè coexiſtentia. *RESP.* Negando aſſumptum: Quia in ſententia Ariſtotelis pars futura & præterita ſe tangunt & vniuntur realiter invicem, ea vnione quæ ſequitur & ſufficit in cõtinuo ſucceſsivo. Cùm enim ſit præſens indivisibile inſtans, quod eſt extremum, ac purum vinculum initiativum vnius partis, & terminativum alterius, ipſæ partes ſe tangunt & vniuntur in ratione præteritæ & futuræ. In opinione autem contraria partes entis ſucceſsivi ſunt ſola inſtantia nullam vnionem realem invicem habentia, neque in ſe ipſis, neque in aliquo tertio habente rationem vinculi reſpectu ipſorum. Vnde ad ſummum poterunt facere vnitatem ordinis, & quantitatem diſcretam; non verò continuam.

20 *RESPONDEBIS II.* ex doctrina aliorum quos impugnavimus diſputa. præcedenti per totam, indiviſibilia temporis & motus, quamvis talia ſint phyſicè, adhuc eſſe mathematicè diviſibilia, & inflata, ſeu turgida in ordine ad tempus imaginarium diviſibile in infinitum; quia quodlibet indiviſibile reale motus ac temporis æquivalet infinitis durationibus minoribus & minoribus, quia aliqua aſsignari poſsit, quã aliqua magis exigua non ſequatur. Id autẽ ſufficere, vt ex indiviſibilibus temporis ac motus, phyſicè inextenſis, & mathematicè inflatis, neutrum tangat alterum ſecundùm ſe totum, ſed inadæquatè tantùm; ac proinde cum eo faciat quid maius & extẽſum in genere quantitatis ſucceſsivæ.

21 *VERVM* Evaſio hæc multipliciter, & à ſimili, præcluſa fuit totâ illâ diſputatione: & præter plura alia, quæ huc trãſferri poſſunt, in eò peccat, quòd aliter de tempore imaginario, quàm reali, quò ad extenſionem ſucceſsivam loquatur. Quẽadmodum enim ſpatium imaginarium loci vnius vlnæ non habet maiorem extenſionem permanentem, quàm ſpatium reale loci alterius vlnæ, adhuc in ordine ad cõſiderationem mathematicam, niſi ſit omnino fictitia & chimærica; ſic etiam hora temporis imaginarij non habet, adhuc mathematicè, maiorem extenſionem ſucceſſivam, quam hora temporis realis. Ergo neque inſtans reale temporis habet mathematicam extenſionem, ſi neque illam habet inſtans imaginarium. Et quemadmodum hoc, iuxta Adverſarios, ſi concipiatur immediatè additum alteri imaginario inſtanti, non facit cum eo aliquid mathematicè quantum & extenſum; ſic neque reale inſtans additum immediatè alteri faciet cum eo extenſionem phyſicam ac realem.

22 *REIICITVR II.* Ex hac enim doctrina ſequuntur eadem abſurda, quæ

Adverſarij ex ſententià Ariſtotelis inferre conantur cum Zenone Eleate apud eundẽ Philoſophum *hoc lib.6.cap.9.textu* 77. Sequitur enim eas omnes durationes minores & minores temporis imaginarij, quibus æquivalere dicitur inſtans reale, poſſe ſimul & non poſſe pertranſiri ac finiri: quod eſt aperta contradictio. Prior pars ſequelæ patet: quia de facto finitur & tranſit inſtãs reale, quod aſſeritur æquivalens iis omnibus durationibus temporis imaginarij. Ergo & ipſæ durationes minores ac minores finiuntur ac tranſeunt. Quoties enim duo extrema durationis ſunt æqualia, & ſimul comparantur, ſi vnum finitur ac tranſit, etiam alterum finiri & tranſire ſimul neceſſum eſt. Poſterior eiuſdem ſequelæ pars ſuadetur. Ideo enim Adverſarij colligunt nullam partem determinatam temporis ac motus finiendam aut percurrẽdam poſitâ diviſibilitate penes infinitum iuxta Ariſtotelem, quia in ea ſunt partes minores & minores, aliæ atque aliæ in infinitum percurrendæ. Ergo ſi duratio tẽporis imaginarij, cui æquivalet inſtans reale, continet durationes minores & minores, alias atque alias in infinitum, non poterit tranſire tota & finiri. *RVRSVS.* Si non obſtanti quòd durationum illarum nulla ſit, quam non ſequatur alia & alia minor ac minor in infinitum, adhuc omnes finiri & pertrãſiri poſſunt vnico inſtanti reali; ergo & in eodem tranſire finirique poterunt omnia damnatorum ſupplicia, electorumque gaudia, quanquam futura ſint plura & plura, alia & alia in infinitum. Nulla enim ratio eſt vt infinitis durationibus minoribus ac minoribus aſſeratur æquivalens vnicum inſtans reale; & tamẽ infinitis durationibus tormenti ac gaudij minoribus & minoribus, quæ eſſent in reprobis atque electis per totam æternitatem, non poſsit æquivalere vnicum inſtans reale ſupplicij, aut gaudij. Et quemadmodum diſput. præcedenti à *num.*13. colligebamus quodlibet punctum permanens inflatum fore æquivalens infinito ſpatio loci, ac nullis locorum terminis circumſcribendum; ſic etiam in præſenti colligimus, quodlibet inſtans reale fore æquivalens durationi imaginariæ infinitæ, nulliſque terminis in genere durationis circumſcribendum; & conſequenter adæquaturum æternitatem in duratione; inſ. tormẽtiſque ac gaudijs futurum æquivalens ſucceſsioni æternæ tormentorum gaudiorumque manentium reprobos & electos. Quæ omnia abſurda devorare tenentur Adverſarij: cùm non diſtinguant, vt Ariſtotelici, inter infinitatem durationum in potentià & in actu; neque inter partes proportionales & indeterminatas ex vno capite, & aliquotas atque determinatas ex alio. Hac enim diſtinctione ſuppoſitâ, neutiquam infertur partem temporis, horam v.g. abſque fine dividuam, fore æquivalentem toti tempori reali, aut imaginario: Quia ex duobus infinitis in potentia, ſive permanẽtibus, ſive ſucceſsivis, poteſt vnum penes extenſionem eſſe maius alio, & habere plures partes aliquotas & determinatas ac certæ magnitudinis; quanquam vtrumque in infinitas partes proportionales minores & minores ſecari poſsit. Poſito autem, inſtãs reale, quanquam phyſicè indiviſibile, æquivalere infinitis partibus temporis imaginarij minoribus & minoribus, poterit eſſe æquivalens infinitis maioribus & maioribus iuxta illationem Adverſariorum contra Ariſtotelem. quam quidem Ariſtoteles ipſe levi manu declinat, Adverſarij vero recuſare nequeùnt; vtpotè domeſticam, & ex ipſorum diſcurſu deductam.

23 *REIICITVR III.* Si nullum eſt inſtans reale, quod inflatum non ſit & æquivalens infinitis durationibus minoribus ac minoribus temporis imaginarij; ſequitur hominem diligentem Deum ſuper omnia, aut odio habentem in inſtanti A. non poſſe deſiſtere à dilectione vel odio in infinitis durationibus minoribus & minoribus imaginarij temporis: ac per conſequens nec primum poſſe in aliquà illarum peccare, nec ſecundum reſipiſcere a peccatò. At conſequens prorſus abſurdum eſt. Ergo & quod inſtãs reale ſit inflatum & æquivalens infinitis durationibus minoribus & minoribus temporis imaginarij. Sequelam probo. Dum quis diligit Deum ſuper omnia, nequit deſiſtere à dilectione, aut peccare, in ſenſu compoſito: ſimiliterque cum odio habet Deum, nequit nõ habere odio, aut deſiſtere in ſenſu compoſito a peccato. Sed illud inſtans reale in quo Deum diligit, aut odio habet, iuxta Adverſarios æquivalet, ſeu æqualiter extenſum eſt, ac infinitæ durationes minores & minores imaginarij temporis. Ergo homo diligens aut odio habens Deum in inſtanti reali A. non poteſt deſiſtere a dilectione vel odio, à peccato vel impotentia peccandi in infinitis durationibus minoribus & minoribus temporis imaginarij.

24 Iam verò abſurditas conſequẽtis probatur: Quia nullus eſt actus meritorius in aliquo inſtanti viæ, ex vi cuius homo ſe conſtituat impotentem peccare pro in-

infinitis partibus imaginarij temporis: nullum præterea peccatum in aliquo inſtanti commiſſum, a quo homo præditus libero arbitrio & advertentia ſufficienti, reſipiſcere non poſsit in qualibet parte temporis veri, aut imaginarij. Quod latiſsimè & multiplici S. Scripturæ ac Patrum teſtimonio firmavimus *tom. 2. Theologiæ Florulentæ Ludo 16*. Modo quo ad ſecundam abſurdi partem accipe verba Concilij Senonenſis *in Decreto Fidei*: vbi allegato cap. 3. Apocal. inter alia dicitur de gratia Dei. *Cùm illa ſemper ſit in promptu; nec momentum quidem prætereat, in quo Deus non ſtet ad oſtium & pulſet*. Et Euſebij Epiſcopi Emiſſeni, de Naturâ Hominis cap. 2. aientis: *Vt proprium naturæ humanæ ridere eſt, nam & ſoli adeſt, & ſemper; ita in rebus, non naturæ lege, ſed Dei beneficio conſtituentis, proprium eſt hominis, vt per pœnitentiam omni culpâ liberetur. NAM SOLI HOMINI, ET OMNI, ET SEMPER, QVOAD INTERIVS VIVIT, DATVM EST.* Non datum eſt autem omni homini ac ſemper, vt liberetur à culpa per pœnitentiam in actu ſecundo & de facto; cùm plerique non liberentur, quia nolunt pœnitentiam agere. Ergo datum eſt omni homini & ſemper quoad interiùs vivit, vt poſsit agere pœnitētiam, & liberari à culpa: ac proinde nullum eſt inſtans, nulla pars temporis veri, aut imaginarij, in qua non poſsit reſipiſcere à peccato. Denique, vt plura alia huius generis miſſa faciam, accipe luculentiſsimum teſtimonium Pauli Oroſij, doctrinæ S. Auguſtini defenſoris acerrimi, in Apologiâ de Libero arbitrio ante medium, ibi: *Mea indubitata ſententia ac fidelis, hæc eſt, Deum adiutorium ſuum, non ſolùm in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob credentium fidem dona largitur, verùm etiam univerſis in mundo Gentibus, propter longanimem ſuâ æternamque clementiam ſubminiſtrare: non vt tu aſſeris cum diſcipulo tuo Cæleſtio, cui iam apud Africanā Synodum occulta illa impiorum dogmatum natura confuſa eſt; in ſolo vno univerſali bono & libero arbitrio generaliter univerſis vnam gratiam contributam: ſed ſpeciatim quotidie, per tempora, per dies, PER MOMENTA, PER ATOMOS, CVNCTIS, AC SINGVLIS MINISTRARE.* Quid pulchrius, aut è re noſtrâ magis? Abſurdum itaque eſt infinitas eſſe partes, imo & vnam temporis imaginarij, quantumvis minor & minor illa ſit, in qua aliquis peccator, plenâ advertentiâ præditus, nequeat reſipiſcere à peccato.

25 *CONFIRMATVR* Impugnatio præcedens: Quia extenſio illa temporis imaginarij, cui æquivalere dicitur inſtans reale inflatum, eodem modo cogitatur ab Adverſarijs compoſita ex partibus abſque fine dividuis per inſtantia imaginaria copulatis, ac tempus reale à nobis aſsignatur compoſitum ex partibus continuatis per inſtantia realia. Manifeſtum eſt autem, neque inſtans imaginarium poſſe cum fundamento cogitari minùs durans, quam inſtans reale; neque partem imaginariam tēporis determinati, horam v.g. cogitari poſſe minus extenſam, quam ſit hora realis veri temporis. Modò ſic. Quæcunque pars veri temporis accipiatur, iuxta Ariſtotelē, ſicut conſtat infinitis partibus minoribus & minoribus, ſic etiam infinitis inſtantibus ſecundùm rem. Ergo quæcunque pars imaginarij temporis accipiatur conſtat infinitis inſtantibus imaginarijs, ſicut & infinitis partibus minoribus ac minoribus, in ſententia Adverſariorum. Ergo ſi inſtans reale, in quo homo peccat, æquivalet parti temporis imaginarij, etiam æquivalet parti temporis veri quò ad extenſionem: ac proinde peccatum vnico inſtanti commiſſum, neceſſario durat per infinita inſtantia realia. Igitur de primo ad vltimum, ſicut peccator ex ſuppoſitione quod peccet in inſtanti A. nequit in eo facere pœnitentiam, ſic etiā nequibit in infinitis inſtantibus ſubſequentibus reſipiſcere à peccato.

26 *REFICITVR* Denique: Quia extenſio inſtantium temporis per æquivalentiam ad qualcunque partes temporis diviſibiles, videtur apertè contraria Patribus *num. 7.* allegatis; qui expreſsè docent punctum temporis ſecari & dividi non poſſe; extremum temporis terminum, omnis expertem dimenſionis, eſſe punctum, & atomum. Si autem inſtantia temporis eſſent inflata, iā dividi poſſent in partes imaginarias temporis, quæ proculdubiò realibus æquales ſunt; & non haberent rationem extremi termini in ordine ad tēpora; extendique poſſent per illius moras, & immeritò vocarentur puncta, ſeu atomi, ſcilicet, diviſionis expertes. quod ex diametro contradicit teſtimonijs Patrum.

27 *PROBATVR II.* Aſſertum alio argumento Ariſtotelis, deſumpto ex inæqualitate motuum: quod vſque adeo torſit Adverſariorum ingenia, vt nullam non tentaverint viam ad eius inſuperabilē vim declinandam. Porro argumentum ſic inſtituitur. Si motus & tempus conſtat immediatè ſolis indiviſibilibus, nequit ſubſiſtere inæqualitas motus tardi relatè ad ve-

velocem, quanquam quotidie oculis cō-probata. Sequela probatur. Motus enim velox eſt ille, qui cùm multas habeat partes in ſe, nimiumque ſpatij percurrat, parùm inſumit temporis: motus vero tardus è cōtra, qui minimùm inſumit temporis, cùm tamen exiguas in ſe habeat, & parùm ſpatij tranſmittat. At poſito tempus & motum immediatè conſtare puris indiviſibilibus, hæc inæqualitas motuum impoſsibilis erit, quia qualiſcunque motus continuus, qualibet ſui parte indiviſibili inſumet vnicum inſtans reale temporis: nec enim plura poteſt, cùm vnum indiviſibile non ſit maius alio: nec etiam minùs, quàm vnum inſtans, quia infra durationem inſtantaneam nulla eſt poſsibilis. Ergo omnis motus continuus per æquale ſpatium æquale tempus inſumet, atque adeò nullus motus continuus poterit eſſe inæqualis, aut velocior alio.

28 *MIRVM* Eſt, quam egregia effata plerique Adverſariorum protulerunt, vt ab hoc argumento ſe expediant, & quot ſchemata, ſeu figuras mathematicas è cerebro produeant, committantque Typographis æreis laminis exprimēdas. Sed modo nolui ipſorum ſolutiones impugnare, ne diſputatio iuſto prolixior ſit. Quare plenam eius diſcurſus expenſionem in ſeq. 41. controverſiam remitto. Reſtat igitur, vt quemadmodum præcedentibus diſputationibus multipliciter ſancitum eſt continuum permanens coaleſcere partibus abſque fine dividuis, per indiviſibilia copulatis; ſic etiam continuum ſucceſsivum, & pariter componatur; niſi quòd in hoc, ex conditione propriæ naturæ omnino fluxæ ac diviſæ penes prius & poſterius, nulla pars alteri coexiſtat in ſe ipsà, ſed quælibet ſubſequatur vnam, & antecedat alteram. Si enim partes non eſſent abſque fine dividuæ, tandem per diviſionem, ſaltem mathematicam, vſque adeò ſecari poſſent, vt vltimò reſolverentur in pura indiviſibilia, atque invicem ſibi immediata. Quod abſurdum eſſe, ex præcedentibus patet.

SECTIO TERTIA.

Difficillimum argumentum opinionis adverſæ, multipliciter roboratum, obijcitur & diſſolvitur.

29 ARGVITVR I. Vt partes, quibus conſtat immediatè tempus & motus, eſſent diviſibiles, deberent vniri & continuari realiter inter ſe. Nihil enim poteſt dividi ab alio, niſi cum illo reipsà vnitum ſit. At partes temporis & motus non vniuntur nec continuātur realiter inter ſe. Ergo non ſunt diviſibiles: ac proinde continuum conſtat immediatè partibus indiviſibilibus. Conſequentia quo ad vtranque partem conſtat, & maior ſimiliter. Minor ſuadetur. Quia quæcūque realiter non ſunt ſimul, ſeu minimè ſibi coexiſtunt, non ſunt realiter vnita: nam vnio realis eſſentialiter importat, & vt minimùm, veram extremorum coexiſtentiā. At partes temporis, & motus non ſunt ſimul, neque ſibi coexiſtunt, quia recedente vnà advenit alia, & hac tranſeunte ſuccedit altera, ac ſic deinceps. Ergo partes, quibus immediatè conſtant tempus & motus, nō vniuntur realiter inter ſe. *RESP.* Negando minorem. Cùm enim tempus & motus abſdubio ſit quantitas continua, eius partes debent termino communi copulari, vt patet ex ipſius definitione, & tradunt SS. Patres *num.* 7. allegati, omniumque apertiſsimè Damaſcenus. Ad probationem minoris diſtinguenda eſt triplex vnio: prima perfectiſsima & ſubſtantialis, vt inter materiam & formam: quæ ita importat coexiſtentiā extremorum, vt ſimul realiter ſint eodem tempore, & eodem loco. Secunda minus ſtricta in partibus continui permanentis; quarum vnio exigit coexiſtentiam extremorum eodem tēpore; non tamē eodē loco. Tertia eſt latior adhuc in quātitate ſucceſsiva, quæ, ſive conſtet indiviſibilibus ſolis, vt contraria opinio docet, ſive partibus abſque fine dividuis, vt nos aſſerimus, importat vnionem extremorum, realem quidem, ſed ſolùm ſucceſsivam; atque adeò nullatenus exigentem, vt vtrumque extremum in ſe ipſo coexiſtat realiter (ſic enim eſſet quantitas permanens) ſed ſolùm vt vtrunque in temporibus immediatis ſit, & medio aliquo extremo vtrique communi continuetur. Quod ſanè habent partes dividuæ temporis, & motus, continuatæ medio indiviſibili, quod eſt terminus vnius, & initium alterius, & fluentes temporibus immediatis; id eſt, nullo tempore vtranque interiecto.

30 *INSTABIS*: Tempus & motus, licèt non exigant partes ſibi permanēter coexiſtentes, qualiter continuum permanens; exigunt tamen partes aliquando in rerum naturà exiſtentes. At temporis & motus nulla pars dividua exiſtit aliquando, ſed ſolùm individua, ſeu indiviſibile inſtans. Ergo tempus & motus non conſtat partibus dividuis, ſed indiviſibilibus. Maior patet: quia tempus eſt totum ſive continuum

rea-

realiter exiſtens. Minor probatur. Quoniam temporis & motus ſolum exiſtit illud, de quo verificari poteſt, *Nunc eſt*. At ſolùm de inſtanti indiviſibili verificari poteſt, *Nunc eſt*; non autem de partibus dividuis, quæ ſolum habent rationem præteritæ, aut futuræ; de quibus proinde numquam verificari poteſt, nunc exiſtere aut antea exſtitiſſe, vel poſtea exſtituras eſſe. Ergo temporis ac motus nulla pars dividua exiſtit aliquando, ſed ſolùm individua, ſeu indiviſibile inſtans.

31 CONFIRMATVR. Omnis pars dividua temporis ac motus debet habere prius ac poſterius; & de ratione poſterioris eſt, vt non coexiſtat priori. Ergo ſaltem medietas poſterior cuiuslibet partis dividuæ non exiſtit, dum exiſtit prior medietas. Rurſus, cùm hæc ipſa aſſeratur dividua in duplicem medietatem, alteram priorem, & poſteriorem alteram, & hæc nequeat priori coexiſtere; neceſſum eſt ne exiſtat quando prior exiſtit. Cumque & prior medietas, ſi dividua in infinitum eſt, conſtare debeat duplici medietate, ſeorſim pariter diviſibili; & nūquam poſterior exiſtat quando exiſtit prior vniuſcuiuſque medietas; tandem deprehenditur, nullam partem dividuam aliquando exiſtere. Ergo nec tēpus exiſtet vnquam realiter, ſi aſſeritur conſtare ſolum partibus abſque fine dividuis.

32 CONFIRM. II. Id, quod numquam eſt præſens, numquam exiſtit: quia exiſtere eſt eſſe præſentem in aliqua duratione. At ſolum indiviſibile eſt aliquando præſens; non vero pars aliqua dividua; quia hæc ſolum eſt præterita aut futura, cui prout futuræ aut præteritæ repugnat eſſe præſentem. Ergo ſolum indiviſibile aliquando exiſtit; non vero pars aliqua dividua. Sed continuum ſucceſsivum ſolum coaleſcit partibus, quæ aliquando exiſtunt. Ergo ſolum coaleſcit partibus indiviſibilibus, non autem dividuis.

33 RESP. Conceſſa maiore præcipuæ inſtantiæ, negando minorem. Ad probationem dico, temporis & motus illud tantùm exiſtere, de quo verificatur, *nunc eſt*, vel ratione ſui, vel ratione alterius; vel inſitè, & ſubiectivè; vel in alio & terminativè, aut initiativè. Licèt autem ſolum indiviſibile temporis ac motus ſit præſens ratione ſui, & ſubiectivè exiſtens, ita vt de eo ſolo verificari poſſit aliquando, *Nunc eſt in ſeipſo*; adhuc ipſæ partes dividuæ temporis ac motus ſunt præſentes ratione eiuſdem indiviſibilis; præteritæ quidem, terminativè; futura autem initiativè: ideoque eodem ſenſu de vnaquaque illarum verificari poteſt aliquādo, *Nunc eſt præſens*; non quidem ratione ſui, aut in ſeipſa, ſed tantùm ratione indiviſibilis prout inchoantis, aut terminantis. Neque aliud genus præſentiæ in partibus temporis & motus exigere iure poteſt, niſi qui voluerit vtrumque confundere cum continuo permanenti.

33 AD I. *Confirm.* Quemadmodū indiviſibile continui permanentis non ſolum afficit partes ſibi immediatas, & minores quacumque aſſignata, communicanteſque cū alijs; ſed etiā aliquotas & determinatæ magnitudinis æqualeſque, quas interiacet, licet inadæquatè ſolū afficiat vnāquamque: ita etiā indiviſibile continui ſucceſsivi, non ſolum afficit partes tēporis & motus ſibi immediatas, & minores ac minores quacūque aſsignata, communicanteſq; cū alijs, ſeu etiā aliquotas & magnitudinis determinatæ atque æquales, vt duplicē medietatē horæ; quamquam inadæquatè ſolum, & inchoando, aut terminando. Fateor, vnāquamque partium, eo ipſo quòd dividua & ſucceſsiva ſit, conſtare duplici medietate; altera priore, & poſteriore altera, quæ proinde nequeat coexiſtere priori; idēque eſſe de qualibet particula medietatis deſignata ac determinata. Cum hoc tamen cohæret, aliquam eſſe particulam indeterminatā & minorem ac minorem quacumque aſsignabili, quæ immediatè exiſtat ratione inſtantis, ab eoque inadæquatè afficiatur; & præſens reddatur. De quo plura hic adiicienda forent, ſi iam a ſimili tradita non fuiſſent *diſput.* proxime antecedenti *à num.* 34. niſi quod modo de parte rei ſucceſsivæ ſermo ſit, in qua minus ſtricta præſentia requiritur, & quæ ſolum ſit terminativè aut initiativè talis; non autem ſubiectivè.

34 AD II. *Confirm.* Eo tantum modo debet aliquid eſſe aliquando præſens, quo verificatur de illo eſſe exiſtens. Quantitas autem ſucceſsiva ſolùm exigit, vt exiſtēs ſit initiativè aut terminativè, ſeu in aliquo initio aut termino ſui, nō autē per ſeipſam, aut in ſe ipſa. Vnde & ſufficit eodem modo præſentē eſſe; nec requiritur vt ipſa præſens ſit, quia hoc eſt proprium inſtantis indiviſibilis, alienū vero a partibus tēporis, quæ ſolūm habēt eſſe præteritas & futuras. Tota doctrina huculque tradita non ſolum eſt expreſſa Ariſtotelis ac D. Thomæ hoc *lib. 6. Phyſic.* ſed etiam S. Auguſtini *lib. 11. Confeſſ. cap. 15.* illis verbis: *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas, vel minutiſsimas, partes, dividi poſsit; id ſolū eſt, quod præſens dicatur.* Quod tamen ita raptim à futuro

in præteritum tranſvolat, vt nulla mora extendatur. Nam ſi extenditur, dividitur in præteritum & futurum. Præſens autem nullum habet ſpatium.

35 *VRGEBIS.* Si pars, quæ dicitur præterita aut futura, exiſtit & præſens eſt ratione inſtantis; aut eſt ratione inſtantis ſibi mediati, aut immediati. Primum eſſe non poteſt: quia nullum inſtans poteſt denominare aut reddere præſentem partem, quæ ſibi immediatè vicina non eſt. Sed neque ſecundum: quia nulla pars revera immediata eſt alicui inſtanti. Ergo nulla eſt, quæ ratione inſtantis eiuſdē reddatur exiſtens aut præſens. Probatur antecedens. Nulla eſt pars aſsignabilis reſpectu inſtantis A. v. g. quæ non conſtet duplici medietate, altera priore, altera poſteriore, & impotēte coexiſtere priori. Rurſus nulla eſt medietas, aut particula medietatis, quæ non conſtet ſimiliter duabus medietatibus ſibi incompoſsibilibus. Ergo nulla tandē eſt pars, quæ reſpectu inſtantis A. ſit immediata.

36 *RESP.* Partem, quæ dicitur præterita aut futura, exiſtere & præſentem eſſe ratione inſtantis ſibi immediati, quod immediatè tangit, & præſentem reddit, quamquam inadæquatè ſolum, partem ſibi immediatam, ſive illa ſit minor & minor quacumque aſsignabili, ſive etiam aliquota & determinata, vt nuper diximus & explicuimus à pari indiviſibilium continui permanentis. Ad probationem antecedentis, concedo nullam partem eſſe aſsignabilem immediatè poſt inſtans, quæ non conſtet duabus medietatibus incompoſsibilibus: cæterum in illa medietate viciniori ſemper eſt aliqua particula minor & minor quacumque aſsignabili, quæ penes aliquid ſui immediatè & inadæquatè ſolum afficiatur & reddatur exiſtens ab ipſo initiativè. Si autem inde colligas particulam illā vt condiſtinctam ab inſtanti eſſe nihil, quia vt condiſtincta ab illo non habet aliquam entitatem ſubiectivè in rerum natura exiſtentem; hæc illatio ſolum ſpectat ad aliam quæſtionem, qua diſquiritur an tempus ſit ens reale. De quo vide quæ præmiſimus *diſp. 32.*

37 *INSTABIS* Denique. Indiviſibile temporis & motus non continuatur ſpeculativè, aut ſolū in abſtracto, cum particula ſibi immediata; ſed phyſicè, atq; hic & nunc: quia phyſicè atque in exercitu conſtituit cum illa vnum per ſe, ipſamque inchoat, aut terminat. Ergo aliquam particulam determinatam, certam, & ſaltē à Deo aſsignabilem, afficit inchoando, aut terminando. Aut ergo illa in rè, & coram Deo, eſt indiviſibilis, aut ſemper dividua. Si primum; iam vnum indiviſibile temporis ac motus ſequitur in re, & coram Deo, immediatè poſt aliud. Si aſſeratur ſecundum; illa particula conſtabit neceſſario duplici medietate incompoſsibili; altera priore, & poſteriore altera; idemque argumentum fiet de priori medietate, & alia, & alia, donec tam in re, quàm relatè ad divinum intellectum, fiat proceſſus in infinitum. Ergo ne hic ſequatur, dicendum eſt, particulam temporis & motus immediatam cuicumque inſtanti determinato, non eſſe abſque fine dividuam, ſed prorſus indiviſibilem. Et augetur difficultas per locum à contrario. Dato enim, ad inſtās determinatum A. temporis & motus ſequi immediatè particulam indeterminatam, ac minorē & minorem quacumque aſsignabili, illa certè ſi dividua eſt, includere debet eſſentialiter prius & poſterius. At repugnat immediatè poſt inſtās ſequi ſimul prius & poſterius, vtpote extrema incōpoſsibilia. Ergo repugnat immediatè poſt inſtans determinatum A. particulam indeterminatam, ac minorem & minorem quacumque aſsignabili.

38 *HÆC obiectio* attingit ſummum difficultatis apicem nodo propemodum inextricabili. Cæterum conſequenter addicta *diſput. præcedenti à num. 37.* dicendum, indiviſibile temporis & motus afficere quidem immediatè partem aliquam certam, & determinatam, tam in re, quàm coram Deo; non tamen adæquatè, ſed inadæquatè ſolùm, & penes particulam minorem & minorem quacumque aſsignabili ab ipſo Deo; quia revera ibi nulla eſt particula adeò exigua, quæ non contineat plures ac plures medietates minores & minores in infinitum, & mutuò incompoſsibiles: aut quæ tota ſimul ſit inter indiviſibile A. & reliquas omnes temporis partes. Sic licèt Deus cognoſcat totam poſsibilium collectionem, nulla creatura aſsignari ab ipſo poteſt, nec verè in ea collectione poſsibilis eſt, quæ ſecundùm perfectionem ſuam, prout diſtinctam à perfectione omnium aliarum creaturarū, ſequatur immediatè poſt Deum; & interponatur quaſi medium aliquod inter Deum ipſum & omnem aliam perfectionē creabilem. Quippe eiuſmodi creatura in individuo repugnat, neceſſumque eſt aſsignata qualibet in individuo, aut ſpecie, adhuc reſtare aliā & aliam perfectiorē & immediatiorē Deo vſq; in infinitū, intra eam collectionē. Sic proportionaliter diſcurrendū de

tota collectione particularum temporis & motus, clauſa in qualibet ipſorum parte determinata. Nulla enim particula eſt, aut aſsignari poteſt à Deo, taliter immediata inſtanti determinato A. vt illa ſeorſim ab omni particula diviſibili interponatur tanquam aliquid medium, & ſeorſim exiſtens, inter ipſum inſtans, & cœteras omnes particulas diviſibiles. Fateor inde ſequi proceſſum in infinitum ſecundum diviſionem, etiam in ordine ad divinum intellectum; ſed citra abſurdum aliquod, vt ab omnibus conceditur in infinito verſus additionem. Solùm itaque abſurdus eſt proceſſus in infinitum in cauſis per ſe ſubordinatis, vt cõſtabit infra *lib.7 diſp.40.*

39 *AD* Vlteriorem inſtantiam cõſtat ex dictis particulam illam indeterminatam partis certæ temporis ac motus, immediatè ſequentem poſt inſtans A. non affici ab illo adæquatè, ſed inadæquatè ſolũ: ac proinde non continuari ab eo quatenus includit duplicẽ medietatem incompoſsibilem, ſed ſolum affici penes extremitatẽ, pro priori aliquo ad omnem compoſitionẽ ex duplici medietate. Vide quæ diximus *diſp.33.n.55.& diſp.præced.à n.37.* iam allegata. Aut, ſi placet, aſsigna meliorem ſolutionem, quam libentiſsimè amplectar.

SECTIO QVARTA.

Cætera argumenta, obijciuntur atque enodantur. Vbi de inceptione temporis ac motus.

40 A*RGVITVR II.* Initium temporis & motus fuit inſtans formaliter indiviſibile. Ergo ſimiliter totum tempus & integer motus conſtat ſolis indiviſibilibus. Conſequẽtia evidens Stephano Spinulæ viſa eſt. Antecedẽs probat: Quia initium temporis & motus nequit eſſe pars diviſibilis; cum hæc vt minimũ conſtet duplici medietate invicẽ incompoſsibili, idemque ſit de qualibet particula medietatis, ſi abſque fine dividua aſſeratur. Ergo initium temporis & motus nõ fuit pars aliqua dividua, ſed ſolum aliquod indiviſibile. *Confirmatur.* Si enim tempus non cœpit ab aliquo indiviſibili, ſed à parte dividua in infinitum, cuius particula prior non poſsit aſsignari, quin alia prior & alia aſsignetur, ac ſit; ſequitur planè tempus fuiſſe ab æterno. Ideò namque Philoſophus 8. *Phyſic.t.10.& lib.1. de Cœlo textu* 99. cenſuit tempus & motum cœlorum fuiſſe ab æterno, quia ante quamlibet partem dividuam temporis & motus circularis cœlorũ debuit eſſe aliquod indiviſibile, & ante quodlibet indiviſibile alia pars prior, & nõ ita prior, vt non præſupponat aliud indiviſibile, aliamque partem. Hoc autem pariter ſequitur, ſi aſſeratur tempus non incepiſſe ab indiviſibili inſtanti, ſed à parte in infinitũ dividua, cuius prior particula aſsignari non poſsit, neque ita immediata inſtãti, vt ante illam non ſit alia prior & prior immediatioribus inſtantibus in infinitum continuata. Ergo pariter ſequitur ex noſtrà doctrina tempus fuiſſe ab æterno.

41 *RESPONDEO*, iuxta dicẽda poſtea, tempus & motũ non incipere intrinſecè, ſed extrinſecè: quod exponi ſolet ijs vocibus: *Nunc non eſt, & immediatè poſt erit.* Quare concedo initium extrinſecum temporis non fuiſſe partem diviſibilem; ſed indiviſibile inſtans, in quo Deus cœlum ac terram creavit, vt immediatè poſt ſequeretur motus cœlorum & tempus. Quod elegantiſsimè & congruenter ad noſtram doctinã exponit Baſilius Magnus *Homil.1.* in Hexaëm. ad illa verba: *In principio creavit Deus, &c.* ita loquens: *Creatio rerum momento perfecta eſt, citràque omnem temporis abſoluta morulam: quandoquidem impartibile quiddam eſt principium, nec vlla intervallari dimenſione à ſe toto diſpeſcitur. Quemadmodum enim principium viæ via nondum eſt; domus quoque principium, neutiquam cenſetur domus: itidem & principium temporis adeò tempus non eſt, vt ne eius quidem ſit minima portio.* Expendo ſic. Principium temporis non fuit tempus, nec temporis minima portio, vt aſſerit Baſilius poſterioribus verbis; ſed aliquod inſtans impartibile, vt dixerat in prioribus, & Adverſarij aſſumunt in argumento. Ergo inſtans indiviſibile, non eſt tempus, nec temporis minima portio. Ergo tempus non conſtat ſolis indiviſibilibus. Patet conſequentia: Quia ſi tempus conſtaret ſolis indiviſibilibus, illud inſtãs indiviſibile, à quo incæpit tempus, aut eſſet tempus, aut ſaltem minima portio temporis. quod diſertè Baſilius negat & poſt verba iam relata cẽſer riſu dignum.

42 Quare, conceſſo antecedenti de initio extrinſeco temporis, & negato ſuppoſito, ſi de intrinſeco initio loquatur, nego conſequentiam: quæ nullo iure infertur ex antecedente: ſiquidem nulla res intrinſecè conſtat eo, quod relatè ad ipſam ſolùm habet rationem principij, ſeu initij extrinſeci. At primum indiviſibile relatè ad motum & tempus ſolùm habet ratio-

 nem

nem initij extrinſeci. Ergo tempus & motus non conſtant intrinſecè primo illo indiviſibili initiativo. Sed neque terminativo extrinſeco, in quo verificatur *Nunc non eſt tempus, ſed immediatè ante fuit.* Quare ſupereſt vt tempus & motus ſolum conſtent intrinſecè partibus dividuis ſucceſsivisque, quatenus per indiviſibilia inſtantia aut mutata eſſe continuantis. *A D Confirmat.* patet ex dictis, primum tempus reale incepiſſe ſolum extrinſecè ab inſtanti creationis, ante quod non fuit aliud tempus, neque aliud reale inſtans initiativum, aut terminativum. Vnde non ſequitur tempus (idemque eſt de motu circulari cœlorum) fuiſſe ab æterno, vt opinatus eſt Ariſtoteles: quia licèt tempus conſtet partibus abſque fine dividuis, & careat termino intrinſeco penes compoſitionem ac diviſionem; habet tamen terminum extrinſecum penes ſui inceptionem, ſicut & penes deſitionem. quod opponitur durationi æternæ. Id exemplum habet, ſuppoſita Ariſtotelis ipſius doctrina, in motu continuo lapidis ex alto ruentis in centrum, carente quidem intrinſeco termino penes compoſitionem & diviſionem; habente tamen terminum extrinſecum penes inceptionem & deſitionem; quia ſolum durabit limitato ac brevi temporis ſpatio, vt ad ſenſum patet.

43. *INSTABIS.* Vt entitas ſucceſsiva temporis aliquando inceperit immediatè poſt inſtans creationis mundi, quanquam extrinſecè, debuit eſſe aliqua prima pars eius temporis, quâ mediante eſſet tranſitus ad ſecundam, tertiam, &c. quia aliàs eſſet tranſitus immediatè à primo inſtanti creationis ad partes temporis mediatas, impertranſito, aut non ſuccedente medio: quod impoſsibile eſt. At ſi tempus conſtat partibus abſque fine dividuis non fuit aliqua prima pars eius temporis immediatè poſt primum inſtans creationis mundi; ſed quæcumque aſsignetur, præſupponit aliam & aliam priorem. Ergo ſi tempus conſtat partibus abſque fine dividuis, entitas ſucceſsiva temporis non incepit aliquando. Eademque difficultas vrgeri poteſt, ne aliquando tempus, vel hora finiatur: quia numquam poterit deveniri ad vltimam temporis aut horæ partem, neque verè in ea erit pars vltima, ſi vltra quamlibet particulam reſtat alia & alia tranſitura. *Vrgetur ampliùs.* Nulla pars horæ eſt prima, aut vltima, ſi omnes ſunt abſque fine dividuæ. Signata enim qualibet, ſemper reſtat alia minor & minor, ſaltem communicans, & in ea clauſa, tam verſus initium, quam verſus finem. Ergo nullius horæ erit initium, aut finis, penes entitatem ſucceſsivam, ſi hæc eſt abſque fine dividua.

44. *HÆC* Difficultas adeo antiqua eſt, vt æquivalentibus ferè verbis propoſita legatur a Zenone Eleate apud Ariſt. *hoc lib. 6. cap. 9.* negante motũ ſucceſsivum, quia ſi ille eſſet, numquam inciperet, aut finiretur, propter infinitatem partium. Deinde reſpondeo, vt entitas ſucceſsiva temporis aliquando cœperit immediatè poſt inſtans creationis, ſufficere quod poſt illud immediatè inceperit pars temporis non præſupponens aliam adæquatè diſtinctam, quamquam includens alias & alias minores & minores intra ſe. Pone etenim primam horam conſtare ſexaginta minutis. Poſt inſtans creationis mundi immediatè ſucceſſit primum minutum, ſeu pars prima determinata eius horæ, non præſupponens aliam, ſed ſolùm includens particulas minores ac minores, cõmunicanteſque, quarum nulla aſsignari poſsit omniũ communicantium prima. Sicuti poſt Deum cõparatum toti poſsibiliũ collectioni, quo ad perfectionem, immediatè ſuccedit ſeries creaturarũ ſpiritualiũ; quarũ tamen ſeorſim cõſideratarũ nulla aſsignari poteſt omnibus alijs proximior & vicinior Deo, ſeu omniũ in ea ſerie clauſarũ prima. Idẽ verò proportione ſeruata dicendũ eſt de parte vltima: & vtrũque ſufficit vt prima temporis hora incipiat extrinſecè, eodẽque modo finiatur. Hinc patet ad vlteriorẽ inſtantiam, in qualibet hora eſſe partẽ primam, & vltimã; deſignatã tamen & certã, pluresque ac plures minores & minores intra ſe continentem: quæ prima & vltima ſolùm negativè appellatur & eſt, quâtenus neque ante vnã, neque poſt aliam, collectim ſumptas, præcedit aut ſubſequitur pars alia determinata intra eandem horam. Scilicet, ante primũ, & poſt vltimum vnius horę minutum, nullum aliud eiuſdem horæ minutum eſt; quãquam vnumquodque minutum claudat in ſe plures & plures partes temporis minores & minores abſque fine.

45 *ARGVITVR III.* ab abſurdis quæ videntur colligi apertè ex noſtrâ ſententia. *Primum eſt*: In tempore & motu, imò & in qualibet particula vtriuſque eſſe infinitas partes ſimpliciter ſecundùm numerum, & ſimiliter infinita inſtantia continuativa earumdem partium. quod eſt concedere infinitam multitudinem ſimpliciter, reiectam vt impoſsibilem & abſurdam libro tertio huius Operis *diſp.* 22.

Secundum, & cohærens præcedenti: Actum charitatis continuatum per integram horam, duraturum per infinitas partes & inſtantia temporis; ac proinde meriturum in homine iuſto infinitum augmentum intēſivum gratiæ & gloriæ. Quemadmodum enim vnico inſtanti, & quavis particula temporis, meretur vnum gratiæ & gloriæ gradum, ſic & in infinitis integræ horæ promerebitur gradus infinitos. *Tertium*: Poſſe in quolibet inſtanti vnius horæ produci vnum Angelum, conſervarique perpetuo. Ergo cùm inſtantia vnius horæ aſſerantur infinita, ſicut & partes, tandem in fine horæ Angeli creati & conſervati erunt ſecundùm numerum infiniti. Hæc autem omnia quam abſurda ſint, ſatis per ſe patet.

46 *RESP*. Negando quidquam abſurdi inferri ex eo quod partes temporis ſint abſque fine dividuæ. *AD Primum*, iam conſtat ex dictis *diſput*. 35. per totam, quo ſenſu partes continui cenſeri debeant, aut non debeant infinitæ, citra abſurdum aliquod. Id autem minus vrget in continuo ſucceſsivo, quàm in permanenti; quia huius partes ſibi coëxiſtunt, illius vero ſuccedunt; & nunquam ſunt ſimul. Vnde remotiores ſunt ab infinito in actu ſecundùm numerum, quod exigit infinitas vnitates ſibi coëxiſtentes. *AD Secundum*. Actus charitatis continuatus per integram horam, eiuſdem, & non maioris meriti eſſet, ac tota collectio actuum diverſorum, quos homo abſolutè intra horam integram efficere poteſt, ſive amoris, ſive continuationis liberæ in eodem amore. Actus vero, tum amoris diſtincti, tum & continuationis liberæ in eodem amore, quos homo abſolutè efficere poteſt intra horam, finiti numero ſunt, & vnuſquiſque illorum vendicat ſibi determinatum inſtans, imò & determinatam temporis moruIam, in qua intellectus ſeriò proponat bonitatem divinam ſummè æſtimabilem, & voluntas illam amore proſequatur. Cùm ergo inſtantia determinata, & certæ temporis moræ, in qualibet hora finitum numerum non excedant, vt eo loco dictū eſt; etiam actus amoris, aut ſaltem eiuſdem actus continuationes liberæ erunt finitæ; ac proinde & gradus gloriæ ſub merito cadentes non attingent numerum infinitum. Quod ſi inſtes, hac eadem ſolutione poſſe ſuam opinionē defendere ponentes inſtantia temporis inflata, & occurrere impugnationibus noſtris ſuprà propoſitis à *num*. 14. Reſpondeo negando aſſumptum: Quoniam ij Authores averſantur omnino compoſitionem continui cuiuslibet ex partibus abſque fine dividuis, & diviſibilitatem partium determinatarū in minores ac minores abſque termino. Vnde nequeunt hac ſolutione vti, ſed tenentur dicere peccantem in quolibet inſtanti, aut merentem, eo ipſo non poſſe deſiſtere à peccato ac merito in partibus determinatis inſtantibuſque ſequentis temporis, quibus neceſſe eſt æquivalere inſtās inflatum, ſi iidem conſequenter loquantur. *AD Tertium*. Nequit in quolibet inſtanti indeterminato vnius horæ creari Angelus, ſed ſolùm in inſtanti determinato: ſicut regrediendo ad æternitatem à parte antè licèt potuerit Deus creare Angelum, mundumque in quovis determinato inſtanti, non tamen in quolibet indeterminato: vt dicemus infra *lib*. 8. Cùm vero inſtantia determinata cuiuslibet horæ ſint numero finita, pariter Angeli creati in ſingulis ipſorum, comprehenderentur ſub numero finito.

47 *ARGVITVR* Vltimò. Motus continuus in quantùm continuus nequit componi niſi ex vbicationibus inſtantaneis, ac proinde durantibus vnico inſtanti indiviſibili. Ergò ſaltem motus continuus conſtat puris indiviſibilibus. Conſequentia patet. Antecedens probatur. Nequeunt enim vbicationes, quibus componitur motus continuus, vt continuus, durare pluſquam per inſtans, ſeu, quod perinde eſt, durare tempore diviſibili includente prius & poſterius. Si enim durarent tempore diviſibili includente prius & poſterius; iam motus eſſet continuus, vt ſupponimus, & aliunde non eſſet continuus, ſed interruptus. Motus namque interrumpitur, quoties mobile quieſcit. Si autem vbicationes durarent tempore diviſibili penes prius & poſterius, mobile ſolùm moveretur in parte priori, cui reſponderet vbicatio, ac proinde in poſteriori non moveretur, ſed quieſceret ſub eadem vbicatione in quâ immediatè ante erat. Ergo interrūperetur motus, atque adeo non eſſet continuus, contrà ſuppoſitionem factam.

48 *HOC* Argumentum contra nos proponit P. Stephanus Spinula *diſput*. 14. vbi nullum reputat inconveniens motum lapidis ex alto ruentis non eſſe phyſicè continuum, & morulis diſſecari. Quòd tamen mirabile eſt, & abſurdis plenum, vt conſtabit *diſput*. 41. à *n*. 7. nec ſcio quâ conſequentia doctrinæ tradatur, vbi defectus continuationis, ſeu interruptio in motu cōtinuo, nunc ab eodem velut abſurda reiicitur.

tur. Ad rem ergo, nego antecedens, & illius probationem: quia licet vbicationes motus continui correſpondentes ſpatio indiviſibili temporis & loci ſint Inſtantaneæ; vbicationes reſpondentes partibus temporis & loci ſunt ſucceſsivæ, includenteſque prius & poſterius ſicut ipſum tempus. Neque inde colligitur motum interrumpi, aut quieſcere mobile in parte poſteriori, poſtquam movetur in priori. In neutra enim illarum quieſcit, ſed continuo motu progreditur ex vbicatione inſtantanea in ſpatio indiviſibili loci ad ſucceſsivam in ſpatio diviſibili, & ex hac ad indiviſibile ſpatij, & ex hoc ad partem diviſibilem loci; & quidem ita, vt vbicatio inſtantanea, ſolùm ſit initium vnius partis motus, & terminus alterius, qualiter ſuprà de inſtantibus in ordine ad partes temporis dictum eſt.

DISP. TRIGESIMA OCTAVA
DE INITIO ET TERMINO RERVM.

Num. 1. *DVPLICITER Conſiderari poteſt initium & terminus rei naturalis. Primò ex parte temporis, quo incipit, aut deſinit eſſe. Secundò ex parte magnitudinis aut parvitatis, à qua incipere, & ad quam pervenire poteſt. Vtrumque complectemur diſputatione hac, quàvis breviter ſingula percurrendo, & abſque privatis conſiderationibus redigendo in compendium, quæ ab alijs in præſenti fuſiùs tradita ſunt, ferè abſque vllo Authorum diſſidio, vt propterea opus non ſit illos ſpeciatim allegare, præter aliquos, qui rem hanc pleniùs elucidarunt, vt Conimbricenſes* in 1. Phyſic. cap. 4. & ex Thomiſtis *Complutenſes* diſp. 24. & 25 *Ioannem à S. Thoma* q. 8. *per totam*, & q. 21. *in hunc librum ſextum. Habet verò locum apud Ariſtotelem* hoc lib. 6. cap. 5. & 6. *quò ad inceptionem & deſitionem rerum, quam metiri ſolent Philoſophi, tum penes inſtantia indiviſibilia, tum penes partes temporis primi mobilis, quoniam omnium temporum regulariſsimum eſt. Res autem omnes poſſunt incipere aut deſinere in inſtanti, aut intrinſecè, id eſt, coëxiſtendo ipſi; aut extrinſecè, ſcilicet, non coëxiſtendo. Quod vt clariùs exponerent, quatuor terminos inſtituerunt, quibus omnis modus incipiendi ac deſinendi rerum comprehenderetur. Omnis enim res, aut incipit per* primum ſui eſſe, *aut è contrà per* vltimum ſui non eſſe. *Incipit quidem per* primum ſui eſſe, *quando de ea verificatur:* Nunc primùm eſt res, & immediatè antea non erat. *Quare dicitur incipere intrinſecè in inſtanti, quia in illo accipit exiſtentiam, ipſique cum ſuo prima eſſe coëxiſtit. Tunc verò res incipit* per vltimum nõ eſſe, *quando de ea verè dicitur:* Nunc non eſt res, & immediatè poſt erit. *Ideoque & incipere extrinſecè dicitur in eo inſtanti, quia non coëxiſtit ipſi, neque accipit exiſtentiam intra illud, ſed in tempore ſequenti immediatè.*

2 *PORRO Idem proportionaliter dicendum eſt circa deſitionem rei. Aut enim deſinit* per primum ſui non eſſe, *aut è contrà* per vltimum ſui eſſe. *Id dicitur priori modo deſinere, de quo verè dicitur:* Nunc primùm non eſt res & immediatè antea fuit. *Ideoque & dicitur deſinere in inſtanti intrinſecè, quia deſitio, ſeu* non eſſe *ipſius, coëxiſtit eidem inſtanti, in coque incipit. Poſteriori autem modo deſinit, illud, de quo affirmatur verè:* Nunc eſt res, & immediatè poſt non erit. *Propterea que & dicitur deſinere extrinſecè in inſtanti; quia deſitio, ſeu* non eſſe *ipſius, non coëxiſtit eidem inſtanti, neque tunc actu eſt, ſed erit immediatè poſtea. Sed certè quamquam hic loquendi modus ab antiquis traditus ſit, difficilis captu eſt, & hallucinationem ingerit ijs, qui præ manibus non habent controverſiam præſentem, quales ſunt ferè omnes. Ideo breviùs & clariùs dici poteſt, aliqua incipere ac deſinere* in inſtanti; *illa ſcilicet, quorum inceptio aut deſitio intrinſecè coëxiſtit eidem inſtanti: alia verò incipere ac deſinere in tempore; videlicet, ea quorum inceptio ac deſitio intrinſecè tempori coëxiſtit.*

SECTIO PRIMA.

Quomodo incipiant & deſinant indiviſibilia; item & res ſucceſſivæ, & quæcunque fiunt per motum.

3 IN Hac re certũ videtur, indiviſibilia motus & tẽporis incipere *per primum ſui eſſe*; deſinere autẽ per *vltimum ſui eſſe*: Quia cum ea omnia ſolùm durent per inſtans, verè de quolibet ipſorũ dicitur in eo inſtanti: *Nunc eſt hoc indiviſibile, & immediatè antè non erat*: & ſimiliter: *Nunc eſt hoc indiviſibile, & immediatè poſt non erit*. Hoc autem eſt incipere *per primum ſui eſſe*, & deſinere *per vltimũ eſſe*; ſive, quod perinde eſt, prædictum inſtans eſſe intrinſecum & coexiſtens inceptioni indiviſibilium; extrinſecum autem, & minimè coexiſtens ipſorum deſitioni. Ergo indiviſibilia motus ac temporis incipiunt *per primum ſui eſſe*; deſinunt autem *per vltimum ſui eſſe*.

4 *SIT I. Aſſertio*. Res ſucceſſivæ; vt motus & tempus, quò ad entitatẽ partium ſuarum incipiunt *per vltimum non eſſe*, & deſinunt *per primum non eſſe*. Quam doctrinam tradit Ariſt. *vbi ſuprà*, ac D. Thomas, & cæteri Philoſophi communiter. Ratio prioris partis eſt: quia repugnat omninò ens ſucceſſivum habere totum ſuum eſſe ſimul; vtpote eſſentialitèr conſtans parte priori & poſteriori. Ergo nequit habere ſuũ eſſe eſſentiale ac primum in inſtanti, ſive, quod perinde eſt, accipere ſuum eſſe in inſtanti intrinſeco, cui coexiſtat. Reſtat igitur, vt ſiquidem propterea non incipit *per primum ſui eſſe*, incipiat per *vltimum non eſſe*, qui eſt alter modus incipiendi. Quò ad poſteriorem vero partem ſuadetur: Quoniam ſi res ſucceſſiva non deſineret *per primum non eſſe*, ſed potiùs *per vltimum eſſe*, ſive in tempore, diceretur verè de illa: *Nunc eſt res ſucceſſiva, & immediatè pòſt non erit*: proindeque iam in eo *nunc*, ſive inſtanti, haberet ſuum eſſe præſens. quod repugnat enti ſucceſſivo: vt conſtat ex dictis *diſp. 31. ſect. 4. & 5.* Ergo vt verè habeat rationem entis ſucceſſivi, debet deſinere *per primum nõ eſſe*, & inſtanti intrinſeco, ſive coexiſtente ipſius deſitioni, ita vt verè dicatur: *Nunc non eſt res ſucceſſiva, & immediatè antea erat*.

5 *OBIICIES* contra priorem partem argumentum vulgare. Si mulier gravida moveatur, & in medio motus animetur fœtus, hic incipiet eſſe in inſtanti intrinſeco, iuxta dicenda inferiùs *ſect. 2.* At fœtus in eodem inſtanti quo accipit eſſe, incipit moveri ad motum matris. Ergo & motus eiuſdem fœtus incipit in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*; non autem in tempore, ſive per vltimum non eſſe. *RESP.* negando minorem: quia in eo inſtanti intrinſeco, quo incipit fœtus, non eſt motus in ſe ipſo, ſive quò ad aliquid entitatis ſuæ ſucceſſivæ; ſed tantùm quò ad *mutatum eſſe*, ſeu indiviſibile ſuum, correſpondens indiviſibili temporis, in quo incipit fœtus. Itaque in eo inſtanti, in quo de fœtu dicitur, *Nunc eſt fœtus, & antea nõ erat*; de motu eius ſolùm affirmari valet, *Nunc non eſt motus, & immediatè poſt erit*. Diſparitas autem fœtus à motu in incipiendo conſiſtit in diſcrimine naturæ vtriùſque. Fœtus enim eſt aliquid permanens, ideoque incipere poteſt in inſtanti intrinſeco, & in eo totus exiſtere: contrà verò motus, quoniam ſucceſſivus eſt.

6 *CONTRA* Poſteriorem partem oppones, quòd pars prior entis ſucceſſivi ceſſat antequã deſinat pars poſterior, eidem ſuccedens. Ergo ſi prior deſinit intrinſecè in inſtanti, ſive *per primum non eſſe*; poſterior deſinere debet in tempore intrinſecè, atque adeò *per vltimum eſſe*. Alioqui enim vtraque pars, poſterior & prior, deſineret ſimul: quod eſt impoſsibile. *Confirm. I.* Propterea dicimus repugnare inceptionẽ motus quò ad ſuas partes in inſtanti intrinſeco, quia illæ nequeunt eſſe ſimul. At eadẽ repugnantia eſt vt deſinant ſimul. Ergo nec motus deſinere poteſt intrinſecè in inſtanti quò ad ſuas partes. *Confirm. II.* Motus, & tẽpus, exiſtit ratione ſui indiviſibilis, vt eadẽ *diſp. 31. ſect. 4.* dictum eſt. Ergo cùm in vltimo inſtanti exiſtat vltimum indiviſibile terminativũ motus, etiã tunc exiſtit motus ac proinde in eo inſtanti non deſinit. Eademque omnino ratio videtur eſſe in tempore.

7 *RESP.* Negando conſequentiam, & abſurdum illatum. Licèt enim pars prior entis ſucceſſivi priùs deſinat eſſe, quã pars poſterior, vtraque tamen deſinit in inſtanti, non quidem in eodem, ſed in diverſo. Cùm enim poſt quamlibet partem ſequatur immediatè inſtans, pars prior deſinit eſſe in priori inſtanti ſequuto ad illam immediatè, pars autem poſterior in inſtanti poſteriore & ſic de reliquis donec integrè finiatur tempus, vel motus. Vnde nunquam infertur, vtramque partem deſinere ſimul. *AD I. Confirm.* conceſſa maiore & minore, diſtinguo conſequens: Non poteſt motus deſinere in eodem inſtanti quò ad ſuas par-

tes; concedo: in diverſis inſtantibus; nego, vt nuper dictum eſt. Quod ſi vrgeas & inferas pariter motum poſſe incipere quò ad ſuas partes inſtantibus diverſis, licèt non in eodem; nego ſequelam, & reddo disparitatem: quia eſſe motus eſt diviſibile per prius & poſterius; ideòque nequit produci in inſtanti. At vero deſitio, ſeu *non eſſe* motus, cū ſit quædam negatio, conſiſtit in indiviſibili, ideoque poni poteſt in inſtanti. Sic etiā linea, ſuperficies & corpus, ſunt quid extēſum & diviſibile; & tamen *non eſſe* ipſorum inextenſum atque indiviſibile eſt. *AD II. Confirm.* conceſſo antecedente, nego conſequentiam: quia cùm motus ſit quoddam ſucceſſivum continuum, ſolùm exiſtit ratione illorum indiviſibilium, quæ ſunt continuativa vnius partis cum alia; non verò ratione illius indiviſibilis, quo vltimò terminatur. Quin potiùs eo accedente deſinit eſſe, & verè de illo dicitur. *Nunc non eſt motus, & immediatè antè fuit.*

8 *SIT II. Aſſertio.* Res illæ, quæ fiunt per motum, vt quantitas, qualitas, & *vbi*, poſſunt dupliciter conſiderari. Primò abſolutè & penes gradum indeterminatū, atque in ordine ad ſubiectum ſecūdùm partem ipſius indeterminatam; qua ratione dicuntur eſſe *in fieri.* Secundo inſpici poſſunt ſecundùm partem, gradumve certum, & determinatum, atque in ordine ad ſubiectum penes partem ipſius determinatā; quà ratione ſunt *in facto eſſe.* Priori ſenſu dicendum eſt, res prædictas incipere *per vltimum non eſſe*, & deſinere *per primum nō eſſe*, perinde ac motum ipſum quo fiunt. Poſteriori autem ſenſu incipiunt *per primum ſui eſſe*, sive in inſtanti, & deſinunt *per vltimum eſſe.*

9 *PRIOR* Pars probatur: Quia qualitas v.g. abſolutè accepta priùs producitùr ſecundùm remiſſum gradum, quàm intenſum, & priùs introducitur in minore ſubiecti parte, quam in maiore, ob reſiſtentiam contrarij, quod non ſubitò, ſed paulatim ſolùm expelli poteſt. Ergo qualitas abſolutè ſumpta, & prout in ſuo *fieri* incipit ſucceſſivè, ſeu inſtar rerum ſucceſſivarum habentium priùs & poſterius; atque adeò *per vltimum ſui non eſſe.* Cumque eadem ratio ſit de deſitione, vt conſideranti apparebit, conſequens eſt, vt etiam more ſucceſſivorum deſinat *per primum non eſſe.* *CONFIRMATVR.* Eo ipſo quod omnes res prædictæ fiant & deſtruantur per motum, debent ipſi commenſurari in modo incipiendi, qui eſt *per vltimum non eſſe*; & deſinendi, qui eſt *per primum non eſſe*, vt num. 4. probatum eſt.

10 *DICES.* Inductio frigiditatis v.g. in ligno eſt ſimul expulsio caloris præexiſtentis ab illo. Ergo in eadem omnino duratione quà incipit frigiditas, deſinit calor. Cùm igitur aſſeramus frigiditatem abſolutè ſumptam incipere in tempore, ſive *per vltimum ſui non eſſe*, conſequens videtur vt & calor abſolutè conſideratus deſinat pariter in tempore, ſive *per vltimum eſſe.* Idemque dicendum erit de deſitione aliarum qualitatum, ob eandem rationem.

11 *RESP.* Frigiditatem poſſe ac ſolere introduci, vel in ſummo gradu, vt ǒcto v.g. vel ſolùm abſolutè, ſive per partes immediatas & proportionales, atque infra ſummum. Priori ſenſu frigiditas introducitur in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*, ſicut & forma ſubſtantialis aquæ, ad quam vltimò diſponit in eo gradu: atque adeo calor ipſi oppoſitus, qui tunc totaliter deſtruitur, etiam deſinit eſſe in eodem inſtanti, ſive *per primum non eſſe*; ita vt de vna atque alterà qualitate verè dicatur: *Nunc eſt frigiditas vt octo, & immediatè antè non erat vt octo*: & ſimiliter, *Nunc non eſt calor, & immediatè antè fuit.* Ratio autem eſt, quia frigiditas vt octo, ſecundùm eum gradum determinatum formaliter, non admittit magis vel minùs, ac proinde conſiſtit in indiviſibili. Ergo & ſecundùm eum gradum incipit more indiviſibilium, ac per conſequens in inſtanti. Cumque non patiatur ſimul in eodem ſubiecto calorem contrariū ſub vllo gradu, conſequens eſt, vt & calor deſinit in eodem inſtanti. Poſteriori ſenſu (quo ſolùm loquebamur hactenus) frigiditas non expellit totum calorem, ſed ſub gradu certo ac determinato, quem determinatè habeat intra ſubiectum, v.g. vt quatuor; quà ratione conſiſtebat in indiviſibili, vt modo à ſimili dictum eſt. Ergo & more indiviſibilium quò ad illum gradum deſinit *per vltimum ſui eſſe*, ſive in tempore. Obiectio autem ſolùm probat de deſitione qualitatis abſolutè & in gradu indeterminato, quæ debet more ſucceſſivòrum deſinere; non autem de illà penes gradum determinatum, in quo deſinit eſſe more indiviſibilium.

12 *VNDE* Poſterior pars probata manet: quia cùm qualitates *in facto eſſe*, ſive in certo ac determinato gradu conſiſtant in indiviſibili, vtpote non admittētes intra illum magis aut minùs, ſicut de numeris determinatis dici ſolet; conſequens eſt, vt more indiviſibilium incipiant, ac deſinant; ac proinde incipiant *per primum ſui eſſe*, deſinantque *per vltimum eſſe.* Cumque eadem

eadem ratio ſit de cœteris accidentibus cõſideratis ſub certo ac determinato gradu, etiam de iis dicendum eſt eodem modo incipere, ac deſinere.

13 *DICES*, vtramque partem concluſionis ſibi invicem adverſari. Quoties enim vna qualitas expellitur vi inductionis alterius, tot gradus illius deſinunt, quot huius incipiunt, & non plures, neque pauciores. Ergo ſi prima inducitur ſecundum gradus indeterminatos, etiam ſecundùm eos deſinet ſecunda: ac proinde vel vtraque incipiet ac deſinet more indiviſibilium, vel neutra. *RESP.* negando conſequentiam: quia qualitas quæ expellitur, ante introductionem oppoſitæ habet gradum certũ & determinatum. Quod autem eiuſmodi eſt, amittit eundem gradum certum per ablationem cuiuſlibet gradus, aut partis, quantumvis minima aut incerta auferatur. Quare licèt qualitas incipiens introducatur penes gradus indeterminatos *in fieri*, ac proinde incipiat more ſucceſsivorum; qualitas contraria, quæ remittitur, deſinit eſſe ſub gradu certo, atque adeo more indiviſibilium.

14 *INSTABIS*. Qualitas frigoris vt quatuor v.g. licèt ſit ſub gradu certo, non fit in inſtanti, aut more indiviſibilium. Ergo neque deſinit. Cõſequentia patet ab identitate rationis. Antecedẽs autem probatur: Quia qualitas frigoris vt quatuor v.g. producitur per motum. At quidquid producitur per motum, nequit fieri in inſtanti, aut more indiviſibilium, ſicut nec ipſe motus. Ergo qualitas frigoris vt quatuor nequit fieri in inſtanti, aut more indiviſibilium. *RESP.* negando antecedens. Ad probationem nego maiorem: quia licèt calor abſolutè acceptus, ſive prout *in fieri* incipiat per motum; tamen calor vt quatuor, ſecundũ eum gradum formaliter, *& in facto eſſe*, nõ incipit per motum, ſed per indiviſibilia certa & determinata illius, ſive *mutata eſſe*. Cumque hæc incipiant *per primum ſui eſſe*; ſive in inſtanti, vt *num.* 3. ſtatutum eſt, idem dici debet de calore vt quatuor.

SECTIO SECVNDA.

Qualiter incipiant deſinãtque ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles?

15 SIT III. *Aſſertio*. Subſtantia quæ generatur, incipit *per primum ſui eſſe*, ſive in inſtanti, & quæ corrũpitur conſequenter ad generationem illius, deſinit etiam in inſtanti, ſive *per primum ſui non eſſe*. Ita Ariſt. indicat *cap. 5. textu* 43. huius libri, verbis illis ſatis obſcuris: *φανερὸν δ' ὅτι καὶ τὸ γεγονὸς, ὅτε γέγονεν ἔστιν, καὶ τὸ ἐφθαρμένον οὐκ ἔστιν. Patet igitur & ipſum factum tum eſſe, cùm factum eſt, & ipſum corruptum tum non eſſe, cùm non eſt corruptum.* Vide D.Tho. *ibidem*, vbi Philoſophum exponit iuxta ſenſum aſſertionis, quæ duas continet partes.

16 *PRIOR* Probatur. Subſtantia quæ generatur, fit per mutationem inſtantaneam & indiviſibilem generationis, quæ proinde incipit in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*. Ergo & ſubſtantia ipſa eodem modo incipit. Terminus enim actionis inſtantaneæ debet eſſe ſimul cum illa. Cumque illa ſolum incipiat & habeat eſſe in inſtanti, etiam in ipſo debet incipere & exiſtere terminus. *Præterea*. Forma ſubſtantialis nõ introducitur in materia, donec tota contrarij reſiſtentia devicta ſit: ideoque quando introducitur, non eſt aliquid, quod eius introductionem retardet. Ergo introducitur quam citiſsimè fieri poteſt; ac per conſequens non in tempore, ſed in inſtanti. *Denique*. Subſtantia in ſui generatione exigit certam ac determinatam materiam, ita vt nequeat fieri in minori: quod conſtabit *ſect.* 5. Ergo nequit eſſe prius in materia incerta & indeterminata, quàm in certa & determinata. Ergo non fit in tempore, ſed in inſtanti; quia quod fit in tempore introducitur per partes minores & minores, ac proinde in materia indeterminata & incerta. Vnde & obiter infertur vltimam diſpoſitionem, quæ eſt ſimul cùm forma ſubſtãtiali, incipere etiam in inſtanti: tum quia eſt ipſius proprietas; tum quia introducitur in gradu certo & exacto ab ipſa forma ſubſtantiali; tum denique quia producitur per eandem actionem inſtantaneam. Quod adhuc verum eſt ſuppoſita opinione, quæ docet vltimam diſpoſitionem eſſe priorẽ natura & cauſalitate diſpoſitiva relatè ad formam ſubſtantialem a qua emanat. Adhuc enim verum eſt illam coexiſtere formæ intra idem inſtans reale generationis, ſimulque cum ea incipere in eadem duratione.

17 *POSTERIOR* Pars ſuadetur. Quia cum generatio vnius ſit corruptio alterius, neceſſum eſt vt in eadem duratione, quà vna forma ſubſtantialis generatur, etiá ſimul corrũpatur altera. Alioqui, aut vtraque forma eſſet ſimul in eadem materia, aut hæc in tertio aliquo temporis præcedentis immediatè generationem exiſteret ſine omni forma: quorum vtrumque eſt

im-

impoſsibile, ſaltem naturaliter. At forma ſubſtantialis quæ generatur, incipit in inſtanti, vt nuper probatum eſt. Ergo & forma quæ corrumpitur, deſinit in eodem inſtanti, ac proinde *per primum non eſſe*. Quapropter in eodem inſtanti generationis ſubſtantialis animalium v.g. verè dicitur, *Nunc eſt forma animalis, & immediatè antea non erat*; ac ſimiliter, *Nunc non eſt forma embryonis, & immediatè antea erat*. Vnde obiter colliges male aliquos Theologorum docuiſſe gratiam & peccatum coexiſtere in inſtanti iuſtificationis, eò quòd alterum eorum expellit alterum. Inde enim potius infertur, vnum non coexiſtere alteri, nec per vnicũ quidem inſtans: quia gratia introducitur in ſubiectum vltimò diſpoſitum (loquor de adultis) ac proinde devictà omni reſiſtentia contrarij, præſtat ſtatim, & a primo inſtanti ſui *eſſe*, effectum formalem iuſtitiæ & sãctitatis, oppoſitũ eſſentialiter peccato. Ergo non patitur eius permanẽtiã, ſeu coexiſtentiam, nec per vnum inſtans; quia duo effectus eſſentialiter oppoſiti, nunquam habent ſimul locum in eodem ſubiecto. Quæ ratio itidem vrget in præsẽti, ne duæ formæ ſubſtantiales in vno inſtanti intra idem ſubiectum ſibi coexiſtant.

18 NOTANDVM Tamen eſt, illam ſubſtantiæ partem, quæ media augmentatione adquiritur, iuxta dicta *diſp. 32. ſect. 2.* incipere in tempore, ſive *per vlt. mũ ſui non eſſe*. Ratio eſt, quia pars illa ſubſtantiæ ſimul & eadem omnino duratione producitur, quà pars quantitatis adauctæ. Sicut enim tota ſubſtantia & tota quantitas ſimul producuntur in generatione totali, eò quòd poſterior eſt proprietas prioris; ita etiam, & ob eandem rationem, in generatione partiali, & augmẽtatione, ſimul pars ſubſtantiæ & pars quantitatis producuntur. Atqui pars quãtitatis producitur in tempore, ſive *per vltimum ſui non eſſe*; vtpotè facta per motum ſucceſsivum. Ergo & pars ſubſtantiæ ſimul cum illà incipiens, producitur in tẽpore, ſive *per vltimum ſui non eſſe*. Vnde & infertur, ſubſtantiam alimenti, quæ corrumpitur per introductionem illius partis ſubſtantiæ aggeneratæ, etiam deſinere in tempore, ſive *per vltimum ſui eſſe*. Cum enim productio ſubſtantiæ aggeneratæ ſit deſtructio ſubſtantiæ alimenti cum ea incompoſsibilis, oportet vt ſimul, atque eãdẽ omnino duratione, incipiat prior, & deſinat poſterior. Cum igitur de priori probatum ſit incipere in tempore, etiam de poſteriore dicendum eſt deſinere in tempore. Quare in eodem inſtanti verè dici poteſt; *Nunc non eſt ſubſtantia producta ex alimento, & immediatè poſt erit*: ac ſimiliter: *Nunc eſt ſubſtantia alimenti, & immediatè poſt non erit*.

19 DICES: Tam eſſe ſubſtantiæ, quàm non eſſe, eſt totum ſimul, conſiſtitque in indiviſibili; vtpotè nullam extenſionem ex ſe habens, nec admittens magis aut minus. Ergo neque pars ſubſtantiæ aggeneratæ incipit, neque ſubſtantia alimenti deſinit, niſi indiviſibiliter, ac proinde in inſtanti. RESP. ſubſtantiam per ſe præcisè conſideratam, eſſe totam ſimul, & abſtrahere ab omni extenſione: ideoque in generatione totali fieri indiviſibiliter & in inſtanti, quia tunc ſola illa per ſe inſpicitur à natura. At vero in aggeneratione & augmentatione non inſpicitur per ſe primò à natura, ſed ſecundario, & ratione quantitatis, cuius augmentum ſolum eſt quod per ſe primò quæritur, vt diximus loco nuper allegato. Quare tunc ſequitur modum ipſius quantitatis adauctæ, eiuſque extenſionem, & introductionem per partes proportionales, & incertas; proindeque inſtar illius incipit in tempore. Quod autem ſubſtantia alimenti totum ſuum eſſe ſimul habere aſſeratur, minimè obſtat vt deſinat in tẽpore, quoties deſinit vi motus quantitativi, qualis eſt augmentatio. Tunc enim commenſuratur eidem motui in deſinendo diviſibiliter, ac per partes minores & minores; ſicut & pars ſubſtantiæ aggeneratæ in incipiendo.

SECTIO TERTIA.

Quid ſentiendum ſit de alÿs rebus, quæ in ſuo fieri non pendent à motu?

20 SIT IV. *Aſſertio*. Res quæ in ſuo fieri non ſubiacent motui (quales ſunt ſubſtantiæ Angelorum, corporumque cœleſtium, & accidentia ſpiritualia, ſive naturalia, ſive ſupernaturalia) exigunt incipere in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*: ſi autem aliquando deſinere ſupponantur, aut contingat; exigunt naturaliter *per vltimum ſui eſſe*, ſive, in tempore deſinere. Ratio prioris partis eſt, quia ſolũ illud quod eſt ſucceſsivum, aut fit per ſucceſsivum motum, habẽt fieri ſucceſsivè & in tempore: id autem quod tale non eſt, habet ſuum eſſe permanens & totum ſimul ab inſtanti productionis; ideoque exigit fieri indiviſibiliter & in inſtanti. At res omnes enumeratæ in aſſertione, nec ſunt entia ſucceſsiva, nec fiunt per ſucceſsivum mo-

tum,

tum, vt patet; ſed potiùs habent eſſe permanens & totum ſimul ab inſtanti productionis. Ergo res omnes prædictæ non fiunt neque incipiunt ſucceſsivè & in tempore, ſed indivisibiliter & in inſtanti, ſive, quod idẽ eſt, per primum ſui eſſe. Ratio autem poſterioris partis eſt, quia eo ipſo quòd prædicta entia habeant ſuum eſſe permanens & totum ſimul, exigunt deſinere (dato caſu deſitionis) inſtar aliarum rerum permanẽtium, & habentium totum eſſe ſimul; ac proinde in tempore, ſive *per vltimum ſui eſſe.*

21 *CONSVLTO* Dixi, res iam enumeratas *exigere naturaliter* inceptionẽ in inſtanti, ſcilicet; ex ſuppoſitione libera Deo in qua producendæ ſunt; & deſitionem in tempore, ex hypotheſi in quà Angeli & cœli annihilarẽtur, ſicuti quotidie deſtruũtur actus, habitusque naturales & ſupernaturales. Nam alioqui, & nullatenus ſpectatis rerum naturis, ſed volente Deo præter, aut ſupra illarum exigentiam operari, poſſent incipere in tempore, & deſtrui in inſtanti; ſcilicet, modo per omnia oppoſito. Etenim neque Angeli, neque corpora cœleſtia, in ſuo *fieri* aut *eſſe* ſubduntur motui, nec menſurantur tempore, ſed ævo, vt *diſp.* 30. ſtatutum eſt. Accidẽtia autem ſpiritualia, neque in ſuo *fieri*, neque in ſuo eſſe, pẽdẽt eſſentialiter à motu aut tempore; quoniã his ceſſantibus, adhuc abſolutè poſſent fieri & permanere. Ergo Deus, cui pleniſsima facultas eſt operandi quælibet, in variatis rerum eſſentijs, poteſt abſolutè facere, vt prædicta omnia incipiant in tempore; ac deſinant in inſtanti.

22 *SED* Obijcies, videri omnino impoſsibile, vt ſubſtantiæ ſpirituales Angelorum incipiant in tempore; idque multiplici ex capite. *Primò*: nam quæcunque incipiunt in tempore, incipiunt ſucceſsivo modo, ac proinde habendo vnam partem poſt aliam. At ſubſtantiæ ſpirituali & prorſus indiviſibili Angelorũ impoſsibile omnino eſt habere vnam partem poſt alteram. Ergo & incipere in tempore. *Secundò*: quia ſubſtantiæ eidem ſpirituali repugnat incipere ſecundum ſe totam in toto tempore, & ſecundùm partes in partibus temporis, cùm repugnent illi partes. Aliunde nec poſſibile eſt vt incipiat tota in toto tempore, & tota in qualibet parte temporis; ſic enim pluries ac pluries inciperet. Ergo nulla ratione fieri poteſt vt incipiat in tempore. *Tertiò* à pari: enti enim ſucceſsivo, vt motui, repugnat omnino incipere in inſtanti indiviſibili, quoniam eius eſſe eſſentialiter eſt ſucceſsivum & diviſibile. Cùm ergo è converſo ſubſtantia Angeli ſit eſſentialiter permanens & indiviſibilis; repugnat prorſus illi incipere in tempore ſucceſsivo & diviſibili.

23 *RESP.* Negando aſſumptum. *AD I. Probationem*; concedo minorem de ijs, quæ incipiunt in tempore, vt in propriâ menſurâ, cui ſubduntur: nego autem de ijs quæ in tempore noſtro incipiunt, vt in menſura extranea, cui minimè ſubduntur; quales ſunt omnes ſubſtantiæ incorruptibiles, præſertim ſpirituales Angelorũ; quarum inceptio menſuratur inſtanti temporis diſcreti, correſpondente tempori noſtro continuo, tanquam menſuræ inferiori; in ea hypotheſi poſsibili; licet modo de facto quo ad inceptionem Angeli, ſolum correſpondeat inſtanti indiviſibili noſtri temporis. Vide quæ diximus *diſp.* 30. *ſect.* 1. *vltimo*. Vnde conceſſa minore; nego conſequentiam. *AD II. Prob.* concedo antecedente quo ad omnes partes; nego conſequentiam: quia licèt ſubſtantiæ incorruptibiles & ſpirituales non incipiant aliquo ex illis modis in obiectione aſsignatis; incipiũt tamen de facto in inſtanti diſcreto; quatenus correſpondet inſtanti indiviſibili noſtri temporis continui; & in caſu illo poſſibili inciperent in eodem inſtanti diſcreto, prout reſpondente parti diviſibili temporis noſtri, minori, ac minori quacunque aſsignatâ. Licet enim inſtans diſcretum ſit formaliter indiviſibile; cum aliunde ſit menſura ſuperior, poteſt virtualiter extendi ad tempus diviſibile; ſicut & anima rationalis ad diviſibile corpus, & indiviſibile continui permanentis extenditur vtrinque; atque inadequatè, ad partem illam minorem ac minorem, quam aſſicies immediatè. *AD III. Prob.* nego conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quia enti ſucceſsivo eſſentialiter repugnat eſſe totum ſimul, ac proinde incipere in inſtanti indiviſibili. Enti vero ſpirituali & indiviſibili, non repugnat in ſui inceptione correſpondere tempori noſtro, quæ menſuræ extrinſecæ & inferiori; atque inadæquatè ſolùm, vt & in punctis indiviſibilibus quantitatis nuper explicatum eſt; & præterea conſtat in eiſdem Angelis, qui; licèt indiviſibiles ſint, propter ſuam [illegible] perfectionem correſpondent [illegible] ſpatio loci diviſi- [illegible] bili. [illegible]

SEC-

SECTIO QVARTA.

De Initio & termino viventium penes magnitudinem & parvitatem.

24 HVCVSQVE Initium, ac terminum rerum naturalium penes durationem examinavimus. Nunc de eiſdem ſecundùm magnitudinem parvitatemque differendum eſt. Pro cuius intellectu obſervare oportet, duos eſſe terminos, tam magnitudinis, quàm parvitatis, entium naturalium; vnum intrinſecum, & extrinſecum alium. Terminus magnitudinis intrinſecus eſt ille, ſub quò res conſervari poteſt, ita vt ſub maiore non poſsit. Hic communi ac recepto Philoſophorum ſtilo appellatur, *maximum quod ſic*, quia pertingit ad ſummam magnitudinem, ſub quà res conſervari poteſt. Terminus verò extrinſecus magnitudinis eſt ille, ſub quo res eſſe non poteſt, cùm tamen ſub quocunque alio minori poſsit: diciturque *minimum quod non*, quia eſt minima omniũ quantitatum magnarum, ſub quibus res eſſe nequit. Terminus intrinſecus parvitatis eſt ille, ſub quo res poteſt fieri & eſſe, ita vt ſub minori non poſsit: appellaturque *minimum quod ſic*, quia eſt minima quantitatum, ſub qua res fieri & conſervari valet. Denique terminus extrinſecus parvitatis eſt, ſub quò res eſſe nequit, ſed ſolùm ſub quolibet maiori. Vnde & dicitur *maximum quod nõ*, quia eſt maxima omnium quantitatum exiguarum, ſub quibus res eſſe non poteſt. Et his quidem vocibus vſi ſunt Philoſophi ad exponendum terminos magnitudinis parvitatiſque corporum phyſicorum, ſeu naturalium, quæ, inter alias diſpoſitiones exigunt certam magnitudinem, parvitatemve materiæ. Nam alioqui, & loquendo de corpore mathematico, iam ſæpe diximus eſſe diviſibile in infinitum, quia quatenus mathematicum ſolùm importat quãtitatem, cuius proprium eſt diviſibilem & augmentabilem eſſe abſque vllo termino penes parvitatem, aut magnitudinem.

25 *SIT V. Aſſertio.* Viventia habent terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, ſub quo ita fieri & eſſe poſſunt, vt ſub maiore non poſsint; item & parvitatis ſub quo eſſe poſſunt, & no ſub minore. Ita omnes Philoſophi docent cum Ariſt. *ſuprà lib. 1. cap. 4.* præſertim *textu* 36. illis verbis: *Eſſe verò non poteſt planta, vel animal, dicto modo quã. lìvis mole.* Et libro 4. *de Generat. Animal. cap. 4.* (quod digniſsimum lectu eſt propter miram rerum varietatem circa partus diverſos) paulò poſt medium vtramque aſſerti partem perſpicuè tradit, dicens: *Perficiendi cuiuſque animalis certa eſt magnitudo, tum ad maius, tum verò ad minus. quem terminum non prætergrediuntur, vt vel maiora, vel minora evadant; ſed in medio magnitudinis ſpatio exceſſum, defectumve inter ſe capiunt, atque ita homo alius alio auctior eſt, & cæterorum quorumviſ animalium. Sic & materia ſeminalis, ex quà conſiſtunt, non indefinita eſt, nec in plus, nec in minus, vt ex quantalibet poſsint generari.*

26 *RATIO* Prioris eſt: Quia viventia non augentur per *per iuxta poſitionem*, vt loquuntur Philoſophi, ſed per *intusſumptionem*, ſcilicet, non per aggregationẽ ſolam materiæ ab extrinſeco advenientis, ſed per converſionem veram alimenti in ſubſtantiam aliti, vi caloris naturalis: qui, cùm ſit finitæ virtutis, agendo repatitur, quotidie laſſeſcit, ac debilior redditur, maximè vbi quis ad ætatem devexam accedit. Idemque eſt de potentijs augmentativa, & nutritiva, ob ſimilem rationem. Ergo certum eſt viventia omnia aliquem terminum intinſecum magnitudinis habere à naturà præfixum, vltra quem creſcere aut augeri nequeant. *Vlterius.* Viventia omnia conſtant partibus organicis, quæ certã quantitatem ac temperamentum exigunt, quod ſi ſupergrediantur, inepta erunt ad operandum.

27 *RATIO* Poſterioris partis eſt: Quia forma viventium producitur in gradu certo ac determinato, ideoque in inſtanti, & more rerum permanentium, vt *ſect. 2.* oſtẽſũ eſt. Quapropter exigit determinatas ac certas diſpoſitiones, & quantitatem aliquam, infra quam eſſe nequeat. Alioqui enim inciperet in tempore, ſive *per vltimum ſui non eſſe*, qualiter incipiunt, quæ carent termino intrinſeco parvitatis in ſui generatione. Et præterea conſtat, quia viventia exigunt plura organa ad ſui compoſitionem, quæ nequeunt in qualibet minima quantitate ſalvari. Nec obſtat vtrique parti quod ſæpe extiterint homines vaſtiſsimi & proceriſsimi vſque ad miram & propemodum incredibilem magnitudinem, ſicut è contra breviſsimi, adhuc imperfectà ætate, & aliquando iuxta menſuram vnius pendiculi, vt latiſsimè obſervavimus ex ſacris litteris, & Authoribus probatiſsimæ fidei *tom. 1. Theologiæ Eſcholaſticæ Ludo 4.* ferè per totum. Inde enim non convincitur eos nõ habuiſſe intrinſecum magnitudinis & parvitatis terminum omnino certum: illum, ſcilicet, à quo inceperunt, & ad quem vlti-

mo pervenerunt, iuxta inæqualem ſeminis quantitatem, & materiæ diſpoſitionem, vnicuique illorum determinatam ac certam. Vnde merito dixit S. Thomas 2. de Anima lect. 8. fine: *Eſt aliqua quantitas ita magna, vltra quam ſpecies humana non porrigitur, & aliqua tam parva, vltra quam homo non invenitur.*

28 *COETERVM*, Vt rectè adnotavit doctiſsimus M. Ioannes à S. Thom. *q.8. Phyſic. ar.2. & 4.* doctrina hactenus tradita intelligenda eſt ſolùm de viventibus quò ad ſui generationem, & conſervationem, qui ſtatus eſt connaturalis: nam alioqui, & via corruptionis, qui ſtatus eſt præternaturalis, non habent terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, aut parvitatis, ſed extrinſecum tantum. Ratio primi eſt: quia ſi via corruptionis daretur terminus intrinſecus magnitudinis, poſſet vivens deſinere per *vltimum ſui eſſe*, cuius oppoſitum ex communi Authorum conſenſu, & firma ratione oſtenſum eſt *ſect.2.* Probatur ſequela. Etenim ſi vivẽs medio motu, ſive actione aliqua, perveniat ad terminum illum intrinſecum via corruptionis, & continuetur talis motus, ſive actio, v.g. tumefactio; neceſſum eſt vt vivens moriatur immediatè pòſt, cùm immediatè poſt ſit iam vltra illum terminum intrinſecum, quẽ via corruptionis habebat. Ergo in eo inſtanti quo vivens pervenit ad eum vltimum terminum, verè dici poterit: *Nunc eſt vivens & immediatè pòſt non erit.* Hoc autem planè eſt deſinere *per vltimum eſſe*. Ergo ſi vivens haberet terminum intrinſecum magnitudinis via corruptionis, poſſet deſinere *per vltimum eſſe*. Ratio autem ſecundi inidem facilè elicitur: quia ſi viventia haberẽt terminum intrinſecum parvitatis, etiam poſſent deſinere per vltimum eſſe. Etenim aſſignato termino intrinſeco, v.g. in condenſatione viventis penes parvitatem, ſi continuetur motus, morietur vivens immediatè poſt terminum illum adquiſitum. Ergo cùm primùm eum terminum adquirit, vere dici poterit: *Nunc eſt vivens in termino intrinſeco corruptionis, & immediatè pòſt non erit.* quod certè eſt deſinere *per vltimum eſſe.* Plura alia vide apud prædictum Authorem, quibus non poſſumus immorari.

SECTIO QVINTA.

An non viventia ex vi ſuæ generationis & formæ habeant terminum intrinſecum magnitudinis, parvitatiſque; & ſimiliter in ſui incremento, ſeu aggeneratione?

29 *SIT VI. Aſſertio.* Non viventia habent intrinſecum terminum magnitudinis ex vi ſuę generationis & formæ: cæterum in aggeneratione, ſive incremento non habent terminum prædictum ex ſe, & ſpectata ipſorum natura. Prior pars eſt expreſſa Ariſt. 2. *de Anima textu 41.* illis verbis: τῶν δὲ φύσει συνεστώτων πέρας ἐστὶ καὶ λόγος μεγέθους καὶ αὐξήσεως. *At eorum omnium, quæ naturà conſtant, eſt finis & ratio, tam magnitudinis, quàm accretionis.* Vbi D. Thomas lect. 8. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quòd in omnibus quæ ſunt ſecundùm naturam, eſt certus terminus, & determinata ratio magnitudinis & augmenti.* Idemque docet 1. *p. q.7. art.3.* Ratione etiam probatur ex eodem Angelico D. deſumpta: Quia omne corpus naturale, vi ſuæ generationis, accipit aliquam formam ſubſtantialem determinatam; ac proinde determinata accidẽtia, quæ ex illa ſequantur. Ergo & determinatam ac certam quantitatem, ideoque & terminatam aliquo termino intrinſeco penes magnitudinem. Quæ ratio ſolùm accipienda eſt de quantitate quatenus conſequuta ex prima productione compoſiti naturalis, quo tantum ſenſu loquitur S. Thom. & in quo eadem de non viventibus, ac de viventibus, ratio eſt. *Confirm.* Si enim ſubſtantiæ non viventes carerẽt termino certo magnitudinis in ſui generatione, inciperent per partes indeterminatas & incertas, atque adeo *per vltimum ſui non eſſe*: quod ſupra *ſect. 2.* vniverſùm improbatum eſt, & *num.27.* reiectum circa viventia, in quibus eadem ratio eſt quo ad præſens. Quare in hac priori parte communiter Authores cõveniunt.

30 *POSTERIOREM* Partem tradunt Albertus Magnus 2. *de Anima tract. 2. cap.4.* Scotus *in 2. diſt. 2. q. 9.* Toletus *q. 8. Phyſic. concl.4.* & Ioannes à S. Thom. *q.8. ar.2.* quamvis eam negent plures, quos referunt & ſequuntur Complutenſes *diſp.25. q.1.* Illa tamen expreſsè videtur tradita ab Ariſt. ubi nuper: nam ante verba exſcripta *num. preced.* immediatè præmiſerat: ἡ μὲν γὰρ τοῦ πυρὸς αὔξησις εἰς ἄπειρον, ἕως ἂν ᾖ τὸ καυστόν. *Nam ignis quidem accretio in infinitum progreditur, & eouſque fit, quouſque ſit*

nem initij extrinſeci. Ergo tempus & motus non conſtant intrinſecè primo illo indiviſibili initiativo. Sed neque terminativo extrinſeco, in quo verificatur. *Nunc non eſt tempus, ſed immediatè ante ſuit.* Quare ſupereſt vt tempus & motus ſolummodo conſtent intrinſecè partibus dividuis ſucceſsiviſque, quatenus per indiviſibilia inſtantia aut *mutata eſſe* continuatis. *AD Confirmat.* patet ex dictis, primum tempus reale incepiſſe ſolùm extrinſecè ab inſtanti creationis, ante quod non fuit aliud tempus, neque aliud reale inſtans initiativum, aut terminativum. Vnde non ſequitur tempus (idemque eſt de motu circulari cœlorum) fuiſſe ab æterno, vt opinatus eſt Ariſtoteles: quia licèt tempus conſtet partibus abſque fine dividuis, & careat termino intrinſeco penes compoſitionem ac diviſionem; habet tamen terminum extrinſecum penes ſui inceptionem, ſicut & penes deſitionem. quod opponitur durationi æternæ. Id exemplum habet, ſuppoſita Ariſtotelis ipſius doctrina, in motu continuo lapidis ex alto ruentis in centrum, carente quidem intrinſeco termino penes compoſitionem & diviſionem, habente tamen terminum extrinſecum penes inceptionem & deſitionem; quia ſolùm durabit limitato ac brevi temporis ſpatio, vt ad ſenſum patet.

43. *INSTABIS.* Vt entitas ſucceſsiva temporis aliquando inceperit immediatè poſt inſtans creationis mundi, quanquam extrinſecè, debuit eſſe aliqua prima pars eius temporis, qua mediante eſſet tranſitus ad ſecundam, tertiam, &c. quia aliàs eſſet tranſitus immediatè à primo inſtanti creationis ad partes temporis mediatas, impertranſito, aut non ſuccedente medio: quod impoſsibile eſt. At ſi tempus conſtat partibus abſque fine dividuis, non fuit aliqua prima pars eius temporis immediatè poſt primum inſtans creationis mundi; ſed quæcumque aſsignetur, præſupponit aliam & aliam priorem. Ergo ſi tempus conſtat partibus abſque fine dividuis, entitas ſucceſsiva temporis non incepit aliquando. Eademque difficultas vrgeri poteſt, ne aliquando tempus, vel hora finiatur: quia numquam poterit deveniri ad vltimam temporis aut horæ partem, neque verè in ea erit pars vltima, ſi vltra quamlibet particulam reſtat alia & alia tranſitura. *Vrgetur amplius.* Nulla pars horæ eſt prima, aut vltima, ſi omnes ſunt abſque fine dividuę. Signata enim qualibet, ſemper reſtat alia minor & minor, ſaltem communicans, & in ea clauſa, tam verſus initium, quam verſus finem. Ergo nullius horæ erit initium, aut finis, penes entitatē ſucceſsivam, ſi hęc eſt abſque fine dividua.

44 *HÆC* Difficultas adeo antiqua eſt, vt æquivalentibus ferè verbis propoſita legatur a Zenone Eleate apud Ariſt. *hoc lib.* 6. *cap.* 9. negante motū ſucceſsivum, quia ſi ille eſſet, numquam inciperet, aut finiretur, propter infinitatem partium. Deinde reſpondeo, vt entitas ſucceſsiva temporis aliquando cœperit immediatè poſt inſtans creationis, ſufficere quod poſt illud immediatè inceperit pars temporis non præſupponens aliam adæquatè diſtinctam, quamquam includens alias & alias minores & minores intra ſe. Pone etenim primam horam conſtare ſexaginta minutis. Poſt inſtans creationis mundi immediatè ſucceſſit primum minutum, ſeu pars prima determinata eius horæ, non præſupponens aliam, ſed ſolùm includens particulas minores ac minores, cōmunicanteſque, quarum nulla aſsignari poſsit omniū communicantium prima. Sicut poſt Deum cōparatum toti poſsibiliū collectioni, quo ad perfectionem, immediatè ſuccedit ſeries creaturarū ſpiritualiū; quarū tamen ſeorſim cōſideratarū nulla aſsignari poteſt omnibus alijs proximior & vicinior Deo, ſeu omniū in ea ſerie clauſarū prima. Idē verò proportione ſervata dicendū eſt de parte vltima: & vtrūque ſufficit vt prima temporis hora incipiat extrinſecè, eodēque modo finiatur. Hinc patet ad vlteriorē inſtantiam, in qualibet hora eſſe partē primam, & vltimā; deſignatā tamen & certā, plureſque ac plures minores & minores intra ſe continentem: quæ prima & vltima ſolùm negativè appellatur & eſt, quatenus neque ante vnā, neque poſt aliam, collectim ſumptas, præcedit aut ſubſequitur pars alia determinata intra eandem horam. Scilicet, ante primū, & poſt vltimum vnius horę minutum, nullum aliud eiuſdem horæ minutum eſt; quāquam vnumquodque minutum claudat in ſe plures & plures partes temporis minores & minores abſque fine.

45 *ARGVITVR III.* ab abſurdis quæ videntur colligi apertè ex noſtrâ ſententia. *Primum eſt.* In tempore & motu, imò & in qualibet particula vtriuſque eſſe infinitas partes ſimpliciter ſecundùm numerum, & ſimiliter infinita inſtantia continuativa earumdem partium. quod eſt concedere infinitam multitudinem ſimpliciter, reiectam vt impoſsibilem & abſurdam libro tertio huius Operis *diſp.* 22.

Secun.

Secundum, & cohærens præcedenti: Actum charitatis continuatum per integram horam, duraturum per infinitas partes & inſtantia temporis; ac proinde meriturum in homine iuſto infinitum augmentum intẽſivum gratiæ & gloriæ. Quemadmodum enim vnico inſtanti, & quavis particula temporis, meretur vnum gratiæ & gloriæ gradum, ſic & in infinitis integræ horæ promerebitur gradus infinitos. *Tertium*: Poſſe in quolibet inſtanti vnius horæ produci vnum Angelum, conſervarique perpetuo. Ergo cùm inſtantia vnius horæ aſſerantur infinita, ſicut & partes, tandem in fine horæ Angeli creati & conſervati erunt ſecundùm numerum infiniti. Hæc autem omnia quam abſurda ſint, ſatis per ſe patet.

46 *RESP.* Negando quidquam abſurdi inferri ex eo quod partes temporis ſint abſque fine dividuæ. *AD Primum*, iam conſtat ex dictis *diſput*. 35. per totam, quo ſenſu partes continui cenſeri debeant, aut non debeant infinitæ, citra abſurdum aliquod. Id autem minus vrget in continuo ſucceſſivo, quàm in permanenti; quia huius partes ſibi coëxiſtunt, illius vero ſuccedunt; & nunquam ſunt ſimul. Vnde remotiores ſunt ab infinito in actu ſecundùm numerum, quod exigit infinitas vnitates ſibi coëxiſtentes. *AD Secundum*. Actus charitatis continuatus per integram horam, eiuſdem, & non maioris meriti eſſet, ac tota collectio actuum diverſorum, quos homo abſolutè intra horam integram efficere poteſt, ſive amoris, ſive continuationis liberæ in eodem amore. Actus vero, tum amoris diſtincti, tum & continuationis liberæ in eodem amore, quos homo abſolutè efficere poteſt intra horam, finiti numero ſunt, & vnuſquiſque illorum vendicat ſibi determinatum inſtans, imò & determinatam temporis morulam, in qua intellectus ſeriò proponat bonitatem divinam ſummè æſtimabilem, & voluntas illam amore proſequatur. Cùm ergo inſtantia determinata, & certæ temporis moræ, in qualibet hora finitum numerum non excedant, vt eo loco dictũ eſt; etiam actus amoris, aut ſaltem eiuſdem actus continuationes liberæ erunt finitæ; ac proinde & gradus gloriæ ſub merito cadentes non attingent numerum infinitum. Quod ſi inſtes, hac eadem ſolutione poſſe ſuam opinionẽ defendere ponentes inſtantia temporis inflata, & occurrere impugnationibus noſtris ſuprà propoſitis à num. 14. Reſpondeo negando aſſumptum: Quoniam ij Authores averſantur omnino compoſitionem continui cuiuslibet ex partibus abſque fine dividuis, & diviſibilitatem partium determinatarũ in minores ac minores abſque termino. Vnde nequeunt hac ſolutione vti, ſed tenentur dicere peccantem in quolibet inſtanti, aut merentem, eo ipſo non poſſe deſiſtere à peccato ac merito in partibus determinatis inſtantibuſque ſequentis temporis, quibus neceſſe eſt æquivalere inſtãs inflatum, ſi iidem conſequenter loquantur. *AD Tertium*. Nequit in quolibet inſtanti indeterminato vnius horæ creari Angelus, ſed ſolùm in inſtanti determinato: ſicut regrediendo ad æternitatem à parte antè licet potuerit Deus creare Angelum, mundumque in quovis determinato inſtanti, non tamen in quolibet indeterminato: vt dicemus infra *lib*. 8. Cùm vero inſtantia determinata cuiuslibet horæ ſint numero finita, pariter Angeli creati in ſingulis ipſorum, comprehenderentur ſub numero finito.

47 *ARGVITVR* Vltimò. Motus continuus in quantùm continuus nequit componi niſi ex vbicationibus inſtantaneis, ac proinde durantibus vnico inſtanti indiviſibili. Ergò ſaltem motus continuus conſtat puris indiviſibilibus. Conſequentia patet. Antecedens probatur. Nequeunt enim vbicationes, quibus componitur motus continuus, vt continuus, durare pluſquam per inſtans, ſeu, quod perinde eſt, durare tempore diviſibili includente prius & poſterius. Si enim durarent tempore diviſibili includente prius & poſterius; iam motus eſſet continuus, vt ſupponimus, & aliunde non eſſet continuus, ſed interruptus. Motus namque interrumpitur, quoties mobile quieſcit. Si autem vbicationes durarent tempore diviſibili penes prius & poſterius, mobile ſolùm moveretur in parte priori, cui reſponderet vbicatio, ac proinde in poſteriori non moveretur, ſed quieſceret ſub eadem vbicatione in qua immediatè ante erat. Ergo interrũperetur motus, atque adeò non eſſet continuus, contra ſuppoſitionem factam.

48 *HOC* Argumentum contra nos proponit P. Stephanus Spinula *diſput*. 14. vbi nullum reputat inconveniens motum lapidis ex alto ruentis non eſſe phyſicè continuum, & morulis diſſecari. Quod tamen mirabile eſt, & abſurdis plenum, vt conſtabit *diſput*. 41. à *n*. 7. nec ſcio quã conſequentia doctrinæ tradatur, vbi defectus continuationis, ſeu interruptio in motu cõtinuo, nunc ab eodem velut abſurda reijcitur.

tur. Ad rem ergo, nego antecedens, & illius probationem: quia licèt vbicationes motus continui correſpondentes ſpatio indiviſibili temporis & loci ſint Inſtantaneæ; vbicationes reſpondentes partibus temporis & loci ſunt ſucceſsivæ, includentesque prius & poſterius ſicut ipſum tempus. Neque inde colligitur motum interrumpi, aut quieſcere mobile in parte poſteriori, poſtquam movetur in priori. In neutra enim illarum quieſcit, ſed continuo motu progreditur ex vbicatione inſtantanea in ſpatio indiviſibili loci ad ſucceſsivam in ſpatio diviſibili, & ex hac ad indiviſibile ſpatij, & ex hoc ad partem diviſibilem loci; & quidem ita, vt vbicatio inſtantanea, ſolùm ſit initium vnius partis motus, & terminus alterius, qualiter ſuprà de inſtantibus in ordine ad partes temporis dictum eſt.

DISP. TRIGESIMA OCTAVA

DE INITIO ET TERMINO RERVM.

Num. 1. DVPLICITER *Conſiderari poteſt initium & terminus rei naturalis. Primò ex parte temporis, quo incipit, aut deſinit eſſe. Secundò ex parte magnitudinis aut parvitatis, à qua incipere, & ad quam pervenire poteſt. Vtrumque complectemur diſputatione hac, quamvis breviter ſingula percurrendo, & abſque privatis conſiderationibus redigendo in compendium, quæ ab alijs in præſenti fuſiùs tradita ſunt, ferè abſque vllo Authorum diſſidio, vt propterea opus non ſit illos ſpeciatim allegare, præter aliquos, qui rem hanc pleniùs elucidarunt, vt Conimbricenſes* in 1. Phyſic. cap. 4. & ex Thomiſtis *Complutenſes* diſp. 24. & 25. *Ioannem à S. Thoma* q. 8. *per totam*, & q. 21. *in hunc librum ſextum. Habet verò locum apud Ariſtotelem* hoc lib. 6. cap. 5. & 6. *quò ad inceptionem & deſitionem rerum, quam metiri ſolent Philoſophi, tum penes inſtantia indiviſibilia, tum penes partes temporis primi mobilis, quoniam omnium temporum regulariſsimum eſt. Res autem omnes poſſunt incipere aut deſinere in inſtanti, aut intrinſecè, id eſt, coëxiſtendo ipſi; aut extrinſecè, ſcilicet, non coëxiſtendo. Quod vt clariùs exponerent, quatuor terminos inſtituerunt, quibus omnis modus incipiendi ac deſinendi rerum comprehenderetur. Omnis enim res, aut incipit per* primum ſui eſſe, *aut è contrà per* vltimum ſui non eſſe. *Incipit quidem per* primum ſui eſſe, *quando de ea verificatur:* Nunc primùm eſt res, & immediatè antea non erat. *Quare dicitur incipere intrinſecè in inſtanti, quia in illo accipit exiſtentiam, ipſique cum ſuo primo eſſe coëxiſtit. Tunc verò res incipit* per vltimum nō eſſe, *quando de ea verè dicitur:* Nunc non eſt res, & immediatè pòſt erit. *Ideoque & incipere extrinſecè dicitur in eo inſtanti, quia non coëxiſtit ipſi, neque accipit exiſtentiam intra illud, ſed in tempore ſequenti immediatè.*

2 PORRO *Idem proportionaliter dicendum eſt circa deſitionem rei. Aut enim deſinit* per primum ſui non eſſe, *aut è contrà* per vltimum ſui eſſe. *Id dicitur priori modo deſinere, de quo verè dicitur:* Nunc primùm non eſt res & immediatè antea fuit. *Ideoque & dicitur deſinere in inſtanti intrinſecè, quia deſitio, ſeu* non eſſe *ipſius, coëxiſtit eidem inſtanti, in quo que incipit. Poſteriori autem modo deſinit, illud, de quo affirmatur verè:* Nunc eſt res, & immediatè pòſt non erit. *Proptereaque & dicitur deſinere extrinſecè in inſtanti; quia deſitio, ſeu* non eſſe *ipſius, non coëxiſtit eidem inſtanti, neque tunc actu eſt, ſed erit immediatè poſtea. Sed certè quamquam hic loquendi modus ab antiquis traditus ſit, difficilis captu eſt, & hallucinationem ingerit ijs, qui præ manibus non habent controverſiam præſentem, quales ſunt ferè omnes. Ideo breviùs & clariùs dici poteſt, aliqua incipere ac deſinere* in inſtanti; *illa ſcilicet, quorum inceptio aut deſitio intrinſecè coëxiſtit eidem inſtanti: alia verò incipere ac deſinere in tempore; videlicet, ea quorum inceptio ac deſitio intrinſecè tempori coëxiſtit.*

SECTIO PRIMA.

Quomodo incipiant & deſinant indiviſibilia; item & res ſucceſſivæ, & quæcunque fiunt per motum.

3 IN Hac re certũ videtur, indiviſibilia motus & tẽporis incipere *per primum ſui eſſe*; deſinere autẽ per *ultimum ſui eſſe*: Quia cum ea omnia ſolùm durent per inſtans, verè de quolibet ipſorũ dicitur in eo inſtanti: *Nunc eſt hoc indiviſibile, & immediatè antè non erat*: & ſimiliter: *Nunc eſt hoc indiviſibile, & immediatè poſt non erit*. Hoc autem eſt incipere *per primum ſui eſſe*, & deſinere *per ultimũ eſſe*; ſive, quod perinde eſt, prædictum inſtans eſſe intrinſecum & coexiſtens inceptioni indiviſibilium; extrinſecum autem, & minimè coexiſtens ipſorum deſitioni. Ergo indiviſibilia motus ac temporis incipiunt *per primum ſui eſſe*; deſinunt autem *per ultimum ſui eſſe*.

4 *SIT I. Aſſertio*. Res ſucceſſivæ, vt motus & tempus, quò ad entitatẽ partium ſuarum incipiunt *per ultimum non eſſe*, & deſinunt *per primum non eſſe*. Quam doctrinam tradit Ariſt. *obi ſuprà*, ac D. Thomas, & cæteri Philoſophi cõmuniter. Ratio prioris partis eſt: quia repugnat omnino ens ſucceſſivum habere totum ſuum eſſe ſimul; vtpote eſſentialitèr conſtans parte priori & poſteriori. Ergo nequit habere ſuũ eſſe eſſentiale ac primum in inſtanti, ſive, quod perinde eſt, accipere ſuum eſſe in inſtanti intrinſeco, cui coexiſtat. Reſtat igitur, vt ſiquidem propterea non incipit *per primum ſui eſſe*, incipiat per *ultimum non eſſe*, qui eſt alter modus incipiendi. Quò ad poſteriorem vero partem ſuadetur: Quoniam ſi res ſucceſſiva non deſineret *per primum non eſſe*, ſed potiùs *per ultimum eſſe*, ſive in tempore, diceretur verè de illà: *Nunc eſt res ſucceſſiva, & immediatè pòſt non erit*: proindeque iam in eo *nunc*, ſive inſtanti, haberet ſuum eſſe præſens. quod repugnat enti ſucceſſivo: vt conſtat ex dictis *diſp. 31. ſect. 4. & 5*. Ergo vt verè habeat rationem entis ſucceſſivi, debet deſinere *per primum nõ eſſe*, & inſtanti intrinſeco, ſive coexiſtente ipſius deſitioni, ita vt verè dicatur: *Nunc non eſt res ſucceſſiva, & immediatè antea erat*.

5 *OBIICIES* contra priorem partem argumentum vulgare. Si mulier gravida moveatur, & in medio motus animetur fœtus, hic incipiet eſſe in inſtanti intrinſeco, iuxta dicenda inferiùs *ſect. 2*. At fœtus in eodem inſtanti quo accipit eſſe, incipit moveri ad motum matris. Ergo & motus eiuſdem fœtus incipit in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*; non autem in tempore, ſive per vltimum non eſſe. *RESP*. negando minorem: quia in eo inſtanti intrinſeco, quo incipit fœtus, non eſt motus in ſe ipſo, ſive quò ad aliquid entitatis ſuæ ſucceſſivæ; ſed tantùm quò ad *mutatum eſſe*, ſeu indiviſibile ſuum, correſpondens indiviſibili temporis, in quò incipit fœtus. Itaque in eo inſtanti, in quo de fœtu dicitur, *Nunc eſt fœtus, & antea nõ erat*; de motu eius ſolùm affirmari valet, *Nunc non eſt motus, & immediatè poſt erit*. Diſparitas autem fœtus à motu in incipiendo conſiſtit in diſcrimine naturæ vtriuſque. Fœtus enim eſt aliquid permanens, ideoque incipere poteſt in inſtanti intrinſeco, & in eo totus exiſtere: contrà vero motus, quoniam ſucceſſivus eſt.

6 *CONTRA* Poſteriorem partem oppones, quòd pars prior entis ſucceſſivi ceſſat antequã deſinat pars poſterior, eidem ſuccedens. Ergo ſi prior deſinit intrinſecè in inſtanti, ſive *per primum non eſſe*; poſterior deſinere debet in tempore intrinſecè, atque adeò *per ultimum eſſe*. Alioqui enim vtraque pars, poſterior & prior, deſineret ſimul: quod eſt impoſsibile. *Confirm. I.* Propterea dicimus repugnare inceptionẽ motus quò ad ſuas partes in inſtanti intrinſeco, quia illæ nequeunt eſſe ſimul. At eadẽ repugnantia eſt vt deſinant ſimul. Ergo nec motus deſinere poteſt intrinſecè in inſtanti quò ad ſuas partes. *Confirm. II.* Motus, & tẽpus, exiſtit ratione ſui indiviſibilis, vt eadẽ *diſp. 31. ſect. 4.* dictum eſt. Ergo cùm in vltimo inſtanti exiſtat vltimum indiviſibile terminativũ motus, etiã tunc exiſtit motus ac proinde in eo inſtanti non deſinit. Eademque omnino ratio videtur eſſe in tempore.

7 *RESP*. Negando conſequentiam, & abſurdum illatum. Licèt enim pars prior entis ſucceſſivi priùs deſinat eſſe, quã pars poſterior, vtraque tamen deſinit in inſtanti; non quidem in eodem, ſed in diverſo. Cùm enim poſt quamlibet partem ſequatur immediatè inſtans, pars prior deſinit eſſe in priori inſtanti ſequuto ad illam immediatè, pars autem poſterior in inſtanti poſteriore & ſic de reliquis donec integrè finiatur tempus, vel motus. Vnde nunquam infertur, vtramque partem deſinere ſimul. *AD I. Confirm.* conceſſa maiore & minore, diſtinguo conſequens: Non poteſt motus deſinere in eodem inſtanti quò ad ſuas par-

tes

tes; concedo: in diverſis inſtantibus; nego, vt nuper dictum eſt. Quod ſi vrgeas & inferas pariter motum poſſe incipere quò ad ſuas partes inſtantibus diverſis, licèt non in eodem; nego ſequelam, & reddo diſparitatem: quia eſſe motus eſt diviſibile per prius & poſterius; ideòque nequit produci in inſtanti. At vero deſitio, ſeu *non eſſe* motus, cùm ſit quædam negatio, conſiſtit in indiviſibili, ideòque poni poteſt in inſtanti. Sic etiã linea, ſuperficies & corpus, ſunt quid extẽſum & diviſibile; & tamen *non eſſe* ipſorum inextenſum atque indiviſibile eſt. *AD II. Confirm.* conceſſo antecedente, nego conſequentiam: quia cùm motus ſit quoddam ſucceſsivum continuum, ſolùm exiſtit ratione illorum indiviſibilium, quæ ſunt continuativa vnius partis cum alia; non verò ratione illius indiviſibilis, quo vltimò terminatur. Quin potiùs eo accedente deſinit eſſe, & verè de illo dicitur: *Nunc non eſt motus, & immediatè antè fuit.*

8 *SIT II. Aſſertio.* Res illæ, quæ fiunt per motum, vt quantitas, qualitas, & *vbi*, poſſunt dupliciter conſiderari. Primò abſolutè & penes gradum indeterminatũ, atque in ordine ad ſubiectum ſecũdùm partem ipſius indeterminatam; qua ratione dicuntur eſſe *in fieri*. Secundò incipi poſſunt ſecundùm partem, gradumve certum, & determinatum, atque in ordine ad ſubiectum penes partem ipſius determinatã; quà ratione ſunt *in facto eſſe*. Priori ſenſu dicendum eſt, res prædictas incipere *per vltimum non eſſe*, & deſinere *per primum nõ eſſe*, perinde ac motum ipſum quo fiunt. Poſteriori autem ſenſu incipiunt *per primum ſui eſſe*, ſive in inſtanti, & deſinunt *per vltimum eſſe.*

9 *PRIOR* Pars probatur: Quia qualitas v.g. abſolutè accepta priùs producitùr ſecundùm remiſſum gradum, quàm intenſum, & priùs introducitur in minore ſubiecti parte, quam in maiore, ob reſiſtentiam contrarij, quod non ſubitò, ſed paulatim ſolùm expelli poteſt. Ergo qualitas abſolutè ſumpta, & prout in ſuo *fieri* incipit ſucceſſivè, ſeu inſtar rerum ſucceſſivarum habentium priùs & poſterius; atque adeò *per vltimum ſui non eſſe.* Cumque eadem ratio ſit de deſitione, vt conſideranti apparebit, conſequens eſt, vt etiam more ſucceſſivorum deſinat *per primum non eſſe.* CONFIRMATVR. Eo ipſo quod omnes res prædictæ fiant & deſtruantur per motum, debent ipſi commenſurari in modo incipiendi, qui eſt *per vltimum non eſſe*; & deſinendi, qui eſt *per primum non eſſe*, vt num. 4. probatum eſt.

10 *DICES.* Inductio frigiditatis v.g. in ligno eſt ſimul expulſio caloris præexiſtentis ab illo. Ergo in eadem omninò duratione quà incipit frigiditas, deſinit calor. Cùm igitur aſſeramus frigiditatem abſolutè ſumptam incipere in tempore, ſive *per vltimum ſui non eſſe*, conſequens videtur vt & calor abſolutè conſideratus deſinat pariter in tempore, ſive *per vltimum eſſe.* Idemque dicendum erit de deſitione aliarum qualitatum, ob eandem rationem.

11 *RESP.* Frigiditatem poſſe ac ſolere introduci, vel in ſummo gradu, vt octo v.g. vel ſolùm abſolutè, ſive per partes immediatas & proportionales, atque infra ſummum. Priori ſenſu frigiditas introducitur in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*, ſicut & forma ſubſtantialis aquæ, ad quam vltimò diſponit in eo gradu: atque adeò calor ipſi oppoſitus, qui tunc totaliter deſtruitur, etiam deſinit eſſe in eodem inſtanti, ſive *per primum non eſſe*; ita vt de vna atque alterà qualitate verè dicatur: *Nunc eſt frigiditas vt octo, & immediatè antè non erat vt octo*: & ſimiliter, *Nunc non eſt calor, & immediatè antè fuit.* Ratio autem eſt, quia frigiditas vt octo, ſecundùm eum gradum determinatum formaliter, non admittit magis vel minùs, ac proinde conſiſtit in indiviſibili. Ergo & ſecundùm eum gradum incipit more indiviſibilium, ac per conſequens in inſtanti. Cumque non patiatur ſimul in eodem ſubiecto calorem contrariũ ſub vllo gradu, conſequens eſt, vt & calor deſinit in eodem inſtanti. Poſteriori ſenſu (quo ſolùm loquebamur hactenus) frigiditas non expellit totum calorem, ſed ſub gradu certo ac determinato, quem determinatè habeat intra ſubiectum, v.g. vt quatuor; quà ratione conſiſtebat in indiviſibili, vt modo à ſimili dictum eſt. Ergo & more indiviſibilium quò ad illum gradum deſinit *per vltimum ſui eſſe*, ſive in tempore. Obiectio autem ſolùm probat de deſitione qualitatis abſolutè & in gradu indeterminato, quæ debet more ſucceſſivorum deſinere; non autem de illà penes gradum determinatum, in quo deſinit eſſe more indiviſibilium.

12 *VNDE* Poſterior pars probata manet: quia cùm qualitates *in facto eſſe*, ſive in certo ac determinato gradu conſiſtant in indiviſibili, vtpote non admittẽtes intra illum magis aut minùs, ſicut de numeris determinatis dici ſolet; conſequens eſt, vt more indiviſibilium incipiant, ac deſinant; ac proinde incipiant *per primum ſui eſſe*, deſinantque *per vltimum eſſe.* Cumque

eadem

eadem ratio ſit de cæteris accidentibus cõſideratis ſub certo ac determinato gradu, etiam de iis dicendum eſt eodem modo incipere, ac deſinere.

13 *DICES*, vtramque partem concluſionis ſibi invicem adverſari. Quoties enim vna qualitas expellitur vi inductionis alterius, tot gradus illius deſinunt, quot huius incipiunt, & non plures, neque pauciores. Ergo ſi prima inducitur ſecundum gradus indeterminatos, etiam ſecundùm eos deſinet ſecunda: ac proinde vel vtraque incipiet ac deſinet more indiviſibilium, vel neutra. *RESP.* negando conſequentiam: quia qualitas quæ expellitur, ante introductionem oppoſitæ habet gradum certũ & determinatum. Quod autem eiuſmodi eſt, amittit eundem gradum certum per ablationem cuiuslibet gradus, aut partis, quantumvis minima aut incerta aſſeratur. Quare licèt qualitas incipiens introducatur penes gradus indeterminatos *in fieri*, ac proinde incipiat more ſucceſsivorum; qualitas contraria, quæ remittitur, deſinit eſſe ſub gradu certo, atque adeo more indiviſibilium.

14 *INSTABIS.* Qualitas frigoris vt quatuor v.g. licèt ſit ſub gradu certo, non fit in inſtanti, aut more indiviſibilium. Ergo neque deſinit. Conſequentia patet ab identitate rationis. Antecedẽs autem probatur: Quia qualitas frigoris vt quatuor v.g. producitur per motum. At quidquid producitur per motum, nequit fieri in inſtanti, aut more indiviſibilium, ſicut nec ipſe motus. Ergo qualitas frigoris vt quatuor nequit fieri in inſtanti, aut more indiviſibilium. *RESP.* negando antecedens. Ad probationem nego maiorem: quia licèt calor abſolutè acceptus, ſive prout *in fieri* incipiat per motum; tamen calor vt quatuor, ſecundũ eum gradum formaliter, *& in facto eſſe*, nõ incipit per motum, ſed per indiviſibilia certa & determinata illius, ſive *mutata eſſe*. Cumque hæc incipiant *per primum ſui eſſe*, ſive in inſtanti, vt *num. 3.* ſtatutum eſt, idem dici debet de calore vt quatuor.

SECTIO SECVNDA.

Qualiter incipiant deſinãtque ſubſtantiæ generabiles & corruptibiles?

15 SIT III. *Aſſertio.* Subſtantia quæ generatur, incipit *per primum ſui eſſe*, ſive in inſtanti, & quæ corrũpitur conſequenter ad generationem illius, deſinit etiam in inſtanti, ſive *per primum ſui non eſſe*. Ita Ariſt. indicat *cap. 5. textu 43.* huius libri, verbis illis ſatis obſcuris: *φανερὸν οὖν ὅτι καὶ τὸ γεγονὸς, ὅτι γέγονεν ἔσται, καὶ τὸ ἐφθαρμένον ἔφθαρται. Patet igitur & ipſum factum tum eſſe, cùm factum eſt, & ipſum corruptum tum non eſſe, cùm non eſt corruptum.* Vide D. Tho. *ibidem*, vbi Philoſophum exponit iuxta ſenſum aſſertionis, quæ duas continet partes.

16 *PRIOR* Probatur. Subſtantia quæ generatur, fit per mutationem inſtantaneam & indiviſibilem generationis, quæ proinde incipit in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*. Ergo & ſubſtantia ipſa eodem modo incipit. Terminus enim actionis inſtantaneæ debet eſſe ſimul cum illa. Cumque illa ſolum incipiat & habeat eſſe in inſtanti, etiam in ipſo debet incipere & exiſtere terminus. *Præterea.* Forma ſubſtantialis nõ introducitur in materia, donec tota contrarij reſiſtentia devicta ſit: ideoque quando introducitur, non eſt aliquid, quod eius introductionem retardet. Ergo introducitur quam citiſsimè fieri poteſt; ac per conſequens non in tempore, ſed in inſtanti. *Denique.* Subſtantia in ſui generatione exigit certam ac determinatam materiam, ita vt nequeat fieri in minori: quod conſtabit *ſect. 5.* Ergo nequit eſſe priùs in materia incerta & indeterminata, quàm in certa & determinata. Ergo non fit in tempore, ſed in inſtanti; quia quod fit in tempore introducitur per partes minores & minores, ac proinde in materia indeterminata & incerta. Vnde & obiter infertur vltimam diſpoſitionem, quæ eſt ſimul cùm formà ſubſtãtiali, incipere etiam in inſtanti: tum quia eſt ipſius proprietas; tum quia introducitur in gradu certo & exacto ab ipſa formà ſubſtantiali; tum denique quia producitur per eandem actionem inſtantaneam. Quod adhuc verum eſt ſuppoſita opinione, quæ docet vltimam diſpoſitionem eſſe priorẽ natura & cauſalitate diſpoſitivà relatè ad formam ſubſtantialem à qua emanat. Adhuc enim verum eſt illam coexiſtere formæ intra idem inſtans reale generationis, ſimulque cum ea incipere in eadem duratione.

17 *POSTERIOR* Pars ſuadetur. Quia cum generatio vnius ſit corruptio alterius, neceſſum eſt vt in eadem duratione, quà vna forma ſubſtantialis generatur, etiã ſimul corrũpatur altera. Alioqui, aut vtraque forma eſſet ſimul in eadem materia, aut hæc in teſſio aliquo temporis præcedentis immediatè generationem exiſteret ſine omni forma: quorum vtrumque eſt

impoſsibile, ſaltem naturaliter. At forma ſubſtantialis quæ generatur, incipit in inſtanti, vt nuper probatum eſt. Ergo & forma quæ corrumpitur, desinit in eodem inſtanti, ac proinde *per primum non eſſe*. Quapropter in eodem inſtanti generationis ſubſtantialis animalium v.g. verè dicitur, *Nunc eſt forma animalis, & immediatè antea non erat*; ac ſimiliter, *Nunc non eſt forma embryonis, & immediatè antea erat*. Vnde obiter colliges male aliquos Theologorum docuiſſe gratiam & peccatum coexiſtere in inſtanti iuſtificationis, eò quòd alterum eorum expellit alterum. Inde enim potiùs infertur, vnum non coexiſtere alteri, nec per vnicū quidem inſtans: quia gratia introducitur in ſubiectum vltimò diſpoſitum (loquor de adultis) ac proinde deuictà omni reſiſtentia contrarij, præſtat ſtatim, & a primo inſtanti ſui *eſſe*, effectum formalem iuſtitiæ & sāctitatis, oppoſitū eſſentialiter peccato. Ergo non patitur eius permanētia, ſeu coexiſtentiam, nec per vnum inſtans; quia duo effectus eſſentialiter oppoſiti, nunquam habent ſimul locum in eodem ſubiecto. Quæ ratio itidem vrget in præſēti, ne duæ formæ ſubſtantiales in vno inſtanti intra idem ſubiectum ſibi coexiſtant.

18 *NOTANDVM* Tamen eſt, illam ſubſtantiæ partem, quæ media augmentatione adquiritur, iuxta dicta *diſp. 32. ſect. 2.* incipere in tempore, ſive *per vlt. mū ſui non eſſe*. Ratio eſt, quia pars illa ſubſtantiæ ſimul & eadem omnino duratione producitur, quà pars quantitatis adauctæ. Sicut enim tota ſubſtantia & tota quantitas ſimul producuntur in generatione totali, eò quòd poſterior eſt proprietas prioris; ita etiam, & ob eandem rationem, in generatione partiali, & augmētatione, ſimul pars ſubſtantiæ & pars quantitatis producuntur. At qui pars quātitatis producitur in tempore, ſive *per vltimum ſui non eſſe*; vtpotè facta per motum ſucceſsivum. Ergo & pars ſubſtantiæ ſimul cum illà incipiens, producitur in tēpore, ſive *per vltimum ſui non eſſe*. Vnde & infertur, ſubſtantiam alimenti, quæ corrumpitur per introductionem illius partis ſubſtantiæ aggeneratæ, etiam deſinere in tempore, ſive *per vltimum ſui eſſe*. Cùm enim productio ſubſtantiæ aggeneratæ ſit deſtructio ſubſtantiæ alimenti cum ea incompoſsibilis, oportet vt ſimul, atque eàdē omnino duratione, incipiat prior, & deſinat poſterior. Cum igitur de priori probatum ſit incipere in tempore, etiam de poſteriore dicendum eſt deſinere in tempore. Quare in eodem inſtanti verè dici poteſt: *Nunc non eſt ſubſtantia producta ex alimento, & immediatè pòſt erit*: ac ſimiliter: *Nunc eſt ſubſtantia alimenti, & immediatè pòſt non erit*.

19 *DICES*: Tam eſſe ſubſtantiæ, quàm non eſſe, eſt totum ſimul, conſiſtitque in indiviſibili; vtpotè nullam extenſionem ex ſe habens, nec admittens magis aut minus. Ergo neque pars ſubſtantiæ aggeneratæ incipit, neque ſubſtantia alimenti deſinit, niſi indiviſibiliter, ac proinde in inſtanti. *RESP.* ſubſtantiam per ſe præcisè conſideratam, eſſe totam ſimul, & abſtrahere ab omni extenſione; ideoque in generatione totali fieri indiviſibiliter & in inſtanti, quia tunc ſola illa per ſe inſpicitur à natura. At vero in aggeneratione & augmentatione non inſpicitur per ſe primò à natura, ſed ſecundario, & ratione quantitatis, cuius augmentum ſolum eſt quod per ſe primò quæritur, vt diximus loco nuper allegato. Quare tunc ſequitur modum ipſius quantitatis adauctæ, eiusque extenſionem, & introductionem per partes proportionales, & incertas; proindeque inſtar illius incipit in tempore. Quod autem ſubſtantia alimenti totum ſuum eſſe ſimul habere aſſeratur, minimè obſtat vt deſinat in tēpore, quoties deſinit vi motus quantitatiui, qualis eſt augmentatio. Tunc enim commenſuratur eidem motui in deſinendo diviſibiliter, ac per partes minores & minores; ſicut & pars ſubſtantiæ aggeneratæ in incipiendo.

SECTIO TERTIA.

Quid ſentiendum ſit de alÿs rebus, quæ in ſuo fieri non pendent à motu?

20 SIT *IV. Aſſertio.* Res quæ in ſuo fieri non ſubiacent motui (quales ſunt ſubſtantiæ Angelorum, corporumque cœleſtium, & accidentia ſpiritualia, ſive naturalia, ſive ſupernaturalia) exigunt incipere in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*: ſi autem aliquando deſinere ſupponantur, aut contingat; exigunt naturaliter *per vltimum ſui eſſe*, ſive in tempore deſinere. Ratio prioris partis eſt, quia ſolū illud quod eſt ſucceſsivum, aut fit per ſucceſsivum motum, habēt fieri ſucceſsivè & in tempore: id autem quod tale non eſt, habet ſuum eſſe permanens & totum ſimul ab inſtanti productionis; ideoque exigit fieri indiviſibiliter & in inſtanti. At res omnes enumeratæ in aſſertione, nec ſunt entia ſucceſsiva, nec fiunt per ſucceſsivum motum,

tum, vt patet; ſed potiùs habent eſſe permanens & totum ſimul ab inſtanti productio nis. Ergo res omnes prædictæ non fiunt neque incipiunt ſucceſsivè & in tempore, ſed indiviſibiliter & in inſtanti, ſive, quod idē eſt, per primum ſui eſſe. Ratio autem poſterioris partis eſt, quia eo ipſo quòd prædicta entia habeant ſuum eſſe permanens & totum ſimul, exigunt deſinere (dato caſu deſitionis) inſtar aliarum rerum permanētium, & habentium totum eſſe ſimul; ac proinde in tempore, ſive *per vltimum ſui eſſe*.

21 *CONSVLTO* Dixi, res iam enumeratas *exigere naturaliter* inceptionē in inſtanti, ſcilicet, ex ſuppoſitione libera Deo in qua producendæ ſunt; & deſitionem in tempore, ex hypotheſi in quà Angeli & cœli annihilarētur, ſicuti quotidie deſtruūtur actus, habituſque naturales & ſupernaturales. Nam alioqui, & nullatenus ſpectatis rerum naturis, ſed volente Deo præter, aut ſupra illarum exigentiam operari, poſſent incipere in tempore, & deſtrui in inſtanti; ſcilicet, modo per omnia oppoſito. Etenim neque Angeli, neque corpora cœleſtia, in ſuo *fieri* aut *eſſe* ſubduntur motui, nec menſurantur tempore, ſed ævo, vt *diſp. 30.* ſtatutum eſt. Accidentia autem ſpiritualia, neque in ſuo *fieri*, neque in ſuo eſſe, pēdent eſſentialiter à motu aut tempore; quoniā his ceſſantibus, adhuc abſolutè poſſent fieri ac permanere. Ergo Deus, cui pleniſsima facultas eſt operandi quælibet, in variatis rerum eſſentijs, poteſt abſolutè facere, vt prædicta omnia incipiant in tempore, ac deſinant in inſtanti.

22 *SED* Obijcies, videri omnino impoſsibile, vt ſubſtantiæ ſpirituales Angelorum incipiant in tempore; idque multiplici ex capite. *Primò*: nam quæcunque incipiunt in tempore, incipiunt ſucceſsivo modo, ac proinde habendo vnam partem poſt aliam. At ſubſtantiæ ſpirituali & prorſus indiviſibili Angelorū impoſsibile omnino eſt habere vnam partem poſt aliam. Ergo & incipere in tempore. *Secundò*, quia ſubſtantiæ eidem ſpirituali repugnat incipere ſecundùm ſe totam in toto tempore, & ſecundùm partes in partibus temporis, cùm repugnent illi partes. Aliunde nec poſſibile eſt vt incipiat tota in toto tempore, & tota in qualibet parte tēporis; ſic enim pluries ac pluries inciperet. Ergo nulla tandem ratione fieri poteſt vt incipiat in tempore. *Tertiò* à pari. Enti enim ſucceſsivo, vt motui, repugnat omnino incipere in inſtanti indiviſibili, quoniam eius eſſe eſſentialiter eſt ſucceſsivum & diviſibile. Cùm ergo è converſo ſubſtantia Angeli ſit eſſentialiter permanens & indiviſibilis, repugnat prorſus illi incipere in tempore ſucceſsivo & diviſibili.

23 *RESP.* Negando aſſumptum. *AD I. Probationem*, concedo minorem de ijs, quæ incipiunt in tempore, vt in propriâ menſurâ, cui ſubduntur: nego autem de ijs quæ in tempore noſtro incipiunt, vt in menſura extranea, cui minimè ſubduntur: quales ſunt omnes ſubſtantiæ incorruptibiles, præſertim ſpirituales Angelorū; quarum inceptio menſuratur inſtanti temporis diſcreti, correſpondente tempori noſtro continuo, tanquam menſuræ inferiori, in ea hypotheſi poſsibili; licet modo de facto quo ad inceptionem Angeli, ſolum correſpondeat inſtanti indiviſibili noſtri temporis. Vide quæ diximus *diſp. 30. ſect.* [illegible] *ad end.* Vnde conceſsa minore; nego conſequentiam. *AD II. Prob.* conceſſo antecedente quo ad omnes partes, nego conſequentiam: quia licèt ſubſtantiæ incorruptibiles & ſpirituales non incipiant aliquo ex illis modis in obiectione aſsignatis; incipiūt tamen de facto in inſtanti diſcreto, quatenus correſpondet inſtanti indiviſibili noſtri temporis continui; & in caſu illo poſsibili inciperent in eodem inſtanti diſcreto, prout reſpondente parti diviſibili temporis noſtri, minori, ac minori quacunque aſsignatâ. Licèt enim inſtans diſcretum ſit formaliter indiviſibile, cum aliunde ſit menſura ſuperior, poteſt virtualiter extendi ad tempus diviſibile; ſicut & anima rationalis ad diviſibile corpus, & indiviſibile continui permanentis extenditur vtrimque, atque inadæquatè, ad partem illam minorem ac minorem, quam afficit immediatè. *AD III. Prob.* nego conſequentiam. Ratio diſcriminis eſt, quia enti ſucceſsivo eſſentialiter repugnat eſſe totum ſimul, ac proinde incipere in inſtanti intrinſeco. Enti verò ſpirituali & indiviſibili, non repugnat in ſui inceptione correſpondere tempori noſtro, quæ menſuræ extrinſecæ & inferiori, atque inadæquatè ſolum; vt & in punctis indiviſibilibus quantitatis nuper explicatum eſt; & prætereà conſtat in eiſdem Angelis, qui, licèt indiviſibiles ſint, propter ſuam [illegible] perfectionem correſpondent [illegible] ſpatio loci diviſi- [illegible] bilis [illegible]

[illegible]

SEC-

mo pervenerunt, iuxta inæqualem ſeminis quantitatem, & materiæ diſpoſitionem, vnicuique illorum determinatam ac certam. Vnde merito dixit S. Thomas 2. de Anima lect. 8. fine: *Eſt aliqua quantitas ita magna, vltra quam ſpecies humana non porrigitur, & aliqua tam parva, vltra quam homo non invenitur.*

28 COETERVM, Vt rectè adnotavit doctiſsimus M. Ioannes à S. Thom. *q. 8. Phyſic. ar. 2. & 4.* doctrina hactenus tradita intelligenda eſt ſolùm de viventibus quò ad ſui generationem, & conſervationem, qui ſtatus eſt connaturalis: nam alioqui, & via corruptionis, qui ſtatus eſt præternaturalis, non habent terminum intrinſecum ſuæ magnitudinis, aut parvitatis, ſed extrinſecum tantùm. Ratio primi eſt: quia ſi via corruptionis daretur terminus intrinſecus magnitudinis, poſſet vivens deſinere per *vltimum ſui eſſe*, cuius oppoſitum ex communi Authorum conſenſu, & firma ratione oſtenſum eſt *ſect. 2.* Probatur ſequela. Etenim ſi vivẽs medio motu, ſive actione aliqua, perveniat ad terminum illum intrinſecum via corruptionis, & continuetur talis motus, ſive actio, v. g. tumefactio; neceſſum eſt vt vivens moriatur immediatè pòſt, cùm immediatè poſt ſit iam vltra illum terminum intrinſecum, quẽ via corruptionis habebat. Ergo in eo inſtanti quo vivens pervenit ad eum vltimum terminum, verè dici poterit: *Nunc eſt vivens & immediatè pòſt non erit.* Hoc autem planè eſt deſinere *per vltimum eſſe.* Ergo ſi vivens haberet terminum intrinſecum magnitudinis via corruptionis, poſſet deſinere *per vltimum eſſe.* Ratio autem ſecundi inde idem facilè elicitur: quia ſi viventia haberẽt terminum intrinſecum parvitatis, etiam poſſent deſinere per vltimum eſſe. Etenim aſſignato terminò intrinſeco, v. g. in condenſatione viventis penes parvitatem, ſi continuetur motus, morietur vivens immediatè poſt terminum illum adquiſitum. Ergo cùm primùm eum terminum adquirit, verè dici poterit: *Nunc eſt vivens in termino intrinſeco corruptionis, & immediatè pòſt non erit.* quod certè eſt deſinere *per vltimum eſſe.* Plura alia vide apud prædictum Authorem, quibus non poſſumus immorari.

SECTIO QVINTA.

An non viventia ex vi ſuæ generationis & formæ habeant terminum intrinſecum magnitudinis, parvitatiſque; & ſimiliter in ſui incremento, ſeu aggenerationes?

29 SIT VI. *Aſſertio.* Non viventia habent intrinſecum terminum magnitudinis ex vi ſuę generationis & formæ: cæterum in aggeneratione, ſive incremento non habent terminum prædictum ex ſe, & ſpectata ipſorum natura. Prior pars eſt expreſſa Ariſt. 2. *de Anima textu 41.* illis verbis: *τῶν δὲ φύσει συνισταμένων πάντων ἔστι πέρας καὶ λόγος μεγέθους καὶ αὐξήσεως. At eorum omnium, quæ naturâ conſtant, eſt finis & ratio, tam magnitudinis, quàm accretionis.* Vbi D. Thomas lect. 8. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quòd in omnibus quæ ſunt ſecundùm naturam, eſt certus terminus, & determinata ratio magnitudinis & augmenti.* Idemque docet 1. *p. q. 7. art. 3.* Ratione etiam probatur ex eodem Angelico D. deſumpta: Quia omne corpus naturale, vi ſuæ generationis, accipit aliquam formam ſubſtantialem determinatam; ac proinde determinata accidẽtia, quæ ex illa ſequantur. Ergo & determinatam ac certam quantitatem, ideoque & terminatam aliquo termino intrinſeco penes magnitudinem. Quæ ratio ſolùm accipienda eſt de quantitate quatenus conſequuta ex prima productione compoſiti naturalis, quo tantum ſenſu loquitur S. Thom. & in quo eadem de non viventibus, ac de viventibus, ratio eſt. *Confirm.* Si enim ſubſtantiæ non viventes carerẽt termino certo magnitudinis in ſui generatione, inciperent per partes indeterminatas & incertas, atque adeo *per vltimum ſui non eſſe*: quod ſupra *ſect. 2.* vniverſim improbatum eſt, & *num. 27.* reiectum circa viventia, in quibus eadem ratio eſt quò ad præſens. Quare in hac priori parte communiter Authores cõveniunt.

30 POSTERIOREM Partem tradunt Albertus Magnus 2. *de Anima tract. 2. cap. 4.* Scotus *in 2. diſt. 2. q. 9.* Toletus *q. 8. Phyſic. concl. 4.* & Ioannes à S. Thom. *q. 8. ar. 2.* quamvis eam negent plures, quos referunt & ſequuntur Complutenſes *diſp. 25. q. 1.* Illa tamen expreſsè videtur tradita ab Ariſt. vbi nuper: nam ante verba exſcripta *num. preced.* immediatè præmiſerat: *ἡ μὲν γὰρ τοῦ πυρὸς αὔξησις εἰς ἄπειρον, ἕως ἂν ᾖ τὸ καυστόν. Nam ignis quidem accretio in infinitum progreditur, & conſque fit, quouſque ſit*

combuſtibile. Vbi S. Thom. lect. 8. *Ignis augmentum non eſt vſque ad determinatam quantitatem, ſed in infinitum extenditur, ſi in infinitum materia combuſtibilis inveniatur*. Vnde & vterque probat augmentum viventis nõ poſſe ab igne provenire: quia, ſcilicet, vivens habet terminum ſuæ magnitudinis, ignis autem illum non habet. Sentiunt igitur ignem in ſuo augmento carere illo termino, quem habent viventia. Cùm igitur viventia, iuxta communem doctrinam, etiam ipſorum Adverſariorum, habeant terminum intrinſecum magnitudinis in ſui ipſorum augmento, è contra dicendum eſt de igne quatenus incrementum ſubire poteſt.

31 *DVPLEX* Solutio adhiberi ſolet huic argumento ex authoritate. *Prima* eſt, Ariſt. & D. Thomam loqui de incremento ignis via corruptionis, quo ſenſu poteſt in infinitum creſcere. *Secunda*, ignem poſſe conſiderari ſimpliciter, & tanquam vnicùm individuum intra ſuam ſpeciem; vel etiam per aggregationem, ſicut acervum lapidum: & priori quidem ſenſu non poſſe in infinitum creſcere, ſed habere certum magnitudinis terminum: poſteriori autem, carere termino, & poſſe creſcere in infinitum: atque hoc poſtremum eſſe tantum quod ab Ariſtot. & D. Thoma affirmatur.

32 *SED* Vtraque evaſio facilè præcluditur. *Prima* quidem. Quia Ariſt. & D. Thom. aſſerunt ignem poſſe creſcere ſine termino. At repugnat poſſe via corruptionis creſcere ſine termino, ſed ſolùm via augmentationis, vt patet. Ergo aſſerunt poſſe creſcere ſine termino; non via corruptionis, ſed augmentationis. Quod & vtriuſque verba expreſsè habẽt. Et quidem aliud eſt quòd ignis via corruptionis habeat terminum extrinſecum, aliud verò quod infinitum: ac licèt primum ſit verum; ſecũdum omnino impoſſibile eſt; quoniam via corruptionis deſtruit rem, impeditque conſequenter omne illius augmentum, & præſertim infinitum. *Secunda* autem evaſio reijcitur: Nam eo ipſo quòd ignis in infinitum poſsit creſcere, ſi adſit materia combuſtibilis, vt Ariſt. & D. Thom. affirmant; planè ſequitur poſſe reſultare idem individuum ex igne præexiſtente, & ſuperaddito per accretionem. Ideo namque ex igne vinari v.g. & palmo ſtuppæ ſuperaddito, atque ab eo combuſto, reſultat vnum individuum, vnitate continuationis, non verò acervus aliquis, quia ignis præexiſtens convertit ſtuppam in ſe, ac proinde continuat partem ignis adauctam cum præcedentibus. At quantò maior ac maior fuerit ignis, eò faciliùs poteſt ſtuppam, aut aliam rem ſimilem, in ſe convertere, per illius combuſtionem. Ergo & quantò maior ac maior fuerit ignis, eo facilius ex illo, & ſtuppa ſupperaddita, atque ab eo combuſta reſultabit vnum individuum, vnitate continuationis.

33 *RATIO* Verò eiuſdem partis videtur aperta, loquendo de eodem igne: Quia nunquam ita creſcit, aut crevit de facto, vt naturaliter nequeat vlteriùs creſcere, ſi pabulum idoneum & proportionatum ei adhibeatur. Igitur ſpectata natura ſua non habet terminum intrinſecum magnitudinis. Conſequentia patet, & antecedens ſuadetur: quia quo magis creverit ignis, eo ampliorem vim comburendi habet naturaliter; ac proinde eandẽ vt minimũ, aut certè maiorem efficaciam habet ad comburendum pabulum idoneum, quàm habebat dum ſub minori magnitudine exiſteret. Etenim accreſcente qualibet particula ignis, augetur ſimiliter calor ipſi proprius, & vis combuſtiva. Igitur ignis nunquam ita creſcit, aut crevit, vt non poſsit, potueritve naturaliter vlterius creſcere, applicato ſibi pabulo, ſive idoneo alimento. E contra accidit in viventibus, quę poſſunt & ſolent creſcere, quin virtus eorum augmentativa creſcat: quoniam hæc non eſt diffuſa per totum vivens, ſicut calor per totum ignem; ſed alligata eſt determinatæ parti, ſive organo, v. g. ſtomacho, in quo recipitur alimentum, vt exinde ad cęteras partes viventis diſtribuatur. Vnde experimur innumeros homines, poſtquã pervenere ad ſtatum perfectum, in quo nec ſtaturæ, nec potentiarum incrementũ iam eſt, creſcere adhuc magis & magis in magnitudine molis, & pingueſcere, etiam ſi parum alimenti ſumant. Creſcunt ergo viventia in omnibus ſuis partibus, quin propterea creſcat vis, ſeu potentia augmentativa: cujus tamen oppoſitum cõtingit in igne. Quod idem dicendũ eſt de cæteris elementis, quanquam longè minus activis, in debita proportione, quia ratio eſt eadem. Ex dictis facilè occurres pluribus argumentis in oppoſitum: quæ brevitatis cauſa prætereo.

34 *SIT Aſſertio vltima*. Non viventia in ſuò *fieri* & *eſſe* habent terminum intrinſecum parvitatis; ſecus vero via corruptionis. Priorem partem tradit expreſsè S. Thomas 1. *p. q* 7. *ar*. 3. vbi vniverſè docet naturale corpus habere determinatã quantita-

titatem penes magnum & parvum; quia quantitas ſequitur determinatam formam. Et in 2. *diſt.* 30. *q.* 2. *art.* 2. corpore eandem doctrinam tradit, ideoque colligit poſſe inveniri minimam carnem, ac minimam aquam, vt dicitur 1. *Phyſic. textu* 36. *&* 37. iuxta expoſitionem eiuſdem S. Doctoris *ibid. lect.* 9. vbi adnotat diſcrimen corporis mathematici a naturali, quod illud prius ſit diviſibile in infinitũ, quia in eo ſolùm conſideratur quantitas diviſibilis veluti in abſtracto; hoc autem poſterius è contra, quia continet determinatam formam, quę non, niſi ſub determinata quantitate, conſervari poteſt.

35 Et præterquam quòd hæc ratio ſufficeret ad probandam priorem aſſertionis partem, ſuadetur aliunde: quia ſi inanimata non haberent vi ſuæ generationis determinatam quantitatem verſus minimam, poſſent incipere in tempore, ſive *per vltimum non eſſe*, more ſucceſsivorũ. quod ſupra *ſect.* 2. improbatum eſt. Sequela patet data hypotheſi, quâ applicetur, vel creetur ignis vehemens in aliquo inſtanti iuxta cõbuſtibile proportionatum; ita tamen, vt in eo momento ignis ſolùm tangat ſuperficiem combuſtibilis, vt communiter accidere ſolet; indeque incipiat diffundere ſuã virtutem vniformiter difformiter; ac proinde eidem ſuperficiei applicet calorem vt octo, atque infra illam aliquid minus & minus caloris ſucceſsivè. Modò ſic. In ea ſuperficie nequit generari ignis in primo inſtanti, quia ignis, cùm ſit corpus, conſtat trina dimenſione; ac proinde in vnica dimenſione ſuperficiei generari nequit. Ergo ad generationem ignis, expectari debet, vt pars aliqua combuſtibilis ſit diſpoſita calore vt octo, communicato ſibi media ſuperficie immediatè poſt. Ergo cùm immediatè poſt illud inſtans ſequatur tempus, ſi ignis in quacumque minori & minori parte generari poteſt, incipiet plane, ſeu generabitur, non in inſtanti, ſed in tempore. Quod tamen inconveniens in noſtra opinione no habet locũ: quia eo ipſo quòd ignis habeat terminum certum & intrinſecum parvitatis, ille non in tempore diviſibili, ſed in inſtanti indiviſibili, atque adeò *per primum ſui eſſe*, debet incipere, iuxta doctrinam generatim traditam *ſect.* 1. præſertim à *num.* 11.

36 *POSTERIOR* Pars ſuadetur: Quia ſi corpus inanimatum haberet terminum intrinſecum parvitatis via corruptionis, poſſet deſinere *per vltimum ſui eſſe* contra communem ſententiam, probatam *ſuprà n.* 17. Sequela patet: Poſito enim quod corpus inanimatum perveniat ad terminum intrinſecum parvitatis, qui determinatus eſt, & proinde adquiri debet in inſtanti intrinſeco; adhuc poſſet continuari motus, ſive condenſationis, ſive diviſionis, atque adeò non in illo inſtanti intrinſeco deſineret, ſeu corrumperetur corpus inanimatum, ſed immediatè poſt in continuatione eius motus. Ergo deſineret in tempore immediatè ſequenti, atque adeo *per vltimum ſui eſſe*. Eſſet quippe verum dicere in eo inſtanti, quo adquiritur terminus parvitatis intrinſecus: *Nunc eſt corpus inanimatum aqua v. g. aut ignis, & immediatè poſt nõ erit.* Itaque inanimata, ſeu non viventia, via corruptionis non habent terminum intrinſecum, nec magnitudinis, nec parvitatis, ſed extrinſecum tantùm, qui non prohibet illa vt deſinant in inſtanti, ſive *per primum ſui non eſſe*, vt conſideranti apparebit.

Plura alia vide apud Ioannem
à S. Thoma *dicta*
quæſt. 8.
()

IN LIBRVM SEPTIMVM PHYSICORVM.

POSTQVAM Ariſt. explicuit naturam motus, iam hoc libro agit de illo per comparationem ad moventia, & ad ipſum primum movens. Primis tribus capitibus diſſerit de principio motus vſque ad primum motorem. Quarto verò & quinto capite comparat ipſa mobilia & moventia inter ſe, quò ad velocitatem, tarditatem, & proportionem, quam habere debent. Circa quæ omnia opportunas diſputationes excitabimus.

DISP. TRIGESIMA NONA.

DE APPROXIMATIONE AGENTIS AD PASSVM.

Num. 1. *EXAMINANDVM eſſet in præſenti, vt fieri ſolet ab alijs, an idem & ſecundùm idem, poſſit per ſe movere ſe ipſum. Similiter & an omne quod movetur, neceſſariò debeat moveri ab alio. Verùm de vtroque opportuniùs, & quantùm ſatis ſit, agemus* diſp. ſequenti ſect. 2. per totam: *vbi apertè conſtabit nihil poſſe movere ſeipſum per ſe loquendo, neceſſariamque eſſe realem diſtinctionem partis per ſe moventis à parte per ſe mota. Vnde & conſequens eſt, vt omne quod movetur, debeat per ſe moveri ab alio. Quare modò agendum eſt de approximatione agentis ad paſſum, ſive motoris ad mobile, quatenus ſit, vel non ſit neceſſaria ad agendum, ſive movendum. Vbi plura dubia ſatis difficilia breviter perſtringenda ſunt, quia maiora nos vocant ad ſui examen. Habet præcipuè locum difficultas hæc* cap. 2. *huius libri ſeptimi, vbi à Conimbricenſibus, & ab alijs Authoribus excitatur.*

SECTIO PRIMA.

An exigatur approximatio moventis ad mobile, ſeu agentis ad paſſum, vt in eo operetur? Eligitur ſententia affirmans.

2 HÆC Controverſia eadem eſt cum illa, qua inquiri ſolet, vtrùm agens poſſit operari in diſtans, non operando in propinquum, ſive non emittendo virtutem ſuam per medium. Eſt autem duplex approximatio agentis, ſeu moventis: altera *formalis*, quæ dici ſolet immediatio ſuppoſiti, vt quando agẽs eſt per propriam ſubſtantiam proximum, ſive contiguu paſſo ſeu mobili, quin aliud ſuppoſitum interiaceat. altera *virtualis*, quæ dicitur immediatio virtutis; vt quando agens diffundit procul virtutẽ ſuam operatiuã, eamque ponit vbi ipſum per ſubſtantiam præſens non eſt; quemadmodũ generans media ſeminali virtute à ſe decisa, & iam abſente, producit effectum ſubſtantialem ſuæ ſpeciei; & Sol in cœlo manens operatur quælibet effecta ſubcœleſtia mediante virtute diffuſa per medium; & continuata vſque ad paſſum. Quærimus itaque an poſſit agens operari in paſſum, ſive mobile, abſque aliqua ex prædictis approximationibus.

3 *ALIQVI* Authores, quos allegant Conimbricenſes *hic cap. 2. quæſt. 1. art. 2.* aiunt non requiri approximationem ali-

aliquam, quia exiſtimant poſſe agens operari in diſtans, quin agat in propinquum. Allegari etiam ſolet in idem Scotus *in* 1. *diſt.* 37. *quæſt. unica*: ſed immeritò. Ibi enim non docet abſolutè poſſe agens operari in diſtans quin agat in propinquum. Solùm ait, qualitates ab agente diſtuſas non producere ſubſtantiam, ne inſtrumentaliter quidem: ſed poſitis illis, vt puris diſpoſitionibus, produci ſubſtantiam ab agente diſtante, & nullam virtutem activam emittente per medium. Quo planè fatetur agens debere eſſe approximatum paſſo, ſaltèm mediis diſpoſitionibus à ſe productis, quamvis illæ non ſint virtutes activæ. Certum autem videtur ex ſententia omnium, debere agens eſſe approximatum formaliter, ſive immediatione ſuppoſiti, relatè ad ſuum primum effectum & conſequenter relatè ad paſſum, ſi talis effectus ex illo educendus ſit; ſi autem nullus effectus ex paſſo educendus ſit, vt in creatione, exigi prædictam approximationem relatè ad effectum, quem efficit. Ratio eſt: Quia in iis caſibus actio debet eſſe coniuncta immediatè paſſo & effectui, cùm tangat illud ad extrahendum effectum immediatè ex potentia paſſiva illius, & huic immediatè tribuat eſſe. Actio autem ſupponitur oriri ab agente immediatè immediatione ſuppoſiti; ac proinde approximata eſt ipſi immediatè, immediatione ſuppoſiti. Ergo & ipſum agens debet eſſe immediatione ſuppoſiti approximatum eidem paſſo & effectui. Quippe mediatio ſolius operationis, abſque vlio ſuppoſito interiecto, prædictam approximationem extorquet.

4 *QVARE* Difficultas præcipua eſt de approximatione virtuali; & de hac dupliciter. *Primò* & generatim, an agentia, ſeu moventia, quæ diffundunt virtutem operativã extra ſe, debeant prius agere in propinquum, quàm in remotum & in neutrũ agere poſsint ſine approximatione virtuali, ſeu virtutis gerentis vices ipſorum. *Secundò*, an generans formaliter diſtans moveat gravia & levia per approximationem virtualem, ſive virtutis in eis productæ; an potius illa moveantur à ſeipſis. Hæc ſeorſim diſcutienda ſunt; quanquam ſingula eorum breviter.

5 *SIT I. Aſſertio.* Omne agens debet eſſe paſſo approximatum formaliter, aut ſaltem virtualiter, ſive per immediationẽ virtutis propriæ, quanquam exiſtentis in alieno ſuppoſito. Vnde & conſequens eſt, vt nullum agens, ſive movẽs poſsit aliquid operari in diſtans, niſi mittat virtutem operativam per medium interiectum, ſeu agat priùs in propinquum. Eſt doctrina Ariſtotelis *hoc lib.* 7. *cap.* 2. cuj epigrapha, *Quòd movens debet eſſe mobili contiguum.* Initio autẽ capitis inquit: τὸ δὲ πρῶτον κινοῦν, &c. *Primum autem movens, non vt id, cuius gratia, ſed vnde eſt motionis principium, cum eo, quod movetur, ſimul eſt. Dico autem ſimul, quòd nihil inter ea intercedat. Hoc enim rei omnis, quæ movetur, & eius, quæ movet, commune eſt.* Quæ verba ſic elucidat S. Thomas ibidem: *Intelligit autem hoc de immediatè movente; & ideo dixit, primum movens, vt per primum ſignificetur immediatum movens; non autem id, quod eſt primum in ordine moventium. Et dictum eſt communiter quod movens & motum ſunt ſimul, & non ſpecialiter de motu locali: quia hoc eſt commune in omni ſpecie motus, quòd movens & motum ſunt ſimul.* Quare eandem ſententiam tuentur S. Bonaventura *in* 1. *diſt.* 37. *art.* 2. *q.* 1. Durandus *ibid. q.* 1. Argentinas *q.* 1. *ar.* 1. Capreolus *q.* 1. *art.* 1. & 3. Caietanus, Bañez, Nazarius, Zumel, ac cæteri ferè omnes Interpretes D. Thomæ 1. *p. q.* 8. *ar.* 1. Eximius Suarez *diſp.* 18. *Metaph. ſect.* 2. Hurtado *diſp.* 9. *ſect.* 6. *ſubſectione* 1. Arriaga *diſp.* 7. *ſect.* 6. Oviedo *controv.* 18. *per totã*. Ioannes à S. Thoma *q.* 22. *art.* 2. Complutenſes *diſp.* 26 *q.* 3. plurimique alij ex Recentioribus, contra Vazquez 1. *p. q.* 8. *diſp.* 28. Averſam *q.* 14. *Phyſicæ ſect.* 7. Pontium *diſp.* 19. *q.* 2. aliosque ſuppreſſo nomine ab eo allegatos: quamvis ipſe non aſſerat de facto aliquod agens operari in diſtans ſine actione in medium, ſed ſolũ id nõ repugnare, ſive eſſe abſolutè poſsibile.

6 *DIFFICVLTAS* Tota ferè eſt in reddenda ratione a priori aſſertionis præiactæ; nam quæ communiter afferũtur, inefficaces videntur. *Primò* Capreolus, Suarez & alij, probant, quia actus & potentia debent eſſe ſimul. Atqui agens ſe habet per modũ actus, paſſum vero per modum potentiæ recipientis aliquid ab eo. Ergo agẽs & paſſum debẽt eſſe ſimul. *Verùm* ratio hęc non vrget Adverſarios. Dicent enim actum formalẽ, ſive informativũ, debere eſſe ſimul cum potentia illi correſpondẽte, quia eam intrinſecè informat, & perficit; ſecus verò actũ effectivum extrinſecũ, & potentiam ſuſceptivam termini ab eo producti. Inter hęc enim duo nulla eſt ratio, quę probet exigentiã approximationis. *Secundò* Sot*us in præſenti q.* 1. probat, quia limitatio materiæ videtur exigere, vt forma, quæ eſt in materia, nequeat movere alia, niſi tãgẽdo, ac per cõſequens debeat eſſe ipſi contigua. Sed nec ratio hæc efficax eſt. Quid enim

obſtat limitatio materiæ, vt forma exiſtens in alia, ſeu agens compoſitum & finitum, habens virtutem activam ad operandum intra duas vlnas ſpatij v.g. operetur aliquid in ſecunda, vbi impeditur ab agendo intra primam? Ergo ex limitatione materiæ, & formæ, quæ conſtituitur agẽs, minimè evincitur impotẽtia operandi in remotum abſque operatione in propinquum. *Tertiò* Ioãnes à S. Thomá, & cum eo Martinez de Prado *contr.* 113 *ar.* 3 *num.* 77. probat, quia effectus exit, ſive procedit ex concurſu paſſi & agentis. Ergo oportet vt virtus activa ſit coniuncta paſſo. Cæterùm adhuc longa intercapedo eſt ab antecedente ad conſequens: quia in neutra enthymematis parte, nec in toto illo redditur ratio, cur approximatio exigatur vt actio exeat ab hoc agente in hoc paſſum, ſive vt effectus exeat ex influxu agentis & paſſi ſimul. Mitto rationes alias impugnatu faciles, & iudico nullam hactenus ab Authoribus fuiſſe aſsignatam à priori, quæ efficax ſit. Neque illam invenio apud Ariſtotelem, aut D. Thomam, qui duo ſolum ab inductione, & à poſteriori ſententiam ſuam ac noſtram probant.

7 *QVARE* Reſtat vt ad rationes à poſteriori confugiamus, quarum nonnullas breviter perſtringam. *Prima*, iuxta Ariſtot. & D. Tho. procedit ab inductione omnium moventium, ſive agentium, de quibus experimento conſtat, eſſe approximata paſſo, vel per ſuam ſubſtantiam, vel ſaltem per virtutem à ſe diffuſam, quoties aliquid in eo operantur, & quoties movent quocumque genere motus, ſive ad quantitatem, ſive ad qualitatem, ſive ad locum. Ergo quia neceſſaria eſt inter agens & paſſum, ſive movẽs & mobile, approximatio, vel formalis & per propriam ſubſtantiam, vel virtualis, id eſt, media virtute ab illo diffuſa. Vnde & planè colligitur, non poſſe agens, ſive movens, aliquid operari in remotum, quin prius agat in propinquũ, producendo, ſeu emittendo virtutem activã, quæ ipſius nomine immediatè operetur. *Secunda*: Quia intelligibile nõ eſt quod principale agens operetur producendo, vel movendo aliud, niſi agat per virtutem aliquã activam, quæ ſit ipſius propria; nam ſi aliena & extranea eſt omnino, nequibit media illa eſſe ac denominari propriè agens principale. Ergo talis virtus activa aut debet immediatè reſidere in ipſa ſubſtantia agẽtis, aut derivari ab eo in aliud, quod ipſius nomine operetur, tanquam principalis cauſæ activæ. Si primum dicatur; neceſſario erit approximatio formalis, ſive immediata ſuppoſitorum inter agens & patiens. Si aſſeratur ſecundum; dabitur approximatio virtualis, ſive per virtutem derivatam à principali agente, non operante in paſſum remotum, niſi prius agat in propinquum, derivando illam virtutem intermediam.

8 *Tertia*. Omnis actio tranſiens (de quà ſola loquimur in præſenti: nam immanens creata nihil operatur immediatè extra proprium ſuppoſitum) debet eſſe immediatè coniuncta paſſo: tum, quia in eo recipitur, vt *diſput.* 19. *ſect.* 4. oſtenſum eſt: tum, quia tangere debet illud immediatè, vt ex eius viſceribus educat terminum, ſive effectum, dando illi *eſſe* primum, immediatione influxus, quæ eſt ſumma omniũ. Modo ſic. Sicut actio debet eſſe coniuncta paſſo, quia recipitur in illo immediatè, atque ipſi dat *eſſe* per modum cauſalitatis; ita & approximata eſſe debet virtuti operativæ, quia recipit *eſſe* ab illa immediatè, eſtque eius cauſalitas, & immediata reductio de potentia ad actum. Ergo virtus operativa debet eſſe immediatè approximata actioni, ac ſubinde paſſo, cui ea actio intima eſt. Ergo & agens, à quo ſupponimus derivatam fuiſſe talem virtutem, debet eſſe approximatum paſſo, ſaltem immediatione virtutis, quatenus inter vtrũque nulla alia virtus mediat, niſi quæ agentis præcipui eſt propria.

9 *Quarta* ex ijs, quæ latiùs expendimus *diſput.* 27. *ſect.* 1. *à num.* 8. circa communẽ totius naturæ ſollicitudinem, ne vacuum in rerum natura ſit. Ideo enim tum communibus, tum & inſolitis ac miris modis, illud impedire conatur, quia corpora inferiora indigent alijs medijs interiacentibus, per quæ directè deſcendat influxus cauſarum cœleſtium. Hæc autem ratio & ſuppoſitio irrita eſſet, ſi cœleſtia corpora poſſent operari in diſtans, quin prius agant in propinquum. Adhuc enim poſito vacuo in media regione aëris v.g. poſſet cœlũ agere in terreſtria & remotiora, quin priùs ageret in medium illud vacuum, & ſibi propinquius.

10 *Quinta* ab abſurdo. Si enim agens finitum poſſet operari in diſtans, nulla ratione habita operationis in propinquum; poſſet quoque operari circa quamcunque diſtantiam, abſque limite vllo: quia nihil eſſet, quo eius activitas, quantum ad locũ, coarctaretur ad tantum ſpatij, & non ampliùs: quemadmodum ſi corpus aliquod naturaliter moveri poſſet in locum diſtantem, impertranſito medio; poſſet quoque in locum quemlibet remotiſsimum. Vtruque

que autem repugnat, primùm agenti finito, & ſecundum corpori naturali, propter ſpecialem vtriuſque limitationem. Sicut enim certam ac determinatam virtutem habent, activam & loco-motivam, tam in ſpecie, quàm in individuo; ita etiam certã ac determinatam ſpatij ſphæram, vltra quam extendi non poſsint.

11 *DENIQVE* Suadetur manifeſtis ac frequentibus ſenſuum experimentis. Videmus enim Solem, pariete interpoſito, nullam producere lucem in aere poſt parietem exiſtente; & quælibet obiecta ex ſe viſibilia nullam emittere ſpeciem ſui ipſorum repræſentativam ad oculos, ſi quodlibet corpus opacum interponatur. Ideo igitur eſt, quia nec Sol, nec obiectum viſibile (idemque eſt de alijs agẽtibus finitis) operari poſſunt in diſtans, quin priùs naturà ſaltem agant in propinquum. Neque enim inde provenire id poteſt, quòd paries, vel corpus opacum, impediat reſiſtendo formaliter luci aut ſpeciebus in aere: nam formalis reſiſtentia neceſſariò importat informationem formæ circa ſubiectum, mediâ illa impeditum ab alia formâ recipiendâ. Atqui paries nullatenus eſt forma informãs aerem tanquam ſubiectum, vt cuique palam eſt. Ergo paries in prædictis caſibus nõ impedit lucem aut ſpecies reſiſtendo ijs formaliter. Nec præterea imminuit virtutem illuminativam Solis, aut emiſsivam ſpecierum, quæ in obiectis eſt. Invariata enim manet, ſive interponatur corpus opacum, ſive non. Reſtat igitur vt proveniat ex eo quòd neque Sol poteſt illuminare, neque obiectum emittere ſpecies in locum remotum, & exiſtens vltra corpus opacum, ex impedimento operandi in propinquius, ſcilicet, in profunditatem interiectam ipſius parietis, aut corporis alterius opaci. *Præterea.* Agens naturale per medium rarius extenditur ad agendum in maiori diſtantiâ, & per denſius in minori: & eadem cœli lux per medium magis diaphanũ, vt chryſtallum, protenditur magis ad illuminandum loca obſcura, quàm per medium minùs diaphanũ, vt vitrum commune. Nihil autem horum fieret, ſi agens naturale perinde omnino compararetur ad paſſum diſtans, ac propinquum, vt ex ſe patet.

SECTIO SECVNDA.

Obiectiones Adverſariorum ſolutæ.

12 ARGVES I. Ex eo reiecimus *num.* 10. operationem agentis in remotum, quin priùs agat in propinquum, quia alioqui poſſet agere in quacunque diſtantiâ, & quantumlibet magna. Atqui idem abſurdum ſequitur ſi agens naturale prius agat in propinquum, quam in remotum. Si enim ſemel agit in palmum v.g. diſtantiæ, vt ignis calefaciendo vicinum aerem, poterit ille palmus aeris calefacere palmum ſequentem, & hic aliũ, & ſic in infinitum, ac proinde in quacunque diſtantia. *RESP.* negando minorem, & illius probationem: quia virtus ab agente principali diffuſa per medium, quo magis ab ipſo elongatur, eo debilior redditur: tũ, quia magis diſtat à ſuo principio: tum etiã, quia medium, per quod deducitur ad paſſum, eſt extraneum eidem virtuti: tum denique, quia, vt eſt commune Philoſophorum axioma, agens naturale fortiùs agit in propinquum, quàm in diſtans; ſcilicet, ſi cœtera ſint paria, vt *infra* apparebit. Poteſt itaque virtus præcipui agentis per medium interiectum emiſſa ita langueſcere ex prædictis capitibus, vt iam nihil omnino agere vlteriùs valeat.

13 *INSTABIS.* Sequi enim videtur ex ſolutione data, eandem virtutem accidentalem, ab agente principali emiſsã, percurrere totum ſpatium interiectum, ac proinde migrare ab vna parte ſpatij ad aliã, ac per conſequẽs de ſubiecto in ſubiectum: quod prorſus repugnat accidenti. *RESP.* negando ſequelam. Etenim quando dicimus agens effundere ſuam virtutẽ per medium, non eſt ſenſus quòd eadem numero virtus deferatur per totum ſpatium interiectum, & per ſingulas eius partes: ſed quod agens principale effundat virtutem accidẽtariam atque operatricem in parte ſpatij ſibi proximiore, v.g. in ſuperficie aeris ſibi contiguâ: quæ virtus in aere recepta, producit nomine eiuſdem agentis aliam numero ſolo diſtinctam in alia parte proxima ſpatij, ſicut & illa aliam, & ſic de cœteris, vſque ad totam ſphæram ſpatij commenſuratam viribus eiuſdem agentis. Sic corpora cœleſtia mittunt ad nos ſuam virtutẽ operativam, influxumque, per lucem & motum, vt conſtabit ex tractatu de Cœlo: nimirum, qualibet particula virtutis producente aliam nobis proximiorem. Sic & res odoriferæ, & corpora ſolida, vbi invicem colli-

colliduntur, fragantiam & ſonitum ad nos vſque emittunt; quin idem accidens migret de ſubiecto in ſubiectum, ſed diſtinctum numero in qualibet particula ſpatij interiecti.

14 *ARGVES II.* Si quodlibet agens naturale agit prius ſimpliciter in proximū, quàm in remotum, etiam magis ac vehementiùs aget in illud, quàm in iſtud: vtpote per virtutem minùs elongatam, magiſque coniunctam principali agenti, vt *num.* 12. *fine* dicebamus. At conſequens falſum eſſe conſtat multiplici experimento. *Primū* eſt in Sole, qui magis calefacit parietem remotum, quàm aerem proximum: ſimiliter & vitrum interpoſitum ac vicinius vix, aut ne vix quidem calefacit, & tamen vlterius intra cubiculum aliumve diſtantiorem locum, calorem diffundit, vt ego ipſe, qui hæc ſcribo, non ſemel ad ſenſum percepi. *Secundum* eſt in flamma, quæ magis calefacit manum directè ſibi oppoſitam; licèt diſtantiorem, quàm poſitam ad latus in proximiori loco. *Tertium* in lebete aqua pleno, & ad ignem poſito, cuius partes inferiores, & contiguæ igni, vix calidæ ſunt; & tamen aquā ſuperius ac remotiùs ab igne exiſtens, fervet & propemodum ardet.

15 *RESP.* Concedendo maiorem, ſi cætera ſint paria; ſecus verò ſi diſparia ſint, & paſſum propinquius agenti careat diſpoſitionibus debitis ad recipiendum eius influxum in gradu intento, quas tamen habeat paſſum remotius. Et hoc modo contingit in prædictis experimentis. In primo quidem: nam ad excipiendū paulatim calorem Solis, & ſtabiliter conſervandum in gradu intenſo adſtrictum, aptius eſt, meliusque diſpoſitum, corpus denſum, & opacum, vt paries, quàm rarum & diaphanum, vt aer; licèt hic proximior Soli ſit & natura ſuâ calidus. Similiter & vitrū ratione diaphaneitatis ſuæ leviter excipit ardorem Solis, vtpotè nullatenus in diaphano corpore quieſcentem, ſiſtentemve gradum; ſed vlteriùs tranſeuntem ad corpus denſum & opacum, in quo ob maiorem reſiſtentiam vires ſuas paulatim exerit, & tandem ſiſtit. Similiter & dicendum circa ſecundum experimentum. Natura enim ignis ea eſt, vt rem ad planum & ex diametro obiectam magis calefaciat, quàm ad latus & obliquè poſitam, licèt viciniorē: ſicut & natura oculorum eſt vt facilius intueatur quod ante ſe habent in loco diſtanti, quàm quod à tergo eſt, quamvis hoc proximum ſit; & quod in debita diſtantia eſt, quàm quod iuxta ipſam pupillam: quia ſenſibile iuxta ſenſum impedit ſenſationē, vt Philoſophis in axiomate eſt.

16 *AD Tertium* experimentum quod aliquanto difficilius eſt, communis & vera ſolutio eſt, fundum lebetis initio calefactionis eſſe magis calidum, quàm aquam incluſam. Progreſſu vero calefactionis calor fundi communicatur partibus aquæ infimis, quæ leviores factæ ratione caloris deſerunt fundum, & aſcendunt ſuperiùs; proindeque partes ſuperiores aquæ frigidiores ac graviores deſcendunt ad fundum lebetis, & infrigidant illud. Quod aſſiduâ viciſſitudine aquarum calidiorum aſcendentiū, & frigidiorum deſcendentium fit, donec iam tota aqua fervente lebes æque aut magis calidus ſit in fundo, quàm ipſa aqua: vtpote proximior igni, & non habens iam intra ſe aliquid, a quo refrigeretur vt antea.

17 *DICES:* Sæpe contingit vt agens operetur in diſtans abſque vllo influxu in medium ac propinquum. Videmus enim magnetē attrahere ferrum diſtans, & non aerem vicinum, aut ſtuppā ferro proximiorem. Remora detinet navim, & non aquam, cui tamen vicinior eſt: & alius piſcis, *torpedo* dictus, ſtupefacit manum piſcatoris diſtantem, & non arundinem proximiorem. Mulierum oculi faſcinare ſolent infantes, & non viros, licèt hi viciniores ſint. Baſiliſcus etiam ſolo viſu dicitur occidere hominem, quin tamen aliquid agat in medio interiecto: quoniam actio videndi eſt formaliter immanens, quæ nihil in medio producere poteſt.

18 *RESP.* Licèt neceſſum ſit virtutem principalis agentis priùs recipi in propinquo, quàm in remoto, ſive in medio, quàm in termino; non tamen vtrobique eodem modo, ſed iuxta vniuſcuiuſque capacitatem ac diſpoſitionem. Fieri autem poteſt & ſolet vt medium, & propinquius agenti, careat capacitate ac diſpoſitione ad aliquem præcipuum effectum prædictæ virtutis: vt patet in ſpeciebus ſenſibilibus tranſmiſsis ab obiectis, quæ licèt priùs recipiantur in aere interiecto, quam in ſenſu diſtantiore, non præſtant præcipuū ac proprium effectum repræſentationis aeri, quoniam incapax eſt, ſed ſenſui tantùm. Ex quâ doctrinâ generatim tradita a D. Thoma 3. *contra Gent. cap.* 103. & *hoc lib.* 7. *lect.* 4. & ſpecialiùs adhuc *in* 2. *diſt.* 15. *q.* 1. *ar.* 2. *ad* 6. occurritur ſingulis inſtantijs obiectionis. Aer enim non eſt medium diſpoſitum vt attrahatur a magnete, ſicut neque ſtuppa. Idemque eſt de remora relatè ad aquam,

&

& de torpedine piſce circa arundinem piſcatoris. Itemque de viris robuſtis, qui faciliùs reſiſtere poſſunt faſcino, quam infantes: nam hi ob teneritudinem ſuam longè faciliùs alterantur malignâ qualitate tranſmiſsa ab oculis muliebribus. Quorum actio, ſcilicèt, viſio, licet ſit formaliter immanens, ſicut & viſio Baſiliſci lethifera, poteſt producere & trâſmittere malignam qualitatem, prout coniuncta ſpiritibus animalibus eidem deſervientibus. Sic etiam actio reſpirandi eſt immanens formaliter, vtpote vitalis: & tamen ratione diverſarum diſpoſitionum intra corpus animalis exiſtentium, trâſmittit bonum aut malum odorem.

SECTIO TERTIA.

Quid ſit dicendum iuxta potentiam Dei abſolutam? Vbi Corollaria quædam obſervatu digna circa approximationem requiſitam inter agens & paſſum.

19 SIT II. *Aſſertio*. Poteſt agens naturale impeditâ abſolutâ Dei potentiâ operari in remotum, abſque vllaſui approximatione, ſive abſque eo quòd operetur in propinquũ. Ita Conimbric, hoc *lib. 7. c. 2. q. 2.* Bellarminus *lib. de Sacr. in genere cap. 7.* Oviedo *contr. 18. puncto 3.* & frequenter Thomiſtæ id ipſum ſupponere videntur, quatenus ſolùm negant id de facto & naturaliter. Aſſertioni noſtræ oppoſitum tradunt Molina *1. p. q. 8. ar. 1. diſp. 2.* Rubius hoc *lib. 7. c. 2. q. 2.* & alij quam plurimi.

20 *PROBANT* Aliqui: quia approximatio eſt mera conditio vt agens operetur, non verò ratio formalis operandi; cum antecedenter ad illam ſupponatur agens præditum virtute completa, & proximâ ad operandum. Atqui Deus ſupplere poteſt quidquid ex parte agentis ſe habet vt pura conditio. Ergo & ſupplere poteſt approximationem, ac proinde facere vt agens creatum operetur in diſtans ſine actione in medium. *Verùm* hæc ratio, niſi aliud addatur, non probat: quoniam etiam exiſtentia eſt conditio ſolùm, & non ratio formalis vt cauſa efficiens, formalis, ac materialis cauſent; vtpotè pro priori naturæ ad illam prædita ratione formali cauſandi, qualiter *lib. 1. diſp. 5. & 10.* dictum eſt. At nihilominus exiſtentia eſt inſupplebilis à Deo vt cauſa cauſet: cùm omnino repugnet id quod nō habet *eſſe* præſtare illud alteri, ſeu quod in rerum naturâ nō exiſtit, cauſare phyſicè aliud quidquam. Præterea, apprehenſio nullo modo eſt ratio formalis, ſed ſolùm conditio, vt finis cauſet, iuxta dicta *diſp. 18. ſect. 2.* Et tamen inſupplebilis eſt à Deo vt finis cauſet in intentione, quia eſt exiſtentia ipſius intentionalis, vt aiunt. Denique cognitio ſolùm eſt conditio, ad volitionem, & tamen eſſentialiter prærequiritur ad illam.

21 *MELIVS* Itaque ſuaderi poteſt concluſio, tum quia non repugnat, neque oſtenſa eſt hactenus repugnantia eſſentialis, vt agens creatum operetur in diſtās abſque actione in propinquum, ſed ſolùm naturaliter & de facto; vt conſtabit expendenti rationes propoſitas *ſect. præcedenti*: Tum etiam, quia quòd agens operetur in diſtans (vti reverâ ſæpiſsimè operatur) ſolùm dependet ab actione in medium efficienter, ſive in genere cauſæ efficientis; & quidem non vitalis, vt ex ſe manifeſtum eſt, ac videre licet in Sole & aſtris, quatenus in hæc diſtantia ab iis & ſubcœleſtia influunt. Atqui Deus poteſtate abſoluta ſupplere poteſt omnem dependentiam a cauſa ſecunda in genere cauſæ efficientis non vitalis, quia in hoc nulla eſt imperfectio, nec contradictio. Ergo & ſupplere poteſt defectum actionis in mĕdium, vt agens creatũ operetur in diſtans. Quare & frequēs Theologorum ſententia eſt, dæmones, etiam dum in hoc aere verſantur, torqueri verè ac realiter efficienterque ab igne materiali in gehenna exiſtente; quia hic per ſubordinationem ad Omnipotentiam divinam vbique exiſtentem & operantem, poteſt operari in quolibet loco a ſe diſtanti, quin circa mediũ aliquid operetur. Et quemadmodum id contingit ſolùm in genere cauſæ inſtrumentalis, quia ignis materialis nequit virtute propria agere in ſpiritus; ita etiam accidere poſſet, in genere cauſæ principalis, ſi activitas ignis, & alteriùs cuiuſlibet agentis creati, exercenda eſſet in paſſum ſibi proportionatum. Itaque ignis Salmanticæ exiſtens, abſque additione aliquâ virtutis intrinſecæ ac ſibi propriæ, poſſet comburere ſtuppam Romæ exiſtentem, ex cōſortio ad Omnipotentiam Dei; non vt ad rationem formalem comburendi; ſed ſolum ſupplendi approximationem virtualem, ſive, quod perinde eſt, actionem in medium: quo ſupplemento adhibito, ignis æquè combureret ſtuppam diſtantem, ac propinquam. Alias rationes prætermittō, videndas apud Authores relatos, præſertim apud Oviedum.

AR.

23 *ARGVMENTA* Opinionis adverſæ præcipua ſunt. *Primum.* quod agẽs, nec per potentiam Dei abſolutam, poteſt agere in tempore in quo non eſt. Ergo neque in loco in quo non eſt. *Secundum.* Agẽs nequit naturaliter agere in paſſum diſtans, neque extra ſphæram activitatis ſuæ. Ergo nec ſupernaturaliter: quoniam nulla cauſa poteſt elevari ſupernaturaliter ad operãdũ extra ſphæram virtutis, ſeu activitatis ſuæ, aut totalem, aut ſaltèm partialem, vt patet in potentijs vitalibus. *Tertium.* Hæc actio hic & nunc pendet ab approximatione ſaltem vt conditione, & non mediâ alia cauſalitate, ſed immediatè per ſe ipſam. Ergo nec ſupernaturaliter fieri poteſt, vt non dependeat ab eâdem approximatione: quoniam quod convenit alicui per ſuam entitatem immediatè, nec ſupernaturaliter auferri poteſt ab eo in rerum natura manente.

24 *AD I. Reſp.* negando conſequentiam & paritatem: quia agens abſolutè nullum habet eſſe, ſed eſt parum nihil, in eo tempore in quo non eſt. Conſtat autem rem eiuſmodi nihil poſſe agere, quia exiſtẽtia eſt conditio eſſentialis ad agendum. Res autem quæ non eſt in loco A. ſed tantum in loco C. abſolutè habet eſſe, ac verè in rerum natura exiſtit; ſolumque illi deeſt cõditio ex parte concurſus effectivi requiſita, quam poſſe ſupplere Deum oſtenſum eſt in probatione Aſſerti. *AD II.* conceſſo antecedente, nego conſequentiam: quia vt agẽs nequeat naturaliter & de facto operari in diſtans, ſeu extra ſpheram activitatis ſuæ, ſufficit defectus cuiuslibet conditionis naturaliter exactæ: vt autem poſsit ſupernaturaliter, ſufficit quòd habeat virtutem intrinſecam operativam completã, & nulla conditio eſſentialiter neceſſaria deſit, qualis non eſt approximatio. Itaque nulla res operari ſeu agere poteſt ſupernaturaliter aliquid ſine virtute ſibi intrinſeca, quã conſtituatur in ſe potens operari; idque nec vitaliter, nec non vitaliter: poteſt autem agere ſi virtutem eiuſmodi habeat, & adſint conditiones eſſentialiter exactæ, Deo ſupplente cœteras ſolùm naturaliter requiſitas. quod totum contingeret in præſenti. *AD III.* Hæc actio hic & nunc conſiderata ſecundùm exigentiam connaturalem pendet ab approximatione non tamen ſecundùm exigentiam eſſentialem. Neque obſtat quod illam exigere dicatur immediatè per ſuam entitatem. inde enim minimè colligitur exigentiam eſſentialem eſſe: vt patet in naturâ immediatè per ſuam entitatem exigente proprietates, quin tamen exigentia hæc eſſentialis ſit; & ſimiliter in quantitate ſe ipſa exigente expulſionem alterius quantitatis à proprio loco, non tamen eſſentialiter. Alioqui nec divinâ virtute fieri poſſet, vt vel natura eſſet ſine proprietatibus, vel quantitas vna ſimul cum alia in eodem loco. Ratio à priori eſt; quia omnis exigentia eſſentialis eſt circa aliquod prædicatum in eſſentia rei clauſum, vel per identitatem, vel per incluſionem, vel per connexionem ſummam: quorum nullo modo ſe habet approximatio ad rationem eſſentialem agendi in paſſum.

20 *INFERTVR I.* ex dictis progreſſu diſputationis, quoties aliquod agens operatur v.g. ignis in lignum, non ſolum agere in illud ſecundum partes ſui proximiores, ſed etiam ſecundùm remotiores quatenus hæ cum illis vnicum totum cõſtituunt, medijsque ijs approximantur ligno. Ratio eſt: Quia calor ille & ardor ligni non producitur à ſola prima ſuperficie ignis approximati: alioqui enim non produceretur calor intenſior ab ingenti igne, quam à ſola ſuperficie indiviſibili ignis. quod apertè falſum eſt, & apertiùs adhuc apparet abſurdum ſi relicta illa ſuperficie, etiam aliquantà verſus profundum, divideret quis ſubitò ab ea reliquum ignem. Tunc enim minus calefaceret lignum, quam antea. Ergo calor ille & ardor ligni non producitur à ſola prima ſuperficie ignis approximati, ſive à partibus ignis proximioribus ligno, ſed etiam ab alijs ſuperficiebus & partibus continuatis intra eundem ignem. Hæ autem non agunt in partes ignis proximiores ligno, quia ſunt eiuſdem omnino rationis cum ijs, & nulla res agit in aliam omnino ſimilem. Ergo ſupereſt vt ſolùm agant in lignum, quatenus proximè continuantur cum partibus prioribus per modũ vnius continui, ita vt eadem actio calefaciendi & vrẽdi lignum procedat ab vtriſque ſimul. Sic etiam ingens lapis proiectus, magis vulnerat caput, cœteris paribus, quã lapis minor, quia plures partes concurrunt in illo ad cauſandam læſionem; quanquam actione, ſive percuſsione vnica, ab omnibus procedente.

25 *INFERTVR II.* Poſſe præcipuum agens fortiùs, ſeu viviùs, aut intẽſiùs operari in remotum, ſi ſit in eo aptior diſpoſitio, quam in propinquo minùs diſpoſito: non tamen, niſi agendo priùs in propinquum. Prior pars non ſolùm conſtat ratione, quia operatio agentis pendet tum à virtute illius activa, tum & à circunſtantijs diſ-

diſpoſitionum paſſi; ſed etiam experimento. Quoties enim lux ingreditur per feneſtram, partes collaterales aeris minus illuminantur, quàm mediæ, atque è regione Solem aſpicientes; & hæ quam parietes, aut lateres luce perfuſi. Nimirum, partes collaterales non habent tàm aptam diſpoſitionem ad excipiendam illuminationem, quàm e regione oppoſitæ, vt in ſimili *num.* 15. monuimus; neque iſtæ æqualem, ac parietes Soli obiecti, quoniam corpus denſum & opacum aptius eſt ad excipiendam illuminationem plenam Solis in extima ſuperficie quàm rarum & diaphanum. Poſterior pars ex præcipuo allato probata manet, & eodem exemplo ſuadetur. Nõ enim aliter tranſit influxus ſolaris lucis ad parietẽ propinquum, quam ingrediendo prius per feneſtram. Alioqui & ea clauſa illuminarentur partes cubiculi, cuius oppoſitum vel ipſi cœci experiuntur ad ſenſum.

26 *INFERTVR III.* contra Scotum, eiusque diſcipulos, vt agens verè & propriè agat in remotum, non ſufficere ſi in propinquo producat, produxeritvè ſolas diſpoſitiones præparantes materiam ad inductionem formæ productæ, niſi etiã producat virtutem vere activam in propinquo operantem circa paſſum. Ratio eſt quia vt agens verè & proprie producat aliquid in loco diſtanti, neceſſum eſt vt in eo præſtet verum & proprium influxum effectivum media virtute a ſe derivata; non autẽ materialem ſeu diſpoſitivum tantum. Alioqui agens naturale quod produxit aquam, poſtea diſtantem, & ferventem in lebete, ac calefacientem manus, eſſet verè & propriè cauſa effectiva eiuſdem calefactionis, quia produxit aliquid concurrens paſſivè, ſeu in genere cauſæ materialis ad illam: quod conſtat eſſe falſum.

SECTIO QVARTA.

An gravia & levia moveantur à generante, etiam quando diſtat; an potiùs à ſe ipſis?

27 S*IT III. Aſſertio.* Gravia & levia moventur à generante, etiam ſi formaliter deſit, aut iam deſierit eſſe; non autem à ſe ipſis. Scil. *per ſe loquendo*: nam per accidens, ſive per modum removentis prohibens, ab alio, quàm a generante, moventur; ſcilicet, ab illo qui vtcumque removet impedimentum, vt deſcendat, vel aſcendat. Concluſio eſt expreſſa Ariſtot. infra *lib. 8. cap. 4. textu 33.* illis potiſsimùm verbis: τῶν δὲ φύσει κάλλιστα τε ἀφ' αὑτῶν κινούμενα, &c. *Rurſus vero, quæ naturà moventur, ab aliquo moventur; ſive a ſe ipſis moventur, vt animalia; ſive non à ſe ipſis, vt levia graviaque. nam aut ab eo moventur, quod generavit, ac leve fecit, vel grave; aut ab eo, quod ea, quæ prohibent, obſtantque, dimovit.* Manifeſtum eſt autem illud agens, quod generavit gravia & levia, ſæpe diſtare formaliter, aut iam non exiſtere in ſe ipſo, quando gravia & levia poſtea, tranſacto tempore, moventur. Idem docet D. Thomas multis locis, ſed præcipuè 1. *p. q.* 18. *ar.* 1. *corpore, & ſolut. ad* 2. vbi ait: *Corpora gravia & levia moventur à motore extrinſeco, vel generante, qui dat formam; vel removente prohibens, vt dicitur* 8. *Phyſic. & ita non movent ſeipſa, vt corpora viventia.* Vtrumque ſequuntur frequenter Philoſophi, præſertim Thomiſtæ, & Eximius Suarez *diſp.* 18. *Metaph. ſect.* 7. *num.* 21. Legendi ſpeciatim circa hoc Complutenſes *diſp.* 26. *ſect.* 2. & Ioannes a S. Thoma *q.* 23. *ar.* 1. Nos rem paucis expedienus, præterquam quod de hoc ipſo iterum redibit ſermo, *diſp. ſeq. q.* 2. & in libris de Generatione.

28 *RATIONE* Probatur concluſio, deſumpta ex Ariſt. & D. Thomà locis allegatis: Quia id quod eſt proprium animatorum, vt talium, nequit cõvenire gravibus & levibus inanimatis, vt lapidi, & igni, &c. At moveri à ſe eſt quid proprium animatorum, vt talium. Ergo moveri a ſe, nequit convenire gravibus & levibus inanimatis, vt lapidi, & igni, &c. Maior cum conſequentia patet. Minor ſuadetur: quia propria ratio animatorum, ſive viventium, quatenus talium, eſt quòd a ſe ipſis moveãtur, ſiquidem vita in actu ſecundo definitur per rationem motus à principio intrinſeco ſe movente. Modò ſic. Ergo oportet aſsignare aliud principium à quo moveãtur gravia & levia inanimata, per ſe loquendo. Cumque hoc non ſit, quod præcisè aufert impedimentum vt aſcendant & deſcendãt (quippe quod ſolùm indirectè & per accidens concurrit ad motum) reſtat vt illud ſit generans ipſum, quòd primo produxit gravia & levia. Eo namque ipſo quod dederit formam, dedit conſequentia ad formam, & perfectionem ipſi debitam in inſtanti generationis; qualis eſt reſpectu gravium & levium quies & ſitus in proprio vniuſcuiuſque centro, quod ſemper naturali propenſione quærunt. Quare omnis motus localis, quo gravia & levia moventur circa centrum proprium, tribuitur per ſe loquendo generanti, etiam abſenti, aut iam non

exiſtente formaliter in ſe ipſo: quia ſicuti in primo inſtanti generationis gravium ac levium debuit conferre gravibus & levibus ſitum & quietem in centro proprio, ita & præſtare virtutem, quâ poſtea nomine ipſius eam perfectionem adquirant, ſi fortè a principio illam non acceperunt ob aliquod impedimentum; aut recuperent, quoties amiſerint: quemadmodum dici ſolet de aquâ recuperante priſtinam frigiditatem, & tradidimus *diſp. 15. ſect. 3.*

29 *CONFIRMATVR.* Etenim inter movens & motum neceſſaria eſt realis diſtinctio, aut ſuppoſitorum, aut ſaltem partis per ſe moventis a parte per ſe mota: quia ſicut nihil poteſt eſſe in actu & potentiâ, perfectum & imperfectum ſecundum idem realiter, ita neque movere ſe ipſum ſecundùm eandem realitatem, quâ mobile eſt. Vide dicenda *ſequenti diſp. ſect. 2.* At gravia & levia inanimata, vt lapis, ignis, aqua, &c. in individuo conſiderata, non claudunt diſtinctionem ſuppoſitorum realem, vt patet; nec partis per ſe moventis a parte per ſe motâ; cùm omnes illorum partes ſint homogeneæ, quarum nulla præ alia habet per ſe movere, aut per ſe moveri; in quo ſanè à viventibus differunt. Ergo gravia & levia inanimata nequeunt ſe movere: ac proinde, quoties moventur, debent moveri ab alio.

30 *OPPOSITAM* Sententiam tenentur Scotus *in 2. diſt. 2. q. 10.* Gregorius *diſt. 6. q. 1. ar. 3.* Pererius *lib. 6. de Rebus Natur. cap. 16.* Valles *2. Phyſic. cap. 1.* Plaza eodem libro *diſp. 5. q. 7.* Cabero in præſenti *diſp. vnica dub. 3.* Ioannes Martinez *2. Phyſic. cap. 1. notab. 6.* aliique plures, licèt obiter: nam plerique Recentiorum rem hanc non diſcutiunt. Porrò motiva huius opinionis plura ſunt, quorum aliqua ſolùm ſummatim proponam, cæteris in loca allegata remiſsis, vbi opportuniorem ſedem habebunt.

31 *PRIMVM* Eſt: Quia motus gravium & levium procedit activè à gravitate & levitate ipſorum, vt cõſtat ex Ariſt. *ſuprà lib. 4. textu 86. & infrà lib. 8. textu 32.* ac D. Thomâ *3. contra. Gent. cap. 24. & in 2. diſt. 18. q. 1. ar. 2.* At non moventur ab vtraque, vt virtute activa inſtrumentali; cùm ambæ excedant perfectione motum localem atque imperfectum, ab iis cauſarũ. Ergo moventur ab vtraque, vt virtute activa principali & propria. Igitur moventur à ſe ipſis per propriam virtutem, vt ſupra de viventibus dictum eſt. *SECVNDVM.* Sæpe generans diſtat à gravibus & levibus, quando moventur, aut iam non exiſtit in rerum naturâ. Ergo oportet aſsignare aliquod agens naturale, quod virtute principali, ac propria concurrat actualiter ad efficiendum illum motum: quia omnis effectus in actu, exigit cauſam principalē actu influentem. Eiuſmodi verò agens naturale nequit eſſe aliud, quàm ipſum grave aut leve quod movetur. Ergo gravia & levia virtute principali ac propria efficiũt motum, quo moventur.

32 *Confirm.* ab abſurdo. Si enim lapis v.g. moveretur deorſum a generante, quò vicinior ipſi eſſet, eo vehementiùs ab eo moveretur; & quò remotior, eò remiſſiùs: quia omne agens naturale fortiùs agit in propinquum, quàm in remotum. At conſequens falſum eſt. Lapis enim in loco ſublimi genitus, quo magis ab eo recedit, & accedit ad locum viciniorem centro, remotioremque a generante, eo vehementius ac velociùs movetur.

33 *RESP.* Motum gravium & levium procedere activè à gravitate & levitate, non per actionem ſtrictam vtriuſque, ſive principaliter, ſive inſtrumentaliter; ſed per ſimplicem emanationem: qualiter *diſp. 15. ſect. 3.* diximus proprietates emanare ab eſſentia, quando primò producitur. Cæterùm quemadmodum eodem loco *à num. 36.* diximus recuperationem proprietatis amiſſæ in gradu naturæ debito non fieri ſine actuali influxu & actione ſtrictâ cauſarum ſecundarum circumſtantium; ſic etiam modò aſſerimus motum gravium & levium, etiam ſi diſtent à generante particulari, nõ fieri ſine actuali influxu, & actione ſtrictâ cauſarum ſecundarum vniverſalium, qualia ſunt corpora cœleſtia.

34 Id tamen maximè obſervare oportet, tam pro ibidem dictis, quàm modò, quòd ſicuti in inſtãti generationis actio eadem productiva ſecundariò proprietatũ, eſt ſtricta ex parte generantis, & impropria atque emanativa ſolùm ex parte eſsẽtiæ; ita etiam motus gravium & levium reſpectu ipſorum non eſt actio ſtricta, ſed impropria, quâ adquirũt vbicationes alias & alias proximiores centro: cæterum relatè ad corpora cœleſtia, ipſorumque vim activam in hæc inferiora, eſt actio ſtricta, aut illam claudit, ſicut & ex parte Dei eſt verus ac ſtrictus influxus ſimultaneus, quo cõcurrit cum gravibus & levibus ad adquirendam vbicationem & ſitum in proprio centro. Inſuper & eſt actio ſtricta reſpectu generantis, etiam abſentis, aut non exiſtentis formaliter in ſe ipſo: quia adhuc manet

via.

virtualiter in aliquo effectu ſuo, ſcilicet, in gravitate & levitate, vt proprietatibus naturæ à ſe productæ: quæ nomine & vice eiuſdem generantis tendunt ad adquirendã perfectionem ſitus in centro, debitam eidem naturæ gravi ac levi à primo inſtanti: tendunt, inquam, medio motu: qui ex parte gravitatis & levitatis eſt actio impropria & inſtrumentaria; ex parte autem ipſius generantis particularis, & cauſarũ vniverſalium, eſt actio ſtricta, & proprius influxus activus vbicationum; aut ſaltem involvit actionem & influxum, vt abſtraham à diverſis opinionibus. Ex quibus patet ad vtrumque argumentum.

35 *DICES.* Motus ad proprium centrum non debetur grauibus & leuibus in primo inſtanti intrinſeco in quo generantur, iuxta dicta *diſputat. præced. ſect.* 2. loquendo vniverſim de ſubſtantijs generabilibus: quia motus non incipit in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*, ſed in tempore, & *per vltimum ſui non eſſe*: ac proinde, cum nequeat eſſe in illo primo inſtanti, nequit in eo deberi ſubſtantiæ gravi aut levi genitæ. Ergo per ſe loquendo motus ille non tribuitur generanti, nec ſpeciatim ab eo procedit: quia id propriũ eſt earũ perfectionũ; quæ debentur rei genitæ in primo inſtanti.

36 *RESP.* Sat eſſe quod ijs rebus in primo inſtanti debitus ſit ſitus in centro, vt omnis motus, quo tendunt ad illum acquirendum poſtea, aut recuperandum, tribuatur generanti.

DISP. QVADRAGESIMA.

DE EXISTENTIA VNIVS PRIMI MOTORIS.

An ſufficienter fuerit demonſtrata ab Ariſtotele ex naturà motus?

Num. 1. DVPLEX *Demonſtrationum genus eſt, ut rectè notat Granado* controv. 1. de Subſtantia Dei diſp. 2. *& Recupitus* 1. p. q. 9. cap. 4. *Quædam ſunt adeo evidentes, ut ſtatim extorqueant aſſenſum cuiuslibet intellectus, etiam obſtinati, & protervi; idque communiter accidit in mathematicis demonſtrationibus, ijs ſaltem, quæ communiter circumferuntur. Aliæ verò non adeò evidentes ſunt, ut omnem intellectum convincant, etiam hebetem ac durum; ſed ingenuum tantùm ſeu docilem, ac veritatis ſtudioſum. Quærimus itaque diſputatione hac, utrùm argumenta quibus Philoſophus probat* lib. 7. & 8. *Phyſicorum exiſtentiam vnius primi motoris, ſint demonſtrationes ſaltem ſecundi generis aſſignati, & quæ omnem intellectum convincant, niſi hebes, aut obſtinatus ſit? Cùm verò pluribus argumentis utatur Philoſophus, illud præcipuum eſt, quod aſſumit, omne quod movetur, ab alio moveri; & infert, deveniendum neceſſariò eſſe ad aliquem Primum Motorem immobilem, ne detur proceſſus in infinitum. Quare in huius diſcurſus examine, & corollarijs inde deductis, inſumenda erit tota diſputatio præſens; idque ſiſtendo in natura motus. Habet verò directè locum controverſia præſens* hoc lib. 7. capite primo, & lib. 8. cap. 3. & 4. & 5. & 6.

SECTIO PRIMA.

Plures rationes dubitandi, ſeu argumenta, proponuntur contra diſcurſum Ariſtotelis, probantis exiſtentiam vnius Primi Motoris, quia omne quod movetur, ab alio movetur.

2 ARIST. Tam *hoc lib.* 7. quàm 8. *cap.* 5. ſtatuit, omne quod movetur, ab alio moveri. Et ſubdit: εἰ δὴ ἀνάγκη πᾶν τὸ κινούμενον ὑπό τινός τε κινεῖσθαι, &c. *Si igitur omne quod movetur, ab aliquo moveri neceſſe eſt, & aut ab eo, quod movetur ab alio, aut ab eo, quod non movetur* (arguit Philoſophus) *ab alio; & ſi ab eo movetur, quod ab alio movetur, movens aliquod eſſe primum, quod non ab alio moveatur, neceſſe eſt: ſin verò tale eſt primum, non neceſſe eſt alterum eſſe.* Subditque ſtatim fieri non poſſe vt in infinitum proficiſcatur id quod movet, & movetur ab alio. Quare frequẽter Philoſophi, tum Veteres, tum Recentiores, hunc diſcurſum, prout ab Ariſtotele proponitur, firmiſſimũ, ac demonſtrativum cenſent.

3 *VERVM.* Alij id negant, pluribuſque, tum argumentis, tum & ſolutionibus oſtendere conantur, præciſè ex natura motus minimè deprehendi exiſtentiam vnius motoris immobilis; & multo minùs quod ille primus motor ſit ſubſtantia ſeparata,

ac ſpiritualis. Vtraque exiſtimationis huius partem tuetur latè P. Suarez *diſp. 29. Metaph.* quem alij è Recentioribus imitantur. Illorum omnium fundamenta proponam modò, & multipliciter vrgebo, vt poſtea ſolutis rationibus dubitandi; quaſi fugatis tenebris, efficacia diſcurſus Ariſtotelici clariùs eluceſcat.

4 *PRIOR* Pars ſic probari poteſt. Vt aliquis diſcurſus ſit demonſtrativus, debet procedere ex principijs omnino certis & evidentibus. At diſcurſus prælaudatus Philoſophi non procedit ex principijs omnino certis & evidentibus. Ergo diſcurſus Philoſophi non eſt demonſtrativus. Conſequentia eſt legitima in quarto modo ſecundæ figuræ. Maior traditur ſæpe ab Ariſt. alijſque Philoſophis, ac præterea conſtat: quia diſcurſus demonſtrativus generat aſſenſum certum & evidentem, in quo conſiſtit ſciētia actualis. Minor verò probatur: Nā axioma illud, *Omne quod movetur, ab alio movetur*, ex quo procedit Philoſophus, prout accipitur ab illo de motu, nō videtur certum & evidens. Plura enim ſunt, quę poſſunt moveri à ſeipſis per virtutem intrinſecam, vt ignis ſurſum, lapis deorſum, & cœlum, iuxta quoſdam, circulariter. Qua ratione adhuc inter Catholicos Doctores ſub lite eſt, an ſubſtantiæ ſpirituales, ſeu Intelligentiæ ſeparatæ, moveant orbes cœleſtes, vt videbimus *tract. de Cœlo*. Semel autem poſita in cœlo virtute intrinſeca, quâ ſe moveat penes locum, nulla apparet neceſſitas alterius motoris extrinſeci, à quo moveatur. Ergo neque apparet evidens, omne id quod movetur, ab alio moveri; cùm aliqua poſſint moveri à ſeipſis, ſeu per virtutem intrinſecam.

5 *RESPONDEBIS I.* Eſto gravia ac levia, & cœlū habeat ab intrinſeco vim loco-motivam, adhuc evidens eſſe illorum omnium entitatem eſſe realiter diſtinctā à motu, ſicut potentiā ab actu. Aliunde evidens eſt, omne id quod eſt in potentia debere reduci in actum ab alio. Ergo evidens eſt gravia ac levia, & cœlum ipſum, debere reduci in actum motus localis ab alio, quamquam vltro ſupponantur habere virtutem intrinſecā, quâ ſe moveant. Sic omnia animantia habent vim nutritivam, ſenſitivam, ac progreſſivam, quâ ſe moveant ab intrinſeco. Et tamen quia entitas, ſive ſubſtantia illorum non eſt idem cum motu, ſed in potentia ad illum, egent motore extrinſeco, a quo reducantur in actum.

6 *SED Contrà I.* Adhuc enim demonſtrata non eſt repugnantia ſubſtantiæ creatæ, quæ identificet ſuum motum, vel operationem. Nam licèt plures rationes ſatis vrgentes proponantur ab Authoribus contra illius poſſibilitatē, nulla tamē eſt, quæ evaſionem veroſimilem non habeat: vt videre eſt, præter alios, apud Oviedo *Phyſica controv. 12. p. 1.* Ergo poterit ſubſtantia aliqua ſecum identificare motum, ac proinde non egere extrinſeco motore, à quo reducatur in actum. *Confirm.* Quemadmodum ſunt aliquæ entitates, quæ, vt exiſtant, dependent eſſentialiter à coëxiſtētia alterius extremi, vt materia in opinione probabiliore à coëxiſtentia formæ, & actio vitalis in omni ſententia ab exiſtentia principij viventis per illam; ſic etiam dici poterit, aliquas eſſe entitates, ſeu virtutes neceſſariò connexas cum operatione, & non modò connexas, ſed etiam indiſtinctas ab eâ. Quod licèt abſolutè falſum ſit, difficulter demonſtrabitur eſſe falſum. *Contrà II.* Permiſſo gratis demōſtrabilem eſſe diſtinctionem realem motus operationiſque à ſubiecto mobili, & virtute operante, adhuc demonſtrata non eſt repugnantia principij, aut virtutis motivæ, quæ ſit per ſe connexa cum motu, aut operatione, illamque ſemper in exercitio exigat: ſicut vegetabilia exigunt ab intrinſeco motum nutritionis quandiu exiſtunt. Poſito autem principio, aut virtute ab intrinſeco exigente motum localem, difficulter demonſtrabitur exigentia motoris extrinſeci; nec facilè refutabitur qui dixerit ſufficientem cauſam eius motus aſſignari in ipſo principio ac virtute ab intrinſeco ſe movente. Non ergo ex natura motus abſtractè & vniverſim probatur exiſtentia vnius motoris immobilis. Vide Lynceum *lib. 9. Phyſic. tract. 1. c. 3.*

7 *RESPONDEBIS II.* Virtutem ſe movendi localiter ab intrinſeco, ſive identificatam cum motu, ſive ſolum connexā, aut fuiſſe receptam ab alio, aut non? Si hoc ſecundum dicatur; erit primum movens, quod intendit Philoſophus; cū ita moveat, vt a nullo alio moveatur. Si autem ſecundū dicas; redibit argumentum de illo alio motore, an & virtutem movendi à ſe habeat, vel ab alio acceperit? Cumque de illo, & de alio, atq; alio, inſtaurari poſſit eadē interrogatio; tandem ſiſtendū erit in aliquo motore omnino immobili, ne in cauſis per ſe ordinatis detur proceſſus in infinitum.

8 *SED Contrà I.* Hic enim diſcurſus iam eſt diverſus ab argumento Philoſophi deſumpto ex natura motus; & nō tam infert exiſtētiam vnius primi motoris, quā

vniu,

vnius primæ cauſæ, quod eſt quid diſtinctũ, & longè diverſum a ſcopo Ariſt. in præſenti. Eſto nāque præceſſerit aliqua prima cauſa illius virtutis ab intrinſeco ſe moventis; non propterea ex natura motus colligitur, illam cauſam eſſe motricem eius virtutis: ſicut licet filius acceperit virtutem generativam & progreſsivam à parentibus, non ideo colligitur, nec verum eſt, filium à parentibus cieri ad motum generationis, aut progreſsionis. id enim ſufficienter præſtat filius per ſe, & ratione virtutis intrinſecæ, ſive illam acceperit à parentibus, ſive non; vt Adamus, qui a nullo homine genitus eſt. Ergo ſimiliter quælibet virtus ab intrinſeco ſe movēs, poteſt movere ſeipſam independenter ab alio motore, ſive illa entitatem ſuam acceperit ab alio, ſive non. *Contrà II.* Licèt materia & forma acceperint ſuum eſſe ab aliqua prima cauſa, tamen ex natura receptionis, qua materia recipit formam, & informationis, qua forma actuat materiam, non infertur quod materia ab alio recipiatur, aut forma informetur ab alio. quin potiùs materia eſt primum recipiens irreceptum, & forma eſt primũ informans nullatenus informabile ab alia ſubſtantiali forma. Ergo licèt quælibet virtus ſe movens ab intrinſeco, acceperit ſuum eſſe ab aliqua cauſa, tamen ex natura motus no deducitur moveri ab illa, aliave; ſed poterit ſeipſam primò movere.

9 *RESPONDEBIS III.* Vel hoc ipſo haberi virtutem illam ſe moventem, & a nullo alio motam, eſſe primum movēs; quod quærit Philoſophus. Ergo poſita ſemel virtute ſe movente, & nullatenus mota ab alio, iam ponitur primum movēs immobile.

10 *SED Contrà I.* Scopus enim Ariſtotelis, & diſcurſus præiacti, non eſt probare exiſtentiam alicuius ita ſe moventis, vt a nullo alio moveatur; ſed alicuius cætera omnia moventis & omnino immobilis. At poſita virtute ſe movente ab intrinſeco abſque ope motoris externi, non ideo colligitur ab illa virtute moveri cætera omnia, aut ipſam eſſe omnino immobilē; cum ſaltem moveret ſeipſam. Ergo poſita virtute ſe movente ab intrinſeco ſine ope motoris externi, non ideo habetur ſcopus Ariſt. *Contra II.* Eſto planta aliqua v.g. aut brutum, per propriam virtutem ſe moveat ad actum nutritionis, vel generationis non ideo movet hominem, aut aliam plantam, brutumve ad ſimiles actus; quamvis in ſeipſis nō egeat motore externo. Quid enim refert quod planta quædam, aut brutũ aliquod ſine ope alterius moveat ſe, vt proinde cætera omnia moveat? Ergo neque inde infertur talem plantam, aut brutum eſſe primum movens, quale veſtigatur ab Ariſt. hic enim quærit vnum primum motorem rerum omnium. *Contra III.* Poſito enim qualitercumque plantam, ſive brutum ſe movere per virtutem intrinſecam, ſeu à ſeipſis, iam corruit axioma illud Philoſophi, *Omne quod movetur, ab alio movetur.* Iam enim planta ac brutum ad actus nutritionis & progreſsionis moventur, non ab alio, ſed a ſe, ſcilicèt per virtutem intrinſecam & connaturalem. Ergo aliquid eorum, quę moventur, non movetur ab alio, ſed a ſeipſo: quod eſt planè contradictorium relato axiomati.

11 *SECVNDVM* Probatur eadem pars. Philoſophus enim non probat exiſtētiam vnius primi motoris immobilis ex natura motus qualiſcumque, ſed æterni. Supponit enim motum cœlorũ fuiſſe ab æterno: ac proinde infert neceſſum eſſe, vt ex natura motus deveniamus in aliquod primum movens æternum, quod cœlum moveat moveritque ante omne initium, quin in ſeipſo moveatur ab alio. Hic autem diſcurſus non modò non eſt demonſtrativus, ſed nec probabilis. Imò potiùs falſo fundamento nititur: cùm fide certum ſit nullum motum, nullamque creaturam fuiſſe ab æterno. Ergo nullatenus evincit exiſtentiā vnius primi motoris immobilis. Nam quāvis hæc aliunde certa & demonſtrabilis ſit, vt poſtea oſtendemus, demonſtrari nequit ex falſo fundamento, quo ſupponitur æternum fuiſſe motum cœlorum.

12 *RESPONDEBIS,* Data impoſsibilitate motus circularis ab æterno (quem tamen poſsibilē multi volunt) poſſe adhuc intelligi motorem ex ſe aptum ad movendum tota æternitate, ſi ex parte mobilis eſſet capacitas, aut ex parte motus nō repugnaret: ſicut data impoſsibilitate chimæræ, adhuc intelligi poteſt, Omnipotentiam ex ſe aptam eſſe ad illam producendam ex hypotheſi non repugnantiæ. Porrò aptitudo motoris quantùm ex ſe ad movēdum cœlum ab æterno, dignoſcitur ex aptitudine, quam habet ad movendum cœlũ in æternum. Nulla enim ratio eſt cur poſsit movere cœlum in æternum a parte poſt, & illam non habeat ex ſe ad movendum ipſum ab æterno ſive a parte antè. Ergo ſaltè ex natura motus æterni a parte poſt, colligitur exiſtentia vnius motoris potentis, quantum in ſe eſt, movere cœlum à parte antè. Quemadmodum enim continua-

tio poſsibilis motus in æternum denotat exiſtentiam motoris, qui ſine vlla defatigatione poſsit cœlum movere abſque fine, ita etiam denotat eundem motorem abſque laſsitudine vlla potuiſſe ex ſe movere cœlum abſque principio.

13 *Sed Contra I.* Nulla enim inſtantia efficax poteſt fieri ab æternitate poſsibili motus a parte poſt ad æternitatē illius a parte ante, quidquid alterat P. Arriaga *diſp. 19. ſect. 2. ſubſect. 2.* exiſtimans eandem eſſe vtriuſque rationem. Quippe diverſam eſſe, facile ac perſpicuè probatur. Ideo nanque motus in tempore inchoatus poteſt in æternum durare, quia quicunque demum motus in re ponatur, ille revera finitus eſt, & ex ipſo ac motu præcedenti nihil actu infinitum reſultat. Verè etenim quæcunque die, hora, vel momento ſignato, dicetur: *Hucuſque, & non amplius, durauit motus.* Vnde tota infinitas motus ſuperventuri, nunquam in re ponetur; neque verificabitur illam præſentem, aut iam præteritam fuiſſe; neque Deum poſſe facere infinitum motum; ſed ſolùm poſſe movere in infinitum: quod eſt quid longe diverſum. E contrà vero, ſi poſſet quantum in ſe eſt movere cœlum ab æterno, haberet vim ad efficiendum motum infinitum, qui iam modo extitiſſet, eſſetq; ab æternitate præſens. At nulla eſt potentia in Deo ad faciendum ex ſe motum infinitum, ſicut neque ad producendam chimæram, quæ nihilo magis repugnat, quam infinitus motus. Ergo licèt ſit in Deo poteſtas ad movendum cœlum in æternum, non tamen ab æterno. Ergo quemadmodum ex natura repugnãte chimæræ probari nequit exiſtentia Omnipotentiæ Dei, potentis illam ex ſe producere, niſi ipſa contradictionem involveret; ita ex natura motus æterni, quę non minus repugnans eſt, probari non poteſt exiſtentia vnius motoris, potẽtis ab æterno movere, niſi contradictionem involveret motus æternus.

14 *CONTRA II.* Duobus enim ſolùm modis poteſt cœlū moveri ab alio. Vno modo tanquam ab imprimente impetum internū proximè activum motus, quemadmodum gravia & levia dicuntur moveri à generante. Alio modò moveri poteſt ab alio, veluti à proximo movente ſeparato; ſicut rota movetur a manu impellente. Videtur autē longe probabilius hoc ſecundo modo, & non primo, moveri cœlum, quia caret anima, non ſolùm rationali, ſed etiam loco motiva, vt mihi is probavimus in Theologia Fiorulenta *Luſtro 8. excurſu 2.* ac præterea, quia nulla eſt ratio, attenta natura cœli, cur per ſe motū requirat, ſicut gravia & levia; ſed ſolum ad hunc extrinſecum gubernationis, perfectioniſque mundi, generationemque & corruptionem rerū ſublunarium. Quia vero aliqui Authores eruditiſsimi, vt Nierembergius *lib. de Vita Aſtrorum*, & Nicolaus Caulinus *lib. 3. de Domo Dei*, probabile cẽſent cœlum poſſe moveri ab intrinſeco; vtramvis opinionem amplectaris, oſtendendum eſt ex natura motus cœli, qualitercũque conſiderata, nullatenus probari exiſtẽtiã vnius primi motoris. Si enim aſſeras cœlum moveri ab alio, tãquam ab imprimente motum intrinſecum ſibi, ac connaturalē; non tam probabitur ex natura motus, quam ſupponetur exiſtentia alicuius motoris immobilis. Motus enim intrinſeceus & connaturalis ex terminis non probat exiſtentiam cauſæ extrinſecæ moventis: ſine qua per locū ab intrinſeco ſalvari poſſet cœlum ſuapte natura & propenſione moveri, independẽter ab alio motore. Ergo exiſtentia vnius primi motoris nō probatur ex natura motus cœli, ſi hic ſupponatur convenire ipſi ab intrinſeco. Idemq; eſt de motu graviū & levium, ex quo evidenter non probatur exiſtentia alicuius extrinſeci moventis: vtpote quo negato, adhuc per locum ab intrinſeco ſalvaretur ex naturali propenſione illorum. Si verò ſtatuas cœlum moveri ab alio, veluti à proximo movente ſeparato, qualiter rota movetur a manu; inde nō probabis exiſtere primum motorē ſimpliciter immobilē. Quid enim, ſi Adverſarius dicat moveri quidem cœlum ab alia cauſa ſuperiore, ſive corporea, ſive ſpirituali, habente connaturalem vim ad cœlum movendū, quin propterea ſit primus motor? Quid ſi dicat moveri ſimul a pluribus cauſis ſeparatis, quæ ex natura ſua, ſeu proprijs viribus, cœlum moveant, & tamen a nullo alio moveatur? Quomodo ex natura motus, & nullo alio medio in diſputationem adducto, efficaciter has evaſiones præcludes, & oſtendes exiſtentiam vnius primi motoris immobilis? Ponamus vero inſuper motum cœli fuiſſe ab æterno, vt Ariſtoteles cenſuit. Vnde ex natura motus probabitur, illum ab vnico motore immobili proceſſiſſe, non a pluribus æternis motoribus, ſive corporeis, ſive ſpiritualibus, a nullo alio mobilibus? Dum enim illi ſupponãtur æterni, incorruptibileſque, ſicut ipſum cœlum, ſufficienter poterunt movere cœlos ab æterno in æternum. Aliud ergo principium quærere debes, vt omnino efficaciter

cvi-

evincas exiſtentiam vnius extrinſeci motoris immobilis.

15 *CONTRA III.* Vt enim probaretur exiſtentia vnius primi motoris immobilis ex natura mot⁹, etiam æterni, deberet probari exiſtentia vnius moventis ex ſe, & ita propria virtute, vt illam nullatenus acceperit ab alio. Aliter namque non erit primus motor. Sed ex natura motus, etiam æterni, nequit probari exiſtentia vnius moventis ex ſe, & ita propria virtute, vt illam nullatenus acceperit ab alio. Ergo neque probatur exiſtentia vnius primi motoris immobilis. Probatur minor. Ad naturam motus, etiã æterni, per locũ ab intrinſeco parum refert, quod is, a quo aliquid movetur, virtutem movendi à ſe ipſo habeat, vel ab alio illã acceperit. Dum enim vi motrice præditus ſit, quà cœlum impellat, & æternam quidem, ſi motus cœli ſupponatur æternus, ſive illa ſit participata ab alio, ſive non, cœlum ſufficienter movebitur. Neque enim in principio movente deſideranda eſt maior perfectio ex natura motus, quàm quæ ad exiſtentiam eiuſdem motus per ſe neceſſaria eſt. Non ergo ex natura motus, etiam æterni, probari poteſt exiſtentia vnius moventis ex ſe, & ita propria virtute, vt illam nullatenus acceperit ab alio.

16 *VLTIMO* Argui poteſt contra prædictum Philoſophi diſcurſum: Quia ex eo nullatenus probari poteſt exiſtentia primi motoris, qui ſit ſubſtantia immaterialis & ſeparata. Quod multipliciter ſuadetur. *Primò* Nam motus cœli per locum ab intrinſeco ſubſiſteret, quamvis moveretur ab aliquo ente corporeo, habente vim connaturalem movendi cœlum. Neque enim tunc convinceretur motum cœli fore diverſæ rationis, ac modo eſt. Sicut motus gravium & levium in ſubſequentibus generationibus eſt eiuſdem rationis, ac in prima productione Vniverſi, quamvis tunc ſolum procederet à motore immateriali, ſcilicet, Deo; modo autem procedat à cauſa ſecunda generante gravia & levia. *Secundò.* Motus enim cœli pure corporeus eſt: ac proinde per ſe loquendo non infert motorem incorporeum, quãquam ille alias corporeus ſit. Sicut ſenſiones quas in corpore elicit anima rationalis, per ſe loquendo no inferunt illam ſpiritualem eſſe, & pluſquã ſentientem, quamquam alioqui & in re ſpiritualis ſit. *Tertiò.* Si namque motus cœli per ſe inferret exiſtentiam motoris incorporei, maximè quia cœlum eſt primum corpus, atque adeò nequit præſupponere corpus aliud prius, à quo moveatur. At ex natura motus neutiquam colligitur cœlum eſſe primum corpus. Æque enim bene moveretur, quamvis eſſet aliud primum corpus movens cœlum, aut ſi exiſterent plura compoſita ex materia ſubtili & forma ſpirituali, moventia cœlum, qualiter aliqui, etiam ex Catholicis, cenſuerunt conſtitui ſubſtantiam Angelorum. Illa enim abundè poſſent movere cœlum; & ſi ponantur in numero finito, vitabitur ſcopulus, alias imminens, ſecuturi proceſſus in infinitum. Nõ ergo ex motu cœli deducitur evidenter exiſtentia vnius primi motoris, qui ſubſtantia ſpiritualis ſit.

SECTIO SECVNDA.

Protegitur, ac diverſimodè fulcitur diſcurſus Philoſophi, tamquam efficax & demonſtrativus. Vbi plura notatu digna ex penitiori Philoſophia.

17 *VERVM* Minimè obſtãtibus quæcunque hactenus obiecta ſunt, aſſerendum eſt rationem Philoſophi genuinam, efficacem, & demonſtrativam eſſe; ex eaque evidenter probari a poſteriori exiſtentiam alicuius primi motoris, qui omnia moveat, & a nullo alio moveatur. ita cum Ariſtotele D. Thomas in præſenti, & 1 *.contr.Gent.cap.* 13 *.ac* 1 *.p. q.*2 *.art.*1 .atque in Compendio Theologiæ *cap.*3 .& frequenter vtriuſque Interpretes, ac Diſcipuli, licèt aliqui nolint concedere argumentum Philoſophi attigiſſe metas demonſtrationis.

18 *RATIO* Ariſtotelis ac D. Thomæ, vt demonſtrativa ſit, in hunc modum proponenda eſt. Neceſſum eſt omne quod movetur, ab alio moveri. Sed hoc poſito neceſſum quoque eſt dari aliquem primũ motorem, cætera omnia moventem, & in ſeipſo immobilem. Ergo neceſſum eſt dari aliquem primum motorem, cætera omnia moventem, & in ſe ipſo immobilem. Conſequentia eſt evidens. Maior, quæ ab Adverſarijs negatur, ſic ſuadetur diſcurſu Ariſtotelis à D. Thoma reſumpto loco allegato *ex* 1 *.Contrà Gent.* Impoſſibile enim eſt aliquod ex ijs, quæ moventur, movere ſeipſum, ac proinde neceſſum eſt moveri ab alio. *Nihil enim idem eſt ſimul in actu & in potentia reſpectu eiuſdem: ſed omne quod movetur, in quantum huiuſmodi, eſt in potentia; quia motus eſt actus exiſtentis in potentia ſecundùm quod huiuſmodi; omne autem, quod movet, eſt in actu in quantum huiuſmodi, quia nihil agit, niſi in quantum eſt in actu: ergo nihil*

conſtant partibus heterogeneis, ſeu diverſæ rationis, ratione quarum poſsint ſimul eſſe in potentiâ & actu penes diverſa: in actu quidem ratione partis moventis: in potentia autem ratione partis motæ: atque adeò non ſequitur illa ſecundùm idem eſſe ſimul in potentia & in actu, ſed penes aliam & aliam partem. At non viventia conſtant partibus homogeneis, ſeu eiuſdem rationis, quarum nulla præ altera habet potiùs rationem partis moventis, quàm motæ. Ergo ſaltem non viventia nequeunt eſſe ſimul in potentia & in actu reſpectu motus; quia ſic deberent eſſe ſimul ac ſecundùm eamdem partem in potentiâ & in actu. *Cōtrà II.* In animalibus enim pars movens cæteras, ſcilicet cor, duplici motu movetur. nimirum eo, quo reliquæ partes ratione illius, & totum animal; ac inſuper motu alio reſtrictionis & dilatationis ſibi proprio. Et priori illo motu movetur per accidens ad motum totius, quod ipſa movet; ſicut nauclerus in navi exiſtens illam movet, & ad motum navis movetur per accidens. At verò quo ad ſecundum motum ſibi proprium, movetur à principio extrinſeco, ſcilicet, a generante, nam motus ille eſt quaſi proprietas cordis; quia dans formam debet præſtare conſequentia per ſe ad formam, vt S. Tho. expreſsè docet *Opuſc. de motu cordis*. Numquam ergo verificatur aliquid per ſe loquendo movere ſe ipſum aliquo genere motus, ſed omne quod per ſe loquendo movetur, neceſſum eſt moveri ab alio. *Contrà III.* Aliud enim eſt movere ſe ipſum elicitivè, ſeu eliciendo motum ratione alicuius partis, atque ipſum in ſe recipiendo, quod omni viventi commune eſt prout diſtinguitur à non vivente: aliud vero movere ſe ipſum applicativè, ſeu primo ac per ſe reducere ſe ipſum in actum motus; & hoc impoſsibile eſt omni animali ac viventi, quia ſic ſecundùm idem eſſet in actu & in potentiâ, perfectum & imperfectum. Eſſet quidem in actu prout moveret applicativè ſe ipſum; in potentiâ vero prout moveretur applicativè a ſe ipſo, idque per ſe loquēdo; quod omnino repugnat. Ergo ex eo quòd viventia activè ſe moveant ratione alicuius partis ſibi propriæ, non evincitur ratione eiuſdē applicativè moveri: ac proinde ſemper opus eſt devenire in alium motorem extrinſecum, à quo applicentur ad motum, ſive primæ operationis, ſeu etiā poſteriorum, vt poſtea dicam.

24 *DICES II.* Poteſt idem eſſe movens & motum in ijs motibus, qui ſunt actus perfecti. Ergo & in ijs, qui ſunt actus imperfecti. Conſequentia patet: tum quia eadem vtriuſque ratio eſt; tum quia diſcurſus Philoſophi præiactus vniverſim probat diſtinctionem realem inter movens & motum; ac proinde vel convincit de motibus qui ſunt actus perfecti, vel non convincit de ijs, qui motus imperfecti ſunt; ſeu actus entis prout in potentiâ. Antecedens vero probatur. Eadem namque anima movet & movetur, ſeu agit & patitur, per intellectionem & volitionem, quatenus vtramque activè producit, & vtramque recipit medijs intellectu ac voluntate. Sed intellectio & volitio dicuntur & ſunt actus perfecti. Ergo poteſt idem eſſe movens & motū, agens & patiens, circa eos motus, qui ſunt actus perfecti.

25 *SED Contrà.* Nunquam enim verificatur intellectum & voluntatem eſſe movens & motum, agens & patiens, ratione eiuſdem partis, aut entitatis, ſed diverſæ. Ergo nunquam verificatur idem eſſe movens & motum, agens & patiens, ſecundùm idem, quod Philoſophus diſcurſu præiacto inpugnat tanquam abſurdum. Probatur antecedens ſeorſim de vnaquaque ex duabus relatis potentijs. De intellectu quidem; nam reſpectu cognitionis primorum principiorum, & primæ cogitationis, non eſt movens, ſed motum ab Authore naturæ ſpecialiter; quanquam relatè ad cæteras intellectiones ſequentes ſit movens. Ergo non ſecundum eandem operationem, ſive entitatem, eſt ſimul movens & motū; ſed penes diverſam. Deinde nec circa intellectiones ſequentes primam, eſt movens & motum, agens & paſſum, ratione eiuſdē entitatis, ſed diverſæ. Nam eſt movens ratione ſpeciei impreſſæ, qua determinatur ad intellectionem vnius obiecti præ alio, & eſt motum ratione entitatis ſuæ nudæ recipientis intellectionem. Imo (vt ſic tacita obiectio præoccupetur) quando intelligit ſe ipſum ſine ſpecie diſtincta, & per propriam ſubſtantiam, non eſt movens, ſed motum ſpecialiter ab Authore naturæ, vt deducitur ex D. Tho. 1. *p. q. 63. ar.* 5. & vi eius intellectionis conſtituitur in actu ad cognitionem aliorum omnium, ſive vt ſe moveat quò ad intellectiones ſequentes. Nunquam ergo relatè ad eandem intellectionem intellectus, ſive Angelicus, ſive humanus, movet & movetur, agit & patitur, ſecundùm eamdem entitatem, ſeu penes diverſam. De voluntate id ipſum evincitur. Voluntas enim quò ad intentionem finis movetur ſpecialiter ab Authore naturæ, licèt quo ad electionem mediorum moveatur

exiſtente formaliter in ſe ipſo: quia ſicuti in primo inſtanti generationis gravium ac levium debuit conferre gravibus & levibus ſitum & quietem in centro proprio, ita & præſtare virtutem. quâ poſtea nomine ipſius eam perfectionem adquirant, ſi fortè a principio illam non acceperunt ob aliquod impedimentum; aut recuperent, quoties amiſerint: quemadmodum dici ſolet de aquâ recuperante priſtinam frigiditatem, & tradidimus *diſp. 15 ſect. 3*.

29 *CONFIRMATVR*. Etenim inter movens & motum neceſſaria eſt realis diſtinctio, aut ſuppoſitorum, aut ſaltem partis per ſe moventis a parte per ſe mota: quia ſicut nihil poteſt eſſe in actu & potentiâ, perfectum & imperfectum ſecundum idem realiter, ita neque movere ſe ipſum ſecundùm eandem realitatem, quâ mobile eſt. Vide dicenda *ſequenti diſp. ſect. 2*. At gravia & levia inanimata, vt lapis, ignis, aqua, &c. in individuo conſiderata, non claudunt diſtinctionem ſuppoſitorum realem, vt patet; nec partis per ſe moventis a parte per ſe motâ; cùm omnes illorum partes ſint homogeneæ, quarum nulla præ alia habet per ſe movere, aut per ſe moveri; in quo ſanè à viventibus differunt. Ergo gravia & levia inanimata nequeunt ſe movere: ac proinde, quoties moventur, debent moveri ab alio.

30 *OPPOSITAM* Sententiam tenentur Scotus *in 2. diſt. 2. q. 10.* Gregorius *diſt. 6. q. 1 ar. 3*. Pererius *lib. 6. de Rebus Natur. cap. 16*. Valles *2. Phyſic. cap. 1*. Plaza eodem libro *diſp. 5. q. 7*. Cabero in præſenti *diſp. vnica dub. 3*. Ioannes Martinez *2. Phyſic. cap. 1 notab. 6*. alij que plures, licèt obiter. nam plerique Recentiorum rem hanc non diſcutiunt. Porrò motiva huius opinionis plura ſunt, quorum aliqua ſolùm ſummatim proponam, cæteris in loca allegata remiſſis, vbi oportuniorem ſedem habebunt.

31 *PRIMVM*. Eſt: Quia motus gravium & levium procedit activè à gravitate & levitate ipſorum, vt cõſtat ex Ariſt. *ſuprà lib. 4. textu 86. & infrà lib. 8. textu 32.* ac D. Thomâ *3. contra. Gent. cap. 24. & in 2. diſt. 18, q. 1. ar. 2.* At non moventur ab vtraque, vt virtute activa inſtrumentali; cùm ambæ excedant perfectione motum localem atque imperfectum, ab ijs cauſatũ. Ergo moventur ab vtraque, vt, virtute activa principali & propria. Igitur moventur à ſe ipſis per propriam virtutem, vt ſupra de viventibus dictum eſt. *SECVNDVM*. Sæpe generans diſtat à gravibus & levibus, quando moventur, aut iam non exiſtit in rerum naturà. Ergo oportet aſſignare aliquod agens naturale, quod virtute principali, ac propria concurrat actualiter ad efficiendum illum motum: quia omnis effectus in actu, exigit cauſam principalẽ actu influentem. Eiuſmodi verò agens naturale nequit eſſe aliud, quàm ipſum grave aut leve quod movetur. Ergo gravia & levia virtute principali ac propria efficiũt motum, quo moventur.

32 *Confirm.* ab abſurdo. Si enim lapis v. g. moveretur deorſum a generante, quò vicinior ipſi eſſet, eo vehementiùs ab eo moveretur; & quò remotior, eò remiſſiùs: quia omne agẽns naturale fortiùs agit in propinquum, quàm in remotum. At conſequens falſum eſt. Lapis enim in loco ſublimi genitus, quo magis ab eo recedit, & accedit ad locum viciniorem centro, remotioremque a generante, eo vehementiùs ac velociùs movetur.

33 *RESP.* Motum gravium & levium procedere active à gravitate & levitate, non per actionem ſtrictam vtriuſque, ſive principaliter, ſive inſtrumentaliter.; ſed per ſimplicem emanationem: qualiter *diſp. 15. ſect. 3*. diximus proprietates emanare ab eſſentia, quando primò producitur. Cæterùm quemadmodum eodem loco *à num. 36*. diximus recuperationem proprietatis amiſſæ in gradu naturæ debito non fieri ſine actuali influxu & actione ſtrictâ cauſarum ſecundarum circumſtantium; ſic etiam modò aſſerimus motum gravium & levium, etiam ſi diſtent à generante particulari, nõ fieri ſine actuali influxu, & actione ſtrictâ cauſarum ſecundarum vniverſalium, qualia ſunt corpora cœleſtia.

34 Id tamen maximè obſervare oportet, tam pro ibidem dictis, quàm modò, quòd ſicuti in inſtãti generationis actio eadem productiva ſecundariò proprietatũ, eſt ſtricta ex parte generantis, & impropria atque emanativa ſolùm ex parte eſſẽtiæ; ita etiam motus gravium & levium reſpectu ipſorum non eſt actio ſtricta, ſed impropria, quâ adquirũt vbicationes alias & alias proximiores centro: cæterùm relatè ad corpora cœleſtia, ipſorumque vim activam in hæc inferiora, eſt actio ſtricta, aut illam claudit, ſicut & ex parte Dei eſt verus ac ſtrictus influxus ſimultaneus, quo cõcurrit cum gravibus & levibus ad adquirendam vbicationem & ſitum in proprio centro. Inſuper & eſt actio ſtricta reſpectu generantis, etiam abſentis, aut non exiſtentis formaliter in ſe ipſo: quia adhuc manet

via-

virtualiter in aliquo effectu ſuo, ſcilicet, in gravitate & levitate, vt proprietatibus naturæ à ſe productæ: quæ nomine & vice eiuſdem generantis tendunt ad adquirendã perfectionem ſitus in centro, debitam eidem naturæ gravi ac levi à primo inſtanti: tendunt, inquam, medio motu: qui ex parte gravitatis & levitatis eſt actio impropria & inſtrumentaria; ex parte autem ipſius generantis particularis, & cauſarũ vniverſalium, eſt actio ſtricta, & proprius influxus activus vbicationum; aut ſaltem involvit actionem & influxum, vt abſtraham à diverſis opinionibus. Ex quibus patet ad vtrumque argumentum.

35 *DICES.* Motus ad proprium centrum non debetur grauibus & leuibus in primo inſtanti intrinſeco in quo generantur, iuxta dicta *diſputat. præced. ſect. 2.* loquendo vniverſim de ſubſtantijs generabilibus: quia motus non incipit in inſtanti, ſive *per primum ſui eſſe*, ſed in tempore, & *per vltimum ſui non eſſe*: ac proinde, cum nequeat eſſe in illo primo inſtanti, nequit in eo deberi ſubſtantiæ gravi aut levi genitæ. Ergo per ſe loquendo motus ille non tribuitur generanti, nec ſpeciatim ab eo procedit: quia id propriũ eſt earũ perfectionũ, quæ debentur rei genitæ in primo inſtanti.

36 *RESP.* Sat eſſe quod ijs rebus in primo inſtanti debitus ſit ſitus in centro, vt omnis motus, quo tendunt ad illum acquirendum poſtea, aut recuperandum, tribuatur generanti.

DISP. QVADRAGESIMA.

DE EXISTENTIA VNIVS PRIMI MOTORIS.

An ſufficienter fuerit demonſtrata ab Ariſtotele ex natura motus?

Num. 1. DVPLEX *Demonſtrationum genus eſt, vt rectè notat Granado* contro. 1. de Subſtantia Dei diſp. 2. *& Recupitus* 1. p. q. 9. cap. 4. *Quædam ſunt adeo evidentes, vt ſtatim extorqueant aſſenſum cuiuslibet intellectus, etiam obſtinati, & protervi; idque communiter accidit in mathematicis demonſtrationibus, ijs ſaltem, quæ communiter circumferuntur. Aliæ verò non adeò evidentes ſunt, vt omnem intellectum conuincant, etiam hebetem ac durum, ſed ingenuum tantùm, ſeu docilem, ac veritatis ſtudioſum. Quærimus itaque diſputatione hac, vtrùm argumenta quibus Philoſophus probat* lib. 7. & 8. *Phyſicorum exiſtentiam vnius primi motoris, ſint demonſtrationes ſaltem ſecundi generis aſsignati, & quæ omnem intellectum convincant, niſi hebes, aut obſtinatus ſit? Cùm verò pluribus argumentis vtatur Philoſophus, illud præcipuum eſt, quo aſſumit, omne quod movetur, ab alio moveri; & infert, deveniendum neceſſariò eſſe ad aliquem Primum Motorem immobilem, ne detur proceſſus in infinitum. Quare in huius diſcurſus examine, & corollarijs inde deductis, inſumenda erit tota diſputatio præſens; idque ſiſtendo in natura motus. Habet verò directè locum controverſia præſens* hoc lib. 7. capite primo, & lib. 8. cap. 3. & 4. & 5. & 6.

SECTIO PRIMA.

Plures rationes dubitandi, ſeu argumenta, proponuntur contra diſcurſum Ariſtotelis, probantis exiſtentiam vnius Primi Motoris, quia omne quod movetur, ab alio movetur.

2 ARIST. Tam *hoc lib.* 7. quàm 8. *cap.* 5. ſtatuit, omne quod movetur, ab alio moveri. Et ſubdit: εἰ δὴ ἀνάγκη πᾶν τὸ κινούμενον ὑπό τινος κινεῖσθαι, &c. *Si igitur omne quod movetur, ab aliquo moveri neceſſe eſt, & aut ab eo, quod movetur ab alio, aut ab eo, quod non movetur, Agitur Philoſophus, ab alio; & ſi ab eo movetur, quod ab alio movetur, movens aliquod eſſe primum, quod non ab alio moveatur, neceſſe eſt: ſin verò tale eſt primum, non neceſſe eſt alterum eſſe.* Subditque ſtatim fieri non poſſe vt in infinitum proficiſcatur id quod movet, & movetur ab alio. Quare frequẽter Philoſophi, tum Veteres, tum Recentiores, hunc diſcurſum, prout ab Ariſtotele proponitur, firmiſsimũ ac demonſtrativum cenſent.

3 *VERVM.* Alij id negant, pluribuſque, tum argumentis, tum & ſolutionibus oſtendere conantur, præciſè ex natura motus minimè deprehendi exiſtentiam vnius motoris immobilis; & multo minus quod ille primus motor ſit ſubſtantia ſeparata,

ac ſpiritualis. Vtraque exiſtimationis huius partem tuetur latè P. Suarez *diſp. 29. Metaph.* quem alij à Recentioribus imitantur. Illorum omnium fundamenta proponam modo, & multipliciter vrgebo, vt poſtea ſolutis rationibus dubitandi, quaſi fugatis tenebris, efficacia diſcurſus Ariſtotelici clariùs elucescat.

4 *PRIOR* Pars ſic probari poteſt. Vt aliquis diſcurſus ſit demonſtratiuus, debet procedere ex principijs omnino certis & evidentibus. At diſcurſus prælactus Philoſophi non procedit ex principijs omnino certis & evidentibus. Ergo diſcurſus Philoſophi non eſt demonſtrativus. Conſequentia eſt legitima in quarto modo ſecundæ figuræ. Maior traditur ſæpe ab Ariſt. alijſque Philoſophis, ac præterea conſtat: quia diſcurſus demonſtrativus generat aſſenſum certum & evidentem, in quo conſiſtit ſciẽtia actualis: Minor verò probatur: Nã axioma illud, *Omne quod movetur, ab alio movetur*, ex quo procedit Philoſophus, prout accipitur ab illo de motu, nõ videtur certum & evidẽs. Plura enim ſunt, quę poſſunt moveri à ſeipſis per virtutem intrinſecam, vt ignis ſurſum, lapis deorſum, & cœlum, iuxta quoſdam, circulariter. Qua ratione adhuc inter Catholicos Doctores ſub lite eſt, an ſubſtantiæ ſpirituales, ſeu intelligentiæ ſeparatæ, moveant orbes cœleſtes, vt videbimus *tract. de Cœlo*. Semel autem poſita in cœlo virtute intrinſeca, quà ſe moveat penes locum, nulla apparet neceſſitas alterius motoris extrinſeci, à quo moveatur. Ergo neque apparet evidens, omne id quod movetur, ab alio moveri; cùm aliqua poſsint moveri à ſeipſis, ſeu per virtutem intrinſecam.

5 *RESPONDEBIS I.* Eſto gravia ac levia, & cœlũ habeat ab intrinſeco vim loco-motivam, adhuc evidens eſſe illorum omnium entitatem eſſe realiter diſtinctã à motu, ſicut potentiã ab actu. Aliunde evidens eſt, omne id quod eſt in potentia debere reduci in actum ab alio. Ergo evidens eſt gravia ac levia, & cœlum ipſum, debere reduci in actum motus localis ab alio, quamquam vltro ſupponantur habere virtutem intrinſecã, quâ ſe moveant. Sic omnia animantia habent vim nutritivam, ſenſitivam, ac progreſsivam, quâ ſe moveant ab intrinſeco. Et tamen quia entitas, ſive ſubſtantia illorum non eſt idem cum motu ſed in potentia ad illum, egent motore extrinſeco, a quo reducantur in actum.

6 *SED Contrà I.* Adhuc enim demonſtrata non eſt repugnantia ſubſtantiæ creatæ, quæ identificet ſuum motum, vel operationem. Nam licèt plures rationes ſatis vrgentes proponantur ab Authoribus contra illius poſsibilitatẽ, nulla tamẽ eſt, quæ evaſionem veroſimilem non habeat: vt videre eſt, præter alios, apud Oviedo *Phyſica controv. 12. p. 1.* Ergo poterit ſubſtantia aliqua ſecum identificare motum, ac proinde non egere extrinſeco motore, à quo reducatur in actum. *Confirm.* Quemadmodum ſunt aliquæ entitates, quæ, vt exiſtant, dependent eſſentialiter à coëxiſtẽtia alterius extremi, vt materia in opinione probabiliore à coëxiſtentia formæ, & actio vitalis in omni ſententia ab exiſtentia principij viventis per illam; ſic etiam dici poterit, aliquas eſſe entitates, ſeu virtutes neceſſariò connexas cum operatione; & non modo connexas; ſed etiam indiſtinctas ab eâ. Quod licèt abſolutè falſum ſit, difficulter demonſtrabitur eſſe falſum. *Contrà II.* Permiſſo gratis demõſtrabilem eſſe diſtinctionem realem motus operationiſque a ſubiecto mobili, & virtute operante, adhuc demonſtrata non eſt repugnantia principij, aut virtutis motivæ, quæ ſit per ſe connexa cum motu, aut operatione, illamque ſemper in exercitio exigat: ſicut vegetabilia exigunt ab intrinſeco motum nutritionis quamdiu exiſtunt. Poſito autem principio, aut virtute ab intrinſeco exigente motum localem, difficulter demonſtrabitur exigentia motoris extrinſeci; nec facile refutabitur qui dixerit ſufficientem cauſam eius motus aſsignari in ipſo principio ac virtute ab intrinſeco ſe movente. Non ergo ex natura motus abſtractè & vniverſim probatur exiſtentia vnius motoris immobilis. Vide Lynceum *lib. 9. Phyſic. tract. 1. c. 3.*

7 *RESPONDEBIS II.* Virtutem ſe movendi localiter ab intrinſeco, ſive identificatam cum motu, ſive ſolum connexã, aut fuiſſe receptam ab alio, aut non? Si hoc ſecundum dicatur; erit primum movens, quod intendit Philoſophus; cũ ita moveat, vt a nullo alio moveatur. Si autem ſecundũ dicas; redibit argumentum de illo alio motore, an & virtutem movendi à ſe habeat, vel ab alio acceperit? Cumque de illo, & de alio, atq; alio, inſtaurari poſsit eadẽ interrogatio; tandem ſiſtendũ erit in aliquo motore omnino immobili, ne in cauſis per ſe ordinatis detur proceſſus in infinitum.

8 *SED Contrà I.* Hic enim diſcurſus iam eſt diverſus ab argumento Philoſophi deſumpto ex natura motus; & nõ tam infert exiſtẽtiam vnius primi motoris, quã

vnius

vnius primæ cauſæ, quod eſt quid diſtinctũ, & longè diverſum à ſcopo Ariſt. in præſenti. Eſto nãque præceſſerit aliqua prima cauſa illius virtutis ab intrinſeco ſe moventis; non propterea ex natura motus colligitur, illam cauſam eſſe motricem eius virtutis: ſicut licèt filius acceperit virtutem generativam & progreſsivam à parentibus, non ideo colligitur, nec verum eſt, filium à parentibus cieri ad motum generationis, aut progreſsionis. Id enim ſufficienter præſtat filius per ſe, & ratione virtutis intrinſecæ, ſive illam acceperit à parentibus, ſive non; vt Adamus, qui à nullo homine genitus eſt. Ergo ſimiliter quælibet virtus ab intrinſeco ſe movẽs, poteſt movere ſeipſam independenter ab alio motore, ſive illa entitatem ſuam acceperit ab alio, ſive non. *Contrà II.* Licèt materia & forma acceperint ſuum eſſe ab aliqua prima cauſa, tamen ex natura receptionis, qua materia recipit formam, & informationis, qua forma actuat materiam, non infertur quod materia ab alio recipiatur, aut forma informetur ab alio. quin potiùs materia eſt primum recipiens irreceptum, & forma eſt primũ informãs nullatenus informabile ab alia ſubſtantiali forma. Ergo licet quælibet virtus ſe movens ab intrinſeco, acceperit ſuum eſſe ab aliqua cauſa, tamen ex natura motus nõ deducitur moveri ab illa, aliave; ſed poterit ſeipſam primò movere.

9 *RESPONDEBIS III.* Vel hoc ipſo haberi virtutem illam ſe moventem, & à nullo alio motam, eſſe primum movẽs; quod quærit Philoſophus. Ergo poſitã ſemel virtute ſe movente, & nullatenus mota ab alio, iam ponitur primum movẽs immobile.

10 *SED Contrà I.* Scopus enim Ariſtotelis, & diſcurſus præiacti, non eſt probare exiſtentiam alicuius ita ſe moventis, vt à nullo alio moveatur; ſed alicuius cætera omnia moventis & omnino immobilis. At poſita virtute ſe movente ab intrinſeco abſque ope motoris externi, non ideo colligitur ab illa virtute moveri cætera omnia, aut ipſam eſſe omnino immobilẽ; cum ſaltem moveret ſeipſam. Ergo poſita virtute ſe movente ab intrinſeco ſine ope motoris externi, non ideo habetur ſcopus Ariſt. *Contrà II.* Eſto planta aliqua v.g. aut brutum, per propriam virtutem ſe moveat ad actum nutritionis, vel generationis, nõ ideo movet hominem, aut aliam plantam, brutumve ad ſimiles actus; quamvis in ſeipſis nõ egeãt motore externo. Quia enim refert quod planta quædam, aut brutũ aliquod ſine ope alterius moveat ſe, vt proinde cætera omnia moveat? Ergo neque inde infertur talem plantam, aut brutum eſſe primum movens, quale veſtigatur ab Ariſt. hic enim quærit vnum primum motorem rerum omnium. *Contra III.* Poſito enim qualitercumque plantam, ſive brutum ſe movere per virtutem intrinſecam, ſeu à ſeipſis, iam corruit axioma illud Philoſophi, *Omne quod movetur, ab alio movetur.* Iam enim planta ac brutum ad actus nutritionis & progreſsionis movebitur, non ab alio, ſed à ſe, ſcilicet per virtutem intrinſecam & connaturalem. Ergo aliquid eorum, quę moventur, non movetur ab alio, ſed à ſeipſo: quod eſt planè contradictorium relato axiomati.

11 *SECVNDVM* Probatur eadem pars. Philoſophus enim non probat exiſtẽtiam vnius primi motoris immobilis ex natura motus qualiſcumque, ſed æterni. Supponit enim motum cœlorũ fuiſſe ab æterno: ac proinde infert neceſſum eſſe, vt ex natura motus deveniamus in aliquod primum movens æternum, quod cœlum moveat moveritque ante omne initium, quin in ſeipſo moveatur ab alio. Hic autem diſcurſus non modò non eſt demonſtrativus, ſed nec probabilis. imò potiùs falſo fundamento nititur: cùm fide certum ſit nullum motum, nullamque creaturam fuiſſe ab æterno. Ergo nullatenus evincit exiſtentiã vnius primi motoris immobilis. Nam quãvis hæc aliunde certa & demonſtrabilis ſit, vt poſtea oſtendemus, demonſtrari nequit ex iſto fundamento, quo ſupponitur æternum fuiſſe motum cœlorum.

12 *RESPONDEBIS*, Data impoſsibilitate motus circularis ab æterno (quem tamen poſsibilẽ multi volunt) poſſe adhuc intelligi motorem ex ſe aptum ad movendum tota æternitate, ſi ex parte mobilis eſſet capacitas, aut ex parte motus nõ repugnaret: ſicut data impoſsibilitate chimæræ, adhuc intelligi poteſt, Omnipotentiam ex ſe aptam eſſe ad illam producendam ex hypotheſi non repugnantiæ. Porrò aptitudo motoris quantùm ex ſe ad movẽdum cœlum ab æterno, dignoſcitur ex aptitudine, quam habet ad movendum cœlũ in æternum. Nulla enim ratio eſt cur poſsit movere cœlum in æternum à parte poſt, & illam non habeat ex ſe ad movendum ipſum ab æterno ſive à parte antè. Ergo ſalſè ex natura motus æterni à parte poſt, colligitur exiſtentia vnius motoris potentis, quantum in ſe eſt, movere cœlum à parte antè. Quemadmodum enim continua-

tio poſsibilis motus in æternum denotat exiſtentiam motoris, qui ſine vlla defatigatione poſsit cœlum movere abſque fine, ita etiam denotat eundem motorem abſque laſsitudine vlla potuiſſe ex ſe movere cœlum abſque principio.

13 *SED Contra I.* Nulla enim inſtantia efficax poteſt fieri ab æternitate poſsibili motus a parte poſt ad æternitatẽ illius a parte ante, quidquid alterat P. Arriaga *diſp. 19. ſect. 2. ſubſect. 2.* exiſtimans eandem eſſe vtriuſque rationem. Quippe diverſam eſſe, facile ac perſpicuè probatur. Ideo nanque motus in tempore inchoatus poteſt in æternum durare, quia quicunque demum motus in re ponatur, ille revera finitus eſt, & ex ipſo ac motu præcedenti nihil actu infinitum reſultat. Verè etenim quacunque die, hora, vel momento ſignato, dicetur: *Hucuſque, & non amplius, duravit motus.* Vnde tota infinitas motus ſuperventuri, nunquam in re ponetur; neque verificabitur illam præſentem, aut iam præteritam fuiſſe; neque Deum poſſe facere infinitum motum; ſed ſolum poſſe movere in infinitum: quod eſt quid longe diverſum. E contra verò, ſi poſſet quantum in ſe eſt movere cœlum ab æterno, haberet vim ad efficiendum motum infinitum, qui iam modo exiſtiſſet, eſſetq; ab æternitate præſens. At nulla eſt poteſtas in Deo ad faciendum ex ſe motum infinitum, ſicut neque ad producendam chimæram, quæ nihilo magis repugnat, quam infinitus motus. Ergo licèt ſit in Deo poteſtas ad movendum cœlum in æternum, non tamen ab æterno. Ergo quemadmodum ex natura repugnãte chimæræ probari nequit exiſtentia Omnipotentiæ Dei, potentis illam ex ſe producere, niſi ipſa contradictionem involveret; ita ex natura motus æterni, quę non minus repugnans eſt, probari non poteſt exiſtentia vnius motoris, potẽtis ab æterno movere, niſi contradictionem involveret motus æternus.

14 *CONTRA II.* Duobus enim ſolùm modis poteſt cœlũ moveri ab alio. Vno modo tanquam ab imprimente impetum internũ proximè activum motus, quemadmodum gravia & levia dicuntur moveri à generante. Alio modò moveri poteſt ab alio, veluti à proximo movente ſeparato; ſicut rota movetur a manu impellente. Videtur autẽ longe probabilius hoc ſecundo modo, & non primo, moveri cœlum, quia caret anima, non ſolum rationali, ſed etiam loco-motiva, vt multis probavimus in Theologia Floruleuta *Luno 8. excurſu 2.* ac præterea, quia nulla eſt ratio, attenta natura cœli, cur per ſe motũ requirat, ſicut gravia & levia; ſed ſolum ad finẽ extrinſecum gubernationis, perfectioniſque mundi, generationemque & corruptionem rerũ ſublunarium. Quia vero aliqui Authores eruditiſsimi, vt Nierembergius *lib. de Vita Aſtrorum*, & Nicolaus Cauſinus *lib. 3. de Domo Dei*, probabile cẽſent cœlum poſſe moveri ab intrinſeco; vtramvis opinionem amplectaris, oſtendendum eſt ex natura motus cœli, qualitercũque conſiderata, nullatenus probari exiſtẽtiã vnius primi motoris. Si enim aſſeras cœlum moveri ab alio, tãquam ab imprimente motum intrinſecum ibi, ac connaturalẽ; non tam probabitur ex natura motus, quam ſupponetur exiſtentia alicuius motoris immobilis. Motus enim intrinſecus & connaturalis ex terminis non probat exiſtentiam cauſæ extrinſecæ moventis: ſine qua per locũ ab intrinſeco ſalvari poſſet cœlum ſuaptè natura & propenſione moveri, independẽter ab alio motore. Ergo exiſtentia vnius primi motoris nõ probatur ex natura motus cœli, ſi hic ſupponatur convenire ipſi ab intrinſeco. Idemq; eſt de motu graviũ & levium, ex quo evidenter non probatur exiſtentia alicuius extrinſeci moventis: vtpote quo negato, adhuc per locum ab intrinſeco ſalvaretur ex naturali propenſione illorum. Si verò ſtatuas cœlum moveri ab alio, veluti à proximo movente ſeparato, qualiter rota movetur a manu; inde nõ probabis exiſtere primum motorẽ ſimpliciter immobilẽ. Quid enim, ſi Adverſarius dicat moveri quidem cœlum ab alia cauſa ſuperiore, ſive corporea, ſive ſpirituali, habente connaturalem vim ad cœlum movendũ, quin propterea ſit primus motor? Quid ſi dicat moveri ſimul a pluribus cauſis ſeparatis, quæ ex natura ſua, ſeu proprijs viribus, cœlum moveant, & tamen a nullo alio moveatur? Quomodo ex natura motus, & nullo alio medio in diſputationem adducto, efficaciter has evaſiones præcludes, & oſtendes exiſtentiam vnius primi motoris immobilis? Ponamus vero inſuper motum cœli fuiſſe ab æterno, vt Ariſtoteles cenſuit. Vnde ex natura motus probabitur, illum ab vnico motore immobili proceſsiſſe, non a pluribus æternis motoribus, ſive corporeis, ſive ſpiritualibus, a nullo alio mobilibus? Dum enim illi ſupponãtur æterni, incorruptibileſque, ſicut ipſum cœlum, ſufficienter poterunt movere cœlos ab æterno in æternum. Aliud ergo principium quærere debes, vt omnino efficaciter

evi-

evincas exiſtentiam vnius extrinſeci motoris immobilis.

15 *CONTRA III.* Vt enim probaretur exiſtentia vnius primi motoris immobilis ex natura mot⁹, etiam æterni, deberet probari exiſtentia vnius moventis ex ſe, & ita propria virtute, vt illam nullatenus acceperit ab alio. Aliter namque non erit primus motor. Sed ex natura motus, etiam æterni, nequit probari exiſtentia vnius moventis ex ſe, & ita propria virtute, vt illam nullatenus acceperit ab alio. Ergo neque probatur exiſtentia vnius primi motoris immobilis. Probatur minor. Ad naturam motus, etiā æterni, per locū ab intrinſeco parum refert, quod is, à quo aliquid movetur, virtutem movendi à ſe ipſo habeat, vel ab alio illā acceperit. Dum enim vi motrice prędiius ſit, quâ cœlum impellat, & æternam quidem, ſi motus cœli ſupponatur æternus, ſive illa ſit participata ab alio, ſive non, cœlum ſufficienter movebitur. Neque enim in principio movente deſideranda eſt maior perfectio ex natura motus, quàm quæ ad exiſtentiam eiuſdem motus per ſe neceſſaria eſt. Non ergo ex natura motus, etiam æterni, probari poteſt exiſtentia vnius moventis ex ſe, & ita propria virtute, vt illam nullatenus acceperit ab alio.

16 *VLTIMO* Argui poteſt contra prædictum Philoſophi diſcurſum: Quia ex eo nullatenus probari poteſt exiſtentia primi motoris, qui ſit ſubſtantia immaterialis & ſeparata. Quod multipliciter ſuadetur. *Primò* Nam motus cœli per locum ab intrinſeco ſuſtilleret, quamvis moveretur ab aliquo ente corporeo, habente vim connaturalem movendi cœlum. Neque enim tunc convinceretur motum cœli fore diverſæ rationis, ac modo eſt. Sicut motus gravium & levium in ſubſequentibus generationibus eſt eiuſdem rationis, ac in prima productione Vniverſi, quamvis tunc ſolum procederet à motore immateriali, ſcilicet, Deo; modo autem procedat à cauſa ſecunda generante gravia & levia. *Secundò*. Motus enim cœli purè corporeus eſt: ac proinde per ſe loquendo non infert motorem incorporeum, quāquam ille alias corporeus ſit. Sicut ſenſiones quas in corpore elicit anima rationalis, per ſe loquendo non infert ut illam ſpiritualem eſſe, & pluſquā ſenticatem, quanquam alioqui & in re ſpiritualis ſit. *Tertiò*. Si namque motus cœli per ſe inferret exiſtentiam motoris incorporei, maximè quia cœlum eſt primum corpus, atque adeò nequit præſupponere corpus aliud prius, à quo moveatur. At ex natura motus neutiquam colligitur cœlum eſſe primum corpus. Æquè enim bene moveretur, quamvis eſſet aliud primum corpus movens cœlum, aut ſi exiſterent plura compoſita ex materia ſubtili & forma ſpirituali, moventia cœlum, qualiter aliqui, etiam ex Catholicis, cenſuerunt conſtitui ſubſtantiam Angelorum. Illa enim abundè pollent movere cœlum; & ſi ponantur in numero finito, vitabitur ſcopulus, alias imminens, ſecuturi proceſſus in infinitum. Nō ergo ex motu cœli deducitur evidenter exiſtentia vnius primi motoris, qui ſubſtantia ſpiritualis ſit.

SECTIO SECVNDA.

Protegitur, ac diverſimodè fulcitur diſcurſus Philoſophi, tamquam efficax & demonſtrativus. Vbi plura notatu digna ex penitiori Philoſophia.

17 *VERVM* Minimè obſtātibus quæcunque hactenus obiecta ſunt, aſſerendum eſt rationem Philoſophi genuinam, efficacem, & demonſtrativam eſſe; ex eaque evidenter probari a poſteriori exiſtentiam alicuius primi motoris, qui omnia moveat, & a nullo alio moveatur. Ita cum Ariſtotele D. Thomas in præſenti, & 1. *contr. Gent. cap.* 13. *ac* 1. *p. q.* 2. *art.* 3. atque in Compendio Theologię *cap.* 3. & frequenter vtriuſque Interpretes, ac Diſcipuli, licèt aliqui nolint concedere argumentum Philoſophi attigiſſe metas demonſtrationis.

18 *RATIO* Ariſtotelis ac D. Thomæ, vt demonſtrativa ſit, in hunc modum proponenda eſt. Neceſſum eſt omne quod movetur, ab alio moveri. Sed hoc poſito neceſſum quoque eſt dari aliquem primū motorem, cætera omnia moventem, & in ſeipſo immobilem. Ergo neceſſum eſt dari aliquem primum motorem, cætera omnia moventem, & in ſe ipſo immobilem. Conſequentia eſt evidens. Maior, quæ ab Adverſarijs negatur, ſic ſuadetur diſcurſu Ariſtotelis à D. Thoma reſumpto loco allegato ex 1. *Contrà Gent.* Impoſsibile enim eſt aliquod ex ijs, quæ moventur, movere ſeipſum, ac proinde neceſſum eſt moveri ab alio. *Nihil enim idem eſt ſimul in actu & in potentia reſpectu eiuſdem: ſed omne quod movetur, in quantum huiuſmodi, eſt in potentia; quia motus eſt actus exiſtentis in potentia ſecundùm quòd huiuſmodi; omne autem, quod movet, eſt in actu in quantum huiuſmodi, quia nihil agit, niſi in quantum eſt in actu: ergo nihil*

conſtant partibus heterogeneis, ſeu diverſæ rationis, ratione quarum poſsint ſimul eſſe in potentià & actu penes diverſa: in actu quidem ratione partis moventis: in potentia autem ratione partis motæ: atque adeò non ſequitur illa ſecundùm idem eſſe ſimul in potentia & in actu, ſed penes aliam & aliam partem. At non viventia conſtant partibus homogeneis, ſeu eiuſdem rationis, quarum nulla præ altera habet potiùs rationem partis moventis, quàm motæ. Ergo ſaltem non viventia nequeunt eſſe ſimul in potentia & in actu reſpectu motus; quia ſic deberent eſſe ſimul ac ſecundùm eandem partem in potentia & in actu. *Cōtrà II.* In animalibus enim pars movens cæteras, ſcilicet cor, duplici motu movetur: nimirum eo, quo reliquæ partes ratione illius, & totum animal; ac inſuper motu alio reſtrictionis & dilatationis ſibi proprio. Et priori illo motu movetur per accidens ad motum totius, quod ipſa movet; ſicut nauclerus in navi exiſtens illam movet, & ad motum navis movetur per accidens. At verò quo ad ſecundum motum ſibi proprium, movetur à principio extrinſeco, ſcilicet, a generante, nam motus ille eſt quaſi proprietas cordis; quia dans formam debet præſtare conſequentia per ſe ad formam, vt S. Tho. expreſsè docet *Opuſc. de motu cordis*. Numquam ergo verificatur aliquid per ſe loquendo movere ſe ipſum aliquo genere motus, ſed omne quod per ſe loquendo movetur, neceſſum eſt moveri ab alio. *Contrà III.* Aliud enim eſt movere ſe ipſum elicitivè, ſeu eliciendo motum ratione alicuius partis, atque ipſum in ſe recipiendo, quod omni viventi commune eſt prout diſtinguitur à non vivente: aliud vero movere ſe ipſum applicativè, ſeu primo ac per ſe reducere ſe ipſum in actum motus; & hoc impoſsibile eſt omni animali ac viventi, quia ſic ſecundùm idem eſſet in actu & in potentià, perfectum & imperfectum. Eſſet quidem in actu prout moveret applicativè ſe ipſum; in potentià vero prout moveretur applicativè à ſe ipſo, idque per ſe loquẽdo; quod omnino repugnat. Ergo ex eo quòd viventia activè ſe moveant ratione alicuius partis ſibi propriæ, non evincitur ratione eiuſdẽ applicativè moveri: ac proinde ſemper opus eſt devenire in alium motorem extrinſecum, à quo applicentur ad motum, ſive primæ operationis, ſeu etiã poſteriorum, vt poſtea dicam.

24 *DICES II.* Poteſt idem eſſe movens & motum in iis motibus, qui ſunt actus perfecti. Ergo & in iis, qui ſunt actus imperfecti. Conſequentia patet: tum quia eadem vtriuſque ratio eſt; tum quia diſcurſus Philoſophi præiactus vniverſim probat diſtinctionem realem inter movens & motum; ac proinde vel convincit de motibus qui ſunt actus perfecti, vel non convincit de iis, qui motus imperfecti ſunt; ſeu actus entis prout in potentia. Antecedens vero probatur. Eadem namque anima movet & movetur, ſeu agit & patitur, per intellectionem & volitionem, quatenus vtramque activè producit, & vtramque recipit mediis intellectu ac voluntate. Sed intellectio & volitio dicuntur & ſunt actus perfecti. Ergo poteſt idem eſſe movens & motũ, agens & patiens, circa eos motus, qui ſunt actus perfecti.

25 *SED Contrà.* Nunquam enim verificatur intellectum & voluntatem eſſe movens & motum, agens & patiens, ratione eiuſdem partis, aut entitatis, ſed diverſæ. Ergo nunquam verificatur idem eſſe movens & motum, agens & patiens, ſecundùm idem, quod Philoſophus diſcurſu præiacto inpugnat tanquam abſurdum. Probatur antecedens ſeorſim de vnaquaque ex duabus relatis potentiis. De intellectu quidem; nam reſpectu cognitionis primorum principiorum, & primæ cogitationis, non eſt movens, ſed motum ab Authore naturæ ſpecialiter; quanquam relatè ad cæteras intellectiones ſequentes ſit movens. Ergo non ſecundum eandem operationem, ſive entitatem, eſt ſimul movens & motũ; ſed penes diverſam. Deinde nec circa intellectiones ſequentes primam, eſt movens & motum, agens & paſſum, ratione eiuſdẽ entitatis, ſed diverſæ. Nam eſt movens ratione ſpeciei impreſſæ, qua determinatur ad intellectionem vnius obiecti præ alio, & eſt motum ratione entitatis ſuæ nudæ recipientis intellectionem. Imo (vt ſic tacita obiectio præoccupetur) quando intelligit ſe ipſum ſine ſpecie diſtincta, & per propriam ſubſtantiam, non eſt movens, ſed motum ſpecialiter ab Authore naturæ, vt deducitur ex D. Tho. 1. *p. q. 63. ar.* 5. & vi eius intellectionis conſtituitur in actu ad cognitionem aliorum omnium, ſive vt ſe moveat quò ad intellectiones ſequentes. Nunquam ergo relatè ad eandem intellectionem intellectus, ſive Angelicus, ſive humanus, movet & movetur, agit & patitur, ſecundum eandem entitatem, ſed penes diverſam. De voluntate id ipſum evincitur. Voluntas enim quò ad intentionem finis movetur ſpecialiter ab Authore naturæ, licèt quo ad electionem mediorum moveatur

ventium moveat proximè & immediatè, ac per ſe, & à nullo alio moveatur. Nam ſi illud ab alio moveretur, rediret idem argumentum, & abſurdum proceſſus in infinitum.

28 *POSTERIOR* Pars evaſionis, qua recurritur ad circulum cauſarum invicem ſe moventium, impugnatur facilè: Quia, vt ſupponimus ex *lib. 2 Phyſic. diſp.* 12. & evidens eſt, nequeunt duo aliqua, aut etiam plura, invicem dependere in eodem genere cauſæ infimo & atomo: cùm nequeant eſſe invicem priora & poſteriora præſupponi in actu & non præſupponi in actu ſub eadem ratione. Ergo nequit dari circulus inter duo aliqua, aut plura, ita vt invicem ſe moveant. Probatur conſequentia: Quia omne quod movetur, in quantum movetur, pendet à movente, vt effectus à cauſa per ſe; vtpote ſine quâ moveri non poteſt. Sed nequit dari circulus inter duo aliqua, aut plura, ita vt invicem pendeant in eodem genere cauſæ infimo & atomo. Ergo cùm genus vtrius & alterius cauſæ moventis ſit idem infimum & atomũ, nequeũt duo aliqua aut plura invicem movere ſe. *Confirm. I.* Ideo nequeunt duo aliqua invicẽ ſe producere, quia omne quod producit debet præſupponi in actu ante id quod producitur; ac proinde implicat produci, ſeu habere eſſe ab eo, quod poſtea producitur ab ipſo. At ſimiliter omne quod movet aliud debet præſupponi in actu ante id, quod ab ipſo movetur. Ergo ſimiliter id quod movet aliud, nequit moveri, ſeu reduci in actũ motus ab eo, quod movetur ab ipſo. *Confirm. II.* Omne quod movetur ab alio, in quantum movetur, habet rationem inſtrumenti relatè ad illud tanquam ad cauſam principalem motus: proprium quippe inſtrumenti eſt moveri à cauſâ principali, & in virtute illius. Ergo ſi duo aliqua aut plura invicem ſe movent, erunt invicem cauſæ principales moventes, & inſtrumenta mota. Sed repugnat circulus, ſeu mutua cauſalitas, inter duo aliqua aut plura, ſive tanquã cauſas principales, ſive tanquam inſtrumẽta. Ergo repugnat duo aliqua aut plura invicem ſe movere. Ergo omne quod movetur, neceſſe eſt moveri ab alio, quã ab illo quod per ipſum movetur. Ergo vel illud movens ſimiliter movetur ab alio, vel non? Si primum, redibit eadem interrogatio abſque receſſu ad circulum, vel proceſſum in infinitum, quem iam excluſimus. Si autem ſecundum dicas ſerit planè primum movens immobile, quod quærimus.

(✱)

SECTIO TERTIA.

Inferuntur plura Corollaria ex doctrinâ præcedenti, iuxta Ariſtotelem ac D. Tho. circa perfectionem primi Motoris.

29 COLLIGITVR I. Ex doctrinâ hucuſque tradita, illud primum movẽs eſſe omnino immobile: id eſt, tam à ſe, quam ab alio ente. A ſe quidem, quia omne quod movetur, ab alio movetur. Ab alio autem; quia aliter non eſſet primum movens. Neque in illo poteſt aſsignari pars movens, & pars mota, qualiter in viventibus ſuprà aſsignatæ ſunt; tum quia perfectioni primi moventis adverſatur quælibet compoſitio partiũ, ac præſertim moventis & motæ; quia ſic non tam ipſum, quam pars movens aliam, haberet rationem primi moventis; veluti præſuppoſita ante ſuum totũ. Omnis quippe denominatio conveniens toti compoſito ratione alicuius partis, neceſſarium eſt vt conveniat primo ac per ſe tali parti. Sed denominatio primi moventis non convenit primò ac per ſe alicui parti, ſed ſolùm ipſi primo moventi. Ergo primum movẽs non denominatur tale ratione alicuius partis. Ergo non ſe movet vi alicuius partis, quæ habeat rationem moventis. At omne quod ſe movet debet ſe movere vi alicuius partis, quæ habeat rationem moventis. Ergo primum movens non ſe movet, ac proinde prorſus immobile eſt.

30 *COLLIGITVR II.* & cohærenter, illud primum movens debere eſſe primum ens, ſeu exiſtere à ſe ipſo, & independenter ab omni alio: nam hoc ipſo quod nõ eſſet primum ens, ſed dependeret ab alio in ſui exiſtentia, poſſet certè moveri ab illo, ſicut & tranſmutari de potentiâ in actũ, & redigi ex aliquo in nihilum. Cùm ergo demonſtratum ſit primum movens non poſſe moveri ab alio, idque ex terminis pateat; etiam fit manifeſtum, id non eſſe ab alio, ſed à ſe; ac proinde primum ens.

31 *COLLIGITVR III.* & ſubinde, illud primum movens, hoc ipſo quòd ſit primum ens, ſive à ſe, & independenter ab alio, carere omni limitativo extrinſeco, ac proinde & intrinſeco, in ſuo eſſe, vt plenius demonſtrabimus in Metaphyſica. Vnde & per via illatione deducitur eſſe ſummè perfectum in toto genere entis: ac proinde ſubſtantiam ſpiritualem, omni compoſitione carentem; actum purum & infinitũ in omni genere, intellectivum, & ſummè libe-

liberum, immutabilem, & æternũ. Quod *ibidem* manifeſtiùs conſtabit. Nunc autem, quin eggrediamur ex naturâ motus, & primi moventis, determinate colligitur illud debere eſſe æternum, tam à parte antè, quàm à parte poſt: Quia immutabilitas eſt ratio a priori vnde demonſtratur æternitas; cùm omne quod eſt prorſus immobile, ſeu immutabile in ſuo eſſe & operari, ſit ens ſummè neceſſarium; ens autem ſummè neceſſarium nullam contingẽtiam ſeu indifferentiam habeat ad eſſe & non eſſe, ſed ſit eſſentialiter determinatum ad eſſe, cũ omnimodâ repugnantiâ ad oppoſitum. At quidquid eſſentialiter determinatum eſt ad eſſe cum repugnantia omnimoda ad oppoſitum, eò ipsò eſt æternum, vt patet. Ergo primum movẽs hoc ipſo quòd prorſus immobile ſeu immutabile ſit, convincitur planè eſſe æternum.

32 *COLLIGITVR IV.* Primum movens debere eſſe vnicum, & per excluſionem alterius primi moventis: quia omne quod movetur nequit per ſe pendere à duplici causâ totali eiuſdem ordinis, ſaltem connaturaliter. Si autem daretur duplex primum movens, id quod movetur penderet connaturaliter & per ſe à duplici causâ totali eiuſdem ordinis. Quippe omne quod movetur, pendet per ſe a primo movente, vt ſuprà demonſtratum eſt: & ſi datur duplex primum movens, vtrumque erit causa totalis in ſuo ordine, cùm implicet contradictionem vnum ab altero pendere in movendo. Verùm robuſtiùs adhuc, & à priori, id ipſum colligitur ex præcedenti corollario. Si enim primum movens immobile debet eſſe ſummè perfectum abſque limitatione aliquâ; planè colligitur debere ſecum identificare omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, qualis eſt ratio primi moventis; ac proinde nullum relinquere locum vt ſit aliud primum movens. Aliàs non omnem perfectionem primi moventis includeret, ſi relinqueret locum extra ſe alteri primo moventi.

33 *COLLIGITVR V.* Primum movens debere eſſe immenſum, ſeu vbique præſens. Hoc enim ipſo quòd ſit primum movens, debent ab eo moveri quæcumque moventur in toto Vniverſo; & quidem non mediatè, vt intelligentia movens cœlum movet mediante illo omnia hæc inferiora; ſed immediatè, tam immediatione virtutis, quam ſuppoſiti. id enim totum ſibi vendicat ſumma perfectio primi motoris nuper demonſtrata. At movens proximè & propriè, ſicut & agens paſſumque debent eſſe ſimul, vt ſuprà cum Philoſopho oſtenſum eſt *diſp. praced.* Ergo primũ movens, & omne quod movetur, debent eſſe ſimul. Cumque per totum Vniverſum, ſive vbique diſperſa ſint omnia quæ moventur, planè colligitur primum motorem eſſe immenſum, ſeu vbique præſentem. Ita Ariſt. 1. *de Animâ c. vlt. & lib. de Mundo ad Alex.* ac D. Tho. 1. *p. q.* 8. *ar.* 1.

34 *COLLIGITVR VI.* Motorem primum eo ipſo eſſe ſummè intelligẽtem, ac proinde perfectiſsimè volentem & liberum, vt rectè colligit & demonſtrat S. Thomas 1. *p. q.* 14. *ac Opuſc.* 20. *cap.* 28. De ratione enim primi moventis eſt non moveri ab alio in finem, vel in media ad finẽ conducentia; ſed potiùs movere omnĩa & ſingula in finem per media idonea & proportionata ad illum aſſequendum; prout de facto videmus omnia & ſingula in Vniverſo fuiſſe ordinata. Hoc autem manifeſtè arguit ſummam vim intellectivam & ſapientiam in primo motore, qua perfectiſſimè comprehendat rerum omnium naturam, propenſionem, atque efficaciam mediorum ad proprium cuiuſque finem deſignandum, & largiendum. Poſitâ autem ſemel ſummâ vi intellectivâ ac ſapientiâ in primo motore, conſectarium eſt etiam recognoſcere in eo perfectiſsimam voluntatem, ac libertatem, vt demonſtrant Theologi cum D. Thoma 1. *p. q.* 19.

35 *COLLIGITVR VI.* Primum motorem, in quantùm talem, neceſſariò excludere omnem compoſitionem, tam phyſicam, quam metaphyſicam; ac proinde eſſe in ſummo & infinito gradu ſubſtantiæ ſpiritualis ſeparatæ ab omni materia. Hoc enim ipſo quod ſit primum movens eſt omnino immutabile, ac proinde actus puriſsimus omnem compoſitionem & limitationem excludens: quod tamen ipſi repugnaret ſi eſſet accidens, vel quid compoſitum ex ſubſtantia & accidente, aut ex materia & formâ, aut ex naturâ & ſubſtantiâ exiſtentiave; aut ſi eſſet tandem ſubſtantia ex corpore & ſpiritu conſtituta. Neceſſariò ergo debet eſſe ſubſtantia purè ſpiritualis & ſeparata in ſummo & infinito perfectionis gradu.

36 *ET* Hæc fere omnia facili negotio deducuntur ex ratione primi motoris, ac diſcurſu Ariſtotelis, tam libro ſeptimo, quam octavo *& lib.* 12. *Metaphyſicæ cap.* 6. *&* 7. *&* 2. *de Cœlo cap.* 3. illis maximè verbis: *Θεοῦ δ' ἐνέργεια, ἀθανασία. τοῦτο δ' ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος, ὥστε τῷ θεῷ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. Dei actio, immortalitas. Hæc eſt autem per-*

petua

petua vita: vt neceſſum ſit divinitati motum perpetuum in eſſe. Scilicet, motum latè dictũ & acceptum de operatione immanenti, ac perfectiſsimâ. Colliguntúrque meritò à D. Thoma, tam ijs locis, quàm alijs pluribus, præſertim indicatis, & *1. p. q. 7. ar. 25.* & in Compendio Theologiæ *cap. 18. ar. 19.* Plura alia circa perfectionem ſummam Dei inferemus in Metaphyſica ex alio principio & ratione primæ cauſæ. Nunc enim, vt ſevera argumentandi methodus ſervaretur, oportuit ſolùm eas primi motoris perfectiones deducere, quæ prona illatione colliguntur ex natura motus, quãquam exinde facilè inferri poſsint cæteræ aliæ naturaliter cognoſcibiles, & Deo dignæ. Modo iã ſupereſt occurrere rationibus dubitãdi propoſitis a principio diſputationis.

SECTIO QVARTA.

Occurritur argumentis initio propoſitis.

37 AD I. Ex num. 3. negatur minor. Ad probationem nego maiorem: quia iam ſupra *à num. 18.* abundè demonſtratum eſt, repugnare aliquid moveri a ſe ipſo, ſeu eſſe ſimul in potentia & actu circa motum. Neque exẽpla in obiectione poſita aliquid in oppoſitũ extorquent. Ignis nanque non movet ſe ipſum ſurſum, nec lapis deorſum: ſed vterque movetur à generante, ſicut vniverſim gravia & levia. Nam generans quod dedit ijs inclinationem in proprium cẽtrum, debuit quoque ea reducere in actum, ſeu ponere in centro vbi & quoties impedimentum non fuerit. Cœlum verò non moveri circulariter ab intrinſeco, ſed ſolùm medio impulſu intelligentiæ alicuius motricis, & ſeparatæ, communis ferè Doctorum ſententia eſt quam ex profeſſo firmabimus *tract. de Cœlo.* Dato autem quòd moveatur connaturaliter in circulo, ſicut corpora gravia ſurſum, & levia deorſum, adhuc dicendum eſt, non moveri à ſe ipſo principaliter, ſed à generante, ſive producente; a ſe autem ad ſummum moveri inſtrumentaliter ratione alicuius qualitatis intrinſecæ, ſicut gravia & levia moventur a ſe inſtrumentaliter ratione gravitatis & levitatis ſibi intrinſecè communicatæ ab extrinſeco agẽte, in cuius virtute moventur.

38 AD Impugnationes *ex num. 6.* Repugnat ſubſtantia creata, quæ ſit eadem realiter cum ſuâ operatione, quia hoc eſt proprium Dei, prout habet perfectionẽ actus puri in operando. Similiter & repugnat rationi identitas ſubſtantiæ cum motu, vtpotè accidente phyſico, & eidem inhærente; eſto non repugnet ſubſtantiæ cõnexio realis cum motu: qualem dicunt aliqui eſſe in cœlo cum motu circulari, & recentes Hiſtorici teſtantur de avibus Indicis, quas Apodes vocant, ſcilicet, carentes pedibus; quia aſsiduò volant, nunquã quieſcunt, & fœminæ in dorſo naturales nidulos habent vbi pullos geſtent, quin vnquam viſæ fuerint nocte aut die terram tangentes, aut extra aeris regionem. De quo plura Nierembergius in Occultâ Philoſophiâ. Verùm & in ijs dicendum eſt, forſan motum illum, adeo connaturalem inſeparabilemque, eſſe quaſi proprietatem, & inſtar motus gravium ac levium ad centrũ; proindeque ortum ducere à generante, & ab illo moveri. Neque obſtat quod vitalis motus ſit, vtpotè volantis ac progredientis avis: nam ſupra *num. 23.* vidimus etiam cor animalis ſpecialiter moveri à generante ad motum ſibi proprium dilatationis & conſtrictionis, quanquam vterque ſine dubio vitalis ſit. Neque item obſtat vitalem motum activè progredi à principio vivente per illum: nam quoties vitalis motus eſt proprietas rei viventis, licèt activè, ſeu elicitivè ab eà procedat, & in ipsà intrinſecè recipiatur; ſemper pendet ab extrinſeco agente, veluti ſpecialiter applicante, & obſtricto iure generationis, vt effectum à ſe productum reducat in actum motus, tanquam in proprietatem ipſi debitam. Denique etiam in ijs, quæ à ſe ipſis movẽtur propriâ virtute, ac motu aliquo vitali, qui non ſit proprietas, neque exigat ſpecialem motionem generãtis, ſemper verificatur moveri ab alio: quia moventur ratione alicuius partis habentis vim connaturalem, non ad movendam ſe ipſam per ſe loquendo, ſed ad movendum cæteras partes, ac totũ ipſum; & per conſequens ad movendam ſe ipſam per accidens ad motum totius, ſicut de nauclero diximus per ſe movẽte navim, & ſe ipſum per accidens. Vnde ſemper verum eſt partem per ſe moventem diſtingui realiter a parte per ſe motà; ac proinde omne quod movetur, ab alio moveri, ſive habeat connexionem naturalem cum motu, ſive non.

Vnde ſponte ſua corruunt omnes impugnationes ſuperadditæ eidem primo argumento vſque ad numerum 11. quarum plures noſtræ doctrinæ, ſecundà ſectione traditæ, & tertià varijs illationibus confirmatæ, aut non obſtant, aut inde facilè ſolvi poſſunt.

39 *AD II. ex num.* 11. Quidquid ſit de errore Ariſtotelis circa æternitatem mundi, & motûs circularis cœlorum, patet ex totâ *ſectione* 2. & ex doctrinâ ipſius pluribus in locis, præcipuè *cap.* 4. & 5. libri octavi Phyſicorum, diſcurſum eius non niti in naturâ motus prout æterni, ſed ſolùm ſpectatâ illius ratione, ſive æternus, ſive tēporalis ſit. Qualiſcunque enim demum aſſignetur, ſive multum, ſive parùm durans, neceſſum eſt omne quod movetur, ab alio moveri; ac reiecto circulo cauſarum ſe invicem moventium, & proceſſu in infinitū deveniri in vnum aliquem motorem immobilem. Quapropter immeritò aliqui ex illo Philoſophi errore anſam aſſumunt, vt diſcurſum eius reijciant hucuſque firmatū, pluresque alios, ab eximijs Doctoribus probatos; quaſi & in hac re Philoſophica ac naturali, qui in vno deliquit cenſendus ſit omnium reus. At ita opinari æquum non eſt. Vbi obſiſtit veritas Catholica, pereat Philoſophia cum ſuo Ariſtotele. At vbi non repugnat, & multo magis vbi doctrina ipſius doctrinæ revelatæ ancillatur, vt in præſenti, adnitendum erit, quò ſarta tecta permaneat; veluti ab eximio viro tradita, quem Deus circa res naturales humano generi magiſtrum dedit. Vnde prætermittimus ſolutionem ibi *num.* 12. reiectam, quæ cōtra nos nihil habet.

40 Ad impugnationes *ex num.* 14. Etſi non probetur ratione evidenti cœlum non moveri ab intrinſeco, adhuc evidens eſt ad ſummum moveri per qualitatē intrinſecam; ſed ab agente & motore extrinſeco acceptam; ſicut gravia & levia. Verùm permiſſo adhuc, cœlum conſtare animâ loco-motivâ, & minimè rationali, aut ſentiente, vt nonnulli volunt, inter quos ſunt Cauſinus & Nierembergius *locis alleg.* Idem dicendum eſt de motu cœli, atque aliorum viventium: ſcilicet, in eo debere aſſignari partem moventem per ſe, & partem per ſe motam; quia ſecundùm eandē nequit eſſe movens & motum, ſeu in potentiâ & in actu. Vnde ſemper verum erit, omnem partem cœli, quæ movetur, ab aliâ moveri. Rurſus de hac ipſa parte movente quærendum erit an ita moveat cœteras, vt à nullo moveatur, vel potiùs moveatur ab alio? Si hoc ſecundum aſſeras; idem argumētum de ipſius motore inſtaurabitur, donec tandem ſiſtas in aliquo omnium primo. Si autem dicas primum; ſcilicèt illam partem cœli moventem cœteras à nullo moveri, illa erit primum movens immobile, quod veſtigamus in præſenti. Aliunde verò abſurdiſſimum eſt rationem adeo perfectam, qualis eſt primi moventis atque adeò primi entis, immutabilis omnino & æterni, convenire alicui rei imperfectæ, & habenti rationem partis relatè ad cœlum; vel convenire alicui rei corporeæ, aut limitatæ ob compoſitionem aliquam. Ergo de primo ad vltimum fateri neceſſe eſt rationem primi moventis non convenire alicui cœli parti aut enti corporeo, ſeu compoſito; ſed ſolùm enti in actu perfectiſſimo, purè ſpirituali, & omni compoſitione carenti. Vnde corruit effugium illud de pluribus motoribus, ſive corporeis, ſive ſpiritualibus, & æternis quidem, ſi motus ſupponatur æternus. Ratio enim primi motoris ad purum ſpiritum alligata eſt, & vni ſolùm poteſt convenire, non pluribus, vt demonſtratum eſt in Corollarijs IV. & VI. Vnde & patet ad alteram impugnationem ex *num.* 15. de ratione primi motoris eſſe ita movere vt virtutem motivam nullatenus ab alio acceperit, ſed illam habeat à ſe ipſo: tum quia de ratione primi motoris eſt vt ſit omnino immutabilis, vt ſuprà oſtenſum eſt, & ex terminorum apprehenſione dignoſcitur: de ratione autem entis omnino immutabilis eſt, non pendere ab alio in ſuo eſſe, ſed habere illud à ſe ipſo, quia aliàs mutari poſſet ab illo, à quo accepit ſuum eſſe.

41 *AD* Vltimam dubitandi rationem *ex num.* 16. palam eſt iuxta *Coroll.* III. & VI. primum motorem debere eſſe ſubſtātiam perfectiſſimam, omni compoſitione carentem, ac proinde purè ſpiritualem, & ab omni materia ſeparatam: idque ſive motus ſit vnius, ſive alterius rationis; ſive corporeus, ſeu ſpiritualis: quia nō provenit à primo motore, tanquam à forma intrinſecâ; ſed veluti ab extrinſeco & immutabili agente, quod exigit eſſe ſubſtantiā ſpiritualem ac perfectiſſimam. Ex quo patet diſcrimen ab animâ, quæ non elicit actum aliquem, niſi vt forma intrinſeca compoſiti, & iuxta gradum, quem exercet. Vnde & actus ſenſionis ſolùm ab ea procedunt, vt forma ſenſitiva eſt; non verò vt rationalis eſt. Et certè ſiquid probat argumētum, probat neque ab exiſtentiâ creaturæ factæ ex nihilo convinci exiſtentiam alicuius primæ cauſæ ſpiritualis, ſi creatura ſpiritualis non ſit, quod tamen eſſe falſum, cuilibet apparebit.

(*)

DISP. QVADRAG. PRIMA:

In quo conſiſtat diſcrimen motus tardi à veloci?

Num. 1. *HÆC Controverſia quaſi quædam particula eſt difficultatis inſuperabilis circa compoſitionem continui: oriturque ex illo argumento, quo Ariſtoteles infert nullam fore inæqualitatem motuum penes tardum & celerem, nec aquilam celeriùs movendam iri, quàm teſtudinem, ſi continuum ſucceſſivum immediatè ex ſolis indiviſibilibus componatur. Si enim partes quibus motus v.g. conſtat immediatè ſolùm durant per inſtans indiviſibile, nulla pars motus poterit citiùs nec tardiùs fluere; cùm vnum indiviſibile inſtans nequeat magis aut minùs durare, quã aliud: atque adeò ex duobus motibus, ſi continui ſint, non poterit vnus eſſe velocior altero, nec moveri celeriùs aquila, quàm teſtudo: quoniam qualibet indiviſibilis pars motus vtriuſque debet durare æqualiter per vnicum & indiviſibile inſtans.*

2 *ET Vrgetur difficultas. Ponamus enim duas lineas æquales, & eodem inſtanti incipere aquilam ac teſtudinem moveri per ſingulas. In primo inſtanti motus aquila nequit adquirere vbicationem in duplici puncto lineæ, ſed in vnico: tum quia in inſtãti indiviſibili nequit percurri ſpatium diviſibile; tum etiam, quia idem punctum aquilæ nequit ſimul eſſe in duplici loco ſeu ſpatio indiviſibili, ſaltem naturaliter. Ergo in primo inſtanti motus aquila ſolùm poteſt adquirere vbicationem in vno puncto indiviſibili lineæ. At teſtudo in eodem primo inſtanti motus adquirit etiam vbicationem in vnico puncto indiviſibili lineæ propriæ; quia incipit moveri, ac proinde in primo inſtanti neceſſum eſt adquirere vbicationem aliquam indiviſibilem vnius puncti. Ergo in primo inſtanti æqualiter, & per æquale atque indiviſibile ſpatium vtriuſque lineæ, moventur aquila & teſtudo; ac proinde neutra velociùs alterâ. Cumque idem argumentum fieri poſſit in ſecundo, & tertio, ac reliquis inſtantibus, & æqualis rationis pondere comparando quoſcumque motus inter ſe; videtur actum eſſe de ſententia Zenonis, & demonſtratum ab Ariſtotele, iuxta illam non fore vnum motum altero velociorem: quod tamen falſum eſſe, ad ſenſum patet.*

3 *CVM Verò aliunde eadem ferè abſurda videantur colligi ex ſententia Ariſtotelis, docentis continuum ſucceſſivum conſtare immediatè partibus in infinitum diviſibilibus, vt ex dicendis inferiùs apparebit; inde eſt, vt difficillimè explicari poſſit iuxta vtramque opinionem, in quo conſiſtat velocitas & tarditas motus, ſeu penes quid motus celer diſtinguatur à tardo. Quare oportet varios modos dicendi referre, & vel impugnare, vel ſtabilire. Habet autem locum opportunum hæc diſputatio apud Ariſtotelem* lib. 3. c. 10. textu 96. & lib. 6. *præced. c. 2. vbi directè tangitur, & præterea c. 9. congruentiſsimè excitari poteſt. Directè vſque adhuc locum ſibi vendicat* hoc lib. 7. cap. 4. & 5.

SECTIO PRIMA.

Refertur, exponitur, & impugnatur prima opinio, docens motum tardum differre à veloci penes interruptiones, ſeu morulas, quibus deſinit eſſe continuus.

4 PRIMA Sententia, eaque ſatis frequens inter Recentiores, docet, quanquam motus cõponatur immediatè ex ſolis indiviſibilibus, adhuc poſſe vnum motũ eſſe velociorẽ altero. Quam doctrinam ſic componunt. Partes motus, id eſt, vbicationes, ſecundùm ſuam entitatẽ inſpectæ, non modò indifferentes ſunt, vt producantur hoc vel illo tẽpore; ſed etiam vt durent magis, vel minùs. Cùm enim mobile poſſit in iis magis vel minùs quieſcere; etiã partes, ſeu vbicationes ipſæ, poſſunt magis vel minus durare. Itaque prout vbicationes ſeu partes motus, minùs duraverint, velocior erit motus. Prout verò magis duraverint, motus erit minùs velox. Hinc colligunt, poſſe vnum motũ eſſe velociorem altero, quãquam vterque immediatè conſtet ſolis indiviſibilibus: quia partes indiviſibiles vnius motus poſſunt magis quieſcere, ſeu remorari, quàm partes indiviſibiles alterius motus, & teſtudo magis perdurare in vbicatione indiviſibili propriæ lineæ, quàm aquila in ſua vbicatione etiam indiviſibili: ac proinde aquila velocius movebitur, quam teſtudo. Cùm enim interruptiones, ſeu morulæ ſint breviores in motu aquilæ, diuturniores verò in teſtudinis motu, conſequens eſt vt prior motus ſit velocior, quam poſterior.

5 VNDE Inferunt, motum primi mobilis eſſe omnium corporum velociſsimum, ac proinde nullas habere morulas,

quibus interrũpatur; aliorum verò corporum motus, quantumvis celeres & rapidi ſint, aliquibus motulis interrumpi, & eò diuturnioribus, quò minus celeres, ſeu tardiores fuerint. Neque inde, aiunt, colligere licet quoslibet motus corporum ſublunarium non eſſe continuos moraliter loquẽdo; ſed ſolùm phyſicè: quia quamvis phyſicam interruptionem patiantur, non tamen moralem. In quo diſtinguuntur à motu primi mobilis, qui ſolus phyſicè continuus eſt.

6 *HANC* opinionem tuentur ex Recentioribus præcipuè Valles *l. 3. Contr. 8.* P. Arriaga *in Phyſica diſp. 16. ſect. 11.* Oviedo *contr. 17. p. 9.* Spinula *diſp. 15. ſect. 3. n. 19* Quiros *diſp. 07. ſect. 3. à num. 14.* Qui primum eius Authorem volunt fuiſſe Galenũ *lib. 1. de dignoſcendis pulſibus*: vbi docet, velocitatem motus conſiſtere in minori motus interruptione, & tarditatem contra in interruptione maiori. Cæterùm longè ante Galenum eundem modum hunc dicendi traditum à Zenone Eleate. Etenim apud Ariſtotelem *lib. 6. Phyſic. cap. 9.* inter alias rationes Zenonis ad probandum non eſſe motum, ſcilicet, continuum, ſecunda deſumitur ex diviſione motus, ſeu, quod perinde eſt, ex illius interruptione. Similiter & tertia, quæ habetur illis verbis *textu 80.* Τρίτος δὲ, ὁ νῦν ῥηθεὶς, ὅτι ἡ ὀϊστὸς φερομένη ἕστηκε, &c. *Tertia verò* (Zenonis ratio) *eſt, ea, quæ qui ſiere dicit ſagittam: de quâ paulò antè dictum eſt. Accidit autem id ex eo, quia tempus ſumitur ex ſuis punctis conſtare. Quod ſi non dederis; ratio continuò expirabit.* Vnde ex mente Ariſtotelis, & ipſius teſtimonio videtur conſtare, Zenonem poſuiſſe interruptionem, ſeu diviſionem in motu, aut, quod perinde eſt, quietem, vt ſic negaret exiſtentiam motus continui. Verùm, quidquid ſit de hoc,

7 *ARGVMENTOR I.* contrà hanc opinionem. Et incipiendo ab vltima illius parte, ſtatuamus cum Adverſarijs motum primi mobilis eſſe phyſicè continuũ, quia nullam interruptionem admittit, & omnes morulas excludit. Modo ſic. Poteſt Deus abſolutè movere cœlum Empyreũ, aut producere aliud cœlum maius primo mobili, ipſumque movere velociùs, quàm modò moveatur primũ mobile. Sed in eo eventu minor velocitas motus primi mobilis nõ conſiſteret in morulis aut interruptionibus præ motu alterius ſuperioris cœli. Ergo nec modò minor velocitas motuum ſublunarium præ motu primi mobilis, conſiſtit in morulis, aut interruptionibus. Cõſequentia eſt evidens, adhuc iuxta doctrinã Adverſariorum. Minor ab ijſdem traditur, dum aiunt, motum primi mobilis non habere morulas aliquas, nec phyſicam interruptionem. Sed idem eſſet motus primi mobilis in eo eventu, ac modò eſt, vt ſupponimus. Ergo & in eo eventu minor velocitas primi mobilis non conſiſteret in morulis aut interruptionibus præ motu alterius cœli ſuperioris. Iam maior illa præcipua videtur manifeſta: quia nulla repugnantia eſt in eo quòd Deus, ſaltem ſecundũ poteſtatem abſolutam, moveat cœlum Empyreum, aut aliud maius cœlum noviter productum, & viginti quatuor horarũ ſpatio circumagat illud, ſicut modo circumagit primum mobile. At tunc proculdubio velocior eſſet motus cœli Empyrei, aut illius novi & maioris cœli, quàm ſit motus primi mobilis; quia vnius diei, ſeu viginti quatuor horarũ tempore circuiret ſpatiũ incõparabiliter amplius, vt de ſe patet. Igitur poteſt abſolutè Deus movere cœlũ Empyreum, aut producere aliud cœlum maius primo mobili, ipſumq; movere velociùs, quàm modò primum mobile moveatur.

8 *CONFIRM. I.* Poſſet abſolutè Deus condere alium mundum maiorem hoc de facto exiſtente, ac proinde conſtantem alio primo mobili longè maiore, quàm ſit de facto exiſtẽs, illudque totũ circumagere ſpatio viginti quatuor horarũ, ſicut modò circumagit primũ mobile. At tunc motus illius primi mobilis velocior eſſet, quam huius de facto exiſtentis, vt patet; & tamen hoc nullas pateretur morulas, interruptionesve, ſicuti per Adverſarios, illas de facto non patitur. Ergo minor velocitas huius mobilis, quàm alterius, non conſiſtit in morulis aut interruptionibus: ac proinde independenter ab ijs explicari debet minor velocitas vnius motus præ alio.

9 *CONFIRM. II.* Ipſum primũ mobile, quod modò exiſtit, poſſet abſolutè Deus movere ſpatio vnius horæ eadem facilitate, quà illud movet ſpatio vnius diei cum id abſolutè non repugnet, & oppoſitum deroget infinitæ Dei poteſtati. Ergo poteſt Deus movere velocius primum mobile, quam modo, quin propterea modò habeat morulas ſeu interruptiones in motu. Ergo minor velocitas motus primi mobilis, comparativè ad illam poſsibilem, nõ conſiſtit in morulis aut interruptionibus, ſed in eo ſolùm quod motus præſens primi mobilis, longiori tempore, ſcil. viginti quatuor horis, adquirit idem ſpatium, quod abſo-

abſolutè adquirere poſſet breviori tempore, ſcilicet, vnius horæ.

10 *CONFIRM. III.* & præcluditur evaſio, quę fortè occurrere poſſet Adverſarijs, ſi dicerent motum primi mobilis adhuc habere morulas aliquas, quibus reddatur minùs velox motu alterius cœli maioris. Saltem poſſet abſolutè creare Deus aliquod cœlum, quod moveretur ita velociter, vt nullas morulas admitteret, nullamque phyſicam interruptionem pateretur. Hoc enim nullam involvit terminorum contradictionem, neque vlla veriſimili ratione negari poteſt abſolutè poſsibile. Eo autē producto & moto, evidenter conſtat, poſſe adhuc abſolutè creari aliud cœlū maius, & moveri velocius; cum & in hoc nulla repugnantia appareat. At tunc motus prioris cœli eſſet minus velox abſque vlla interruptione aut morulis. Ergo minor velocitas motus non conſiſtit eſſentialiter in interruptione, aut morulis ipſius motus.

11 *ARGVMENTOR II.* Chimæricū enim eſt, & rationi ac ſenſui cōtrarium, quòd omnis motus infra motum primi mobilis interrumpatur aliquibus morulis, & eò diuturnioribus, quo motus fuerit minus velox. Ergo minor velocitas motus non conſiſtit in morulis, quibus interrūpatur, facta comparatione ad velociorem motum. Conſequentia eſt evidens, & antecedēs probatur: Chimæricū enim eſt, & rationi ac ſenſui contrariū, quòd ſi ingens lapis ex alta turri proijciatur in terrā ad perpendiculum, non deſcendat motu phyſicè cōtinuo, & nullis morulis interrupto. Nulla enim ratio eſt, vt lapis, natura gravis, & propendens deorſum, non deſcendat cōtinuo motu, ac minimè interrupto. Interruptio enim motus, aut oritur ex reſiſtētia medij, aut ex diſpoſitione cōtraria mobilis, aut ex electione libera illius, vel cauſæ impellentis. At in caſu poſito nulla eſt reſiſtentia medij, quia aër non reſiſtit ſaxo; nulla indiſpoſitio mobilis, ſed potiùs innata propenſio ad centrum; nihil obſtans ex libera electione mobilis, quā caret lapis; aut impellentis cauſæ, quæ impulſum præſtitiſſe ſupponitur, vt lapis quàm primū fieri poſſit perveniat ad centrum. Nulla igitur cauſa ſubeſt, vt lapis motu phyſicè continuo, & nullatenus interrupto, feratur ad centrum.

12 *RESPONDET* Oviedo vbi ſuprà à *num.* 12. non abſque fundamento poni eiuſmodi morulas, ſeu interruptiones, in motu lapidis deorſum. Mobile enim duo præſtat, dum ſe movet & impulſum imprimit corpori immediato: etenim illud à loco pellit, & præſentiam in ſe producit; quā quidem producere non valeret, ſi non poſſet movere aliud corpus propinquum. Cuius ſignum apparet manifeſtum in lapide: qui poſitus in ſolo non movetur, & tamen movetur conſtitutus in aëre, quia aërē valet movere, & non terram, vt ſibi pateat aditus ad peragendū motū. Hoc poſito, ſtatuit poſtea impulſum non habere contrariū, & adhuc rationē morularum aſsignat: quia mobile impulſum recipiens non movetur in inſtanti, in quo impulſum recipit. Vnde fit, aërem recipientē impulſum impreſſum à lapide ruente non ſe movere in inſtanti, quo impulſum recipit; & conſequēter neque ipſum lapidē moveri. Nullū enim corpus movetur immoto alio, in cuius ſpatiū eſt ſucceſſurū. Ex quo demū oritur, lapidem ruentem quieſcere in eo inſtanti, quo impulſum aëri imprimit, & eò magis ac diutius quieſcere, ſeu morulas pati, quo lapis minus gravis eſt, aut minori impulſu proijcitur. Iuxta eandē enim menſurā erit morula in aëre ad cedendū loco, ſeu ad deſerendū ſpatiū in quod ſucceſſurus eſt lapis. Hæc late nimis proponit prædictus Author, quæ ſummatim perſtrinxiſſe ſufficiat.

13 *SED Contrà I.* In eodem namque inſtanti, quo lapis impulſum imprimit aëri, movetur aër, & proinde cedit loco, vt ſubintret lapis. Ergo lapis ex alto ruens non quieſcit, ſeu nullā patitur morulā in eo inſtanti. Conſequentia patet, tū ab everſione doctrinæ contrariæ; tum quia repugnat incipiente aëre moveri, non deſeri ab eo locu, ac proinde non moveri lapidē in eodē inſtanti ad replendū illum. Alioqui in eo inſtanti daretur vacuū, ſcilicet, locus non repletus iam ab aëre diſcedente, nec à lapide nondum ingreſſo. Antecedens verò facilè ſuadetur: Quia in eodē inſtāti, quo lapis impulſum imprimit aëri, movetur lapis: quoniā immotus nullum cauſaret impulſum. Impoſsibile autē eſt moveri lapidem, quin ſimul aër proximus moveatur. Eo namque ipſo quod aër incipiat moveri, iam adquirit vbicationem ſeu præſentiam aliquā, quantūvis minimā, ſeu indiviſibilē, in eodē ſpatio immediato, quod antea occupabat proximus aër. Ergo eo ipſo expellit illic aërē ab eo ſpatio, ac proinde aër ipſe movetur. Patet hæc conſequētia: quia aliàs dabitur naturaliter penetratio, ſeu coëxiſtentia lapidis & aëris ſimul in eodem ſpatio. Itaque ex ſolutione ac doctrina contraria alterum è duobus abſurdis inevitabiliter ſequitur: ſcilicet, aut concedendum eſſe naturaliter vacuum, aut duorum cor-

corporum penetrationem. *CONTRA II.* Si enim impulſus a lapide impreſſus aëri non habet contrarium, vt ſtatuit prædictus Author, nulla ratione, ſed inconſequenter, negari videtur motus aëris in eodem inſtanti, & concedi in ſequentibus. Vbi enim influxus agentis potentior eſt, ſecluſa contrarietate in paſſo, eò citiùs & immediatiùs ponitur effectus ab illo procedens. At impulſus a lapide impreſſus in primo inſtanti potentior & vigorosior eſt, quam in ſequentibus inſtantibus, vtpotè proximior ſuæ cauſæ; & aliunde nulla ſupponitur contrarietas. Ergo ſi in ſequentibus inſtantibus cauſat motum aëris, multò magis in primo inſtanti. *CONTRA III.* Quia forma ſubſtantialis eo inſtanti quo inducitur in materiam, nullum invenit contrarium, quod reſiſtat, in eodem inſtanti expellit formam præcedentem à proprio ſubiecto. Ergo ſi impulſus impreſſus ab aëre nullum invenit contrarium in aëre, etiam in eodem inſtanti expellet à proprio loco aërem.

14 *ARGVMENTOR III.* & obiter impugno eandem ſolutionem. Motus lapidis ex alto ruentis, iuxta Adverſarios, eo magis interrūpitur, & diuturniores morulas patitur, quo minùs velox eſt, comparatione facta ad velociorem motum. Ergo ſi comparetur ad motum centies, aut millies, aut centies millies velociorem, qualis dubio procul eſt motus primi mobilis, centies millies magis quieſcet, quam moveatur lapis, vbi ex alto cadit. Patet conſequentia: Quia comparatione facta iuxta doctrinam Adverſariorum, poſt vnumquemque motum inſtantaneum lapidis in centrū ruentis ſuccedit immediatè quies. Hæc verò durare debet per centum mille inſtātia. Cùm enim diſtet motus lapidis in velocitate à motu primi mobilis centum mille gradibus, vt ſupponimus, & iuxta horum numerum ſit diuturnior quies in motu lapidis; apertiſsimè colligitur, poſt vnumquemque inſtātaneum lapidis motum ſucceſſuras immediatè centum mille morulas inſtantaneas. Quis autem credat, aut veroſimile iudicet, ingens ſaxum, aut globum ſolidum ferri ex alta turri proiectum, centies millies magis quieſcere in aëre, quam moveri; aut pendulum ſtare, quam cadere? Falſum ergo eſt, & ab omni ſpecie veritatis alienum, minorem velocitatem motus conſiſtere in morulis, & eò diuturnioribus, quo facta ſit comparatio illius ad velociorem motum.

15 *CONFIRMATVR* Populari, vt aiunt, diſcurſu, ſed tamen, vt videtur, vrgentiſsimo, vſquedum Adverſarij Senatoriam, aut Conſularem ſolutionem aſsignent. Si enim lapis ex alto ruens centies millies magis quieſcit, quàm moveatur, vt nuper demoſtratum eſt iuxta principia Adverſariorum; quoties ruit lapis, oculi noſtri potiùs videbunt lapidem quieſcentem, quā cadentem: imo non videbunt cadentem, ſed quieſcentem in aëre. Quod quàm falſum ſit, nemo non videt. Niſi fortè iidem Authores reſtentur, ſe perſpicacioribus longè oculis vidiſſe ac notaſſe lapides medio caſu quieſcentes, quaſi *aëre vacuo pendentia Mauſolea*, vt ille cecinit. Sequelam facilè probo: Quia potior ratio eſt, vt percipiatur oculis lapis quieſcens & immotus centum mille inſtantibus, quàm vt ruens & ſe movens vnico inſtanti. Imò & neceſſum erit, inter moras & moras, ſeu quietes centum millies diuturniores, non percipi ab oculis motum vnico inſtanti durantem, ſed ſolam quietem.

16 *HANC* Rationem manifeſtam, & planè demonſtrativam exiſtimaveram, cum ecce illam ferè ſummatim propoſitam videre contigit apud P. Oviedo, vbi ſupra §. 3 *num.* 20. qui illam cenſet, nec mediocrem continere difficultatem contra ipſius opinionem, ſi evolvantur ea, quæ in libris de Anima tradi ſolent: nimirum, motum ſenſu externo non percipi; ſed tantùm per diſcurſum cognoſci ex cognitione ſenſationis præſentis, & memoria præteritæ deductum. Quod explicare pergit his verbis: *Video modo hæc extrema cum hac diſtantia: recordor me vidiſſe antea eadem corpora cum diverſa diſtantia. Ex quo infero, corpus illud, quod reſpectu omnium diverſam diſtantiam habet, motum fuiſſe; & deduco, corpus illud fuiſſe motum in illo inſtanti, in quo diverſam adquiſivit diſtantiam. Quòd ſi corpora omnia etiam illa quæ ſe movent, ſub eadem diſtātia ſemper appareant, non poterit intellectus inferre motum, neque inter præſentias diſcernere. Sic qui intra navis cameram vehitur, motum non percipit.* Hæc ille.

17 Vnde infert, ex eo motum eſſe magis minuſve perceptibilem, quòd maior minorvè ſit diverſitas diſtantiæ quam modò habet, ab ea quam antè habebat: quia ſi per impoſsibile integro anno duraret motus, quo indiviſibilia corporis per vnicum indiviſibile moventur, motus ille non perciperetur. Si verò in vnico temporis inſtanti quis Compluto Romam migraret, motus ille perciperetur, quamquam inſtantaneus eſſet. Ergo tota ratio diſcernendi motum

tum provenit ex diſtantia adquiſita, nō autem ex motu. Quare in lapide ex alto ruēte diſcernimus quidem motum; quia licèt ille innumeris morulis, ſeu quietibus interrumpatur, ex omnibus motibus inſtātaneis & indiviſibilibus reſultat vna maior diſtātia, in qua omnes partes motus cognoſcātur, quæ ſucceſſivè tranſierunt. Contrà verò quietes non percipiuntur, etiamſi diuturniores ſint incomparabiliter, quàm motus; quia diverſæ quietes, in diverſis ſpatijs, partibus motus interruptæ, non faciunt vnam maiorem permanentiam in eodem ſpatio, ratione cuius poſsint percipi. Hæc, & plura alia prædictus Author, ſatis quidem ingenioſè excogitata, & impugnatu difficilia.

18 *SED Contrà I.* Falsò enim ſupponitur, motum ſenſu non percipi, ſed intellectu. Quemadmodum enim ſenſibilia communia percipiuntur externo ſenſu, ſic etiam motus exterior. Quare animantia bruta percipiunt etiam a longè plura alia ſibi adverſantia: & gallina percipit milvum ad ſe volantem, ideoque pullos colligit: & taurus, qui videns in cireo canem immotum, quieſcit; videns iam illum appropinquantem, ſævit, & cornibus impetit. Ergo motus percipi poteſt abſque vlla intellectus operatione. *Confirm.* Diſtantia non minùs eſt extra formale obiectum cuiuſque ſenſus externi, quam motus. Et tamen iuxta prædictum Authorem percipitur ſenſu externo. Ergo licèt motus ſit extra obiectū formale ſenſus externi, poterit ab illo percipi. Nimirum, tam diſtantia, quàm exterior motus, ſicut & figura naturalis, ac mathematica, & plura alia, ſpectant ad ſenſibilia communia, ac proinde percipiuntur externo ſenſu. *CONTRA II.* Si motus ſolùm perciperetur ratione diſtantiæ loci in quo modò eſt mobile ab eo loco in quo antea erat, & non quia ipſe motus in ſe videretur, vt in ſolutione dicitur; non poſſemus percipere motum circularem perfectum: quia in illo non adquiritur diverſa diſtantia a præcedenti; ſed vnaquæque circuli pars redit ad illum ipſum locum, in quo antea erat. At manifeſtè percipimus motū circularem perfectum in rota lapidea, in circulis horologij, & pluribus alijs. Ergo motus non percipitur ſolùm ratione diſtātiæ. *Rurſus.* Si motus localis ſolùm perciperetur ratione diſtantiæ; non magis perciperet motum lapidis qui illum attendit per aëra ruentem, quàm qui non attendit, ſed ſolùm ſcit fuiſſe tranſlatum ab vno in alium locum. quod tamen falſum eſſe, ad oculum patet. Sequelam probo. Quia non minùs percipit diſtantiam vtriuſque loci, & lapidem ipſum, qui non attendit ruentem per aëra, quam qui perſpicacibus oculis attendit. Ergo ſi motus ſolùm percipitur ratione diſtantiæ, æqualiter vterque percipiet adventum, ſive motum lapidis. *CONTRA III.* Nō ſolùm eſt perceptibilis ſenſu motus externus (vt probatum eſt, ac negari nequit in brutis animantibus, & apparet in cane vidente dominum a longè venientem, cui propterea lætus occurrit præter ſolitum morem) ſed etiam quies. Tam certò enim percipimus oculis domum & terram non moveri, flante Aquilone, quàm folia arborum moveri. Ergo cæteris paribus, vbi quies fuerit diuturnior meliùs percipietur, quam motus. Sed quando lapis ex alto ruit, diuturnior eſt quies incomparabiliter, quam motus, iuxta ſententiam adverſam, vt ſuprà demonſtratum eſt. Ergo in lapide ex alto ruente incomparabiliter meliùs percipietur quies, quam motus. Quæ ratio æque probat de ſenſu interno, ac de externo. Cum enim ſenſus internus percipere nequeat motum, niſi præcedente ſenſione externa, ſicut in hac eſt potior ratio vt percipiat diuturniorem quietem, quam motum breviorem; ſic etiam in ſenſu interno. At falſum omnino eſt, & contra diutinam oculorum experientiam, in lapide ex alto ruente quietem aliquam percipi. Ergo quia in eo motu nulla eſt quies, aut morula, relatè ad velociorem motum. Et hæc quidem præter plures alias impugnationes, quibus eandem ſolutionem refellit Lynce *lib.3.tr.5.à num.* 19.

SECTIO SECVNDA.

Celebre argumentum rotæ contra eandem opinionem vrgetur, & variæ Adverſariorum evaſiones multipliciter præcluduntur.

19 *QVARTO* Impugnatur ſententia adverſa argumento illo cōmuni deſumpto ex rota conſtante duobus circulis, altero maiore, altero minore; quod torquet, æternùmque torquebit Adverſarios, donec tandem fateantur minorem velocitatem motus non conſiſtere in morularum interruptione. Dum enim movetur in circulo rota an axis, ad ſenſum patet eodem tempore illo velocius moveri circulum maiorem, quam minorem, quia pertranſit maius ſpatium loci exterior circulus, quam interior. At id non conſiſtit in eo quod minor ſive interior

circulus præ maiori & exteriori ſubeat in motu interruptionem, ſeu morulas aliquas. Igitur minor velocitas motus præ maiori non conſiſtit in interruptione aut morulis. Probatur minor. Si minor circulus, ſive interior, rotæ præ maiori & exteriori ſubiret in motu interruptionem vel morulas, eſſet aliquod inſtans, in quo circulus exterior moveretur, & interior quieſceret. Nam ponendo vtrumque ſimul & ſemper moveri, neuter præ altero poteſt interrumpi, aut morulis diſſecari. At nullum eſt inſtans, in quo circulus exterior moveatur, immoto interiori circulo. Ergo minor ſive interior rotæ circulus præ maiore & exteriore non ſubit in motu interruptionem, aut morulam aliquam. Probatur minor, nō modo quia ad ſenſum patet circulum interiorem moveri toto illo tempore, quo movetur exterior circulus; ſed etiam à priori, quia ſupponimus rotam vtroque circulo conſtantem, eſſe idem corpus continuum. Impoſsibile autem eſt vt corpus aliquod continuum, ex duobus circulis conſtans, moveatur in orbem pro aliquo inſtanti, aut parte temporis, quò ad vnum circulum, & non quò ad alium.

20 *HVIC* Rationi validiſsimæ ſuccumbit P. Arriaga ſectator adverſæ opinionis, fateturque ingenuè ſe illius ſolutionem neſcire. Cæterum Spinula *vbi ſup. n.* 27. reſpondet, in caſu propoſito poſſe moveri circulum exteriorē immoto & quieſcente interiori, quamvis vterque cōſtituat vnam rotam continuam: quia in arundine, in papyro, in manu hominis, & pluribus alijs, apertiſsimè cognoſcitur, poſſe aliquā partem moveri & plicari, immotà alterà, quamvis vtraque ſit continua, & continuationem non amittat. Rationemque à priori eſſe ait, quia per illum motum pars quæ movetur, non fit localiter diſtans ab alia quieſcente, ſed ſolùm fit præſens ex alio latere extrinſeco. Vnde ſi moveatur circulus exterior, quieſcente circulo interiori, ita vt localiter nō ſeparētur, nulla ſequitur vtriuſque diſcōtinuatio. Inde verò deducit idem Author, in exemplo rotæ non diſcontinuari aliquod indiviſibile circuli interioris quieſcentis ab alio indiviſibili exterioris circuli actu moti: quod pluribus probare pergit, quæ tamen non vacat exſcribere.

21 *SED* Refellitur huius Authoris evaſio: [illegible], quia nititur inſtantijs prorſus extra rem: [illegible], quia non ſatisfacit rationi propoſitæ: [illegible] denique, quia præſtigias obtrudit oculis contra manifeſtam illorum experientiam. Porro inſtantias adductas in papyro, in arundine, in manu hominis, & alias eiuſmodi, non eſſe ad rem, inde patet; quia non ſunt corpora qualitercūque continua, ſed plicabilia & facilè flexibilia; ac præterea non moventur motu adæquato, ſive circulari, ſed ſolùm inadæquato, & verſus vnam partem. Quid ergo mirum ſi non quilibet motus papyri, arūdinis, aut manus, arguat omnes eius partes moveri? At vel in ijs ipſis, pone motum circularem. Videbis plane circumferentias, ſeu circulos maiores, exterioreſque papyri, non moveri, quin etiam moveātur circuli minores exterioreſque. Et ratio à priori eſt, quia nullum corpus omnino durum & continuum poteſt aut in circulo, aut rectè, aut obliquè moveri, quin totum ipſum moueatur. At rota molaris lapidea eſt idē corpus omnino durum & continuum, vt ſupponimus. Ergo neque in circulo, nec recta via, nec obliquè moveri poteſt, quin tota illa moveatur; ac proinde tam quò ad interiores circulos, quàm exteriores. Et tamen motus interioris ac minoris circuli eſt longè minùs velox, quàm maioris & exterioris circuli, vt ad ſenſum patet. Ergo minor velocitas motus vnius relatè ad alium non conſiſtit in morulis, ſeu in interruptione eiuſdem motus. *Vlteriùs*. Hoc punctum circuli exterioris eſt vnitum illi puncto circuli interioris media approximatione. Si autem primum illud punctum movetur, immoto hoc ſecundo, & minimè inflexo in rota lapidea, iam fit ab eo diſtās: ac proinde amittit illam approximationem. Ergo & vnionem. Ergo ſcinditur rota. Quod tamen falſum eſſe, ad ſenſum patet.

22 *RESPONDENT II.* alij Recentiores, ex eo quod interior circulus rotæ quieſcat dum movetur exterior, nullam ſequi diſcontinuationē vtriuſque, nullam quoque inflexionem, quanquam rota omnino ſolida & dura ſit, ac perfectè continua. Quod vt ſuadeant, ſupponunt, quodlibet punctum circuli interioris ſe habere per modum centri reſpectu aliquorum pūctorum exterioris circuli, & æquè ab omnibus diſtare, ſicut centrum rotæ æquè diſtans eſt ab omnibus punctis, quibus vndique cingitur. Ratio eſt: quia circuli exteriores habent plures partes, quam interiores: ac proinde vnicuique puncto interioris & minoris circuli correſpondent plura puncta in circulo exteriori ac maiori, æquè ipſi approximata; ſicut centrum rotæ correſpondet omnibus punctis circuli exterioris, quibus circuncingitur, approximatis æqualiter. Ergo quemadmodum centrum [illegible] lapi-

lapideæ immotum perſeverat dum movẽtur omnia puncta exterioris circuli, quin propterea amittat continuationem, quam cum iis habebat; ita & puncta interioris circuli poſſunt quieſcere & immota perſiſtere dum moventur puncta iis correſpondẽtia in exteriori circulo, idque ſalvâ vtrorũque continuatione.

23 *PLAVSIBILIS* Solutio, & quæ primo ſaltem aſpectu videatur enervare argumentum. *SED contra. I.* Ponamus cum iis Authoribus punctum E. interioris ac minoris circuli eſſe centrum relatè ad puncta B.C.D. circuli maioris & exterioris, ac proinde æqualiter ab iis diſtare. Certè adhuc non diſtabit æquè a puncto E. circuli exterioris, neque à punctis F.G. & ſequentibus. Alioqui eſſet centrum reſpectu omniũ punctorum exterioris circuli, quod evidenter eſt falſum, & nec ab ipſis Adverſariis aſſeritur. Modò ſic. Quando movetur exterior circulus quieſcente interiore, punctum D. circuli exterioris adquirit illud ipſum ſpatium, quod immediatè antea occupabat punctum E. eiuſdem circuli, & tamen punctum E. inferioris circuli quieſcit ſicut antea, vt in ſolutione dicitur. Ergo hoc pũctum E. circuli interioris ſe habet modò in eâdem diſtantia ad punctum D. cum illâ, quam habeat immediatè antea ad punctũ E. circuli exterioris, in cuius ſpatium ſucceſsit punctum D. Atqui immediatè antea ita diſtabat à puncto E. circuli exterioris, vt non reſpiceret illud tanquam centrum. Ergo & modò redditur ita diſtans à puncto D. ſuccedente in eius ſpatium, vt non reſpiciat illud tanquam centrum. Proindeque manifeſtè colligitur ex eo quòd exterior circulus moveatur quieſcente interiore, punctum E. interioris circuli amittere vnionem ſeu approximationem illam, quam habebat immediatè antea cum puncto D. exterioris circuli, licet illam non amittat cum pũctis B. & C. in quibus non militat eadem ratio. Ergo de primo ad vltimum, punctum E. interioris circuli diſcontinuatur a puncto D. circuli exterioris; quod eſt tum contra rationem corporis omnino duri & continui, tum etiam contra rationem centri. *Cõfirm.* Quia punctum medium totius rotæ eſt centrum totius circuli exterioris, nullũ punctum circumferentiæ vnquam per motũ diſtare poteſt ab illo, magis quàm aliud. Sed trium pũctorũ v.g. circuli exterioris poteſt vnum diſtare per motum magis quã aliud relatè ad punctum interioris circuli, vt modo oſtenſum eſt. Ergo quia punctum interioris circuli non habet rationem cẽtri reſpectu trium punctorum circuli exterioris. Malè igitur Adverſarii ex eo quod centrum rotæ quieſcat dum illa movetur, colligunt exteriora circuli puncta moveri, & interioris circuli punctum quieſcere, cum hoc nequeat eſſe illorum centrum.

24 *CONTRA II.* Stat optimè circulum exteriorem & maiorem velocius moveri, quàm interiorem & minorem, quin propterea vnicuique puncto interiori vt centro reſpondeant plura exteriora pũcta. Ergo ſtat optimè circulum exteriorem velocius moveri quàm interiorem, quin propterea punctum aliquod circuli interioris quieſcat, dum moventur puncta exterioris circuli. Conſequentia patet, tum ab everſione contrariæ ſolutionis, tũ quia punctum interius manere immotum quando exteriora moventur, ſolùm poſſet ex eo provenire, quod reſpectu illorum haberet rationem centri. Antecedens autem probatur: Nam ſtat optimè circulum exteriorem & maiorem eodem temporis ſpatio moveri per ſpatium loci longè maius, ſive per maiorem circumferentiam, quàm circulum interiorem & minorem. quod certè abſque maiori velocitate fieri nequit. Ad id verò neceſſum non eſt vt vnicuique puncto interioris circuli vt centro reſpondeant plura puncta circuli exterioris. Quod ſuadetur exemplo tabellæ vndique habentis eandem latitudinem: quæ ſi figatur clavo in aliquo loco, & circulariter moveatur, velociùs quidem movetur quo ad lineas latas exteriores, quàm quò ad interiores: quia in eadem temporis menſura percurrũt maius loci ſpatium exteriores, quam interiores. Et tamen nullum eſt punctum in lineâ latâ interiori, quod correſpondeat pluribus lineæ exterioris vt centrum; ſed vnicuique puncto exterioris lineæ reſpondet propriũ ac ſingulare punctum lineæ interioris; cùm ſupponamus tabulam eſſe vndique & æqualiter latam, ac proinde omnes eius lineas habere totidem puncta. Ergo pariter ſtat optimè circulum exteriorem rotæ velociùs moveri, quam interiorem, & tamen non propterea cuilibet puncto interioris circuli, tanquam centro, reſpondere ſimul plura circuli exterioris puncta. *Confirmatur*, & elucidatur hæc ratio. In prædictâ tabulâ æqualiter lata verſus omnem partem, linea extima & vltima totidem punctis conſtat, ac linea interior & vicinior clavo, ac proinde cuilibet puncto vnius reſpondet [illegible] alterius punctum, quod ſufficit ne alterum reſpectu alterius habeat rationem centri. Modò ſic. Punctum lineæ extimæ

eodem

eodem temporis ſpatio percurrens ampliorem circumferentiam, velociùs movetur puncto lineæ interioris. Et tamen hoc poſterius punctum non ſubit diuturniores morulas, quàm punctum exterius, ſed vtrumque ſimul & indiviſibiliter movetur; quia moveri vnum quieſcente altero ſolùm oriri poſſet ex eo quod alterum reſpectu alterius haberet rationem centri. Ergo ſtat minor velocitas in puncto interiori, quàm exteriori, quin propterea punctum interius ſubeat morulas diuturniores. Aliam ſolutionem de punctis inflatis reiecimus ſuprà *diſp.* 36.

25 *RESPONDENT III.* alij, evidenter convinci argumento rotæ, circulos quieſcentes & interiores amittere continuationem, quam antea habebant cum circulis exterioribus & quieſcentibus, atque invicem ſeparari. Addunt tamen, in ipſo progreſſu motus, aut ſaltem poſtea, recuperari antiquam vtrorumque vnionem & continuationem.

26 *VERVM* Hæc non eſt ſolutio, ſed mera evaſio, quæ facilè & multipliciter præcluditur. *Primò.* Quia difficillimum captu eſt, quòd manus levi impulſu movens rotam ingentem, ſeu ferream, ſeu lapideã, crebris ac graviſſimis malleatorum ictibus reſiſtentem, tam facilè illam dirumpat, & à ſummo ad infimum dividat. Ergo abſque fundamento aſſeritur circulos interiores amittere continuationem, ſive vnionem cum exterioribus. Id enim eſſet rotam à ſummo in infimum dividere, cùm circulis maioribus & minoribus, ad extrà & ad intrà, ſit plena. *Secundò.* Si ſemel diviſio vtrorumque admittitur, illa certè perſiſtet, & rota perſeverabit diviſa: quia nulla eſt aſſignabilis cauſa, à quà vnio circulorum iterũ producatur. Non enim ab ipſis circulis, ſeu partibus ferri, quæ per mutuum cõtactum, ſeu approximationem, nequeunt cõſtituere idem corpus continuum, inſtar partium liquidarum aquæ aut vini; ſed manent tantum contiguæ. Non etiam ab vlteriori motu, vel impulſu agẽtis extrinſeci; qui nec vter habet vim continuandi corpora dura ſemel diviſa. Aliud præterea agens nequit aſſignari, quod eiuſmodi vnionem cauſet. Ergo ſi ſemel amiſſa fuit circulorum vnio in rota, nunquam recuperabitur in ipſo progreſſu motus, aut poſtea; ſed circuli interiores ab exterioribus permanenter diviſionem ſubibunt. Vnde & interrogandi ſunt Adverſarij, cur aut quomodo rota in ipſo progreſſu motus nõ dividatur ad ſenſum, nec abeat in fruſta diſtincta, ſed curſum ſuum proſequatur in molendino & horologio abſque vlla rimà, vel ſciſſione apparente. *Confirmatur,* in motu circulari tabulæ vndique habentis lineas æqualiter latas, vt *num.* 24. arguebamus; ac proinde conſtantis circulis exterioribus, qui velociùs moveantur, quã exteriores. Certe ſi ratione motus priorum, & quietis poſteriorum, amittũt vnionem, ſeu continuationem illam; partes extimæ in terram cadent, vtpotè divulſæ à cœteris, quæ clavo affixæ ſunt. At nemo vnquam hominum vidit cadentes extimas tabulæ partes, ſed omnes experti ſunt tabulam æqualiter latam cum omnibus lineis perſeverantem. Ideo ergo eſt quia partes, ſeu lineæ extimæ, non amittunt vnionem, quam habebant cum interioribus. Ergo de primo ad vltimum circuli exteriores rotæ non moventur quieſcentibus interioribus. Si enim poſteriores quieſcerent, & priores moverentur localiter, puncta exterioris circuli amitterent illam approximationem, quam antea habebant ad puncta circuli interioris immoti: quod certè ſine ſeparatione locali vtrorumque, ac proinde ſine diviſione, fieri nequit.

27 Scio plures alias evaſiones à quibuſdam Recentioribus excogitatas eſſe, quibus referendis, causà prolixitatis vitandæ, abſtineo; maximè cùm poſſint facilè impugnari, ſi argumentum præiactum ſeriò expendatur. Novam quandam a P. Oviedo excogitatam refert, & multis improbat Ricardus Lynce omnino videndus *l. 3. Phyſ. tract. 5. c. 3. à numero* 37. Vnde ſemper viget argumentum Ariſtotelis, probans non fore vnum motum continuum altero velociorem, ac proinde nec circulum exteriorem rotæ lapideæ velocius movendũ, quàm interiorem, ſi motus immediatè conſtet ſolis indiviſibilibus: quia quodlibet pũctum mobilis velocis, exteriorisque circuli rotæ, in quolibet inſtanti ſolùm poteſt adquirere vnum indiviſibile ſpatij. alioqui eodem inſtanti eſſet ſimul in duobus ſpatiis indiviſibilibus, ſeu locis adæquatis indiviſibili pũcto: quod, naturaliter ſaltem, repugnat. Ergo omnis motus in primo inſtanti ſolùm adquiret vnum indiviſibile ſpatij, & in ſecundo aliud, & in tertio aliud: ac proinde in æquali temporis morà non poterit vnus motus continuus percurrere maius ſpatium quam alius. Ergo neque vnus motus continuus eſſe poterit velocior alio: quia ſolus ille motus continuus eſt alio velocior, qui in eadem menſura temporis maius ſpatium percurrerit.

SE-

SECTIO TERTIA.

Eligitur ſententia Ariſtotelis docentis velocitatem vnius motus præ alio conſiſtere in eo quod æquali tempore percurrat maius loci ſpatium, & minori æquale aut maius. Obiectiones difficillimæ ex retorſione argumentorum præcedentium expediuntur.

28 DICENDVM itaque eſt, velocitatem maiorem in vno motu, quam in alio, conſiſtere in eo quòd eadem temporis menſura vnũ mobile medio motu adquirat, ſeu percurrat maiorem ſpatij partem, quam aliud. Ita Ariſtoteles *lib.6.Phyſic.cap.29.* ac D. Thomas ibidem, cæterique interpretes, & Philoſophi, quotquot aiunt continuum ſucceſſivum conſtare immediatè partibus in infinitum diviſibilibus, non vero ſolis indiviſibilibus. Hæc vero ſententia de compoſitione continui ſucceſſivi non eſt in præſenti probanda; ſed magis ſupponenda ex dictis *diſput.36.* vti ferè ſupponitur ab Ariſtotele vtroque capite allegato: ex quorum priore nonnulla præmittenda ſunt.

29 *PRIMVM* Eſt: Eandem rationem eſſe in tempore, quæ eſt in motu, & magnitudine, quo ad compoſitionem ex diviſis, vel individuis partibus. Argumenta enim probantia continuum aliquod conſtare partibus diviſibilibus, aut indiviſibilibus, idem omnino evincunt de omni continuo, tam ſucceſsivo, quàm permanẽte: ac proinde idem probant de quavis magnitudine, motu, & tẽpore. *SECVNDVM*: Mobile velocius æquali tempore maius ſpatium tranſmittere. Sit enim mobile velocius A. mobile autem tardius B. Moveatur mobile A. per magnitudinem C.D. tempore F.G. quod ſit vnius horæ. Certe, mobile B. cùm tardius moveatur, quam mobile A. nõ percurret eodem tempore eandẽ magnitudinem ſpatij; quia mobile tardũ attingit ſeriùs metam, quam velox: atque adeò pervenire non poterit eodem tempore ad D. quod eſt terminus magnitudinis permeatæ à mobili veloci. *TERTIVM*: Mobile velocius minori tempore tranſire ſpatium æquale ei, quod mobile tardius in maiori temporis duratione decurrit. Id patet: quia ſi mobile velocius æquali tempore vnius horæ v.g. permeat ſpatium maius, quam mobile minus velox; ergo minori tempore, quàm vnius horæ, permeat mobile velocius quidquid mobile minus velox percurrit integra hora. Hoc enim integra horà ſolùm potuit pervenire vſque ad terminum quem iam attigerat velocius mobile ante horam completã. Ergò neceſſum eſt mobile velocius minori tempore pertranſiſſe tantundem ſpatij, ac mobile minùs velox diuturniori temporis duratione decurrit. *QVARTVM*: Mobile velocius minori tẽpore conficere maius ſpatium, quàm mobile tardum in maiori temporis duratione. Quod probatur ſumendo eandem magnitudinem C.D. ſicut antea, ſupponendoque quod nuper oſtenſum eſt; ſcilicet, dum mobile A. velocius totam eam decurrit, mobile B. tardum percurrere minus, & ſolùm pervenire ad E. Præterea, mobile velocius in tribus horæ quadrantibus pervenire ad F. cum tamen mobile tardum integra horã ſolum pervenerit ad E. quod eſt ante ſpatiũ F. Ergo velocius mobile minori tempore, ſcilicet, tribus horæ quadrantibus, peragravit minus ſpatium, quàm mobile tardum maiori tempore; nimirum, integrà horà. *QVINTVM*: Motum & tempus inter ſe reciprocari, ac ſibi invicem reſpõdere ſecũdùm rationem divìdui & individui. Tempus enim eſt numerus motus ſecundùm prius & poſterius, & vtrumque eſt quantitas ſucceſsiva: ac propterea vnum alteri correſpondet. Vnde & ſequitur, motum nõ in inſtanti, ſed in tempore effici; ac quovis tempore dari poſſe; & denique, quidquid movetur poſſe moveri, tum tardius, tum & celeriùs.

30 *HIS* Poſitis, probatur aſſertum. Ex eo enim motus aliquis eſt velocior alio, quia eadem temporis duratione peragit maius ſpatium, quàm alter, vel minori æquale, aut maius. Ideo enim motus primi mobilis cenſetur omnium velociſsimus, quia ſpatio viginti quatuor horarum percurrit ſpatium incomparabiliter maius, quam cæteræ inferiores ſphæræ. Ideo etiã Sol velociùs movetur quam Luna, quia eadem temporis duratione circuit ampliorem ſphæram. Ideo denique pila plumbea igneo tormento iacta velociùs cietur, quã lapis manu proiectus; quia ita impellitur, vt æquali temporis mora, aut etiam minori, conficiat maius loci ſpatium. Ergo generatim loquendo, ratio quare vnus motus continuus ſit alio velocior, eſt quòd eadem menſura temporis, aut etiam minori, peragat loci ſpatium maius. Quod certè exprimit Ariſtoteles *cap.2.* iam allegato, *textu 11.* illis verbis: ὥστε ἐν τῷ ἴσῳ χρόνῳ πλεῖον διιέναι τὸ θᾶττον. *Igitur in tempore æquali, id quod eſt velocius, plus conficit.* Ad hoc autem vt mobile velocius tempore minore peragret

gat ſpatium loci æquale, aut æquali malus, nequaquam requiritur interruptio aliqua motus in mobili minus veloci, vt iam probatum eſt; ſed ſolùm exigitur, minus temporis ſumi in vno motu quàm in alio per æquale ſpatium. Quod certè melius intelligitur poſito, iuxta eundem Ariſtotelem, omne continuum permanens & ſucceſsivum conſtare partibus in infinitum diviſibilibus, quàm indiviſibilibus tantū. Etenim poſito tempus & motum & magnitudinē ſpatij conſtare partibus in infinitum diviſibilibus, nullus motus erit vnquam adeò velox, vt velocior & velocior eſſe nō poſſit, & cui minor ac minor pars temporis, ac maior & maior pars ſpatij reſpondere nequeat. in quo ſanè cōſiſtit maior velocitas motus.

31 *SED* Ecce primus nodus, & vt videtur, inextricabilis. Nam cito motus, tēpus, & magnitudo ſpatij percurrendi non componatur ex partibus individuis, ſed in infinitum diviſibilibus, non videtur aſsignabilis ratio cur vnus motus ſit velocior alio, niſi alter præ altero interrumpatur. Etenim adhuc poſito omnes partes motus eſſe in infinitum diviſibiles, & fluere tempore ac ſpatio diviſibili loci, vel aliæ partes motus ſuccedunt alijs immediatè, vel non? Si non ſuccedunt aliæ partes motus alijs immediatè; ergo interrumpitur motus, vt volunt Authores opinionis adverſæ, tenebimurque eadem cum ijs abſurda ſuperiùs illata devorare. Si autem aliæ partes motus alijs ſuccedunt immediatè; ergo non poſſunt citiùs fluere: atque adeò omnis motus continuus erit æqualiter velox: quod præcedentibus improbatum eſt. Similiter & inſtantia in motu aquilæ & teſtudinis contra nos retorquetur. Nam vel in ea parte diviſibili temporis, in qua moventur ſimul aquila & teſtudo, plures ſpatij partes pertranſit aquila, quàm teſtudo, vel totidem partes. Si ſecundum; erit æqualis vtriuſque motus. Si primum; ergo aquila in eadem parte temporis erit in duplici ſpatio loci, imò & in triplici, & quadruplici: quia in quolibet determinato tempore aquila movetur duplò, imò & triplò & quadruplò velociùs quavis teſtudine. Ergo quidquid ſit de difficultate, quâ premuntur Adverſarij, nos eadem pariter innodamur.

32 *VRGETVR* Difficultas. Si enim tam mobile velox, quàm tardum, ita percurrit ſpatium omnino idem, vt ante quālibet partem proportionalem percurrant aliam & aliam in infinitum; conſequēs eſt, vt ante quodlibet indiviſibile continuativum percurrant ſemper aliud & aliud eiuſdem ſpatij. Ergo quemadmodum vtrumque mobile in quavis parte proportionali temporis percurrit proportionalem ſpatij partem; ita etiam quolibet inſtanti vtrumque mobile percurrit, ſeu adquirit vnicum indiviſibile eiuſdem ſpatij. Igitur tot inſtātia conſumet vnum ac aliud mobile in eo curſu. Ergo & tot partes temporis; ſive æquale tempus. Probatur conſequētia hæc: Quoniam vbi plures ſunt temporis partes, ſive plus temporis, ibi etiam plura inſtantia eſſe debent; vtpotè earundem partium continuativa. Si igitur vtrumque mobile totidem partes proportionales acquirit, & totidem continuativa inſtantia, quomodo vnius motus erit velocior alio, aut quænā erit vtriuſque inæqualitas?

33 *RESPONDEO*, Prætermiſſis modis dicendi aliorum, haud ſanè intelligibilibus, negando æqualem eſſe difficultatem explicandi motum tardum & velocem in noſtrâ opinione, ac in oppoſitâ. Quemadmodum enim vna quantitas permanens eſt maior aliquâ, quia conſtat pluribus partibus certæ ac determinatæ magnitudinis, quàm alia, eſto vtraque poſsit continuâ ſucceſsione in infinitum dividi, ita vt neutra exhauriatur; ſic etiam vnus motus continuus poteſt eſſe velocior altero: quia poteſt vnum mobile in qualibet parte tēporis maiorem partem ſpatij adquirere, quàm aliud; eſto quælibet illarum ſit diviſibilis in infinitum, & neutra exhauriri poſſit. Sicut autem partes motus vel poſſunt conſiderari vt certæ ac determinatæ, vel vel etiam vt incertæ ac indeterminatæ; ita etiam partes ſpatij ac temporis. Vnde motui velociori in qualibet parte certâ ac determinata temporis reſpōdebit maior pars certa ac determinata ſpatij, quàm motui minùs veloci aut tardo: ſimiliterque in qualibet parte proportionali minori & minori temporis reſpondebit velociori motui maior pars proportionalis ſpatij, quàm motui minùs veloci. Manifeſtum eſt enim ex dictis *diſp.* 35. nō modò vnā partem determinatam quantitatis, ſive permanentis, ſive ſucceſsivæ, poſſe eſſe maiorem aliâ determinatâ, ſed etiam vnam partem proportionalem poſſe eſſe maiorem alia proportionali: quia poteſt vna pars proportionalis ſuſcipere medietatem alicuius partis minoris, quàm ſit alia in duas medietates diviſa.

34 *HINC* Ad argum. dicendum, in omni motu, ſive tardo, ſive veloci, modo tamen continuus, & minimè interruptus

tus

ptus ſit, fluere quidem, & continuari partes motus, vnam poſt aliam; ſed tamen adhuc motum vnum, aquilæ v.g. eſſe velociorem, quã alium; quia in qualibet particulà tẽporis fluentis adquirit maiorem partem ſpatij, quam alius; in particula quidem determinata, maiorem partem ſpatij determinatam; in proportionali autem & indeterminata, maiorem partem ſpatij proportionalem & indeterminatam. Vnde nec ſequitur alterum ex his motibus phyſice interrumpi, nec vtrumque eſſe æqualiter velocem aut tardum. Ad inſtantiam in exemplo aquilæ & teſtudinis dico, non inferri aquilam velociùs tranſeuntem eſſe in eodẽ inſtanti in pluribus ſpatijs loci, ſed in vnico indiviſibili ſpatij, æquè ac teſtudinem: quia implicatorium eſt, quod in motu continuo, ſeu tardo, ſeu veloci, vnico inſtanti adquiratur pluſquam vnum indiviſibile ſpatij. Sed cum hoc fœderatur, quod qualibet particulà diviſibili temporis mobile velocius occupet, ſeu tranſeat continuatè, maiorem partem ſpatij, quam minùs velox, ſaltem indeterminatam; ac proinde quòd mobile velocius pertranſeat idem ſpatium, leucæ v.g. breviori tempore, quam mobile minùs velox.

35 *DICES*: Cuilibet parti motus determinatæ aut indeterminatæ reſpondet quælibet pars temporis determinata, aut indeterminata. Ergo tam motui teſtudinis, quam aquilæ, ſi vterque continuus ſit, æqualis duratio temporis correſpondet. *RESP.* Neg. antec: quia licèt extrinſecũ tẽpus ſit numerus motus ſecundùm prius & poſterius; non tamen cuiuſcumque motus, ſed illius tantùm, qui in primo mobili eſt, & cui ſoli commenſurari debet, per omnimodam æqualitatem. Cum alijs vero motibus non commenſuratur tempus, neque æqualitatem habet; ſed inæqualitatem, & eo maiorem, quo tardiores fuerint relatè ad motum primi mobilis. Vnde poſitis duobus motibus, altero aquilæ, altero teſtudinis, per vnam leucam, plus temporis reſpondebit toti motui teſtudinis, quàm aquilæ, & plus cuilibet parti determinatæ, aut indeterminatæ motus teſtudinis, quàm parti determinatæ, aut indeterminatæ motus aquilæ, quia aquila velocius movetur quàm teſtudo.

36 *NON* Tamen ideo aſſerendum eſt, poſitis æqualibus partibus motus velocis & tardi, æqualibus, inquam, penes longitudinem, correſpondere ijs ſpatium loci inæquale, vt cuidam Recentiori placuit. Sive enim motus per vnicum palmũ v.g. ſpatij localis ſit velox, ſive tardus æqualis erit quò ad ſpatium pertranſitum, loci. neque enim maior vel minor eſt diſtantia Salmanticæ à Toleto, per hoc quod citiùs percurratur ab vno, quam ab alio. Ergo cuilibet parti motus velocis, æquali penes longitudinem alteri parti motus tardi, reſpondet æquale loci ſpatium; ac proinde tota diverſitas eſt in eo, quòd prior ratione celeritatis reſpondet minori parti temporis, poſterior verò ratione tarditatis reſpõdet minori temporis parti, ſeu diuturniori. Quod ipſum adhuc evidentius fiet hoc diſcurſu. Si cuilibet parti motus velocioris reſpondet maior pars ſpatij localis, quodlibet indiviſibile motus velocioris erit ſimul in pluribus indiviſibilibus ſpatij. At conſequẽs eſt abſurdum. Ergo & quod cuilibet parti motus velocioris reſpondeat maior pars localis ſpatij, quàm cuilibet parti motus minùs velocis. Abſurditas conſequentis patet; Quia non minùs repugnat cuilibet indiviſibili motus eſſe ſimul in pluribus indiviſibilibus loci, quàm cuilibet parti motus eſſe ſimul in pluribus partibus loci diviſibilibus, & cuilibet corpori eſſe ſimul in duplici loco adæquato. Sequela autem probatur. Nequit enim parti motus velocioris reſpondere maior pars ſpatij localis, niſi & indiviſibilibus eiuſdem partis motus reſpõdeat maior numerus indiviſibilium ſpatij: quia indiviſibilia vtriuſque partis ſunt cum eà continuata, eidemque affixa; & quo plures partes motus ac ſpatij ſunt, eò plura indiviſibilia ſunt. Ergo ſi cuilibet parti motus velocioris reſpondet maior pars ſpatij localis, ſeu plures ſpatij partes, quàm æquali parti motus tardi; cuilibet etiam indiviſibili motus velocioris reſpondebunt plura indiviſibilia ſpatij; atque adeo ſimul erit in pluribus ſpatij ſive loci indiviſibilibus.

QVARE Diverſitas motus velocioris à minùs veloci, iuxta ſententiam Ariſtotelis, & Scholæ Peripateticæ, ſic exponenda eſt, vt licèt ſpatium loci reſpondens parti vlnari v.g. motuum inæqualium ſit æquale, nihilominus pars temporis inæqualis ſit, & minor quæ correſpondet parti motus velocioris, quàm minus velocis.

37 *AD* Inſtantiam *ex num.* 32. patet ex dictis, mobile velox non totidem inſtantia aut partes temporis inſumere in ſuo motu, ac mobile tardum, ſed pauciora: nã licèt vtrumque mobile dum continuatè movetur, in quolibet inſtanti temporis ſolùm adquirat vnum ſpatium indiviſibile; nihilominus aſsignata eadem parte, ſeu determinata, ſeu proportionali temporis,

mo-

mobile velox in illà adquirit maiorem ſpatij partem, atque adeo plura indiviſibilia eiuſdem ſpatij continuativa, quàm mobile tardum: quia inter partem motus inæqualis motui primi mobilis, & partem temporis, ſive proportionalem, ſive determinatam, poteſt eſſe inæqualitas. Quæ tamen nullum locum habere poteſt in ſententia adverſa: quia cum ſtatuat motum, & tempus, & locum, conſtare puris indiviſibilibus, & vnum indiviſibile nequeat eſſe maius alio, conſequens eſt, vt ſive mobile ſit velox, ſive tardum, modò continuatè moveatur, in qualibet parte indiviſibili motus respondeat vnico inſtanti temporis, & adquirat vnicū indiviſibile ſpatij. Alias indiviſibilis pars motus & mobilis eſſet ſimul in duobus ſpatijs, ſeu locis indiviſibilibus. Cumque eadē ratio ſit de qualibet parte indiviſibili motus, fiet demum nullum mobile fore velocius alio ſe continuatè movente, quia non poterit eadem temporis menſurà vnum pertranſire maius ſpatium, quàm aliud.

38 Nec recurrere poſſunt Adverſarij ad inſtantia ſeu indiviſibilia inflata temporis & motus, quæ iam abunde reiecimus diſputationibus præcedentibus. Præterquamquod, ſi indiviſibilia inflata in motu afferuntur, etiam in tempore, & in ipſo ſpatio aſſeri debent, vt propterea alia alijs neceſſario æquivaleant, & nequeat mobile velocius vnico mutato eſſe, ſeu indiviſibili ſui motus, æquivalere aut reſpondere, niſi vnico indiviſibili loci, & temporis.

SECTIO QVARTA.

Argumentum ex motu circulari rotæ lapideæ in noſtram ſententiam retorquetur, & ſolvitur.

39 DIFFICILLIMVM Eſt pro ſententia Ariſtotelis proponere argumentum aliquod, ita convincens, vt vel efficaciter, vel apparenter ſaltem, non poſſit contra illam retorqueri: vt ſatis conſtabit evolventi ſeriò, quidquid fusè ſatis, & prolixius ſortè, varijs huius libri diſputationibus, vtrimque exagitatum eſt. Igitur poſtquam priori nodo ſatis implexo ac perdifficili occurſum eſt, reſtat extricare alium ſuo doctrinæ noſtræ pariter irretitum.

40 *SECVNDVS* Nodus adverſus ſententiam noſtram oritur ex retorſione argumenti rotæ lapideæ, quo ex profeſſo & totà lectione præcedenti contrariam opinionem impugnavimus. Videtur enim inexplicabilis maior velocitas exterioris circuli, quàm interioris, ſi vterque ſimul & abſque interruptione moveatur, quàmquam motus & tempus, & magnitudo circuli conſtent partibus in infinitum diviſibilibus. Aſſumamus enim partem A. interioris & partem A. exterioris circuli. Certè vtraque pars in vnico inſtanti temporis ſolùm tranſire ſeu implere poteſt vnicum indiviſibile ſpatij. Deinde in parte immediatà temporis ſecuta poſt inſtans, vtraque pars circulorū peragit immediatam ſpatij partem, ſecutā poſt indiviſibile eiuſdem ſpatij; quæ certè æqualis eſſe debet, & minor ac minor quacunque aſsignabili; vtpotè immediatè ſecuta ad indiviſibile ſpatij continuativum. Ergo vtraque pars A. circuli exterioris & interioris in eadem immediatà temporis duratione æqualem peragit ſpatij partem: ac proinde circulus exterior non movebitur velocius, quam interior.

41 *AVGETVR* Speciali conſideratione difficultas eadem. Quanquam enim aſſeratur continuum componi ex partibus abſque fine diviſis, etiam conſtat indiviſibilibus earundem continuativis, quæ in continuo permanenti appellantur puncta, in tempore inſtantia, & in motu mutata eſſe, vt proprijs locis ſtabilitū eſt. Modò ſic. Si in omnibus inſtantibus & partibus temporis, in quibus movetur exterior circulus & maior rotæ, moveretur etiam interior & minor; dū indiviſibile A. circuli exterioris & duplò maioris (vt ſupponimus) peragit partes quatuor A.B.C.D. ſpatij, indiviſibile A. circuli interioris & minoris, ac minùs velociter moti, peraget ſolùm duas partes ſpatij A.B. non autem omnes quatuor A.B.C.D. Alioqui non duplò velociùs moveretur exterior circulus quàm interior, contra ſuppoſitionem. Ergo indiviſibile A. circuli exterioris correſpondet tunc & eſt præſens ſpatio loci C.D. ſeu duabus poſterioribus partibus ſpatij, quibus tamen non correſpondet, nec præſens eſt indiviſibile A. interioris & minoris circuli. Ergo indiviſibile A. circuli interioris amittit approximationem, ſeu indiſtantiam illam, quam antea habebat relatè ad indiviſibile A. exterioris circuli; ac proinde vtriuſque vnio & continuatio diſſolvitur. Quod planè eſt idem abſurdum à nobis illatum ſuprà, ex eo quòd indiviſibilia circuli exterioris moveantur, quieſcentibus indiviſibilibus interioris circuli. Quemadmodum enim in eà hypotheſi colligebamus ſeparationem vnius indiviſibilis ab alio, quia exterius reſponderet ſpatio loci, cui

cui non reſponderet interius, ac proinde diſtaret magis ab illo, quàm antea; ita etiã in noſtra opinione infertur ſeparatio vtriuſque, ſi alterum reſpondet ſpatio loci C. D. cui non correſpondet alterum; ac proinde ſi vnum magis quàm antea ab altero diſtat.

42 RESPONDEO Conſequẽter ad dicta in extricatione prioris nodi, maiorem velocitatem circuli exterioris rotæ, quàm interioris, poſſe rectè componi cum eo quod vterque ſimul ac ſemper moveatur, modò vtriuſque motus, tempus & magnitudo ſpatij conſtet partibus abſque fine dividuis, iuxta opinionem Scholæ Peripateticæ. Quamvis enim vterque circulus in eodem inſtanti indiviſibili temporis nequeat adquirere niſi vnicum indiviſibile ſpatij, quia in inſtanti nequit percurri ſucceſsivè ſpatium diviſibile; adhuc tamen pars circuli exterioris immediata puncto, in parte temporis immediatè ſecuta poſt inſtans, poteſt adquirere partem diviſibilem ſpatij, & maiorem illa, quam adquirit pars circuli interioris immediata puncto. Cùm enim partes continui ſint abſque fine dividuæ, nulla aſsignari poteſt ita exigua, vt alia minor & minor aſsignari nequeat: proindeque quantumvis exigua ſit pars illa ſpatij, quam circulus exterior adquirit immediatè poſt inſtans; adhuc locus eſt vt minor pars ſpatij ſit, quàm adquirit interior circulus immediatè poſt idem inſtans. At vbi in eadem temporis parte adquirit mobile vnum maiorem ſpatij partem, velociùs movetur, quàm aliud. Ergo circulus exterior velociùs movebitur, quàm interior. Hoc tamen in opinione adverſa locum non habet: quia vnum indiviſibile non eſt maius altero: ac proinde nec maiorem partem ſpatij adquirere aut occupare poteſt.

43 AD Inſtantiam ſuperadditã, nego maiorem: Quia in quacumque temporis parte indiviſibile A. circuli exterioris & duplò maioris peragit partes quatuor ſpatij A. B. C. D. etiam indiviſibile A. circuli interioris & minoris pertranſit alias quatuor partes ſpatij A. B. C. D. ijs correſpondentes, quãquam minores. Cùm enim quælibet pars ſpatij, ſicut & motus, ſit diviſibilis penes alias minores & minores in infinitum, nullus numerus, nulla pluralitas eſſe poteſt partium maiorum ſpatij reſpõdentium indiviſibili A. exterioris circuli, cui aſsignari non valeat æqualis numerus partium ſpatij reſpondentium indiviſibili A. circuli exterioris, quamquam eæ duplo minores ſint, ſicut & circulus interior, quã exterior. Vnde patet non propterea fore motum vtriuſque indiviſibilis æqualiter velocem, ſed inæqualiter: quia indiviſibile A. exterius eadem tẽporis duratione peragit quatuor partes ſpatij duplo maiores alijs quatuor pertranſitis ab indiviſibili A. interioris circuli; quod ſine duplicata velocitate fieri nequit.

44 Nec præterea ſequitur diſcõtinuatio, aut diſtantia maior eà, quam vtrumque indiviſibile habebat antea: quia cum ad motum rotæ omnes circuli, omneſque illorum partes & indiviſibilia per gyrum moveantur, nulla eſt pars, nullum punctum, quod non retineat eandem correſpondentiam, quam antea habebat cum cæteris. Quantùm ad hoc enim perinde ſe habent, ac ipſum centrum indiviſibile rotæ, quod immotum ſemper in eadem proportione reſpicit omnes circulorum partes. Et quemadmodum exterior circulus gyrat adquirendo ampliores ſpatij partes, ita etiam interior ac minor circulus adquirendo minores ijs correſpondentes, ac tantò vnitiori modo correſpondentes, quo circulus minor eſt, & proximior centro.

IN LIBRVM OCTAVVM PHYSICORVM.

LIBER Hic poſtremus omnium Phyſicæ, primus eſt dignitate, & antiſtat cæteris, quantùm materia, de qua agit ſublimior eſt. Nimirum, Ariſtoteli curæ fuit, & pugnaciſsimæ contentioni adverſus alios Philoſophos ſui ævi, ac præcedentium, ſtabilire æternitatem mundi, ac motus circularis cœlorũ, abſque vllo prorſus initio. quod veluti altè infixum animo quamplurimis locis repetit. Doleo lapſum hunc, & fortè errorem intra ſphæram naturalis rationis, quem ſi declinaſſet, longè celebrior fuiſſet Vir ille Magnus, admirabilis, & ſubtilitatis humanæ prodigium. Dividam rem totam in varias diſputationes, atque in ijs nonnihil eruditionis ex Philoſophis priſcis & PP. valdè opportunum interſeram. Qui eiuſmodi litteraturam exoſam habet, dimittat eam, & ad vlteriora pergat, quibus pondere rationum differimus, potiùs quàm authoritate, ſicuti & hactenus toto ferè progreſſu Operis.

DISP. QVADR. SECVNDA.

DE INCEPTIONE MVNDI.

An Mundus extiterit ex æterno, vel ſolùm ex tempore?

Num. 1. *DISPVTATIONEM Aggredimur à priſcis ſæculis celeberrimam inter Philoſophos Ethnicos, imò & Catholicos cum Heterodoxis, quorum nonnulli aſſeruere mundum ab æterno extitiſſe, cæteris id negantibus. Difficultas non eſt circa poſsibilitatem impoſsibilitatemve exiſtendi ab æterno, de quâ diſput. ſequenti agendum; ſed de facto ipſo, an reverâ mũdus ab æterno extiterit. Oportet namque id examinare ad præſcriptum ſolius rationis naturalis, vt iuxta monitum Apoſtoli paratiſsimus reddere rationem eius, quæ in nobis eſt, fidei; & quæ magiſtra firmiſsimum nobis eſt, mundum non ab æterno, ſed in tempore à Deo conditum fuiſſe. Quod expreſsè nos docent teſtimonia illa Gen. ſ.* 1. In principio creavit Deus cœlum & terram: *ac Pſalm.* 89. *v.* 2. Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a ſæculo & vſque in ſæculum tu es. *Quibus, alijſque accedit definitio Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. qua ſtatuitur, Deum ab initio temporis condidiſſe vniverſum quòad omnia creaturarum genera, quæ ibidem ſingillatim recenſentur* cap. Firmiter, de Summa Trin. *Quare diſsidium intra ſphæram rationis naturalis erit. Habet verò locum hæc diſputatio hoc libro,* c. 1. & 2. & 3. & 8. & 9.

SECTIO PRIMA.

Mundum ab æterno extitiſſe opinione Ariſtotelis, & aliorum quorundam. Cæteros Ethnicorum Philoſophos ac Poetas, Græcos & Latinos, oppoſitum iudicaſſe. Selecta ipſorum teſtimonia.

2 A'RISTOTELES, quamquam Philoſophorũ Anteſignanus & Princeps, communiter erraſſe creditur circa præſentem controverſiam, ſtatuendo mundum ab æterno conditum: idque probare nititur ſæpe obiter, & ex profeſſo toto ferè libro hoc: ſimiliter & 1. *de Cælo, ac 2. de Generat.* & 12. *Metaph.* & omnibus locis allegandis infrà *ſect.* 4. ac denique vbicumque differit de productione mundi, eius æternitatem probare conatur. Itaque velut indubium & conſtantem vbique Ariſtotelis ſenſum exponit Alexander Aphrodiſæus, & communiter alij. Ad id vero aſſerendum inde maximè motus fuiſſe creditur, quod putaverit Deũ, non liberè, ſed ex neceſsitate naturæ mundum condidiſſe; non quidem, quaſi iudicaverit Deum intellectu & voluntate carere (oppoſitum enim perſpicuè docet *lib. 1. Metaph. c. 2.* & *lib. 12. c. 9. text. 51.* & *7. Eth. cap. 4.*) ſed quia cenſuit ipſum carentem arbitrio & electione libera ad creandum. Ita colligitur ex ijs quæ docet hoc libro *cap. 1. text. 6. 7.* & *8.* ac longè expreſſius *cap. 6. text. 52.* vbi inquit ex immobilitate & æternitate primi principij neceſſariò concludi, mundum ſemper extitiſſe. Non concluderetur autem id neceſſariò, ſi ipſum primum principium eſſet liberum & indifferens ad mundum condendum, vel non condendum, vt ex ſe patet. Quare hãc fuiſſe Ariſtotelis mentem exiſtimarunt Scotus *in Quodlib. q. 7.* Marſilius *in 1. diſtinct.* 42. & 44. Gregorius *diſt.* 42. Gabriel *diſt.* 43 *q. 1.* & ex Thomiſtis Hervæus *Quodlib. 5. q. 4.* & *tract. de Æternitate Mundi q. 4.* Ferrara *2. contra Gent. c. 23.* alijque plures. Quamquam & nonnulla ſigna veroſimilia appareant, & ſuadere videantur, cum circa plura libertatem in Deo agnoviſſe: vt *4. Topic. cap. 1.* vbi ait, Deum quædam facere poſſe, quæ tamen non fecit: & cùm, teſte Laërtio in eius Vita, inſtante iam morte, Deum oraſſe perhibetur, ac quædam religionis cauſa fieri mandaſſe in teſtamento ſuo. Impulit præterea ipſum in eam exiſtimationem, quod vix in eius Operibus appareat veſtigium aliquod creationis, ſeu productionis rerum ex puro nihilo, vt graviſſimi Authores notarunt: quia in eius mẽte altè infodit vetus illud effatum: *Ex nihilo nihil fit.* Vnde quarumlibet rerum exiſtentiam reduxit in generationem aliam & aliam abſque initio, quin tandem deveniretur ad vnam mundi creationem, ſeu productionem ex nullo ſubiecto præſuppoſito. Alij tamen contra ſentiunt. Lege Conimbricenſes *hoc lib. cap. 2. q. 2. art. 2.* & *q. 5. art. 2.* poſt D. Th. *1. p. q. 46. ar. 2.*

3 *OPINIONEM* Ariſtotelis de mundi æternitate amplexati ſunt, Proclus, Simplicius, Avicenna, & Averroes, quorum præcipua argumenta dabimus & diluemus *ſect. vlt.* Idem docuere Manichæi, & Palamitæ Græci ex parte: vt legere eſt apud Ioannem Cantacuzenum *lib. 2. Hiſtor. à cap. 39.* Nunc verò, vt appareat pleroſque Gentilium Philoſophorum oppoſitum exiſtimaſſe, & vel ex libris ſacris, vel ratione naturali aſſecutos notitiam temporalis mundi exordij, exhibebo ipſorum ſelecta teſtimonia, a paucis obſervata. Qui ſolùm ſcholaſticam diſputationem amat, & exoſum habet hoc eruditionis genus, prætermittat quæ modo adijcimus, & ad ſectiones ſequentes tranſeat.

4 *MERCVRIVS* ille, qui ob inſignem ſapientiam, & præclaras animi dotes τρισμέγιστος, ſeu *Ter Maximus* appellatus eſt, *in Pimandro* diſertè ac perſpicuè agit de creatione mundi, tamquam aliquando cœperit. Id ipſum teſtantur duo antiquiſsimi Græcorum Poetæ, Linus, & Orpheus eius diſcipulus. Prior quidem libro ſpeciali *de Creatione Mundi*, vbi inter alia cecinit:

> Ἦν ποτέ σοι χρόνος οὗτος ἐν ᾧ ἅμα πάντ' ἐπεφύκει.
>
> *Erat tempus illud, in quo hæc omnia nata ſunt.*

Poſterior verò *in Argonaut.* de Iove, ſive ſummo Deo, præter plura alia, accinit:

> Πάντα τά δε κρύψας αὖθις φάος ἐς πολυγηθὲς
> Μέλλεν ἀπὸ κραδίης προφέρειν πολυθέσκελα ῥέζων.
>
> *Cuncta hæc abſcondebat, quæ in iucundam lucem*
> *Prolaturus erat ex pectore mira faciens.*

Quod verò prior illorum ſubdit, videtur ex Moyſi libris, aut traditione, mutuaſſe:

> Ἑβδομάτῃ δή οἱ τετελεσμένα πάντα τέτυκται.
>
> *Septimo verò die cuncta opera perfecta ſunt.*

5 Exinde quoque hauſiſſe ſuam exiſtimationem videntur Heſiodus *in Theogonia*, vbi ſæpe ait mundum ex Chao fuiſſe productum; & Euripides, vbi accinit:

Ὡς οὐρανός τε, γαῖά τε ἦν μορφὴ μία,
Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
Τίκτουσι πάντα κἀνέδωκαν εἰς φάος,
Δένδρα, πτηνά, θῆρες, οὕς τε ἅλμη τρέφει,
Γένος τε θνητῶν.
Cælum, terraque vnius formæ fuit.
Vbi autem ſecreta fuerunt ab invicem,
Pariunt omnia, & ediderunt in lucem,
Arbores, volucres, feras, quoſque alit mare,
Genuſque hominum.

Expreſsiùs adhuc Aratus *in Phænomenis* ex cap. 1. Geneſeos mutuaſſe cernitur illud:

τὰ δὲ σήματα ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν,
Ἄστρα διακρίνας· ἐσκέψατο δ' εἰς ἐνιαυτὸν
Ἀστέρας, οἵ κε μάλιστα τετυγμένα σημαίνοιεν
Ἀνδράσιν ὡράων, ὄφρ' ἔμπεδα πάντα φύωνται.
ſigna autem in cælo collocavit,
Aſtraque diſtinxit, inque annum providit
Stellas, quæ maximè ratas ſignificarent
Tempeſtates anni hominibus, vt omnia rectè germinent.

6 Idem quoque ex Latinis Poetis expreſsit Lucretius, & ipſe inſignis Philoſophus, Ariſtotelique addictiſsimus lib. 5. *de Natura rerum*: vbi poſt plura alia eâ de re ita arguit à poſteriori:

Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cæli, ſemperque æterna fuere;
Cur ſupra bellū Thebanū, & funera Troiæ,
Non alias alij quoque res cecinere Poetæ?
Quò tot facta virū toties cecidere? nec vſquā
Æternis famæ monumentis inſita florent?

Quod & confirmat Virgilius *Ecloga 6. v. 31.* vbi introducit Silenum dulciſsimè canentem mundi primordia, ijs præſertim verſibus:

Namque canebat, vti magnum per inane coacta
Semina, terrarumque, animæque, mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: vt his exordia primis
Omnia, & ipſe TENER mundi concreverit ORBIS.

Vbi orbem recèns conditum, appellat *tenerum*, ſeu recens natum: quemadmodum & *infantem* Philo Iudæus verſans hanc ipſam difficultatem, dum ait: *εἰ γέγονεν ὁ κόσμος, ἦν μὲν παῖς, (ἵνα κἀγὼ χρήσωμαι τοῖς ἡλικιῶν ὀνόμασι) κομιδῇ νήπιος. Si mundus eſt cònatus, fuit aliquando (vtar ætatum nominibus) admodum infans.* Sunt & adnotanda vlteriora Virgilij carmina, quibus indicatur veſtigium aliquod ipſius mundi geneſis, prout habetur in ſacris litteris. Idem ferè habet Ovidius *lib. 1. Metamorph. & lib. 11. de Arte amandi*, & Apollonius *initio ferè Argonaut.* pluresque alij.

7 *DE* Platone verò, quamquam aliqui velint, idem ipſum ac Ariſtotelem exiſtimaſſe; certum eſt oppoſitum docuiſſe. Quod disertè de illo teſtatur Plutarchus *lib. de dogm. Philoſophorum*, illis præcipuè verbis: *Quidam Platonis alioquin ſtudioſi, torquent omnibus modis eius verba, vt creationem mundi & animæ negare, temporiſque æternitatem aſſeverare videatur. At videant ne egregiam illam deorum adverſus impios orationem ei hâc ratione tollant, quâ nihil Platone dignius, aut Platonicum magis. Quid autem vno aut altero loco prolato opus eſt; cùm Timæus creationem mundi disertè & de induſtria exponat?* Vbi iam non opus eſt accumulare Platonis loca, ſed conſulere vtrumque à Plutarcho allegatum, vbi mundum ex tempore, non autem ex æterno creatum, & aſſerit & probat. Plus addit Macrobius *libr. 1.* Saturnalium, inquiens: *Mundus non poteſt non novus admodum eſſe, cuius cognitio bis mille annos non excedat.* Plotinus *Ænneadis 11. lib. 1. cap. 1.* ſolam diuturnitatem aſsignat cælo, imò & toti Vniverſo, negans illi veram æternitatem. Ait namque inter alia, *in eo tantùm præſtare cælum terræ, quòd diutiùs duret, & tardiùs pereat. Certè ſi ita acceperimus hanc vocem ÆTERNVM, ſeu SEMPITERNVM, tum in Vniverſo, tum in partibus, vt non æternitatem ſignificet, ſed diuturnitatis differentiam tantùm, minùs ambiguitatis in re erit.*

8 Et vt oſtenderet, tam mundi creationem, quàm conſervationem, liberam Deo eſſe, atque ab ipſius arbitrio pendentem (cuius oppoſitum cenſuiſſe Ariſtotelem, ſuprà *numer. 2* indicavimus) ſubdit immediatè: *Tolletur verò* (ſcilicet, ambiguitas) *omnino, ſi voluntatem Dei ad continendum mundum per ſe ſufficere dicamus. Sicuti enim ei viſum fuerit, alia ſecundùm individua, alia ſecundùm ſpecies, mero arbitrio ſuo perpetua fecerit.* Quod ipſum & idem Plutarchus nuper allegatus luculenter edixerit in Pſychogonia, vbi ita ratiocinatur contra aſſerentes, Deum ex ne-

neceſsitate naturæ omnia creaſſe: *Si Deus omnia non facit, à quibuſdam rebus cogitur, & omnium dominus non eſt. Deum autem omnium dominum arbitrari oportet. Ergo & ſingulorum creatorem.* Qui autem operatur cum dominio, vtique non, niſi liberè, operatur. Idem indicat Cicero *lib. 1. de Inv.* dum ait: *Non temerè, nec fortuitò nati ſumus & creati: ſed profectò fuit quædam vis, quæ generi conſuleret humano; nec id gigneret, aut aleret, quod cùm exantlaſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum.* At verò ſummam & perfectiſsimam Dei libertatem, qua potuerit creare, aut non creare mundum, vel quando & quomodo voluerit intra metas temporis, infrà demonſtrabimus; vt corruente fundamento falſæ & erroneæ exiſtimationis, illa etiam omnino corruat.

9 *PORRO* eos Philoſophos, qui mundum ab æterno creatum poſuerunt, negaſſe Deo liberum arbitrium, & ſolum conceſsiſſe vires tantæ molis operatrices, præter plura alia conſtat ex Baſilio Magno, *Homilia 1. in Hexaëmeron*, vbi redarguit veteres Philoſophos, quòd aſſererent mundum à Deo quidem proceſsiſſe, ſed ex æterno & neceſſario, ſicut à corpore vmbram, vel ſplendorem à Sole. Verba ſunt: αἴτιον μὲν αὐτῷ ὁμολογοῦσι τὸν θεόν, αἴτιον δὲ ἀπροαιρέτως, ὡς τῆς σκιᾶς τὸ σῶμα, καὶ τῆς λαμπηδόνος τὸ αὐγάζον. *Cauſam quidem eius* (mundi) *fatentur Deum: cauſam vero ſine electione: qualiter corpus* (cauſa eſt) *vmbræ, & lux ſplendoris.* Et Ambroſius mutuatus ab eodem Baſilio verbis *libr. 1. Hexaem.* de iiſdem Philoſophis ait: *Quamvis cauſam eius Deum eſſe fateantur; cauſam tamen volunt, non ex voluntate & diſpoſitione ſua: ſed ita vt cauſa vmbræ corpus eſt.* Verùm de iis ſatis, vt iam ad ipſam diſputationem ſeverius inſtituendam accedamus.

SECTIO SECVNDA.

Refelluntur rationibus quotquot putarunt mundum ex æternitate conditum, & præcluduntur euaſiones multipliciter.

10 QVONIAM fertur Ariſtotelem legiſſe librum Geneſeos, vbi diſertè traditur temporalis mundi inceptio, eiuſque authoritatem nudam, & ratione demonſtrativa carentem ſpreviſſe, vti & plures alij Gentilium Philoſophorum, elato illo mentis ſupercilio, quo ſimplicem doctrinam, quamvis ſacram, aſpernabantur; ideo & ratione naturali probanda eſt Catholica veritas ſub hac forma argumenti. Mundus, vt ad ſenſum patet, & iidē Philoſophi experti ſunt, & ſcriptis ſuis tradiderunt, importat viciſsitudinem generationum. Sed viciſsitudo generationum non fuit ab æterno. Ergo nec mundus. Maior & conſequentia patent. Minor oſtenditur manifeſtè: Quia viciſsitudo generationum importat generationes antecedentes & ſubſequentes. Ex his vero, ſubſequentes, non fuerunt ab æterno, quia aliquid prius duratione præſuppoſitum eſt ad illas; nihil autē priùs duratione præſupponi poteſt alicui rei ab æterno exiſtenti. Aliunde vero nec generationes antecedētes potuerunt eſſe ab æterno. Nam ſi ab æterno eſſent aliquæ generationes antecedentes, inter illas & ſubſequentes deberet interiacere tempus infinitum à parte antè; ſicut in vniverſum, inter quamlibet rem exiſtentem ab æterno, & aliam in tempore productam, mediat ſpatium temporis, ſeu durationis infinitæ. Sic enim debuiſſet toto eo tempore infinito, ſeu duratione interiecta, nulla addi generatio, ac proinde nec corruptio, manentibus cauſis ab æterno creatis in ſtatu immobili, abſque vlla viciſsitudine generationum: quod planè eſt contra fluxam variationem & immutabilitatem, quam in hoc mundo experimur. Ergo viciſsitudo generationum non fuit ab æterno.

11 *CONFIRMATVR* dilemmate hoc. Vel cauſæ ab æterno creatæ fuiſſent in exercitio actuali producendi ſua effecta, vel non. Si primum: Ergo exercitium actuale producendi effecta, ſeu generandi, fuit æternum, ac proinde non inſtantaneum, nec durans vnico inſtanti, hora, die, menſe, aut anno, ſed infinita duratione, ſaltem a parte antè: quia quod ab æterno exiſtit, non durat vnico inſtanti, hora, die, menſe, aut annò, vel ſæculo; ſed infinito tempore verò, aut imaginario, ſaltem a parte antè. Vnde fit neceſſariò, vt generatio hominis, equi, aut ignis. v. g. quæ ex ſe inſtantanea eſt, aut ſaltem breviſsimæ durationis, iuxta eundem Philoſophum, omneſque alios, perſtitiſſet immota, & exiſtens infinito tempore contra ſuam naturā quod abſurdiſsimum eſt, ſaltem loquendo de facto, & iuxta curſum huius mundi connaturalem, ex quo proceſsit Ariſtoteles ad æternitatem mundi ſtatuendā: Si autem dicatur ſecundum: Ergo exercitium actuale

producendi in cauſis ab æterno creatis non fuit æternum, ſed cœpit poſt tranſactam infinitam durationem temporis ab ipſarũ creatione: quia Inter id quod æternum eſt à parte ante, & id quod æternum non eſt a parte ante, mediare debet duratio infinita temporis veri, aut imaginarij. Ergo oportuiſſet cauſas ab æterno productas perſiſtere tota eâ duratione abſque exercitio producendi, ſeu generandi: quod plano eſt contrà aſsiduam viciſsitudinem generationum, quam in mundo experimur, & ab æterno ſtatuere voluit idem Philoſophus. De hoc redibit ſermo *diſp.* 44.

13 *SECVNDA* Ratio ſit ab everſione fundamenti, quo potiſsimum ductus fuiſſe exiſtimatur Philoſophus, ſtatuēs Deũ operari ad extrà, non liberè, ſed ex neceſsitate naturæ; ac proinde non potuiſſe vnquã cohibere ſuam virtutem productivam, ſed neceſſariò naturæ impulſu ab æterno eam exercuiſſe in productione Vniverſi. At Deus operatur ad extra omnino liberè, & non ex neceſsitate naturæ. Ergo perperam, & ex falſo fundamento aſſeritur produxiſſe mũdum ab æterno. Probatur minor. Deus eſt ens a ſe, ac proinde ſummè neceſſarium in exiſtendo, vt omnes Philoſophi ſtatuunt, & ratio naturalis cuique ſtatim proponit in prima Dei notione. Ergo non exiſtente quolibet alio, quod non ſit Deus, adhuc ipſe exiſteret; ac proinde quanquã nihil aliud extra ſe produceret, adhuc permaneret Deus. Ergo nihil extra ſe producit neceſſariò, ſed liberè. Patet conſequentia: Quia ſi produceret aliquid extra ſe neceſſariò, haberet cum eo connexionem neceſſariam, qualiter vniverſim illam habet cauſa neceſſaria cum effectu ſuo: ac propterea ſi illud non produceret, nullatenus permaneret Deus: cuius oppoſitum evidenti ratione probatum eſt.

14 *DICES*: Ignis eſt cauſa neceſſariò omnino alterius ignis. Et tamen licèt de facto nullum ignem producat, adhuc permanet in ſuo eſſe. Ergo ſtat optimè cauſam neceſſariam permanere in ſuo eſſe, quamvis effectum non producat. Ergo quãvis Deus aſſeratur cauſa mundi omnino neceſſaria, adhuc perſiſteret in ſuo eſſe, caſu quo mundum non produceret.

15 *SED Contrà I.* Si ignis ex ſe eſſet cauſa neceſſario illativa omnium quæ requiruntur ad generationem alterius ignis, vt applicationis debitæ ad paſſum, diſpoſitioniſque requiſitæ in illo, ita vt a nulla causa potentiori impediri poſſet; neceſſariam connexionem haberet cum exiſtētia alterius ignis, ita vt, eo non producto, nullatenus in ſuo eſſe permaneret. Et ratio a priori eſt: quia quoties vnum connectitur neceſſariò cum altero, illius exiſtentia neceſſario connectitur cum exiſtētia alterius, vt ex terminis notum eſt: ac proinde deficiente illius exiſtentia, deſinit in ſe ipſo exiſtere, ſaltem naturaliter, ſi connexio ſolùm conaturalis ſit, aut etiam eſſentialiter, ſi connexio ſit eſſentialis. At Deus iuxta Ariſtotelem eſt cauſa neceſſario illativa omnium, quæ requiruntur ad productionē mundi, & a nulla causa potentiori impediri poteſt, vt ex ſe patet. Ergo habet ita neceſſariam connexionem cum productione mundi, vt, eo non producto, nullatenus in ſuo eſſe permaneret. quo planè evertitur ſumma illa neceſsitas exiſtendi, quam omnes ſtatim in Deo apprehendunt, vt primã & propriam ipſius notionem, prout ab omnibus creaturis differt.

16 *Contrà II.* Exercitium producendi mundum, neceſſariam, imo & eſſentialem connexionem habet cum exiſtentia mundi: quia nec mente quidem percipi poteſt exercita & actualis productio alicuius effectus, quin intelligatur effectum recipere exiſtentiam mediante actuali productione ſui. Ergo ſi Deus neceſſariam connexionem habet cũ exercitio actuali productionis mundi, etiam illam habet cum exiſtentiâ mundi: quia repugnat aliquid cõnecti neceſſario cum vno extremo, quin etiam connectatur cum omni eo, quod eſſentialiter cum eodem extremo connectitur. Ergo deficiente mundi exiſtentia, deficeret Deus, ſicut vniverſim deficiente extremo connexionis neceſſariæ, deficit alterum extremum cum eo connexum. *Contrà III.* & retorquetur inſtantia. Si ignis haberet neceſſariam omnino connexionem cum productione actuali & exercita alterius ignis, non exiſtente illo, deſineret exiſtere in ſe. Ergo ſi Deus haberet neceſſariã connexionem cum productione actuali & exercita mundi, non poſita illã deſineret exiſtere in ſe. Hoc autem eſt contra ſummã neceſsitatem exiſtendi independenter ab omni alio, quam ratio ipſa naturalis ſtatim & abſque vllo diſcurſu in Deo agnoſcit. Ergo contra eamdem eſt aſſerere in Deo connexionem neceſſariam cum aliquo extra ſe, ac proinde & dicere ipſum eſſe cauſam mundi neceſſariam.

17 *CONFIRMATVR I.* ratio præcipua. Hoc enim ipſo, quòd Deus ſit ens ſummè neceſſarium & a ſe, continetur in ipſius eſſentia omnis ratio boni abſque vlla limi-

limitatione; cùm careat omni limitativo, tam intrinſeco, quam extrinſeco. Ergo hoc ipſo voluntas Dei ſatiatur & expletur in amore & fruitione ſuæ infinitæ bonitatis. Ergo non neceſsitatur ad amãdum aliquid extra ſe, ac proinde neque ad producendũ aliquid extra ſe: ſed æquè bene beat⁹ ac ſũmè felix exiſteret non producendo, ac producendo hoc Vniverſum. Ergo quod illum de facto produceret, non proceſsit ex neceſſario ſuæ voluntatis, aut naturæ impetu, vt Ariſtoteles cenſuit; ſed ſolum ex libera ipſius determinatione, quà potuit decernere illius exiſtentiam in tempore, & non ab æterno.

18 *CONFIRM. II.* Voluntas enim neceſſario quidem vult ſuum vltimũ finem: ea vero quæ ſunt ad finem non neceſſario vult, ſi ad ipſius aſſecutionem non ſint neceſſaria. At finis vltimus voluntatis divinæ, ſola eſt ipſius bonitas ſũma, ad quã amandam & fruendam neceſſaria non eſt mundi exiſtentia. Ergo voluntas divina ſolùm amat neceſſario ſuam bonitatem ſummam, non vero mundi exiſtentiam. Ergo indifferens fuit ab æterno, vt amaret, vel non amaret exiſtentiam mundi. Alias enim probaretur exiſtentiam creaturarum neceſſariam fuiſſe, vt voluntas divina ſuum vltimum finem aſſequeretur; ac proinde oportuiſſe quærere aliquid extra ſe, vt ſũmam felicitatem haberet. quod planè, vt indignum Deo appareat, nulla opus eſt fide, nec Scripturæ oraculis, in quibus habetur, *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*: ſed ſufficit naturalis ratio, & vnicuique inſitum lumen de ſuprema Numinis excellentia.

19 *CONFIRM. III.* Omnes homines naturaliter expetunt beatitudinẽ, & nemo vult ſe miſerum eſſe; quia in beatitudine apprehendunt id, in quo omnis ratio boni & appetibilis continetur, & à quo omnis ratio mali excluditur: id vero quod eiuſmodi eſt, nequit fugere, aut nolle voluntas; cum eius obiectum ſit bonum, ſub ratione boni: ac propterea ſuam beatitudinem neceſſario amat. Alia vero in quibus, aut non invenit omnem rationem boni, aut invenit rationem mali, poteſt nolle, fugere, aut averſari. Cum ergo Deus in ſola fruitione ſuæ eſſentiæ habeat omnem rationem boni, abſque vlla admixtione malitiæ contrà vero in creaturis videat non eſſe omnem rationem boni, ſed ſcintillas tãtùm & participationes exiguas ſuæ bonitatis, deficientes à conſummata perfectione boni, & ſæpe admixtas alicui malo; conſequens eſt, vt ſolam ſuam bonitatem neceſſariò amet; creaturas verò non niſi liberè, & per exuberantiam quandam ſuæ bonitatis ac dilectionis.

20 *CONFIRM. IV.* Hoc ipſo quod Deus ſit ens a ſe, eius virtus activa eſt infinita, cum ex ratione entis à ſe repugnet limitatio ab aliqua causà, ſive intrinſecà, ſive extrinſecà, vt rationibus naturalibus demonſtratur à Theologis cum D. Tho. 1. *p. q.* 3. 4. 7. 8. 9. *ac* 10. inſuperque à Philoſophis cum eodem Ariſtotele *lib.* 12. *Metaphyſicæ, textu* 30. Ergo hoc ipſo Deus non operatur ad extra neceſſario, ſed liberè. Probatur conſequentia: Quidquid enim operatur neceſſario, operatur quantum poteſt, & nullum modum imponendo ſuæ virtuti activæ: in quo diſtinguitur ab agente libero, ſub cuius arbitrio eſt moderari vires activas, & cohibere illas ab operando ſecundũ totum conatum, quem exhibere poſſent. At Deus per virtutem ſuam infinitè activã non operatur quantum poteſt. Ergo non operatur ad extra neceſſariò, ſed liberè. Probatur maior. Si enim Deus per infinitã ſuam virtutem activam operaretur quantùm poteſt; innumera alia operaretur, præter ea, quæ modò operatur. Cùm enim abſolutè poſsit infinita ſuà virtute producere plures Orbes terrarum, plures cœlos, Soles, & Lunas, plures item homines, & bruta, vt nemo, niſi amens, negare valet, & notio virtutis infinitæ in operando exigit; omnia illa, & innumera alia de facto produceret, ſi operaretur quantum poteſt. Cùm ergo de facto neque omnia illa, neque innumera alia operetur, quæ tamen ſine dubio facere poteſt, manifeſtè colligitur Deum virtute ſuà infinita non operari neceſſariò ad extrà, ſed liberè, & magis, vel minus iuxta ſuæ voluntatis propoſitum.

SECTIO TERTIA.

Probatio alia ex retorſione vnius ex præcipuis argumentis, quibus Ariſtoteles probat æternitatem mundi.

21 VLTIMO Probari poteſt veritas Catholica evertendo alterum fundamentum, in quo [illegible] Ariſtoteles: nimirum creationem, ſeu productionem rei ex nihilo eſſe impoſſibilem, quia ex nihilo puro nihil fit; ac proinde nihil poſſe facere Deum, niſi ex præſuppoſito ſubiecto. Ergo ad quamlibet rerum productionem, etiam primam, quam nos aſsignamus, debet præſuppoſi ſubiectum

ſiue

ſive materia, & quidem ſub alia formâ ab ea, quæ de novo producitur. Et rurſus ſi altius repetatur productio eius formæ, atque alterius, & alterius in infinitum à parte antè, ſemper debet præſupponi ſubiectum ex quo talis forma producatur: proindeque evidenter colligitur materiam primam extitiſſe ab æterno. Hoc, inquam, diſcurſu æternitatem mundi probat Ariſtoteles, præſertim *lib. 1. Phyſic. cap. 8. textu* 33. 34. *&* 75. *&* 82. *&* 7. *Met. textu* 22. Reijcitur tamen manifeſtè, & oſtenditur poſſibilē eſſe creationem, ſeu productionem entis ex nihilo: ac proinde poſſe in tempore creari, tum materiam, tum formam, tum & compoſitum, præſupponens, non ſubiectum aliquod prius tempore, ſed puram, ac meram negationem ſui. Porro aſſumptum evincitur ſic. Virtus Dei activa eſt infinita, & actus purus, ſicut & ſubſtantia Dei, vt ipſe Philoſophus docet *lib. 12. Metaph. textu* 30. & demonſtrativè convincitur ex ratione entis à ſe, omnem limitationem excludēte in eſſe & operari. Ergo virtus *Dei* activa in operādo non dependet à materia; quippe quam omnino à ſe excludit in ratione puri actus operativi. Ergo poteſt producere materiam primā ex puro nihilo, & quin alia materia præſupponatur; ac proinde & creare illam in tempore.

22 *DICES I.* Virtus activa, quâ Deus cauſat actus noſtros vitales, etiam eſt infinita, ac purus actus. Et tamen non ideò poteſt producere actus noſtros vitales, ſed ſolùm dependenter à ſubiecto vivente præſuppoſito, vt communis ſententia fert. Ergo ex eo quòd virtùs activa Dei ſit infinita, & actus purus, etiam iuxta mentem Philoſophi, non colligitur poſſe producere aliquid independēter a ſubiecto præſuppoſito.

23 *SED Contrà I.* Ideò virtus divina, licèt ſit infinita, & actus purus, nequit producere actus noſtros vitales, niſi dependenter à ſubiecto vivente præſuppoſito, quia actus vitales eſſentialiter dicunt ordinem ad principium intrinſecum ſe movens per illos, vt patet ex definitione vitæ ab ipſo Philoſopho tradita. At è converſo materia prima iuxta eundem Philoſophum nō dicit, neque dicere poteſt ordinem ad aliud ſubiectum ex quo fiat: cum ab illo definiatur, *primum ſubiectum, ex quo aliquid fit*; primum verò in vnoquoque genere nequeat aliud præſupponere. Ergo è converſo, virtus activa Dei, quia infinita eſt, & actus purus, poterit materiam primam producere independenter à præſuppoſito ſubiecto.

24 *Contrà II.* Materia prima iuxta eundem Philoſophum eſt entitas imperfectiſsima, & pura potentia: aut permiſſo illā habere aliquam actualitatem ex ſe, vt in omni ſententiâ loquamur, non eſt actus purus, nec ens à ſe, ſed creatura, & ens ab alio. Ergo eſt aliquid a Deo factum: ac proinde vel dependenter, vel independenter à præſuppoſito ſubiecto. Inter hæc enim duo nō eſt aſsignare medium, cùm opponātur contradictoriè. At non eſt facta dependenter à præſuppoſito ſubiecto; cùm nullum aliud ſubiectum ad materiam primam præſupponatur, vt nuper ex eodem Philoſopho demonſtravimus. Ergo facta eſt à Deo independenter à ſubiecto præſuppoſito. *Contrà III.* Materia prima, vt idem Philoſophus tradit locis allegatis, eſt ingenerabilis, & ineducibilis; quod item demonſtrativè à pluribus alijs oſtenditur in librum 1. Phyſic. Ergo ſolùm per creationem produci potuit à Deo. Sēd creatio eſt productio rei independenter à præſuppoſito ſubiecto, prout diſtincta à generatione, ſive eductione. Ergo materia independenter ab omni ſubiecto præſupoſito producta eſt. Nihil ergo prohibet vt ab initio tēporis crearet Deus materiam, quando nulla entitas, nullumque ſubiectum præſupponebatur.

25 *DICES II.* Argumento facto probari quidem, materiam fuiſſe creatam, prout creatio importat productionem rei ex nullo præſuppoſito ſubiecto; non vero vt à Catholicis Philoſophis aſſeritur importare productionem rei ex puro nihilo, quod erat neceſſarium ad probandum materiam primam non extitiſſe ab æterno. Hæc enim duo diverſa ſunt, & ſtāre poteſt aliquid produci a Deo independenter à præſuppoſito ſubiecto, ac per conſequens creari, & tamē non fieri ex puro nihilo præſuppoſito. Plures enim è Schola Catholica tuētur potuiſſe mundum ab æterno creari, & tamen negant eo caſu producendum iri ex puro nihilo. Nam ſi ex puro nihilo produceretur, iam purum non eſſe mundi præcederet mundi exiſtentiam, ac proinde hæc non eſſet ab æterno; cuius oppoſitum ipſi ſtatuūt. Probari ergo debet contra Ariſtotelem, materiam primam fuiſſe factam ex puro nihilo, aut potuiſſe fieri ſic, vt demonſtretur contra ipſum non fuiſſe mundum ab æterno.

26 *HÆC* Evaſio difficilior impugnatu eſt. *SED Contrà I.* E[illegible] opinione docente potuiſſe abſolutè mundum produci ab æterno ex nullo ſubiecto præſuppoſito, quin fieret ex puro nihilo præcedente; adhuc evidens eſt materiam

pri-

primam per ſe loquendo eſſe ſubiectam puro nihilo, tam à parte ante, quàm à parte poſt. Ergo evidens eſt materiam primam ex ſe poſſe produci à Deo ex puro nihilo à parte antè, & ſimiliter redigi in nihilum à parte poſt. Antecedens probo inſtaurando principium illud ſuprà indicatum, ac lumine naturæ notum, quod materia non ſit ens à ſe, ac proinde ex ſe nõ habeat neceſſitatem omnimodam exiſtendi, ſed potiùs indifferens ſit, vt exiſtat, vel non exiſtat; vt ſit poſſibilis, vel futura, præſens, aut præterita. Solus quippe Deus indifferens non eſt ad eam viciſſitudinem ſtatuum, quia ſolus eſt ens à ſe, ac proinde habens ſummam neceſſitatem exiſtendi. Ergo etſi materia per accidens poſſet nunquam fuiſſe, aut futura eſſe, ſub nihilo actuali, tamen per ſe non excludit eſſe ſub puro nihilo à parte antè in ſtatu meræ poſſibilitatis, aut à parte poſt in ſtatu puræ præteritionis. Alias haberet omnimodam neceſſitatem exiſtendi, propriam entis à ſe. At repugnat potentia paſſiva ex parte materiæ, vt ſit ſub nihilo actuali à parte ante & à parte poſt, quin detur agens aliquod potens illam reducere de puro nihilo in aliquid, & de aliquo in purũ nihil, vt de ſe patet, & conſtat ex doctrinâ eiuſdem Philoſophi, quâ aſſeritur omni potentiæ paſſivæ reſpondere aliquod agens, quod illam poſſit reducere in actum. Ergo de primo ad vltimum evidens eſt materiã ab aliquo agente, ac proinde à Deo poſſe reduci ex puro nihilo in aliquid, & ab aliquo in purum nihil. Evidens igitur eſt potuiſſe materiam, ac proinde & mundum fieri à Deo ex puro nihilo: ideoque neceſſarium non eſſe, vt extiterit ab æterno.

27 *CONTRA II.* Evidens eſt materiam primam ab intrinſeco nõ eſſe æternam à parte ante, & à parte poſt. Ergo evidens eſt illi ab intrinſeco non repugnare fieri ex puro nihilo à parte antè, & redigi in nihilum à parte poſt. Conſequentia eſt manifeſta, vt propterea probatione non egeat. Antecedens probatur. Evidens eſt materiam primam ſummè potentialem, & contrapoſitam Deo actui puro, non habere ab intrinſeco perfectionem aliquam verè divinam, & Dei ipſius propriam. Alias materia prima eſſet Deus, tranſiretque de extremo ad extremum ſibi contrapoſitum & infinitè diſtans. Sed eſſe æternum ab intrinſeco, tam à parte antè, quam à parte poſt, eſt perfectio aliqua verè divina, & Dei ipſius propria. Ergo evidens eſt materiam primam ab intrinſeco non eſſe æternam à parte antè, & à parte poſt. Minor, præterquam communi omnium ſenſu, & primâ terminorum apprehenſione innoteſcit, demonſtratur ſic. Eſſe æternum ab intrinſeco tam à parte antè, quam à parte poſt, eſt perfectio propria rei habentis ab intrinſeco omnimodam neceſſitatem exiſtendi. Sed habere ab intrinſeco omnimodam neceſſitatem exiſtendi, eſt propria perfectio ſolius Dei. Ergo eſſe æternum ab intrinſeco, tam à parte antè, quam à parte poſt, eſt perfectio aliqua propria ſolius Dei. Maior apertiſſima eſt. Minor probatur. Habere ab intrinſeco omnimodam neceſſitatem exiſtendi, eſt propria perfectio entis ab intrinſeco independentis ab omni alio ad exiſtendum, ac proinde exiſtentis immutabiliter à ſe. Sed eſſe ens ab intrinſeco independens ab omni alio in exiſtendo, ac proinde exiſtens immutabiliter à ſe ipſo, eſt propria perfectio ſolius Dei, vt ferè ad ſenſum patet. Ergo habere ab intrinſeco omnimodam neceſſitatem exiſtendi, eſt propria perfectio ſolius Dei.

28 *CONTRA III.* Anima enim rationalis iuxta eundem Philoſophum *lib. 1. de Anima textu 12. & 13. & lib. 3. textu 7.* à corpore ſeparari poteſt. Vnde ipſe, & Peripatetici omnes concludunt, animam rationalem immortalem & incorruptibilẽ eſſe præ animabus brutorum, quarum corruptibilitas colligitur ex inſeparabilitate ipſarum à corpore. Eandemque ſeparabilitatem & incorruptibilitatem à corpore tribuit intellectui humano *ibidem*. Ex quibus ſic tandem ſolutionem datam impugno, & ad hominem argumentor. Anima rationalis hominis geniti hac die v.g. ex puro nihilo facta eſt. Ergo non repugnat aliquid à Deo fieri ex puro nihilo, ac propterea nec materiam primam, nec mundum ex nihilo puro fuiſſe productum. Conſequentia eſt evidens ab everſione fundamenti Ariſtotelis. Antecedens probo. Anima rationalis, eſt iuxta ipſum incorruptibilis, & independens in ſuo eſſe à materia, ideoque ab ea ſeparatur. Ergo & ingenerabilis & independens in fieri à materia. Nam omne quod eſt incapax corruptionis, eſt etiam incapax generationis eductivæ, & quidquid eſt independens ab alio in eſſe, eſt etiam ab illo independens in fieri. Ergo anima rationalis hominis geniti hodierna die, non fuit genita, nec producta dependenter à materia in fieri. Ergo cum aliunde æterna nõ ſit, ſolùm ſupereſt vt hodie ex puro nihilo fuerit facta. Probatur conſequentia. Hoc enim ipſo quod nec genita fuerit, nec educta ex aliquo præſuppoſito, neceſſario produci debet

ex

ex nihilo hodiernà die: cum inter nihil & aliquid non poſsit aſsignari medium. Ergo anima rationalis hominis geniti hodierna die, incepit eſſe primùm in rerum naturà ex puro nihilo: & conſequenter potuit materia prima eodem modo incipere, ac proinde non ab æterno; quia quod ab æterno eſt, nunquam incepit.

29 Vnde non apparet quomodo Ariſtoteles excuſari valeat a manifeſto inconſequentiæ lapſu, dum ex vnò capite aſſerit cum priſcis Philoſophis ex nihilo nihil fieri à naturà, conſequenterque nec à Deo; propterea que ait materiam primam debuiſſe exiſtere ab æterno, ne vnquam ex puro nihilo produceretur; aliũde verò tradit rationalem animam independentẽ eſſe à materia in exiſtendo & operãdo. Hinc enim manifeſtè deducitur animas rationales in tempore productas, non educi ex materià, neque dependenter ab illa, ſed ex puro nihilo fieri à Deo. Quo planè evertitur prius illud ſuppoſitum, vt de ſe patet. Niſi fortè quis ſuſpicetur ipſum cenſuiſſe animas hominum in tempore naſcentium, æternas fuiſſe, ſicut & materiam, qua conſtant. At prætenquamquod id aſſerere eſſet manifeſtum delirium, omni fundamento carens, efficaciter reijci poſſet, inquirendo vbi primum extiterint ab æterno rationales animæ? quomodo per durationem infinitã à parte antè fuerint in ſtatu præternaturali extra vnionem à corpore? vnde, vel à priori & per cauſam, vel à poſteriori, & per effecta, conſtiterit de illarum exiſtentia? Nam iuxta Ariſtòtelem nihil rectè, dicitur, niſi probetur.

30 *VLTERIVS* præcluditur argumento illo communiter propoſito adverſus Pythagoricos de animarum rationalium tranſmigratione in varia corpora, de quo plura dedimus *tom. 1. Theologiæ Florulentæ Lud. 1. excurſu* 10. *ſect.* 3. Si enim anima quæ hodie eſt in vno corpore, antea fuiſſet in alio; profectò recordaretur hodie horum quæ in alio corpore cogitavit, vel egit. Cùm ergo nullius hominis anima, dum in illo eſt, recordetur cogitationum, aut operum vnquam à ſe factorum in alio corpore; manifeſtè colligitur, illam nunquam in alio corpore fuiſſe. Similiter arguendum in præſenti. Si anima cuiuslibet hominis extitiſſet ab æterno, & antea quã ipſius corpori coniungeretur; profectò dũ in corpore eſt, memoriam haberet aliquam eorum, quæ geſsit extra corpus. Neque enim putandum, animas ab æterno exiſtẽtes, & à corporeis impedimentis liberas, fatuo quodam modo vitam traducere, & ſine exercitio nobiliſsimarum potentiarũ, quibus præditæ ſunt. At nemò vnquam recordatur eorum, quæ ipſius anima cogitaverit, geſſeritve extra corpus ab æterno. Ideo ergo eſt quia nullius hominis anima extitit ab æterno. Plura alia cõſultò omittimus ad eamdem veritatem Catholicam multipliciter extorquendã. Præiactis enim ſatis ſuperque probata eſt.

31 *DENIQVE* Argumentum aliud efficaciſsimum ad hominem ex doctrinà eiuſdem Philoſophi negantis infinitum in actu, inſtitui poteſt. Suppoſità enim ſerie generationis humanæ ab æterno, vt ipſe ſtatuit, ſicut & ſpiritualitate atque immortalitate perpetuà animarum rationaliũ quam docet locis ſupra indicatis; ſequitur planè hodie, & tempore eiuſdem Ariſtotelis futuras fuiſſe ſimul animas rationales actu infinitas; ſcilicet, totidem ac præceſsiſſent generationes continuàta ſerie per infinitam durationem; quæque ſi ſimul exiſterent, ſicut animæ hominum, planè eſſent actu infinitæ. Verùm de hoc ipſo in ſimili redibit ſermo *diſp.* 44. *à num.* 16.

SECTIO QVARTA.

Varia argumenta Ariſtotelis pro æternitate mundi obijciuntur, & enervantur, aut etiam retorquentur, præcipuè ex doctrinà ipſius.

32. OBIICIES ex Philoſopho *lib.* 8. *Phyſic. textu* 15. Eorũ quæ à Naturà ſive Deo fiunt, nihil inordinatum eſt; cùm Deus & natura ſit cauſa omnis ordinis, qui in rebus invenitur. At quòd mundus ab æterno non fieret, ſed in tempore, & potiùs in vno tempore, quã in alio antecedenti, vel ſubſequenti, quid inordinatum eſt. Ergo Deus, ſive Natura non condidit mundum in aliquo determinato tempore, ſed ab æterno. Probatur minor. Nam quod ordinatè fit, ſimpliciter ac ſemper fit, vt in igne ferri ſurſum: ſi autem aliquando non fit, ſubeſt naturalis cauſa, & probabilis ratio reddi poteſt, cur non fiat. Ergo quid inordinatum eſſet quòd mundus ſemper, id eſt, ab æterno factus nõ fuiſſet; aut certè probabilis ratio reddenda eſt, cur ab æterno factus non ſit, ſed in tempore; cur etiam magis in vno tempore, quam in alio. Cuius rei cùm nulla probabilis, aut idonea cauſa inveniatur, putandum eſt mũdum ſemper fuiſſe factum, ne inordinatè fieret.

CON-

33 *CONFIRM. I.* ex eodem *lib. alleg. textu* 53. *& lib. 2. de Gener. textu* 56. Idem manens idem, ſemper eſt natum facere idem. At Deus ſemper eſt idem & immutabilis. Ergo ſemper eſt natus facere idē. Ergo vel ſemper mundum fecit, & faciet; vel nūquam fecit, neque faciet. At aliquādo mundum fecit, vt patet. Ergo ſemper mundum fecit & faciet: ac proinde mundus fuit, eſt, & erit ab æterno in æternum.

34 *CONFIRM. II.* ex dicto *lib. 8. textu* 48. & 56. Deus & Natura ſemper faciunt ex poſsibilibus quod melius eſt. At melius eſt mundum ſemper eſſe, quàm non ſemper; ſicut ſimpliciter loquendo melius eſt eſſe, quam non eſſe. Aliunde ſemper eſſe mundum eſt quid ex poſsibilibus. nam potentia Dei, quā aſſeritur mundum creaſſe in tempore, eadem fuit ab æterno, quia invariabilis eſt, & non ſuſcipit magis ac minus: ac proinde ſicut potuit in tēpore creare mundum, ſic etiam ab æterno. Ergo aut dicendum eſt Deum non ſemper facere ex poſsibilibus quod melius eſt, aut aſſerendum ſemper feciſſe mūdum, id eſt, ab æterno.

35 *CONFIRM. III.* ex *eodem textu* 48. Optima ac decentiſsima diſpoſitio eſt movere orbes cœleſtes, & quæ ſub ijs ſunt, ab æterno. Sic enim Deus ſuam bonitatem & perfectionem alijs rebus ſemper communicat; quod Deo dignum eſt. Ergo è contrà, non movere ab æterno orbes cœleſtes, & quæ ſub ijs ſunt, non eſt optima diſpoſitio: quia ſic Deus per infinitam durationem eſſet abſque communicatione perfectionis ac bonitatis ſuæ erga creaturas; quod Deo dignum non eſt. Putari autē debet Deum non feciſſe, niſi quod ipſi decentiſsimum & magis dignum. Ergo & creaſſe mundum, non in tempore, ſed ab æterno.

36 *RESP.* Argumento præcipuo negando minorem. Ad probationem diſtinguo antecedens: Quod ordinariè fit, ſimpliciter ac ſemper fit, niſi aliquando ſubſit cauſa naturalis, aut ratio probabilis; diſtinguo, inquam, & concedo de cauſis neceſſarijs; nego autem de liberis, qualē eſſe Deum ſuprà *à num. 6.* demōſtratum eſt. Quemadmodum enim homines, quia liberi ſumus, non ſemper agimus, quæ pro libito agimus, ſed ſolùm quando & vbi placet; & ineptè rogaremur, cur aliquando velimus agere, aliquando non agere, quia cauſa in promptu eſt ex merà facultate arbitrij noſtri, indifferentis ad vtrumlibet; ita Deus, quia eſt ſummum ac primum liberum per eſſentiā, non ſemper produxit mundum, ſed ſolùm quādo & vbi voluit. Quare ineptè interrogamur cur non ab æterno illum fecerit: quia ſolutio in promptu eſt ex arbitrio voluntatis divinæ, cui placuit, non ab æterno, ſed in tempore condere Vniverſum hoc; ſicut & pluviam hodiernam noluit heri è cœlo mittere; & Sortem voluit producere, non hodie, ſed cras; & plurima alia præſtare ſtatis temporibus, cùm tamen in alijs fieri poſſent. Quando autem vrgemur, cur ſi in tempore factus eſt mundus, non potius in tempore antecedenti, aut ſubſequenti factus; opportunè retorquemus obiectionē in rebus quæ quotidie, & non antea, vel poſtea à Deo fiunt: &, præter aſsignatam rationem ex arbitrio voluntatis divinæ, hanc reddimus ſatis opportunam; quia ſi mundus ab æterno factus non eſt, in quocunque demum temporè fieret, infinita duratio æternitatis à parte antè pertranſiſſe debuit: ac propterea Deo iam præexiſtenti ab æternitate perinde fuit condere mundū in vno die, anno, aut ſæculo; ac in alio. Diſtantia enim vnius ſæculi, aut plurimorum, ab alio quovis determinato, quaſi nihil habet relatè ad æternitatem.

37 *AD I. Confirmationem*, conceſſo toto primo ſyllogiſmo, nego ſecundam illationem. Nam ex eo quòd Deus ſemper ſit idem & immutabilis, ſolùm infertur, voluiſſe, id eſt, decreviſſe ab æterno facere quæcunque facienda erant, & pro ea duratione quā mandanda erant executioni. Vnde quamvis in tempore facta ſint, non ideo Deus ſubit aliquam mutationem, ſed vbique idem & conſtantiſsimus invenitur, cū non modo ponuntur in eſſe quæcunque decrevit, ſed etiam in ipſo tempore pro quo illorum exiſtentiam immutabili propoſito ſuæ voluntatis decrevit. Alias ſi contendit Ariſtoteles, Deum mutationem ſubiturum non condendo mundum ab æterno; quomodo non etiam mutabitur vbi in tempore condit formicam, quam tamen non fecerat ab æterno? Eadem quippe quantum ad hoc vnius formicæ, ac totius mundi ratio eſt.

38 *AD II. Confirmat.* quæ vrgentior eſt, facilè occurri poſſet negando poſsibilitatem exiſtentiæ mundi ab æterno. Sed tamen quia oppoſita ſententia communiſſima eſt, & probabilis exiſtimatur, ne à probabilis opinionis incertitudine pēdeat ſolutio argumenti adverſantis fidei Catholicæ; *Reſpond. I.* perfectionem Vniverſi referri ad Deum, tanquam vltimum finem, & tanto meliorem eſſe, quanto magis ad-

ipſius gloriam conducit. Magis verò conducit, imò & vnicè, ad gloriam Dei, quòd mundus exiſtat ſolùm quando & quomodo ipſe ſtatuerit, quàm aliàs præter ipſius propoſitum. Cùm ergo ſtatuerit non eſſe ab æterno, ſed in tempore; hoc magis conducens ad ipſius gloriam, & proinde melius putandum eſt. Et ſi vrgeas, hanc eſſe petitionem principij, quia per ſe & ex terminis melior eſt exiſtentia mundi ſemper, quàm non ſemper; ac proinde oportuit Deum voluiſſe creare mundum pro ſemper, & non in tempore; *Reſp.* facilè, meliorem quidem fore mundi in ſe præciſè conſiderati exiſtentiam æternam, quàm non æternam; cœterum minùs bonam relatè ad finem vltimum ipſius, qui eſt maior Dei gloria. Etenim glorioſius Deo eſt, quòd ſolus ille ab æterno exiſtat, creaturæ verò ſolùm in tēpore; vt humiliùs ſuſpiciant, & magis venerentur æternitatem perfectionemque infinitam ſui Creatoris; qui ſicut ſubſtantiâ, ita & duratione eminet vniverſis. Nec tamen inde ſequitur glorioſius Deo eſſe vt mundus à parte poſt æternus non ſit: tum, quia ad prædictam Dei venerationem ſatis eſt, quod ille ſolus ab æterno extiterit: tū quia æternitas à parte poſt nunquam erit creaturis tota ſimul; fuiſſet autem tota ſimul ſi extitiſſent ab æterno: tum denique quia òportuit præmia meritorum, & demeritorum pœnam in æternum durare. quod fieri non poteſt, niſi mundus in æternum permaneat.

39 *VEL II.* Reſpondetur, & longè ſolidiùs, maiorem, vel minorem creaturarum omnium perfectionem, quaſi nihil eſſe reſpectu Dei, qui intra ſe ipſum ſummā felicitatem habet, nulliuſque eget extra ſe. Vnde abſolutè poteſt facere ad extrà quod bonum eſt, aut omnino non facere; item ex duobus inæqualiter bonis eligere quod minus eſt, relicto maiori; quia minimè perficitur in ſe ipſo ex electione alterutrius præ alio, cùm quælibet electio divina ſit summè perfecta, & indiſtincta à Deo. Vnde optima & decentiſsima exiſtimari debet, ac Deo digna, quælibet diſpoſitio Vniverſi ab illo profecta: tum quia ſemper cenſendū eſt ipſum habuiſſe decentiſsimam rationē, quà ita ſanciret, licèt nobis manifeſta non ſit; tum etiam, quia decētiſsimum eſt Deo, vt ſuprema illâ dominij ſui poteſtate vtatur, & ſuam libertatem exerceat, ſive cōmunicando ſe ad extrà, ſive non; ſive id præſtando in vna duratione temporis, & non in aliâ. Vtcunque enim id præſtet, vel non præſtet, vtitur iure ſuo, ac perfectiſsimo dominio; quod ipſi ſummè glorioſum ac decens eſt. Ex quibus patet ad *III.* Confirmationem.

40 *QVOD* Si vrgeas, quidquid ſit de libertate divinâ, Deum ſemper facere quæ optima & meliora ſunt, vt colligitur ex ſacris litteris, & Patribus Eccleſiæ; ac proinde mundum de facto fuiſſe conditum ab æterno, ſi ſemel id eſt poſsibile, quia id optimum ac decentiſsimum Deo eſſet, & in eo ſuam libertatem exequeretur; aliundeque exiſtentia mundi æterna in ſe melior eſt, quàm non æterna: Si, inquam, ita obijcias, Reſpondeo hanc obiectionem nō eſſe Ariſtotelicam, neque iuxta principia Philoſophi, qui ſtatuit Deum ad extra operari ex neceſsitatè naturæ. Theologica itaque eſt, & ex doctrinâ PP. procedens; a quâ tamen facilè ſe expedire poſſunt, quotquot cenſent impoſsibilem exiſtentiam mundi ab æterno. Admiſsa vero nunc opinione affirmante, dicendum, attentis circumſtantijs melius fuiſſe condere mundum in tempore, quàm ab æterno, ſaltem propter maiorem creaturæ humilitatem & ſubiectionē ad Deum, ac ſubinde propter maiorem ipſius gloriam, vt ſuprà monui. Sed de hoc alijſque ſimilibus latè diſputo *tractatu de Incarnat. diſp.* 2. vbi propriam ſedem habent.

41 *OBIICIES II.* ex eodem Ariſtotele *lib.* 1. *Phyſic. textu* 82. Materia prima eſt ingenerabilis & incorruptibilis. quia neceſſarium eſt aliquod ſubiectum omni generationi præexiſtere, & cuilibet corruptioni ſupereſſe. Alioqui aut deberet exiſtere aliqua materia prior, quàm prima; aut eadem, quæ prima eſt, exiſteret ante ſui generationem, & perſiſteret poſt ſui interitum: quæ omnia manifeſtam repugnantiā involvunt. Ergo ante generationem cuiuſlibet formæ, debet exiſtere materia prima, & quidem ſub aliâ formâ, quia ſine vlla penitus in rerum naturâ nequit exiſtere. Ergo cùm & hæc ipſa forma fuerit genita, ſicut & alia, & alia aſcendendo ſuperiùs; ſēper præſupponi debet materia ad illam, donec tandem ponatur ſub aliquâ formâ æternâ, cum qua ſimul creata fuerit.

42 *CONFIRMATVR* ex *lib.* 8. *textu* 4. Materia, ſive ſubiectum motus, eſt priùs motu in ſe recepto. Ergo motus tranſmutans materiam non cœpit in tempore, ſed ſemper fuit ab æterno. Probatur conſequentia: Nam ſi cœpit in tempore, ſubiectum illius primi motus, quod eſſe prius ipſo motu dictum eſt, neceſſariò fuiſſet aut generatum, aut ſempiternum. Non genera-

ratum

ratum: quia cùm generatio ſine motu fieri nequeat, debuiſſet ante primum motum præſupponi alius motus circa idem ſubiectum: quod repugnat, quia primus motus nequit præſupponere alium. Ergo ſubiectũ motus, & proinde motus ipſe eſt ſempiternus. Quia ſi ſubiectum æternum fuit, non vero motus, ideo ſolùm eſſe potuit, quia aliquod impedimentum fuerit, vel in ipſo motu, vel in movente, ratione cuius in tota illa æternitate nullus fuerit motus; illo autem impedimento ablato, deinde motus eſſe cœperit. At nec remotio talis impedimenti potuit fieri ſine motu, ac proinde ſine præſuppoſitione alterius motus ad motum primum, quod repugnat. Ergo ſubiectum motus æternum fuit, & ſub motu æterno.

43 *RESP.* In hoc argumento, & ipſius cõfirmatione ſupponi omnino quod probandum erat, nempe impoſsibilem eſſe creationem, ſeu productionem rei ex puro nihilo: cuius tamen poſsibilitas demonſtrata fuit ſuprà *à num.* 21. Deinde reſpondetur, materiam primam eſſe quidem ingenerabilem & incorruptibilem: exinde tamen ſolum probari, præexiſtere debere omni naturali generationi, & quidem ſub alia forma, quæ ſit omnium prima. At vero non impeditur, quod hæc ipſa prima forma ſimul cum materia in tempore ex nihilo creata fuerit; aut quòd tunc eadem forma educta ſit ex materia præſuppoſita pro aliquo priori; non quidem temporis, ſed naturæ tantùm, iuxta varias Philoſophorum ſententias circa primam rerum productionem.

44 *AD Confirmat.* Subiectum, ſive materia, eſt quidem prior motu in ſe recepto; non tamen prior creatione, qua facta eſt ſine motu, ſeu tranſmutatione aliqua. Vnde ſtat optimè, materiam præſupponi ad quemlibet motum, quin propterea colligatur æternam eſſe. Quippe tranſacta iam duratione æterna a parte antè, condidit Deus prima compoſita ex puro nihilo; ac proinde ſine motu, ſeu tranſmutatione ſubiecti de vna in alteram formam. Deinde in omnibus compoſitis corruptioni obnoxijs, vbi prima illa forma deſijt, materia fuit ſubiectum motus, ſeu tranſmutationis ad alteram formam denuo productam. Quibus facilè componitur ſubiectum eſſe prius motu, & tamen nec motum, nec ſubiectum ſempiternum eſſe.

45 *OBIICIES III.* ex eodem *lib.* 12 *Metaph. textu* 30. Author Vniverſi adeò perfectus eſt, vt eius ſubſtantia careat omni materia, & ſit actus purus quamlibet potentialitatem excludens. At ſi non per totam æternitatem produceret conſervaretque mundum, ſed aliquando id præſtaret, aliquando non; nullatenus eſſet purus actus omnem potentialitatem excludens. Ergo ſemper, ſeu per totam æternitatem produxit, conſervatque mundũ. Probatur minor: Quia ſi non ſemper id præſtaret, ſed ſolum in determinato tempore, aliquando eſſet in actu, aliquando vero in potẽtia ad operandum. Non ergo eſſet actus purus.

46 *CONFIRM.* ex eodem Philoſopho *lib.* 1. *de Cælo tex. u* 22. Sicut Deus eſt ſemper in actu, ita & in actu exiſtens ſemper eſſe debuit cœlum, quod omnes Gentes aiunt eſſe locum proprium domiciliumque Dei, vt ſic domus digna appareat Numine inhabitante. Ergo ſicut Deus eſt æternus, & ab æterno exiſtens, ita etiam cœlum. Idque videtur experimento comprobatum: nam ex omni temporum memoria nunquam legitur aut traditur mutationem factam, vel in toto cœlo, vel in aliqua eius parte. Quo arguitur, cœlum ab æterno immotum perſiſtere, veluti palatium aut regiam æterni & immutabilis Dei.

47 *CONFIRM. II.* ex dicto *libr. de Cælo textu* 20. Cœlum eſt ingenerabile, & incorruptibile: nam quidquid gignitur, ex contrario, & ſubiecto gigni neceſſe eſt: contrariorum autem corporum motus contrarij eſſe debent. At cœlum neque habet contrarium, neque motui ipſius circulari poteſt aliquis motus eſſe contrarius. Ergo nec cœlum, nec motus eius circularis eſt generabilis, aut corruptibilis. Reſtat igitur vtrumque fuiſſe æternum: vtpotè cuius, vel forma ſphærica, vel rotatio circularis, nec initium, nec finem habet.

45 *RESP.* Retorquendo argumentum in productione temporali cuiuslibet creaturæ, ex qua non colligitur Deum antea fuiſſe in potentia, & poſtea in actu, aut ſubire mutationem aliquam. Idem eſt ergo de productione mundi, quamvis fuerit temporalis, & non æterna. Ratio vtriuſque eſt: quia licèt productio in tempore ſolum mandetur executioni, ab æterno præfinita eſt actu libero voluntatis divinæ. Vnde per illius productionem in tempore, non ſolum non mutatur Deus, ſed etiam decretum ipſius immutabile perſeverat, vt ſuprà *num.* 39. dictum eſt. Quod ſi vrgeas in ipſo exercitio temporali creandi, quo ad-

veniente in tempore mutabitur Deus. Reſpondeo negando aſſumptum: quia exercitium temporale creandi nihil reale, ponit de novo in Deo, ſed ſolum in creaturà tranſeunte de non eſſe ad eſſe. In Deo enim denominatio exercita Creatoris ſolum addit ſubiectivè relationem rationis, & terminativè exiſtentiam realem in creatura de novo producta. Vnde nulla ſequitur mutatio, aut tranſitus de potentia ad actum in Deo.

49 *AD I. Confirm.* Non oportet cœlum, quia ſedes eſt Dei æterni, pariter æternum eſſe; ſicut nec immenſum, nec infinitum in ſententia eiuſdem Philoſophi, quamquam Deus & immenſus & infinitus ſit. Neque putandus eſt Deus minus decenter fuiſſe ſine cœlo, aut throno illo viſibili ab æterno: quia ad ſummam felicitatem, & gloriam ſuam, ac decentiſsimam permanentiam, nullo alio eget, & ſibi ipſi ſufficientiſsimus eſt. Nec denique quamvis omnes homines apprehendant cœlum eſſe proprium Dei domicilium, idcò cogitant coæternum eſſe Deo. Plures enim Philoſophi ab Ariſtotele relati in vltima parte eiuſdem libri de cœlo, & *lib. 8. Phyſic. text.* 2. negarunt cœlum fuiſſe æternum, cum tamen non negarent Dei domicilium eſſe. Quòd autem nulla hucuſque in cœlo mutatio facta ſit, neque ex parte quidem; negari poterat, propter plura nova meteora, ſtellas recentes, ac cometas inſolitæ elevationis, in cœlo deprehenſos, iuxta quoſdã. quod argumentum eſt capacitatis ipſius ad generationem & corruptionẽ. Eſto tamẽ nulla in ipſo cœlo mutatio facta fuerit, ſolùm infertur, cœlum ab intrinſeco ingenerabile & incorruptibile eſſe; nõ verò æternum, aut nunquam factum ex puro nihilo. Ex his patet ad II. Confirm. quæ nihil ampliùs probat. Nec quod motus cœli ſit circularis, evincit ipſum æternum eſſe, ſed ſolùm ex ſe capacitatem habuiſſe, vt inciperet ante quodlibet tempus determinatum, & nõ potiùs ex vna parte cœli, quam ex alia; cum quælibet pars circuli indifferens ſit vt aſſumatur veluti prima, vel vltima. Inde verò non conficitur, aut ſphæram cœleſtem, aut ipſius circularem motum exiſtere debuiſſe ab æterno.

50 *OBIICIES IV.* ex *libr. 8. Phyſic, text.* 10. Tempus ſempiternum eſt. Ergo & mundus. Probatur antecedens. Si enim tempus ſempiternum nõ eſt, ſed cœpit aliquando eſſe; ante primum tempus præſupponeretur tempus aliud. Conſequens autem manifeſtè repugnat. Ergo tempus eſt ſempiternum. Sequela probatur. Si enim tempus ſempiternum non eſt, ſed cœpit in tempore, *non eſſe* primi temporis priùs fuiſſet, quàm *eſſe* ipſius. At *prius*, & *aliquando* ſunt differentiæ temporis. Ergo ante primum tempus præſupponeretur aliquod tempus, ſeu differentia temporis.

51 *CONFIRM.* Eodem loco *textu* 11. Nullum tempus eſſe poteſt abſque ipſo *nunc*. At omne *nunc* eſt præſens, tamquam finis præteriti temporis; & initium futuri. Ergo nullum tempus eſſe poteſt abſque *nunc* præſenti, tamquam fine præteriti temporis, & initio futuri. Ergo nullum tempus potuit eſſe primum, aut erit vltimum: ſed ante omne tempus debet aſsignari aliquod priùs, & poſt omne tempus aliquod aliud poſteriùs. Idemque argumentum fieri poteſt de motu, ſine quo tempus eſſe nequit, & qui ſimiliter ſolùm exiſtit ratione indiviſibilis terminantis partem præteritam, & inchoantis futuram.

52 *RESPOND.* Negando antecedens, & ſequelam probationis. Ad illius probationem conceſſa maiore, diſtinguo minorem: Prius & poſteriùs ſunt differentiæ temporis, aut realis, aut imaginarij, concedo: realis præcisè, nego minorem: & diſtinguo conſequens: Ante primum tempus reale fuiſſet aliud tempus, vel differentia temporis imaginarij, concedo; realis, nego conſequentiam. Itaque vocibus illis *priùs*, & *poſteriùs*, non ſignificatur realis aliqua temporis differẽtia ante primum tempus, vel poſt vltimum; ſed imaginaria ſolùm. Quod inſtantiam manifeſtam habet in doctrina eiuſdem Philoſophi *lib. 1. de Cælo textu* 99. illis verbis: *ἅμα δὲ δῆλον ὅτι οὐδὲ τόπος, οὐδὲ κενὸν, οὐδὲ χρόνος ἐστὶν ἔξω τοῦ οὐρανοῦ. Patet ſimul, neque locum extra cœlum eſſe, neque vacuum, neque tempus.* Et tamen *extrà*, atque *intrà*, ſunt differentiæ loci. Ergo quemadmodùm *extrà* ſolùm accipitur imaginariè, ſeu poſsibiliter à Philoſopho, non vero actu & realiter, in ſpatijs poſitis ſupra cœlum, vbi nullus eſt locus realis; ita etiam *priùs* & *poſteriùs* accipienda ſunt ſolùm imaginariè, non verò realiter, de prioritate ac poſterioritate ad omne reale tempus, in qua nullum tempus reale actu eſt.

53 *AD Confirm.* Poſtquam cœpit tempus, omne *nunc*, ſive inſtans, eſt cõtinuativum partis præteritæ cum futura, ac proinde finit vnam partem, & inchoat alteram: idemque eſt proportionaliter de mo-

motu. Cœterum à prima inceptione non oportet tempus inchoari ab aliquo inſtanti habente rationem medij duarum partiũ; ſed ſolùm inchoante vnam partem veram, & finiente alteram imaginariam. Et ita contigit de facto in tempore, quod ab æterno non eſt, ſed aliquando cœpit in inſtanti extrinſecè inchoativo, & nullius præteritæ partis terminativo, quæ realiter præceſsiſſet; ſed ſolùm, quæ in potentia præceſſerit. Quod exemplum habet in quavis linea & ſuperficie, iuxta doctrinam eiuſdẽ Philoſophi: nam licèt puncta omnia illorum, quæ partem vnam ab altera quodãmodo ſecernunt, & impenetrabilem ab ea reddunt, ſint intermedia & copulativa vtriuſque; nihilominus punctum a quo incipit linea, & ſuperficies, non eſt actu copulativum, aut medium, ſed terminativum, aut inchoativum tantùm. Ita in tempore primum inſtans actu & realiter eſt ſolum extrinſecè inchoativum partis futuræ; vltimum verò (ſi finiatur tempus) ſolum erit terminativum partis præteritæ. Vide quæ circa inceptionem ac deſitionem temporis & motus diximus *diſp. 38. ſect. 1.* Ex quibus omnibus demum evincitur, nullo vrgenti argumento probari æternitatem tẽporis, motus, aut mundi à parte antè; quin potiùs omnia, quæ proponit Philoſophus, haud difficulter ſolvi, & plura habere inſtantiam in doctrina ipſius.

PLVRA Alia Procli argumenta pro æternitate mundi legere eſt apud Pereriũ in præſenti, eorumque ſolutiones: brevius tamen apud Conimbricenſes, poſt D. Tho. *1. p. q. 46. ar. 2.*

DISP. QVADRAG. TERTIA.

DE ÆTERNITATE MVNDI.

An Mundus abſolutè potuerit eſſe ab æterno?

Num. 1. *VIDIMVS Controverſia præcedenti, mundum in tempore, non autem ab æterno, fuiſſe conditum, refutato Ethnicorum quorundam errore oppoſitum decernentium. Nunc inter Philoſophos Catholicos diſsidium eſt, non circa factum, ſed circa ius ipſum, ſive poſsibilitatem: an, ſcilicet, Deus iure Omnipotentiæ, ſeu pro ratione dominij abſoluti, potuerit mundum ipſum condere ab æterno, idque quò ad res permanentes: nam quò ad ſucceſsivas, vt tempus & motum, agendum eſt diſputatione ſequenti: quanquam & modò placeat opiniones DD. circa vtrumque præmittere.*

2 *PRIMA abſolutè affirmat mundum ab æterno condi potuiſſe, tam quò ad permanentia, quàm quò ad ſucceſſiva. Ita Nominales ferè omnes, quos allegat & ſequitur Rubius* in præſenti q. 3. *Pererius* lib. 15. cap. 13. *Molina* 1. p. q. 10. art. 3. *Vazquez* 1. p. diſp. 177. *Arriaga* diſp. 17. ſect. 2. *Conimbricenſes* hoc libro cap. 2. q. 6. & 7. *Complutenſes* diſp. 29. q. 3. & 4. *vbi & plures Thomiſtarum pro eodem placito appellant, quibus ſubſcribit Pontius* diſput. 21. q. 5. *Amicus Theologus* tom. 1. diſp. 7. ſect. 2.

3 *SECVNDA univerſim negat poſsibilitatem mundi ab æterno quò ad vtrumque genus entium. Illam tradunt ex Scholaſticis S. Bonaventura* in 2. diſt. 1. q. 2. *Albertus Magnus* ibidem, *& ad finem primi capitis huius libri, Henricus Gandavenſis* Quodlib. 1. quæſt. 7. & Quodlib. 9. q. 17. *Richardus* in 2. diſt. 1. q. 4. *Marſilius* ibidem q. 1. art. 2. *Vdalricus* in Summa lib. 4. *Guillelmus Pariſienſis* lib. 1. de Vniverſo. *Idem tuentur ex Recentioribus Valentia* 1. p. diſp. 3. puncto 3. *Leſsius* lib. de Perfectionibus divinis cap. 2. *Tannerus* 1. p. diſput. 6. q. 1. dub. 3. n. 11. *Recupitus* lib. 4. de Infinitate Dei q. 19. *Toletus hic* diſp. 1. q. 2. *Murcia* diſp. 1. q. 3. *Adverſa* 2. Metaph. q. 31. ſect. 8. & 9. *Spinula* diſput. 9. ſect. 4. *Quiros* diſp. 68. ſect. 2. *Eamque recenter illuſtrat RR. ac doctiſsimus P. Didacus de la Puente Hurtado, Regij Collegij Societatis Salmanticenſis Rector, & Theologiæ Profeſſor Emeritus, in ſuo Curſu Philo. propediem edendo.*

4 *TERTIA diſtinguit inter entia permanentia & ſucceſsiva, & de prioribus affirmat, de poſterioribus autem negat potuiſſe produci ab æterno. Ita Durandus* in 2. diſt. 1. q. 2. *Suarez* diſp. 20. Metaph. ſect. 6. & 7. *Magiſter Ioannes à S. Thoma* q. 24. *Carleton* diſp. 39. ſect. 4. *Soto* 8. Phyſ. quæſt. 3. *Oviedo* controv. 19. p. 1. & 2. *Habet locum diſputatio* hæc lib. 8. cap. 2. & 5. & 7. & 8. & 9.

SECTIO PRIMA.

Eligitur ſententia negans potuiſſe mundum ab æterno exiſtere, & probatur ſelectis PP. Græcorum ac Latinorum teſtimoniis multipliciter expenſis. Evaſiones præcluſæ.

5 IN Hac difficili controverſiâ iam diu mihi altè inſedit, immobiliterè aſſenſu per principia extrinſeca SS. PP. & intrinſeca rationis, ſecunda opinio, vniverſim negans mundum potuiſſe condi ab æterno, ſive quoad res permanentes, ſive quoad ſucceſsivas; vt non potuerim adduci in oppoſitum, nec vllo modo aſſentire, adhuc de poſsibili, quod Philoſophus aſſeruit de facto. Et quamquam in hanc exiſtimationem plures vrgentes rationes me, vel invitum, impellant; potiſsimum fundamentum eſt authoritas communis SS. Patrum, qui vnanimiter in hanc ſententiam conſpirant, & nullam, niſi violentam, interpretationem patiuntur. Ex pluribus aliqua ipſorum loca producam, & breviter expendam; iis ferè prætermiſsis, quæ alii communiter adnotarunt, & exponere conati ſunt. Itaque nunc de mundo agam quoad permanentia, acturus *diſp. ſeq.* de illo quoad ſucceſsiva.

6 *PRIOR* Probatio ab authoritate deſumitur ex PP. Græcis, quorum illuſtria teſtimonia exhibere, & breviter expendere oportet. Primum deſumo ex S. Athanaſio, qui Anteſignanus fuit Catholicorum contra Arium in magno illo Nicænæ Synodi certamine circa ὁμοούσιον, ſive conſubſtantialitatem Verbi. Is igitur *diſputat.* 2. contra Arianos, ſic loquitur: *ἐὰν δὲ περιεργάζωνται διὰ τί ὁ Θεὸς ἀεὶ δυνάμενος ποιεῖν, οὐκ ἀεὶ ποιεῖ, μαινομένων μὲν καὶ αὕτη τόλμα*, &c. *Quòd ſi curioſiùs inquirant, cur Deus cùm ſemper facere poſsit, non ſemper faciat; furentium hæc quidem eſt audacia. Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? aut quomodo dicet figmentum figulo; cur me ita feciſti? Sed ne vel tenui aliqua inventa ratione ſileamus, audiant: ὅτι εἰ καὶ τῷ Θεῷ δυνατὸν ἀεὶ ποιεῖν, ἀλλ' οὐκ ἠδύνατο τὰ γενητὰ ἀΐδια εἶναι. ἐξ οὐκ ὄντων γάρ ἐστι, καὶ οὐκ ἦν πρὶν γένηται· τὰ δὲ οὐκ ὄντα πρὶν γένηται, πῶς ἠδύνατο συνυπάρχειν τῷ ἀεὶ ὄντι Θεῷ; tametſi Deus poſsit ſemper facere, at res creatas, æternas eſſe non poſſe. Quippe ex non extantibus ſunt; & non erant antequam fierent. Quæ autem non ſunt antequam fiant, quomodo poterant cum Deo, qui ſemper eſt, exiſtere?* Vbi non habet locum communis illa evaſio exponentium Athanaſium, alioſque Patres, tamquam loquantur ſolum de facto, & nō de poſsibili. Athanaſius enim expreſsè reddit rationem cur creaturæ ab æterno non fuerint, aitque ſitam in eo eſſe, quòd res creatæ non poſsint eſſe ab æterno.

7 *IDEM* Athanaſius in Epiſtola ad Africanos, exinde probat Filium Dei non eſſe creaturam, ſed Deum, quia in eo ſunt divinitatis notæ, quarum vna eſt æternitas, quæ nequit creaturæ convenire. Ait enim de Filio Dei: *ἔχει δὲ τὸ κτίζειν, τὸ δημιουργεῖν, τὸ ἀΐδιον, τὸ εἶναι παντοκράτορα, τὸ ἄτρεπτον*, &c. *Habet ille vim creandi, condendi, & æternitatem, vt ſit omnipotens, immutabilis. Contrà verò quæ creata ſunt, creare non poſſunt: quippe quæ ipſa creaturæ ſunt.* NEQVE ÆTERNA ESSE POSSVNT, *quoniam ab initio aliquo incipiunt eſſe: neque omnipotentia, neque immutabilia eſſe valent; nam alterius poteſtate continentur, & natura ſunt mutabilis, vt Scripturæ teſtantur.*

8 Vbi plura adnotanda ſunt. *Primum* eſt, Athanaſium inter alia inde probare, Filium Dei eſſe Deum, quia æternus eſt, quod repugnat creaturæ, & ſoli Deo convenire poteſt. Hoc autem argumentū nullius roboris eſſet, ſi creatura poſſet ab æterno exiſtere abſolutè loquendo. Evaſio autem communis Adverſariorum nulla eſt dum aiunt Athanaſium, & alios Patres eodem ſtilo loquentes, accipiendos eſſe de æternitate perfecta, & ſumpta pro immutabilitate, quæ ſoliùs Dei propria eſt. Refellitur quippe expoſitio hæc, quoniam Athanaſius divinitatem Verbi colligit ex triplici nota, quarum vna eſt æternitas, alia omnipotentia, alia denique immutabilitas; & tria hæc docet repugnare creaturis, quia creaturæ ſunt. Ergo æternitas, adhuc prout diſtincta ab immutabilitate, eſt propria divinitatis nota repugnans creaturæ. Alioqui fruſtrà vim faceret Athanaſius in æternitate ſeorſim, ſi hæc pro eodem ab ipſo vſurparetur, ac immutabilitas. Quare & Sanct. Thomas primâ parte *quæſt.* 46. *artic.* 2. diſertè probat, non ſolum æternitatem, ſed etiam immutabilitatem, eſſe propriam Dei. Vnde & conſequens eſt, vt ſicut hæc nequit creaturæ convenire, ita nec illa.

9 Item & refelluntur; qui reſpondent, argumentum ab æternitate deſumptum

tum fuiſſe ſolemne Patribus quaſi ad hominem contra Arianos: quoniam hi fatebantur iuxta ſacras litteras, nullam creaturam fuiſſe ab æterno. quare, probando Filiũ Dei extitiſſe ab æterno, probabant evidenter ad hominem, ſive ex cõceſsis, Verbum non eſſe creaturã. Refelluntur, inquã: Tum, quia plures Arianorum, quos Pſathyrianos appellabant, exiſtimarunt Verbũ divinum à Patre fuiſſe creatum ab æterno, vt teſtis locuples eſt Theodoret⁹ *lib.4.de Hær.* aliique plures: ac proinde contra illos nullius efficaciæ poterat eſſe prædictum argumentũ ſi inſtitueretur ſolùm ex conceſsis, & non ex ipſa natura rerum, vt vel leviter conſideranti apparebit. Tum præterea: quia Athanaſius, alijque Patres, non aſſumunt contra Arium, nullam creaturam fuiſſe ab æterno: hanc enim propoſitionẽ quaſi maiorẽ eius ſyllogiſmi negabant Ariani. Quare nihil probarent addendo minorem, *Sed Verbum extitit ab æterno*; & inferendo, *Ergo Verbum non eſt creatura*. Negata quippe maiore, nullius roboris eſt ille diſcurſus. Aſſumebant igitur pro maiore propoſitione argumenti: *Nulla creatura potuit eſſe ab æterno*, vt patet ex verbis relatis, & alijs plurimis Patrum teſtimonijs poſtea indicandis, aut proferendis. Et maiorẽ illam probant, quia creaturæ repugnat perfectio propria divinitatis, qualis eſt æternitas.

10 *Secundum* notatu dignum eſt, eodem prorſus modo ac ſtilo excludere Athanaſiũ æternitatem à creatura, ac Omnipotentiam, & immutabilitatem. At vtramq; poſtremã excludit, non ſolùm de facto, verùm etiam de poſsibili, vt palam eſt ex ipſius verbis, & ratione conſtat. Ergo & æternitatẽ excludit à creatura, non ſolùm de facto, verùm etiam de poſsibili. *Tertium*. Nõ niti argumentũ illud Patrũ in eo quòd iuxta ſacras litteras ab Arianis admiſſas, Deus à principio creaſſet cœlum & terrã. Dicerent enim, nomine cœli & terræ non comprehendi Verbum. Sed in eo inſiſtunt, quod omnes res præter Deum ſint creaturæ, & nulla creatura poſsit eſſe ab æterno, quia hoc propriũ Dei eſt. Hæc autem ratio, non ſolùm de facto, verum etiam ſecundùm potentiam Dei abſolutam probat: quia in nulla hypotheſi abſolutè poſsibili poteſt creatura habere aliquid ſibi repugnans, Deique proprium.

11 *Quartum*: Athanaſij diſcurſum, ad ſeverioris Theologiæ præſcriptum & in ſenſu formali procedere. Excludit enim à creatura æternitatem, quoniam omnis creatura exiſtens debuit habere aliquod initium; omnipotentiam, quia debet eſſe ſub poteſtate alterius; immutabilitatem, quia conſtare debet natura mutabili. Quibus probationibus, nulla alia ſeverior in Theologia eſt. Ergo quemadmodũ, eas ob cauſas repugnat creatura omnipotens, & carens mutabilitate; ſic etiam æterna, ſive carens initio.

12 *EODEM* Quoque ſenſu, & ſpectatis rerum naturis, ac non modo de facto, creaturam ab æterno potuiſſe exiſtere, negant S. Gregorius Nyſſæ Antiſtes *lib.2. adverſus Eunom.* Baſilius Magnus *lib.2. contra eundem Eunom.* S. Methodius Martyr apud Photium *codice 235. ſuæ Biblioth.* illis maximè verbis: *ἀδύνατον γὰρ τὸ γενέσεως ἀρχῇ περιορισθὲν συναπείραντον εἶναι τῷ ἀπεράντῳ*. *Impoſsibile eſt id, quod initio productionis eſt circumſcriptum, ſimul cum eo, quod finem ac terminum nullum habet, ſine initio ac termino carere.* Nec etiam interpretari licet Methodium, quaſi loquatur ſolum de æternitate prima ac Dei propria, idemque, ſolam aſſerat impoſsibilem creaturæ; non verò de alia ſecunda & participata, quam Adverſarij ſtatuunt. Contra enim eſt, quod Methodius eo loco diſſerat adverſus Origenem aſſerentem mũdum fuiſſe ab æterno creatum à Deo, vt conſtat ex antecedentibus ac ſubſequẽtibus, & ex ipſo Operis inſtituto. Impugnat ergo Methodius, & refellit velut impoſsibilem æternitatem mundi participatam & ſecundam, qualis ſolùm eſſe poterat rei ab æterno creatæ in ſententia Origenis, ſeu factæ à Deo.

13 Imò non ſolum reipſa impoſſibilem, verùm & inintelligibilem eiuſmodi æternitatem in creatura docet S. Cyrillus Alexand. *lib. 32.* Theſauri, vbi ex eo quòd Verbũ *in principio erat*, probat creaturam non eſſe, hac vniverſali ratione: *τὸ γὰρ ὅλως διὰ τοῦ πεποιῆσθαι πρὸς τὸ εἶναι κεκλημένον, οὐκ ἂν ὑπάρχον ἐν ἀρχῇ νοοῖτό ποτε.* *Quod enim omnino per creationẽ ad eſſe perductũ eſt, nõ poteſt intelligi à principio extitiſſe.* Damaſcen. *lib.1. Fidei c. 8.* apertiſsimè loquens ſecundum exigentiam & naturã rerum creatarum: *ἡ δὲ κτίσις εἰ καὶ ἐκ θελήσεως ἔργον θεοῦ, οὐ συναΐδιός ἐστι τῷ θεῷ· ἐπειδὴ οὐ πέφυκε τὸ ἐκ μὴ ὄντος, εἰς τὸ εἶναι παραγόμενον συναΐδιον εἶναι τῷ ἀνάρχῳ καὶ ἀεὶ ὄντι.* *Creatura, cũ voluntatis Dei ſit opus, non eſt Deo coæterna. Non enim natura fert, vt quod ex nihilo ad eſſe productum eſt, coæternum ſit ei, qui principio caret, eſtque ſemper.*

14 Maximus quoque Martyr lib. de Charitate *cap.6.* eodem omnino ſenſu improbat errorem aſſerentium creaturas ab

exiſtere, quia id impoſsibile eſt. Verba exhibeo: *Τινές φασι συνυπάρχειν ἐξ ἀϊδίου τῷ θεῷ τὰ δημιουργήματα ὅπερ ἀμήχανον. πῶς γὰρ τῷ πάντη ἀπείρῳ τὰ πάντα πεπερασμένα συνυπάρχειν δύναται ἐξ ἀϊδίου; ἢ πῶς κυρίως δημιουργήματα, εἰ συναΐδια τῷ δημιουργῷ; Quidā aiunt creaturas ab æterno coëxiſtere Deo. quod fieri non poteſt. Quomodo enim cum eo, qui omnino eſt infinitum, ſimul exiſtere poſſunt ab æterno quæ prorſus definita ſunt? Aut quomodo propriè opera ſunt, ſi artifici coæterna?* Quid expreſsius, aut nervoſius? Apertè namque refellit aſſerentes creaturam fuiſſe ab æterno, ex impoſsibilitate vt ſimul creatura ſit, ſive propriè opus Dei, & tamen ipſi ab æterno coëxiſtat.

15 *IDEM* Tradit ac probat ex profeſſo Zacharias Mitylenæus Diſputatione elegantiſsima *de Mundi Opificio*, quæ habetur *tom. 1. Biblioth. PP. Græcolat. pag. 355.* vbi multis oſtendere conatur, neque mundum, neque rem aliquam potuiſſe ab æterno fieri, quoniam exiſtere ab æterno proprium eſt Dei, eiuſque ſingularis nota nulli creaturæ communicabilis. Verùm & præter hoc inſigne eius argumentum, & invicta ratio eiuſdem doctrinæ eſt, quod inter alia ibidem inſtituit illis verbis: *εἰ γὰρ συναΐδιος ὁ κόσμος θεῷ*, &c. *Si coæternus eſſet mundus Deo, cùm ea quæ ſunt coæterna, ſimul ſint; quæ verò ſimul ſunt, ex ſe mutuò cauſam efficientem habere nequeant; conſequens erit, mundum cauſam ex Deo efficientem habere nō poſſe; niſi fortè id quod fit, vmbræ inſtar eſſe oporteat; aut velut complementum quoddam ſubſtantiæ id quod oritur, ad id vnde oritur aſſumi. quemadmodum in Sole, & ſplendore accidit. vel certè conſubſtantiale illi eſſe: vt in Patre & Filio cernimus. Sed ſi cauſa ipſa ſit efficiens, & mente ac voluntate prædita & diverſa à ſe ſubſtantiā ſit efficax.* Quæ verba valde notanda ſunt, quoniam non ſolùm exturbant, ſed retorquent in Adverſarios præcipuum ipſorum argumentum; deductum ex eo quòd cauſa quælibet poſsit operari in eodem inſtanti reali, in quo incipit eſſe: vt Sol in primo ſuo inſtanti produxit ſplendorem, & natura quælibet infert ſuas proprietates. Vnde inferunt, multò magis Deum, ex quo eſt, ſive ex ipſa æternitate potuiſſe producere qualcunque creaturas. Retorquetur inquam, diſcurſus hic in Adverſarios à Zacharia Mitylenæo exinde, quia nulla res poteſt ab initio, ſeu primitus coëxiſtere ſuo principio, niſi vel ut complementum naturæ ipſius aliquo modo, vt fulgor relatè ad Solem; vel eiuſdem ſubſtantiæ cum ipſo, vt Verbum relatè ad Patrem: Neutra autem ratione ſe habet, aut habere potuit creatura aliqua circa Deum, vt ex ſe patet. Ergo nulla conſideratione potuit coëxiſtere creatura Deo ab æternitate, ſive à principio. Sed de hoc iterum redibit ſermo *infrà*. Quare idem Author antea *pag. 345.* vniverſim præmiſerat: *οὐ γὰρ ἐξ ἀϊδίου. ἴδιον γὰρ μόνου τοῦ θεοῦ τὸ ἀΐδιον, καὶ οὐκ ἂν ὁ κόσμος αὐτῷ τοῦτο συμμεμέρισται. Non enim ab æterno.* (mundum condidit) *Propria quippe Dei ſolius æternitas, neque mūdus eius poteſt eſſe particeps.* Vbi & de participatione æternitatis loquitur, ſive de æternitate participata, vt nullū ſuperſit Adverſarijs effugiū. Mitto pleraque alia Græcorum Patrum teſtimonia, quibus idem exprimitur.

16 *IAM* verò ex Latinis Patribus aliqua ſolùm loca decerpā, quibus eadem energia & ſenſus eſt. Primum produco P. N. Anſelmum in Monologio *cap. 27.* illis verbis: *Vel hoc ſolo veram æternitatem ſoli ineſſe illi ſubſtantiæ, quæ ſola non facta, ſed factrix eſſe inventa eſt, apertè percipitur, quoniam vera æternitas principij, finiſque metā carere intelligitur. quod nulli rerum creatarum convenire, eo ipſo, quòd de nihilo factæ ſunt, convincitur.* Vbi vides, Anſelmum, inſtar Græcorum Patrum, negaſſe veram æternitatem creaturæ, quia ex nihilo factā eſt. quæ ratio etiam probat inſpecta abſoluta Dei potentia: quoniam nec ſecundū illam poteſt aut potuit accidere, vt creatura non eſſet ex nihilo facta, ſi ſemel exiſteret. Item, quia eſſe æternum ſolius ſubſtantiæ, quæ non facta, ſed factrix eſt omnium, proprium eſſe convincitur. Et in Proſologio, cap. 13. *Vbique & ſemper es. quod de te ſolo dici poteſt.* Hugo Victorinus lib. 1. de Sacr. *Fugit divinam virtutem, quòd aliquid ſibi coæternum faciat.* Tertullianus libro contra Hermogenem cap. 4. arguit contra hæreticum illum fingentem materiam Deo coæternam, ex eo quòd æternitas ſolius Dei propria ſit; ac proinde nulli materiæ, nulli creaturæ convenire poſsit. Verba exhibeo: *Quis enim alius Dei cenſus, quàm æternitas? quis alius æternitatis cenſus, quàm ſemper fuiſſe & futurum eſſe, ex prærogativa nullius initij, & nullius finis? Hoc ſi Dei eſt proprium, ſolius Dei erit, cuius eſt proprium.* Richard. Victor. lib. de Trin. cap. 12. *Immenſitas & æternitas ſic ſunt vnius* (Dei) *vt non poſsint eſſe alterius.* S. Auguſtinus *libr. 12. de Civit. cap. 15.* probat Angelos nec fuiſſe, nec potuiſſe eſſe Deo coæternos, quia natura ſua habent motus, ſive operationes tranſeuntes de futuro in præteritum. quod non

poteſt

poteſt convenire ab æterno exiſtenti. Vnde inter alia ſubdit; *Tempus autem, quoniam mutabilitate tranſcurrit, æternitati immutabili non poteſt eſſe coæternum. At per hoc etiamſi immortalitas Angelorum non tranſit in tempore, nec præterita eſt, quaſi iam non ſit; nec futura, quaſi nondum ſit; tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, ex futuro in præteritum tranſeunt: & ideo Creatori, in cuius motu dicendum non eſt, vel fuiſſe quod iam non ſit, vel futurum eſſe quod nondum ſit, coæterni eſſe non poſſunt.* Quaſi argueret ſub hac formâ ſyllogiſmi: Omne quod habet ex natura ſua operationem ſive motum tranſeuntem penes futurum & præteritũ, nequit eſſe æternum. Sed Angeli habent ex naturâ ſuâ operationes ſive motus tranſeuntes penes præteritum & futurum. Ergo Angeli non potuerunt eſſe æterni. Cumque hæc ratio multo magis vrgeat in cæteris ignobilioribus creaturis, conſequens eſt, vt nulla illarũ potuerit eſſe ab æterno.

17 *IDEM* Auguſtinus *tom.6. cap. 7.* ſic invehitur contra Felicianum, qui aiebat Filium Dei eſſe creaturam: *Nihil, quod credulitate dignum videatur, opponis. Creatura namque eſt, ex eo, quòd aut adhuc non eſt, aut aliquando non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis, quantùm in ſe eſt, per omnipotentis Dei voluntatem facta ſubſtantia.* Subiungit præterea, id ipſum, non Filio Dei, ſed ſoli creaturæ convenire: quia *ille non ex eo quod non eſt, in id quod eſt: & propterea nunquam in id quod non eſt, ex eo quod eſt. Illa ex eo quod non eſt, in id quod eſt: & propterea quãtùm ad ſe attinet, ex eo quod eſt, in id quod non eſt, ſui ortus conditione revertitur.* Quaſi in hunc modum ratiocinaretur. Omnis creatura eo ipſo quod creatura ſit, tranſit à non eſſe ad eſſe, ſicut & poſtea ex ſe tranſire poteſt ab eſſe ad nõ eſſe. At Verbum Dei non tranſivit a non eſſe ad eſſe, neque poſtea ex ſe tranſire poteſt ab eſſe ad non eſſe. (Quippe quod in principio erat, & manet in æternum.) Ergo Verbum non eſt creatura. Supponit ergo Auguſtinus in illa maiori propoſitione, omnem creaturam debere produci ex nihilo ſui præſuppoſito, ac proinde eſſe non poſſe ab æterno exiſtentem. Quod & vberius ſequentibus verbis confirmat: *Dixi, inquam, de Filio, eũm cum à creatura definitione diſcernerem, quoniam is, non ex eo, quod non eſt, in id quod eſt. Quod tale eſt, ac ſi dicerem, non ex nihilo factus eſt. Et propterea nunquam in id quod non eſt, ex eo quod eſt: id eſt, nunquam in nihilum ex eo ipſo, quod eſt, naturæ ſuæ proprietate ſolvendus eſt. Creatura verò ex eo quod non eſt, in id quod eſt. quo oſtenditur, quia ex nihilo prolata eſt. Et propterea, quantùm ad ſe attinet, ex eo quod eſt in id quod non eſt; id eſt, in nihilũ niſi perpetua gratia fecerit, naturæ ſuæ qualitate vertenda eſt. Ergo nunquam non erit Filius, qui ſubſtantialiter docetur eſſe perpetuus.* Vbi & aliud argumentum nobis ſubminiſtrat: quoniam omne quod ab æterno exiſtit, talis naturæ eſt, vt nunquam deſinere poſsit. At nulla creatura talis naturæ eſt, vt nunquam deſinere poſsit. Ergo & nulla creatura talis naturæ eſt, vt poſsit ab æterno exiſtere. Quod idem argumentum eleganter antea perſtrinxerat Hilarius Carmine de Geneſi ad Leonem Papam, vbi Deum ita alloquitur:

Semper eris, quia ſemper eras: non mortis egenus,
Qui natalis inops, nec finem noveris ævi.
Ex ſe principium cui contigit, haud manet alter
Authorem caſus: naſcentia terminus vrget.

Verum de iis ſatis. In quibus diligens quiſque & ingenioſus Lector deprehendet plura gravia & difficilia argumenta, non ab authoritate ſolum, ſed à ratione, quæ in formam ſyllogiſticam reducere, & torquere poſsit in opinionem adverſam.

18 P. Franciſcus Amicus in ſuo politiſsimo Curſu Theologico *tom.1. diſp.7. ſect.2. num.50.* cùm in genere obieciſſet ſibi Patres aliquos probantes Verbum non eſſe creaturam, quia extitit ab æterno, reſpondet dupliciter. *Primò*, illos arguere contra Arium, ſuppoſitâ creaturarum omniũ productione in tempore. Verùm ſolutio hæc iam ſuprà pluribus reiecta eſt, præſertim *num.9.* *Secundò* reſpondet, eos ſolum negare potuiſſe condi creaturam ab æterno cum naturali exigentia æternitatis. *SED Contra I.* Ex ipſis enim teſtimoniis prolatis totâ lectione apparet manifeſtum, eos loqui de æternitate qualitercunque ſumptâ, ſive pro carentia initij, nulla vnquam facta mentione exigentiæ connaturalis eiuſdem. Ergo omnino voluntaria & abſque fundamento in ipſis Patribus eſt prædicta interpretatio. Quare, S. Maximus Cent.4. Theol. *Quomodo enim*, inquit, *ſunt creaturæ, ſi coæternæ ſunt Creatori?* *CONTRA II.* Perinde enim aiunt repugnare creaturæ æternitatem, ſicut & immutabilitatem, & omnipotentiam. At vtraque hæc poſterior repugnat creaturæ, etiam citra exigentiam connaturalem. Ergo & illa prior. *CONTRA III.* omiſsis aliis, quia iuxta hanc expoſitionem argumenta Patrum in Arianos facillimè ab iis eluderẽtur. Reſponderent enim hæretici, Verbum quidem extitiſſe ab æterno; cæterum ſine na-

naturali exigentiâ vt ab æterno exiſteret. quod erat neceſſarium, vt ex vi æternitatis probaretur Verbum non eſſe creaturam, ſed Deum. Vnde ad id probandum oporteret Patres quærere alia argumenta, relicto illo, quod toties, & tam impensè, ex ſolà æternitate proponunt. Quod verò eruditiſſimus P. Henao *lib. 3. Empyreol. exercit. 12. ſect. 7.* ex profeſſo docet, circa non repugnantiam creaturæ exigentis naturaliter æternitatem, ex dictis reijci poteſt, & latiùs impugnabitur *diſputatione 45.* Nunc iam ad alia rationum momenta veniamus.

SECTIO SECVNDA.

Oſtenditur rationibus varijs, præſertim ex doctrinâ Patrum erutis, impoſsibilitas creaturæ permanentis, quæ ab æterno exiſtat.

19 PRIMA Ratio, quam ſpeciatim elicio ex Auguſtino & Hilario, nuper expenſis, in hunc modū procedit. Quælibet creatura ab æterno exiſtens, neceſſariò durare debet per infinitā æternitatem, quin à Deo deſtrui poſsit. At impoſsibilis eſt creatura, quæ neceſſariò durare debeat per infinitam æternitatem, quin à Deo deſtrui poſsit. Ergo impoſsibilis eſt creatura ab æterno exiſtens. Conſequētia, & totus ſyllogiſmus rectè procedit in in ſecundo modo ſecundæ figuræ. Maior facilè ſuadetur: quia quocunque inſtanti deſtrueretur eiuſmodi creatura, neceſſariò præceſsiſſet æternitas, per quam duraſſet: omne enim inſtans determinatum, in quo deſtrueretur, deberet præſupponere infinita inſtantia determinata prius & priùs, quin vllum aſsignari poſſet primum omnium. Vnde & infertur planè altera eiuſdem minoris pars, quòd ſcilicet Deus non poſſet deſtruere creaturam illam per infinitā æternitatis durationem, in qua neceſſariò durare deberet.

20 Iam minor illa præcipui ſyllogiſmi probatur multipliciter, & præcluſis obiter Adverſariorum evaſionibus. *Primò:* Quia Deus ratione ſupremi dominij exigit eſſe ita liberum in rerum productione & conſervatione, vt, ſecluſo pacto, aut promiſsione gratuitâ, nullam teneatur neceſſariò conſervare, ſed poſsit ſtatim ac producta eſt in merum nihil redigere. Ergo impoſsibilis eſt creatura, quæ neceſſariò debeat durare per infinitam æternitatem, quin à Deo deſtrui poſsit.

21 *Secundò* probatur eadem minor. Supremo Dei dominio repugnat aliquā modò creaturam exiſtere, quam ipſe nequeat pro ratione ſui arbitrij per totā æternitatem à parte poſt deſtruere vnquam abſolutè loquendo. Ergo & eidem ſupremo dominio repugnat extitiſſe creaturam aliquam, quam pro ratione arbitrij nequiverit Deus deſtruere per totam æternitatem à parte antè. Vrgetur hæc impugnatio. Homo v.g. in quacunque hypotheſi abſolutè poſsibili à Deo creetur, eadem omnino prædicata intrinſeca & naturalia habet: in quibus certè nullum eſt quod exigat neceſſitate metaphyſicâ, & inimpedibili à Deo, permanentiam pro alio inſtanti ſequenti. multo autem minùs per durationem infinitam. Idemque eſt de Angelo, & de qualibet aliâ creatura. Ergo impoſsibilis eſt creatura, quæ neceſſariò debeat durare per infinitam æternitatem, quin à Deo deſtrui poſsit.

22 *Tertiò.* Inintelligibile eſt, & inſœderabile cum ſupremo Dei dominio; quòd mundus, vel Angelus ſemel creatus ab ipſo, nequeat deſtrui abſolutè per mille annos ſequentes, ſed debeat neceſſariò cōſervari. At longè maius eſt exigere neceſſariò conſervationem per infinitum tempus cum repugnantiâ omnimoda ad deſtructionem intrà illud, quam ſine dubio haberet creatura ab æterno exiſtens. Aſsigna enim quodlibet inſtans in quo deſtrueretur. Certè quantumvis antè & antè illud aſsigneſ, finitè diſtabit ab hodierno die, eo ipſo quod æternum non ſit: ac proinde, ſicut hodiernus dies infinitè diſtat ab æternitate à parte antè, ita & illud inſtans annihilationis à te, vel à Deo aſsignatum, infinitè diſtabit ab æternitate à parte antè. Hac ratione quodcunque inſtans determinatum, ſive annihilationis, aſsignetur in poſterum, quātumvis ſerò adventurum, poſt innumerabiles ferè annorum chiliades, adhuc ſolùm finitè diſtat à die hodierno, & infinitè ab æternitate à parte poſt, ſicut & hodiernus dies. Quoties enim duo aliqua in vno genere diſtant ſolùm finitè, ſi alterum illorum infinitè diſtat à tertio aliquo, etiam alterū infinitè diſtare neceſſe eſt. Si ergo repugnat creatura neceſſariò exigens conſervationē per mille annos; multò magis repugnat creatura exigens conſervationem per infinitam æternitatis durationem, ſive à parte antè, ſive à parte poſt.

Argumento huic fundamentum præſtant non ſolum Patres allegati, & plerique alij, ſed verba illa Sapientiæ 11. v. 26. *Quomodo autem*

cur poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet conſervaretur?

23 *DICES*, totam illam neceſſitatem permanendi, & durandi infinitè à parte antè, eſſe ſolius ſuppoſitionis abſolutè liberæ Deo, qui ſciens ac prudens voluit eam creaturam ab æterno condere, & proinde quaſi ligare ſibi manus ad deſtruendã illam, niſi poſt infinitam durationem tranſactam: qualiter per decretum abſolutum & liberum conſervandi Petrum per totam æternitatem à parte pòſt, Deus quaſi ligat ſibi manus, ne ex ſuppoſitione talis decreti poſſit vnquam Petrum deſtruere. Ergo quemadmodum in hoc ſecundo caſu non læditur ſupremum Dei dominium, ſed potiùs exercetur; ita & in primo.

24 *SED Contrà*, & retorquetur inſtantia. Licèt enim decretum abſolutum Dei de conſervatione alicuius rei pro determinatâ duratione, annua v.g. aut etiam æternâ, inferat neceſſitatem permanentiæ eiuſdem rei annuæ, aut æternæ; decretum tamen ſolius creationis in quocunque inſtâti determinato, nullam infert neceſſitatem conſervationis eiuſdem rei pro inſtanti ſequenti, & multò minùs pro duratione infinità ſequenti: quia conſervatio eſt novũ beneficium ſupra creationem, & Deus adhuc ex ſuppoſitione prioris beneficij manet liber ad poſterius negandum, vel largiendum. Ergo implicat decretum creandi rem ab æterno: quia eiuſmodi decretum ſe ſolo inferret omnimodam neceſſitatem permanentiæ eiuſdem rei per infinitam durationem, vt ſuperiùs probatum eſt. *CONTRA II.* Si enim quidquam probat ſolutio aſsignata, probat non implicare decretum creandi in tempore aliquid, quod omninò neceſſariò, & iure ſolius creationis, exigat conſervari per durationem infinitam, ita vt poſtquam creatum eſt nequeat deſtrui à Deo. Conſequens autem abſurdum eſſe pater, & contrarium perfectiſsimo Dei dominio; imò & anſam præbens, vt impunè quis aſſerat, mundum, vel aliquam creaturam de facto exiſtentem, iure ſolius creationis eſſe indeſtruibilem à Deo. Iam verò præcipuam ſequelam probo: quia iuxta ſolutionem præiactam ideo non repugnat decretum creandi rem ab æterno, quæ omninò neceſſariò, & iure ſolius creationis, exigat conſervari per durationem infinitam, ita vt nequeat deſtrui à Deo, niſi illâ tranſactâ; quia tota illa neceſſitas eſt conſequens liberum Dñi decretum, quo voluit creare rẽ ab æterno; & ſuppoſitiò neceſſaria conſequens non lædit perfectiſsimum Dei dominium, ſed potiùs illud exercet. At etiam neceſſitas conſervandi rem in tempore productam per infinitam durationem à parte pòſt, eſſet conſequens liberum Dei decretum de creatione eiuſdem rei in tempore. Ergo ſi non implicat decretum creandi ab æterno aliquid, non implicat ſimiliter decretum creandi in tempore rem omninò exigentem conſervari, & nunquam deſtrui per infinitam durationem, ex ſolà ſuppoſitione eiuſdem decreti.

25 *OCCVRRES* reddendo diſparitatem: quia in priori caſu neceſsitas conſervandi rem per durationem infinitam non oritur ex ſolo decreto creandi, neque ex ſola creatione rei; ſed ex decreto creandi & creatione prout æternâ, ſive ante omne initium; quod decretum virtualiter intrinſecè & eſſentialiter eſt illativum conſervationis eiuſdem rei per infinitam durationem. Decretum verò creandi rem in tempore non eſt virtualiter intrinſecè aut eſſentialiter illativum conſervationis eiuſdem rei in poſterum, quoniam omnis res quæ in tempore incipit eſt etiam capax deſinendi in tempore quolibet ſequenti.

26 *PLAVSIBILIS* Solutio. Sed contrà I. Repugnat omninò decretum creandi eſſentialiter inferre conſervationẽ alicuius rei. Sed decretum creandi rem ab æterno eſſentialiter inferret eiuſdem rei conſervationem. Ergo repugnat omninò decretum creandi rem ab æterno. Conſequentia eſt in quarto modo ſecundæ figuræ, & minor conceditur in ſolutione præiactâ. Maiorem, in qua eſt difficultas, probo. Conſervatio enim rei ex terminis eſt beneficium diſtinctum à creatione; & in quo Deus diſtinctam libertatem exercet, & ratione cuius ſpecialem gratitudinem exhibere ipſi debet in quacunque hypotheſi abſolutè poſsibili rationalis creatura. Ergo repugnat omninò decretum creandi eſſentialiter inferre conſervationem alicuius rei. *Secundò* probatur eadem maior. In quolibet inſtanti determinato, reali, aut imaginario, poſt creationem cuiuſlibet rei, poteſt Deus ſuſpendere concurſum conſervativum ipſius; quia in hoc nulla implicantia eſt, ſed potiùs neceſsitas ad ſalvandum perfectè ipſius dominium. Ergo repugnat decretum creandi rem aliquam eſſentialiter inferre conſervationem ipſius.

27 *CONTRA II.* & inſtauro paritatem præcedentem. Ideo repugnat decretum creandi in tempore rem neceſſariò exigentem ſui conſervationẽ per infinitam durationem, quia vi eius decreti nequiret

pro-

produci in re aliquid, ratione cuius eſſentialiter eiuſmodi durationem exigat. At neque poteſt produci in re aliqua ab æterno quidquam, ratione cuius infinitam durationem exigat. Ergo etiam repugnat decretũ creandi ab æterno aliquid, neceſſario exigens conſervationem ſui per infinitam durationem. Probatur minor: quia mundus, aut homo, aut Angelus creatus ab æterno, nullam aliam intrinſecam perfectionem haberet, ac modò habet creatus in tempore; ſed prorſus eandem. Si enim aliquam haberet, maximè durationem intrinſecã & æternam, ratione cuius indiviſibiliter correſponderet infinito tempori vero, aut imaginario. Eiuſmodi autem duratio eſt creaturæ impoſſibilis: Tum quia debet eo ipſo eſſe actu infinita in genere durationis, & infinitum in actu repugnat extra Deum, vt latè demonſtratũ eſt libro 3. huius Operis, & plerique Adverſariorum ibidem fatentur: Tum etiam quia iuxta Patrum teſtimonia, & rationem naturæ lumine manifeſtam, non minùs repugnat vera æternitas extra Deum, quàm vera omnipotentia, immutabilitas, & immenſitas. Proindeque ſicut nulla hypotheſis eſt abſolutè poſſibilis, in quâ creatura habeat aliquam ex prædictis perfectionibus; ſic neque æternitatẽ, ſeu durationem intrinſecè æternam. Si autem aſſeras durationem eius creaturæ fore ſolùm extrinſecè æternam, non aſſignas aliquid ratione cuius illam exigat. Non enim ratione decreti creandi, neque ipſius creationis, neque ratione creaturæ ab æterno productæ; cùm tria hæc eiuſdem omnino rationis ſint quò ad intrinſeca, ſive creatio peragatur in tempore, ſive ab æterno. Ergo nihil demum aſſignas, vi cuius creatura exigat neceſſariò durationem æternam.

28 *CONFIRMATVR* Argumẽtum præcipuum. Repugnat creari aliquid in æternitate à parte poſt, quod infinitè ſecundùm durationem diſtet a die hodierno. Ergo ſimiliter repugnat aliquid creari in æternitate a parte antè, quod ſecundùm durationem infinitè diſtet ab hodierno die. At res ab æterno creata diſtaret infinitè à die hodierno. Ergo repugnat aliquam rem creari ab æterno. Minor, ſubſumpta & conſequentia patent. Et prima cõſequentia videtur conſtare, tùm a pari, tum quia, Deus potentior non eſt in æternitate à parte antè, quàm poſt; ſed vtrobique æquè omnipotens; & aliunde æternitas à parte poſt tantundem habet in genere durationis; tam infinitaque eſt, quam a parte antè. Iam verò illud primum antecedens facillè ſuadetur: Quia quantumvis remotè ſi cogitetur quodlibet inſtans creationis futuræ in æternitate à parte poſt, inter illud & diem hodiernum ſolùm poteſt interiacere finita duratio, vtpotè duobus terminis clauſa intra proprium genus. Demonſtratum autem eſt à nobis loco allegato non ſemel cùm communi ſententia, repugnare infinito in actu cuiuslibet generis, quod duobus vtrimque terminis coerceatur. Ergo repugnat creari aliquid in æternitate à parte poſt, quòd infinitè ſecundùm durationem diſtet a die hodierno.

29 *CONFIRMATVR II.* Si per poſſibile, aut impoſſibile, eſſet aliquid creabile in æternitate a parte poſt, quod ſecundùm durationem diſtaret infinitè a die hodierno, nunquam proceſſu temporis deveniretur ad creationem illius, quantumvis plures & plures anni, imò & ſæcula fluerẽt ab hodierno die; quia de ratione infinitæ durationis eſt vt nullis ſucceſsionibus finitis, quales ſunt dierum, annorum, & ſæculorum, exhauriatur, aut totum pertranſeatur. Ergo ſimiliter, ſi aliquid fuit creabile in æternitate à parte antè, quod ſecundùm durationem diſtaret infinitè à die hodierno, nunquam illud deveniſſet ad diem hodiernum, quantumvis plura & plura ſæcula fluxerint: quia pariter diſtantia illa fuiſſet infinita ſecundùm durationem, ac proinde nullis ſucceſsionibus finitis, quales ſunt dierum, annorum, & ſæculorum, exhauriri aut pertranſiri potuiſſet.

30 Vnde non apparet quomodo Adverſarij cum communi ſententia Philoſophorum ſtatuant, infinitum finitis diviſionibus, & ſucceſsionibus, & dinumerationibus pertranſiri non poſſe; & tamen aliũde poſsibilem aſſerant ab æterno creationem rei, quæ vſque modò perduraſſet. Neceſſum enim foret rem eiuſmodi pertranſiſſe infinitum ſpatium durationis mediis ſucceſsionibus finitis horarum, dierum, & annorum, aut realibus, aut ſaltem imaginarijs, ſi negent motum & tempus reale potuiſſe ab æterno exiſtere. Nec ſatisfacient ſi dicant, dies, annos, & ſæcula præcedentia diem hodiernum futura fuiſſe infinita numero vſque ad diem hodiernum, ac proinde nihil mirum ſi ijs omnibus exhauſta aut pertranſita fuiſſet infinita duratio. Non, inquam, ſatisfacient: Quoniam de ipſis infinitis diebus & annis redit argumẽtum, quomodo omnes vſque modò pertranſiri potuiſſent, & exhauriri, vno poſt alterum ſuccedente. Impoſsibile enim eſt vt numerus

die-

dierum, & quarumlibet aliarum rerum infinitus, ſucceſsivè & gradatim de vno in alium, finiatur.

31 *DICES:* Deus, quia æternus eſt, per totam æternitatem a parte antè duravit vſque modò, & coextitit toti tempori imaginario & vero vſque ad diem hodiernum; ac proinde exhauſit durationem infinitam a parte antè. Ergo nullum inconveniens eſt in eo, quòd creatura æterna duraſſet vſque modò per totam æternitatem à parte antè, & coextitiſſet toti tempori imaginario, ac vero vſque in diem hodiernum; ac pròinde exhauxiſſet durationem à parte antè infinitam.

32 *SED Contrà.* Æternitas enim Dei talis naturæ & perfectionis eſt, vt non priùs coexiſtat præcedenti tempori, quàm ſubſequenti, neque pertranſeat tempus præcedens vt accedat ad ſubſequens: quia eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſio, ac proindè nullam patitur ſucceſſionem. Cui doctrinæ illuſtrandæ plura ſuggerit eruditiſsimus Petavius l. 3. Theolog. dogm. c. 4. Vnde ſcitè & profundè S.P. Anſelmus Deum alloquitur in Proſologio cap. 19. his verbis: *De æternitate tua nihil præterit, vt iam non ſit; neque aliquid futurum eſt, quaſi nondum ſit. Non ergo fuiſti heri, aut eris cras: ſed heri, hodie, & cras es: imò nec hodie, nec eras, ſed ſimpliciter es ſupra omne tempus.* Quare non ſequitur Deum pertranſiſſe ſpatium infinitum temporis imaginarij aut veri, ſed duratione ſua, tanquam infinità & ſupereminēti menſurà, coextitiſſe à principio quibuslibet temporibus futuris, & duraſſe quàtùm duraturus eſt per totam æternitatem. Creatura autem, quam Adverſarij dicunt potuiſſe exiſtere ab æterno, non habuiſſet æternitatem ſimilem, ſeu æqualem divinæ, vt ipſi aiunt, & ex ſe manifeſtū eſt: ſed longè inferiorem, & quæ priùs coexiſteret tempori præſenti, quàm futuro. Alioqui nunquam annihilari poſſet à Deo per totam æternitatem, ſi iam coextitiſſet omnibus differentijs temporis. Ergo creatura illa gradatim pertranſiſſet infinitum tempus, ſeu reale, ſeu imaginarium vſque ad diem hodiernum, illudque ſucceſsivè totum percurriſſet; quod planè repugnat durationi temporis infinitæ.

33 *CONTRA II.* Creatura ab æterno producta, in ſe ipſa, & in propriâ menſurà, non coexiſteret à principio rei hodie productæ, ſed deberet expectare adventum hodiernæ diei, eà ratione quà ævū indiviſibile Angeli expectavit a principio mundi hodiernū diem, vt ipſi actu & exercitè coexiſteret. Ergo quemadmodùm Angelus pertranſivit a principio mundi quidquid ex tunc temporis fuit; ita etiam creatura illa deberet pertranſijſſe quidquid ab æternitate à parte antè fuiſſet temporis, ſeu imaginarij, ſeu etiam veri, quod eſt tempus infinitum. At repugnat omnino tranſitus temporis infiniti. Ergo & creatura exiſtens ab æterno. In noſtra autem ſententiâ non vrget idem abſurdum ex parte Dei, vt dictum eſt.

SECTIO TERTIA.

Selecta aliæ rationes pro eâdem ſententiâ diverſimodè vrgentur, præſertim retorquendo præcipua argumenta Adverſariorum.

34 *SECVNDO* Probatur noſtra ſententià ex retorſione præcipui fundamenti, in quo Adverſarij nituntur, deſumpti, tum ex ratione, quia Deus tam potens erat ab æterno ac in tempore; ac proinde ſicut modò in tempore creat, ita & potuit creare ab æterno: tum quia, iuxta S. Auguſtinum 6. *de Trin. cap.* 7. ſi Sol ab æterno fuiſſet, etiam illius ſplendor fuiſſet æternus. At hæc ratio aut minimū, aut nihil probat. Quod ſic oſtendo. *Probat* enim primò contra pleroſque Adverſariorum, potuiſſe pariter motum & tempus produci à Deo ab æterno, ſicut modò de facto: quia non minùs potens fuit Deus ab æterno, quàm nunc. Ergo ſicut modò cauſat motum & tempus, ita etiam potuit illud producere ab æterno. Si autem dicas in motu & tempore eſſe repugnantiam vt ab æterno ſint, nullam verò in creaturà permanente; debes hoc ſecundum probare, & eligere aliud argumentum ad id ſuadēdum. *Probat II.* ignem ab æterno creatum iuxta ſtuppam, potuiſſe illam cōburere ab æterno: quia agens ſufficienter approximatum paſſo rectè diſpoſito, qualis eſt ignis reſpectu ſtuppæ, ſibi proximæ, poteſt in eodem inſtanti reali comburere non minùs, quàm Sol emittere ſplendorem in eodem inſtanti quo creatur.

35 Conſequens verò abſurdum eſt, vt iam probo. Hoc enim ipſo quòd ignis ab æterno combureret ſtuppam, deberet ab æterno corrumpi forma ſtuppæ, vt in materià ipſius introduceretur forma ignis, etiam ab æterno. Hoc autem impoſsibile eſt: quia forma ſtuppæ debuiſſet præcedere aliquo inſtanti reali corruptionem ſui, cùm

non

non poſsint eſſe ſimul forma & privatio, ſeu corruptio ipſius. At impoſsibile eſt ab æterno eſſe id, quod præceditur ab alio pœnes aliquod inſtans reale. Ergo impoſsibile eſt corruptionem ſtuppæ eſſe ab æterno. Ergo & combuſtionem ſtuppæ. Et tamen ignis ab æterno ſupponitur cum activitate & approximatione ſufficienti ad ſtuppam comburendam. Ergo ex præciſa activitate cauſæ ab æterno exiſtentis, aut probatur aliquid impoſsibile, aut non probatur effectum potuiſſe exiſtere ab æterno. Vnde & obiter infēres, Adverſarios teneri dicere, ignem in dicta hypotheſi minimè combuſturum ſtuppam per infinitam durationem ſequentem: quia cùm forma ſtuppæ ſupponatur ab æterno exiſtēs, & combuſtio illius nequeat eſſe ab æterno, vt probatum eſt; debet inter creationem ſtuppæ & ipſius combuſtionem intercedere infinita durationis diſtantia. Quod certè eſt ſpecioſum miraculum, & longè maiorem efficaciam adſcribens temporali igni, quàm æterno.

36 *CONFIRMATVR*. Non minùs habet Deus ab æterno infinitam virtutem ad annihilandum, quàm ad creandum. Et tamen impoſsibile eſt Deum aliquid annihilare ab æterno. Ergo ex infinitate divinæ virtutis ad creandum malè colligitur Deum poſſe creare aliquid ab æterno. Maior eſt evidens: quia infinita virtus tam ad annihilandum, quàm ad creandum, eſt perfectio Dei neceſſaria, quæ proinde ipſi cōvenit ab æterno. Minor etiam conſtat ex diſcurſu nuper facto: quia annihilatio cuiuſlibet rei præſupponit neceſſario exiſtentiā eiuſdem pro aliquo inſtanti reali præcedēti; nihil autem æternum præſupponit, aliud pro inſtanti reali exiſtens. Annihilatio enim eſt ſuſpenſio concurſus conſervativi, quem Deus exhibere non poteſt, niſi circa rem pro aliquo inſtanti reali iam exiſtentem.

37 *DICES* eſſē diſparem rationē inter annihilationem & creationem, quòd prior debeat neceſſario præſupponere rem exiſtentem in aliquā prioritate durationis realis, vt probat argumentum noſtrum; poſterior verò ſolum exigat prioritatem cauſalitatis ſeu naturæ in cauſa creante; ac proinde poſsit ipſi realiter coexiſtere, ſi cauſa ſit exiſtens ab æterno.

38 *SED Contrà I.* Argumentum enim a me propoſitū in ſenſu formali procedit retorquendo potiſsimum fundamentum Adverſariorum deſumptum ex infinitā activitate & æternitate cauſæ creantis: quod, ſi probat illam poſſe ab æterno creare, probat etiam poſſe ab æterno annihilare; cùm etiam vis cauſæ primæ ad annihilandum ſit æterna & infinita. At hoc ſecundum non probat. Ergo neque primū. *CONTRA II.* Annihilatio rei ideo præſupponit pro aliquo inſtanti reali creaturam exiſtētem, quia eſt deſtructio omnimoda ipſius, ſive tranſlatio de eſſe vt termino *à quo*, ad non eſſe vt terminum *ad quem*: ac proinde præſupponens realiter eſſe creaturæ ante ſe ipſius non eſſe. Atqui etiam creatio eſt productio omnimoda creaturæ, ſive tranſlatio illius à non eſſe vt termino *à quo*, ad non eſſe vt terminum *ad quem*. Ergo & creatio debet præſupponere non eſſe creaturæ ante ipſius eſſe pro aliquo inſtanti reali. Seu id quod præſupponit non eſſe ſui pro aliquo inſtanti reali, nequit eſſe ab æterno, vt probatum eſt, & Adverſarij fatentur. Ergo nec creatio, nec eſſe creaturæ poteſt eſſe ab æterno.

39 *Confirmatur* hæc impugnatio. Non minùs creatio definitur & eſſentialiter eſt productio rei ex puro nihilo, quàm annihilatio ſit reſolutio rei in purum nihil. At quia annihilatio eſt reſolutio rei in purum nihil, debet præſupponere aliquid ipſius rei in inſtanti reali, & non præcisè in aliquo priori naturæ. Ergo quia creatio eſt productio rei ex puro nihilo, debet præſupponere ſimiliter nihil eiuſdem rei, non modo pro priori naturæ, ſed etiam in inſtanti reali. Si autem dicas, creationem ſolum eſſe productionem rei ex nihilo, *id* eſt, ex nullo præſuppoſito ſubiecto; non verò ex nihilo rei creatæ præſuppoſito realiter; quia hoc non exigitur eſſentialiter à creatione; cur etiam non dices, annihilationem eſſe reſolutionem rei in nihilum, id eſt, nullo permanente ipſius ſubiecto; ita vt nec eſſe ipſius rei debeat præſupponi realiter? Nulla enim ratio eſt, vt ſi annihilatio eſſentialiter præſupponit eſſe rei, vltra negationem ſubiecti remanentis; creatio eſſentialiter non præſupponat non eſſe rei, vltra negationē ſubiecti præſuppoſiti. Tam enim creatio eſt productio rei ex nihilo, quàm annihilatio reductio rei in nihilum.

40 *DICES II.* eſſe latum diſcrimen inter creationem ex vnā parte, & annihilationem ex aliā: quod vt res creetur ſufficiat fieri ex nihilo ſui in potentiā, ſeu quantum eſt ex parte creaturæ, cui ex ſe nō repugnat eſſe ſemper ſub nihilo, aut præſupponere nihil ſui quanquam de facto & ex indebito Dei beneficio numquam ſit ſub nihilo realiter & actu. At vero annihilatio eſſentialiter præſupponit beneficium ipſum creationis pro aliquo inſtanti reali

com-

communicatum actu, ac proinde poſitivum eſſe rei; quia annihilatio ex terminis conſiſtit in ſubtractione totius concurſus quo res conſervabatur in inſtanti præcedenti: nulla autem res conſervatur niſi pro eo inſtanti, in quo habet eſſe reale ac poſitivum. Ergo ſtat optimè rem poſſe creari, nō tamen annihilari ab æterno.

41 *SED Contrà*: &, præterquam plura ex prælactis vrgeri poſſunt contra hanc ſolutionem, ſic denuo argumentor. Nulla res, cuius carentia ſecundùm ſe, & quantùm eſt ex parte ipſius rei, poteſt præcedere exiſtētiam, poteſt eſſe ab æterno. Sed omnis creatura talis eſt, vt carentia eius ſecundùm ſe, & quantùm eſt ex parte ipſius, poſsit præcedere exiſtentiam. Ergo nulla creatura poteſt eſſe ab æterno. Conſequentia eſt formalis in ſecundo modo primæ ac perfectæ figuræ. Minor conſtat, tum ex ſolutione aſsignata, tum præterea quia nulla creatura exigit ſui productionem, neque exiſtere ab æterno, cùm ex ſe abſtrahat à ſtatu exiſtentiæ. Omnis autem res non exigens productionem ſui, nec exiſtentiam ab æterno, ſed abſtrahens à ſtatu exiſtentiæ, talis eſt, vt carentia eius ſecundùm ſe, & quantum eſt ex parte ipſius rei, poſsit præcedere exiſtentiam. Ergo omnis creatura talis eſt, vt carentia eius ſecundùm ſe, & quantùm eſt ex parte ipſius rei, poſsit præcedere exiſtentiam. Iam verò maior illa præcipui ſyllogiſmi probatur. Omnis res potens eſſe ab æterno, poteſt actu occupare ſeu poſsidere totam æternitatem à parte antè. At nulla res, cuius carentia ſecundùm ſe, & quantùm eſt ex parte ipſius rei, præcedere valet exiſtentiam, poteſt occupare ſeu poſsidere totam æternitatem a parte antè. Ergo nulla res, cuius carentia ſecundùm ſe, & quantùm eſt ex parte ipſius rei, præcedere valet exiſtentiā, poteſt eſſe ab æterno.

42 Conſequentia eſt in ſecundo modo ſecundæ figuræ. Maior ſeipſa innoteſcit & conſtat. Minorem probo, tum à priori, tum à pari. *A priori* quidem: quia nulla res, cuius carentia ſecundùm ſe, & quantùm eſt ex parte ipſius rei, poteſt præcedere exiſtentiam, eſt capax ſummæ neceſsitatis & plenitudinis eſſendi, vt ex ſe liquet. At omnis res potens occupare ſeu poſsidere totam æternitatem a parte antè, eſt capax ſummæ neceſsitatis & plenitudinis eſſendi; vtpote capax habendi interminabilis vitæ totam ſimul & æternam poſſeſsionem. Ergo nulla res, cuius carentia ſecundùm ſe, & quantùm eſt ex parte ipſius rei, præcedere valet exiſtentiam, poteſt occupare, ſeu poſsidere totam æternitatem à parte antè. *A pari* autem probatur eadem minor. Nulla enim res cuius carentia ſecundùm ſe, & quantum eſt ex parte ipſius rei, poteſt ſubſequi exiſtentiam, valet actu occupare, ſeu poſsidere totam æternitatem a parte poſt. Ideoque ſolus Deus actu poſsidet totam æternitatem à parte poſt, quia habet ſummam repugnantiam vt ad eſſe ipſius ſubſequatur carentia, ſeu non eſſe; contrà verò omnis creatura, etiam æviterna, & perpetuò duratura, ex ſe poteſt habere non eſſe, ſeu deſinere in carentiam ſui; ideoque non poſsidet ſeu occupat actu totam æternitatem à parte poſt; ſed ſolum aliquid temporis, aut ævum, quod eſt quaſi nihil relatè ad æternitatem. Ergo ſimiliter nulla creatura, cuius carentia, ſeu non eſſe, ſecundùm ſe, & quantum eſt ex parte ipſius, poteſt præcedere exiſtentiam, valet actu poſsidere ſive occupare totam æternitatem à parte antè; ſed ſolùm temporis partem, aut ævū, quod eſt quaſi nihil relatè ad æternitatem.

43 *TERTIÒ* Probatur ex retorſione alterius argumenti Adverſariorum, inferentium potuiſſe creari mundum ab æterno, quia ante quodlibet inſtans determinatum regrediendo ad æternitatem à parte antè, potuit creari mundus, neque vnquam tam antea, quin potuerit creari prius & prius. At exinde non probatur potuiſſe mundum ab æterno creari. Quod multipliciter probo. *Primò* in opinione plurium ex Adverſarijs, qui negant potuiſſe motum & tempus eſſe ab æterno. Et tamen evidens eſt potuiſſe motum & tempus produci antea & antea, neque vnquam tam antea quin prius & prius. Ergo ex hoc fundamento malè infertur potuiſſe mundum creari ab æterno. *Secundò* in corruptionibus quarumcunque rerum inſtantaneis, quæ potuerunt eſſe ante quodcunque inſtans reale imaginariumque determinatum, neque vnquam ita antiquitus, quin etiam prius & prius. Et tamen non inde colligere licet corruptionem aliquam, etiam inſtantaneam, potuiſſe eſſe ab æterno: vt ſuprà *num.* 35. in combuſtione ſtuppæ oſtenſum eſt. *Tertiò* in actu contritionis, qui potuit exiſtere prius & prius, quin vnquam ab æterno: nam ſaltem præſupponere debuit pro aliquo inſtanti reali peccatum commiſſum à proprio ſubiecto. *Quartò* in peccato, quod

potuit eſſe antea & antea; non tamen ab æterno; cùm in veriori ſententia, & expreſſa D. Thomæ, omne peccatum debeat præſupponere voluntatem in aliquo inſtanti præcedenti reductam in actum honeſtum ab Authore naturæ. *Quintò* in quolibet actu reminiſcentiæ, ſeu memoriæ propriè dictæ, qui potuit exiſtere ante quodvis inſtans determinatum, & tamen nunquam ab æterno. Etenim quilibet eiuſmodi actus eſſentialiter præſupponit obiectum, cuius recordatur quis, tanquam reipſa præteritum; & nihil ab æterno exiſtens præſupponere poteſt aliquid præteritum, quoniam debuit prius exiſtere. Sunt & pleraque alia eiuſmodi, in quibus apertam inſtantiam patitur argumentum Adverſariorum.

44 *CONFIRMATVR*. Nam, loquendo de æternitate à parte poſt, nulla res creari poteſt à Deo in aliquo inſtanti ita remoto à die hodierno, vt non poſsit creari in alio & alio poſteriori ac remotiori in infinitum ſyncathegorematicè. Alias tandem aliquando accederet inſtans, in quo iam Deus nihil omnino creare poſſet. Et tamen non ideo colligitur, poſſe Deum creare quidquam in æternitate à parte poſt ita diſtans à die hodierno, vt poſt illius creationem nihil æternitatis ſubſequatur. Ergo neque ex eo quòd potuerit Deus priùs & priùs creare mundum, ſine termino vllo ſyncathegorematicè à parte antè, inferre licet, potuiſſe aliquid creari ita diſtans à die hodierno, vt nihil æternitatis præceſſerit.

45 *QVARTO* Suadetur ratione à priori deſumpta ex perfectione æternitatis divinæ, quæ propria Dei eſt, & nulli creaturæ communicabilis, quia exprimit infinitatem in genere durationis. Æternitas enim eſt interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſsio; vti illam communiter omnes cum Boëtio definiunt: ac proinde ſimul & actu poſsidet vitam ſine termino per omnes differentias temporis, & ævi, tam realis, quam imaginarij: quod eſt proprium rei ſimpliciter infinitæ in genere durationis. Repugnat autem perfectionem infinitam ſimpliciter in genere durationis, ac Dei propriam, convenire creaturæ. Ergo & repugnat aliquam creaturam exiſtere ab æterno. Vnde non apparet quomodo Adverſarij frequenter doceant repugnare infinitum in actu extra Deum, vt & nos cum ipſis ſtatuimus *lib.* 3 huius Operis; & tamen aliunde velint potuiſſe convenire creaturæ exiſtentiam ab æterno, quod ſine infinitate in actu ſecundùm durationem, neque eſſe, nec intelligi poteſt.

46 *CONFIRMATVR I.* Quia quando Authores oppoſiti aiunt, potuiſſe creaturam ab æterno exiſtere, aut aiunt futuram fuiſſe in illa hypotheſi æternam per ipſam Dei æternitatem ſibi formaliter communicatam, aut per aliam æternitatem participatam ab ipſa, quæ ſit duratio propria & intrinſeca eiuſmodi creaturæ. Primum eſſe non poteſt: quia nulla creatura eſt capax durandi per ipſam durationem æternam & propriam Dei, etiamſi ſit natura hypoſtaticè vnita Deo, vt de humanitate Chriſti communiter ſtatuunt Theologi 3. *part. quæſt.* 7. ſicut etiam nulla creatura eſt capax eſſendi in loco per immenſitatem divinam, quamquam ſit natura hypoſtaticè Deo vnita, vt patet in eadem humanitate Chriſti Domini. Aut volunt Adverſarij creaturam poſſe eſſe æternam per æternitatem creatam & participatam à divina. Et hoc ſecundum dicere non poſſunt quicumque ex ipſis negant poſsibile eſſe infinitum in actu extra Deum. Æternitas enim eſſentialiter eſt menſura infinita in genere durationis, quia actu & eminenter continet omnes durationes inferiores, atque infinitas in potentia, & indiviſibiliter ac ſimul claudit extenſionem ipſarum ſucceſsivè infinitam: quod ſine infinitate in actu in genere durationis eſſe non poteſt.

47 *CONFIRMATVR II.* Nam adhuc cæteri Adverſariorum, qui docent non repugnare infinitum in actu magnitudinis, multitudinis, & intenſionis, mirum eſt ſi non inveniant ſpecialem repugnantiam in æternitate participata à Deo: quoniam æternitas ex ſua ratione formali importat actum purum in linea durationis, vt potè expertem totius potentialitatis in ordine ad exiſtendum vel non exiſtendum in quavis menſura durationis; ſicut & immenſitas ex terminis importat purum actum in linea vbicationis, excludentem omne genus potentialitatis in ordine ad exiſtendum vel non exiſtendum in qualibet differentia loci. Ergo quemadmodum hanc ob cauſam omni creaturæ repugnat vera aliqua immenſitas a Deo participata, ſic & æternitas.

48 *P.* Pontius vbi ſuprà *num.* 41. non reputat inconveniens, quod creaturæ communicetur immenſitas aliqua a Deo participata: in qua non invenit maiorem difficultatem, quàm in æternitate. Sed tamen

men ſolutio eſt contra mentem expreſſam SS. Patrum, qui vniversè docent, æternitatem & immenſitatem eſſe propriam Dei, & incommunicabilem creaturæ. Teſtimonia loquentium de æternitate, iam dedimus fusè totâ ſectione prima. Loquentium verò de immenſitate pauca hæc è multis accipe. Ambroſius *lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 7.* Initio: *Quis audeat creaturam appellare Spiritum Sanctum, qui in omnibus & vbique ſemper eſt, quod vtique divinitatis eſt proprium?* Si autem creatura poteſt habere immenſitatem veram, quamvis participatam poterit in omnibus & vbique ſemper eſſe: atq; adeo ex oppoſito principio malè probaſſet Ambroſius divinitatem Spiritus Sãcti, eiuſque argumentum faciliimè ſolveretur ab Arianis illam negantibus. S. Hieronymus in Pſalmum 138. ad illa verba, *Quò ibo à Spiritu tuo*, ſic loquitur: *Ex quo intelligimus Deum eſſe, qui totus vbique ſit.* At male inde intelligeretur, ſi poſſet Angelus aliquis eſſe immenſus, ac proinde totus vbique, vt Pontius ſtatuit. Cum enim Angelus ſit indiviſibilis, ſi vbique ſit, totus vbique erit. Damaſcenus *lib. 1. Fidei c. 17. Solius Dei eſt vbique eſſe.* Caſsiodorus in verba Pſalmi iam allegati: *Vbique & tota eſſe non poteſt, niſi ſola Trinitas.* Anſelmus in Proſologio cap. 13. *Simul eſſe vbique totum, de te ſolo intelligitur.* Quaſi de nulla creaturâ id vnquam intelligi poſsit, adeò verificari in re. Baſilius libro de Spiritu Sancto cap. 22. *Eum qui vbique eſt, cuius naturæ credere oportet eſſe?* Quaſi dicat, non, niſi increatæ ac divinæ. Denique repono verba Richardi Victorini ſuperiùs exſcripta lib. 1. de Trinit. cap. 12. fine: *Immenſitas & æternitas ſic ſunt vnius* (Dei) *vt non poſsint eſſe alterius.* Palam itaque eſt ex Patribus, neque æternitatem, neque immenſitatem creaturæ poſſe competere. Vide quæ circa hoc ipſum præmiſsimus *diſp. 26. ſect. 2. per totam.*

49 *DEINDE* Refellitur data ſolutio: quoniam illa poſitâ, ſeu ſtatuta capacitate vt natura creata vbique ſit, difficillimè probari poterit contra Vbiquiſtas hæreticos animam Chriſti vbique non eſſe, ſive per ipſam Verbi immenſitatem vnitam realiter, ſive per aliam immenſitatem à Deo participatam. Vide quæ diximus loco nuper allegato. Item & difficile probatu erit contra alios hæreticos, animã Chriſti non fuiſſe æternam, ſive ab ipſa æternitate Verbi, ſive ab alia participata. imo propriè ab æternitate & immenſitate Verbi. Nam ab illo accepit anima Chriſti omnes illos effectus & perfectiones, quarum erat abſolute capax. Si ergo eſt capax eſſendi vbique & in omni differentia temporis, debuit neceſſariò vtrãque perfectionem accipere ab immenſitate & æternitate Verbi. Non enim ſtat, formam ſubiecto capaci vniri, & non communicare ipſi ſuum effectum formalem.

SECTIO QVARTA.

Argumenta opinionis adverſæ ſoluta. Vbi etiam oſtenditur D. Thomam favere noſtræ ſententiæ.

50 OPPONES I. Deus ab æterno erat non minus potens ad creandum, quam modo; quia Omnipotẽtia eſt perfectio ipſius neceſſaria, ac proinde conveniens ab æterno. Ergo ſicut mundum creavit in tempore, ita etiã ab æterno potuit. Nec requiritur præcedentia temporis, ſed ſolius naturæ ad producendum effectũ ſicuti ad hoc, vt Pater ab æterno generet Verbũ, neceſſaria non eſt præcedentia durationis, ſed ſolius originis. Nec præterea obſtat quod actio creandi mundũ deberet eſſe libera Deo. Nam etiam decreta quarumcũque rerum futurarum ſunt formaliter libera Deo, & tamen ipſi coæterna. Inſuper & Angeli in primo inſtanti ſuæ creationis elicuerunt actus liberos, tãquam vera cauſa efficiens ipſorum, cum ſola prioritate naturæ. Potuit ergo meliori iure Deus cum ſolâ naturæ prioritate efficere vt vera & prima cauſa mundum ab æterno.

51 *HOC* Argumentum, quod eſt præcipuum opinionis adverſæ, iam multipliciter retorſi *ſect. 3. à n. 34.* Inſuper & *ſect. 1. n. 15.* ex Zacharia Mitylenæo oſtenſum eſt poſſe quidẽ dari ab æterno principiũ neceſſariò productivũ alicuius termini, ſi hic habeat eandẽ ſubſtantiã cum principio producente, vt Verbũ relatè ad Patrẽ. Similiter & Sol ſi exiſteret ab æterno, vt inquit S. Auguſt. produceret ſplendorẽ ſibi coæternum, quia ſplendor eſt cõplementũ naturæ Solis, tãquam eius proprietas, & nulla natura antecedit duratione ſuas proprietates, ſed cauſalitate tãtùm. Cæterũ quod Sol, & quævis alia creatura nequeat ab æterno exiſtere, & præcedi à Deo ſola naturæ cauſalitate, oritur ex diſcrimine creationis a generatione divina. Quod valde ad rem noſtrũ explicat Damaſcen. *lib. 1. de Fide cap. 8.* dicens, *generationem carere principio temporis, & eſſe æternam, quia opus eſt naturæ, & ex ſubſtantia Patris procedit. Creatio verò, cũ ſit opus*

divinæ voluntatis, non eſt coæterna Deo: quia quod ex non ente ad eſſe perducitur, non eſt aptum natum eſſe coæternum ei, quod principio caret, & ſemper eſt. Vides apertam ſolutionem præcipui argumenti Adverſariorum a Patribus traditam; negantibus poſſe aliquid liberè a Deo produci per creationem æternam: quia omne quod creatur debet fieri ex nihilo, ac proinde præſupponere nihilum ſui in aliquo inſtanti reali præcedenti: nam in eodem, adhuc penes diverſa ſigna naturæ, nequeunt ſimul eſſe entitas & ipſius carentia. Generatio autem divina non eſt libera, ſed neceſſaria, tamquam opus naturæ: ideoque non debuit præſupponi principium generans ad ipſam generationem, vel ad terminum genitum: quoniam hic procedens per generationem divinam, eo ipſo naturam divinam habet ex vi proceſsionis; ac proinde repugnat ipſi eſſe, aut fuiſſe aliquando ſub nihilo. Ergo neceſſium eſt terminum divinæ generationis ab æterno exiſtere, terminũ vero creationis non eſſe ab æterno.

52 Et quando inſtatur in Angelo liberè operãte ab initio ſuæ creationis; reſpondemus ideo eſſe, quia nulla repugnantia eſt, ſed potiùs maxima congruentia, vt aliquis actus liber coexiſtat voluntati angelicæ, compleatque, ſeu perficiat illam à principio creationis. Quare data hypotheſi, apud nos impoſsibili, creationis Angeli ab æterno, concedimus voluntatẽ illius eliciturã ab æterno aliquem actum liberũ: ſicuti & Deus ab æterno liberè voluit & decrevit actu propriæ voluntatis quæcũque facienda erant in tempore. No itaque adſtruimus repugnantiam in eo quòd effectus, ſive neceſſarius, ſive liber, coëxiſtere poſsit à principio cauſæ creatæ: ſed in eo quod effectus liberè productus, ſeu creatus a Deo, poſsit ipſi ab æterno coëxiſtere. Hoc enim repugnat: cũ omnis effectus creabilis a Deo, debeat liberè ab ipſo fieri; & nihil poſsit creari, ſeu fieri libere a Deo, niſi ex nihilo præſuppoſito: quod nequit convenire rei ab æterno exiſtenti.

53 Eſt & alia ratio, ne poſsit aliquid liberè creari a Deo ab æterno: quia omne quod eſt creabile a Deo, eſt etiam ab ipſo liberè conſervabile, ob rationem ſupremi dominij, non ſolùm ad creandum, quæ nõdum ſunt, ſed etiam ad conſervandum quæ iam ſunt. Quod, præterquam a nobis ſatis probatum eſt *ſect.* 2. plane docet illud Sapientiæ 2. v. *Quomodo poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur.* Vbi poſtquam creatura accepit eſſe per primam productionẽ, exigitur præterea voluntas Dei libera circa ipſius permanentiam & conſervationem. Quare S. Parens Gregorius Magnus *lib.* 16. *Moral. cap.* 18. aiebat: *Cuncta ex nihilo facta ſunt, eorumque eſſentia rurſum in nihilum tenderet, niſi eam Author omnium regiminis manu ſuſtineret.* At nulla creatura eſt liberè conſervabilis à Deo, ſi creabilis eſt ab æterno. Deberet namque neceſſario ab ipſo conſervari per infinitam durationem, vt à nobis demonſtratum eſt eodem loco. Ergo nulla creatura eſt liberè creabilis ab æterno. Aliunde nec neceſſario, vt fides docet, & oſtenſum eſt diſputatione præcedenti. Eſt igitur manifeſta repugnãtia in eo quod qualitercumque aliquid creabile aſſeratur ab æterno.

54 *DICES*: Ergo neceſſarium fuit Deo exiſtere otioſum, ſeu nihil ad extrà operantem, per infinitam durationem. Si enim non potuit quidquam ad extra operari ab æterno, ſolùm potuit operari poſt æternitatem a parte antè: omne autem quod incipit eſſe poſt æternitatem à parte antè, diſtat infinitè ab illa ſecundùm durationem: ſicut & nos arguebamus, inferentes rem ab æterno productam non poſſe à Deo annihilari niſi poſt infinitam durationem. Atqui abſurdum videtur dicere, Deum neceſſariò debuiſſe exiſtere otioſum, nihil operando ad extrà per durationem infinitam. Id enim repugnat perfectiſsimo ipſius dominio, & ſummæ activitati. Et certè nos ipſi ſuprà *n.* 35. reputabamus abſurdum, quod ignis ab æterno exiſtens iuxta ſtuppam impediretur neceſſario ab illa comburenda. Quantò magis id debet cogitari alienum a Deo?

55 *RESP.* Nunquam debere concedi abſolutè Deum fuiſſe otioſum; quia otioſitas indecentiam ſonat à Deo alienã; niſi ad ſummum cum addito, prout ea vox denotat nihil operari ad extra. Quo ſolum ſenſu, ſicut abſurdũ non eſt, ſed fide certũ, Deum ab æterno otioſum extitiſſe per infinitam durationem, quà tranſacta mundum condidit; ſic etiam abſurdũ non eſt debuiſſe neceſſario exiſtere otioſum, ſeu nihil ad extrà & in executione operantem, niſi poſt infinitam durationem tranſactam. Quod, velint nolint, tenentur dicere Adverſarij plerique in motu & tẽpore; omneſque ipſi in annihilatione & corruptione quarumcũque rerũ; in actu contritionis; in permiſsione peccati, poſito quod nequeat incipere cum eſſe rei, ac tandem in quolibet actu re-

mi-

minifcentiæ, vt diximus *n*.50. Nihil enim illorum potuit a Deo poni ab æterno. Cum hoc tamen ſtat quòd Deus priùs & priùs in infinitum ſyncathegorematicè a parte antè potuerit creare mundum quò ad exercitiũ; licèt quò ad ſpecificationem (vt ita loquar) neceſſariũ ipſi fuerit nihil creare, niſi poſt æternitatem a parte antè, & præſuppoſito nihilo cuiuſcũque rei ad ipſius creationẽ. Neque eſt par ratio de igne, qui eſt cauſa neceſſaria, & naturaliter loquendo nequit non agere in paſſum ſufficienter approximatum. Deus autem cauſa ſummè libera eſt, & potuiſſet pro libito nihil omnino operari ad extra. Cæterum nihil ab æterno cathegorematicè operari potuit, ſed ſolùm ſyncathegorematicè: id eſt, non ita antea, quin priùs & priùs.

56 *OPPONES II.* Non maior perfectio eſt æternitas, ſeu infinitas in duratione à parte poſt, quàm a parte antè ſolum, ſed potius minor. At poteſt Deus producere creaturã æternã a parte poſt, & de facto illam produxit in anima rationali, & de Angelis, qui perpetuò durabunt, vt fide ſanctũ eſt. Ergo & potuit condere creaturam æternam a parte antè. Probatur maior: tum, quia vtraque æternitas eſt participatio divinæ æternitatis: tum etiam, quia perfectius eſt & prudenter eligibilius non eſſe & in æternum fore, quàm ab æterno fuiſſe & nõ eſſe. Ergo non maior perfectio eſt æternitas ſeu infinitas durationis à parte antè, quã poſt, ſed potius minor.

57 *RESP.* Negando maiorem: quia æternitas à parte antè eſt indiviſibiliter claudens interminabilis vitæ totam ſimul & perfectam poſſeſsionem: ac proinde cõtinens quidquid vitæ, quidquid durationis vnquam erit a parte poſt, & excludens omnem ſucceſsionem rei æternæ. Quare non eſt participatio æternitatis, vt in probatione maioris aſſumitur; ſed increata æternitas, & propria Dei; ac proinde infinitè perfectior & æſtimabilior æternitate à parte poſt, quæ ſucceſsiva & defectibilis eſt per ſupervenientem rei annihilationem. Præterea, de re æterna ſolùm à parte poſt, vt anima rationali & Angelo, nunquam verificabitur infinitè duraſſe, neque habere durationem actu infinitam: cùm neceſſario claudenda ſit tota eius duratio realiter trãſacta intra duos terminos; nempe, inter inſtans creationis, & inſtans actuale determinatæ durationis poſt millia & centena millia annorum futuræ, quamvis poſtea amplius & amplius duratura ſit abſque fine. At vero de qualibet re ab æterno exiſtente verificaretur actu infinitè duraſſe, & habuiſſe durationem actu infinitam, nulloque termino coërcitam à parte antè. Quod mirum eſt quomodo aſſerant poſsibile in præſenti, qui vniverſim impoſsibile dicunt omne infinitum in actu extra Deum. Creatura autem in æternum futura, ſolum habet durationem æternam in potentia & ſyncathegorematicè, quatenus poſt quodcumque inſtans, tempus, & durationem determinatã, exiſtet: in quo differt a Deo, qui actu extitit & exiſtit ſimul à principio ſine principio quidquid extiturus eſt, abſque vlla viciſsitudinis vmbra. Adde, creaturam æternam à parte poſt, non opponi perfecto Dei dominio, cum poſsit ab illo abſolute annihilari in quocumque inſtanti poſt creationem; contrà verò creaturam æternam a parte antè: quæ non poſſet à Deo annihilari, niſi poſt infinitam durationem ad ſummum.

58 *OPPONES III.* Magnitudo aliqua creari poteſt à Deo, quæ ſit actu infinita ſecundum locum, ſive à parte Orientis, ſive Occidentis; idque abſque vllo diſpendio Immenſitatis divinæ. Ergo & poteſt creari res aliqua quæ ſit actu infinita vel à parte antè, vel a parte poſt ſecundum durationem, abſque vllo diſpendio æternitatis divinæ. *RESP.* Negando antecedens: quia eiuſmodi magnitudo omnino repugnat, vt probavi *lib.* 3. *diſp.* 21. per totam. Deinde, permiſſa gratis opinione illa, non infertur fore immenſam quantitatem cum diſpendio Immenſitatis divinæ: quia hæc conſiſtit in eo quod Deus ſit totus vbique, vt vidimus ſupra ex Patribus *num*.55. Quantitas autem illa licèt eſſet infinita verſus Orientem v.g. vt in argumento aſſumitur, non eſſet vbique, quia adhuc non eſſet in Occidente: nec eſſet tota in qualibet Orientis parte, vtpotè diviſibilis & circumſcripta a loco; ſed tota in toto, & pars in parte Orientis. Creatura vero ab æterno condita poſsideret indiviſibiliter & ſimul interminabilem durationem, quin ab eà deturbari poſſet: quod proprium divinæ æternitatis eſt.

59 *OPPONES IV.* Divum Thomam, qui 1. *contra Gent. cap.* 38. *&* 1. *p.q.*46. *art.*2. *ad* 1. *& in* 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 1. *ar.*5. *& quæſt.*3. *de Potentia ar.*14. *& Opuſc.* 27. *de Æternitate Mundi*, non ſolùm docet, ſed probat ex profeſſo, potuiſſe creaturam ab æterno exiſtere. *RESP.* D. Thomam intelligi poſſe de æternitate ſyncathegorematicà, non vero de cathegorematicà: vt ſenſus ſit, potuiſſe mundum ab

æterno exiſtere, quatenus nullum inſtans temporis realis aut poſsibilis aſsignari poteſt à parte æternitatis præcedentis, ante quod non potuerit mundus creari; in quo conſiſtit æternitas quædam poſsibilis ſyncathegorematica: non verò ita vt abſolutè potuerit coëxiſtere ſemper collectivè & cathegorematicè Deo. Id enim expreſsè negant SS. Patres, vt vidimus *ſect.* 1. (à quibus putandum non eſt receſsiſſe Doctorem Angelicum) item & ferè omnes Philoſophi Veteres, quos allegavimus *diſp. præced. ſect.* 1. excepto Ariſtotele. Deinde, ſi aliquibus locis videtur favere contrariæ opinioni; id ſolùm eſt, quatenus oſtendit illam non poſſe reijci aperta aliqua demonſtratione in contrarium, vt patet ex ipſo *Opuſculo* 27. (eſto illud ſit ſcriptum à S. Doctore) & ex loco obiecto 1. *p. q.* 46. *art.* 2. vt legenti patebit. Non vero aſſerit abſolutè & ex mente propria potuiſſe mũdum ſimpliciter & abſolutè Deo coëxiſtere ab æterno, ſed ſolùm ex mente Ariſtotelis, cuius nomine aſsignat ſolutiones, quibus occurri poſſet argumentis in oppoſitum. Quod apertiſsime conſtat ex toto corpore & ſolutionibus prædicti articuli, ſi attentè legatur. Id autem vltro fatemur: quia hactenus nulla demonſtratio omnibus numeris abſoluta invenitur contra exiſtentiam mundi ab æterno ſimpliciter loquendo; niſi ad ſummum contra fundamenta, ex quibus illa opinio creditur proceſsiſſe, derogantia ſummæ perfectioni, potentiæ, ac libertati divinæ, vt fuſè a nobis præſtitum eſt *diſp. præced.*

60 *POTIVS* Exiſtimari debet ipſum ex mẽte propria tradidiſſe noſtram ſententiam: quia eadem 1. *p. q.* 10. *artic.* 3. inquirens, *Vtrùm eſſe æternum ſit proprium Dei*, reſpondet in corpore articuli, æternitatem verè & propriè in ſolo Deo eſſe: quia æternitas ſequitur immutabilitatem, & ſolus Deus eſt omnino immutabilis. Hæc autem ratio apertè probat, æternitatem veram & propriam, ſcilicet, cathegorematicam, eſſe prorſus incommunicabilem creaturæ, ſicuti omnimoda immutabilitas prorſus incommunicabilis eſt. Vnde & ſtatim creaturis quibuſdam concedit immutabilitatem aliqualem a partè poſt, quatenus nunquam de facto ſubibunt mutationem, vel in ſubſtantia, vel etiam in operatione: quo ſenſu, & æternitatem aliqualem participant à parte poſt, quia nunquam deſinent eſſe, aut etiam operari. Hæc autem æternitas non eſt cathegorematica & propria, de qua aliquando verificandum ſit infinitam ſimpliciter eſſe, aut fuiſſe; ſed ſyncathegorematica ſolum, ſeu in potentia expedita ad durandum magis, ac magis. Quare, non ſolum loquendo de facto, ſed attentis rationibus in articulo traditis, & neceſſarijs, cõcludit: *Vnde non ſequitur quòd aliquid extra Deum ſit æternum.*

61 *DENIQVE*, Si quiſpiam adhuc inſiſtat, & nimium contendat S. Doctorem alicubi affirmaſſe mundum potuiſſe ſimpliciter ab ęterno exiſtere; reſpondere poſſumus ex doctrina ipſius eadem 1. *p. q.* 66. *art.* 1. vbi deſerit quandam Platonis ſententiam, quam ibidem ſupponitur ſecutum fuiſſe S. Auguſtinum. Ait enim: *Ad primum dicendum, quòd Auguſtinus ſequitur in hoc opinionem Platonis*. quaſi non tam ex propria, quàm ex Platonis mente locutus ſit. Idem ergo dicere poſſumus, admiſsà hypotheſi, D. Thom. circa poſsibilitatem exiſtentiæ mundi ab æterno, non tàm ex propria, quam Ariſtotelis opinione locutum.

(.)

DISP. QVADRAGQVARTA.

DE ÆTERNITATE SVCCESSIVORVM.

An tempus & motus potuerint ab æterno exiſtere?

Num. 1. *AVTHORES Diſputatione præcedenti à principio allegati* num. 2. *pro primâ opinione, univerſim docent, potuiſſe mundum exiſtere ab æterno, non ſolùm quò ad res permanentes, verùm etiam quò ad ſucceſſivas, vt tempus & motum. Aliqui tamen ipſorum, licèt aſſerant potuiſſe dari ab æterno quaslibet generationes & corruptiones, id nihilominus negant de generationibus hominum. Ita PP. Complutenſes* diſp. 29. q. 5. num. 70. *vbi plures alios allegant; idque probabile affirmant Conimbricenſes hoc libro* cap. 4. q. 7. ar. 6. *Omnes verò alij, quos dicto loco allegavimus pro ſecundâ & tertiâ ſententiâ, ſive qui affirmant ſive qui negant potuiſſe mundum exiſtere quò ad res permanentes, docent nihil ſucceſſivum potuiſſe ab æterno exiſtere. Vide ibi ſingulorum loca, & ſpeciatim Magiſtrum Ioannem à S. Thomâ in præſenti* q. 24. *vbi contendit motum & tempus, nec re ipſa, nec opinione Angelici Doctoris, potuiſſe ab æterno exiſtere.*

2 *NOBIS iam liberum non eſt in hac controverſia opinari. Cùm enim diſputatione præcedenti ex profeſſo negaverimus, mundum quò ad res permanentes potuiſſe ab æterno creari, in quibus longè minor difficultas erat; quantò magis id negare debemus de rebus ſucceſſivis, quæ cõſiſtunt in aſſiduo fluxu ac viciſſitudine oppoſitâ æternitati? Quare rationes ibidem à nobis propoſitæ à fortiori probant de motu & tempore, & ferè quarumcunque generationum ac corruptionum; ſufficiuntque ad dirimendam controverſiam præſentem. Quia tamen adhuc ſpecialia quædam ſunt in entibus ſucceſſivis, ne ab æterno exiſtere poſſint, ratione quorum excluduntur ab æternitate præ quibuslibet rebus permanentibus; ideo de ijs ſpeciatim agendum eſt in præſenti: ac primò quidem examinandæ ſunt rationes, quibus Authores noſtræ ſententiæ illam probare ſolent. Habet locum hæc diſputatio apud Ariſt. ijſdem capitibus, ac duæ præcedentes.*

SECTIO PRIMA.

Quibus rationibus aliqui probent repugnantiam vt tempus ac motus, ab æterno ſint, & illarum ſolutio.

3 LICET Opinione noſtrâ repugnet ſucceſſiva quæque, vt tempus & motum, extitiſſe ab æterno, idque pro aſſertione ſtatuamus; oportet examinare rationum momenta, quibus id communiter probari ſolet, illaque aut reijcere, aut confirmare; ac poſtea deniquè probationes eiuſdem doctrinæ, quas ſolidiores exiſtimaverimus, proponere.

PROBATIO I. & communis, hæc eſt. Omne quod eſſentialiter importat partes priores & poſteriores, quarum vna deſinat & altera incipiat, eſt incapax exiſtendi ab æterno. Sed omne ens ſucceſſivum, vt motus & tempus, eſſentialiter importat partes priores & poſteriores, quarũ vna deſinat & altera incipiat. Ergo omne ens ſucceſſivum, vt tempus & motus, eſt incapax exiſtendi ab æterno. Conſequentia eſt in *Barbara*, & minor evidens ex ipſâ notione & naturâ entis ſucceſſivi, quod, vt diſtinctum eſſentialiter a permanente, importat viciſſitudinem vnius partis advenientis poſt aliam recedentem. Maior vero probatur multipliciter. *Primò*: Omne id quod importat eſſentialiter aliquid poſterius alio, aut incipiens, aut deſinens, eſt incapax exiſtẽdi ab æterno; quia rei ab æterno exiſtenti repugnat eſſe poſteriorem aliâ, ſeu realiter & ſecundùm durationem ſupponere aliam priorem; ſicut & incipere, aut deſinere. Ergo omne quod eſſentialiter importat partes priores & poſteriores, quarũ vna deſinat & altera incipiat, eſt incapax exiſtendi ab æterno. *Secundò* probatur eadẽ maior. Omne quod eſſentialiter importat partes priores & poſteriores, nequit ſalvari in ſolâ parte priori, niſi ſimul poſterior ingrediatur ad ſui conſtitutionem: id enim eſt de ratione compoſiti, vt non ſalvetur in alterâ partium, ſed in vtraque coniunctim. Atqui pars poſterior alia nequit eſſe ab æterno, vt patet. Ergo omne quod eſſẽtialiter importat partes priores & poſteriores nequit eſſe ab æterno. *Tertiò*. Omne quod eſſentialiter importat partes priores & poſteriores, importat etiam fluxum & ſucceſſionem continuam vnius partis poſt aliam. Sed non poteſt importare fluxum & ſucceſſionem continuam vnius partis poſt aliam ſi exiſtat ab æterno. Eo namque ipſo

quod

quòd ab æterno exiſtat, inter partem priorem, quæ ab æterno exiſtens ſupponitur, & inter partem poſteriorem, intercedere debet duratio infinita; vtpotè inter æternum & non æternum. Ergo omne quod eſſentialiter importat partes priores & poſteriores nequit eſſe ab æterno.

4 *Confirmatur* hæc probatio, ſive aſsignatis duabus partibus abſque fine dividuis in ſententia Ariſtotelis, ſive duobus indiviſibilibus temporis ſibi immediatis in opinione, quæ communiter Zenoni tribuitur; & clariùs quidē in hac. Vna enim pars, ſive dividua, ſive indiviſibilis, debet eſſe duratione poſterior alterâ: nihil autem duratione poſterius altero poteſt eſſe æternū. Ergo pars illa poſterior, ſive dividua, ſive indiviſibilis, nequit eſſe ab æterno. Ergo neque altera pars prior, quæ ab illa diſtat vnicâ particulâ temporis, ſive dividuâ, ſive individuâ, ab æterno eſſe poteſt: quia quidquid à re non æterna ſolùm diſtat vno inſtanti, vel particulâ temporis, nequit eſſe æternum, ſive ab æterno exiſtens. Ergo de primo ad vltimum nulla res ſucceſsiva poteſt eſſe ab æterno, neque ſecundùm priorem, neque ſecundùm poſteriorem partē, quibus eſſentialiter conſtat.

5 *RATIO* Hæc probabilis ſine dubio eſt: non tamen convincens. Reſponderi enim poteſt, ex illa ſolùm inferri, repugnare in motu aliquam partem ab æterno exiſtentem, quæ proinde ſit prior omnibus ſucceſsivè & immediatè fluentibus, vt evidenter concluditur in argumēto: quia pars quæ vnico inſtanti aut particula durationis prior eſt alijs in tempore exiſtentibus, nequit ab æterno exiſtere; cùm omne æternum infinitâ duratione antecedat quidquid æternum non eſt. Inde verò non concluditur ens ſucceſsivum ab æterno eſſe nō poſſe. Stat enim optimè nullam illius partem ab æterno fuiſſe, & tamen motum ipſum fuiſſe ab æterno: quoniam etſi quælibet eius pars fuerit in tempore, ante illam poteſt aſsignari alia & alia priùs tempore exiſtens vſque in infinitum à parte ante; ac per conſequens verificari, motum fuiſſe ab æterno. Vnde ad argumentum in formâ negatur maior. Ad primam probationem, negatur antecedens; quod ibidem non ſatis ſuadetur: quia licèt quælibet pars motus, aut incipiat, aut deſinat, ac proinde ab æterno non ſit; adhuc verificari poteſt motum potuiſſe exiſtere ab æterno. Ad ſecundam & tertiam probationem occurri poteſt concedendo, nullam partem motus, ſive priorem, ſive poſteriorem, diſtributivè ſumptam potuiſſe ab æterno exiſtere: cum hoc tamen cohærere quòd motus ipſe ab æterno ſit: quia ante quamlibet partem motus potuit dari alia & alia infinitum, ita vt in nullâ duratione à parte antè extiterit Deus, in quâ aliqua motus pars non exiſteret. id verò ſufficere vt motus potuerit eſſe ab æterno.

6 *INSTABIS:* Repugnat motum eſſe ab æterno, quin aliqua ipſius pars ab æterno ſit. At nulla pars motus ab æterno eſſe poteſt, vt concedimus in ſolutione datâ. Ergo repugnat motum eſſe ab æterno. Probatur maior: tum, quia motus non eſt aliud, quàm ipſius partes; ac proinde ſi nulla pars ab æterno eſſe potuit, neque etiam ipſe motus: Tum etiam, quia repugnat motum eſſe ab æterno, & tamen Deum fuiſſe duratione priorē ipſo motu: duorum enim, quæ coæterna ſunt, nequit alterum altero eſſe prius duratione. Atqui vt Deus non ſit duratione prior ipſo motu, neceſſum eſt aliquam motus partem fuiſſe ab æterno. Ergo repugnat motum ab æterno eſſe, quin aliqua illius pars ſit ab æterno. Maior cum cōſequentiâ patet. Minor probatur. Vt enim Deus non ſit duratione prior motu, neceſſum eſt Deum non exiſtere in aliquâ duratione, in quâ aliquid motus non exiſtat: ac proinde Deum non exiſtere ab æterno, quin aliquid motus ab æterno etiā ſit. Sed aliquid motus ab æterno eſſe, non poteſt verificari, niſi aliqua illius pars ſit ab æterno. Ergo vt Deus non ſit duratione prior ipſo motu, neceſſum eſt aliquam illius partem eſſe ab æterno.

7 *ADHUC* Reſponderi poteſt negando maiorem. Ad primam probationem dicent Adverſarij, motum nihil aliud eſſe, quàm partes ipſius collectivè ſumptas; non autē ſolùm diviſivè. Quamvis autem in motu diviſivè ſumpto nulla ſit pars, quæ ab æterno exiſtere poſsit, aut quâ Deus prior duratione non ſit; adhuc tamen verificatur de motu collectivè ſumpto aliquid includere, ratione cuius ſit ab æterno, & non poſterior Deo in duratione: quia in quacunque menſurâ durationis conſideretur Deus à parte antè, habere potuit partē motus ſibi coexiſtentem, & ante hanc, aliā, atque aliam in infinitum; quibus ſingulis, aut diſtributivè ſumptis Deus eſſet prior; non tamen omnibus collectim acceptis. Idque opportunè ſatis explicari poteſt ab inſtantia motus æterni à parte poſt, qui certè abſolutè poſsibilis eſt, eſto re ipsâ non ſit futurus. Pone etenim motum cœli perpetuò duraturum. Certè æternitas Dei a parte

poſt diuturnior eſt qualibet parte futurâ motus ſingillatim, & omnibus diſtributivè acceptis; quia poſt quamlibet illarum deſignatam, atque temporaliter fluentem, perſiſtet Deus in æternum. Cæterum, quia in nullâ duratione perſiſter, in quâ non habeat coexiſtentem ſibi partem aliquam futuri motus, verè dicitur motum eſſe duraturum in æternum, & non minùs à parte pòſt, quàm ipſum Deum; qui licèt ſit diuturnior qualibet parte motus futura, diſtributivè aut ſingillatim accepta; non tamen omnibus partibus futuri motus collectivè conſideratis. Idem ergo de partibus motus æterni à parte antè dici poſſet. Per quod patet ad ſecundam probationem. Eſt & aliud opportunum exemplum in diebus imaginarijs, quos in æternitate à parte antè conſideramus cum fundamento in re. Iis enim omnibus ſumptis ſimul & collectivè Deus prior non fuit, ſicut nec tota æternitate collectivè acceptâ. Et tamē locus eſt vt ſingulis illorum dierum fuerit prior in infinitum.

8 Imò id neceſſariò dicendum videtur de motu, ſi æternus conſideretur, ſive à parte antè, ſive pòſt, vt in priori hypotheſi nullam habeat partem, ab æterno exiſtentem, & in poſteriori nullam in æternum futuram. Etenim de conceptu quidditativo motus, ſive ſit ab æterno, ſive duret in æternum, eſt vt nulla ipſius pars ſit omnium prima vel vltima, ſed ante quamlibet, & poſt quamlibet ſingillatim acceptā habeat aliam priorem ac poſteriorem. Hoc enim eſt de ratione eſſentiali entis ſucceſſivi, cuius eſſentia ſupponenda eſt, ſive exiſtat ab æterno, ſive in æternum duret; cùm eſſentiæ rerum ſint invariabiles. At nulla pars habens aliam priorem eſt ab æterno, ſicut & nulla habens aliam poſteriorem, durat in æternum, vt ex ſe patet. Ergo de conceptu quidditativo motus, ſive ſit ab æterno, ſive duret in æternum, eſt vt nullā partem ſingillatim habeat exiſtentem ab æterno, aut durantem in æternum. Non ergo rectè colligitur, ſi motus ab æterno ſit, aliquam ipſius partem ab æterno eſſe debere; ſicut neque ex eo quòd motus in æternum futurus ſupponatur, inferre licet, aliquam eius partem duraturam in æternum.

9 *VRGEBIS* cum aliquibus Recentioribus. Ex omnibus partibus motus præcedentis, non ſolùm dari nequit aliqua ab æterno exiſtens, vt fatemur in ſolutione, verùm & dari debet aliqua, quæ ſit omnium prima, ac proinde initium motus. At eo ipſo repugnat motum eſſe ab æterno. Ergo abſolutè repugnat motum eſſe ab æterno. Conſequentia patet, & minor ſimiliter: quia repugnat eſſe æternam ſucceſſionem, quæ habet partem aliquam omniū primam, aut vltimam, vel initium aut finem, ſive à parte antè, ſive pòſt, proportionaliter loquendo. Maior vero probatur ab Arriaga *diſp.* 17. *ſect.* 2. *num.* 17. & 18. quia non omnis pars motus habet aliam priorē ſe. Ergo dari debet aliqua quæ ſit omnium prima. Præterea: quia impoſsibile eſt vt omnes partes motus habeant aliquam priorem ſe, quæ ſit è numero omnium: nam quemadmodum non poſſunt omnes homines dependere ab vno homine, quin detur mutua cauſalitas illorum omnino repugnans; ita non poſſunt omnes partes motus antecedi ab aliqua in ſe ipſis inclusâ, cum pariter repugnet mutua prioritas durationum, & partium motus.

10 *VERVM* Impugnationes prælactæ, in æquivoco hærent, vt ſæpe oſtendimus *libro* 3. præcipue dum ageremus de repugnantia creaturæ omnium perfectiſsimæ; item & numeri finiti, qui ſit finitorum omnium primus & maximus: ac libro ſexto, vbi oſtenſum eſt, in quolibet continuo nullam partem proportionalem eſſe omnium primam vel vltimam. Deinde nego maiorem quò ad vtramque partem. Ad primam probationem, negatur antecedens: quia omnis pars motus diſtributivè ſumpta habet aliam priorem ſe, præſertim in ſententiâ communi ſtatuente compoſitionem continui, tum permanentis, tum & ſucceſſivi, ex partibus abſque fine dividuis. Ad ſecundā probationem conceditur antecedens in ſenſu collectivo, & negatur in diſtributivo. Licet enim intra totam collectionem partiū motus non ſit aliqua ex ipſarum numero, quæ omnibus prior ſit (alioqui eſſet prior ſe ipſa) adhuc verum eſt de ſingulis partibus, ſeu diſtributivè acceptis, habere aliquam priorem ſe intra eam collectionem, ſi motus ſit ab æterno. Quod idem debent omnes dicere proportionaliter, ſi motus ſupponatur in æternum duraturus. Omnes enim & ſingulæ partes motus diſtributivè acceptæ habebunt aliam poſt ſe, & nulla omnium vltima erit intra eam collectionem, quanquam vltra aut extra totam collectionem futurarum partium nulla omnino ſit futura. Quare, ne his quidem confirmationibus fulcita, convincit ratio communis vſque modo expenſa.

11 *PROBANT II.* Alij. Corruptio partium motus nequit eſſe ab æterno.

uo. Ergo neque productio, ſive generatio illarum; ac proinde nec ipſe motus. Antecedens eſt manifeſtum. quia corruptio partium motus, præſupponit duratione, ſeu tempore, exiſtentiam earundem partium: nihil autem æternum à parte antè, præſupponit aliud exiſtens duratione, ſeu tempore. Antecedens verò ſuadetur: quia ſi corruptio partium motus ab æterno fuit, debuit incipere in tempore, ac proinde infinitâ duratione tranſacta poſt generationem partium motus. Sed eo ipſo generatio partium motus, ſicut & exiſtentia illarum, non fuit, neque eſſe potuit ab æterno. Repugnat enim generationem partium motus, exiſtentiamque ipſarum, permanſiſſe abſque corruptione aliquâ per infinitam durationem, antequam aliquid corrumperetur. Hoc enim repugnat enti ſucceſsivo, & vix cõcedi poteſt enti permanenti. Ergo ſi corruptio motus ab æterno eſſe non potuit, neque etiã illius productio, ſeu exiſtentia partium. Quod argumentum non ſolùm de corruptione qualibet determinatâ procedere volunt, ſed etiã de omnibus corruptionibus in genere, quia etiam ſub hac ratione debent præſupponere generationem exiſtentiamque partium motus pro aliquo priori temporis.

12 *SED* Nec ratio hæc exturbat opinionem contrariam. Occurri enim poteſt aſſerendo, quamlibet corruptionem determinatam partium motus præſupponere quidem generationem determinatam illarum; cæterum & hanc ipſam generationem præſupponere corruptionem aliam, ita vt regrediendo ad æternitatem à parte antè, nulla detur generatio, quam non præceſſerit corruptio aliqua, & è contrà. Cæterùm inde non infertur ante omnes corruptiones ſimul ſumptas præceſsiſſe generationem aliquam pro priori tẽporis: quia quæcunque generatio partiũ motus aſsignetur, etiam ab ipſo Deo, præſupponit aliam & aliam corruptionem, ſicut & aliã atque aliam generationem vſque in infinitũ. Sic non licet inferre, poſsibilem eſſe creaturam perfectiſsimam, quæque ſit perfectione aut dignitate prior omnibus alijs: quia quæcũque creatura aſsignetur, præſupponit aliam & aliam perfectiorem in infinitum. Sic etiam dato quòd motùs cœli duraturus eſſet in æternum, deſignari à Deo non poſſet corruptio aliqua partium eius, quæ tempore poſterior ſit poſt omnes generationes ipſarum: quia aſsignatâ qualibet corruptione, adhuc poſt illã ſuccedent aliæ & aliæ generationes & corruptiones in infinitum. Idemque eſt de cogitationibus, & affectionibus futuris per totam æternitatem, quarum nulla deſitio, aut corruptio, poſt omnes illarum generationes futura eſt in re, neque aſsignari poſt à Deo. Idem ergo Adverſarij dicere poſſunt de generationibus & corruptionibus æternis à parte antè.

13 *INSTABIS*: Ex terminis cuicunque corruptioni partium motus repugnàt eſſe ab æterno; quia ex terminis corruptio præſupponit tempore generationem & exiſtentiam rei; & nihil æternum præſupponit aliud prius tempore. Ergo & toti collectioni corruptionum poſsibilium repugnat vt aliquo ex capite fuerit ab æterno: Quia quod omnibus & ſingulis corruptionibus repugnat, nequit non repugnare collectioni ipſarum: quẽadmodum quia ſingulis hominibus repugnat volare, colligimus, id repugnare ſimiliter toti hominum collectioni. Si autem corruptiones omnes partium motus collectivè ſumptæ repugnantiam involvunt vt extiterint ab æterno, idem de generationibus ipſarum convincitur in argumento præiacto, vt relegenti apparebit; & præterea infertur debuiſſe præcedere generationem aliquam omni corruptione priorem.

14 *HÆC* Inſtantia aliquanto ampliùs urget. Reſponderi tamen poteſt: quemadmodum ſuprà *num.* 8. dictum eſt, nullam partem motus potuiſſe ab æterno exiſtere, ſed ante quamlibet debuiſſe præcedere aliam & aliam in infinitum, ita vt in nullà duratione exiſterit Deus, in quà non haberet partem motus ſibi correſpondentem; ita etiam nullam generationem, corruptionemve partium motus potuiſſe ab æterno exiſtere, quia ante quamlibet corruptionem debuit præcedere generatio, & ante quamlibet generationem corruptio, ita vt in nulla duratione extiterit Deus, in qua non habuiſſet generationem, aut corruptionem partium motus ſibi correſpondentem. Hoc autem ſufficit vt ſeries partium motus, ſeu generationum & corruptionum ipſarum ab æterno fuerit: ſicuti evidens eſt illam ſufficere, vt motus poſsit in æternum durare à parte poſt. Et cùm inſtatur in eo, quòd cuilibet corruptioni repugnat ab æterno eſſe, ac proinde & omnibus corruptionibus collectivè ſumptis; Reſpondetur nullam eſſe illationem; vtpotè in quà arguitur à ſenſu diviſivo ad collectivum: quemadmodum ſi ex eo quod cuilibet horæ repugnat conſtituere integrum diem, inferres, nec viginti quatuor horas collectivè ſumptas integrum diem conſtituere poſſe; aut ex eo quod nemo Apoſtolorum ſit pluſquam vnus, colligeres, omnes Apoſtolos non eſſe duodecim. Ratio autem: Quia collectio, ſive ſeries omnium corruptionum, indiviſim claudit ſeriem & collectionem omnium generationum partium tem-

temporis, & ex vtriſque integratur vna ſeries ſucceſsiva, cuius ſingula membra ſeorſim præcedantur ab æternitate Dei, non tamen tota illorum collectio. In ea namque ſunt aliæ & aliæ partes in infinitum à parte antè, ita vt in nulla prioritate reali durationis extiterit Deus, in quâ non reſpondeat ipſi aliqua pars eius collectionis: vt à ſimili diximus de collectione partium motus; ſi illius ſeries duratura eſſet in æternũ à parte pòſt. Nec eſt par ratio de repugnantiâ ad volandum, quia oritur ex differẽtiâ eſſentiali hominis, cui repugnat eſſe avem, ſive collectim, ſive diviſim. Motui autem licèt diviſim quò ad ſingulas partes repugnet eſſe æternũ, tam à parte antè quã poſt; non tamen collectim, ſaltem ex vi argumentorum præcedentium.

15 *QVARE*, licèt prædictæ rationes, aliæque plures circumferri ſolitæ ab Authoribus noſtræ ſententiæ, ſint valde probabiles, & ſatis ſolidæ; adhuc poſſunt, quamvis difficulter, ab Adverſarijs ſolvi. Et certè vix vllam invenio à priori, quæ ſit omnino efficax; niſi recurratur ad probandum vniversè æternitatem repugnare omni creaturæ, vt nos fecimus præcedenti diſputatione. Quare reſtat vt progreſſu huius controverſiæ à poſteriori ſolùm oſtẽdamus repugnantiam ſpecialem entis ſucceſsivi, vt ab æterno extiterit; idque ex principijs communiter admiſsis ab Authoribus pleriſque opinionis adverſæ, docentibus impoſſibile eſſe infinitum in actu. Si autem aliqui illorum, vt Pererius, Oviedus, ac Pontius, nullum reputant inconveniens in eò quòd aſſeratur poſsibile in actu infinitum extra Deum, aut impugnandi erunt rationibus ijs, quibus oppoſitum probavimus *lib. 3.* aut argumentis, quibus diſput. præcedenti oſtenſum eſt æternitatem repugnare omni creaturæ à parte antè.

SECTIO SECVNDA.

Probatio veræ ſententiæ, tum ex D. Thomâ, tum ratione communi, multipliciter ac ſpeciatim expensâ, præcluſis evaſionibus Adverſariorum.

16 A*LIVNDE* itaque, & efficacius probanda eſt repugnantia vt motus ab æterno extiterit. Et quidem licèt Patres Complutenſes, aliique ex Thomiſtis, veluti rem indubiam ſupponant, Angelicum Doctorem tradidiſſe ipſorum opinionem; Magiſter Ioannes a S. Thomæ, vt ſuprà monui, contendit ipſum pro nobis ſtetiſſe. Etenim non ſolum propoſuit pro ſententiâ noſtra rationes, quas difficillimas reputavit & inſolutas reliquit, ſed etiam Opuſc. 27. paulò ante medium dixit, *non repugnare, ſi ponatur cauſa producens effectum ſuum ſubitò, quod non præcedat duratione ſuum cauſatum: repugnare autem in cauſis producentibus effectum ſuum per motum; quia oportet quòd principium motus præcedat finem eius.* Hinc verò apertè colligitur, ex ſententiâ S. Doctoris repugnare quòd motus ſit ab æterno. Docet enim repugnare quòd aliquid per motum ab æterno fiat: ac proinde repugnare ab æterno aliquod *mutatum eſſe*, quod eſt terminus motus. Sed repugnante termino motus, repugnat etiam motus ipſe. Ergo motus omnino repugnat ab æterno. Vlterius. Omne illud, cui repugnat non præſupponere prius duratione ſuã causã nequit eſſe ab æterno, vt evidens eſt. Sed termino producto per motum repugnat non præſupponere prius duratione ſuã cauſam, vt S. Thomas docet: Ergo termino producto per motũ repugnat eſſe ab æterno. Ergo, & *mutato eſſe*, quod eſt terminus productus per motum, repugnat eſſe ab æterno. Ergo & ipſi motui, qui ab æterno eſſe non poteſt, niſi & ſtatim, ac proinde ab æterno habeat aliquod *mutatum eſſe* in ratione termini. *CONFIRMATVR*. Quia ſi motus eſſet ab æterno, vt Adverſarij poſsibile aiunt, & tamen *mutatum eſſe* motus ab æterno non eſſet, vt S. Thomas docet; inter motum & *mutatum eſſe* ipſius intercederet infinita duratio; vtpotè inter æternum & non æternum. Impoſsibile autem eſt inter motum & *mutatum eſſe* motus intercedere durationem infinitam, vt ex ſe patet. Ergo & impoſsibile eſt motum aliquem eſſe ab æterno. Quod idem tradit S. Aug. l. 12. de Civit. c. 15. illis verbis: *Tempus, quoniam mutabilitate tranſcurrit, æternitati immutabili non poteſt eſſe coæternum*, &c.

17 *RATIONE* autem probatur ab ipſo D. Thomâ propoſitâ, & non ſolutâ. Vt enim probatum eſt cum ipſo & Ariſtotele *lib. 3. huius Operis diſp. 21. & ſeqq.* repugnat infinitum in actu extra Deum. Non repugnaret autem infinitum in actu extra Deum, ſi tempus & motus eſſe poſſent ab æterno. Ergo neque tempus, neque motus potuit eſſe ab æterno. Probatur minor. Si enim motus & tempus fuiſſent ab æterno, iam præceſsiſſent dies infiniti numero, & in quolibet die Deus potuiſſet creare vnicũ Angelum: quo poſito, iam hodie eſſet numerus Angelorum actu infinitus. Item quo-

libet

libet die potuiſſet addere quãtitati ab æterno creatæ vnicum magnitudinis palmum: atque adeò daretur hodie magnitudo aliqua infinita. Denique, & qualitati ab æterno productæ potuiſſet quotidie addere vnicum intenſionis gradum, qualitercunque intenſio fiat: proindeque hodie exiſteret qualitas aliqua infinitè intenſa. Cùm ergo omnia hæc, aut pleraque abſurda ſint, etiā apud Adverſarios ferè omnes; abſurdum cenſeri debet, potuiſſe tempus & motum eſſe ab æterno.

18 *HVIC* Argumento plures Philoſophi conati ſunt ſatisfacere, quorum ſolutiones refert atque improbat S. Thomas *2. contra Gent. cap.* 38. *& Opuſculo* 27. & denique 1. *p. q.* 46. *ar.* 2. *ad* 8. Verùm præter eas ſolutiones oportet nonnullas alias Recentiorum referre, & impugnare. Nazarius dicto loco ex 1. *p. q.* 46. reſpondet non ſequi poſsibilitatem infiniti in actu ex eo quòd motus & tempus potuerint eſſe ab æterno: quia licèt præceſsiſſent infiniti dies, non potuiſſet Deus in omnibus collectivè producere ſingulos Angelos, ſed tantum in ſingulis diviſivè. Non enim valet conſequentia ex eo quòd in ſingulis diebus diviſivè poſsit Deus producere ſingulos Angelos, vt in diebus infinitis producere poſsit infinitos Angelos collectivè.

19 *SED Contrà I.* Licèt enim in pleriſque alijs non valeat argumentum à ſenſu diviſivo ad collectivum, in materia & forma argumenti præiacti valet omnino. Vt revera legitima eſt illatio hæc: Vnoquoque die huius anni poteſt Deus diviſivè producere ſingulos Angelos. Ergo tandem poſt finem anni poterunt collectivè exiſtere totidem Angeli, quot dies anni præceſſerunt. Optima conſequentia, & ad cuius evidentiam nullo diſcurſu theologico opus eſt, ſed facillimâ numeratione, & vnicuique obviâ. At poſito, motum ac tempus fuiſſe ab æterno, præceſsiſſent infiniti numero dies. Ergo ſi Deus in quolibet illorum diviſivè creaſſet vnicum Angelum, hodie eſſent totidem, ac proinde infiniti Angeli. *CONTRA II.* Vnica enim evaſio, quæ eſſe poſſet, ſi argumentum fieret in ipſis diebus infinitis qui præceſsiſſent, ne conſtituerent infinitum in actu; eſſet, quod advenienti vno die, recedit ac deſinit alius: ac proinde nunquam verificatur, dies actu infinitos exiſtere. Sed hæc evaſio locum non habet in Angelis diviſivè creatis vnoquoque die. Ergo hodie Angeli eſſent actu infiniti. Probatur minor: quia non eſt de ratione Angeli vno die creati, vt alius alio die creatus non coexiſtat ipſi: ſed poſſunt quotquot creati fuerint ſibi invicem coexiſtere; cùm non ſint entia ſucceſsiva, ſed permanentia, & nullā præterea habeant inter ſe compoſsibilitatem. Ergo ſi ſingulis diebus poſſent creari ſinguli Angeli, poſt dies infinitos exiſterent collectivè Angeli numero infiniti. *CONTRA III.* Si per impoſsibile coexiſterent invicem omnes dies præcedentes ab æterno, collectio illorum eſſet actu infinita: vtpotè conſtans partibus aliquotis temporis numero infinitis. Sed totidem eſſent hodie Angeli creati, quot præceſsiſſent dies. Ergo collectio Angelorum eſſet actu infinita, vtpotè conſtans Angelis adæquatè diſtinctis, ac numero infinitis. Numero, inquam, tranſcendentali: cuius infinitas eiſdem incommodis ſubiacet, ac infinitas numeri prædicamentalis, vt patet ex allegatis diſputationibus libri tertij.

20 *RESPONDENT II.* Patres Complutenſes cum Soto, in prædictâ hypotheſi, Deum creantem ſingulos Angelos ſingulis diebus, etiam annihilaturum vnoquoque die aliquem Angelum. Quare tunc daretur vltimus Angelus à parte poſt annihilatus, ſicut & vltimus creatus, eo modo quo & hodie daretur vltimus annus à parte poſt, ex capite quo tempus eſt finitum.

21 *SED contrà I.* Vt enim rectè notat idem Ioannes à S. Thomà, ſolutio hæc eſt merum effugium, nulloque fundamento aſſerit, ſingulos Angelos fore ſingulis diebus annihilandos, ſicut & creandos; niſi vt vitet incommodum infiniti in actu proculdubio extituri: quæ eſt manifeſta petitio principij. Quæ enim ratio, vel apparēs, eſſe poteſt in eo, quòd Deus ſingulis diebus æternitatis creans vnum Angelum, debeat alterum annihilare? Nullius enim Angeli permanentia in exiſtendo pendet à creatione, aut non creatione alterius. Et quemadmodum hodie coexiſtunt quotquot à principio Vniverſi creati ſunt; ita etiā coexiſterent ſi ſingulis diebus ab eàdem conditione mundi creaſſet Deus ſingulos Angelos vſque ad diem hodiernum. Ergo idē dicendum foret ſi ſingulis infinitiſque diebus à parte antè vſque ad hodiernum diem creaſſet Deus ſingulos Angelos. Omnes enim poſſent hodie coexiſtere, ac proinde conſtituere numerum actu infinitum.

22 *CONTRA II.* Ideo poſita creatione animæ rationalis in materia infertur neceſſario ſuſpenſio concurſus illius, quo Deus conſervabat formam embryonis intra eamdem materiam, quia forma vna ſubſtantialis eſt eſſentialiter incompoſsibilis

lis in eadem materia cum altera ſubſtātiali forma. Atqui exiſtentia vnius Angeli non eſt incompoſsibilis eſſentialiter, neque vllo alio modo, cum exiſtentia Angeli alterius: vt patet in Angelis hodie coëxiſtentibus in eodem Vniverſo. Ergo ex creatione ſingulorum Angelorum per ſingulos dies, nullatenus infertur ſuſpenſio concurſus illius, quo Deus conſervabat omnes alios, aut ſingulos Angelorum; ac proinde nec ſingulorum annihilatio. CONTRA III. & à priori. Eo ipſo quòd præceſsiſſent infiniti dies, in vnoquoque illorum, vt condiſtincto à quolibet alio, Deus haberet eādem Omnipotentiam, quam modo habet in ſingulis diebus noſtri temporis: vt ex ſe manifeſtum eſt. At quia in ſingulis diebus noſtri temporis Deus omnipotēs eſt, poteſt creare aliquem Angelum, & ſimul conſervare omnes antea creatos. Ergo ob eandem rationem, ſi præceſsiſſent infiniti dies, in vnoquoque illorum poſſet Deus creare aliquem Angelorum, & conſervare ſimul omnes antea creatos. Cumque Angeli creati eſſent totidem, ac præcedentes dies; neceſſario infertur coëxtituros ſimul infinitos Angelos, quemadmodum & dies præcedentes infiniti fuiſſent.

23 *CONFIRMATVR* Argumētum, ſimul & impugnationes præiactæ; rogando ab Adverſarijs, quando deberet incipere Angelorum annihilatio. Aut enim inciperet ab æterno, aut poſterius duratione. Primum eſſe non poteſt: quia repugnat in terminis annihilationem alicuius rei eſſe ab æterno, vt ſæpe oſtenſum eſt diſputatione præcedenti, & demonſtratur hac vna & brevi ratione; quia annihilatiò præſupponit priorem duratione exiſtentiam creationemque rei annihilatæ: nihil autē ab æternò exiſtens præſupponit aliud duratione prius, ne Deum quidem ipſum. Neque hic adhiberi poteſt doctrina illa à nobis tradita circa corruptiones & generationes *num.* 14. quoniam illæ ex natura rei conſtituunt vnam ſeriem ſucceſsivam; ſecus verò creationes & annihilationes, vt patet in omnium rerū creationibus à principio Vniverſi, quas nulla vſque modò ſecuta eſt annihilatio, neque vnquam ſequetur: ac proinde dato quod ex creatione mundi quo ad tempus & motum ab æterno, inferatur ſeries æterna generationum corruptionumque a parte antè; non tamen infertur æterna ſeries annihilationum & creationum. Ergo Adverſarij debent dicere ſecundum: id eſt, in dicta hypotheſi annihilationem ſingulorum Angelorum incepturam, non ab æterno, ſed poſterius duratione. At omne quod incipit poſterius duratione, quàm æternitas, præſupponit infinitam durationem, ac proinde dies infinitos, ſi dies ab æterno fuiſſent. Ergo annihilatio Angelorum in dicta hypotheſi præſupponeret infinitos dies ab æterno. Ergo cùm ſupponamus ſingulis diebus creatos fuiſſe ſingulos Angelos, prima annihilatio iam præſupponeret creatos & coëxiſtentes Angelos numero infinitos. Proindeque permiſſo gratis Angelū vnum quotidie annihilandum fore in ea hypotheſi, certè annihilatio adveniret poſt creationem & coëxiſtentiam infinitorum Angelorum.

24 *CONFIRMATVR II.* Hoc ipſo quod annihilatio Angelorum non fieret ab æterno, ſed in tempore, inter illam & diem hodiernum nō eſſet infinita duratio, ſed finita: quia eſſet duratio duobus immediatis terminis comprehenſa; nempe, die illo temporali annihilationis, & hodierno. Repugnat autem infinitum alicuius generis comprehendi intra duos terminos immediatos, vt omnibus exploratum eſt, & nos ſæpiùs demonſtravimus *lib.* 3. Ergo dies ille annihilationis diſtaret infinitè ab æternitate à parte antè, ſicut & hodiernus dies: quia ex duobus inter ſe finitè diſtantibus, ſi ab aliquo tertio alterum infinitè diſtat, etiam alterum infinitè diſtare debet. Ergo dies ille annihilationis ſingulorum Angelorum præſupponeret infinitos dies tranſactos, ac proinde totidem & infinitos Angelos invicem coëxiſtentes.

25 Si autem dicas ſeriem annihilationum & creationum in ea hypotheſi ab æterno futuram; ſicut & corruptionum generationumque; iam hoc reiectum manet *num.* 23. & vlterius reijcitur, quia hac ratione impoſsibile eſſet aliquando exiſtere niſi vnicum Angelum: ſiquidem quot eſſent Angelorum creationes, totidem deberent eſſe annihilationes, & quamlibet Angeli vnius creationem comitarētur Angeli alterius annihilatio ſingulis diebus. Vnde evidenter colligitur, Deum ſingulis diebus æternitatis creantem ſingulos Angelos vſque ad diem hodiernum, eo ipſo aſtrictum iri ad non conſervandum hodie, niſi vnicum Angelum: cum tamen exploratum ſit, caſu quo a principio anni huius ſingulis diebus vnum Angelum crearet, adhuc liberum manere Deum ad conſervandos illos omnes ſimul vltimo anni die. Similiter & impoſsibile foret hodie exiſtere quātitatem aliquam bipalmarem, dato quod ab

ab æterno per ſingulos dies creaſſet palmũ vnicum quantitatis: quia conſequenter ad ſolutionem datam tenentur dicere Adverſarij, Deũ ſingulis diebus æternitatis creantem ſingulos quantitatis palmos, adſtrictum iri eo ipſo ad annihilandũ pariter ſingulis diebus palmos quãtitatis ſingulos, ne tandem exiſteret quantitas aliqua infinitis palmis conſtans. Ac deniquè pariter infertur in eadem hypotheſi, adſtringendũ Deũ ad non conſervandum hodie calorem in gradu quarto aut vlteriori caloris, ſi per ſingulos æternitatis dies vnum gradum intẽſionis addidiſſet: quia & alterum quolibet die oportuiſſet deſtruere, ne tandem hodie exiſteret calor infinitè intenſus. Quæ omnia quam legitimè inferantur ex doctrina oppoſita, quamque abſurda ſint, nemo nõ videt; ac præterea Adverſarios, dum divinę potentiæ cauſam agere videntur, vt poſsit motum & tempus ab æterno condere, aliũde illam extenuare & deprimere, ne infinitis diebus agere potuerit, quod finitis quibuſque, ſeu diebus, ſeu horis, ob oculos præſtat, ac paſsim exequitur.

26 *CONFIM. III.* Si enim potuerunt præcedere hodiernum diem infiniti alij ab æterno realiter poſiti, iam reipſa fluxiſſent hodie, & poſiti fuiſſent extra cauſas tot dies adæquatè diſtincti, ſeu tot partes aliquotæ & certæ temporis, quot ſufficerẽt ad numerum actu infinitum in re ponendum, ſi omnes illi dies coëxiſterent. Atqui rationes quibus improbatur infinitum in actu, etiam ab ipſis Adverſarijs, non ſolum evincunt impoſsibilem eſſe coëxiſtentiam infinitorum dierum, ſeu partium aliquotarum & certarum tẽporis, ſed etiam realem poſitionẽ exiſtentiamque, adhuc, ſucceſsivam, vt expendenti conſtabit. Inſuper & planè inferri debet coëxiſtentia numeri rerum infiniti in actu extituri. Pone enim Angelum ab æterno etiam creatũ, & vnoquoque die ſcribẽtem litteram vnam. Certè tranſactis diebus infinitis, Angelus iam ſcripſiſſẽt hodie litteras numero infinitas; ac proinde coëxiſterent infinitę in actu ſecundum numerum. Niſi forte vt declines vim illationis, alioqui inſuperabilem, dicas Angelum eo ipſo quod litteram vnam ſcriberet ſingulis diebus, ſtatim aboliturũ alteram, ne ſequeretur abſurdum infiniti in actu litterarum. Quod certè ſpecioſum evaſionis genus eſt, ſupra improbatum, & cui ſerio atque ex animi ſententia credibile non eſt adhæſiſſe Adverſarios, neque aliquem virum doctum.

SECTIO TERTIA.

Vlterior confirmatio eiuſdem doctrinæ. Difficillimus nodus adverſus illam, ab alijs prætermiſſus, extricatur.

27 SECVNDO Probatur eadem vera ſententia: Quia ſi potuiſſent præcedere diem hodiernum realiter infiniti dies, non omnes præceſsiſſent ſimul, ſed vnus poſt alium: cùm hoc ſit de ratione entis ſucceſsivi, & conſiſtentis in aſsidua viciſsitudine. Ergo ſive numerante Deo ab æternitate vſque modo, ſive regrediente per numerationem a die hodierno ad æternitatem a parte antè, non deveniretur ſubitò, ſed gradatim & ſucceſsivè, ad numerum dierum infinitum. Ergo deveniretur aliquando ad numerum dierum maximum finitorum omnium, qui proinde acceſsione vnius diei evaderet infinitus. Cõſequens autem repugnare in terminis ſæpe oſtenſum eſt libro illo tertio, & conſtat vel vno illo Philoſophorum axiomate, in quo aſſeritur, finitum finito additum non poſſe infinitum facere in vllo genere; quoniam omne finitum cuiuſvis generis infinitè diſtat ab infinito. In hoc diſcurſu, quem demonſtrativum planè cenſeremus, niſi Authores adeò graves ac docti opinioni contrariæ adhærerent, ſola ſecunda conſequentia videtur deſiderare probationem. Illa verò ex prima deducitur: Quia per numerationẽ illam nequit gradatim ac ſucceſsivè deveniri ad numerum dierum infinitum, niſi alicubi incipiat numerus dierũ eſſe infinitus, & deſinat finitus eſſe. Ergo in confinio illo numeri dierum finiti atque infiniti, debet eſſe dies aliquis in quo terminetur multitudo dierum finita, & poſt quẽ immediatè incipiat eſſe infinita dierum multitudo, quæ antea finita erat. Ergo deveniretur tãdem per numerationem, imò & per ſucceſsionem realem, ad numerum dierum finitum, qui eſſet finitorum omnium maximus, quique acceſsione ſola vnius diei evaderet infinitus.

28 Simili argumento oſtendimus dicto *lib. 3.* cum eiſdem Adverſarijs, repugnare magnitudinem infinitis palmis conſtantem, & multitudinem vnitatum infinitam, & qualitatem infinitè intenſam, præcipuè ex gradibus homogeneis: Quoniam in his omnibus neceſſarius eſſet tranſitus à numero palmorum, vnitatũ, graduumque finito, & finitorũ omnium maximo, immediatè ad numerum infinitum. Et certe argu-

gumentum illud in præſenti eandem profſus vim habet. Nec prodeſſe quidquam poteſt Authoribus ſentētiæ adverſæ effugium illud, quo aliorſum vtuntur in præſenti, dicentes non obſtare fluxum infinitorum dierum, quia nunquam illi coëxiſtunt. Contra enim eſt, quòd argumento ſuperioris ſectionis oſtenſum multipliciter manet, poſito fluxu infinitorum dierum, ponendam quoque infinitarum rerum coëxiſtentiam. Et inſuper vrget, quòd ad verum numerum prædicamentalem conſtituendum non ſit opus coëxiſtentia reali vnitatum numeratarum, ſed ſufficiat plures numero quantitates exiſtere, aut extitiſſe. Sic cōmuni hominum doctorum, atque indoctorum vſu loquendi, &, quod magis eſt, Sacræ Scripturæ ſtilo ſatis frequenti, numerantur dies & anni, quamquam invicē non coëxiſtant: ſimiliter & homines ſucceſsivè nati, aut occiſsi gradatim ac ſucceſsivè in eodem, aut diverſis prælijs. Et ratio a priori eſt, quia numerus ſolum eſt quantitas diſcreta, quę proinde nullam coëxiſtentiam aut vnionem partium exigit, neque ſecūdùm tempus, neque ſecundum locum. Ergo ſi dies infiniti ab æternitate fluxiſſent, quāquam hodie non coëxiſterent, verè ex ijs conſurgeret quantitas diſcreta numeri actu infiniti. Ergo quemadmodum exiſtenté ſimul infinita multitudine v. g. palmorum, vnitatum, graduumque, neceſſario deveniretur ad numerum finitorum omnium maximum, qui cuiuslibet partis additione infinitus redderetur; ita etiam dicendum eſt de ſerie infinitorum dierum fluentium ab æterno.

29 *SED* Ecce nodus difficillimus, ab Adverſarijs indicatus, & ab Authoribus noſtræ ſententiæ communiter prætermiſſus. Videtur enim rationes à nobis propoſitæ vtràque ſectione inſtantiam manifeſtā pati in diebus imaginarijs quotquot antea præceſſerunt. Et ne aliquid difficultatis, qua vrgeri poſſumus, diſsimulare videar, placet illam accuratiùs obijcere. *Primò*: quia negari non poteſt præceſsiſſe per æternitatē à parte antè infinitos dies imaginarios cū fundamento in re, ſeu poſsibiles, qui certè conſtituunt numerum imaginarium infinitum actu. Idem vero abſurdū eſt in concedendo numerum actu infinitum dierū imaginariorum, ac realiū: quoniam & in ijs neceſſum erit devenire gradatim ac ſucceſsivè ad numerum finitorū omnium maximū, quique additione vnius diei reddatur infinitus: vt nuper argumentabamur. *Secundò*: Quia in quolibet die imaginario à parte antè, Deus erat omnipotens non minùs, quā fuit & eſt in quolibet die vero ac reali. Et quemadmodum prima mundi die reali potens fuit ad creandum Angelum, ſic & die imaginario immediatè præcedenti creationem mundi potuit vnum Angelum creare. Ergo cùm à parte antè præceſſerint infiniti imaginarij dies, in quibus militat eadem ratio, potuit Deus in ſingulis creare vnum Angelum; ac proinde hodie Angeli eſſent numero infiniti. *Tertiò*. Numerus dierum poſsibilium, quotquot hucuſque præceſſerunt, eſt æqualis numero dierum qui de facto præceſsiſſent iuxta opinionem adverſam: quia juxta illam ſolùm ſtatuuntur poſiti in re & ſucceſsivè omnes dies poſsibiles à partè antè; non verò chimærici & impoſsibiles. Ergo quemadmodum juxta opinionem contrariam numerus dierum, qui realiter fluxiſſet vſque modò, fuiſſet ſucceſsivè & reipſa infinitus; ſic etiam numerus dierum poſsibiliū, qui præceſsit, eſt ſaltem intellectualiter infinitus. Cùm ergo in quolibet die poſsibiliū præcedentiū potuerit Deus abſolutè creare ſingulos Angelos; ſi id feciſſet, iam hodie exiſterent infiniti Angeli. *Quartò*. Tempus eſt poſsibile ab æterno, proindeque & infiniti dies à parte antè. Ideo enim Deus concipitur & eſt ab æterno exiſtens, quia quātumvis antè & antè ponatur reale inſtans temporis, adhuc priùs & priùs in infinitum præceſsit exiſtentia realis Dei. Sed etiā quātumvis antè & antè ponatur quodlibet inſtans reale, adhuc priùs & priùs in infinitū præceſsit poſsibilitas temporis. Ergo etiam poſsibilitas temporis ac dierū fuit ab æterno: proindeque prçceſſerūt infiniti dies abſolutè poſsibiles ante hodiernum, in quibus potuiſſet Deus producere, & aggregare numerum Angelorum actu infinitum.

30 *Confirm*. Carentiæ dierum realium de facto præceſſerunt ab æterno: quia quantumvis antè & antè cogites à parte antè carentiam diei realis, adhuc priùs & priùs in infinitum retrò dabatur realis diei carentia. Ergo ante creationem mundi præceſſerunt carentiæ dierum infinitæ, totidemque, ac fuiſſent dies reales, ſi tempus fuiſſet ab æterno. Vnde & in eiſdē carentijs reſtat ſolvendum ſecundum argumentum à nobis propoſitum; quoniam cum illæ ſucceſsivè gradatimque tranſierint, & infinitæ fuerint; neceſſum eſt fuiſſe tranſitum à numero carentiarum maximo finitarum immediatè ad numerū ipſarum actu infinitum.

31 *HVNC* Nodum extricare non

poſſe videtur ij Authores, qui ex vna parte docent repugnare infinitum in actu, & ex alia volunt potuiſſe mundum exiſtere ab æterno quò ad res permanentes, ſecus verò quò ad ſucceſſivas. Pone etenim Angelum ab æterno creatum, qui que conditus in gratia vſque modò fuiſſet in ſtatu viatoris, vt reverà potuit. Certè ille ſingulis diebus imaginarijs, ſeu poſſibilibus, & infinitis a parte antè, potuit ſingulos actus amoris Dei intenſiores & intenſiores elicere: quo poſito iam hodie haberet gratiam infinitè intenſam. Nam dicere illum neceſſario perſtiturum in actu illo amoris, quem ab æterno elicuit, nec diverſurum ab eo per infinitam durationem, iam à ſimili reiectum eſt *diſput. præced. à num.* 19. quoniam adverſatur ſupremo Dei dominio neceſſitas permanentiæ in qualibet creatura. *Rurſus*: Quolibet die imaginario, aut poſſibili, poſſet ſcribere litteram vnam; ac proinde hodie ſimul exiſterent infinitæ litteræ. Denique potuiſſet ſingulis diebus per medium ſcindere quantitatem palmarem ab æterno concreatam: eoque poſito iam eſſent hodie infinitæ quantitatis partes actu diviſæ. Quæ vltima illatio, multò magis vrgere debet Authores quibuſcum in hac diſputatione actum eſt: quoniam negare non poſſunt, Angelum, aut Deum ab æterno dividentem per medium quantitatem palmarem, & ſingulas medietates, ſingulis diebus realibus, tandem hodie poſiturum fuiſſe infinitas partes quantitatis actu diviſas. Nos vero, qui pariter permanentia ac ſucceſſiva entia repugnare ab æterno ſentimus, nequaquam hæremus in eadem ſalebra.

32 *IAM* verò ad obiectionē, reverà difficilem, negatur aſſumptum, quo aſſeritur argumenta a nobis propoſita pati inſtantiam in diebus imaginarijs, ſeu poſſibilibus. Pro ſolutione vero notandum eſt, dies imaginarios eſſe in duplici differentia: alios cum fundamento in re, qui idem omnino ſunt, ac dies verè poſſibiles, à nobis cogitatos vt exiſtentes, etiam pro illa menſura, in quà non exiſtunt, ſed tamen exiſtere abſolutè poſſent, iuxta ea quæ aliàs diximus *diſp.* 28. *ſect.* 1. loquētes de ſpatio imaginario; alios verò ſine fundamēto & omnino chimæricos. De his poſterioribus trãſeat poſſe cogitari ab æterno fuiſſe: quia ex cogitatione purè chimærica nullum argumentum rationabile deſumi poteſt ad diſputationem præſentem, quæ tota procedit in ſenſu reali. De prioribus verò negatur fuiſſe ab æterno: quia nullum eſt fundamētum ad imaginandum, ſive cogitandū dies impoſſibiles, tãquam verè poſſibiles pro illa mēſura, in qua impoſſibiles ſunt. Fateor omnes dies reales, etiā poſtremos, ac modò fluentes, fuiſſe poſſibiles ab æterno ſecundùm eſſe obiectivum, quia nullā abſolutè repugnantiā importabant; non tamen ideo poſſibiles fuerunt ab æterno pro illa æternitatis mēſura; ſed pro alia infinitè poſteriori. Sic etiam ab æterno fuit poſſibilis actus contritionis de peccato mortali proprio, & actus reminiſcētiæ rerum ſecundū durationem præteritarū, & pœna æterna ſubſequens duratione culpā. Non tamē hæc fuerunt poſſibilia ab æterno pro illa mēſura, ſed pro alia ſequēti; nec cogitari poſſunt cū fundamēto tãquam poſſibilia pro menſurā æternitatis; ſed potiùs vt impoſſibilia pro illa menſura. Sic, etiam apud pleroſque Adverſariorum, initium motus & temporis, & cuiuſcumque rei, licèt ſit poſſibile ab æterno, non tamen pro menſura æternitatis: quia repugnat rem exiſtentem pro menſura æternitatis à parte antè habere aliquod initium. Ratio autem omnium à priori eſt, quoniam æternitas eſt tota ſimul: ac proinde quidquid eſt capax exiſtendi ab æterno, ſive pro menſura æternitatis, debet eſſe capax vt exiſtat totum ſimul. At dies, & horæ, & anni, & vniverſim motus ac tempus, nullam capacitatem habent vt exiſtant ſecundùm ſe tota, aut ſimul; cùm eſſentialiter ſint entia ſucceſſiva, quæ conſiſtunt in viciſſitudine aſſidua penes prius & poſterius. Ergo nec dies, nec horæ, nec anni, aut aliquod tempus vel motus, habent aliquam veram capacitatem vt extiterint pro menſura æternitatis, ſive ab æterno.

33 *NOTANDVM* præterea, ſicut eſt duplex infinitas, vna ſyncathegorematica conſiſtens in carentia termini extrinſeci penes id quod res habere poteſt, alia cathegorematica conſiſtens in carētia termini intrinſeci ſecundùm ea quæ res actu habet; ita etiam æternitatem eſſe duplicem. Vna eſt ſyncathegorematica, & conſiſtens in capacitate paſſiva creaturæ poſſibilis vt producatur prius & priùs antè quamcunque menſuram finitam determinatamque, abſque vllo termino extrinſeco durationis a parte antè. Alia eſt cathegorematica & conſiſtens in eo quod res aliqua poſſit eſſe actu & ſimul, ſaltem ſecundum aliquam partem ſui, ante omne initium. Et hæc repugnat omni creaturæ, ſaltem ſucceſſivæ, ob rationem nuper indicatā. Neque valet conſequētia à capacitate æternitatis prioris ad poſteriorem, vt patet

in inſtantijs appoſitis actuum contritionis, reminiſcentiæ, ac ſupplicij pro culpa ſecundum durationem præterita, & in cuiuslibet creaturæ initio. Hæc enim omnia capacia ſunt æternitatis ſyncathegorematicæ; quia nunquam ita ante fuerunt, quin potuerint abſolute exiſtere priùs & priùs in infinitum retro. Non tamen habent capacitatem vllam vt cathegorematicè exiſterint ab æterno, quia eſſentialiter ſupponunt aliquid duratione prius: quod repugnat rei ab æterno exiſtenti. Quæ omnes inſtantiæ præ oculis debent eſſe, maxime dū publica diſputatio inſtituitur circa præſentem difficultatem: quoniam aliter cavillis & tricis maximus eſſe poterit locus.

34 *NOTANDVM* denique ex dictis *lib.3. diſp.22. ſect.5.* poſsibilia omnia, adhuc ſecundum eſſe obiectivum & condiſtinctum à Deo, nullam habere infinitatem, ſeu non eſſe infinita actu & cathegorematicè, ſed ſyncathegorematicè & in potentia tantum. Quod ibidem probatum explicatumque eſt, & neceſſario dicere debent quotquot negant poſsibilitatem numeri actu infiniti ſecundum eſſe reale; cùm rationes illud improbantes æquè exturbēt numerum actu infinitum ſecundùm eſſe obiectivum. Idem porro dicendum eſt de carentijs exiſtentiæ actualis, quas ipſa poſſibilia important pro ſtatu poſsibilitatis, cùm non ſint plures numero, quàm poſsibilia ipſa.

35 *EX* his ad ſingulas obiectiones prona atque in aperto eſt ſolutio. *AD I. ex num. 29.* concedo præceſsiſſe dies imaginarios infinitos ſyncathegorematicè, ſeu in potentia; non verò actu & cathegorematicè, adhuc ſecundùm eſſe obiectivum, aut imaginarium cum fundamento in re; niſi ad ſummum chimericè. Neque ij dies ſunt ab æterno poſsibiles pro menſurâ ipſa æternitatis, ſed poſt illam: quia quamvis infinitè in potentia diſtent à die hodierno, adhuc ipſi omnes infinitè diſtant ab æternitate à parte ante. Sic formica diſtat infinitè in potentia à ſpecie hominis per infinitas ſpecies perfectiores & perfectiores animalium vtramque interiectas; & tamen homo in perfectione infinitè diſtat à Deo. Ergo quamvis dies hodiernus infinitè diſtet in potentia a diebus imaginarijs cum fundamento, ſeu reverà poſsibilibus, qui potuerunt eſſe priùs & prius in infinitum; adhuc ij dies omnes diſtare poſſunt infinitè ſecundùm durationem à Deo. Quare ſicut in ſpeciebus humanâ inferioribus nō infertur dari debere numerum ſpecierum aliquem finitorum omnium poſsibilium maximum, qui que acceſsione vnius ſpeciei infinitus reddatur; ita nec in diebus cum fundamento cogitatis, ac reipſa poſsibilibus.

36 *AD II.* Licèt ab æterno fuerit Deus omnipotens, non potuit ab æterno producere aliquid extra ſe, quia illud involvit contradictionem, præſertim ſi ſucceſsivum ſit. Et quamvis potuerit producere quemlibet diem poſsibilem pro ea mēſura pro quâ poſsibilis eſt, aut fuit; non tamē pro menſura æternitatis, quia pro illa eſt impoſsibilis. Similiter & potuit producere Angelum quolibet die poſsibili, pro illa mēſura in qua poſsibilis eſt dies aliquis; non verò ante illam & ab æterno. Quod appoſitiſſimis inſtantijs illuſtratum manet *num. 32.* Quibus adde hanc non minùs opportunā. Deus potuit creare Angelum priùs ſecundū finitam durationem ante diem hodiernum: & illud prius nullum terminum habet in potentia à parte antè; quia quemcunque diem anteriorem aſsignes, adhuc in alio priori, & ſolùm finitè diſtante ab hodierno, potuit Deus creare eundem Angelum. At nihilominus evidens eſt, illam creationem finitè ſolum diſtantem à die hodierno, non potuiſſe ab æterno peragi.

37 *AD III.* nego maiorem: quia numerus dierum, qui præceſsiſſent hodiernum diem, iuxta ſententiam adverſam, conſtaret partim ex omnibus diebus poſsibilibus a parte antè, partim ex diebus impoſsibilibus & chimæricis, quales eſſent dies pertingentes vſque ad æternitatē. Numerus autem conflatus ex diebus poſsibilibus & impoſsibilibus maior eſt, quam poſſibilium tantùm. Sic etiam ſi aſſeras numerum hominum potentiū volare eſſe æqualem numero impotentiū, aſsignabis longè maiorē numerum hominū, quā reipſa poſſibilis ſit. Neq; obſtat quod Authores cōtrarij ſolum aſſerāt potuiſſe ab æterno exiſtere dies reipſa poſsibiles: nā dies vtcūque pertingentes ad æternitatē, reverà impoſſibiles ſunt. *AD IV.* Tēpus erat poſsibile ab æterno, non tamen pro ipſa menſura æternitatis, vt & pleraq; alia indicata *n. 32.* Deus autē ideo concipitur & eſt ab æterno, quia extitit ante omne initium, & ita vt ne quidem cogitationi fundamentum ſit, quo concipiatur aliquid exiſtens ante Deum. Contrà verò, nec realiter poſſibile fuit, nec cū fundamento cogitati poteſt, aliquod ens ſucceſsivum exiſtere ante omne initiū, vel ita vt Deus non priùs infinitè extiterit.

38 *AD Confirm.* nego maiorem: quia carentiæ dierum realium ſolum præ-

ceſſerunt pro illa menſura pro quâ à Deo liberè decretæ ſunt, & pro qua decerni poſſet exiſtentia dierum realis. Quamvis autem Deus ab æterno decreverit aut exiſtētiam realem, aut carentiam cuiuslibet diei poſsibilis; neutram tamen veluti extituram ab æterno; ſed ſolùm vt extituram poſt tranſactum *nunc* æternitatis, ſeu poſt durationem infinitam à parte ante: vti & ipſi Adverſarij dicere tenentur in prædictis inſtantijs, quas repetere opus non eſt. Quare ab æterno nulla dabatur carentia formalis & exercita exiſtentiæ creaturarum, ſed ſolum carentia ſimplex, ſeu mera repugnantia ad eſſendum pro illa menſura. Vnde non infertur præceſsiſſe infinitas actu carentias ſucceſsivas, ſed ſolum infinitas in potentia, & incipientes poſt menſuram æternitatis. Sed de his iam latius & ex profeſſo egi proprio loco, *diſp.* 11. per totam.

SECTIO QVARTA.

Aliæ rationes remiſsivè; & argumenta in oppoſitum ſoluta.

39 POSSET Probari vlterius noſtra ſententia ijs rationibus, quas tetigi *diſp.* 40. *à num.* 14. agens de exiſtentia vnius primi motoris. Videantur ibi, ne illas exſcribere in præſenti opus ſit. Poſſet præterea confirmari ratione a priori, obiter præcedentibus indicata: quia omne quod ab æterno exiſtit, debet exiſtere indiviſibiliter & ſimul, vt conſtat ex definitione æternitatis. Impoſsibile autem eſt motum & tempus extitiſſe vnquam indiviſibiliter & ſimul; cum conſiſtant in viciſsitudine & ſucceſsione irrequieta penes prius & poſterius. Ergo impoſsibile eſt motum & tempus extitiſſe ab æterno. Verum hæ rationes iam ab alijs Authoribus noſtræ ſententiæ expenſæ ſunt ſatis, ideoque illas indicaſſe ſufficiat, vt in ipſorum libris conſulantur, ac pleræque aliæ. Præterquam quòd, cum diſputatione præcedenti late a nobis conſtitutum ac probatum ſit, nullam creaturam permanentem potuiſſe ab æterno exiſtere, ijſdem argumentis a fortiori evincitur, nec ſucceſsivam potuiſſe.

40 ADHVC tamen ſpeciatim de ſerie generationum probatur non potuiſſe ab æterno eſſe: Quia in illa ſerie generationum per naturalem propagationem, ſive hominum, ſive quorumcunque animalium, aut mixtorum, neceſſario deveniendum eſt ad vnicum individuū, quod immediatè tantùm proceſſerit à Deo. Neceſſum eſt enim vt omnia illa individua procedant ab vna prima cauſa, à qua tota illa ſeries deriveтur. Inſuper homo, aut brutum, immediatè genitum ab illo individuo non eſſet genitum, neque exiſtens ab æterno: quia duratione poſterius eſſet ſuo generante: omne autem id quod præceditur ſecundùm durationem ab alio, nequit eſſe æternum. Aut igitur inter generationem huius individui & creationem alterius, a quo proceſsit per propagationem, interceſsit æternitas, vel ſolum tempus. Si æternitas; planè ſequitur ſeriem generationum naturalium interruptam fuiſſe per durationem infinitam, ideoque ab æterno nō fuiſſe. Si autem ſolùm interceſsit tempus finitū; ergo individuum illud a Deo creatum, & parens cæterorum, tantum illa præceſſit penes durationem finitam, ideoque nō fuit ab æterno. Omne enim illud quod ab æterno extitiſſe ſupponitur, debet infinita duratione præcedere quidquid æternum nō eſt. Quod ſi vero neges ſuppoſitum, ſeu aſſumptum huius argumenti, eò quòd poſita ſerie generationum ab æterno, nullum eſſet generans omnium primum, ſed ante quodcūque determinatum extitiſſet aliud & aliud per æternam ſucceſsionem à parte ante; difficile tueberis rationem illam, qua communiter Philoſophi probant exiſtentiam vnius primæ cauſæ ex natura motus, & ex ſerie cauſarum efficientium, de quo actum eſt *diſp. alleg.* libri præcedentis, aperieſque viam atheis hominibus, vt vnius primi motoris, ſeu primæ cauſæ exiſtentiā negent; dicentes mundum ab æterno fuiſſe eo modo, quo tu de poſsibili aſſeris; & quemlibet hominem, equum, avem, ac deniquè mixta omnia, proceſsiſſe ab alio & alio individuo ſuæ ſpeciei in infinitum a parte antè, quin vnquam deveniatur ab aliquod primum individuum, quod immediatè proceſſerit a prima cauſa, illavè indiguerit ad ſui exiſtentiam.

41 OBIICIES I. Poteſt tempus & motus durare in æternum a parte poſt. Ergo & potuit durare ab æterno a parte antè. Verùm hoc argumentum iam propoſui in rebus permanentibus *diſp. præced. num.* 57. & reddid. diſparitatem vtriuſque æternitatis. Nunc addo: ſi motus ab æterno fuiſſet, eo ipſo potuiſſe dari infinitum in actu, tam partium aliquotarum temporis, vt dierum; quàm effectuum permanentiū in ijs productorum: vt oſtenſum eſt *ſect.* 2. At verò ex eo quòd tempus & motus ponatur in æternum poſt duraturus, non colligitur infinitas partes temporis vnquā poneneda-

nendas, fluxuraſve, ſed finitas actu, quamvis diem aſsignes ab hodierno diſtantem per plura ſæculorum millia, quàm poſsint eſſe pulviſculi arenæ intra totum ambitum cœli Empyrei. Vnde neque imminet abſurdum infiniti in actu rerum permanentiũ. Præterea, quælibet creaturarum æternitas à parte poſt, imperfecta & ſolùm ſyncathegorematica eſt; quoniam ſecundùm ea quæ actu habuit, & habet, ſolùm datur duratio finita. Contra vero quidquid ab æterno duraret, habuiſſet & haberet actu infinitam durationem. Denique, quidquid eſt ab æterno debet eſſe totum ſimul, quod repugnat enti ſucceſsivo. Quidquid vero durat in æternum poſt, non debet eſſe totum ſimul, ſed gradatim procedere ex partibus prioribus ad poſteriores, vt contingit de facto.

42 INSTABIS Poteſt dari ſucceſsivum æternum poſt, non ſolùm ſyncathegorematice, quatenus poſteriùs & poſteriùs durare aut produci poteſt; ſed etiam cathegorematicè & actu, quatenus actu erit & erit ſine fine. Ergo pariter potuit dari ſucceſsivum æternum antè, non ſolũ ſyncathegorematicè, ita vt potuerit durare aut produci priùs & priùs; ſed etiam cathegorematicè & actu, ita vt in actu fuerit ſine initio. RESP. negando antecedẽs: quia omne ſucceſsivum, ſi futurũ ſit æternum poſt, nunquam attinget infinitatem cathegorematicam ſeu actualem: cùm omnis pars eius aſsignabilis a Deo, & aliquando tandem futura, debet finire ſolùm a die hodierno. Itaque ſolum eſt & erit infinitum ſyncathegorematicè per carentiam termini extrinſeci; re autem ipsâ & actu finitum ratione termini intrinſeci & actualis.

43 OBIICIES II. Non repugnat dari motum circularem primi mobilis ab æterno. Ergo aliquid ſucceſsivum ab æterno eſſe potuit. Probatur antecedens: Quia circularis motus primi mobilis, non habet principium, nec finem; ſicut neque ipſum primum mobile; quia circulare eſt; & in nullo circulo licet accipere principiũ aut finem actu. RESP. argumento hoc aut nimiùm probari, aut nihil. Etenim aut probat motum circularem primi mobilis nũquam habuiſſe initium actu, proindeque ab æterno fuiſſe; quod nimiùm probare eſt, & contra doctrinam fidei: aut probat ex naturâ ſuâ ſaltem exegiſſe ne vnquam initium haberet, quanquam de facto & contra propriam inclinationem habuerit initium; & hoc etiam nimium probare eſt, cùm æternitas a parte antè nulli creaturæ debita & connaturalis ſit: aut denique ſi neutrum evincit, nihil probat, vt conſideranti patebit. Deinde dico, motum circularem carere principio ex parte mobilis, ſeu corporis, quod movetur; non tamẽ ex parte durationis: quia omnis motus ſucceſsivus eſſentialiter exigit vnam partem tranſire, & ſuccedere, ſeu vnam deſinere & alteram incipere: atque adeo vtranque ſolùm finitè durare, non verò infinitè, qualiter oporteret duraſſe aliquam, vt motus eſſet ab æterno. Rurſus: de ratione motus ſucceſsivi eſt vt incipiat extrinſecè; quod explicari ſolet illis verbis: *nunc non eſt motus, & immediatè pôſt erit*. Ergo debet præſupponere *non eſſe* ſui; quod rei ab æterno exiſtenti manifeſtè repugnat.

44 OBIICIES III. D. Thomam varijs locis, quæ accuratè & doctè, vt ſolent, expendunt PP. Complutenſes, pro æternitate motus & quarumcunque generationum, excepta humana. Verùm ex pluribus traditis à Magiſtro Ioanne à S. Thomà loco allegato, conſtat ſatis S. Doctorem nunquam firmiter, aut aſſertivè tradidiſſe opinionem adverſam, ſed illius veritatem aut falſitatẽ ſub dubio reliquiſſe. Imo ex dictis *ſuprà n.* 16. conſtat ipſum tradidiſſe noſtram ſententiam. Quod vero ſpecialem repugnantiam invenerit in generationibus hominũ, inde eſt, quòd ex ijs apertè viderit ſequi infinitum in actu rationaliũ animarum, quæ hodie ſimul exiſterẽt, quoniam incorruptibiles ſunt. Ergo ſi præceſsiſſent infinitæ generationes hominum, hodie coexiſterent infinitæ animæ rationales. Hoc verò abſurdum non adeò evidenter colligitur ex generationibus aliarum rerũ purè materialium ab æterno fluentibus; quoniam cum formæ illarum ſint corruptibiles non poſſent manere, aut ſimul omnes exiſtere poſt corruptiones compoſitorum præcedentium; ideoque non conſtituerent infinitum numerum rerum actu exiſtentium. Aliunde verò, & in re, æqualis vtriuſque repugnantia eſt: quoniam poteſtate abſolutâ Dei fieri poteſt, vt forma materialis cuiuſcunque ſubſtantialis compoſiti, poſt huius corruptionem conſervetur & maneat extra omne ſubiectum. Ergo ſi præceſsiſſent infinitæ generationes formarum eiuſmodi, poſſet abſolutè Deus illas omnes conſervare ſimul vſque modò; ac proinde daretur nunc infinitum formarum actu exiſtentium.

(*)

DIS-

DIS. QVADRAG. QVINTA:

DE PERMANENTIA CREATVRARVM.

An ſit poſsibilis creatura eſſentialiter permanens in æternum?

Num. 1. *STATVTO Superioribus, mundum nec re ipſa extitiſſe, nec exiſtere potuiſſe ab æterno, ſive quo ad entia ſucceſsiva, ſive quò ad permanentia, reſtat examinanda difficultas hoc ſæculo celebris, quâ inquiritur, an ſit poſsibilis creatura, quæ ex ſuppoſitione ſolius ſuæ creationis habeat eſſentialiter annexã permanentiam ſui in æternum, ac proinde nequeat deſtrui à Deo. Porrò exacta eius diſcuſsio non ſolùm deſerviet penitiori intellectui præcedentium diſputationum; ſed & facem præferet ſubtili ac recenti Theologorum controverſiæ, in quâ diſſerunt, vtrùm viſio beatifica habeat eſſentialiter annexam durationem ſui æternam. Nonnulli Authores, quos ſuppreſſo nomine allegant Aldrete* diſp. 36. de Incarn. *& Izquierdo* tom. 1. Operis Theol. diſp. 8. *cenſent non repugnare eiuſmodi creaturam: quod & alij noviter in manuſcriptis, & publicis litterarum certaminibus, propugnarunt. Id ipſum ex parte tuetur Arriaga* diſp. 10. Phyſicæ à num. 17. & diſp. 15. à num. 64. *quatenus aſſerit poſsibilem eſſe creaturam, quæ eſſentialiter exigat permanentiam ſui pro aliquâ duratione. Verùm longè animoſior Petrus Gaſſenaus* tom. 1. Philoſophiæ Epicureæ pag. 605. & 616 *aſſerit eſſe ſpatium aliquod realiter exiſtens, & eſſentialiter æternum, atque à Deo improductum, ac proinde indeſtrubile à Deo: vt vidimus* diſp. 31. ſect. 1. *vbi eam exiſtimationem reiecimus. In præſenti verò de omni creaturâ diſſerendum eſt. Habere poteſt locum diſputatio hæc vbi tres præcedentes, & in eadem capita binus libri octavi, initio illarum aſsignata; & locis* num. ſequenti *allegandis apud Ariſtotelem.*

SECTIO PRIMA.

Eligitur ſententia negans poſsibilitatem eiuſmodi creaturæ, & ſuadetur ex ſacris litteris, ac ſelectis Patrum teſtimonijs, breviter expenſis.

2 SIT Aſſertio vnica, repugnare prorſus creaturam, tam de facto, quã de poſsibili, quæ exigat eſſentialiter permanentiam ſui in æternum, poſtquam ſemel exiſtit, ita vt nullatenus poſsit deſtrui à Deo. Hanc doctrinam adeò certã exiſtimant plerique Authores, vt oppoſitã erroris notâ inurant. Ita Eximius Suarez *lib. 1. de Angelis cap. 9. num. 5.* Vazquez 1. *p. diſp.* 182. *num.* 7. Hurtado *diſp.* 54. *de Incarn. ſect.* 6. §. 91. Tannerus 1. *p. diſp.* 5. *q.* 1. *num.* 15. Franciſcus Lugo *diſp. 2. de Angelis c. 3. num.* 9. Ysambertus 1. *p. q. 50. diſp. 2. ar. 3.* Eamque vt veriſsimam tradunt & illuſtrãt Thomiſtæ circa 1. *p. q. 50. ar. 5.* Vbi agunt de incorruptibilitate Angelorum, & Oviedo *cõtrov. 7. de Animâ puncto* 1. §. 4. *à num. 21. ac* 1. 2. *tract. 1. controv. 3. p. 3.* Ripalda *tom. 1. de Ente ſupernat. diſp.* 59. Amicus *diſp* 19. *de Incarn.* Henao in Empyreologia *lib. 3. exercit. 12. ſect.* 14. Spinola *diſp. 12. Phyſicæ n.* 50. Quiros 1. *p. tract. 3. diſp.* 33. Aldrete loco ſuperiùs allegato: ac denique omnes ferè Philoſophi, ſive dum *libro 4. Phyſic.* de rerũ duratione diſſerunt, ſive *lib. 1. de Animâ*, vbi agunt de incorruptibilitate animæ rationalis cum eodem Philoſopho *textu* 12. & 13. ſtatuente animam rationalem à corpore ſeparabilem eſſe; & *lib. 3.* eiuſdem operis *c. 3.* ferè per totum. Porrò quamvis rem hanc ad præſcriptum Philoſophiæ diſquirere animus ſit, oportet aſſertionem primùm ex ſacris litteris ac Patrum teſtimonijs munire, vti Philoſophum Chriſtianum ac Theologum decet.

3 *PROBATVR* itaque ex Apoſto 1. *ad Timoth.* 6. vbi de Deo ait: *Qui ſolus habet immortalitatẽ.* Vnde Auguſtinus *Epiſt.* 18. alijque Patres, probant abſolutam immortalitatem eſſe ſolius Dei proprium, ideoque non poſſe alicui creaturæ convenire. Et lib. 3. cõtra Maximinum cap. 12. inquit: *Immortalitatem autem Deus habere dicitur ſolus, quia eſt immutabilis ſolus.* Expendo ſic. Si creatura aliqua exiſtens, aut poſsibilis, eſſet immortalis eſſentialiter, ſive omnino impotens deficere, non ſolus Deus haberet immortalitatem, neque indefectibilitatem. At iuxta ſacras litteras ſolus Deus habet immortalitatem, & iuxta Auguſtinum ſolus habet indefectibilitatem. Ergo nulla creatura exiſtens, aut poſsibilis, eſt immortalis eſſentialiter, aut omnino impotens deficere. Ideoque nec Angel[illegible], neq

ani-

anima rationalis, nec quidquam aliud præter Deum, eſſentialiter immortale aut indefectibile eſt. *Rurſus.* Ideo à priori Deus eſt eſſentialiter immortalis, quia eſt eſſentialiter immutabilis. At repugnat creatura eſſentialiter immutabilis. Ergo & creatura eſſentialiter immortalis.

4 *IDEM* generatim de omni creatura exprimunt alij Patres. Ambroſius lib. 3. de Fide cap. 2. inter plura alia: *Corruptelæ & mortis, etiamſi nõ moriatur, aut peccet, capax eſt omnis creatura.* Et poſt pauca: *Alia ergo immortalitas, quæ donatur; alia quæ ſine capacitate mutabilitatis eſt ſemper.* Ergo quoties donatur immortalitas creaturæ, eſt cum capacitate mutabilitatis, atque adeò cum potentia deficiendi, per quam diſtinguitur à Creatore, qui ab eo eſſe, quod habet, nunquam decidere poteſt, ideoque ſolus *immortalis* aſſeritur. Zacharias Mitylenæus in eleganti illo Dialogo de Mundi opificio tom. 1. Biblioth. PP. Græcolat. pag. 355. pulchrè id explicat his verbis: *τί δ᾽ ἂν εἴη ἀξιάγαστον, καὶ πρέπον τῇ μακαρίᾳ φύσει, ἢ τὸ ἀϊδίως δοξάζειν αὐτὴν εἶναι καὶ μόνην ἐν ἀτρεψίᾳ, οὐδενὸς δεομένην τῶν γεγενημένων, διὰ τὸ τελείαν εἶναι, καὶ αὐτάρκη, ἀεί τε ὡσαύτως ἔχειν, ἁπλῶς καὶ μονοειδῶς. Hoc præſtantiſſimum, maximeque conſentaneum illi naturæ præconium, ſi eam prædicemus in æternum exiſtere, ac ſolam immutabiliter; nullius eorum, quæ facta ſunt, indigentem; eo quòd perfecta ſit, ac ſibi ſufficiens, & eodem modo ſemper habeat ſimpliciter, & vno modo.* Creatura autẽ eſſentialiter indeſtruibilis in æternum, quam exiſtentem, aut poſsibilem ſaltem aſſerunt Adverſarij, iam exiſteret immutabiliter, nullius eorum, quæ facta ſunt, indigens, ac perfecta & ſibi ſufficiens, eodemque modo ſemper habens: quæ eſt propria divinæ naturæ notio.

5 Quare Auguſtinus idem, qui ſuprà, Epiſt. 56. vniverſim docet, *non ob aliud res deficere, vel poſſe deficere, niſi quòd ex nihilo factæ ſunt.* Cùm igitur omni creaturæ eſſentialiter conveniat, ſuppoſitâ eius exiſtentia, quod ſit ex nihilo facta; conveniet quoque ipſi, vt vel re ipſa deficiat, vel poſsit deficere. S. Fulgentius eius diſcipulus apud Photium cod. 230. ſimili ſtilo: *In Deo ens eſt ſupra eſſe. At noſtrum eſſe neque propriè ens eſt. Quomodo enim ſit propriè ens, quod à non ente deſcendit, & quod naturâ ſuâ in non ens deſinit?* S. P. N. Anſelmus ad illa verba Pauli Hebr. 1. *Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ,* ſic loquitur: *Portat omnia: id eſt, ſurſum tenet, ne decidant, & in nihilũ revertãtur, vnde creata ab ipſo fuerant.* Quæ verba mutuatus ferè videtur à Chryſoſtomo in eundem locum. Subditque idem Anſelmus immediatè: *Et omnia ſuſtentat, non labore, nec difficultate, ſed verbo virtutis ſuæ, id eſt, imperio ſuæ potentiæ; hoc eſt, ſola voluntate ſuâ, quæ in eo virtus eſt, & omnipotentia.* In opinione autem cõtrariâ, aliqua creatura ſuſtentaretur, non ſola Dei voluntate, ſed propria & eſſentiali exigentia permanendi in æternum, Si Cyrillus lib. 8. Theſauri cap. 2. *Omnia quæ ex nihilo producta ſunt, poſſunt etiam, ſi Creator voluerit, ad nihilum devenire.* S. Epiphanius hæreſi 76. *ἐπειδήπερ πᾶν τὸ ἀρχὴν ἔχον, καὶ τέλος ἕξει, εἰ βούλοιτο ὁ τὸ εἶναι τῷ τὴν ἀρχὴν εἰληφότι παρεσχημένος. Quidquid habet principium, finẽ etiã habebit; ſi ei libuerit, qui ei, quod initium accepit, vt eſſet, tribuit.* Nicetas quoque lib. 2. Theſauri cap. 4. *Quidquid creatũ, idem & mutabile eſt. Increatum ſolum eſt immutabile.* Ac prætereà: *Quidquid cœpit, idem & natura deſinit, & in interitum tendit.*

6 His & alijs teſtimonijs, quorum plura dabimus in curſu Theologico diſputantes de æternitate viſionis beatificæ, pleni ſunt Eccleſiæ Patres: qui omnes in hanc creaturarũ omnium defectibilitatẽ, mutabilitatemque, ſeu potentiam deſinẽdi, vnanimiter conſpirant, ſolique Deo plenam immortalitatem aſſerunt. Sed vt ſpeciatim idipſum ab ijs traditum demonſtremus de cœlo, & mundo, anima rationali, & Angelo, de quibus prælertim dubitandi ratio eſſe poterat, placet è multis nonnulla Patrum loca exſcribere.

7 S. Irenæus lib. 2. cap. 64. ita loquitur. *Quemadmodum cœlum, quod eſt ſuper nos firmamentum, & Sol, & Luna, & reliquæ ſtellæ, & omnia ornamenta ipſorum, cùm antè non eſſent facta ſunt, & multa corpora perſeverant ſecundum voluntatem Dei: ſic & de animabus, & ſpiritibus, & omnino de omnibus, quæ facta ſunt,* &c. Et, paucis interpoſitis: *Omnia, quæ facta ſunt, initium quidem facturæ ſuæ habent: perſeverant autem, quoadvſque ea Deus & eſſe, & perſeverare voluerit.* Similiter Damaſcenus lib. 2. de Fide cap. 3. loquẽs de Angelis, in quibus eadem, aut maior eſſe poſſet difficultas, quam in animo rationali, inquit: *ἀθάνατος οὐ φύσει, ἀλλὰ χάριτι· πᾶν γὰρ τὸ ἀρξάμενον, καὶ τελευτᾷ τῇ φύσει. Immortalis, non naturâ, ſed gratiâ* (ſcilicet, beneficentiâ gratuita Creatoris) *Omne enim quod initium habuit, deſinere ſuapte naturâ poteſt.* Idemque habet lib. 1. cap. 8. fine. Et in Dialogo de Manichæorum hæreſi, non modò eandem generalem rationem reddit, de omni creaturâ æquè probantem; ſed ſpeciatim de Angelis ſubijcit: καὶ οἱ ἄγγελοι γοῦν

ἀρ-

ἀρχὴν ἔχοντες, καὶ τέλος ἔχουσι τῇ τὴν ἑαυτῶν φύσιν, εἰ καὶ τῇ θείᾳ χάριτι πάλιν ἄρχονται τοῦ εἶναι, καὶ ἀνακαινίζονται. *Quare Angeli, qui principium habent, finem etiam habent naturâ ſuâ: tametſi divinâ gratiâ rurſus eſſe incipiunt, & inſtaurantur.* Idque adhuc explicare pergit ſimilitudine mòtus circularis ac rotæ, quæ circumagitur, & aſsiduum impulſum à motore accipit, quo ceſſante deſineret, aut vlteriùs non moveretur. Ita planè Angeli, niſi aſsiduâ Creatoris beneficentiâ cõſervarentur, in nihilum, è quo prodierunt, redirent.

8 Et tam de Angelis, quàm de rationali animo, loquitur Sophronius Hieroſolymitanus in epiſtola, quæ habetur *tom.* 5. Concil. pag. 157. in Actis VI. Synodi Generalis: vbi hæc, inter alia proferuntur. *Ac principio omnibus temporario conſtituto, ea quidem, quæ ſub ſenſum cadunt, finiri voluit Deus in tempore: intelligibilia verò & inviſibilia maiori, quàm illa, voluit honore afficere. Itaque nullo pacto moriuntur, neque corrumpuntur, vt in ſenſibilibus accidit, quæ influxu poſita ſunt, & facilè prætereunt. Neque tamen naturâ ſunt immortalia, aut ad incorruptam ſubſtantiam tranſitum fecerunt: verùm gratiam ijs indulſit, quæ à corruptelâ & interitu illa vindicat.* ἅτας ἀνθρώπων ψυχαὶ διαμένουσιν ἄφθαρτοι· οὕτως ἄγγελοι διατελοῦσιν ἀθάνατοι· οὐ φύσιν ἀληθῶς, ὡς εἴρημεν, ἄφθαρτον, ἢ οὐσίαν κυρίως ἀθάνατον ἔχοντες· ἀλλὰ χάριν ἐκ θεοῦ κληρωσάμενοι ἀθανασίας χορηγόν, καὶ ἀφθαρσίας αὐτοῖς ὑπάρχουσαν πρόξενον. *Sic hominum animæ corruptionis expertes manent. Sic immortales perſeverant Angeli; non quòd naturam reverà incorruptam habeant, vt diximus, aut ſubſtantiâ propriè immortali conſtent: ſed quòd gratiam divinitus ſortiti ſint, largitricem immortalitatis, & incorruptibilitatis conſervatricem.* Quid illuſtrius, aut è re noſtrâ magis? Habet verò graviſsimum authoritatis pondus præfata epiſtola, quoniam digna eſt habita, vt Actis prædicti Concilij OEcumenici insereretur; ideoque eius teſtimonia à Theologis maximi reputantur. Ex illius autem verbis conſtat, nec Angelos, nec rationales animas, immortales aut incorruptibiles eſſe naturâ ſuâ; ſumptâ, ſcilicet, immortalitate & incorruptibilitate pro impotentia omnimodâ aut eſſentiali deficiendi; ſed tantum ex dono Dei, quo vindicantur, ſeu liberantur à corruptione & interitu. Vt enim inquit S. Auguſtinus tom. 6. libro de naturâ boni cap. 39. *aliud eſt non mutari rem, cùm tamen poſsit mutari; aliud autem prorſus non poſſe mutari.* Et primum quidem convenit animo rationali, & Angelis, imò & cœlo in frequentiore ſententia: ſecundum verò ſoli Deo, quoniam ſolus ille immutabilis eſt.

9 Quæ doctrina adeò manifeſtâ apparet, vt etiam ſolo naturæ lumine eam aſſecutus videatur Plato in Timæo, cuius verba latinitate donata à Cicerone *lib. de Vniverſ.* hæc ſunt, tanquam nomine ſummi Dei prolata ad minores Deos, ſive Angelos: *Hæc vos, qui Deorum ſatu orti eſtis, attendite. quorum operum ego parens effectorque ſum, quæ per me facta, non ſunt deſoluta me invito: quanquam omne colligatum* (ſcilicet, compoſitum) *ſolvi poteſt. Sed haudquaquam boni eſt ratione vinctum velle diſſolvere. At quoniam orti eſtis, immortales vos quidem eſſe, & indiſſolubiles non poteſtis. Neutiquam tamen diſſolvemini: nec vos vlla mortis fata periment.* Quam ipſam ſententiã eleganter verſibus expreſsit S. Proſper Epigramm. 3. accinens.

Nam quas, vt voluit, rerum ſapientia fecit,
Multis vita quidem eſt præſtita perpetua.
Sed quodcunque poteſt ſeſe ampliùs, aut minus eſſe,
Quodam fine ipſi quod fuerat, moritur.
Sic nihil æternum, quod commutabile factum eſt:
Quod cunctis ſupereſt, ſemper idem Deus eſt.

SECTIO SECVNDA.

Rationibus varijs probatur vera & communis ſententia, refutatis ſolutionibus Adverſariorum.

10 PRIMA Ratio deſumitur à priori ex dominio Dei, quod ipſi competit iure creationis, in quemcunque effectum, vt proinde poſsit illum deſtruere, aut annihilare quoties voluerit. Quod ſic ſub ſeveriori arguendi formâ propono. Quiſquis habet perfectiſsimũ dominium cuiuslibet rei, eo ipſo poteſt illam deſtruere. Sed Deus habet perfectiſsimum dominium cuiuſcunque rei creatæ, aut creabilis ex ſuppoſitione quòd exiſtat. Ergo Deus poteſt deſtruere quamcunque rem creatam, aut creabilem ex ſuppoſitione quòd exiſtat. Conſequentia eſt formalis in Darij. Minor patet, tum ex ſupremâ Dei perfectione lumine naturæ manifeſtâ, & ex ipſo Ariſtotele demõſtratâ à nobis *diſp.* 40. *ſect.* 3. tum ex doctrinâ frequenti Theologorum aſſerentium relationem, ſive exercitium dominij non reſultare in Deo niſi ratione creationis; ideo-

Ideoque Deum ab æterno nullum exercuiſſe dominium in creaturam, quia nihil ab æterno creavit. Maior in qua ſola poſſet eſſe diſsidium, probatur multipliciter. *Primò*, & a priori: Quia de ratione dominij in genere eſt facultas vtendi re pro libito abſque alterius iniuria, vt patet ex dominij definitione; de ratione autem perfectiſsimi dominij eſt facultas pleniſsima vtēdi re pro libito. Sed in facultate pleniſsima vtendi re pro libito includitur poteſtas ad illam deſtruendam. Ergo quiſquis habet perfectiſsimum dominium cuiuſcunque rei, eo ipſo habet poteſtatem ad illam deſtruendam.

11 *Secundò* probatur eadem maior. Ideo enim probant communiter Philoſophi & Theologi contra Durandum, Deū concurrere immediatè ad omnes actiones cauſæ ſecundæ, quia ratione perfectiſsimi dominij poteſt ſuſpendere concurſum, quo illas conſervat; nequit autem ſuſpendere immediatè concurſum, ſi illum immediatè non habeat. At ſuſpenſio concurſus quo Deus conſerbabat creaturam eſt illius deſtructio. Ergo nequit in Deo dari perfectiſsimum ſupra creaturam dominium, niſi poſſit illam deſtruere. *Tertiò*. De ratione dominij qualiſcunque, quod habemus in noſtras actiones, eſt vt poſsimus illas conſervare, aut non conſervare pro libito. Vnde quemcunque actum liberum noſtrum ita habemus ſub poteſtate, vt pro ratione arbitrij poſsimus illum continuare, aut non continuare, ſed interrumpere & deſtruere quando & vbi voluerimus. Ergò multo magis de ratione dominij perfectiſsimi, quale eſt divinum præ omni creato: eſt potentia ad eam deſtruendam, ſeu non conſervandam.

12 *CONFIRMATVR* diſcurſu deſumpto ex D. Tho. 1. *p. q.* 9. *ar.* 2. *corp.* & iterum *q.* 140. *ar.* 3. *corp.* Si non obſtante perfectiſsimo Dei dominio in omnem creaturam, eſſet aliqua, quæ non poſſet deſtrui ab ipſo poſtquam ſemel producta eſt; etiam eodem non obſtante eſſet aliqua quæ exigeret ſui productionem, ita vt non poſſet à Deo non produci. quod quàm abſurdum ſit, probatione non indiget. Sequellam probo. Nulla enim ratio eſt, cur ſit de ratione perfectiſsimi dominij Dei poſſe pro libito producere aut non producere creaturam, ſi non eſt de ratione illius poſſe pro libito conſervare aut non conſervare creaturam iam productam. Imo vrgentior & duplex ratio eſt ad ſecundum, quam ad primum. Quòd enim nulla creatura exigat eſſentialiter produci à Deo, ſolum oritur ex dominij divini excellentia, quæ à nulla creatura neceſsitari poteſt, vt ipſam tranſferat de non eſſe ad eſſe. Quod verò nulla creatura ſemel producta eſſentialiter exigat ſui permanentiam, oritur non ſolum ex excellentia dominij divini quaſi in actu ſignato; ſed etiam ex iure creationis, quod ſpeciali titulo fundat exercitium dominij divini, & facultatem deſtruendi illam in actu exercito. Si igitur omni creaturæ repugnat exigentia eſſentialis vt à Deo producatur, multo magis repugnat eſſentialis exigentia ne vnquam ab ipſo deſtruatur.

13 *RESP.* Adverſarij reddendo diſparitatem: quia cum creatura poſsibili nullum Deus exerceat dominium: atque adeo ſi teneretur illam producere, eſſet neceſsitas antecedens & nullam præſupponēs liberam determinationem reſpectu Dei, proindeque obſtans eius excellentiæ dominio. At verò conſervatio rei iam productæ præſupponit iam exercitium dominij divini in ipſa creatione; ideoque quod teneatur illam conſervare, eſt neceſsitas omnino conſequens, quæ in nullo lædit dominium, etiam perfectiſsimum. Sic non læditur dominium Dei ex eo quòd Angelum ſemel creatum teneatur neceſſariò conſervare iure naturalis Providentiæ; quia in ipſa creatione continetur virtualiter, aut quaſi in ſemine, beneficium conſervationis: læderetur autem, ſi Angelus antequam exiſteret, naturaliter exigeret à Deo creari, quia hæc exigentia non fundaretur in aliquo libero Dei exercitio antecedente, ſed in prædicatis eſſentialibus ipſius Angeli. Ergo pariter, licèt nulla creatura exigat eſſentialiter vt ab eo conſervetur, ſive illa ſit anima rationalis, ſive Angelus, ſive quidquam aliud.

14 *SED Contrà I.* De ratione enim perfectiſsimi dominij eſt, vt non ſolùm exercere poſsit liberam poteſtatem circa productionem aut non productionem rei, ſed etiam circa eius deſtructionē poſtquam producta eſt. Ergo quemadmodum læderetur dominium Dei ſi non haberet liberam poteſtatem ad rem producendam & non producendam, ſic etiam læderetur ſi non haberet illam ad rem deſtruendam aut non deſtruendam poſtquam eſt iam producta. Antecedens iam manet probatū multipliciter a principio ſectionis, & præterea ſuadetur deſtruendo fundamentum ſolutionis adverſæ. Etenim quòd Deus libero ſui dominij exercitio rem produxerit, non eſt aliqua ſuppoſitio inducens conſequentem neceſsitatem ad illam conſervādam,

dam, ſed potiùs inferens facultatem liberam ad illam vel conſervandam, vel deſtruendam pro libito. Quod ſuadetur primò & à priori, quia, vt dicebamus, in ipſo beneficio gratuito creationis fundatur poteſtas libera Dei ad deſtruendam, aut non deſtruendam rem, quæ deſtrui non poterat niſi priùs crearetur. Ergo repugnat quòd in ipſo exercitio libero ac gratuito creandi fundetur aliqua neceſsitas conſequens ad rem non deſtruendam. Vnde ex eo quod Deus omnia creaverit, Scriptura colligit perfectiſsimum Dei dominium, ratione cuius nulla creatura eius voluntati reſiſtere poſſit: vt conſtat ex illo Eſther 13. *Tu feciſti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur. Dominus vniverſorum tu es.* Secundo: Quia quemadmodum ad perfectiſsimum Dei dominium ſpectat poteſtas libera creãdi, aut nõ creandi rem ſingulis momentis, ſic etiam conſervandi aut non conſervandi ſuppoſitâ creatione. Etenim Deus per liberam creationem in nullo læſit dominium conſequens, quod vel in creaturis integrum manet ad rem alienandam, vendendam, mutuandam, aut deſtruendam, quoties ſub earum dominio eſt; & figulus quia fecit vas facultatem liberam habet ad illud frangendum. Ergo Deus qui omnem creaturam ex nihilo condidit, multò magis facultatem liberam habet ſingulis momentis ad illam conſervandam vel deſtruendam.

15 CONTRA II. Si ex ſuppoſitione dominij divini ſemel liberè exerciti in rei creationem poſſet oriri neceſsitas conſequens ad eamdem conſervandam abſque ipſius diſpendio; poſſet etiam ex eâdem ſuppoſitione oriri independentia creaturæ à Deo in operando poſtquam ſemel producta eſt, ità vt ſine actuali eius cõcurſu operari poſſet, illæſo Dei dominio. Probatur ſequela: quia hæc independentia creaturæ in operando, & neceſsitas Dei ad permittendam operationem, non antecederet, ſed ſubſequeretur liberum exercitiũ dominij divini circa eiuſdem creaturæ productionem. Ergo ſi prior neceſsitas non læderet divinum dominium; neque etiam poſterior. Vtraque enim eſſet neceſsitas conſequens. *Vlterius.* Poſsibilis etiam eſſet creatura, quæ ex ſuppoſitione productionis liberè à Deo præſtitæ, exigeret eſſentialiter ſui reproductionem data hypotheſi in quà deſtrueretur: nam & hæc eſſet ſuppoſitio, non antecedens, ſed conſequens exercitium liberi Dei dominij. Imo maius quid eſt, & prudenter eligibilibus, exigere eſſentialiter aliquid vt a Deo ſemper conſervetur, quàm vt ex ſuppoſitione liberæ & conſequenter deſtructionis ab ipſo reproducatur. Ergo ſi ſuppoſitio libera creationis ſufficit vt primum fieri poſsit abſque diſpendio dominij divini, etiam ſufficiet ad ſecundum.

16 CONTRA III. Si ſuppoſitio dominij divini ſemel liberè exerciti in creatione rei ſufficit, vt abſque illius diſpẽdio creatura eſſentialiter exigat conſervari in æternum; nullum erit caput, ſaltem ex ratione naturali, cur Angelus & anima rationalis ſuppoſitâ creatione à Deo liberâ eiuſmodi exigentiam eſſentialem non habeãt. Cùm enim & fides doceat, & naturalis ratio demonſtret, ſpiritum omni materia & contrario carentem duraturum in æternum, non apparet cur exigentia hæc ipſi eſſentialis non ſit, ſi ſemel in aliqua creatura eſſe poteſt, ex ſuppoſitione ſolius productionis. Nec facilè oppoſitum probari poſſet in materia primâ & cœlo, ſuaptè naturâ incorruptibilibus, poſtquam ſemel creata ſunt.

17 Addo, nec ex principijs fidei probandam eiuſmodi exigentiæ carentiam in Angelo & anima rationali, & cœlo, ſi quidquam probant Adverſariorum argumenta. Vt enim conſtat ex ijs, quæ præmiſimus *num.* 2. & dicemus ſectione ſequenti, volunt vnionem hypoſtaticam, & viſionẽ beatificam de facto exiſtentem, eſſentialiter exigere ne deſtruatur à Deo. Hoc verò ſtatuto, nullus manet locus ad probandum ex doctrina revelata, idem non contingere in Angelo, animâ rationali, & cœlo, præſertim Empyreo. Si enim aliquod teſtimonium concludens afferri poſſet in id probãdum, maximè illa quæ exhibuimus *ſect.* 1. & 2. tam Scripturæ, quàm Patrum, in quibus aſſeritur ſolum Deum immortalem, ſeu indefectibilem eſſe; omnia ipſius volũtate conſervari, & ſub ipſius dominio eſſe poſita, ac ſtatim ceſſura in nihilum, niſi eius nutu & manu omnipotenti conſervarentur. At ijs teſtimonijs minimè obſtantibus Adverſarij aiunt aliquid creatum (vt vnionem hypoſtaticam, & viſionem beatificam) de facto exiſtere, quod eſſentialiter exigat æternam ſui permanentiam ex ſuppoſitione productionis, ita vt nullatenus à Deo deſtrui poſsit. Ergo iiſdem teſtimonijs minimè obſtantibus idem poſſet impunè aſſeri de Angelo, de anima rationali, de cœlo Empyreo, & materia primâ, nunc de facto exiſtentibus.

18 CONTRA IV. Iuxta ſolutionem enim aſsignatam ſaltem infertur, non repugnare creaturam, quæ, ſi producatur à Deo

Deo liberè, debeat durare per totam æternitatem, tam à parte, quam poſt, ita vt nũquam deſtiterit deſinatve exiſtere. At conſequens falſum eſt, & abſurdum. Ergo & doctrina ex qua infertur. Sequela patet: quia illa exigentia eſſentialis durandi per totam æternitatem, ſiquid probat ſolutio, non eſſet antecedens, ſed conſequens liberum Dei exercitium, & ex ſuppoſitione creationis Deo liberæ. Ergò quemadmodum hanc ob cauſam Adverſarij aiunt, poſſibilem eſſe, aut etiam exiſtentem creaturam quæ eſſentialiter exigat æternitatem pòſt, ſuppoſita creatione; ita etiam dicere poſſent, eſſe poſsibilem creaturam, quæ ex ſuppoſitione creationis Deo liberæ, exigeret eſſentialiter permanere ab æterno antè, ac præterea poſt. Falſitas autem conſequẽtis patet ex ijs, quæ latè dixi *diſp.* 43. probans repugnantiam vt creatura aliqua permanens extiterit ab æterno. Idque vt minimum evincunt teſtimonia Patrum ibidem exſcripta, & plura alia quæ affert Valentia *tom.* 1. *diſp.* 3. *q.* 3. *puncto* 2.

19 *ADDO*, ſi concedatur ſequela, vt revera concedi debet iuxta Adverſariorum principia, nullum manere locũ vt æternitas, ſive immortalitas, propria Dei aſſeratur in Scriptura & Patribus. Patet aſſumptum: Quia data creatura, quæ ex ſuppoſitione ſolius creationis exigat eſſentialiter durare per totam æternitatẽ antè & pòſt, ſolùm differet a Deo penes duratione in hoc quòd Deus habeat æternitatem a ſe; illa vero per participationem. Hoc autem non ſufficit vt æternitas dicatur & ſit propria Dei. Sic eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, aut intellectivam, non eſt perfectio propria Dei, ſed communis Angelo & animæ rationali, licèt Deo conveniat à ſe, & cœteris per participationem: idemque eſt de pluribus alijs perfectionibus. Ergo vt æternitas aſſeratur in ſacris litteris & apud Patres perfectio *Dei* propria, nequit convenire eſſentialiter creaturæ, adhuc per participationem, ſive ex ſuppoſitione creationis.

20 *CONFIRM.* Si enim eſſet aliquà viſio beata, v. g. quæ poſt creationem exigeret eſſentialiter æternitatem antè & pòſt, non exigeret illam ratione creationis, quæ accidentaliter ipſi conveniret, & præter debitum; ſed ratione ſuæ eſſentiæ: ſicut homo exigit eſſe ſubſtantiam intellectivã, & Angelus eſſe ſubſtantiam incorpoream. Ergo quemadmodũ hanc ob cauſam eiuſmodi rationes non ſunt Deo propriæ, ſed communes homini & Angelo; ita & eſſe æternum antè & pòſt non eſſet perfectio propria *Dei*.

21 *SECVNDA* Ratio ſit. Beneficium conſervationis eſt diſtinctum a beneficio creationis, non modo in creaturis quæ de facto exiſtunt; ſed etiam in poſsibilibus, data hypotheſi in qua exiſtant. Ergo nulla creatura, neque cœlum, neque Angelus, neque anima rationalis, neque quidquã aliud, ſive exiſtẽs, ſive poſsibile, ex ſuppoſitione creationis ſolius habet eſſentialiter annexam conſervationem ſui. Conſequentia patet: quia ſi creatura aliqua, ſive exiſtens, ſive poſsibilis, haberet eſſentialiter annexam conſervationem ſui, cõſervatio illius non eſſet beneficium diſtinctũ à creatione. Sic ex ſuppoſitione creationis non eſt beneficium diſtinctum reſpectu hominis quod in inſtanti in quo creatur ſit vivens, animal, & rationale: quia nimirum habere hæc omnia eſt ipſi eſſentiale quandiu exiſtit. Sic etiam non poſſe committere ſcelus aliquod in ſenſu compoſito vnionis hypoſtaticæ aut viſionis beatificæ, non cenſetur diſtinctum beneficium ſupra conceſſionem vtriuſque doni, quia ambo eſſentialiter afferunt eiuſmodi impotẽtiam. Sic denique in veriori ſententia condonatio, ſeu remiſsio peccati lethalis, non eſt novus favor ſupra collationem habitualis gratiæ, quoniam illi eſſentialiter annectitur. Et ratio à priori videtur manifeſta: quia de ratione diſtincti beneficij eſt, vt in eo reſplendeat ſpeciatim liberalitas benefactoris, vltra aut præter omne aliud beneficium antea præſtitum. Non poteſt autem reſplendere ſpeciatim liberalitas benefactoris vltra omne beneficium antea præſtitum, ſi in priori beneficio includuntur eſſentialiter cœtera omnia: ideoque in eis largiendis ſolùm continuabit abſque nova laude quod fecerat à principio.

22 Iam verò antecedens illud primum ſuadetur: Quia non modo quælibet creatura exiſtẽs, ſed etiam poſsibilis, ſi ſemel exiſtat, debet gratias *Deo* agere, tum pro ſui creatione, tum & præterea pro ſui conſervatione, vt diſtincta a creatione præcedenti. Et quidem de omnibus modò exiſtentibus, imo & de Chriſto *Domino* vt homine, certum videtur, gratias *Deo* egiſſe & agere nunc in cœlo pro conſervatione vnionis hypoſtaticæ ſuæ humanitatis ad perſonam Verbi, & non ſolùm pro Incarnatione ipſà. Quis enim hoc negare auſit? Si autem ita evenit circa beneficium vnionis hypoſtaticæ, cui nullum aliud ex poſſibilibus æquale eſt; cur non & in cœteris beneficijs? At non deberemus *Deo*

Deo ſpeciatim gratiarum actiones pro beneficio conſervationis, ſi hoc eſſet eſſentialiter annexum priori creationis beneficio. Ergo beneficium conſervationis eſt diſtinctum à beneficio creationis, non modo in qualibet creatura exiſtenti, ſed etiam poſsibili, ſi ſemel exiſtat.

27 *CONFIRMATVR I.* In nulla hypotheſi abſolutè poſsibili verificari valet, creaturam aliquam dependere minùs ab arbitrio Dei, quam de facto vna creatura dependet ab alterius arbitrio. At nonnullæ ſunt creaturæ, quæ ita dependent ab arbitrio aliarum, vt nec primò exiſtere, nec deinde conſervari valeant ſine libera & ſeparabili continuatione eiuſdem arbitrij. Ergo in nulla hypotheſi abſolutè poſsibili verificari valet, creaturam aliquam ſolùm dependere ab arbitrio Dei, ita vt nequeat primò ſine illo exiſtere; ſed præterea pendere debet in conſervatione ſui à libera & ſeparabili divini arbitrij continuatione. Conſequentia patet: quia niſi ita ſit, minùs dependebit creatura aliqua à Deo, quam vna creatura ab alia. Maior eſt manifeſta: quia dependentia cuiuſvis creaturæ à Deo eſt prima & maxima omnium, tum ratione ſummæ excellentiæ diuinæ, tum & ratione inferioritatis creaturæ ad ipſam; quæ infinitè maior eſt, quàm inferioritas vnius creaturæ ad aliam. Minor autem præcipui ſyllogiſmi probatur: Quia actus liberi noſtræ voluntatis ita pendent eſſentialiter ab arbitrio noſtro, vt nec primo exiſtere poſsint abſque eius nutu, nec vlteriùs conſervari ſine libera & ſeparabili continuatione eiuſdem arbitrij. Quod non ſolùm patet ex natura exercitij liberi vt liberi, ſed etiam experimento conſtat. Quoties enim advertimus, aut reflectimus ſupra actus liberos noſtros, pro ratione arbitrij, aut proſequimur, aut ab ijs ſtatim deſiſtimus. *Secundò* probatur eadem minor in quocumque actu intellectionis & ſenſationis, qui nec primò exiſtere, nec conſervari poteſt ſine actuali influxu intellectus & ſenſus, ſeparabili à prima eiuſdem actus productione: quamquam hæc inſtantia minùs efficax ſit quam præcedens, quæ de effectibus liberè conſervatis procedit. Sunt ergo nonnullæ creaturæ, quæ ita pendent ab arbitrio, & influxu aliarum, vt nec primo exiſtere, nec conſervari valeant ſine libera & ſeparabili continuatione eiuſdem arbitrij.

24 *CONFIRMATVR II.* Deo tribuenda eſt ſumma perfectio poſsibilis in ratione cauſæ liberè conſervantis, non minùs quàm in ratione cauſæ liberè creantis. Ex hoc autem principio notiſsimo, & quod probatione non eget, ſequentes illationes ſponte ſua oriuntur. Ergo quemadmodum quia cauſa ſummè perfecta eſt in ratione liberè creantis, poteſt quamcumque rem poſsibilem creare aut non creare; ita etiam quia cauſa ſummè perfecta eſt in ratione liberè conſervantis, poteſt quamcunque rem, ex ſuppoſitione creationis, conſervare aut non conſervare. *Rurſus.* Ergo multò magis, quam creatura in ordine ad proprios actus liberos, Deus liber eſt in producendo & non producendo, in conſervando & non conſervando quamcunque creaturam.

25 *CONFIRMATVR III.* Si enim aut exiſtit, aut poſsibilis eſt creatura, quæ ſine vlteriori beneficio conſervationis, & ſuppoſita ſolùm creatione, eſſentialiter duret, vel in æternum, vt plerique ex Adverſarijs volunt, vel ad certum tempus, vt Arriaga cenſuit; vix erit ratio, qua probetur eiuſmodi creaturam, conſervandam iri dependenter ab influxu Dei immediato, quem omnes Philoſophi ſtatuunt, & nec Durandus negat. Sequelam probo: quia ratio, quà communiter vtuntur in id probandum, eſt, quoniam omnis creatura poteſt à Deo annihilari per ſuſpenſionem côcurſus: quod fieri nequit niſi præſupponatur Dei concurſus, quò creaturam conſervet immediatè. At poſità creaturà eſſentialiter durante, vel in perpetuum, vel ad certum tempus, impoſsibile erit intra illud annihilari à Deo. Ergo non erit vnde probetur Deum circa eiuſmodi creaturam exhibere concurſum conſervativum immediatum. Laudo tamen ingenium docile Patris Arriaga, quoniàm poſtquam tradidit opinionem prædictam in Phyſica, illam retractavit in Theologia *tom. 2. in 1. p. diſp. 2. num. 6.*

SECTIO TERTIA.

Argumenta opinionis adverſæ, diverſimodè roborata, ſoluuntur.

26 OBIICIES I. Poteſt aliqua creatura ſemel producta exigere eſſentialiter, ne alia particularis creatura ad certum tempus, vel in æternum deſtruatur. Ergo etiam poteſt dari creatura aliqua eſſentialiter exigens côſervationem ſui ad certum tẽpus, vel in æternum, ex ſuppoſitione creationis. Antecedens

dens patet in revelatione de exiſtentia Petri, vel ad certum tempus, vel in perpetuũ, quæ eſſentialiter vera debet eſſe, ac proinde exigens ne Petrus deſtruatur intra illud tempus, aut in perpetuum. Conſequentia autẽ probatur: quia nulla ratio eſt, vt creatura illa nequeat eſſentialiter ſibi exigere perfectionem, ſeu durationem illam, quam alteri exigit; cùm prius reſpiciat perfectionem propriam, quàm alienam.

27 *RESP.* admiſſo antecedente negando conſequentiam, & reddendo rationem diſparitatis à priori: Quia non ſpectat ad dominium Dei vt poſita vna creatura, eo ipſo, ſive ex tali ſuppoſitione poſſit deſtruere aliam: cùm dominium Dei actuale non fundetur circa vnam rem in creatione alterius omnino diſtinctæ. Quare exiſtentia vnius rei poteſt eſſe ſuppoſitio conſequens reſpectu productionis alterius rei, ſi hæc præſupponatur habens connexionem eſſentialem cum illa; qualem habet revelatio divina de duratione temporali, aut æterna alterius rei cum illius duratione: maximè, quia in illa ipſa revelatione includitur decretum formale, aut virtuale ſaltem, de duratione illa rei alterius infallibiliter futura. Atqui verò dominium Dei ad deſtruendam rem aliquam fundatur in creatione ipſius: ac proinde repugnat vt res ipſa ex ſuppoſitione ſolius creationis eſſentialiter exigat durationem ſui, vel ad certum tempus, vel æternam, ita vt nequeat a Deo deſtrui: quia impoſsibile eſt vt eadem rei creatio, quæ fundat poteſtatem Dei liberam ad ipſius deſtructionem, fundet etiam impotentiam vt deſtruatur. Quare nec ipſa ſuppoſitio creationis includit eſſentialiter formale, aut virtuale decretum non deſtruendi, tanquam ſuppoſitionem conſequentem & inevitabile: quia cùm poteſtas libera deſtruendi rem illam oriatur ex creationis titulo, nequit ex ipſo oriri ſuppoſitio conſequens & inevitabilis nunquam deſtruendi eandem rem.

28 Inſtantia appoſitiſsima ſit in ipſa productione prima rei. Poteſt quidem vna entitas ex ſuppoſitione productionis ſui eſſentialiter exigere, vt altera ſimul exiſtat, ſeu producatur; vel quia ab illa eſſentialiter pendet, vel quia cum ea eſſentialiter connectitur. Nulla tamen entitas eſt quæ exigat eſſentialiter productionem ſui. Idque ortum ducit ex ſuprema excellentia dominij divini, cui nulla creatura poteſt iniicere onus, ſeu imponere neceſſitatem, vt ipſam primò producat. Cæterùm ex ſuppoſitione ſuæ creationis poteſt eſſentialiter exigere exiſtentiam alterius rei, ſi cum illa eſſentialiter connectatur, vel ab ea inevitabilem dependentiam habeat; vt materia prima ab aliqua forma ſubſtantiali in opinione ſatis recepta; & actus cognitionis intuitivæ ab exiſtentia obiecti, vel ſaltẽ ſpeciei expreſſæ & propriæ eiuſdem obiecti; & quælibet entitas creata ab exiſtentia ſua peraddita in probabiliori ſententia. Et ratio à priori eſt: quia facta ſuppoſitione creationis, quælibet res eſſentialiter exigit ſe exiſtere in eo inſtanti; ac proinde eadem neceſsitate exigit vt exiſtat, vel primò producatur id, ſine quo impoſsibilis eſt ipſius exiſtentia. Pariter ergo, poteſt vna res, vt revelatio divina, exigere eſſentialiter exiſtentiam rei alterius, aut primã ipſius productionem, durationemve, ratione dependentiæ alicuius vel connexionis eſſentialis cùm ipſa: non tamen poteſt exigere eſſentialiter, durationem ſequentem ſui ipſius, ſicut nec primam productionem.

29 Quare diſplicet omnino opinio VVadingi *tract.* 1. *de Incarnat. diſput.* 1. docentis nullam eſſe entitatem creatam, quam non poſsit Deus conſervare abſque omni alia. Refellitur enim planè ex prædictis inſtantijs, & præterea actu fidei, quo credimus de facto Sanctos in cœlo videre Deum; qui actus eſſentialiter verus & certus eſt, & conſervari nequit, adhuc divinitus, niſi viſio beatifica exiſtat. Diſplicet quoque doctrina Mæratij *tract. de Angelis diſputat.* 15. *ſect.* 1. & Moneæi *in Selectis diſput.* .. *cap.* 8. aſſerentium generatim, quidquid eſt poſterius alio, poſſe impediri, virtute ſaltem abſoluta Dei, ne exiſtat, poſito priore in rerum naturâ. Id enim eſſe falſum conſtat, vel vnico exemplo revelationis divinæ circa rem futuram: vt omittam pleraque alia, quæ in eandem opinionem vrget Henao *libro* 3. *exercit.* 12. *ſect.* 4. ſuæ amœniſsimæ & excultiſsimæ Empyreologiæ, cuius primam excogitationem, ideam, progreſſum, feliciſsimũque exitum, invideo Authori, & nunquam non efferam iuſtis elogijs, quà verbo, quà ſtylo.

30 *DICES*: In ſententia frequentiore docentium, potuiſſe mundum ab æterno exiſtere quò ad res permanentes, creatura ab æterno producta exigeret eſſentialiter vi creationis, prout æternę, permanentiam ſui ipſius per infinitã durationem, ita vt intra illam non poſſet deſtrui à Deo. Ergo non eſt contra rationem creaturæ, vt ex ſuppoſitione creationis exigat eſſentialiter permanentiam æternam, aut

diuturnam, intra quam non poſsit à Deo deſtrui.

31 *RESP.* Ita neceſſariò dicere debere Authores illius opinionis, quam potiſſimum eam ob cauſam reiecimus *diſp.* 43. præſertim à *n.* 19. quia nequit non detrahi dominio divino, & liberrimæ ipſius poteſtati, per hoc quòd creatura ignobilis ex vi ſolius creationis, qua deberet fundare ius paſsivum ad deſtructionem ſui, fundet ius eſſentiale ad infinitam ſui permanentiam. Idem autem dicimus in præſenti, & quoddammodo potiori ratione. Nam in creatura ab æterno producta adhuc poſſent dicere ij Authores, exigentiam permanentiæ infinitæ non oriri ex natura ipſius creaturæ, neque ex vi creationis qualitercũque, ſed ex vi creationis æternæ, quæ formaliter, aut virtualiter intrinſecè connotat, ſeu involvit decretum conſervandi rem per infinitam durationem, tanquam conſequẽs & neceſſarium ex ſuppoſitione decreti creandi illam ab æterno. Quod ipſum licet ibidem reiecerimus multipliciter, adhuc tolerabilius apparet. In præſenti autem hæc evaſio locum non habet: quoniã exigentia permanentiæ infinitæ ex ſola ſuppoſitione creationis adſcribitur perfectioni ſeu naturæ ipſius rei creatæ: ideoque Adverſarij potiſsimùm loquuntur de vnione hypoſtatica & viſione beatifica, veluti creaturis omnium præcellentiſsimis. Repugnat autem creaturam aliquam talis perfectionis eſſe, vt poſtquam creata eſt, ſubterfugiat liberam Dei diſpoſitionem ad illam conſervandam, vel deſtruendam; ſicut & repugnat adeo perfectam eſſe, vt eximatur libero Dei dominio ad illam creandam vel non creandam.

32 *INSTABIS*: Stat optimè quòd Angelus, anima rationalis, & cœlum, ſaltẽ Empyreum, ex ſuppoſitione ſolius creationis exigant connaturaliter ſuam æternam conſervationem, ita vt non poſsint à Deo deſtrui iuxta curſum naturalem & ordinarium. Ergo & ſtabit aliquam creaturam ijs perfectiorem eſſentialiter exigere æternã ſui permanentiam, ita vt a Deo deſtrui nõ poſsit, nec ſecundùm providentiã præternaturalem aut extraordinariã. *Vlteriùs.* Prædictæ creaturæ, ſuppoſita ſemel creatione, ex perfectione ſuæ naturæ fundant ius ne iuxta curſum communẽ deſtrui a Deo poſſint. Ergo non repugnat quod alia creatura ijs perfectior, ſuppoſita creatione, fundet ius ex propria perfectione eſſentiali, ne vllo modo poſsit a *Deo* deſtrui. *Denique*: Prædictæ creaturæ nullum habent ius connaturale antequam ſint, vt à *Deo* producantur, & tamen poſtquam productæ ſunt habẽt ius connaturale ne à *Deo* deſtruãtur. Ergo etſi nulla creatura ijs perfectior habeat eſſentiale ius vt à *Deo* producatur, poſsibilis eſt aliqua quæ habeat ius eſſentiale, & prorſus inevitabile, ne vnquam a *Deo* deſtruatur.

33 *Confirm. I.* In ipſo divino decreto creandi Angelũ, animã rationalem, & cœlum, imbibitur decretum conſequens non deſtruendi eaſdem res iuxta curſum naturalem & ordinarium. Ergo etiam in ipſo decreto creandi, ſeu primo producẽdi alia entia perfectiora, poſſet imbibi eſſentialiter decretum nunquam omnino eadem deſtruendi. *Confirm. II.* Ipſa creatio Angeli ita fundat dominium divinum ad Angelum conſervandum, vt ſimul fundet impotentiam *Dei* ad ipſum deſtruendum iuxta curſum naturalem. Ergo & creatio alterius rei Angelo perfectioris, poteſt ita fundare dominium divinum ad illam conſervandam, vt ſimul fundet impotẽtiam omnimodam ipſius ad eam deſtruendam.

34 *RESP.* permiſſo antecedente, negando conſequentiam: nam licet Angelus, & anima rationalis, & cœlum, ſuppoſita creatione, nequeant deſtrui ſecundùm curſum corruptionis naturalem & ordinarium, quia carent contrario, & proinde incorruptibilia ſunt; adhuc tamen abſolutè deſtrui poſſunt per meram ſuſpenſionẽ cõcurſus conſervativi: quod ſufficit, vt abſolutè maneant ſub dominio *Dei* quò ad eſſe, & quò ad non eſſe. At verò ſi creatura aliqua, creatione ſuppoſita, exigeret eſſentialiter nunquam deſtrui, ſubterfugeret planè divinum dominium; quia non ſubiaceret ipſi quò ad eſſe, & quò ad non eſſe. Ex his patet ad vlteriorem inſtantiam.

35 *Ad vltimam*, prætermiſsis aliorũ ſolutionibus, dicendum eſt, Angelos, animam rationalem, cœlum, imo & materiã primam, ſolùm dici prædita iure connaturali ne à *Deo* deſtruantur, quatenus iuxta curſum naturalem nulla ſubſtantia à *Deo* deſtruitur, niſi per inductionem contrarij. Quidquid enim deſtruitur de facto ſolùm eſt per corruptionem vnius, cauſatam ex generatione alterius incompoſsibilis cum eo. Manifeſtum eſt autem res prędictas non habere aliquid contrarium ſuæ ſubſtantiæ, ac proinde corruptibiles non eſſe, ſed incorruptibiles; & quidẽ eſſentialiter, cùm eſſentiæ ipſarum repugnet aliquid contrarium habere. Quare ijs repugnat omnino per veram corruptionem à Deo deſtrui, ſicut & produci per veram gene-

generationem: ideoque ius eſſentiale habent ne corrumpantur. At vero nullum ius, nec eſſentiale, nec connaturale habent, ne à Deo annihilentur per meram ſubtractionem concurſus conſervativi, & abſque inductione contrarij. Hoc enim eſt neceſſarium ad ſalvandum in Deo dominium, & ſufficit. Sicut enim vt Deus dominium habeat circa primam ipſarum productionem ſufficit, quòd poſsit illas producere per creationem, quamvis non per generationem; ita vt circa deſtructionem illarũ dominio pleno gaudeat, ſufficit quòd poſsit illas deſtruere per annihilationem, quamvis non per corruptionem.

36 *AD I. Confirm.* In ipſo decreto creandi res prædictas imbibitur eſſentialiter decretum conſequens non deſtruendi illas iuxta curſum naturalem, qui eſt ſolius corruptionis; non autem imbibitur, nec eſſentialiter, nec connaturaliter, decretum conſequens nunquam eas deſtruendi præter curſum ſolitum, per veram annihilationem. Quippe quod prædictę res quolibet momento perſiſtant, gratia & indebitum beneficium Dei eſt, longè aliter ſe habens, quàm proprietates reſpectu naturæ a qua fluunt, & cui debentur connaturaliter, quandiu ipſa extiterit. Quod vniverſim conſtat ex Patribus, paſsim aſſerentibus, Angelos ſolius Dei arbitrio, gratia, & voluntate perſiſtere in illo eſſe quod acceperunt. Lege quæ ex iiſdem præmiſimus *diſp. 43. ſect. 1.* præſertim ex Auguſtino à *num. 17.* & præterea videbis Suarez & Vazquez locis allegatis a principio diſputationis. Vnde & nonnulli ipſorum dici verant immortales Angelos, animaſque hominum, quoniam iis eripi a Deo poteſt vita illa & incorruptio per annihilationem. Et de cœlo ipſo Author Quæſtionum ad Græcos apud Iuſtinum Martyrem pagina mihi 151. ait: ὁ οὐρανὸς κτισθεὶς ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ βουλήσεως ἔχει τὸ ἄφθαρτον. *Cœlum per creationem, ex Dei voluntate habet vt ſit incorruptum.*

37 *AD II. Confirm.* Creatio Angeli nullam Impotentiam fundat ad deſtruendum Angelum per corruptionem, quia incapacitas corruptionis ſtrictæ eſt eſſentialis Angelo, & ſuppoſitio antecedens reſpectu Dei, ſicut in homine eſſe animal rationale; ac proinde non convenit Angelo iure creationis, ſed ex prædicatis eſſentialibus, quod per ſtrictam corruptionem deſtrui nequeat. Vnde creatio Angeli ſolùm fundat exercitium liberum Dei circa ipſius conſervationem, aut annihilationem. Quare nego antecedens obiectionis, & conſequentiam: quia repugnat creationem fundantem proximam poteſtatem Dei ad quamcumque rem deſtruendam, fundare Impotentiam oppoſitam, & Deo indignam.

38 *EX* his collige, Impotentiam deſtruendi creaturam illam ab Adverſarijs ſtatutam, debere eſſe impotentiam antecedentem omnino reſpectu Dei. Nam impotentia deſtruendi Angelũ, & animam rationalem, & materiam primam, per ſtrictã corruptionem, eſt omnino antecedens ipſi Deo, qui eſſentiales rerum exigentias variare non poteſt, aut deſtruere conceptum quidditativum ipſarũ, nec facere vt homo ſit equus, ſive ſuppoſita earum rerum creatione, ſive non ſuppoſita. Nulla ergo ratione Adverſarij componere poſſunt perfectũ Dei dominium circa æternã illam creaturæ durationẽ, ſicut nec Deus dominiũ habet aliquod circa non corruptionẽ ſubſtantiarum ſpiritualium, aut circa exigentiam quidditativam eſſentiarũ. Reſtat igitur, vt nulla anima, nullus Angelus, nulla denique creatura ordinis naturalis aut ſupernaturalis ſit poſsibilis, quæ eſſentialiter exigat nũquam à Deo deſtrui. Collige vlteriùs ex nuper dictis, præſertim *n. 35.* nec viſionẽ beatificã exigere connaturaliter ne à Deo deſtruatur per meram ſuſpenſionem concurſus, ſed ſolùm ne corrumpatur per adventum côtrarij, ſcilicet, peccati, idque eſſentialiter. Impoſsibile enim eſt vt ſtante viſione Dei, voluntas peccare poſsit, adhuc in ſenſu diviſo, vt proprio loco latè probamus. Verùm & hoc nonnihil poſtea *ſect. 4.*

39 *OBIICIES II.* Dantur de facto, aut ſaltẽ dari poſſunt, res aliquæ, quibus eſſentialiter repugnat permanere in certum tempus, aut in perpetuũ, ita vt nullatenus a Deo conſervari poſsint. Et tamẽ nihil inde imminuitur dominium Dei ad conſervandum, aut non conſervandum creaturas. Ergo quamvis detur de facto, aut dari poſsint creaturæ aliquæ eſſentialiter permanentes ad tempus, vel in perpetuum, ita vt à Deo deſtrui nequeant, nihil propterea imminuetur Dei dominium. Et ratio à priori vtriuſque eſt, quia nec dominio, nec Omnipotentiæ divinæ detrahitur, in eo quod nequeat facere aliquod impoſsibile, quale eſt quod aliquæ creaturæ deſtruantur, & aliæ conſerventur. Totus diſcurſus videtur efficax, niſi quòd maior probationẽ deſiderat, quæ eſt huiuſmodi. Durationes, per quas ſingulis momentis cõſervatur anima rationalis, & Angelus, talis eſſentiæ ſunt, vt veriſ

repugnet permanere. Et vniverſim cuilibet inſtanti reali temporis, ac *mutato eſſe* moſus, omnino repugnat diutiùs perſiſtere. Quin & Cardinalis de Lugo *diſp.* 19. *de Incarnat. num.* 22. exiſtimat omnes actiones, & ipſam viſionem beatificam, eſſentialiter durare per vnicum inſtans: quod tamen infra ampliùs diſcutietur.

40 *RESP.* admiſſa maiore & minore, negando conſequentiam & paritatem: quia quod aliqua creatura nequeat durare niſi per inſtans, oritur ex ſumma ipſius imperfectione, quæ omni permanentiæ ac ſtabilitati repugnat. Vnde ex impotentia conſervandi vlteriùs illam, ne in minimo quidem derogatur dominio perfectiſſimo Dei. At verò quod aliqua creatura eſſentialiter exigat temporalem aut æternam permanentiam in ſuo eſſe, ſolùm oriri poteſt ex perfectione ipſius creaturæ; & repugnat creaturam tantæ perfectionis eſſe, vt titulo creationis, quo fundare debebat poteſtatem vt a Deo deſtrui poſſet, fundet impotentiam oppoſitam vt a Deo deſtruatur. Eſtque quàm optima inſtantia in impeccabilitate. Etenim de facto datur creatura ab intrinſeco impeccabilis ob ſui imperfectionem, vt ſubſtantia quælibet irrationalis, quin Deus illam facere poſſit peccabilem; idque abſque vllo diſpendio divinæ iuſtitiæ vindicativæ. Et tamen in communi Theologorum ac Patrum ſententia repugnat creatura rationalis ab intrinſeco impeccabilis abſque divinæ iuſtitiæ vindicativæ diſpendio: quia eiuſmodi creatura ratione intrinſecæ perfectionis eſſet ſancta, ac proinde proprijs viribus eximeretur ab omni peccato, & conſequenter ſubiecta non eſſet iuſtitiæ vindicativæ, cuius exercitium neceſſariò præſupponit peccatum in creatura.

41 Neque oportet vt imperfectio creaturæ æquè ſubdatur dominio Dei, ac perfectio, tam in ordine ad productionem, quam relatè ad conſervationem ſui. Sic iuxta opinionem aſſerentem carentias rerum ab æterno, & negãtem creaturas potuiſſe ab æterno exiſtere (de quo latè egimus proprijs locis) carentiæ illæ neceſſariò ſunt ab æterno, eo modo quo carentia exiſtere poteſt; & non pendent à dominio divino, vt ab æterno extiterint; cùm tamen creaturæ, ſeu entia quæque poſitiva ad exiſtendum qualitercumque & perſeverandũ pendeant neceſſariò à dominio Dei. Malè igitur arguitur ab imperfectione rei impotentis durare, ad perfectionem rei exigentis durationem perpetuam. *Rurſus*, qualitercumque aſſerantur exiſtere carẽtiæ rerum diſtinctæ à quolibet ente reali, ab æterno fuit neceſſariò carentia huius durationis hodiernæ, quin potuerit à Deo impediri; & tamen nemo audebit dicere eſſe aliquod ens reale poſitivum, quod neceſſariò extiterit ab æterno, & ita, vt non potuerit à Deo impediri; aut durationem hodiernam potuiſſe neceſſariò exiſtere ab æterno. Poteſt igitur res aliqua ob ſui imperfectionẽ, & fluxam naturam, exigere eſſentialiter carentiam permanentiæ, ita vt ſub dominio Dei non ſit illam conſervare; non poteſt vero creatura aliqua ob ſui perfectionem eſſentialiter exigere permanentiam ad tempus vel in æternum, ita vt nequeat a Deo deſtrui.

42 *DICES*: In eiuſmodi rebus infimæ perfectionis, momento tranſeuntibus, non infertur ex eo quòd nequeant à Deo liberè conſervari, quod etiam nequeãt liberè ab ipſo produci. Stat enim optimè quod liberè à Deo producantur, & tamen nec liberè conſervẽtur, nec vllo modo cõſervari poſſint. Ergo & in alijs rebus perfectionis propemodum ſummæ, ex eò quòd nequeant a Deo liberè deſtrui non infertur, quòd nequeant liberè ab illo produci; ſed ſtabit quàm optimè, quòd liberè à Deo producantur, & tamen nec liberè deſtruantur, neque vllo modo deſtrui poſſint.

43 *RESP.* negando conſequentiã, quæ ſatis excuſa manet diſcrimine nuper aſſignato, ex imperfectione prioris creaturæ, cui eo ipſo repugnat permanere in ſuo eſſe; & ex perfectione poſterioris creaturæ quæ nequit eò aſſurgere, vt eſſentialiter exigat permanentiam in ſuo eſſe: ſi enim illam exigeret, eximeretur dominio Dei in ſui conſervatione, idque ratione perfectionis propriæ; atque adeò per illationem rectam colligeretur exemptam eſſe eodem dominio quo ad ſui productionem. Sic ex eo quòd creatura aliqua ratione perfectionis ſuæ exigeret eſſentialiter permanere in actuali operatione independenter ab actuali Dei concurſu, inferretur planè illam non pendere à Deo in ſui productione: ex eo verò quòd creaturis prædictis repugnet permanere in actuali operatione, adhuc ſecũdum poteſtatem Dei abſolutam, ob ipſarum eſſentialem imperfectionem, minimè infertur quòd non pendeant in ſui productione à Deo.

44 Ratio verò à priori, præter traditas, hæc eſt, quòd vnaquæque res natura ſua certam ac definitam perfectionem habet, ſine qua nequit à Deo produci, aut cõſer-

ſervari. Perfectio tamen illa, qualiſcunque ſit, ſi capax eſt cõſervationis, nequit à Deo, niſi liberè, conſervari; ſicut nequit ab ipſo, niſi liberè, produci. Quemadmodum enim productio non variat prædicata eſſentialia rei, ita nec conſervatio: ac proinde cùm prædicata eſſentialia omnis creaturæ a Dei libertate pendeant quò ad primam ſui productionem; nulla omnino poſsibilis eſt creatura, quæ quò ad primam exiſtentiam Dei dominio eximatur. Cùm vero aliquæ talis eſſentiæ ſint, vt permanere nõ poſsint, aliæ verò talis eſſentiæ vt permanere poſſint; conſequens eſt vt priores nequeat conſervare Deus, quia nequit variare illarum eſſentias; poſteriores autem poſsit quidem liberè conſervare, ſi velit; non tamen teneatur, quia & in hoc variaretur eſſentia ipſarum; quod impoſsibile eſt. Quippe de eſſentia cuiuslibet creaturæ eſt perfectè ſubiectam eſſe libero Dei dominio quo ad omnem perfectionem poſitivam, cuius capax eſt. Cùm ergo perſeverantia in eſſe recepto per primam productionem ſit perfectio poſitiva, conſequens eſt, vt quò ad illam plenè ſit ſub dominio *Dei*, ac proinde in quolibet momento poſsit ab ipſo liberè aut conſervari, aut deſtrui.

45 *INSTABIS*: Non ſpectat ad dominium divinum, vt hanc vbicationem poſsit redigere ad minus ſpatium; ſed poteſt aliqua exigere eſſentialiter maius ſpatium. Ergo neque ſpectat ad idem dominium vt poſsit redigere creaturam ad minorem & minorem temporis durationem, ſed aliqua poterit exigere eſſentialiter durationem maiorem.

46 *RESP*. Prætermiſſo antecedente, negando conſequentiam, & paritatem: Quia productio, ſive prima creaturæ exiſtentia, non eſt titulus vt eius vbicationem poſsit Deus reducere ad ſpatium minus illo, quod ipſa ſibi eſſentialiter exigit. Quippe ipſius vbicationis quidditas illam ſibi ſphæram determinat: ſicut & quævis creatura proprijs limitibus quo ad eſſentiã coercetur, qui præteriri non poſsint, aut variari. At verò productio, ſeu prima rei exiſtentia, eſt titulus ratione cuius poſsit Deus illam de cætero deſtruere, ac proinde breviare magis ac magis eius durationem. Quæ doctrina, de productione creativa, ſeu primæ cauſæ propria, eſto ſtricta creatio non ſit, intelligenda eſt. Alioqui enim productio generativa, tam divina, quàm temporalis, non fundat ius ad deſtructionem termini producti: nec Pater æternus poteſt deſtruere Filium, quem genuit; nec temporalis pater habet ius ad deſtruendum filium quem genuit. Quare libera poteſtas deſtruẽdi rem productam accipienda eſt de cauſa primà relatè ad quoſcunque effectus, qui ſicut eſſentialiter pendent ab illa in fieri, ita etiam in conſervari.

47 *REPLICABIS* ſubtiliter: Ipſa rei vbicatio poteſt exigere eſſentialiter tãtum loci ſpatium & non minus, ita vt non poſsit à Deo coarctari ad minus ſpatiũ loci. Ergo & ipſa duratio rei poteſt eſſentialiter exigere tantum ſpatium temporis, & non minus, ita vt à Deo coarctari nequeat ad minus tempus. Ergo quemadmodum ob eam rationem exigentia in vbicatione divinum dominium non lædit, ita nec exigẽtia eſſentialis in duratione. *RESP*. admiſſo antecedenti, negando conſequentiam: quia quòd vbicatio rei exigat eſſentialiter tantum loci ſpatium, & non minus, eſt prædicatum quidditativum ipſius vbicationis, ſive producatur in re, ſive non; ſicut eſſe ſimul animal rationale, & non minùs, eſt conceptus quidditativus hominis, ſive producti, ſive non producti. Et in neutro illorũ derogatur dominio Dei, cuius liberæ diſpoſitioni non ſubiacent eſſentiæ creaturarum quo ad rationes quidditativas; ſed ſolùm quò ad ſtatus accidentales productionis, aut non productionis; permanentiæ, aut nõ permanentiæ. Cæterùm duratio intrinſeca rei non poteſt eſſentialiter exigere tantum temporis ſpatium, & non minus; quia duratio intrinſeca rei creatæ ex ſuà ratione formali eſt quid per ſe conſecutum ad primã rei productionem, vtpote perſiſtẽtia in exiſtendo; & repugnat quòd vbi prima rei productio fundat ius Dei ad rem deſtruendam pro quolibet inſtanti, perſiſtentia, ſeu duratio ad illam conſecuta, fundet ius aliquod proprium, ne à Deo deſtruatur in ſequenti temporis ſpatio.

48 *VRGEBIS* adhuc: Duratio externa, vt dies, eſſentialiter exigit permanentiam ſui, quamvis ſucceſsivam per viginti quatuor horas, & non minùs; ita vt nequeat exiſtere dies, niſi à Deo per tantũ horarum ſpatium conſervetur. Ergo & duratio intrinſeca alicuius creaturæ permanentis poteſt exigere eam durationem externam, & non minorem, ita vt nequeat exiſtere, niſi a Deo per totam illam conſervetur. *RESP*. conceſſo antecedenti, negãdo conſequentiam: quia duratio externa diei non exigit permanentiam ſui per viginti quatuor horas ex ſuppoſitione creationis, neque eſt aliquid per ſe ad creationẽ productionemve conſecutum; ſed ratio ip-

ſa

ſa quidditativa dici, ſive ponatur in re, ſive non ponatur, ſive moveatur cœlum ſtatis horis per vtrumque hemiſphærium, ſive non moveatur; ſicuti de eſſentia hominis ſecundum ſe eſt eſſe animal rationale, independenter à productione. Cœterùm duratio intrinſeca cujuſcunque rei in ijs omnibus quæ durare poſſunt, aut aliqualem permanentiam habere, eſt exercitium per ſe conſecutum ad primam productionem; quæ, vt ſæpe dixi, fundat ius divinum ad rem ſingulis momentis deſtruendam. Vnde repugnat, eam intrinſecam durationem eſſentialiter exigere aliquam temporis moram: quia hoc eſſet deſtruere commune ius divinum, in ipſa rei productione fundatum.

SECTIO QVARTA.

Objicitur ſolviturque argumentum Theologis Recentioribus celebre, ejuſque plenior diſcuſſio in proprium locum remittitur.

49 VLTIMO objicies difficile illud argumentum, quod adeò torſit politiora huius tempeſtatis Ingenia. Viſio enim beatifica eſſentialiter exigit ſuam æternam durationem. Ergo eſſentialiter exigit ne vnquam à Deo deſtruatur poſtquam ſemel exiſtit. Conſequentia eſt evidens. Antecedens verò ſuadetur multipliciter. *Primò*: quia viſio beatifica eſſentialis beatitudo eſt: de ratione autem beatitudinis eſſentialis eſt vt duret in æternum. *Secundò*, quia viſio Dei eſſentialiter eſt æterna felicitas. At qui iuxta Auguſtinum lib. 10. de Civit. cap. 30. *et ma felicitas beatiſſima eſſe non poterit, niſi de ſua fuerit æternitate certiſſima.* Ergo viſio Dei eſſentialiter exigit eſſe de ſua æternitate certiſſima. Nequit autem eſſe certiſſima de ſuâ æternitate, niſi eſſentialiter exigat videatque ſuam æternam durationem. Ergo eſſentialiter exigit videtque ſuam æternam durationem. *Tertiò*. Viſio Dei ex ratione actus ſpecialiter infuſi à Deo eſt eſſentialiter vera, ac proinde eſſentialiter exigit eſſe verum reipſa id quod videt & affirmat. At videt & affirmat ſuam æternam durationem. Ergo viſio Dei eſſentialiter exigit habere reipſa æternam durationem. Probatur minor: tum quia viſio Dei *non erit beata, niſi ſit ſecura*, vt inquit idem Auguſtinus eodem loco: nequit autem eſſe ſecura, niſi videat & affirmet certiſſimè ſuam æternam durationē. Tum etiam, quia ſaltem viſio beatifica Chriſti videt affirmatque quidquid videt & affirmat ſcientia Dei libera viſionis, vt cùm D. Thomâ 3. *p. q.* 10. *ar.* 2. decernunt Theologi. At Deus per ſcientiam liberam viſionis videt & affirmat æternam durationem viſionis beatificæ Chriſti. Ergo & ipſa viſio beatifica Chriſti videt affirmatque ſuam æternam durationem.

50 *HOC* Argumentum prolixiorem diſcuſſionem exigit, & extra orbitam Philoſophiæ Naturalis eſt. Ideo eius examini integram diſputationem deputamus in Curſu Theologico, vbi aliorum ſolutiones, ac varios dicendi modos ex profeſſo reijcimus, noſtrum pluribus ſtabilientes; quem placet hic ſolùm ſummatim indicare, & quantum ſatis ſit ad declinandum ſaltem primum impetum præiacti argumenti. Dicimus ergo, non eſſe de ratione eſſentiali viſionis Dei vt videat, affirmetve ſuam æternam durationem. Id patet: quia iuxta frequentem Theologorum ſententiam cū D. Tho. 1. *p. q.* 12. *ar.* 11. Paulo & Moyſi, viatoribus adhuc, data fuit viſio Dei ad breve tempus, & ſæpiùs B. Virgini: cùm tamē in ijs neque habuerit, neque affirmaverit ſuam æternam durationem. Et tamen viſio illa quo ad eſſentialia fuit eiuſdem rationis cum ea, quam modo ſtabiliter in cœlo habent: vtpote reſpiciens idem obiectū formale, & formalis participatio intuitionis divinæ, quâ Deus ſeipſum videt. Inſuper & conſiderata viſio ſub ratione beatitudinis eſſentialis, quæ eſt adeptio ſummi boni, extitit in prædictis caſibus, ſine affirmatione ſuæ durationis æternæ, aut diuturnæ, ſed tranſeuntis tantum. Quare ſola beatitudo ſumpta pro ſtatu exigit eſſentialiter videre & affirmare ſuam æternam durationem: quia ſumpta pro ſtatu, qui iuxta definitionem Boetij eſt *omnium bonorum aggregatione perfectus*, includit eſſentialiter decretum liberum Dei de duratione æterna viſionis, actu manifeſtatum Beato. Quare viſio ſecundum eſſentialia ſemper manet deſtructibilis à Deo, licet ex ſuppoſitione accidentaria extenſionis ad videndum decretum liberum Dei de æterna ipſius duratione, omnino iam indeſtruibilis ſit. Hæc verò neceſsitas permanendi eſt purè conſequens reſpectu Dei, vtpote intrinſecè involvens liberum illud decretum, abſolutè ſeparabile ab exiſtentia viſionis. Extenſio autem ipſa viſionis ad decretum intuendum, aut eſt aliquid viſioni ſuperadditum, aut accidens ſeu ea cum eâ identificatum; qualiter ſingularitas reſpectu naturæ creatæ; & extenſio actualis ad ſecundum filium in relatione iam præ-

exiſten-

exiſtente;& extenſio actualis ſpecierum infuſarum Angelo ad repræſentandum obiecta naturalia noviter producta; & durationis indiviſibilis rerum permanentium ad coexiſtendum huic & illi tempori extrinſeco,iuxta dicta *diſp.29.num.44.*

51 Ex his ad argumentum in formâ nego antecedens. *A D I. Probationem* conceſsâ maiore, nego minorem: ſcilicet, de ratione beatitudinis eſſentialis eſſe vt duret in æternum,imò & ad tempus diuturnum,vt patet in Paulo & Moyſe. *A D II.Prob.*conceſsâ maiore & minore, nego conſequentiam:quia licèt æterna felicitas nequeat eſſe beatiſsima, niſi ſit de ſua æternitate certiſsima;adhuc de eſſentiâ illius non eſt quod beatiſsima ſit, quia eſſe beatiſsimam ſolùm pertinet ad æternam felicitatem,ſeu viſionem *Dei*, quò ad ſtatum;non verò quò ad eſſentiam. Sic etiam ad ſtatum beatitudinis hominum glorificatorum ſpectat eſſentialiter expulſio omnis triſtitiæ ac dolorum, & dotes glorioſæ:non tamen ad eſſentiam beatitudinis, vt patet in Chriſto,dum inter homines ageret.

52 *A D III. Prob.*conceſsa maiore diſtinguo minorem: Viſio Dei videt & affirmat ſuam æternam durationem, ex conceptu eſſentiali, nego: ex accidentali & ſeparabili,concedo,ac nego conſequentiã: vel diſtinguo conſequens.Exigit eſſentialiter ſuam durationem æternam ex ſuppoſitione quòd illam affirmet, concedo: abſolutè,nego conſequentiam. Sic etiam viſio ex ſuppoſitione quòd affirmet in Beato carentiam amoris,gaudij,dotumque gloriæ, eſſentialiter eam carentiam exigit:non tamen abſolutè eſſentialiter,cum id ſit contra exigentiam viſionis abſolutam. Sic natura creata ex ſuppoſitione productionis eſſentialiter exigit exiſtentiam,non tamen abſolutè.Nimirum,in ijs omnibus ſuppoſitio ipſa accidentalis,aut etiam violenta eſt. Ad primam probationem minoris,iam cõſtat viſionem fore beatificam quò ad eſſentialia,quamvis non ſit ſecura;licèt nequeat ſine ſecuritate eſſe beata quò ad integritatem illius feliciſsimi ſtatus. Ad ſecundam, patet viſionem beatificam Chriſti plura vidiſſe & affirmaſſe,quæ non erant de ipſius quidditate:vt carentiam dotum gloriæ,dolorem ac triſtitiam in portione inferiori; exceſſum ſui in intenſione ad omnes alias viſiones beatificas;productionem ſ primam a die 25. Martij anno Octaviani Auguſti quadrageſsimo ſecundo;exiſtentiam modò in inſtanti A.& non in B. poſtea autem in inſtanti B.& non A.plurimaque alia eiuſmodi,quæ præter quidditatẽ viſionis beatificæ Chriſti ſunt,imò & præter, aut contra connaturalem illius exigentiam. Igitur ex eo quòd viſio Chriſti beatifica affirmaverit videritque ſuam æternam durationẽ, non colligitur hanc exigi ab ea eſſentialiter. Scilicet,de ratione eſſentiali viſionis beatificæ ſolùm eſt videre & affirmare quidditatem exiſtentiamque Dei prout eſt in ſe, quem vt obiectum primarium reſpicit;non verò futura aliqua, nec ſui ipſius durationẽ futuram,quia omnia illa ſpectant ad obiectum ſecundarium & contingens.Plurima quæ huic doctrinæ obſtare poſſe videntur, obijcimus & diſſolvimus loco allegato.

53 EX Dictis toto hoc libro concluditur,non modò de facto mundum ab æterno non exiſtere, verum neque aliter potuiſſe fieri, etiam inſpecta poteſtate abſolutâ Dei;idque ſive quò ad res permanentes,ſivè quò ad ſucceſsivas. Præterea, repugnare omnino creaturam, tam ordinis naturalis,quam ſupernaturalis, quæ vel ex æternitate producta ſit, vel ex ſuppoſitione ſolius productionis ſuæ habeat eſſentialiter,atque adeò prorſus inſeparabiliter,annexam permanentiam ſui in æternum,imò & in quamlibet temporis durationem ſequentem,etiam brevem.*Deinde*,nec creaturas illas,quæ æviternæ appellantur, habere aliquam exigentiam ne annihilentur, ſed ſolùm ne corrumpantur ſtricta corruptione.Hæc enim ijs omnino repugnat;non verò annihilatio,ſi Deus velit vti eâ liberâ poteſtate,quam habet, etiam prout naturalis Author eſt.

SECTIO VLTIMA.

Excuſat ſe Author, rationemque reddit, cur ſæpe hoc libro octavo impugnaverit Ariſtotelem,eiuſque laudibus eundem toti Phyſicæ imponit.

54 SATIS iam ſuperque impugnavimus hoc libro octavo Ariſtotelem,quò ad æternitatem mundi, quem tamen in alijs omnibus adnaturam ſpectantibus ſequimur, & veluti communem ſæculorum Magiſtrum ſuſpicimus. Nec mirum ſi fidei lumine deſtitutus erraverit,ſeu non attigerit veritatis ſcopum in re,quæ evidenter definiri non poteſt ſolo lumine naturali,nec pro affirmante aut negante ſententiâ demonſtrativè concludi. Meritò cæteri inſignes Philoſophi, ac Theologi,ſublime eius ingenium admirantur,

tur, cui fortè nullum æquale inveniri poſſit. Meritò ſuſpiciunt incomparabilem ſubtilitatem, acerrimum iudicium, dicendi & docendi vim in illo Magno Viro,

Qui genus humanum ingenio ſuperavit, & omnes
Perſtrinxit ſtellas, & ſulſit vt æthereus Sol:

vt de illo cecinit Lucretius. Meritò de ipſo dixit Ammonius in eius Vita: ἐν φιλοσοφίᾳ δ' ὑπερβέβηκε τὰ ἀνθρώπινα μέτρα, μηδὲν ἐλλιπὲς περὶ αὐτῆς πραγματευσάμενος· ἀλλὰ καὶ πολλὰ αὐτῇ προσθεὶς ἐκ τῆς ἑαυτοῦ ἀγχινοίας, συνόλην κατώρθωσε φιλοσοφίαν. *In ſtudijs verò Philoſophiæ modum ingenij humani exceſſit: nullam enim illius partem attigit, quam non perfectè tractaverit. quin imò multa ipſe (quæ fuit eius ſubtilitas, & ingenij acumen) inveniens, vniverſam abſolvit Philoſophiam, & cõſummavit.* Cicero quoque libro 1. de Divinatione inquit: *Quid ſingulari vir ingenio Ariſtoteles, & pene divino? ipſené errat, an alios vult errare?* Item alio loco: *Sed quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus, vel inveniendis, vel dijudicandis, acrior Ariſtotele fuit?* Alibi denique ait, ipſum effudiſſe *aureũ eloquentiæ flumen*; & inter alia, ſubdit: *Cùm omnis ratio diſſerendi diligens duas habeat partes, vnam inveniendi, alteram iudicandi; vtriuſque princeps, vt mihi videtur, Ariſtoteles fuit.*

55 *PLINIVS* Quoque, eximius Naturæ perſcrutator, non ſolùm mutuatus eſt ab Ariſtotele magnam partem ſuæ Naturalis Hiſtoriæ, ſed etiam *lib. 8. cap. 16.* ipſum appellat *ſummum in omni doctrina virum.* Alio etiam loco, *virum immenſæ ſubtilitatis.* Quid de Alexandro Aphrodiſæo, Themiſtio, & Averroe dicam? Summis laudibus Ariſtotelem in cœlum efferunt, & maximè hic poſtremus, qui de illo, non tanquam de mortali homine, ſed Deo aliquo Philoſophorum, ſæpiùs loquitur; quanquam & ipſum fateatur creaturam eſſe. Et in Proœmio Phyſicæ ait: *Ariſtoteles tres ſcientias invenit; Logicam, Naturalem, & Divinam: & nullus error inventus eſt vſque ad hoc tempus, quod eſt mille & quingentorum annorum: & tale eſſe vnum individuum, potiùs eſt miraculoſum, quàm humanum.* Denique maioris adhuc laudis eſt, quòd in Eccleſiâ Catholicâ, omnes ferè Philoſophi ac Theologi quarumlibet Scholarum, etiam inter ſe diſsidẽtiũm, Ariſtotelem vbique ſequantur, aut ſaltem pro ipſorum ſententiâ ſteti ſſe velint; & ſi quiſquam illum reijcit, aut impugnat frequenter, cenſeatur velle ſuccendere cõmune quoddam Sapientiæ templum, aut expugnare munitiſsimam ſcientiarum arcem, irrito planè conatu. Inter quos omnes nemo impenſiùs, aut fideliùs, aut ſubtiliùs Ariſtotelem elucidavit, quàm D. Thomas; admirandus certè, quòd Authorem ſuo ſæculo parùm in Eccleſia Latina notum, intellectu difficillimum, vel ipſis Græcis, & abſque politura aliqua aut induſtria artis converſum in Latium ſermonem, lynceis oculis perca lluerit, & arcanos illius ſenſus exploraverit, ac detexerit, ſolùm illâ, quâ præcellebat, ac verè angelicâ, claritate: vt propterea mihi videatur quaſi mentis Ariſtotelicæ altera mens. Verùm pauca hæc in elogium illius magni Viri, communiſque Magiſtri obſervaſſe ſufficiat: quæ in præsẽti afferre placuit, ne vbi opinionem ipſius circa æternitatem mundi reiecimus, quia contrariam doctrinæ revelatæ; venerationem quoque debitam & obſervantiam abieciſſe videamur.

Et hæc ſufficiant circa libros Phyſicorum, ad laudem & maiorem gloriam Dei, Beatiſsimæ Virginis, caſti Sponſi Ioſeph, SS. Angelorum, Benedicti Patriarchæ, & SS. Anſelmi ac Thomæ Aquinatis, omniumque Cœlicolarum.

Omnia ſub correctione S. Matris Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ: à qua ſi quidquam alienum alicubi fortè diximus, pro non dicto haberi volumus, & ne cogitato quidem.

IN-

INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM,

In quo D. ſignificat Diſputationem, n. numerum vnicuique ferè paragrapho præfixum.

A.

ABSTRACTIO à materiâ triplex, *D.*1.*n.*14. propria cuiuſq; partis Philoſophiæ, aſsignatùr *ibid.n.*17.

ACADEMICI omnem ſcientiam è medio tollebant, *D.*1.*n.* 26. Impugnantur *ibid.*

ACCIDENS nequit eſſe cauſa principalis effectrix ſubſtantiæ. *D.*15.*ſect.*1.*per totam.* Eſt tamen de facto virtus immediatè & inſtrumentaliter productiva illius, *ibid. à n.* 28. Accidens prædicamentale an poſsit eſſe indiſtinctum a ſubſtantia? *D.* 29.*n.*44. Accidens logicum poteſt eſſe indiſtinctũ realiter ab eo, cuius accidens eſt; idque varijs inſtantijs ſuadetur, *D.*45.*n.*50.

ACTIO poteſt eſſe ſimul naturalis ac violenta, & quo ſenſu? *D.* 12.*n.*4. Eſt eadẽ entitas realiter cum paſsione prædicamentali, quanquam adæquatè diſtincta ſecundùm rationem. *D.*14.*n.* 2. Debet dari aliqua per ſe terminata ad compoſitum ex materiâ & formâ producendum. *D.* 15.*n.* 6. Actiones, ſicut & paſsiones, ſunt ſubſiſtentium, *ibid.n.*7. Actio ſtricta interuenit, quando aqua recuperat priſtinam frigiditatem, *ibid. à num.*39. Actio prævia an exigatur, vt aliquid ſit inſtrumentum? *D.*18.*à n.*6. An ſit idem realiter cum paſsione & motu? *D.*19.*n.*15. Actio tranſiens an recipiatur in agente, vel in paſſo? *ibid. à num.*17. *tota ſect.*4. In quo diſtinguatur ab actione immanenti, *ibid.n.* 19. Nullum effectum intrinſecum communicat agenti, *ibid. n.* 21. Non datur actio productiva operationum vitalium, diſtincta ab ijs realiter. *D.* 29.*n.*40.

ACTVS multiplex exponitur, *D.*5.*n.*2. Actus exiſtentiæ an conveniat materiæ ex ſe, vel ſolùm ratione formæ? *Ibid. tota diſput.* Actus vltimus nequit relinquere ſubiectum in potentia ad actum primum, *ibid.*

AER eſt verum corpus. Reijciuntur priſci Philoſophi id negantes *D.*27.*n.*3.

AGENS creatum nequit producere aliquid per creationem, ſaltem naturaliter, & de facto, *D.*6.*n.*7. Nec phyſicè reproducere rem antea corruptam, & cur? *D.*4.*n.*39. 40. & 41. An quãdo educit formam, producat ex nihilo aliquid? *D.*6.*n.*30. *& ſeqq.* Agẽdo repatitur. *D.*15.*n.*32. An debeat eſſe approximatum paſſo, vt in eo operetur? *D.* 39. *per totam.* An poſsit operari in diſtãs, quin priùs in propinquum, *ibid.* præſertim *à num.*10. Quid ſit dicendum inſpecta poteſtate abſoluta Dei, *ibid. à num.*19. Cur poſsit divinitus operari in eo loco, in quo non eſt; nullatenus in eo tempore, in quo non exiſtit? *ibid. n.*22. *&* 23. Non ſolùm agit ſecundùm partes ſui proximiores paſſo, ſed etiam ſecundùm remotiores, & qualiter, *ibid.n.* 24. Poteſt fortiùs operari in remotum, ſi ſit meliùs diſpoſitum, quàm in propinquum, *ibid. n.*25. Non ſufficit quòd in propinquo producat diſpoſitiones, niſi etiam producat virtutem activam, media qua operetur in remotum, *ibid.n.*26.

ÆTERNITAS quid ſit? *D.*29.*n.*3. In quo differat ab alijs ſpeciebus durationum generibus, *D.*30.*per totam.* Æternitas Dei demonſtratur ex immutabilitate. *D.* 40.*n.* 31 An de facto mundus extiterit ab æterno? *D.*41.*per totam.* Evidens eſt materiam primam non eſſe ab intrinſeco æternam, *ibid. à num.*26. Ex perfectione ſummâ Dei in eſſendo & operando, an colligatur mundum ab æterno extitiſſe, *ibid. latè à num.*32. & poſtea *à num.*45. An mundus quo ad entia permanen-

ſumentia potuerit abſolutè creari ab æterno. D. 43. per totam. Æternitas ex mente SS. Patrum ita eſt propria Dei, vt nulli creaturæ poſsit convenire, ibid. à num. 5. ſect. 1. per totam. Impoſsibilis eſt creatura, quæ producatur ità à Deo, vt in duratione infinita ſequenti deſtrui ab illo non poſsit, ibid. à num. 19. tota ſect. 2. An ex potentia Dei infinita colligatur, potuiſſe condere mundum ab æterno, ibid. à num. 34. tota ſect. 3. An entia ſucceſsiva potuerint eſſe ab æterno? D. 44. per totam. Æternitas eſt propria Dei; & nulli creaturæ communicabilis. D. 43. à num. 45. Diſcrimen æternitatis à parte ante, & à parte poſt, ibid. à num. 56.

ÆVVM, ſive αἰών, quid ſit? D. 29. n. 4. In quo differat à tempore, & æternitate, D. 30. per totam. Ævum Angelorum debet eſſe formaliter indiviſibile, & nullo modo extenſum, aut ſucceſsivum, ibid. à num. 6. latè. Ævum in varia genera dividitur, ibid. n. 23. Eſt totum ſimul, & quo ſenſu, ibid. à num. 36.

ALTERATIO eſt motus per ſe terminatus ad qualitatem, & cuiuſnam ſpeciei? D. 32. latè à num. 25. vſque ad 37.

ANATOMIA, an Phyſiologiæ pars, D. 1. num. 45.

ANGELVS conſtat formâ quodammodo illimitatâ & infinita. D. 9. nu. 13. Eſſet infinita ſimpliciter illius eſſentia, ſi non limitaretur per receptionem exiſtentiæ. D. 10. à n. 15. tota ferè ſect. 2. Cur illa ſit metaphyſicè finita, ibid. num. 17. fine & num. 21. An poſsit inducere vacuum D. 27. à num. 22. Species infuſæ Angelo, abſque variatione intrinſeca repræſentant obiecta noviter exiſtentia. D. 29. n. 21. Eius duratio debet eſſe intrinſecè ſimplex & indiviſibilis, D. 30. à num. 3. & diſtincta ab actione conſervante, ibid. à num. 11. non alia & alia ſingulis momentis, ibid. nec conſiſtens in modo formaliter ſucceſsivo, ibid. latè à num. 14.

ANIMA rationalis an educatur, ſeu educi poſsit ex potentia materiæ? D. 6. n. 59. Fide tantum eſt immortalem eſſe & formam corporis humani eſſentialiter, ibid. n. 8. & 9. & D. 9. n. 3. Habet rationem naturæ, etiam prout intellectiva & volitiva eſt D. 12. à n. 18. ſect. 3. per totam. An creetur, ſeu incipiat eſſe, in tempore diviſibili. D. 37. à num. 9. & D. 38. ſect. 3. Animam rationalem ex puro nihilo produci à Deo, oſtenditur D. 41. à num. 28. Non extitit ab æterno, ibid. n. 30. An exigat connaturaliter nunquam deſtrui à Deo, D. 45. à num. 34.

ANIMATA differunt ab inanimatis, quatenus præ iis moventur à ſe ipſis D. 39, à num. 28. & D. 40. n. 23.

APPETITVS duplex, D. 4. n. 23. materiæ ad formas, ibid. à num. 26. indiſtinctus re ipſa ab entitate materiæ, n. 33. etiam circa formam corruptam, & cur, aut quâ ratione ibid. latè à num. 35. An poſsit eſſe ſimul cõplacentia & deſiderium materiæ circa eandem formam, n. 42. & 43.

APPROXIMATIO agentis ad paſſum, an & quatenus ſit neceſſaria, vt in eo operetur? D. 39. per totam.

AQVA quomodo recuperet priſtinam frigiditatem? D. 15. à num. 37. & D. 39. n. 34.

ARGENTVM VIVVM in tubo vitreo clauſum an probet creandi vim in cauſa ſecunda? D. 2. num. 5. & ſeqq. An ex illo probetur dari vacuum? D. 27. à num. 24.

ARISTOTELES, eiuſque opera laudantur, ac diſtribuuntur. D. 1. ſect. 1. & D. 45. ſect. 5. per totam.

ARS in quo diſtinguatur à natura? D. 12. à num. 32. An poſsit præſtare opera naturæ? ibid. à num. 34. Ars Chimica an poſsit efficere verum aurum? ibid. num. 35. & 36.

ASTROLOGI, quanquam mediocres, cur non errent circa ecclypſes futuras; errent verò paſsim circa ephemerides, ſeu prognoſtica annua per dies diſtributa? D. 17. n. 32. & 33.

ATOMVS temporis nullus eſt, nec veri, nec imaginarii, in quo peccator præditus rationis vſu nequeat reſipiſcere. D. 37. n. 24.

AVRVM verum an effici poſsit miniſterio artis Chimicæ? D. 12. num. 35. & 36.

AVGMENTATIO quotupliciter accipiatur. D. 32. num. 3. & 4. Alia omnino, atque alia, in viventibus, & non viventibus: imò & in aliis atque aliis viventibus, ibid. Ad quantitatem viventium propriam, quatenus diſtinctam à quantitate non viventium, datur per ſe motus ſtrictus augmentationis, ibid. ſect. 1. & 2. per totas. Vivens, præ non vivente, quoties augetur, totum augetur, & cur? ibid. num. 4. Q: à ratione augmentatio ſit motus continuus, ibid. num. 9. An ſit à contrario in contrarium, ibid. latè à num. 11. In eâ non intenditur per ſe pars ſubſtantiæ, quæ noviter adquiritur, ſed maioritas quantitativa viventis, ibid. latè à num. 16. An exinde ſequatur ſuperfluam eſſe nutritionem ab ea diſtinctam, ibid. à n. 20.

B

BONITAS ſola eſt ratio formalis motiva voluntatis, non verò malum, quà malum eſt *D.* 18. *à num.* 12. Nec apprehenſio, quia ſolùm eſt conditio ad movendum, & finalizandum, *ibid. à n.* 14 *latè.*

C

CALOR cur dicatur & ſit inſtrumentum ignis? *D.* 15. *n.* 30. *fine.*

CARENTIÆ an diſtinguatur ab omni ente, *D.* 11. *per totam.* An ſint actu infinitæ? *ibid. à n.* 42. an ſint ab æterno? *ibid. n.* 44. & 45. An ſint in Deo? *ibid. n.* 54. & 55.

CASVS in quo diſtinguatur a fortuna? *D.* 17. *n.* 17.

CAVSA, quid, & quotuplex ſit? *D.* 13. *per totam* Eius definitio à D. Th. tradita exponitur, & ab obiectionibus vindicatur, *ibid. tota ſect.* 1. Non habet locum inter divinas Perſonas? *ibid. n.* 2. Quo ſenſu intelligendi ſint PP. Græci dum oppoſitum docere videntur, *ibid.* Nō eſt idem cauſa, ac pura conditio, *ibid. n.* 7. Finis an poſsit eſſe cauſa ſui ipſius, *ibid.* Omnis cauſa debet eſſe prior effectu, ſaltèm prioritate naturæ; & quo ſenſu, *ibid. n.* 13. & 13 Similiter & perfectior, quatenus actu cauſans, *ibid. n.* 14. Quatenus cauſa cauſæ ſit cauſa cauſati? *ibid. n.* 19. & 21. *fine.* An idem effectus poſsit procedere a duplici cauſa totali? *n.* 36.

CAVSÆ in quatuor genera dividuntur adæquatè *D.* 13. *ſect.* 2. *per totam.* Sunt ſibi invicem cauſæ, & quo ſenſu? *ibid. tota ſect.* 3. Non tamen intra idem genus, *ibid. n.* 21. Ex qua doctrina non enervatur efficacia rationis probantis exiſtentiam vnius primæ cauſę, *ibid. n.* 23. nec colligitur abſurditas circuli vniformis cauſarum, *ibid.* Cauſæ intrinſecæ an vniantur immediatè, vel potiùs media vnione diſtincta? *D.* 14. *per totam.* An approximatio ſit cauſa, an potiùs mera conditio, vt agens operetur in paſsũ? *D.* 39. *n.* 20. Cauſarum invicem ſe moventium circulus reijcitur. *D.* 40. *n.* 28.

CAVSA Efficiens, & finalis, ſe mutuò cauſant, & quo ſenſu? *D.* 13. *n.* 16. Poteſt accipere *eſſe* a ſuo effectu in diverſo genere, & ſecundùm aliam rationem, *ibid. n.* 23. *fine.* Cauſæ efficientis definitio, *D.* 15. *n.* 1. Quæ influit in effectum immediate immediatione ſuppoſiti, licèt mediante virtute ſuperaddita, eſt propriè cauſa effectrix, *ibidem n.* 33. Poteſt Deus ſupplere omnem dependentiam à cauſa ſecunda efficiente non vitali. *D.* 39. *n.* 21.

CAVSA Finalis, & efficiēs ſe mutuò cauſant, & quomodò? *D.* 13. *n.* 16. Quid & quotuplex ſit finis? *D.* 18. *n.* 10. An ſit cauſa realis? *ibid. n.* 11. Quænam ratio formalis conſtituat illum in actu primo, vt cauſet? *ibid. à n.* 12. An non ſolùm bonitas, ſed etiam apprehenſio ſit ratio cōſtitutiva finis? *ibid. latè à num.* 14. In quo conſiſtat eius cauſalitas? *eadem D.* 18. *à numer.* 20. Quos effectus habeat? *ibid. à n.* 24. Cætera vide *verbo FINIS.*

CAVSA Formalis, nequit ex elevatione præſtare effectum aliquem. *Diſput.* 9. *à numer.* 6. Datur mutua cauſalitas inter illam & cauſam materialem. *D.* 13 *num.* 17. & 19.

CAVSA Intrinſeca dupliciter accipi poteſt: ſcilicet, cōſtitutivè, aut vnitivè ſolum. *Diſput.* 14. *n.* 3.

CAVSA Materialis exiſtentiæ non debet præſupponi exiſtens pro priori naturæ ad illam. *D.* 10. *n.* 28. An debeat eſſe perfectior ſuo effectu? *D.* 13. *n.* 14.

CAVSA Per accidens inveniri poteſt in omnibus generibus cauſarum. *D.* 17. *n.* 16. Prout reſtringitur ad ſolam efficientem, dividitur in caſum & fortunam, *ibid. n.* 17.

CAVSA Prima eſſet impropriè effectrix operationum creatarum iuxta opinionem Durandi, & cur? *D.* 25. *n.* 33. Et nō ſatis propriè, ſi concurreret ſolùm media virtute accidentali, *ibidem num.* 34. An concurrat immediatè ad omnes operationes cauſæ ſecundæ? *D.* 16. *per totam.* Si non cōcurreret, non poſſet probari exiſtētia vnius primæ cauſæ, *ibid. à n.* 16. Sub qua ratione cauſet, *ibid. n.* 33.

CAVSA Secunda iuxta aliquos habet vim creandi de facto, *D.* 3. *n.* 5. Id tamen abſurdiſsimum eſſe oſtenditur, *num.* 6. & 7. Eget concurſu immediato cauſæ primæ in omnem ſuam operationem. *D.* 16. *per totam.* Patres Eccleſiæ id ſupponunt arguentes contra Arium, *ibid. à n.* 14. Non ſufficit dependentia a permiſsione Dei, *num.* 15. & *latiùs à n.* 26. Nec aliter fieri poteſt, adhuc inſpecta Omnipotentia Dei, *ibid. à num.* 24. Idem latè ſuadetur ex dependentia omnis creaturæ a Deo in ſui conſervatione, *ibid. latè, tota ſect.* 3.

CENTRVM rotæ qualiter ſe habeat ad circulos, dum illa in orbem movetur. *D.* 41 *ſect.* 2. *per totam.*

CHALYBS, an ignem ex ſilice extrahat æqualiter in hyeme, ac in æſtate, & quomodo, *D.* 3. *n.* 33.

CIRCVLVS materialis non eſt vitioſus ad probandum, ſed formalis tantùm. *D.* 13 *n.* 23. Ex inæqualibus rotæ circulis probatur continuum non componi ex puris indiviſibilibus. *D.* 34. *à n.* 29. Circulus cauſarum reijcitur. *D.* 40. *n.* 25.

COELVM ſub Phyſiologiæ conſiderationem cadit, *D.* 1. *n.* 5. Forma illius an fuerit creata, an educta ex materia, *D.* 2. *n.* 36. Empyreum an conſtet natura, quæ ſit principium motus & quietis. *D.* 12. *n.* 7. Cœlum non ſemper, neque neceſſario aſſequitur effectus, ad quos inclinat, ſed ſæpe fruſtranea redditur eius vis. *D.* 17. *à num.* 27. Habet virtutem finitam, & impedibilem ab agentibus inferioribus, medio quorum influxu operatur, *ibidem & num.* 39. Quæ generantur ſimul ſub eadem cœli conſtellatione, poſſunt ſubire contrariam ſortem, exitumque, & è contrà, *ibid. à num.* 30. Inventio theſauri, floritio duarum plantarum, & alia id genus, non habent in cœlo cauſam per ſe, *ibid. num.* 36. *& ſeqq.* Cœlum omnium ſupremum an ſit in loco? *D.* 25. *à n.* 25. *latè.* An ex influxu cœli in hæc inferiora colligatur naturalis repugnantia vacui? *D.* 27. *à n.* 12. Cœli influxus lateralis, ſeu obliquus an ſufficiat, *ibid.* Poteſt ille ſuppleri à Deo, *ibid. n.* 15. Cœlum an contineat perfectiones corporum inferiorum, *D.* 30. *n.* 39. Corpus Chriſti, ſupra cœlum Empyreum exiſtens, non plus occupat ſpatij imaginarij, quàm occuparet ſpatij realis. *D.* 36. *n.* 18. Poteſt à Deo moveri primum mobile velociùs, quàm modo; ſicut & creari aliud cœlum longè maius, ac moveri velocius. *D.* 41. *à n.* 7. Cœlum, & ſpiritus cœleſtes, ac rationales animæ, an immortalitatem, ſeu indefectibilitatem habeant. *D.* 45. *præſertim à n.* 7.

COMPOSITVM cur non ſit incorruptibile ratione materiæ incorruptibilis, qua conſtat, *D.* 4. *à n.* 19. An diſtinguatur realiter à partibus ſimul ſumptis & vnitis? *D.* 7. *per totam.* Conſtat ex materia & forma, vt partibus eſſentialibus, *ibid. n.* 1. Quatenus tale repugnat ſimplicitati, *n.* 6. Non eſt aliqua tertia entitas, in quam tranſeant partes, amiſſa propria entitate, *ibid. à num.* 6. *latè.* Nequit diſtingui realiter adæquatè ab aliqua parte eſſentiali. *ibid. latè à n.* 13. Qualiter cauſetur à materia & forma, *ibid. à n.* 19. *ad* 24. An habeat rationem naturæ? *D.* 12. *ſect.* 4. *per tot.*

CONSERVATIO liberè exhibetur à Deo in omnem creaturam, & immediatè. *D.* 16. *n.* 28. Exinde probatur concurſus immediatus Dei in omnem operationem, *ibid. tota ſect.* 3. An ſit diſtincta à cõcurſu ſimultaneo, ſeu prima productione rei? *ibid. n.* 34. 35. *&* 36. Cõſervatio cõpoſiti ſubſtãtialis, in quo ſita ſit? Itẽ & cõplexi ex humanitate & ſubſiſtentia Verbi, & ſubſtantiarũ ſpiritualiũ, *ibid.* Eſt eadem actio cum creatione ex parte Dei, ideoque non producit terminum diſtinctum. *D.* 29. *num.* 39. Non eſt idem realiter actio conſervativa & terminus illius, ſive res quatenus durans. *D.* 30. *à n.* 1. Vide v. *CREATIO.*

CONTINVVM eſt infinitum ſyncathegorematicè, & in potentia. *D.* 21. *num.* 6. An ſit ſimplex, an potiùs compoſitum ex partibus realiter actu diſtinctis, ſeu diviſibilibus, ſeu indiviſibilibus? *D.* 33. *per totam.* Sunt actu in eo indiviſibilia, tam terminativa, quàm copulativa, *ibid. à num.* 26. *tota ſect.* 3. *& ſect.* 4. *à num.* 38. An componatur ex puris indiviſibilibus, an potiùs ex partibus abſque fine dividuis? *Diſp.* 34. *per totam.* Opinionem Stoicorum reijciunt Patres, *ibidem num.* 6. Ariſtotelica ſententia, an definita in Concilio Conſtantienſi, *ibidem n.* 7. An continuum poſſit pertranſiri, ſuppoſita compoſitione ex partibus abſque fine dividuis. *ibidem num.* 49. An ex eadem hypotheſi debeat conſtare partibus actu infinitis. *Diſp.* 35. *per totam.* An etiam infinitam extenſionem habere, *ibidem, à num.* 29. *& à num.* 40. An continuum poſſit reipſa, aut cognitione, dividi à Deo in omnes lineas mathematicas, quibus actu conſtat, *ibid. à num.* 34. Idem ipſum de medietatibus partium æqualibus veſtigatur *ibid. à n.* 36. An conſtet indiviſibilibus mathematicè inflatis? *D.* 36 *per totam* In continuo ſucceſſivo verè ſunt partes, quibus actu componitur, realiter diſtinctæ, ſicut & indiviſibilia. *D.* 37. *à n.* 2. *tot. ſect.* 1.

CONTRARIETAS motus vnde ſumatur? *D.* 32. *n.* 42. An idem mobile poſſit moveri ſimul motib⁹ cõtrarijs, *ibid. n.* 43

COR eſt pars quæ primò generatur in animali. *D.* 31. *n.* 13. Quando incipiat eſſe actualis illius pars, *ibid. n.* 14.

CORPVS dividitur in mathematicum, metaphyſicum, & phyſicum, & quo ſenſu? *D.* 1. *n.* 47. Corpus mobile an ſit obiectum Phyſiologiæ. *ibid. & à n.* 52. Corpus continuum debet habere dimenſiones in omnẽ partem *D.* 21. *n.* 23. Repugnat eſſe actu infinitum, & ſimul coerceri duobus terminis *ibid. ſect.* 2. *ferè per totam.* Impoſſibile eſt idem corpus, aut plura, citra penetrationem, habere extenſionem actu infinitam, *ibid. ſect.* 3. *per tot.* Similiter & vnicum corpus actu infinitũ, conſtans partibus invicẽ pene-

penetratis, repugnat; & pariter infinita corpora penetrata. *ibid. tota ſect.* 4. An, producto vno corpore actu infinito, adhuc poſſet Deus producere aliud corpus? *ibid. latè à n.* 29. Maximum omnium abſolutè poſſibilium, chimæricum & repugnans eſt, *ibid. à n.* 38. Corporum multitudo infinita, qualitercumque ponatur, impoſſibilis eſt. *D.* 22. *ſect.* 1. *per totam.* Corpus idem an poſſit ſupernaturaliter eſſe in duobus locis adæquatis? *D.* 26. *per totam.* Corpora damnatorum immota erunt poſt diem Iudicij, & cur? *D.* 27. *n.* 15. Corpus Chriſti movetur per accidens in Euchariſtia. *D.* 34. *n.* 51. Vide *v. EVCHARISTIA.*

CREATIO materiæ an dederit ipſi exiſtentiam pro priori naturæ ad formam, *D.* 9. *n.* 35. Inter creationem, conſervationē, & annihilationem Angeli, an detur formalis ſucceſſio, *D.* 30. *n.* 40. & 41. Creationis poſſibilitas demonſtratur ex infinita virtute Dei. *D.* 41. *à n.* 21. *ſect.* 3. *per tot.* Decretum creādi rem aliquā, nequit inferre eſſentialiter decretū de illius conſervatione. *D.* 43. *à n.* 24. Beneficiū cōſervationis eſt diſtinctū à beneficio creationis. *D.* 43. *à n.* 26. & *D.* 45. *à n.* 26.

CREATVRA, eſſentialiter exigens durationem æternam ſimul à parte antè & poſt, chimærica eſt *D.* 10. *n.* 8. Limitatio creaturæ nequit eſſe ex ſola dependentia à cauſa efficienti, ſed potiſſimùm ab intrinſeca cōpoſitione & imperfectione. *ibid. n.* 19. Creatura poſſibilis quid ſit? *D.* 11. *num.* 48. Creatura operans ſine concurſu Dei immediato eſt omnino impoſſibilis. *D.* 16. *à n.* 24. Similiter & exigens primam ſui productionem, aut conſervationem ſequentem, *ibid. n.* 31. Creaturæ omnes poſſibiles, ſi ponerētur ſimul, eſſent actu infinitæ penes multitudinem. *D.* 20. *n.* 7. & 10. Creatura omnium perfectiſſima, aut imperfectiſſima, an ſit poſſibilis? *D.* 24. *per tot.* Collectivus ſenſus creaturarum omnium poſſibilium per modum vnius collectionis, eſt chimæricus, *ibid. n.* 5. & alibi ſæpe. Eo gratis permiſſo non infertur poſſibilitas creaturæ omnium perfectiſſimæ, *ibid. latè à n.* 5. Creatura infinita ſecundùm eſſentiam, prorſus repugnat, *ibidem à n.* 19. Si poſſibilis eſſet creatura omnium perfectiſſima, multitudo omnium creaturarum eſſet prorſus finita, *ibidem tota ſect.* 3. *à num.* 22. Creaturæ omnes poſſibiles nequeunt ſimul in actum reduci, *ibid. num.* 32. & latiùs *D.* 22. *à num.* 40. An materia prima ſit omnium creaturarum imperfectiſſima; gratia autem habitualis, vel vnio hypoſtatica, perfectiſſima omnium? *D.* 24. *à num.* 44. Creaturæ permanenti an repugnet ab æterno exiſtere? *D.* 43. *per totam.* Quid cenſeri debeat de creaturis, ſive entibus ſucceſſivis quo ad æternitatem? *D.* 44. *per totam.* An ſit poſſibilis creatura, quæ ex ſuppoſitione ſolius exiſtentiæ eſſentialiter exigat permanere in æternum, ac proinde non poſſit deſtrui à Deo? *D.* 45. *per totam.* Nulla creatura eſt capax durandi per æternitatem. *D.* 43. *num.* 46. Nec vbicationis per immenſitatem, *ibid. à n.* 47. *DÆMONES*, & damnati, quā ratione appetant non eſſe? *D.* 18. *num.* 19.

D.

DEFINITIO principiorum entis naturalis *D.* 2. *n.* 2. materiæ primæ *D.* 4. *n.* 2. naturæ, *D.* 12. *n.* 2. motus, *D.* 19. *n.* 2. aliorum, vide ſub proprijs nominibus.

DEIPARÆ Virginitas perfectiſſima convincit poſſe duo corpora penetrari. *D.* 25. *à n.* 35. Indiviſibilia ipſius penetrata fuerunt cū indiviſibilibus corporis Chriſti. *D.* 34. *n.* [illegible] & 27.

DEMONSTRATIO qualiter à Phyſiologia fiat circa obiecta mutabilia, *D.* 1. *num.* 29. & 30. Demonſtrationum duplex genus. *D.* 40. *n.* 1. Nulla aperta demonſtratione probari poteſt initium temporale mundi. *D.* 43. *n.* 60.

DEVS illimitatus eſt in omni genere, quia identificat ſuam exiſtentiam. *D.* 10. *n.* 18. Inviſibilis eius natura & perfectio deprehenditur ex perfectione creaturarum. *D.* 14. *n.* 4. Nequit ab eo produci creatura aliqua operans ſine concurſu ſimultaneo ipſius. *D.* 16. *à n.* 24. Neque immediatè ab ipſo conſervari poteſt, niſi id quod producit immediatè. *ibid. tota ſect.* 3. Qualiter cōcurrat ad actus pravos? *ibid. n.* 39. Vide *v. PRIMVS MOTOR.*

DISPOSITIO vltima nō habet eſſentialem connexionē cū forma. *D.* 14. *n.* 10.

DISTINCTIO realis aliquorum, vnde colligatur. *D.* 10. *n.* 7. Nō infertur ex ſola inſeparabilitate ipſorū *ibid. n.* 9. & 24. Non exigit actualitatē in vtroq; extremo, *ibid. n.* 31. *fine & ſeqq.* Quæ ſemel diſtinguuntur, ſemper diſtinguuntur. *D.* 33. *à n.* 13.

DIVERSITAS modi ſignificandi penes rectū & obliquum, variat prædicationem, transferτque de vera in falſam. *D.* 7. *n.* 25. Diverſitas apprehenſionum an variet rationem formalem finis? *D.* 18. *à n.* 14.

DOMINIVM Dei perfectiſsimum non patitur creaturã aliquam ab æterno exiſtere poſſe. *D.* 43 *à n.* 20. *&* *D.* 45 *à n.* 10

DVRATIO an diſtinguatur realiter ab exiſtentia rei durantis? *D.* 29. *per totam.* Quid ſit duratio communiter dicta, *ibidem, num.* 2. æterna, *num.* 3. æviterna, ſive æonia, *num.* 4. permanens corruptibilium rerum *numer.* 5. fluens ſucceſsivarum, *numer* 6. Durationem creaturarum permanentium eſſe ab iis indiſtinctam, malè aliqui probant, ideoque refelluntur, *ibidem a numer.* 10. *ſect.* 2. *per totam.* Solidiores eiuſdem ſententiæ probationes, *ibidem à numer.* 16. *ſect.* 3. *per totam.* An duratio vna rei permanentis ſit maior, quam alia, & quo ſenſu, *ibidem à numer.* 41. Durationis varia genera, æternitas, ævum, & tempus, in quo differant? *D.* 30. *per totam.* Duratio rerum permanentium, præſertim Angelorum, nequit eſſe idem realiter cum actione conſervante, *ibidem à num.* 11. neque ſingulis momentis alia & alia, *ibidem.* Neque conſiſtit in modo aliquo ſucceſsivo, diſtincto ab actione conſervante, *ibidem latè à num.* 14. Verum diſcrimen durationum omnium, & ratio cuiuſque propria aſsignatur, *ibidem latè à numer.* 19. *tota ſect.* 3. Duratio ſucceſsiva prout differt à permanenti, eſt realiter diſtincta à re durante *D.* 31. *ſect.* 2. *&* 3. *per totas*, præſertim *à num.* 25.

E.

EDVCTIO formarum ex materia exponitur & diſquiritur latè, *D.* 6. *per totam.* Propria illius ratio explicatur, *ibid. à n.* 25. *uſque ad* 30.

ELEMENTA diſtinguuntur à materia prima *D.* 3. *tota ſect.* 3., *&* 4. Illorum definitio, diſtincta a definitione materiæ primæ, *ibidem numer.* 25. Quo ſenſu ſint cauſa materialis mixtorum, *numer.* 26. Non ſunt ſimplicia ſubſtantialiter, ſed compoſita ex materia & forma, *num.* 28. Pertinent ad primam integritatem Vniverſi. *D.* 17. *n.* 41.

ENS NATVRALE, ſive *MOBILE*, eſt obiectum Phyſiologiæ, *D.* 1. *à n.* 46. Diverſa eius inſpectio circa Aſtrologum & Philoſophũ, *ibid. à n.* 55. Variæ eius acceptiones, *D.* 2. *n.* 2. Nec materia, nec forma, nec privatio, ſunt principia intrinſece componentia illud prout *in fieri*, ſive ſub ratione mutationis, *ibid. latè à n.* 19.

ENS CREATVM, quodcumque ſit immediatè procedit a Deo, vt cauſa ſui efficiente, & conſervante. *D.* 16. *à n.* 19. Nequit aliter fieri, etiam poteſtate Dei abſoluta, *ibid. à n.* 24. Vide *v.* *CREATVRA.*

ENS Per accidens nullam exigit cauſam per ſe, ſed per accidens ſolùm. *D.* 17. *à n.* 22. Poteſt aliquid eſſe per accidens reſpectu vnius cauſæ, & per ſe reſpectu alterius, præſertim Dei. *ibid. n.* 41. *&* 42. Deo nihil per accidens, aut a caſu eſt, *ibid.*

ESSENTIA creata an diſtinguatur realiter ab exiſtentia? *D.* 10. *per tot.* Nequit limitari in ordine ad accidentia, niſi prius intra genus ſubſtantiæ ſit limitata. *ibid. n.* 20. Eſſentia infiniti quænam ſit? *D.* 20. *per tot.* Eſſentia compoſita non ſalvatur, nec realiter, nec obiectivè, niſi adſint omnia extrema, ex quibus reſultat. *D.* 22. *à n.* 17.

EVCHARISTIÆ accidentia ſeparata ab omni ſubiecto habent vim immediatè productivam ſubſtantiæ. *D.* 15. *n.* 28. Eius myſterium in nihilo minuitur, quamvis idem corpus nequeat ſupernaturaliter exiſtere in pluribus locis circumſcriptivè. *D.* 26. *latè à num.* 28. *tota ſect.* 3. *& poſtea à num.* 36. Chriſti corpus in eã nõ eſt, tãquam in loco *ibid. n.* 29. An aliquando deſeruerit cœlum, vt eſſet quantitativè in Euchariſtia, *ibid. à n.* 42. Sunt in ea partes quantitatis actu diſtinctæ *D.* 33. *n.* 11.

EXISTENTIA materiæ primæ diſtinctæ à quatuor elementis, demonſtratur *D.* 3. *per totam.* Eſt actus vltimus perfectionis ſimpliciter in qualibet re, *D.* 5. *à n.* 21. Eſt ſolum conditio concomitans vt materia cauſet formam recipiendo illam, *ibid. n.* 33. Diſtinguitur realiter vt modus ab eſſentia creata. *D.* 10. *per totam.* Exiſtẽtia propria eſt ſeparata ab humanitate Chriſti. *ibid. n.* 4. *&* 9. Cõvenit accidentaliter creaturæ, *ibid. n.* 8. *&* 11. Recipitur in omni eſſentia creata, vt in ſubiecto, *ibid. tota ſect.* 2. Si non limitaretur per receptionem ſui in eſſentia, eſſet infinita ſimpliciter, *ibid. à n.* 17. An diſtinguatur realiter a ſubſiſtentia? *ibid. n.* 18. & eſt actus omnium vniverſaliſsimus & vltimus. *ibid. &* *D.* 5. *n.* 21. Nõ cõſtituit formaliter eſſentiam in ratione entis realis. *D.* 10. *à n.* 27. Longe aliter convenit eſſentiæ creatæ, quam rationale animali, *ibid. n.* 36. Eſt actus primarius & ſpecificativus ſubſtantiæ. *D.* 15. *n.* 13.

F.

FATVM quid ſit iuxta mentem Senecæ, & aliquorum Veterum? *D.* 17. *num.* 3. Quinam de eo confuſè ſcripſerint? *ibid. n.* 44.

44. Quo ſenſu reijciatur a Patribus, aut properur? *ibid. n.* 45. Quid importet, & in quo verè conſiſtat? *n.* 46. & 47. Eſt vnicum per ordinem ad Providentiam Dei; multiplex verò relatè ad inferiores cauſas, *ibid. n.* 48. Non ſubduntur fato effectus liberi, aut pendentes à voluntate quomodolibet, ſed ſolùm naturales & neceſſarij, *ibid.*

FINIS an poſsit eſſe cauſa ſui ipſius? *D.* 13. *n.* 6. & 7. Quid & quotuplex ſit, an cauſa realis, qua ratione formali conſtituatur, quænam ſit eius cauſalitas, quos effectus habeat? *D.* 18. *ſect.* 2. & *ſeqq.* Series actuum, quos cauſat ordine intentionis & executionis, *ibid. n.* 24. An amor ſit effectus ipſius? *ibid. à n.* 25. An electio mediorum? *ibid. à n.* 28. An executio ipſius finis? *ibid. à num.* 30. Quænam agentia propter finem operentur? *ibid. à n.* 32. Qualiter Deus operetur propter finem, *ibid.* Non tamen agentia inanimata, *ibid. n.* 33. Quid ſit ſentiendum de brutis? *ibid. n.* 34.

FORMA ſubſtantialis non eſt à materia, ſed ex materia, *D.* 5. *n.* 33. *fine.* Diſtinctio realis vtriuſque demonſtratur contra aliquos, *D.* 6. *tota ſect.* 1. Non præexiſtit in materia ſecundùm aliquos gradus, *ibid. n.* 12. nec ſecundùm eſſe inchoatum, *n.* 13. nec ſecundùm virtutes ſeminales, *num.* 14. & *ſeqq.* Aliter continetur in potentia paſsiva materiæ, quàm in activa cauſæ efficientis, *eàdem D.* 6. *num.* 32. Quomodo educatur ex potentia materiæ, *ibid. totâ diſputat.* Formæ accidentales quâ actione producantur, *num.* 37. & 38. Forma ſubſtantialis naturaliter deſtrui nequit, niſi actione poſitiva. *D.* 8. *n.* 5. & 7. Forma duplex an poſsit informare vnicam materiam; *D.* 9. *ſect.* 1. *per totam.* Item an forma vnica poſſit informare materias plures? *Ibidem.* Limitatur per ordinem ad materiam, quam informat, *ibid.* Etiã in ordine ad certos effectus limitatur ex incapacitate ſubiecti, *ibid. n.* 14. Quid ſit dicendũ de forma, ſive perfectione increata in ordine ad naturã aſsũptam? *Ibid. n.* 14. 15. & 16. Habet rationẽ naturæ ſtrictè loquendo. *D.* 12. *n.* 16. & 17. Convenit ſolùm analogicè cum materia prima in ratione naturæ, *ibid. à n.* 29. *latè.* Non vnitur materiæ in inſtanti generationis abſq; medio interiecto. *D.* 14. *ſect.* 1. *per tot.* Nec poſtea *in facto eſſe* abſque vnione diſtincta, *ibid. ſect.* 2. & 3. & 4. Eadem quæ conſtituit ſubiectum in *eſſe*, conſtituit quoque illud potens operari. *D.* 15. *n.* 7. Forma ſubiecto communicata, an poſsit ipſi tribuere effectum primarium, quinetiam ſecundarium? *D.* 25. *à n.* 40. Forma vnica nequit præſtare plures effectus ſecundarios eiuſdem ſpeciei, *ibid.* 26. *à n.* 7.

FORTVITVM an ſit aliquid, præſertim reſpectu cœli? *D.* 17. *per tot.* Negarunt id omnino aliqui, putantes Deum omnibus rebus neceſsitatem imponere, *ibid. n.* 3. Effectus fortuiti an differant à caſualibus? *ibid. n.* 19. Plura ſunt in rebus fortuita & à caſu; *ibid. à n.* 20. Fortuitum aut caſuale Deo nihil eſt, *ibid. n.* 42.

FORTVNA multipliciter examinari ſolet iuxta varias diſciplinas. *D.* 17. *n.* 15. Quid ſit, & an differat à caſu? *ibid. n.* 17. & 18. & 19. Fortuna bona & mala, in quo conſiſtat? *ibid. n.* 34. & 35.

S. FRANCISCVS XAVERIVS, Orientis Apoſtolus, an aliquãdo extiterit in duobus locis? *D.* 26. *n.* 44. & 46.

G.

GENERATIO nullum habet principium intrinſecè componens, niſi metaphyſicum; quia eſt entitas phyſicè ſimplex, ideoque non reſpicit materiã, formam, aut privationem, vt principia intrinſeca propriè & ſimpliciter. *D.* 2. *ſect.* 3. *per totam, à numer.* 19. Nulla eſt corruptio ſubſtantialis ſine generatione, *D.* 3. *numer.* 30. Cur materiam non reddat genitam, quamvis in ipſa recipiatur immediatè, *D.* 4. *num.* 21. Nulla eſt generatio ſine corruptione, & è contrà. *D.* 8. *n.* 3. Debet producere in homine vnionem diſtinctam à partibus. *D.* 14. *n.* 18.

GLOBVS perfectus motus per planum, an ſemper tangat illud in aliquo indiviſibili. *D.* 34. *à n.* 54.

GRATIA infinitè intẽſa ſpecialim repugnat *D.* 23. *tota ſect.* 4. *à n.* 28. Omnem gratiam abſolutè poſsibilem, fuiſſe de facto in anima Chriſti, falſum & abſurdum eſt, *ibid. n.* 30. & 31. Gratia habitualis an ſit omnium creaturarum poſsibilium perfectiſsima? *D.* 24. *à n.* 44.

GRAVIA & levia an moveantur à generante, etiam quando diſtat; an potius à ſeipſis; *D.* 39. *à n.* 27. *ſect.* 4. *per totam*, & *D.* 40. *n.* 22. & 23.

H.

HVMANITAS Chriſti D. exiſtit per exiſtentiam Verbi divini. *D.* 10. *n.* 4. & 9. Habet rationem naturæ ſtrictè loquẽdo quælibet humanitas. *D.* 12. *à n.* 25.

I.

IDEÆ Platonicæ non ſunt cauſa eductiva formarum, *D.* 6. *à n.* 22. idea ad quod genus cauſæ ſpectat *D.* 13. *n.* 10.

IGNIS an ſit intra ſilicem, *D.* 3. *n.* 32 *&* 33. An habeat rationem naturæ quatenus calefacit aliud à ſe? *D.* 12. *à n.* 9. An ſit in ferro candente? *D.* 15. *n.* 9. Poteſt in infinitum creſcere; & qua ratione? *D.* 38. *à n.* 30. An poteſtate abſoluta Dei poſsit calefacere materiam diſtantem, ſine influxu in propinquum. *D.* 39. *n.* 21.

IMMATERIALITAS Dei demonſtratur. *D.* 40. *num.* 35. Vide *v. PRIMVS MOTOR,*

IMMENSITAS Dei demonſtratur. *D.* 40. *n.* 33. Vide *v. VBIQVE.*

IMMOBILITAS Dei demonſtratur *D.* 40. *n.* 29.

INANIMATÆ ſubſtantiæ an habeant terminum magnitudinis & parvitatis? *D.* 38. *à n.* 29. *tota ſect.* 5.

INCEPTIO & deſitio rerum qualis ſit? *D.* 38. *ſect.* 1. 2. *&* 3. *per totas.*

INCORRVPTIBILE, quotupliciter dicatur. *D.* 4. *n.* 15.

INDIVISIBILIA poſſunt eſſe, quæ purè materialia ſunt. *D.* 14. *n.* 31. cõtra Hurtadum. Exiſtunt actu & realiter in continuo permanenti, tam copulativa, quam terminativa, *D.* 33. *latè à num.* 26. *tota ſect.* 3. Habent rationem vnionis partium continui, *ibid. à num.* 30. Sunt ab eo eſſentialiter inſeparabilia, *ibid. à num.* 38. An continuum permanens componatur ex puris indiviſibilibus, an potiùs ex partibus abſque fine dividuis; *D.* 34. *per totam.* Vnum indiviſibile alteri immediatè additum non facit extenſionem, ſed potiùs cum eo penetratur, *ibid. latè à num.* 8. & poſtea *à num.* 20. An vnum poſsit tangere aliud per latera ſolum, *ibid. à num.* 26. Indiviſibilia qualiter componant in re lineam, ac ſuperficiem, *ibid. n.* 29. *&* 31. *ac D.* 35. *à num.* 32. An ſint mathematicè inflata. licèt indiviſibilia phyſicè? *D.* 36. *per totã.* An quodlibet illorum occupet minùs ſpatij realis, quam imaginarij, *ibid. tota ſect.* 2. *&* 3. Neque in entibus ſucceſsivis inflata ſunt. *D.* 37. *à n.* 21.

INGENIA ſublimia, parum aut nihil fortunæ habent, & cur? *D.* 17. *n.* 19.

INITIVM temporis & motus, an fuerit diviſibile? *D.* 37. *à num.* 40. De initio & termino rerum. *D.* 38. *per totam.*

INFINITVM quam rationem formalem importet, tam conſideratum in potentiá, quàm in actu? *D.* 20. *per totam.* Eius definitio, & quo ſenſu accipienda, *ibid. tota ſect.* 1. Alia a priſcis Philoſophis tradita reijcitur, *ibid. à num.* 3. Ariſtoteles non definivit infinitum in actu, ſed in potentia tantum, *ibid. à num.* 8. *latè vſque ad num.* 17. Infinitum in actu differt ab infinito in potentia, & qualiter? *ibid. à num.* 18. *tota ſect.* 2. Hoc poſterius importat permixtionem partium finitarum exiſtentium cum aliis infinitis poſsibilibus, *ibid. latè.* An importet plura, quàm infinitum in actu? *ibid. à num.* 25. etiam ex capite vnius extremi tantum, ſcilicet, poſsibilium partium, quibus additionem accipere poteſt? *ibid. à num.* 31. *totâ ſect.* 3. Quamvis aliqua multitudo eſſet actu infinita, adhuc maneret infinita in potentia, & quo ſenſu? *ibid num.* 33. An vnum infinitum in actu eſſet maius alio? *ibid. à num.* 34. *& D.* 21 *num.* 11. Datur de facto infinitum in potentia. *D.* 21. *num.* 6. An ſit poſsibile infinitum in actu ſecundùm magnitudinem? *D.* 21. *per totam.* An ſecundùm multitudinem? *D.* 22. *per totam.* An ſecundùm intenſionem. *D.* 23. *per totam.* An ſecundùm eſſentiam? *D.* 24. *à num.* 18. Infinitum in actu, eo ipſo quod daretur, deberet conſtare ex pluribus, imò innumerabilibus actu infinitis. *D.* 21. *num.* 8. *&* 9. Repugnat ipſi concluſum eſſe duobus terminis, *ibid. latè à num.* 16. & ſæpe alibi. Cur æternitas & immenſitas Dei ſint actu infinitæ in ſuis generibus. *D.* 36. *num.* 13. An ſuppoſita opinione Ariſt. circa compoſitionem continui, neceſſariò colligatur, illud eſſe infinitum actu penes numerum, aut extẽſionem partium? *D.* 35. *per totam.* Infinitum in actu tenentur admittere quotquot docent tempus potuiſſe exiſtere ab æterno. *D.* 44. *ſect.* 2.

INSTRVMENTVM latè dictum, ſeu virtus inſtrumentaria, habet activitatem intrinſecam, & ſufficientem ad producendum effectum præſtantiorem, & quo ſenſu? *D.* 15. *num.* 11. *&* 40. Non eget motione ſuperaddita ab agente principali. *ibidem.* Sive latè, ſive ſtrictè dictum non exigit æqualitatem perfectionis cum effectu. *ibid.* Varia inſtrumentorum genera exponuntur. *D.* 18. *num.* 2. Quæ ſtrictè talia ſunt, an egeant motione præſtita a principali agente? *ibid. à num.* 3. Quid de inſtrumentis Omnipotentiæ in ordine ad ſupernaturalia effecta? *ibid.* An inſtrumentum debeat habere virtutem ſibi propriam, & actionem præviam? *ibid. à num.* 6.

INTENSIO qualitatis actu infinita, an ſit poſsibilis? *D.* 23. *per totam.* Viſio creata

ta

ta Dei infinitè intenſa, an ideò eſſet ipſius comprehentiva, *ibid. num.* 11. *&* 12. Si intentio infinita fieret per gradus diſsimiles, præcluderet viam ad probandum exiſtentiam vnius primæ cauſæ, *ibid. ſect.* 2. *per totam.* Infiniti gradus diſsimiles intenſionis, ſpecratim repugnant, *ibid. ſect.* 3. *à num.* 19. Similiter & infiniti gradus ſimiles, *ibid. n.* 26. Gratiam eſſe infinite intenſam, impoſſibile eſt, ſimiliter & operationes ex ea ſecutas. *Ibid. ſect.* 4. *per totam.* Intenſionis ac remiſsionis motus, diſtinctus ab alteratione, an terminetur per ſe ad qualitatem conſideratam penes gradus diverſos? *D.* 32. *n.* 34. & 35.

L.

LEVIA. VIDE GRAVIA.

LIBERTAS noſtra non læditur ratione præſcientiæ aut decreti divini. *D.* 17. *num.* 40. *&* 41. Libertas Dei ad mundum creandum demonſtratur, *D.* 42. *à num.* 13. *& D.* 43. *à num.* 50.

LINEA plures conſiderationes ſuggerit ad probandam ſententiam Ariſtot. circa compoſitionem continui, *D.* 34. *num.* 29. 31.

LOCVS verè exiſtit in rerum natura. *D.* 25. *num.* 2. Conſiſtit in vltima ſuperficie corporis continentis, *ibid. num.* 3. Aliorum opiniones in contrarium reiectæ, *num.* 4. An de ratione loci ſit immobilitas, & quænam? *ibid. à num.* 5. *tota ſect.* 2. In qua ſuperficie conſiſtat, & qualiter ad illam comparetur, *ibid. à num.* 14. *tota ſect.* 3. An locus naturalis, vt diſtinctus à mathematico addat qualitatem conſervativam locati? *ibid. à num.* 21. *tota ſect.* 4. An omnia entia naturalia ſint in loco? *ibid. à num.* 25. *tota ſect.* 5. An duo corpora poſsint eſſe ſimul in eodem loco? *ibid. à num.* 33. *tota ſect.* 6. An idẽ corpus poſsit eſſe circumſcriptive in duobus locis? *D.* 26. *per totam.* Nulla creatura capax eſt exiſtendi vbique ſimul, *ibid. tota ſect.* 2. nec immenſitatis veræ, *D.* 43. *à n.* 47.

LVX caret contrariis, ideoque per meram ſubtractionem conſervationis deſtruitur, *D.* 8. *num.* 5. Non terminat per ſe motũ. *D.* 32. *n.* 30.

M.

MAGI quænã admiranda facere poſſint ope dæmonum, *D.* 6. *n.* 24. Ediderunt in Ægypto veros ſerpentes. *D.* 12. *n.* 36.

MAGIA, an, & quo ſenſu ſit Phyſiologiæ pars, *D.* 1. *n.* 33. Qualiter probata, aut proſcripta, *ibid.*

MAGNITVDO actu infinita, an omnino repugnet? *D.* 21. *per totam.*

MATERIA quænam dicatur intelligibilis, *D.* 1. *à n.* 15. Materiæ primæ exiſtẽtia demonſtratur, *D.* 3. *n.* 4. *& ſeqq.* Item & diſtinctio ipſius ab elementis, contra Doctorem Lud. Rodriguez *ibid. tota ſect.* 3. *&* 4. Diffinitio materiæ primæ, atque elemẽti, non eadem, ſed diverſa, *ibid. n.* 25. Explicatur, *D.* 4. *n.* 2. Varia materiæ agnomina exponuntur, *ibid. n.* 3. Non habet ex ſe vnitatem ſpecificam poſitivam, *ibid. à n.* 5. nec actum metaphyſicũ, *à n.* 9. Eſſentia ipſius *n.* 14. Ingenerabilis & incorruptibilis eſt, *ibid. à n.* 13. Quo ſenſu ſit principiũ corruptionis? *n.* 23. Appetit formas ſubſtantiales, *eàdem D.* 4. *tota ſect.* 3. etiam omnes, *n.* 30. etiam præteritam, ſeu corruptam, & cur, aut quomodo, *ibid. ſect.* 4. *per totam.* Nõ habet propriam exiſtentiam, *D.* 5. *per totam.* Pro priori naturæ ad formam, nec intelligitur vt ens in actu, neque vt nihil, ſed vt potentia recipiens actum, *ibid. n.* 6. *&* 17. *&* 31. An habeat propriam ideam in Deo? *ibid. n.* 11. *&* 12. Aut proprietates determinatas pro priori naturæ ad formam? *n.* 34. Realis diſtinctio illius à forma demonſtratur, *D.* 6. *latè à n.* 2. *tota ſect.* 1. Quomodo formæ educantur ex potentia paſſiva illius? *ibid. tota diſputatione.* Nequit naturaliter exiſtere abſque omni forma. *D.* 8. *per totam* Quid ſecundùm potentiam abſolutã? *Ibid.* An poſsit recipere eadem materia plures formas? *D.* 9. *ſect.* 1. *per totam.*

MEDICINA, an Phyſiologiæ pars *D.* 1. *n.* 40. *&* 41.

METAPHYSICA eſt pars Naturalis Philoſophiæ, *D.* 1. *n.* 13. Quænam obiecta ſpeculetur, *ibid. n.* 19. *&* 21. Quo ordine addiſcenda, *n.* 59.

MONSTRVM an ſit ens per ſe, aut per accidens? *D.* 17. *num.* 22. Monſtrum biceps quandoque in Gallia viſum, & valde notandum, *ibid. n.* 31.

MORVLÆ an diſtinguãt motum tardum a veloci. *D.* 41. *per tot.*

MOTVS medius inter naturalẽ & violentum, an detur? *D.* 12. *n.* 10. An aliquis ſit violentus reſpectu materiæ, *ibid. n.* 15. Definitio motus exponitur, *D.* 19. *n.* 2. An ſub ea comprehendantur ij motus, qui dicuntur actus perfecti, vt ſenſiones, intellectiones, & volitiones? *ibid. à n.* 3. An motus phyſici comprehenſi cenſeantur, ſi inſtantanei ſint *ibid. n.* 5. An creatio? *ibid. n.* 8. *fine.* An motus di-

diſtinguatur à termino? *eádem D.* 19. *n.* 9. An recipiatur in mobili? *ibid. n.* 10. Quomodo comparetur ad actionem & paſsionem? *ibid. à n.* 11. *tota ſect.* 3. Eſt ſubiectum vtriuſque, *ibid. n.* 15. Diſtinguitur ab iis realiter, *ibid. n.* 16. Cur motus ſucceſsivus ſit continuus? *D.* 30. *n.* 4. Habet intrinſecam & determinatam durationem temporis quilibet motus, ſive cœleſtis, ſive ſublunaris, *ibid. n.* 27. Partes motus, quæ ſolùm accidentaliter ſucceſsivæ ſunt, reproduci poſſunt à Deo, *ibid. à n.* 29. Diſtinguitur realiter a tẽpore, quo intrinſecè durat, *D.* 31. *ſect.* 2. *per totam.* Idque adhuc ſuppoſita indiſtinctione reali rerum permanentium à ſua intrinſeca duratione, *ibid. ſect.* 3. *per totam.* An duo motus poſsint eſſe realiter æquales in tempore intrinſeco, & inæquales in entitate, atque è contra? *ibid. à num.* 19. Quidquid intrinſecè eſſentialiter eſt in motu poteſt ſeparari realiter à prioritate & poſterioritate, in quâ conſiſtit tempus, *ibid. à n.* 27. Ad quæ prædicamenta detur per ſe motus? *D.* 32. *per totam.* Conditiones ad motum ſtricte dictum per ſe terminandum, *ibid. n.* 1. Velocior & velocior in infinitum eſſe poteſt. *D.* 36. *n.* 22. & 23. An conſtet indiviſibilibus, an potiùs partibus abſque fine dividuis? *D.* 37. *per totam.* Motus tardus in quo differat a veloci, *ibid. n.* 27. & *D.* 41. *per totam.* An potuerit eſſe ab æterno? *D.* 44. *per totam.*

MVLTITVDO actu infinita an ſit poſſibilis? *D.* 22. *per totam.* Non haberet euentiam determinatam. *ibid. latè à n.* 11. *vſque ad n.* 18. An idem dicendum de infinito ſyncathegorematico, *ibid. à n.* 19. An Conciliũ Conſtantienſe aliquid ſtatuerit circa multitudinem poſsibilium creaturarum, *ibid. à n.* 32. Omnis multitudo aſsignabilis a Deo, eſt actu finita, *ibid. latè à nu.* 37. & alibi ſæpe. Multitudo partium continui abſque fine dividui, an ſit actu infinita? *D.* 35. *per tot.*

MVNDVS an extiterit in tempore, vel ab æterno? *D.* 42. *per totam.* Plerique Philoſophorum Gentilium agnoverunt initium temporale ipſius, *ibid. à n.* 3. Impugnantur rationibus quotquot putarunt mundum ab æterno extitiſſe, *ibid. latè tota ſect.* 2. & 3. Libertas Dei ad mundum condendum, aut non condendum, demonſtratur *ibid. à n.* 13. Potentia ipſius ad producendum mundum ex puro nihilo, ſeu creandũ, oſtenditur *ibid. à n.* 21. An mundus abſolutè potuerit creari ab æterno, ſaltem quo ad creaturas permanentes? *D.* 43. *per totam.* An quo ad entia ſucceſsiva, vt tempus & motum? *D.* 44. *per totam.*

N.

NATVRA quid ſit, & quibus conveniat illius ratio? *D.* 12. *per totam.* Eius multiplex acceptio, & diſinitio exponitur, *ibid. n.* 2. Convenit materiæ primæ, & formæ ſubſtantiali ratio naturæ, *ibid. ſect.* 2. *per totam.* In quo diſtinguatur ab arte? *ibid. ſect.* 6. *per totam.* An illius opera ab arte præſtari poſsint? *ibid. à n.* 34. An natura creata adæquate terminetur per vnicam ſubſiſtẽtiã, *D.* 26. *à n.* 48. Abhorret quidquid otioſum & fruſtra eſt, *D.* 27. *n.* 5. An exinde colligatur naturalis repugnantia vacui, *ibid.* Amantiſsima eſt vnionis & colligationis partium Vniverſi, eamq́; miris modis quærit, *ibid. latè à n.* 4.

NATVRALE Multipliciter dici ſolet aliquid, *D.* 12. *n.* 3. Naturale cõpoſitũ ex natura & ſubſiſtentiã, nequit habere ſtrictam rationem naturæ, *ibid. n.* 27. & 28.

NVMERVS rerum actu infinitus an ſit poſsibilis, *D.* 22. *per totam.* Quam diſcretionem vnitatum importet, *D.* 35. *n.* 28.

NVTRITIO abſque argumentatione dari poteſt, D. 32. *n.* 10. An ſit motus ſtrictus, per ſe ad ſubſtantiam terminatus, *ibid. n.* 21.

O.

OBIECTVM Phyſiologiæ quodnam ſit, *D.* 1. *à n.* 46.

OMNIPOTENTIA Dei an inferat poſſibilitatem multitudinis actu infinitæ? *D.* 22. *ſect.* 4. *per totam.* An omnia, quæ poteſt producere, infinita ſint penes multitudinem? *ibid. à n.* 32. *latè.* An aliquid circa hoc ſtatuerit Conciliũ Conſtantienſe, *ibid.*

OPERATIO ſola eſt actus primarius & ſpecificativus potentiæ proximè operatricis, *D.* 15. *n.* 18. & *ſeqq.* Ex terminis operatio intellectualis non exigit ſpeciẽ impreſſam, quæ ſit accidens, *ibid. n.* 44. Operatio vitalis quomodo dependeat ab anima? *D.* 16. *n.* 21. & 38. Operationes creaturarum ſpiritualium variæ exponuntur, *D.* 30. *n.* 32. & 33. An omnes illæ menſurẽtur ævo? *ibid.* Repugnat ſubſtantia creata, quæ ſit eadem realiter cum ſua operatione, aut motu, *D.* 40. *n.* 38.

P.

PARS multiplex actu diſtincta, an ſit realiter in continuo permanẽti? *D.* 33.

ſerè

ferè per totam. Pars diviſibilis includit inſeparabiliter & eſſentialiter uniones indiviſibiles, *D.* 34. *à n.* 39. Pars quæ afficitur immediatè a puncto, an ſit diviſibilis, nec ne, *ibid. à n.* 41. An partes continui ſint actu infinitæ hoc ipſo quod illud ſit abſque fine diviſum? *D.* 35. *per totam.* Partium continui triplex acceptio, *ibid. n.* 23. & diſtinctio, *n.* 24. Æquales & determinatæ nunquam ſunt numero infinitæ, *ibid. n.* 25. Idem dicendum de proportionalibus, *ibid. à n.* 26. Hæ, quatenus proportionales, non conſtituunt numerum, *ibid. & ſeqq.*

PASSIO prædicamentalis nō diſtinguitur realiter, ſed ſolùm ratione, ab actione prædicamentali, *D.* 14. *n.* 2. *&* 4. *& D.* 19. *n.* 16. Diſtinguitur tamē realiter a motu, *ibid.* Paſſio & paſſibilis qualitas, quæ ſunt tertia illius ſpecies, an terminent per ſe motum, *D.* 32. *à n.* 3. *& rurſus, à num.* 34. Pars continui an tangatur immediatè a puncto penes aliquid diviſibile, an potius indiviſibile, *D.* 36. *à n.* 34. Nequit idem per ſe loquendo movere ſe ipſum, ſed debet in eo diſtingui pars per ſe movens, a parte per ſe mota, *D.* 40. *latè*, præſertim *à n.* 23. & poſtea *à n.* 38.

PERFECTIO multiplex Dei, demonſtratur ex eo quòd ſit primus motor, *D.* 40. *à n.* 29. *ſect.* 3. *per totam.* An ex ſumma Dei perfectione, tum in eſſendo, tum in operando, colligatur mundum ab æterno extitiſſe? *D.* 42. *à n.* 32. & poſtea *à n.* 45.

PHILOSOPHIA Vnde dicta? *D.* 1. *à n.* 1. Quot eius ſectæ? *ibid. à n.* 2. Quantum debeat Ariſtoteli? *à n.* 3. In quot partes ab eo diviſa, *à n.* 5. Quid ſit Philoſophia ſecundum rem, *à n.* 8. Diviſio eius in Rationalem, Naturalem, & Moralem, *n.* 11. *&* 12. Naturalis ſubdividitur in propria membra, *nu.* 13. Veteres putarunt eam non eſſe ſcientiam, & quinam iſti fuerint, *n.* 22. Reijciuntur *à n.* 23 *latè.* Ipſorum argumenta ſoluta, *à n.* 27. Philoſophia quomodo ſpeculetur materiam ſenſibilem, *n.* 30. qualiter penetret rerum eſſentias, *n.* 31. & 32. An ſit ſpeculativa, nec ne. *à n.* 35. *uſque ad* 44. Quo ſenſu Medicina ſit eius pars, *à n.* 40. An etiam Anatomia? *n.* 45. Philoſophiæ obiectum quodnā ſit, *ibid. à n.* 46. Quo ordine addiſcenda, *à n.* 57.

POSSIBILIA Omnia an ſint infinita ſecundùm multitudinem? *D.* 32. *latè à n.* 32. *uſque ad* 42.

POTENTIA immediatè activa ſpecificatur adæquatè & proximè ab operatione. *D.* 15. *n.* 14. *& ſeqq.*

PRÆDICAMENTA quænam terminent per ſe motum? *D.* 32. *per totam.*

PRIMVS MOTOR. An eius exiſtentia ſatis demonſtretur ab Ariſt. ex natura motus, ſive ex illo axiomate. Quidquid movetur, ab alio movetur? *D.* 40. *per totam.* Illius variæ perfectiones demonſtrantur, *ibid. à n.* 29. *ſect.* 3. *per totam.*

PRINCIPIVM quid ſit, *D.* 2. *n.* 2. Quotuplex ſit principium entis naturalis, *eadem, diſp.* 2. *per totam.* Variæ Veterum circa id opiniones reiectæ, *ibid. n.* 3. *&* 4. Sententia Ariſtotelis *n.* 5. Communis expoſitio ipſius quo ſenſu ſit vera, *à n.* 8. Quo autem ſenſu falſa, *à n.* 19. *latè tota ſect.* 3. Quid ſit ſentiendum de principijs *in facto eſſe*, *ibid. num.* 37. Definitio Ariſtotelica principiorum ſolùm convenit principijs *in facto eſſe*, nimirū materiæ & formæ, propriè & ſimpliciter, *n.* 38. An principia entis naturalis ſint contraria, & quænam, *n.* 39.

PRIVATIO non habuit locum in materia, quando productæ ſunt primæ formæ, *D.* 2. *à n.* 12. Non eſt idem, ac carentia identitatis materiæ cum forma, *n.* 13. Non eſt principium eſſentialiter requiſitum ad omnem generationem, vt generatio eſt, ſed ſolùm ad illam quæ eſt mutatio, *n.* 15. *&* 16. Quo ſenſu ſit principium per accidens, *n.* 18. Nequit eſſe principium intrinſecè cōponens ens naturale prout *in fieri*, ſeu generatione ſui, *n.* 20. *&* 22. *cum ſeqq.* An diſtinguatur ab omni ente poſitivo? *D.* 11. *per tot.* Errarunt Platonici aſſerentes eſſe indiſtinctam à materia. *ibid. n.* 5. Impugnātur quotquot aiunt non eſſe diſtinctam ab omni ente poſitivo. *ibid. ſect.* 2. *&* 3. Privatio gratiæ exiſtit impropriè & per modum ſolius remotionis in peccatore. *ibid. n.* 49. Nō ſequitur actualis infinitudo privationum, quamvis ſint diſtinctæ ab omni ente, *ibid. à n.* 42. Habet eſſe quoddammodo ante conſiderationem intellectus, *ibid. n.* 50. Non convenit vnivocè cùm materia in ratione principij, *n.* 51. Nec conſtituitur intrinſecè per capacitatem ſubiecti, *n.* 52.

PROCESSVS in infinitum abſurdus eſt in cauſis per ſe ſubordinatis; ſecus vero in non ſubordinatis, iuxta Ariſtotelem, *D.* 16. *n.* 18. *&* 23. *à n.* 13. *latè* An repugnet inter movens & mota? *D.* 40. *à n.* 26.

PVNCTA indiviſibilia continui nullam omnino extenſionem habere, adhuc mathematicè, probatur latè ex Patribus, ac rationibus varijs, *D.* 36. *per totam.* In peripheria puncti nullus circulus eſt indiviſibilis, *ibid. n.* 31.

Q.

QVALITAS actu infinita penes intenſionem,

ſionem, an omnino repugnet? *D.23. per totam.* Omnis qualitas an eo ipſo quòd exiſtat debeat habere gradum primum & vltimũ, intra quos coerceatur? *ibid. latè à n. 3.* An detur per ſe motus ad qualitatẽ? *D. 32. ſect. 3. à n. 22.* Diviſio qualitatum in ſpirituales ac corporeas, & harum ſubdiviſio, *ibid. n. 24* Qualitas primæ ſpeciei non terminat per ſe motum, ſed ſolum actionem productivam, *ibid. n. 26.* Idque licèt corporea ſit, & præcipuè ordinata ad *eſſe* ſubiecti, *ibid. nu. 27. & 28.* Nec datur per ſe motus ad ſecundam ſpeciem qualitatis, *ibid.* Datur tamẽ ad tertiam, ſi ſpiritualis nullatenus ſit, vt ad primas & ſecundas qualitates, excepta luce & ſono. *Ibid. latè à n. 30.* Non datur per ſe motus ad quartam ſpeciem, *ibid. n. 33. & 35.*

QVANDO prædicamentale, in quo cõſiſtat, *D. 29. n. 44.* Non terminat per ſe motum, *D. 32. n. 38.*

QVANTITAS infinita actu an ſit poſſibilis? *D. 21. per totam.* Maxima omnium poſſibilium quantitatum, an repugnet? *ibid. à n. 38.* Infinitas in actu non eſt iuxta, ſed contra ipſius naturam, *ibid. n. 41.* Omnis numerus abſolutè poſſibilis debet eſſe in ſpecie determinatâ quantitatis diſcretæ, *D. 22. latè à n. 11.* Quantitatis effectus ſecundarius quo expellit aliam a ſuo loco, an ſit ſeparabilis ab effectu primario? *D. 25. latè à n. 40.* An quantitas eadem, nõ multiplicato effectu primario, poſſit multiplicare ſecundarium? *D. 26. latè à n. 7.* Caſu quo Chriſtus D. voluiſſet convertere quantitatem panis in ſuam propriam, an poſſet exiſtere circumſcriptivè in pluribus locis, *ibid. à n. 37.* Cur quantitas ſit diviſibilis, *D. 30. n. 5.* Raritas & denſitas ſunt quid realiter ſuperadditum quantitati, *D. 31. à n. 21.* Datur per ſe motus terminatus ad illam: non tamen ad omnẽ, ſed viventium propriam, *32. à nu. 2. ſect. 1. per totam.* Vt continua ſit, pendet eſſentialiter ab indiviſibilibus. *D. 33. à n. 38.* An cõtactus lineæ rectæ cum circulo ſit quantitas, *D. 34. n. 19. & 25.* An Deus videat quãtitatem per diviſiones poſſibiles redactam ad puta indiviſibilia, *ibid. à n. 46.* Quantitas continua conſtat partibus abſque fine dividuis, *D. 34. n. 22.* An ideo illæ debeant eſſe actu infinitæ, *eadem diſput. per totam.*

R.

ROTÆ agitatæ in circulo argumentum latè vrgetur in eos, qui diſtinguunt motum tardum à veloci in morulis, *D. 41. ſect. 2. per totam.* Quomodo Ariſtotelici ſe expedire poſſint ab eius retorſione, *ibid. à n. 39. ſect. 4 per totam.*

S.

SCIENTIA Dei terminata ad collectionem omnium poſſibilium, an inferat videri ab eo poſſibilem multitudinem actu infinitam? *D. 22. ſect. 3. per totam.*

SENSVS nõ ſemper falluntur circa propria obiecta, *D. 1. n. 34.* Academicorum oppoſitus error, reijcitur, *ibid.* Senſus externus an percipiat motum. *D. 41. à n. 16.*

SEPARABILITAS duorum, ſignum eſt evidens diſtinctionis realis inter vtrumque, *D. 14. n. 8.* & latiùs, *D. 33. à n. 13.* vbi de diſtinctione reali partium continui permanentis.

SOL diverſum caloris effectum præſtat iuxta varietatem regionum, *D. 17. n. 28.*

SPATIVM Imaginarium, in ordine ad menſurationem mathematicam corporum accipiendum eſt ſicut ſpatium realiter exiſtens, *D. 22. à n. 7. & D. 28. à n. 39.* An Deus ſit actu in eo, & extra mundum? *D. 28. per totam.* Quænam ſit ratio propria ſpatij imaginarij, *ibid. ſect. 1. per tot.* Exiſtimatio Gaſſendi de æterna & increata exiſtentia illius, reijcitur *ibid. à n. 4.* Non eſt purum figmentum, ſed locus realiter poſſibilis, cũ actuali carentia exiſtentiæ in re, apprehenſus vt actu exiſtens, *ibid. à n. 8.* Ariſt. & S. Tho. docent Deum eſſe in ſpatio imaginario & extra mundũ actu, *ibid. à n. 14. & n. 34.* Similiter & Patres Eccleſiæ conformiter ad ſacras litteras, *ibid. à n. 16. latè.* Si Deus conderet alium mundum ſeparatũ ab hoc, eſſet actu in ſpatio interiecto, *ibid. à n. 36.* An poſſit movere punctum continuo motu per ſpatium imaginarium, *D. 34. à n. 50.* An vnum indiviſibile occupet finita, aut infinita pũcta ſpatij imaginarij, *D. 36. latè à n. 4.*

SPECIES intelligibilis, quando eſt ſubſtantia, an ſit principium immediatũ operandi? *D. 15. à n. 42.* Nulla in creatis eſt poſſibilis, quæ Deum quidditativè repræſentet *D. 16. n. 25.* Species numeri finiti, omnium finitorum maximi, repugnat, *D. 24. latè à n. 13.* Species omnes ſunt indiviſibiles, *ibid. n. 12.* & inæquales *n. 14.* Repugnat ſpecies numeri actu infiniti, eo ipſo quòd repugnet ſpecies finiti omnium finitorũ maximi, *ibid. n. 20.* ſicut & infiniti maximi, ac minimi infinitorum, *n. 21.* Nulla ſpecies creata continet perfectionem aliarum inferiorũ, *ibid. à n. 35.*

SVBSISTENTIA, ſive ſuppoſitalitas, an

an ſit idem cum toto compoſito? *D.7.n.26*

SVBSTANTIA tota eſt cauſa principalis effectrix alterius ſubſtãtiæ, *D.16.ſect.1.per totam.* An ſit virtus proxima, ſeu principium immediatum operandi? *ibid. tota ſect.2.& 3.* Speciem immediatè deſumit ab actu exiſtentiæ, *ibid.n.13.* tanquam vnico & primario ſpecificativo, *ibid.n.15.& ſeqq.* Nullo autem modo ab operatione, *ibid.& à n.21.* Subſtãtia completa non ſpecificatur ab vllo accidente eorum, quæ immediatè recipit, *ibid.n.24.* Habet actionem propriam, diſtinctamque ab operatione accidentis, & quo ſenſu? *D.eadem 15.n.31.& 32.* Circa ſuas proprietates non habet ſtrictam operationem, ſed impropriam, *ibid. à n.36.* & alibi ſæpe. An illas aliquando recuperet abſque ſtricta & immediatà actione? *ibid.latè à n.37.vſque ad 41.* Subſtantiæ generabiles & corruptibiles, quomodo incipiant, ac deſinant. *D.38.ſect.2.per totam* Item & ſubſtantiæ ſpirituales, *ibid. tota ſect.3.*

SVCCESSIVA quatenus differant à permanentibus in exiſtendo, *D.31.à n.41.* An conſtent indiviſibilibus; an potius partibus abſque fine dividuis? *D.37.per tot.* An conſtent vnione ſufficiente ad conſtituendum vnum per ſe, *ibid.n.19.* An & quomodo verum ſit, partes eius exiſtere, ſi ſunt abſque fine dividuæ in prius & poſterius, *ibid. latè à n.30.* An eo ipſo ſint actu infinitæ, *ibid. à n.45.* Quomodo incipiant & deſinant? *D.38 à n.1. vſque ad 23.* An potuerint eſſe ab æterno? *D.44.per totam.*

SVPERFICIES vnius corporis, quà parte indiviſibilis eſt, penetratur cum ſuperficie alterius contiguà, *D.34.n.14.* & latius *à n.20.* An quando baculus vſque ad ſui medietatem eſt intra aquam, vna ſuperficies ſequatur immediatè poſt aliam, *ibid.n.53.*

STOICI omnia ex fatali aſtrorum influxu provenire putabant, *D.17.n.2.*

T.

TARDITAS motus, prout diſtincta à velocitate, in quo conſiſtat, *D.41.per tot.* An ratione morularũ diſtinguatur *ibid.à n.4.ſect.1.& 2.per totas.*

TEMPVS eſt numerus motus ſecundũ prius & poſterius; & quo ſenſu? *D.29.n.6.* In quo differat ab ævo & æternitate, *D.30.per totam*, præſertim *à n.24.* Eſſentialiter ſucceſsivum eſt, *ibid.* An ſemel elapſum poſſit reproduci à Deo, *ibid.n.30.& 31.* Tempus diſcretum Angelorum, quale ſit, & quas operationes menſuret, *ibid.à n.32.* An ſit tantum vnum numero tempus, *ibid.n.42.* An exiſtat realiter, & quomodo, *D.31 per totam.* Quo ſenſu dicatur non exiſtere extra animam, *ibid.à n.4.* Ita eſt ens ſucceſsivum, vt tamen differat realiter à motu, cuius duratio intrinſeca eſt, *ibid.ſect.2.& 3.per totas.* An exiſtat, vel præſens ſit ſecundum aliquam ſui partem; an ſolum ratione inſtantium? *D.eadem 31.à n.34.ſect.4.per totam.* An conſtet partibus abſque fine dividuis; an potius ſolis indiviſibilibus? *D.37.per totã.* Temporis & motus variæ combinationes. *D.41.n.29.* An potuerit eſſe ab æterno? *D.44.per totam.*

TOTVM An diſtinguatur realiter à partibus ſimul ſumptis? *D.per totam.* Totius per accidens diſtinctio à toto ſubſtantiali & per ſe *ibid.n.18.* Nihil convenit realiter toti, quod reipſa non conveniat partibus ſimul ſumptis. *ibid.n.24.* Quomodò ſtrictè loquendum ſit in eà controverſia, *n.29.* Totũ ſucceſsivum, in quo differat à permanenti, *D.31.n.11.*

THOMAS Doctor Angelicus laudatur *D.1.n.7.& D.45.n.vltimo.*

V.

VACVVM An ſit, vel poſsit eſſe naturaliter? *D.27.per totam.* Aliud privativum, aliud negativum, *ibid.n.1.* An bene reiiciatur eò quòd otioſum & ſuperfluum eſſet, *ibid.n.5.* An ex naturali repugnantià penetrationis duorum corporum, *ibid.à n.6.* Ratio genuina vt repugnet vacuum deſumitur ex inclinatione naturæ vehementiſsimà ad vnionem & colligationem partium Vniverſi inter ſe, *ibid. latè à n.8.* & ex influxu corporum cœleſtium, *ibid.à n.12.* Experimenta varia ad probandam repugnantiam vacui, *ibid.n.16.* An illud detur quando ſolidum marmor vnico ictu abſcinditur? *ibi.à n.17.* Poſsitne Angelus inducere vacuum? *ibid.à n.22.* An ſpatium relictum à mercurio, ſive argento vivo, in tubo vitreo, ſit vacuum, *ibid.à n.24.* An corpus moveri poſſet per vacuum? *ibid.à n.33.* An in inſtanti, *ibid.à n.33.*

VBICATIO vna circumſcriptiva an eſſentialiter afferat negationem alterius? *D.26.à n.4.* Nequit multiplicari, niſi multiplicetur quantitas, *ib.d.à n.7.latè.* Vbicationes adquiſitæ per motum, divinitus ſeparatum à tempore, an manerent continuæ? *D.31.n.31.& 32.* Vbicatio, ſive *vbi*, terminat per ſe motum localem, *D.32.n.37.* An motus qua-

quatenùs continuus componatur ſolùm ex vbicationibus inſtantijs? *D.37.à n.47.*

VBIQVE exiſtere propriũ eſt Dei ideoq; repugnat creaturæ, adhuc ſupernaturaliter. *D.26.tota ferè ſect.2.* Multò autem magis repugnat creatura naturaliter, aut eſſentialiter exigens eſſe vbique, *ibid.n.27.* Qua ratione Deus ſit vbique, etiam extra mundũ, cum tamen nihil extra illud operetur: *D.28.à n.34.*

VBIQVISTÆ, ſeu Vbiquetarij hæretici, in quo erraverint circa humanitatem Chriſti? *D.26.n.14.& 15.* Omnipræſentia, ſeu vbiquitas eius, ab ijs tradita, refellitur a Concilijs & PP. *ibid.* Illorum error a Luthero & alijs inſtauratus, ac redivivus factus, *ibid.n.16.* Qui affirmant poſſe idem corpus eſſe circumſcriptivè in pluribus locis, an renovant idem errori? *ibid.latè à n.14.tota ſect.2.* Non ſequitur ex præſentia Chriſti ſacramentali in pluribus hoſtijs, *ibid.n.26.*

VELOCITAS motus in quo conſiſtat. *D.41.per totam.*

VIOLENTVM quid ſit, & an aliquid relatè ad materiam, *D.6.n.35.& D.15.n.2.*

VIRTVTES ſeminariæ formarum ſuperadditæ in materia primà à principio rerum, reijciuntur, *D.6.ſect.2.latè à n.14.* Mẽs S.Auguſtini & D.Th. circa illas exponi ur, *ibid.à n.33.*

VIVENS præ non vivente augetur per intuſſumptionem, *D.32.n.4.* Quantitas viventium, prout diſtincta a quantitate non viventium, in ſui augmentatione producitur diverſo modo, ac in prima generatione, *ibid.à n.5.* Vivens, præ non vivẽte, quoties augetur, totum augetur, *ibid.* Viventia an habeant terminum magnitudinis & parvitatis *D.38.à n.24.tota ſect.4.* Idem inquiritur de non viventibus, *ibid.à n.20.tot.ſect.*

4. Differunt ab his quatenus ab intrinſeco ſe movent, *D.39.à n.28.& D.40.n.23.*

VNIO ſubſtantialis partium, eadem ſpecie eſt in omnibus individuis vnius ſpeciei, ac ſolo numero multiplex, *D.7.n.28.* Ex terminis importat imperfectionem, *D.10.n.41.* Eſt diſtincta, & realiter ſuperaddita materiæ & formæ, tam in *fieri*, quàm in *facto eſſe*, ſive poſt inſtans generationis. *D.14. per totam.* Separatur de facto ab entitatibus materiæ & formæ, *ibid.à n.8.* In Chriſto D. eſt diſtincta ab humanitate & perſona Verbi, *ibid.n.22.* An ſit vnica aut duplex inter materiam & formam? *ibid. tota ſect.4.* Quid ſit dicendum de vnione partium hominis, *n.30.* Partes continui permanentis copulantur vnione aliqua reali. *D.33.latè à n.17.vſque ad 25.* Nequit componi realiter vnum aliquod totum per ſe, ſine vnione reali partium, *ibid.n.29.* Vnio partium cõtinui eſt aliquod indiviſibile, *ibid.à n.30.* An poſſint partes ab ea ſeparari, *D.34.à n.38.* Sine vnione nequit ex duobus fieri vnum per ſe. *D.37.n.18.*

VNITAS ſpecifica an conveniat materiæ primæ ex ſe? *D.4.à n.5.* Vnitas ſubſtantialis cõpoſiti non impeditur ratione vnionis mediantis inter materiam & formam. *D.14.n.23.* Vnitas ſpecifica motus, & numerica, vnde ſumatur, *D.32.à n.39.* Vnitas continui permanentis an ſit omnino ſimplex, an potiùs compoſita ex partibus actu diſtinctis, ſive diviſibilibus? *D.33.per tot.*

Z.

ZENO an fuerit author opinionis docentis continuum reſultare ex puris indiviſibilibus, *D.34.n.2.*

FINIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE